# COMMENTARIORVM IN ISAIAM PROPHETAM

Iuxta ſenſum litteralem & moralem.

CVM ANNOTATIONIBVS SS. PATRVM, ET ALIQVIBVS animaduerſionibus, in gratiam Prædicatorum in vnum collectis.

## TOMVS SECVNDVS:

AVCTORE

*R. P. M. F. Didaco Aluarez Metimnenſi, Prouiciæ Hiſpaniæ, Ord. Prædicatorum Romæ in Collegio Sancti Thomæ ſuper Mineruam, ſacræ Theologiæ profeſſore, & Regente.*

Cum duplici Indice copioſiſſimo, alter eſt locorum ſacræ Scripturæ, alter rerum, & ſententiarum: quibus adiectis eſt Elenchus ſuper totum Iſaiam, ab eodem Auctore editus, in quo omnia eiuſdem Prophetæ loca Euangelijs totius anni adaptantur.

D. D. RODERICO ENRIQVEZ FEDERICI, MARIS PRAEFECTI CASTELLAE, DVCISQ. METIMNENSIS FILIO.




ROMAE, Ex Typographia Guilielmi Facciotti. M. DC. II.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# COMMENTARIORVM
# IN ISAIAM PROPHETAM

Iuxta ſenſum litteralem & moralem.

CVM ANNOTATIONIBVS SS. PATRVM, ET ALIQVIBVS animaduerſionibus, in gratiam Prædicatorum in vnum collectis.

## TOMVS SECVNDVS.

AVCTORE

*R. P. M. F. Didaco Aluarez Metimnenſi, Prouiciæ Hiſpaniæ, Ord. Prædicatorum Romæ in Collegio Sancti Thomæ ſuper Mineruam, ſacræ Theologiæ profeſſore, & Regente.*

Cum duplici Indice copioſiſſimo, alter eſt locorum ſacræ Scripturæ, alter rerum, & ſententiarum: quibus adiectis eſt Elenchus ſuper totum Iſaiam, ab eodem Auctore editus, in quo omnia eiuſdem Prophetæ loca Euangelijs totius anni adaptantur.

## D. D. RODERICO ENRIQVEZ FEDERICI, MARIS PRAEFECTI CASTELLAE, DVCISQ. METIMNENSIS FILIO.




ROMAE, Ex Typographia Guilielmi Facciotti. M. DC. II.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

i17630988

# D. D. RODERICO ENRIQVEZ
## FEDERICI, MARIS PRAEFECTI
## CASTELLAE, DVCISQ. METIMNENSIS FILIO.

### F. DIDACVS ALVAREZ ORD. PRAED.
Summam Fœlicitatem prçcatur.

*SI ſemper in referenda gratia, illud Heſiodi ſequendum eſſet, eadem menſura reddere oportet, qua tibi delatũ eſt: quinimmò & agros fertiles immitari, qui multo plus agricolis adferunt, quàm acceperint: multorum ſanè ſtudia tardarentur, qui accepti beneficij gratiam referre nollent, cum id mutua compenſatione remunerari ſe poſſe deſperarent: atquè ita grati nõ diſcernerentur ab ingratis, & peſſimũ illud vitium, retribuẽdi difficultate magna obtegeretur. Quod nunc vereor, nè mihi acciderit. Qua enim mẽſura potero officio erga te meo ſatisfacere? Si quidem ſumma illa beneficia olim ab Aloyſio auo, & a Federico patre tuo, in vtrumq. parentem meũ collata commemorem, nonne ad me ipſa vincula, quibus erãt illi tuis obſtricti, cum ipſa natura quaſi hereditario iure peruenerunt, & me tibi deuinctum tenent? Si illam tuam*

magnificentiam ſingularem, qua parentum tuorum imitatus ſplendorem, atque nobilitatem preclaris virtutibus ornatam, ad memoriam reuocem, qua conuentus ſancti Petri Martyris patrocinium, humaniſsimè ſuſcepiſti, vbi ego (Deo donante) veteris hominis veſtimenta depoſui, noua vincula veteribus adiecta conſpicio: & Matris ſpiritualis onera, quam tuo nomine decorare, & multis bonis, atque redditibus augere, dignatus es, ſingulariter me premunt, & compellunt: vt gratitudinis ſignum aliquod benefactori, et patrono ſuo exhibeam. Sed cum eadem menſura id praſtare diffiderem: ne deſperata remuneratione videar tot debita ingrati ſilentij tenebris inuoluere, ſapientiſsimi Licurgij inſtitutum ſequar, qui Spartanæ genti, quam optimis moribus inſtruendam ſuſceperat, parui pretij ſacrificia Superis dicanda conceſsit; ne rerum familiarium inopia hominum animos a diuino cultu ſeiungeret. Cum ergo ſecundum volumen Commentariorum ſuper Iſaiam Prophetam in lucem edere pararē; illud tibi dicare, atque offerre ſtatui, tanquam iure debitum. Magnis equidem magna retribuere oportebat, ſed à paruis non poſſunt niſi parua prodire munuſcula. At fortaſſe magnum pro tua ſingulari benignitate, & clementia videbitur, tum quia Prophetæ expoſitionem continet, qui cū ſit ex Regia ſtirpe natus, tuæ proſapiæ nobilitati, & ſplendori reſpondet, tum quia magna vidit, & annunciauit myſteria gratiæ: vnde & dictante Spiritu ſancto, magni

Eccl.48. d Prophetæ cognomentum accepit. Accedit, quod obſequium iſtud paruulum, ex meo in te ſummo, ac ſingulari ſtudio, & amore, quo ſum mirabiliter inflammatus, emanat. Sicut ergo

Domi-

Gen. 3. Dominus prius ad Abel quam ad munera eius reſpexit:

Lucæ 21 & Redemptor noſter, cum vidiſſet quandam viduam pauperculàm æra minuta duo in gazophylatium mittentem dixit, Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit, nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit; ita & tu, qui à diuina clementia non procul abes, animum potius offerentis, quàm munus eius inſpicies, & ſtudium magis, quam meum tibi laborem oblatum, aut cum labore me ipſum, et hunc ipſum laborem, cum Iſaiæ virtute, atque nobilitate ſpectabis coniunctum. Hoc igitur qualecunque munus, tanquā tot vinculis deuincti iam animi tributum, ea qua ſoles in omnes vti benignitate, ſuſcipias, etiam, atq. etiam rogo: Cum præſertim idem ſit & meæ obſeruantiæ erga humaniſsimum Patronum monumentum. Vale.

# AD LECTOREM.

SERA fortaſſe videbitur (optime Lector) iam diu promiſſi operis perſolutio: at ſerum dici non debet, quod nulla negligentia eſt prætermiſſum. Sacræ enim Theologię numquam intermiſſę pręlectiones, aliarumquè rerum negotia ita me implicatum detinuerunt, & detinent, vt vix reſpirandi facultas conceſſa ſit. Attamen malui incommodo meo, cum aliquid otij nactus ſum, promiſſum exſoluere, quam cum commodo officium meum ab alijs deſiderari. Cui etiam addidi commune, tum huic, tum primo tomo Elenchum, vt via facilior reperiendi apta loca Iſaię pro Euangelijs totius anni concionatoribus aperiatur. Quidquid autem in his voluminibus tibi arriſerit, id totum Deo in primis, a quo bona cuncta procedunt: deinde Sanctis Patribus, ex quorum fontibus has lucubrationes deſumpſi, acceptum referas. Vale.

## *Facultas Reuerendiſsimi Patris Generalis.*

NOS Frater Hieronymus Xauierre Cęſaraguſtanus Sacræ Theologię Profeſſor, ac totius Ordinis Prędicatorum humilis Generalis Magiſter, & ſeruus. Viros doctrina inſignes, virtuteq., ac morum integritate conſpicuos, quos pro Chriſti gloria, animarum ſalute, Chriſtianæq. religionis augmento in vinea Domini diu laboraſſe, & iugiter laborare cognoſcimus, ſicut ſincera dilectione proſequimur, ita, ne ab incepto opere deſiſtant, ſed vt illud perficere ſtudeant, monere, & hortari, &, vt noſtri muneris eſt, animare ſolemus, quatenus de virtute in virtutem euntes, tandem videre liceat Deum Deorum in Syon. Porrò eis, qui iuxta talentum ſibi à Domino traditum, nedum præſentes inſtruendo, ſed & poſteris doctrinæ ſuæ monimenta relinquendo, Chriſtianæ quidem Reipub. plurimum vtilitatis, noſtro verò ordini multum ornamenti afferre poſſunt, quæ noſtrarum ſunt partiũ libentiſsimè impartimur, in idq. incumbimus, vt laborum ſuorum fructus, & vigiliarum lucubrationes, ad communem omnium vtilitatem, in lucem diligenter edantur. Quemadmodũ

tenore

tenore præſentium noſtri auctoritate officij, tibi Admodũ R.P. Magiſtro Fr. Didaco Aluarez noſtræ Prouinciæ Hiſpaniæ, Regenti, noſtri celeberrimi Collegij Angelici Doctoris S. Thomę, in Conuentu noſtro Sanctę Mariæ ſuper Mineruam, huius almę Vrbis eiuſdem ordinis, cuius ſingularem eruditionem iam pridem perſpectam habemus, & multis experimentis cognitã, concedimus, quinimmò in meritum ſanctæ Obedientiæ, ſub formali præcepto mandamus, vt ſeruatis omnibus, quę iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 4. de editione, & vſu ſacrorum librorum ſeruari debent, quantò citius committere Typis, & pręlo mandare ſtudeas Commentariorum ſecundum Tomum a te editum, complectentem cap. 28. & ſequentia, vſque ad cap. vltimum Prophetię Iſaię. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. Quibuſcumq. in contrarium non obſtantibus. In quorum fidem, his noſtro ſigillo munitis, manu propria ſubſcripſimus. Dat. Romæ die 8. Nouembris 1602. Aſſumptionis noſtræ Anno ſecundo.

Fr. Hieronymus Xauierre, qui ſupra.

*Fr. Ludouicus Iſtella Magiſter Prouincialis Terræ Sanctæ.*

# APPROBATIO.

*Commentariorum in Iſaiam Prophetam Tomum ſecundum, à vigeſimo octauo capite, vſque ad finem, doctiſſimi Magiſtri Fratris Didaci Aluarez, in celebri Collegio ſancti Thomæ ſuper Mineruam, ſacræ Theologiæ profeſſoris, & Regentis, non ſine ingenti animi mei voluptate, & vtilitate, ex commiſſione Reuerendiſsimi P. Magiſtri Sacri Palatij, perlegi. Opus (mea quidem ſententia) non ſolum catholicum, verum etiam valde vtile ad dogmata Fidei Chriſtianæ confirmanda, & defendenda. In quo ſanè nihil niſi inſigne, eruditum, & Sanctorum Patrum grauiſſimis auctoritatibus, firmiſsimiſq. rationibus ſtabilitum inueni. Illud proindè ad communem ſacræ Scripturæ ſtudioſorum, & Diuini verbi concionatorum vtilitatem, vt in lucem prodeat, Typiſquè mandetur, cenſeo. Romæ, vigeſima ſecunda die Nouembris. Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo primo.*

*Magiſter Fr. Laurentius de Vera Abbas Benedictus, & Procurator Generalis Ord. S. Bernardi, & Hieronymi Hiſpaniarum.*

Ego

BIBLIOTECA

*EGo Frater Gregorius Seruantius Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſter, ex commiſsione Reuerendiſsimi Patris noſtri Generalis Magiſtri Fratris Hieronymi Xauierre, vidi, & legi accuratè hunc ſecundum Tomum R. A. P. & Magiſtri doctiſsimi Fratris Didaci Aluarez eiuſdem Ordinis, & quantum iudico, nihil continet, quod non ſit Catholicæ doctrinæ, & bonis Eccleſiæ moribus conſentaneum: Opus priori ſimile, Auctore ſuo dignum, ſacræ paginæ ſtudioſis pluſquam vtile, multiplici denique pietate, & eruditione plenum.*

*Sic teſtor. Frater Gregorius qui ſupra manu propria.*

---

*TOmum hunc ſecundum, complectentem expoſitionem in Iſaiam à capitulo vigeſimo octauo, vſque ad vltimum, quem edidit Admodum R. P. F. Didacus Aluarez Magiſter, & Regens in Collegio S. Thomæ in Cænobio S. Mariæ ſuper Mineruam; ex commiſsione Reuerendiſsimi P. Magiſtri Generalis Ord. Præd. Fratris Hieronymi Xauierre Cæſarauguſtani, ea qua decebat diligentia, atque animi attentione, totum perlegi. Et quidem non ſolum Fidei Catholicæ, ac bonis moribus nihil inueni contrarium, aut diſſonum: quin potius ſanam doctrinam, variam, multiplicemq. SS. Patrum expoſitionem, in explicandis oraculis miram dexteritatem, nouiſq. conceptibus multa perluſtrata. Quare illum approbo, dignumq. cenſeo, qui Typis excuſſus in communem vtilitatem, tam Prædicatorum, quàm Scholaſticorum in lucem prodeat. In cuius rei fidem, præſentibus manu propria ſubſcripſi. Romæ die tertia Nouembris 1602.*

*Ego F. Franciſcus Cæſius Ord. Præd. S. Theologiæ Magiſter.*

---

***Imprimatur**, ſi placet Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij*
*B. Gypſius Viceſgerens.*

***Imprimatur***

***Fr. Angelus Baronius Venetus Magiſter, & Reuerendiſs. P. Magiſtri Sacri Palatij Socius, Ord. Præd.***

# INDEX
## LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE VTRIVSQVE TESTAMENTI QVAE IN HOC SECVNDO THOMO REFERVNTVR, ET EXPLICANTVR.

*C. caput Iſaiæ, N. deſignat numerum eiuſdem capitis.*

## Ad Lectorem.

*QVAMVIS in hoc opere nonnulla Scripturæ ſacræ loca obiter, abſque ſpeciali ponderatione adducãtur: conueniens tamen iudicaui omnia in hoc Indice referre, quoniã ex his, quæ ſuper contextũ Iſaiæ adnotantur, eorumdem locorũ intelligentiam facile poterit vnuſquiſque colligere: illa vero, quæ ſpecialiter expenduntur, aut ex doctrina Sanctorum Patrum aliqua notabili ponderatione explicantur, huiuſmodi aſteriſco * ſignata, atque notata inuenies.*

### EX GENESI.

Cap. 1. IN principio creauit Deus cælum, & terram, &c. cap. 41. n.19. cap 45. n. 15.
Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux, &c. cap. 49 n.2.
Congregẽtur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida. cap. 40 n.24.
Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, &c c.40. n.35.
Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, &c. cap.42. n.10.
Germinet terra herbam, &c. cap.32. nu.12.
Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c. cap. 40. n.7.34. cap. 44. num. 15.
Creſcite & multiplicamini, & replete terram &c. cap.45. nu.11.
Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. cap. 44. n.8 *
cap. 2. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, &c. cap.40. nu.16. cap.42. n.10. cap. 57. n. 16.
Inſpirauit in facie eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viuentem. cap.43. n. 1.
Formatis de humo animãtibus terræ, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. cap. 40. n. 34
Et omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. cap. 40. n.34.
Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, &c. cap.41. n.17. c.48. n.14. *
Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. cap.40. n.34. *
In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. cap.38. n.14.
Die ſeptima requieuit Dominus ab omni opere, quod patrarat. c.42. n.28. c.57 n.5.
Serpens erat calidior, &c. c. 29. n 28. cap. 3.
In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. cap.36. n.4. c.40. n.16.
Dixit ad mulierem. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi. cap. 36. n.4.
Scit Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri. cap. 36. n. 4. c.44. n.4. c.45. n 4.
Eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum. c.36. n.7. c.50. n 11.
Qui comedit, &c. c 29. n.6.
Ambulans ad auram poſt meridiem. cap. 40. num. 12.
Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciẽs bonum, & malum. cap. 44. n.4.

a Male.

Maledicta terra in opere tuo. cap. 32. nu. 12. cap. 45. n 8.

Puluis es, & in pulnerem reuerteris c 40.n. 28.

cap. 4. Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra. c. 59. n. 13.

Nonne ſi recte offeras, non autem recte diuidas. c. 29 n. 23.

Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear. c 48. n 5.

Ecce eijcis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra. c. 57. n. 17.

Vagus & profugus eris ſuper terram. c. 62. n. 5.

cap. 5. Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum, &c. c. 40. n. 1.

cap. 6. Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, &c. c. 42. n. 1.

Et tactus dolore cordis intrinſecus, delebo (inquit) hominem, quem formaui, a facie terræ. c. 42. n 18.

cap. 8. Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem. c. 42. n. 12.

cap. 9. Arcum meum ponam in nubibus cæli. c. 38. n. 26. c. 57. n. 2.

cap. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, &c. c 41 n. 2. c. 51. n 2.

Aedificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei, &c. c. 41. n 2.

cap. 13. Cũ egrederetur de Aegypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Loth cum eo, &c. c. 41. n 2.

In Iſaac vocabitur tibi ſemen. c. 28. n 22

cap. 14. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. c. 38. n. 6.

Cum audiſſet Abraham captum Loth fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos, &c. c. 41. n. 2.

cap. 15. Tulit vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, &c. c 41. n. 2.

Erit ſemen tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem. c. 48. n. 2.

Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes, &c. c. 51 n. 2.

cap. 17. Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos, &c. c. 42. n. 12.

cap. 18. Abraham futurus eſt in gentem magnam, ac robuſtiſſimam. c. 60. n 24.

Non delebo propter decem. c. 57. n. 2.

cap. 19. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorram, ſulphur, & ignem a Domino de cælo, &c. c. 34 n. 7.

cap. 21. Ablactatus eſt, fecitque Abraham grande conuiuium. c. 28. n. 9. c. 29 n. 34. *

Abraham plantauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Dei. cap. 41. num. 2.

Extendit manũ, & arripuit gladiũ, &c. c. 41. n. 2. cap. 22.

Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus. c. 41. n. 2.

Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cęli, & velut arenam quæ eſt in littore maris, poſſidebit ſemẽ tuum portas inimicorum ſuorum. c 60. n 24.

Aedificauit altare in conualle Mambre. cap. 41. num. 2. cap 24.

Non deſcendet filius meus vobiſcum, frater eius mortuus eſt, &c. c 38 n 11.

Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua. c. 29 n. 32. cap. 25.

Perrexitque vt conſuleret Dominum. cap. 29. num. 32.

Abraham mortuus eſt plenus dierum cap. 38. num. 11.

Mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum, cap 57. nu. 1.

Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni. cap 56. nu. 4. cap 27.

Expauit Iſaac ſtupore vehementi. c. 29 n 32.

Erexit in titulum c 32 n. 2. cap. 28.

Tollens Iacob virgas populeas virides, & amigdalinas, &c. c. 51. n. 3. * cap. 30.

Sed & pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus. ca. 49. num. 9. cap. 31.

Viginti annis fui tecum, oues tuæ, & capræ ſteriles non fuerunt, &c. vſque Dominum meum in Seir. c. 40 n. 23.

Loquutus eſt ad cor eius. c. 40. n 2. cap 34.

Benedixitque ei, dicens, non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuũ. c. 48. n. 7. cap. 35.

Cõſumptus ætate mortuus eſt, & appoſitus eſt populo ſuo, ſenex, & plenus dierũ. c. 57. n. 1

Audite ſomnium meum quod vidi: putabam nos ligare manipulos in agro, &c. cap. 40. num. 32 * cap. 37.

Qui relicto in manu eius pallio fugit & egreſſus eſt foras. cap. 29. nu 36. * cap. 39.

Ecce ſomniator venit: venite occidamus eum, &c. c. 40. n 32.

Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. c. 38. n, 11.

Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit. c. 30. n 28. c. 30. n 3. cap. 40.

Tulit Ioſeph duos filios ſuos de gremio patris. c. 29. n. 33. vbi magna pars huius cap. explicatur. * cap. 48.

Simeon & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia. c. 32 n. 7. cap. 49.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea: c. 29. n. 32.





In cõſiliũ eorũ non veniat anima mea. c. 30. n. 1.

Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. cap. 51. n. 1.

Catulus leonis Iuda ad predam fili mi aſcendiſti. cap. 31. num. 4. *

Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. cap. 48 nu. 1.

Aſer pinguis panis eius. cap. 30, n. 41 c. 51. n. 15.

Lauabit in vino ſtolam ſuam. cap. 30. n. 31.

Obijt, appoſitusque eſt ad populum ſuum. cap. 57. num, 1.

### EX LIB. EXODI.

cap. 4. OBſecro Domine mitte quem miſſurus es, cap. 35. nu 7.

Eleua virgam tuam. cap. 38 nu. 26.

Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis, &c. cap. 53. nu. 7.

Filius meus primogenitus Iſrael. cap. 29. nu. 32.

cap. 5. Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. ca. 29. num. 11.

cap. 6. Ego Dominus qui apparui Abraham c. 37. n 9.

cap. 7. Tulit Aaron virgam coram Pharaone. cap. 29. num. 28.

cap. 8. Et eleuans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone. cap. 28. nu. 17.

Digitus Dei eſt hic. cap 29 nu. 12. cap. 30 nu. 20. cap. 44. nu. 16.

cap. 9. Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus. cap. 29. num 11.

cap. 10. Extende manũ tuam in cælum, & ſint tenebræ ſuper terram Aegypti, tam denſæ vt palpari nequeant, &c. c. 50. nu 5.

cap. 12. Vocatis Pharao Moyſe, & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini à populo meo, vos & filij Iſrael, &c. vſque. Et ſpoliauerunt Aegyptios. cap. 51. nu. 14.

cap. 13. Dominus autem præcedebat eos, ca. 63. nu. 9.

cap. 15. Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, &c. cap. 51. nu. 16.

Venerunt filij Iſrael in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ, &c cap. 38. n. 26 *

cap. 16. Sedit Moyſes, vt iudicaret populum. cap. 32. num. 8.

Non enim contra nos eſt murmur noſtrum, ſed contra, &c. cap. 30. nu. 17.

Collegerunt cibos duplices. cap. 30. nu. 27. *

Scatere cæpit vermibus, atque computruit. cap. 30. n. 29. *

cap. 17. * Petra ligno percuſſa aquam ſubminiſtrat. cap. 38. nu. 26.

Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. ca. 55. nu. 19. *

Quæcumque locutus eſt Dominus Deus noſter faciemus. cap. 29. nu. 33. cap. 19.

E præcedet te Angelus meus. cap. 52. nu. 16. cap. 23.

Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via, &c. vſque. quos ego conteram. cap. 45. nu. 2.

Cum aſcendit Moyſes, vt tabulas lapideas, & legem ſcriptam acciperet de manu Domini. cap. 42. nu. 9. cap. 24.

Qui ſedes ſuper Cherubim. cap. 37. nu, 9. cap. 25.

Erant Cherubim tegentia propitiatorium. c. 37. num. 9.

Pones & rationale iudicij. cap. 52. nu. 15. cap. 28.

Et idcirco in ſacerdotis pectore, rationale eſt. cap. 33. nu. 7. *

Audiatur ſonitus, quando ingreditur vel egreditur ſanctuarium in conſpectu Domini, &c. cap 40. nu. 19.

*Mane, & veſpere offertur in altari agnus anniculus. cap. 29. nu. 2. cap. 29.

Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te adduxerunt de terra Aegypti. cap. 48. nu. 4. cap. 32.

Dimitte me, vt iraſcatur furor meus cõtra eos, & deleam eos faciamque te ingentem magnam. cap. 60 nu 24 *

Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Aegypti, &c. cap. 37. nu. 4.

Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, &c. cap. 46. nu. 4. cap. 43. nu 19

Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. cap. 58. nu. 12. cap. 62. nu. 9 *

Iratus valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, arripienſque, &c. cap 36. nu. 12.

Si inueni gratiam in conſpectu tuo. cap. 36. num. 36. cap. 33.

Præcipis, & educam populum iſtum, & non indicas mihi, quem miſſurus es mihi, &c. ca. 35. nu. 7.

Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens & patiens. cap. 29 nu 2. cap. 34.

Impletiſque ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam. cap. 42. num 26.

### EX LEVITICO.

PIſcis qui ſquamas & pinnulas non habet immundus erit. cap. 51. nu. 21. * cap. 12.

Poſtquam mundauerit ſanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem, &c. cap. 53. nu. 6. cap. 16.

cap. 19. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane. cap.40. nu.22.
cap. 21. Neque qui gibbo premitur, ad ſacerdotium prouehatur cap.51. nu 21.
cap. 26. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, &c. cap. 50. num. 7. *

EX LIB. NVMERORVM.

cap. 11. COngrega mihi ſeptuaginta viros. cap. 32. num. 3.
Auferam de ſpiritu tuo, traddamque eis. cap. 63. nu.12. *
Quis mihi det vt omnis populus Domini prophetet? cap.4?. nu. 3.
cap. 12. Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent. cap. 32. nu 8.
Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. cap.35. nu.5.
cap. 16. Cecidit Moyſes in faciem. cap 28. nu.14. *
cap. 19. Vas quod non habuerit operculum nec ligaturam deſuper, immundum erit. cap.30.num. 18.*
cap. 23. Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur, &c. cap. 38. num. 2.
cap. 24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob. cap. 33. num. 18.*
cap. 26. Iſti ſunt Dathan & Abiron principes populi, qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron, in in ſeditione Chore,&c. cap.38. nu.19.

EX DEVTERONOMIO.

cap. 6. AVdi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. cap.41. nu.1.
cap. 9. Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, &c. cap. 43. num. 18.
Peccatum veſtrum quod feceratis, igne conſumpſi. cap. 40. n.5. *
cap. 12. Ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter, de cunctis tribubus veſtris, &c. cap.37. num. 8.
cap. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis. cap.28.num 7.
Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me,&c. vſque. Ego vltor exiſtam. cap. 44. nu. 16.
cap. 23. Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Domini,&c. cap.56.nu.8.
cap. 24. Si acceperit homo vxorem & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, &c. cap.50. nu.2.
Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei: concreſcat vt pluuia doctrina &c. cap. 50. nu 7. — cap. 32.
Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens. cap.32.num.5.
Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum. cap. 58 num. 13.
Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. cap.32.nu.2. *
Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, c.29. nu. 11. cap 57.nu.11.
In gente ſtulta irritabo eos. cap.32. nu.5.
Ignis accenſus eſt in furore meo. cap.30.n 52.
Non eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſint iudices. cap.36. num.10. cap. 41. num. 21.
De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorræ,&c. cap.61.nu 3.
Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. cap.47.nu.5. cap.29. num. 19.
Vbi ſunt dij eorum in quibus habebant fiduciam? cap.57. num.13.

EX LIB. IOSVE.

ET poſuit eos in Galgalis, & dixit ad filios Iſrael,&c. vſque omni tempore. cap. 50. nu. 4. * — cap. 4.
Irruit itaque Ioſue ſuper eos repente, tota nocte aſcendens de Galgalis. cap. 28. n.28. — cap. 10.
Et reuerſus eſt vniuerſus populus ad Ioſue incolumis. cap.30.n.49.
Sol contra Gabaon ne mouearis. cap.38.n.8.

EX LIB. IVDICVM.

ET fuit ros in vellere, &c. cap. 29. num. 33. * — cap 6.

EX LIB. I. REGVM.

NOn eſt ſanctus, vt eſt Dominus, &c. cap. 41. nu. 23. — cap. 2.
Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. cap. 38. num. 6. & nu. 17.
Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. cap. 30. num. 17. — cap. 3.
Tulerunt Philiſtijm arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, &c. cap. 46. nu. 1. cap.30.nu.39. cap.47. nu. 1. * — cap. 5.
Percuſſit autem de viris Bethſamitis. cap.33. nu. 11. — cap. 6.





Ibant autem in directum, vaccæ per viam. c.28. n. 4.
cap. 15. Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios,& demolitus eſt eos,&c. c.47.n. 1.
Quoniam quaſi peccatum ariolandi, eſt repugnare. c.58.n.3.
cap. 16. *Dauid maioribus prælatus eſt fratribus. ca. 29.nu.33.
cap. 18. Inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ. c.37.n.15.
cap. 21. Si mundi ſunt pueri maxime a mulieribus. cap. 29. nu.3.

EX LIB. II. REGVM.

cap. 6. ADduxit arcam Dei de domo Obededon in ciuitatem Dauid, cum gaudio, &c. cap.40. n.27.
cap. 8. Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo. cap. 34. n.8.
cap. 14. Omnes morimur,& quaſi aquæ dilabimur. cap. 30.n. 3. c.32. nu. 19.
cap. 15. Si inuenero gratiam in oculis Domini. ca. 29. nu. 30.
cap. 22. Mittite virum iſtum in carcerem. c 30. n. 29.

EX LIB. III. REGVM.

cap. 6. ERant enim Cherubin alata tegentia propitiatorium. c.37. n.9.
cap. 10. Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea. ca.32. nu. 3.
cap. 13. Altare, altare audi verbum Domini. c.29.nu.3.
Et exaruit manus eius, quam extenderat. ca. 29. n. 11. *
Et reuerſa eſt manus regis ad eum.ca.29.n.11.
cap. 18. Inuocate nomina deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei,&c c 46. n.5.
Vſquequo claudicatis in duas partes, c. 29. n. 4. c.46.n 5.
Exaudi me Domine, exaudi me, vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, &c. cap. 46. nu. 5.
*Prius comminuta ſunt idola, quam daretur pluuia. c 30. n. 40.
Sonus multæ pluuiæ auditus eſt. c.30.n.46.
cap. 19. Perrexit in deſertum viam vnius diei. Cumque veniſſet & ſederet ſubter vnam Iuniperum, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, & ait, &c. c. 49. n.14.
Et dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata, &c. cap. 49. nu. 14.
cap. 20. Ne glorietur accinctus æque, vt diſcinctus. cap. 45. num. 3. *

EX LIB. IV. REGVM.

OBſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. cap.30. nu.46. — cap. 2.
Sanaui aquas has, & non erit in eis ſterilitas. cap.38. nu. 26.
Eliſeus ligno ſecurim ab aquis extrahit. ca. 38. num. 26. — cap. 6.
Et quomodo poteſtis reſiſtere ante vnum ſatrapam de ſeruis Domini mei minoribus? cap. 36. num. 6. — cap. 18.
Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruum meum. c.57. nu.2. — cap. 19.
Cadet gladio non viri. cap.31. num. 7.
In multitudine cedruum meorum aſcendi ad excelſa montium. c.33.nu. 3.
Memento quæſo quomodo ambulauerim corā te in veritate. cap.38. nu.4. — cap. 20.
Signum datum Ezechiæ explicatur. c.38.n.27.
Eleuatum eſt cor regis. cap. 29. nu. 11.
Contaminabit quoque Tophet. c.30. nu.51. — cap. 23.

EX LIB. I. PARALIP.

ET qui ſtare fecit ſolem. cap.38. n. 8. — cap. 4.
Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit. Elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, &c. cap 37. nu.8. — cap. 7.
Audiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij, &c. cap.37. nu.9.
Diuiſit Deus inimicos meos per manum meā, cap. 28. num. 28. — cap. 14.
Cumque adiuuiſſet Deus leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini,&c. cap.40. nu. 27. 42. * — cap. 15.
Domine non eſt ſimilis tui, & non eſt alius Deus abſque te,&c. cap.41. nu.23. — cap. 17.
Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus redimus tibi. cap.31. n.7. cap.30.n.22. cap. 40.num. 7. 27. — cap. 29.

EX LIB. II. PARALIP.

AVdiui orationem tuam. cap.37. nu.9. — cap. 7.
Egreſſus eſt nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, & corroboraſſet illum, &c. cap.39. nu.1. — cap. 26.
Nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis. cap. 42. num. 16. — cap. 32.
In legatione principum Babilonis, qui miſſi fuerant ad eum, &c. cap. 39. nu. 1.
Epiſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſrael,&c. cap.37. n. 8.
Facta eſt contra eum ira, & contra Iudam, &

contra Hieruſalem, &c. cap. 39. num. 9.
cap. 36. Anno autem primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini. &c. cap.45. num. 3.
Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli & terræ, &c cap.45. nu.2.

EX LIB. I. ESDRAE.

cap. 1. ANno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum ſermonem Domini, &c. cap. 41. nu 3.
Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Dominus Deus illius cum ipſo,&c. c.45.n.3.

EX LIB. TOBIAE.

cap. 4. EX ſubſtantia tua fac eleemoſynam,& noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, &c. cap.58.n.7.
Quomodo potueris ita eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit abundanter tribue, &c. cap. 58. num 7
Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat,& non patietur animam ire in tenebras, &c. cap.58. nu.8. *
cap. 12. Myſterium regis abſcondere bonum eſt cap. 38. num. 3.
Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis quam theſauros auri recondere. cap. 58. num. 4.

EX LIB. IVDITH.

cap. 1. ET qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? cap.32 nu. 14.
cap. 5. Vbicumque ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagitta. cap. 30. num.16.
cap. 8. Quod eſt hoc verbum in quo conſenſit Ozias. cap. 30. num 16.

EX LIB. HESTER.

cap. 14. NE tradas hæreditatem tuam, his, qui non ſunt. cap.30. nu 49
cap. 15. Et ſterit contra regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui,indutus veſtibus regijs, &c. vſque. lex conſtituta eſt. cap 51. nu.14.

EX LIB. IOB.

cap. 1. NVmquid gratis colit Iob Deum?c.35.n.7.
Tange carnem eius. cap. 56. nu.10.
Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet niſi in faciem benedixerit tibi,&c. cap 37. nu. 15.
Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ cap 29. nu. 36. cap 38. nu. 4.
Quaſi vna de ſtultis loquuta es. cap. 32. nu.5. cap. 2.
Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob. cap. 49. num 5
Vir ſimplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam. cap 53. nu. 7.
Egreſſus igitur Satan a facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo &c cap 53 nu.7.
Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua,&c. cap 37 nu 15.
Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo perijſſe,&c. cap.40 n.10. cap.42 nu 6. cap. 4.
Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſũ vireſcit. cap.40. nu 40.
Recordare obſecro te, quis vnquam innocens perijt,aut quando recti deleti ſunt? cap 57. num. 1.
Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem. cap. 34. num. 4.
Per diem incurrent tenebras cap. 29. num. 20. cap. 5.
Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant,&c. cap 40. nu. 32.
Dies mei velociores fuerunt, quam à texente tela ſucciditur. cap.38. num. 13. cap. 7.
O cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis? cap 38. nu.18.
Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum. cap.28. num. 17.
Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi mane me quæſieris non ſubſiſtam. cap.38. num 16.
Numquid virere poteſt ſcirpus abſque humore. cap.30. nu 40 cap. 8.
Vere ſcio, quod ita ſit, & quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo, &c. cap. 41. num 2. cap. 9.
Si flagellat, occidat ſemel. cap. 30. num. 27.
Diſputare cum Deo cupio. cap.29.num.31.
Si voluerit contendere iudicio cum illo. cap. 29. num.31.
Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet. cap. 28. num. 1. cap. 10.
Inſtauras teſtes tuos contra me. cap 43. num. 8. cap. 61. nu 4.
Terram tenebroſam & opertam mortis caligine. cap. 30. nu.51
Terra miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. cap.36. nu.10.





Numquid ſicut dies hominis, dies tui: & anni tui ſicut humana ſunt tempora. cap. 38. num. 9.
cap. 12. Quoniam in antiquis eſt ſapientia. cap. 32. num. 3.
Lampas contempta apud cogitationes diuitum cap. 49. num. 9.
Lampas contempta apud cogitationes diuitũ parata ad tempus ſtatutum. cap. 43. num.5. cap 57. num. 1.
Commutans labia veracium, cap. 29. num. 33.
cap. 13. Quis mihi tribuat, vt cognoſcam & inueniam illum? cap.29.num.31.
Quare lacero carnes meas dentibus meis? cap. 57. nu. 20.
cap. 14. Putas ne mortuus homo rurſum viuet. Cunctis diebus, &c. cap 40. nu.40.
Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt. cap 38 nu.13.
Fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet cap 30. nu.2.
Fugit velut vmbra & numquam in eodem ſtatu permanet. cap. 51 nu. 13.
Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, &c. cap. 40. num. 5.
cap. 15. Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere? &c. cap. 52. num. 15.
Concepit dolorem & peperit iniquitatem. cap. 59. num. 4.
cap. 16. Circumdedit me lanceis ſuis. cap.29 num.27.
Ecce in cælo eſt teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. cap. 43. nu.9.
cap. 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. cap. 50. num. 11.
cap. 19. Quis mihi tribuat,vt ſcribantur ſermones mei. cap. 30. nu.7.
En decies confunditis me. cap.49. num. 9.
cap. 20. Fugiet arma ferrea. cap.29. num. 35
Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis & butiri. cap. 35. num. 10.
cap. 21. Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. cap. 30. num.11.
Scientiam viarum tuarum nolumus. cap. 29. num. 35.
Tenent tympanum,& citharam. cap. 30. num. 13.
Quia in diem perditionis ſeruatur malus. cap. 30. num 8.
Quaſe ergo impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortati que diuitijs? cap. 57 num 1.
Numquid eſt numerus militum eius. cap. 37. num 9.
Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat. cap.40. nu.31. cap. 22.
Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat. cap 45. num. 13. cap. 30. num. 49.
Ipſe ſolus eſt, & nemo auertere poteſt cogitationem eius. cap 29 nu.30. cap. 23.
Ipſi fuerunt rebelles lumini. cap. 30. num. 10. cap. 24.
Alij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges cap 32. nu. 20.
Numquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? &c. cap.52 nu.15. cap 25.
Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum, &c. c. 40. num 24. cap. 26.
Qui extendit Aquilonem ſuper uacuum. cap. 41 nu. 22.
Ecce gigantes gemunt ſub aquis. cap. 41. nu. 18 *
In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei. cap. 29 nu. 36.
Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. cap.60.nu 11,
Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius cap.40. nu 33.
Neſcit homo pretium eius, volucres quoque cæli latet. cap.28. nu 20. cap. 28.
Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam,&c. cap.40.nu 24.
Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium. cap.29.nu.21.
Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius, &c.cap.55 num 2.
In platea parabant cathedram mihi. cap. 32. num 3 cap. 29.
Gloria mea ſemper innouabitur, &c. cap. 40. num. 40.
Si putaui aurum robur meum. cap. 30 numero 3. cap. 31.
Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina. cap. 44 num. 14.
Inueni in quo ei propitier. cap. 42. numero 1. cap. 33.
Requies autem menſæ tuæ erit plena pinguedine. cap 32.num.17
Requies autem menſæ tuæ erit plena pinguedine.c 30.n.41. cap. 36.
Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua. cap.33. nu.20.
Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? cap. 19. num. 31. cap 38.

cap. 39. Nullus ſimilis ei in legiſlatoribus. cap. 30. num. 33.
Numquid qui contendit cum Deo tam facile conquieſcit? c.29.nu.31.
Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila.c 38.nu 14. *
Numquid volet Rinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum, &c. cap. 34. num. 5.
cap. 40. Protegunt vmbræ vmbram eius, circundabunt eum ſalices torrentis. c.28.n.16. *
Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet. cap. 40. num. 17. cap. 44. num. 15.
Abſorbebit fluuium, & nõ mirabitur; & habebit fiduciam, quod influat Iordanis in os eius c 49. n.18.
Ipſe eſt principium viarum Dei. cap. 40. num. 12.
cap. 41. Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei. c.41.n.12.c.52. nu 3.
Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. cap. 30.nu.51.


EX LIB. PSALMORVM.


Pſal. 1. Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum c.30.n.1.
Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. cap. 29. num. 8. *
Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus. c.61.n 3.
Non ſic impij, non ſic, ſed tamquam puluis c. 29. nu. 12.
Pſal. 2. Quare fremuerunt gentes. c.33.nu.9.c 41.n 7. c.51.n.6.
Dirumpamus vincula eorum c.30. nu.14 c.42. nu.2.
Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. c.35. n.5.c 42 n.11.
Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam:& poſſeſſionem tuam terminos terræ. cap. 49.nu 8.
Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam,& poſſeſſionem tuam terminos terræ. c.42. nu.12.
Rege eos in virga ferrea. c.30.n.14.
Cum exarſerit in breui ira eius. cap.28. num. 25.
Pſal. 3. Domini eſt ſalus c.38 n.6.
Pſal. 4. Filij hominum vſquequo graui corde. cap.34. nu.10.
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.c.53.nu.5.
Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.c.37.n.1.c.58.n.13.
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.c 29 n.16.
In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. c.57.nu.5.
Pſal. 5. Intellige clamorem meum. c.30 n.24 *
Intende voci obſecrationis meæ. Rex meus, & Deus meus c.30.n.24.
Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam, mane aſtabo tibi, & videbo. ca. 50 n.8 c.33.n 3.
Pſal. 6. Saluum me fac propter miſericordiam tuam, quoniam non eſt in morte, &c. c 38.n.23.
Inueteraui inter omnes inimicos meos. c. 31. n.7.c.40.n.41.
Pſal. 7. Scrutans corda, & renes Deus. c.59.n.13.
Pſal. 8. Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.c.35.n.9. *
Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. cap.42. num.27.
Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. c.31.n.6.
Pſal. 9. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. c.30.n.24.
Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. cap. 60.n.3.
Pſal. 10. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, &c. cap.59 nu.14.
Palpebræ eius interrogans filios hominum. c 40.n.24.
Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, ſulphur. c.28.n.28. c.44.n.13.
Pſal. 11. Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, &c. c.40.n.18.c.49. n.2.c.50. num.7.
Pſal. 12. Ne vnquam obdormiant in morte. c.60.n.23.
Præualui aduerſus eum. cap.28 nu 25.
Pſal. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. cap. 32.nu.5.cap.29.nu.29.
Omnes declinauerunt ſimul. cap. 30. num.14. cap.33.nu.8.17.cap.59.nu. 16.
Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. cap.34.nu.2.
Non eſt qui faciat bonum, nõ eſt vſque ad vnũ. cap.41.nu.25.
Pſal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? ca. 33.nu.12.
Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam cap.33.nu.12.
Ad nihilum deductus eſt in cõſpectu eius malignus.cap.30.nu.49.
Qui facit hæc, nõ commouebitur in æternum. cap.53.nu.12.
Pſal. 15. Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. cap.57.nu.8. cap.61.nu.7.
Tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi. cap.55. nu.vlt.







Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam, &c. cap.38. nu.9. cap.42.nu.11.cap.51.nu.15.
Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. cap.30.nu.38.
Pſal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. cap.29. nu.18.cap.30.nu.41.
Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrã. cap. 33.nu.14.cap 56.nu.11.
Pſal. 17. Aſcendit fumus in ira eius, &c.cap.42.nu.5. *
Saluum me fecit, quoniam voluit me. c.43.n.5.
Populus quem non cognoui. cap.29 nu.27.
Filij alieni mentiti ſunt mihi. cap. 29 num.4. cap.30.nu.9. cap.59 nu.14.
Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. ca. 4. nu.6.17.cap.53.nu.1. cap.30.nu.29.
Exultauit vt gigas ad currendam viam: a ſummo cælo egreſſio eius, cap.42 nu. 16.cap.46. nu.7.cap.55.nu.16.
Lex Domini immaculata conuertens animas, &c.cap.45.nu.16.
Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, &c.13.cap.30. nu.29.
Timor Domini ſanctus permanet.cap.33.nu 4.
Delicta quis intelligit: ab occultis, &c.c.40.n.5
Pſal. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine, &c. cap.30 nu.19.
Nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus cap.30.nu 49.
Pſal. 21. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. cap.30.nu.25.
Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, &c. cap. 46.nu.2.
Ego autem ſum vermis, & non homo. cap.41. nu.15 cap.52.nu.5.
Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, &c.cap.34. nu.5.11. *
Circundederunt me canes multi cap.43.nu.7.
Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea. cap.44 nu.12.
Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum.cap.29.nu.9.
Pſal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. &c. cap.49 nu.11.
Si ambulauero in medio vmbræ mortis, &c. cap.41.nu. 11.
Pſal. 24. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. cap.28.nu.17.
Omnes qui ſuſtinent te non confundentur. cap.28.nu.22.
Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris cap.40.nu.5.
Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. cap.40.nu.12. *
Pſal. 25. In quorum manibus iniquitates ſunt. c 33.n.12
Pſal. 26. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. cap. 28. nu.5.
In petra exaltauit me cap.42. nu.15.cap.51. num.1. *
Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea. cap 38.nu 19.
Expecta Dominum viriliter age, confortetur cor tuum.cap.28.nu.21. cap.30.nu.22.
Pſal. 27. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo. cap. 32.nu.6.
Pſal. 28. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, &c.cap.60.nu.9.
Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, &c.cap 35.nu.6.
Vox Domini præparantis ceruos.cap.34.nu.1
Vt pſallat tibi gloria mea.cap. 29.nu.18.
Pſal. 29. Domine Deus meus clamaui ad te. cap. 30. num.24.
Oſtende faciem ſuam. cap.30.nu.36.
Conuertiſti planctum meum in gladium mihi, &c.cap.51.nu 12.
Pſal. 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. cap.43.nu.2.
Conuerſus ſum in erumna mea, dum configitur ſpina.cap 29.nu 6.
Nolite fieri ſicut equus, & mulus, &c. cap.30. num.49.
Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.cap 44 nu.1.
Pſal. 32. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum cap.34.nu 12.
Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum cap.30 nu 26.
Pſal 33. Mors peccatorum peſſima cap.38.nu.4.
Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus cap 42.nu.15.
Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum; vnum ex his non conteretur. cap.49.nu.4.
Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum, &c.cap 49. nu.15.
Pſal. 34. Iudica Domine nocentes me, & expugna impugnantes me, &c cap.41. nu. 13.
Auertantur retrorſum, & confundantur. cap. 30.nu.35.
Erubeſcant, & reuereantur ſimul, &c. cap.41. nu.13.
Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi.cap.46 nu.4.
Domine quis ſimilis tibi? cap.58. nu 8.11.
Pſal. 35. Homines, & iumenta ſaluabis Domine. cap. 30.nu.42.
Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. cap. 30.nu.46.
Et in lumine tuo videbimus lumen. cap. 58. num. 8.

Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes.cap.59.nu.15.
Et veritas tua vſque ad nubes. cap.60 nu.11.
Pſal.36. Cum ceciderit non collidetur.cap 28.nu.14.
Gladium euaginauerunt peccatores. cap. 32. num.6.
Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. cap.40.nu.12.
Iunior fui etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. cap.48.nu 13.
Declina à malo, & fac bonum.cap.58 nu.7.
Manſueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.cap.58.n.13
Pſal. 37. Quoniam iniquitates meæ, ſupergreſſæ ſunt caput meum,&c cap.46.nu.3.
Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper, &c.cap.50. num.9.*
Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.cap.56 nu 10.
Rugiebam à gemitu cordis mei cap.59 n.12 *
Pſal 38. Remitte mihi, vt refrigerer priuſquam abeā. cap 30.nu.49.
Verumtamen vniuerſa vanitas: omnis homo viuens.cap.39 nu.3.
Theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea. cap.39.n 16.
Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animā eius; verumtamen vanè conturbatur omnis homo.cap.39 nu 6.
Pſal. 39. Expectabam eum qui ſaluum me fecit cap 30. num.22.
Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi,&c.cap.42.nu.31.*
Conuertantur retrorſum, & reuereantur. cap. 30 nu.35.*
Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.cap.50.nu.8.
Statuit ſupra petram pedes meos.cap.42.num. 15.cap 52. nu.1.
Pſal.41. Quemadmodum deſiderat ceruus cap.30 num. 46 cap 55.nu.1.
Quare oblitus es mei,& quare contriſtatus incedo: dum affligit me inimicus, &c. cap. 40. num.37.
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,dum dicitur mihi,&c cap.60.nu 23.
Pſal.42. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo eripe me.cap.50 nu.11.
Pſal. 43. Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. cap. 38. num.9
Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.cap. 43 nu 3.cap 49 nu.9.
Exurge quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem &c. cap. 51.nu.10.
Eructauit cor meum verbum bonum. cap 38. nu.19.cap.40 nu 10 Pſal.44.
Ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo cap.28.nu.6 *
Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. cap. 29.nu. 24.cap 61.nu.11. *
Lingua mea calamus ſcribæ cap.29.nu.22.
Speciosus forma præ filijs hominum &c. cap. 42.nu.3 cap 61 nu.1.
Sagittæ tuæ acutæ,populi ſub te cadent in corda inimicorum regis cap 49.nu.3.
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. cap 59. num.21.
Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. cap.33 nu 8 Pſal.45.
Magnus Dominus & laudabilis nimis,&c cap. 33.nu 19 cap 45 nu 13. Pſal.47.
Ipſi videntes ſic admirati ſunt cap 41 nu.6.
Nam quid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? cap 43 nu 17. Pſal.49.
Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. cap.59.nu.13. Pſal. 50.
Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. cap. 52 nu. 18.
Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor cap 49. num. 9.*
Redde mihi lætitiam ſalutaris tui cap 30. nu. 46.cap. 57. nu. 8.
Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cū iudicaris cap 43.nu 8
Domine labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuam cap.50.nu. 7.
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies cap.43 nu.17.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion,vt ædificentur muri Hieruſalem. cap. 49 nu.15 cap.60 nu 14.
Expectabam eum,qui ſaluum me fecit.cap 32. num 2. Pſal.54.
Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo. cap.43.nu.16. cap.52.nu 9.
Viri ſanguinum, & doloſi nō dimidiabunt dies ſuos.cap.38.nu.11.
Ab altitudine diei timebo. cap.39.nu 1. Pſal.55.
Conculcauerunt me inimici mei tota die, &c. cap.41.nu.13.
Super eos cecidit ignis. cap 30. nu.51. Pſal 57.
Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. cap. 30.nu.50.cap.47.nu 4.

Diſper-

Pſalm. Index. Pſalm.

Pſal.58. Diſperge illos in virtute tua,& depone eos protector meus Domine.cap.56.nu 8.
Pſal.59. Da nobis auxilium de tribulatione. cap. 29. num. 11.
Pſal.61. Quouſque irruitis in hominem: interficitis vniuerſi vos: tamquam parieti inclinato,& maceriæ depulſæ? cap 38 nu 3 *
Tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ cap.41. nu.18.
Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda veſtra,&c cap.37 n 8.
Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. cap. 29 nu 14
Pſal. 62. Sitiuit in te anima mea.cap 30.nu 46.
Sicut adipe & pinguedine repleatur. cap. 30. num 41.
In terra deſerta,&in via &inaquoſa:ſic in ſācto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. cap.35.nu 1 cap 44.nu 2.
Et in velamento alarum tuarum &c.c.41 n.12.
Adhæſit anima mea poſt te,me ſuſcepit dextera tua.cap.45.nu.4.
Pſal. 63. Narrauerunt vt abſconderent laqueos cap.29. num.29.
Pſal. 64. Præparans montes in virtute ſua accinctus potentia cap. 45.nu. 3.
Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. cap. 62.nu 3.
Pſal 65. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium cap 43 nu.3.
Pſal.66. Deus miſereatur noſtri,& benedicat nobis,&c. cap.53.nu.5.
Pſal.67. Exurgat Deus,& diſſipentur inimici eius. cap. 33 nu.3.
In pallore auri cap 30.nu.36. *
Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo cap 62. nu 4.
Dabit voci ſuæ vocem virtutis cap 35.nu 6.
Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia cap 49.nu.23.
Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum cap 35.nu 15.
Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa cap.40.nu.18.
Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ,&c cap.40.nu 18.*
Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. cap. 45 num.4. cap 49 nu 8.
Pſal.68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, &c. cap.43. num 3.
Confortati ſunt,qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui tunc exoluebam. cap.50.nu.11.
Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.cap 50.nu 11.
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, cap 34 nu 6
Deus in adiutorium meum intende. cap. 33. num.2. Pſal.69.
Domine ad adiuuandum me feſtina. cap. 38. num. 16.
Ne proijcias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. cap.46. nu.2. Pſal.70.
Deus iudicium tuum regi da. cap 32. num.1. cap.35.nu.7. Pſal.71.
Sicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. cap. 44.nu.2.
Et dominabitur a mari, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum,&c cap 45 nu.14.
Coram illo procedent Aethiopes. cap. 49. nu 22
Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. cap. 55. nu.16. *
Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis.cap 57 nu 19.
Reges tharſis,& inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent cap.60.n 3.
Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde? &c. cap.57.nu.1. Pſal.72.
Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. cap.53.nu.1.
Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo, obtinuerunt diuitias.cap 29.nu.1.
In labore hominum non ſunt cap.29 nu 11.
Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis. cap.34 nu.5.
Quid mihi eſt in cælo, & à te cap.30.nu.3.
Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. cap 61 nu.7.
Et calicis mei cap.61 nu 7.
Tu ſiccaſti fluuios Etham. cap.50.nu.4. Pſal.73.
Quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. cap.28 nu.17. Pſal.74.
Notus in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius. cap 45 nu 13. Pſal 75.
Dormierunt ſomnum ſuum cap.31.nu.6.
Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum: terribili apud reges terræ. cap 38.nu 21.
Immiſſiones per Angelos malos. cap. 51. nu 13
In manu Moyſi,& Aaron, cap 63.nu.2. Pſal. 76.
Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, &c.cap 38 nu.24. Pſal 77.
Filij qui naſcentur,& exſurgent, & narrabunt filijs ſuis, &c cap 59 nu 23.
Qui fecit mirabilia in terra Aegypti. cap 30. num.4.

Per-

Percuſsit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. cap.35. num. 10. cap. 49. num. 11.
Filij Ephren intendentes & mittentes arcum. cap. 29. nu 33.
Cum occiderent eos, quærebant eum. cap. 29. num. 11.
Pſal.78. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ. cap.48. nu. 5.
Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, &c. cap. 37. nu. 4.
Pſal.79. Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura. c.51.n.17.
Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. cap.60.n.24
Pſal.80. Dimiſsi eos ſecundum deſideria cordis eorum, &c. cap.42.nu.19. c.57. n. 17.
Pſal.81. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. ca.48. num. 7.
Pſal.82. Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur & pereant, &c. ca. 37. num. 4.
Pſal 83. Quam dilecta tabernacula tua. cap 32. nu.17.
Paſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos. cap.42. n. 15. *
Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit &c. cap. 40. n.40.
Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. cap. 38. nu. 25. 27.
Quoniam melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. cap.35. nu 16.
Et enim benedictionem dabit legiſlator. c. 61. num. 10.
Pſal.84. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. cap. 57. num. 18.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. cap.38. nu. 12.
Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. cap.37. n.16. cap. 45. nu. 8.
Pſal.85. Non eſt ſimilis tui in dijs Domine, non eſt ſecundum opera tua. cap 46. nu.4.
Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax. cap. 37. nu. 1.
Pſal.86. Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus æthyopum: hi fuerunt illic &c. cap.49. nu. 19.
Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. cap. 30. nu. 48 cap.62.n. 5.
Pſal.88. Miſericordias Domini in æternum cantabo &c. vſque, teſtamentum meum fidele ipſi. cap. 55. nu. 7.
Ipſe inuocauit me Pater meus es tu, cap. 30. nu. 45. cap. 49. nu 1.
Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, &c. cap.37. nu.17.
Et quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. cap.55.n.13. cap.57. n.19.
Pſal.89. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna. cap. 29. nu. 33. cap.40. nu.28. cap.60.nu.25.
Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni, &c. cap.38.nu.11.
Pſal.90. Qui habitat in adiutorio altiſsimi. cap.28.nu. 15. 25.
Scapulis ſuis obumbrabit tibi. cap.32. nu. 2.
Cadent a latere tuo mille. cap.30.nu.38. *
Quoniam Angelis ſuis mandauit de te.cap.30. nu. 12. cap.35.nu.5.
Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. cap.52.nu.1.
Pſal.91. Iuſtus vt palma florebit ſicut cædrus libani, &c. cap 61. num.3.
Bene patientes erunt, vt annuntient. cap. 32. num. 19. *
Pſal.92. Dominus regnauit, decorem indutus eſt indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. cap.45. nu.3.
Eleuauerunt flumina Domine. cap.29. nu 34.
Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. ca. 45. nu. 17.
Pſal.93. Qui plantauit aurem, non audiet. cap.29. nu. 29. 31.
Pſal.94. Nos autem populus eius & oues paſcuæ eius. cap.45. nu.2.
Hodie ſi vocem eius audieritis. cap.29. nu.33. cap. 42. num. 28.
Pſal.95. Quoniam omnes dij gentium dæmonia. Dominus autem cælos fecit. cap. 36. num. 10. cap 41 num.21.
Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. cap.42.num.7.
Pſal.96. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra. cap. 60. num. 11.
Pſal.97. Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctũ eius. cap.51 nu.10. cap.59.nu.17.c.63 n.7.
Notum fecit Dominus ſalutare ſuum in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. cap. 52. num. 11. cap 56. num.1.
Pſal.98. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, &c. cap.43.num.20.
Pſal.99. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. cap.40. nu.30.
Pſal.100. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. cap.42.nu 7.
Ambulans in via immaculata. cap.32. nu. 20. cap. 35. num. 13.





Pſal. 101. Proſpexit de excelſo ſancto ſuo. cap.30.nu.46.
Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli, &c.cap.51.nu.7.
Pſal. 102. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. cap.28.n.17.cap. 40.nu 7.*
Quantum diſtat Ortus ab Occidẽte, longe fecit à nobis iniquitates noſtras: quomodo miſeretur Pater,&c.cap. 55. num.13.
Quoniam ipſe cognouit figmentum.c 63.n.16.
Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur,&c.cap 37.nu.16
Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, &c. cap.55.num.13 cap.48 nu.5.
Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum: recordatus eſt quia puluis ſumus, homo ſicut fœnum, dies eius,&c cap.53. nu 4.
Homo ſicut fœnum dies eius: tamquam flos agri, ſic efflorebit.cap.40 nu.15.
Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus ſua.cap.40. num 41.*
Pſal. 103. Extendens cælum ſicut pellem. cap. 34 num.3. cap.40. nu.31.cap.41. nu.22 cap.45.n.11. *
Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculũ ſæculi c.34.n 6
Qui emittis fontes in conuallibus.cap 30.n.46
Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, &c. cap. 56. nu.10.
Petra refugium herinacijs. cap.42.nu.15.*
Et panis cor hominis confirmet cap.30.nu 29.
Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. cap.30. num.46.
Pſal. 104 Lætetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum, & cõfirmamini, quærite faciẽ eius ſemper.cap.55.nu 3.11.*
Et corripuit pro eis reges.cap 43. nu. 4.
Dixit, & venit locuſta: & bruchus cuius non erat numerus.cap.33 nu.3.
Pſal. 105. Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.cap.56.nu.2.
Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt, &c cap.50.nu.4.*
Et commiſti ſunt inter gentes: & didicerunt opera eorum,&c. cap.57.nu.8.
Et irritauerunt Moyſen,&c. cap.63.nu.10.
Non crediderunt verbo eius cap.30.nu.16.
Et infecta eſt terra in ſanguinibus: & contaminata eſt in operibus eorum. cap.34.nu.2.
Immolauerunt filios ſuos,& filias ſuas. cap.30. num.51.
Pſal. 106. Aſcendunt vſque ad cælos,& deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorũ in malis tabeſcebat, &c. cap.57.nu.20.
Statuit procellam eius in auram. cap.29.n.34.
Et ſiluerunt fluctus eius.cap.30.nu.17.*
Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum.cap 35.nu.10.
Pſal. 108. Et dilexit maledictionem &c cap.30.nu.50.
Pſal. 109. Tecum principiũ in die virtutis tuæ: in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.cap.40 nu 14. cap.49.num.1.
Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum,&c cap.42.num.29.
Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech cap.42.nu.11.29.
Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. cap. 32 nu.18.
Pſal. 110. Memoriam fecit mirabilium ſuorum. cap.30. nu 32.*
Pſal. 111. Potens in terra erit ſemen eius. cap.61 nu.10.
Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors, & miſerator, & iuſtus.cap.60 nu.3.
Diſperſit dedit pauperibus.cap.32.nu 21.
Initium ſapientiæ timor Domini cap.33.nu.4.
Pſal. 112. Dentibus ſuis fremet,& tabeſcet. cap.42.nu.9.
Pſal. 113. Simulacra gentium argentum & aurum. cap. 30 nu 30 cap 36 nu 10.
Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum: ſed nos,&c. cap 38.nu.23 *
Pſal. 115. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? cap. 40. num 7. 27. cap.51. num.17 *
Calicem ſalutaris accipiam,& nomen Domini inuocabo cap 40.nu.7.27.
Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius.cap.38 nu.4 cap.57. nu.1.
Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo.cap 28. num.31.
Pſal. 117. Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.cap.30.nu 3.
Conſtituite diem ſolemnem in confrequentationibus cap. 30.num.27.*
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem cap.45 nu.4
Aperite mihi portas iuſtitiæ: & ingreſſus in eas confitebor Domino. cap.38.nu.25.
Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli cap.28.nu.20.*
Pſal. 118. Beati immaculati in via.cap.35. nu. 14
In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs cap.55.nu.8.
In mandatis tuis exercebor.cap.30 nu.35.
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. cap. 52. num.9.
Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.cap 48.nu.5.
Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuã. cap.29.nu.30.

Omnis cõſummationis vidi finem,latum mandatum tuum nimis.cap.35.nu.13.
Funes peccatorum circũplexi ſunt me. cap. 28. num.31.
Pax multa diligentibus legem tuam. cap. 32. nu.16.cap.52.nu.7.
Defectio tennit me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam. cap.37.nu.3
Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.cap.40.nu.35.
Omnia mandata tua æquitas. cap.45.nu.16.
Super ſenes intellexi. cap.29.nu.33.
Pax multa diligentibus legem tuam,& non eſt illis ſcandalum.cap.48. nu.12.
Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.cap.43 nu.16.cap.52.nu 9.
Fiat manus tua,vt ſaluet me.cap.28.nu.14.
Media nocte ſurgebam ad confitendũ tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. cap.43 n.16.
Pſal.119. Ad Dominum cum tribularer clamaui.cap.29. num 11.
Quid detur tibi,aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? &c.cap.49.nu.23.
Heu mihi, quia incolatus meus prolõgatus eſt, &c.cap.42. nu.15. cap.60.nu.23.
Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. cap.42.nu.6.
Pſal. 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi,&c. cap.38.nu.17.
Dominus cuſtodit te: Dominus protectio tua. cap.30.nu.38.
Pſal. 121. Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. cap.44.nu.17.
Pſal. 122. Ad te leuaui oculos meos,qui habitas in cælis: Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus, &c. cap.38.nu.17.
Miſerere noſtri Domine miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.c.49.n.9.
Pſal. 123. Torrentem pertranſiuit anima noſtra. cap.30. num.12.
Pſal. 125. Conuerte Domine captiuitatem noſtram,ſicut torrens in Auſtro.cap.44.nu.13.*
Euntes ibant,& flebant.cap.32. nu.22.
Pſal. 126. Niſi Dominus ædificauerit domum. cap. 33. num. 2.
Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.cap.49.nu.3.
Pſal. 127. Beati omnes qui timent Dominum. cap. 33. num.5.
Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.cap.62.nu 5.
Pſal. 128 Fiant ſicut fœnum tectorum cap.30.nu.40.
Pſal. 131. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã. cap.38.nu.6.
Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. cap.40.nu.8.
Ecce quam bonum,& quam iucundum habitare fratres in vnum &c. vſque ad finem Pſalmi cap.60. nu 10.* Pſal. 132.
Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo,& in terra cap 55. nu.14. Pſal. 134.
In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra cap.44.nu.3. & nu.17. Pſal. 136.
Si oblitus fuero tui Hieruſalem. cap.33 nu.14.
Et humilia reſpicit in cælo,& in terra.cap.37. num 8. Pſal. 137.
Quo ibo à ſpiritu tuo & quo à facie. cap. 29. nu.23.cap.30.nu. 19. Pſal. 138.
Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur,&c. cap 58.nu.10.
Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt,&c.cap.28.nu.5. c.49.nu.8.
Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo cap. 60.nu 8. Pſal. 140.
Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. cap.56. nu.4.11. cap.50.nu.7.*
Portio mea in terra viuentium. cap.33. nu.14. cap.29 num.12. cap.57.nu.8. Pſal. 141.
Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.cap.28.num. 7. Pſal. 142.
Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. cap 30. nu 46 cap.44.nu.2.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.cap.15.nu.14.cap.57 nu.16.c.63.n.14.
Homo vanitati ſimilis factus eſt. cap. 39.nu.3. Pſal 143.
Emitte manum tuam de alto eripe me & libera me de aquis multis cap. 35.nu.7.
Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis. cap.41. num.23. Pſal. 144.
Oculi omnium in te ſperant Domine. cap 30. num.27.
Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt,& iuſtitia tua exultabunt cap.35.n.10.
Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eũ omnibus inuocantibus eum in veritate. cap.55.nu. 11.
Nolite confidere in principibus. cap.30.nu.3. cap.31.nu.3. Pſal. 145.
Regnabit Dominus in ſæcula Deus tuus Sion, in generatione & generationem.cap.52.n.8.
Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus,&c.cap.48.num.9. Pſal. 146.
Aedificans Hieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit cap.44. nu.16.
Qui ſanat contritos corde. cap.30. nu.47.
Qui ſanat contritos corde,& alligat contritiones eorum cap.61.nu.1.
Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomine vocat. cap.40.nu.24.34.
Non in fortitudine equi voluntatem habebit. cap.30.nu.29.

Lau-



Pſal. 147. Lauda Hieruſalem Dominum: Lauda Deum tuum Sion. cap 30.nu.41.
Qui poſuit fines tuos pacem. cap.32.nu.16.
Mittet Cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? &c.cap. 35.nu.10.
Emittit eloquium ſuum terræ cap.30.nu.29.
Emittet verbum ſuum,& liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.cap.44.nu.13.
Pſal. 148. Quia ipſe dixit,& facta ſunt &c.cap.44.nu.8.
Ignis,grando,nix glacies,ſpiritus procellarum quæ faciunt verbum eius cap.40 num.35.
Pſal. 149. Exultationes Dei in gutture eorũ.cap.30.n 34.

*EX LIB. PROVERB.*

cap 1. FRuſtra iacitur rete ante oculos pennatorũ. cap.28.nu.31.
Si te lactauerint peccatores. cap.28.nu.9.
Quia vocaui,& renuiſtis,&c. cap.41.nu 9.cap. 28 nu.14.
Sapientia foris prædicat.cap.33 nu.6.
Ego quoque in interitu veſtro ridebo. cap 37. nu 0.
cap 3 Honora Dominum de tua ſubſtantia. cap. 58. num.7.
Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ.cap.40 nu 12.*
Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria. cap.28. num.5. cap.33.nu.1.
cap. 5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. cap.28 nu 31. cap.52. num 5. cap.58. num.6.
cap. 7. Ducit eos tamquam ad victimam præparatos. cap.33.nu.1.
cap. 8. Præparatur voluntas à Domino.cap.40.nu.12. cap.43 nu. 17.
Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.cap.62. num.4.
Qui mane vigilant ad me, inuenient me. cap. 50. num.8.
Qui inuenerit me, inueniet vitam: & hauriet ſalutem à Domino.cap.28.nu.5.*
Quando præparabat cælos aderam. cum eo eram cuncta componens. cap.44.nu.15.
cap. 9. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt. cap. 32.nu.20.
Venite,comedite panem meum cap 30.nu.31.
Qui eſt veſtrum inſipientiſſimus. cap.33 nu.6.
cap. 10. Filius ſapiens gloria eſt Patris. cap.46 nu.8.
cap. 11. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo.cap.43.nu.4.
cap. 13. Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. cap. 58.nu.7.
cap. 14. In timore Domini fiducia fortitudinis. cap. 33.nu.5.*
Os fatuorum ebullit ſtultitiam. cap.32.nu.6. cap. 15.
Lingua pacifica compeſcit lites. cap 42.nu.6.
Oculi ſtultorum in finibus terræ. cap.30.n.35. cap. 17.
Impius enim fugit, nemine perſequente. cap. 35.nu.12. cap. 18.
Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. cap. 58. num.11. cap. 19.
Pondus,& pondus; menſura,& menſura vtrumque abominabile. cap.28.num 24 * cap. 20.
Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit,& non exaudietur cap. 58.nu 9.cap.33 nu 1. cap. 21.
Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, vertet illud. cap 28. num.8 cap.51. nu 14.
Dicit piger,leo eſt foris in medio platearum. occidendus ſum. cap 35.nu.15. cap. 22.
Noli eſſe amicus homini iracundo: neque ambules cum viro furioſo,&c cap.52.nu.13.
Ne tranſgrediaris terminos antiquos. cap 32. num 20.*
Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu. cap.30 nu.18. cap. 24.
Septies in die cadit iuſtus.cap. 28. nu. 14. cap. 43 num 20.*
Mala aurea in lectis argenteis,qui loquitur verbum in tempore ſuo. cap.50.nu.7.* cap 25.
Qui ſcrutator eſt maieſtatis cap.29.nu.30.
Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. cap. 41. nu.11. cap. 28.
Stultus profert totum ſpiritum ſuum ſimul,ſapiens reſeruat in poſterum cap 35 num.10. cap. 29.
Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. cap. 33. num.15.
Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi. cap. 30.num. 38. cap 48. nu.6. cap. 30.
Facta eſt quaſi nauis inſtitoris. cap.32.nu.22. cap. 31.
Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt. cap. 29. num. 24.
Quæſiuit lanam,& linum.cap 29 nu.24.*
Os ſuum aperuit ſapientiæ.cap.30 nu.18.
Fortitudo & decor indumentum eius. cap 33. nu.13 cap.40.nu.40.

*EX LIB. ECCLESIASTES.*

GEneratio præterit, generatio aduenit.ca. 28.nu.1.cap.33 nu.14. cap. 1.
Non ſatiatur oculus viſu, neque auris auditu. cap.29.nu.15.
Vanitas vanitatum,& omnia vanitas. cap.29. num.15.
Multa hominis afflictio,quia ignorat præterita,&c.cap.41.nu.19. cap. 8.
Et nemo ſit vtrum odio vel amore dignus habea- cap. 9.

bea-

beatur,&c cap.41.nu.11.cap.42.nu.7.
Omnia in futurum reſeruantur incerta. cap. 30.num.8.
cap.10. Qui fodit foueam,incidet in eam.cap.32.n.20.
cap.11. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes. cap.32. num 21.*
Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. cap.31. num.7.
cap.12. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, &c.cap.43. nu.21.
Deum time, & mandata eius obſerua. cap 33. num.5.

## EX LIB. CANT.

cap.1. OLeum effuſum nomen tuum. cap.44.n.2.
Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. cap. 31.num 7.
Recti diligunt te. cap. 60. num.6. *
Nigra ſum,ſed formoſa filia Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, &c.cap. 42. num.6
Nolite me conſiderare,quod fuſca ſim.cap.30. num.26.*
Si ignoras te pulcherrima inter mulieres,egredere & abi poſt veſtigia gregum,& paſce hædos tuos,&c.cap.57. num.17.cap 32.n.20.*
Paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum. cap. 62. nu. 5.
Indica mihi,quem diligit anima mea, vbi paſcas,&c.cap. 38. num 9. cap.30.num.36.
Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es cap.60. nu. 19.
Lectulus noſter floridus, tigna domorũ noſtrarum cedrina cap.28. nu 27.
Tigna domorum noſtrarum cedrina, &c. cap. 41 nu 18.
cap.2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias cap. 35.num. 2. cap.55. num.18.*
Sub vmbra illius,quem deſideraueram. cap.32. num.2.
Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem cap.56.nu.6.
Ecce iſte veniet ſaliens in montibus, tranſiliẽs colles,ſimilis capreæ hinnuloque ceruorum. cap.46 num 8.
Surge propera amica mea. cap. 28. nu.36. cap. 42. num. 15.
Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas. cap.58. num. 3.*
Donec aſpiret dies, & inclinabuntur vmbræ. cap. 38. num.9. *
cap. 3. In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea,&c.cap. 40.num.38.
En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. cap. 30. num. 34. cap. 40. num.40.*
Quam pulchra es amica mea, quam pulchra cap.60. num.19. cap.35.num.2. cap. 4.
Oculi tui ſicut columbæ,extra taciturnitatem tuam. cap. 38.num. 21.
Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.cap 60. nu.19.
Hortus concluſus,fons ſignatus.cap 56. nu.4.*
Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano cap. 35. nu 4.
Exurge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum.cap.34.nu.8. *
Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. cap. 56. num 4. cap 5.
Comedite amici,& bibite,& inebriamini chariſſimi.cap.51. nu. 17.
Inuenerunt me cuſtodes.cap.62 nu.7. *
Dilectus meus candidus, & rubicundus,electus ex millibus.cap.43 nu. 9.
Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis. cap. 52. nu. 6.* cap. 7.
Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. cap. 29.nu.16.* cap. 8.
Fortis eſt vt mors dilectio &c. cap.43 nu.3.
Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eã. cap.55. nu.2.

## EX LIB. SAPIENTIAE.

DEus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, impij autem manibus & verbis accerſierũt illam cap.52.nu 3. cap.1.
Sentite de Domino in bonitate,& in ſimplicitate cordis quærite illum. cap.48 nu.6.
Dixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè: exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ,&c.vſque, Et hæc eſt ſors. cap.56.n.14. cap. 2.
Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis,& contrarius eſt operibus noſtris,&c vſque ad videndum. cap.59. num. 14. cap.30 nu.10.
Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. cap. 62. num.3.* cap.3.
Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. cap 57. num. 5.
In paucis vexati, in multis bene diſponentur, &c.cap.37. nu.10. *
Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius cap.57.nu 13. cap. 4.
Placens Deo factus eſt dilectus, & viuens inter peccatores,tranſlatus eſt. cap.57.nu. 3.
Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, &c. cap.61.num. 3.
Videntes turbabuntur timore,&c.cap.43.nu.5. cap. 5.
Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen



men non luxit nobis: & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. cap.60. num. 3.
cap. 7. Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum &c. cap.55. num. 2.
Infinitus enim theſaurus eſt hominibus. cap. 33.nu.5.
cap. 8. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret,&c cap.48. nu. 10.
Si difficile æſtimamus quę in terra ſunt.cap.29 num.31.
cap. 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. cap.38 nu. 18.
Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ,vt mecum ſit, & mecum laboret,&c.cap. 35.num. 7. cap.30. num.46.
cap.11. Tamquam momentum ſtateræ,ſic eſt ante te orbis terrarum,&c cap.40.nu.26.
cap.12. Naturalis malitia ipſorum.cap.40. nu.4. *
cap.16. Angelorum eſca,nutriuiſti populum tuum.cap. 30.num 29.
cap. 18. Cum enim quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet,&c cap.55 nu.16.

## EX LIB. ECCLESIASTICI.

cap. 1. OMnis ſapientia à Domino Deo eſt. cap. 33.nu 20.
Fons ſapientiæ verbũ Dei in excelſis.c.33.n.20
Timor Domini gloria. cap.33.num.5.
Timor Domini delectabit cor.cap.33.num.5.
Concupiſcẽs ſapiẽtiam,ſerua iuſtitiam,& Deus præbebit eam tibi. cap 58.nu.9.
cap.2. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.cap.36.nu 9.
Oculi ſapientis in capite eius. cap.30.nu.35.*
cap. 3. Sicut glacies in ſereno,ita ſoluentur peccata tua.cap.44.nu 13.
cap. 4. Eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.cap. 29.nu.36 *
cap.7. Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis cap.47.num 5.
cap. 8. Ne ſuccẽdas carbones peccatoris.cap.36.n.11.
cap.9. Agnoſce quod in medio laqueorum tranſis. cap.28 nu 31. *
cap.11. Bona, & mala,vita,& mors,paupertas,& honeſtas à Deo ſunt.cap.45.num.7.
In die bonorum, ne immemor ſis malorum. cap.38.num.2.
Fili ne in multis ſint actus tui.cap.32 nu.8.
cap. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, &c. cap.52. num.13.
cap. 15. Cibauit eum Dominus pane vitæ. cap.30.n.29
cap. 19. Qui cito credit,leuis eſt corde.cap.45.nu.17.
Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus. cap. 50 nu.7. cap. 20.
Doctrina & flagella in omni tempore.c.30 n.42 cap. 22.
Qui edunt me,adhuc eſurient,& qui bibunt me adhuc ſitient cap.55. nu.3. cap. 24.
Ego ex ore altiſſimi, &c. cap. 55. num. 16.
Ego ſapientia effudi flumina, ego quaſi trames aquæ, &c. c.48.n.14.
Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam, &c.cap.35.num.5. cap.52.nu.5 *
Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit. cap. 33. num.5. cap. 25.
Si non in timore Domini tenueris te inſtanter. cap 33.num.5. cap. 27.
Ori tuo fac oſtium,& vectem, & in verbis tuis iugum, & ſtateram. cap. 50.num.7.* cap. 28.
Concludе eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit, &c. c. 58.n.9. cap. 29.
Miſerere animæ tuæ placens Deo. c.35. n. 10. cap. 30.
Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus. cap. 41. nu. 9. cap. 31.
Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita,&c.cap. 40.num. 34. * cap. 33.
Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eũ, quid proficit lauatio eius? cap. 52. num.13. cap. 34.
Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperũ. cap.32.num.22.*
Innoua ſigna, & immuta mirabilia, glorifica manum & brachium dextrum.cap 43.nu.15 cap.30.nu.32. cap. 36.
Teſtimonium his qui ab initio creaturæ ſunt. cap.28.nu.10.
Honora medicum propter neceſſitatem. Etenim.&c.cap.38.num.6.8. cap. 38.
Adhuc conſiliabor, vt enarrem.cap.35 nu.5. cap. 39.
Occulta prouerbiorum exquiret cap.30.n.42.
Pulchritudinem decoris eius admirabitur oculus.cap 35.num.2. cap. 40.
O mors quã amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis, &c. cap. 38 num. 21. cap. 41.
Benedicentes Deum exaltate illum. cap. 30. nu.37. cap. 43.
Sed & illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt. cap.57.num.2. cap. 44.
Dilectus Deo & hominibus. cap.42 nu.28. cap. 45.
Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes in Sion,&c. cap.38.num.10.cap.53 num.1. cap. 48.

## EX LIB. ISAIAE.

VIſio Iſaiæ filij Amos cap 29. nu.22. cap. 1.
Væ genti peccatrici,populo graui iniquitate,ſemini nequam, filijs ſceleratis. cap.57. num.6.

b Omne

Omne caput languidum, & omne cor mœrens. cap. 40. nu. 2.
A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas cap. 53. nu. 7.
Vulnus & liuor, & plaga tumens. cap. 30. nu. 47.
Cognouit bos poſſeſſorem ſuum. cap. 30 num. 49. cap. 43. nu. 15.
Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. cap. 42. nu. 28. cap. 48 num. 11. cap. 55. num. 6. cap 58 nu. 13.*
Quia os Domini loquutum eſt. cap. 62. nu. 2.
Quaſi vmbraculum in vinea, & quaſi tugurium in cucumerario, &c cap. 43. num. 6.
Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, &c. cap 34. nu. 7.
Et excoquam ad purum ſcoriam tuam. cap. 31. num. 8.
Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, &c. cap 43. nu. 21. cap. 52. nu. 15.*
Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarũ? cap. 29. nu. 5. cap. 43. nu. 17. c ap. 28. nu. 16.
Si multiplicaueritis orationem, &c c. 29. n. 25.
Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. cap. 52. nu. 2. 3.
Quieſcite agere peruerſe. cap. 30. nu. 6. 15.*
Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. cap. 55. nu. 12.
Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. cap. 28. nu. 29.
Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus. c. 60. n. 21.
Tunc vocaberis ciuitas iuſti vrbs fidelis. cap 33 num. 4.
cap. 2. Sion in iudicio redimetur. c ap. 33. nu. 4.
Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles. cap. 34. num 8.
Et fluent ad eum omnes gentes. cap. 41. nu 7. cap. 55 nu. 9. cap. 60. num. 15.*
Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. cap. 34. nu. 8. cap. 56. n. 14.
Et docebit nos vias ſuas. cap. 30 nu. 10. 37.
Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem cap. 37. nu. 17. cap. 51. num. 5. cap. 40. nu. 19 cap. 41. nu. 4 cap. 28. nu. 36.
Et iudicabit gentes, & arguet populos multos; cap. 42. nu. 2. cap. 51 nu 6.
Et conflabunt gladios in vomeres, &c. cap. 42. nu. 3. cap 60 nu. 15 cap. 40. n. 6. cap. 28. n. 36.
Non leuabit gens contra gentẽ gladiũ. c. 31. n. 7
Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. cap. 56. nu. 14.
cap. 4 Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, &c. cap. 48. nu. 1. cap. 62. n. 2
Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos ...
noſtrũ, aufer opprobrium noſtrum. cap 56. nu. 3.
In vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem c ap. 32. nu. 2.
Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. cap. 36. nu. 1. cap. 5.
Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. cap. 61. nu. 3.
Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam. cap. 28. nu 10.
Propterea dilatauit infernus animam ſuã. cap. 30. nu. 51.
Et paſcentur agni iuxta ordinem ſuum. cap. 30. num. 42.
Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant. c. 29. n. 16 cap. 6.
Et duabus volabant. cap. 30. n. 33.*
Et clamabant alter ad alterũ. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituũ. c. 57. n. 15.
Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat. cap. 43. nu. 7.
Vide vt ſileas, noli timere. cap. 30. nu. 16.
Noli timere, & cor tuum ne formidet duabus caudis titionum fumigantiũ iſtorũ c. 42. n. 6 cap. 7.
Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra, &c. cap. 38. nu. 8.
Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignũ: ecce virgo concipiet. cap. 28 n. 17.*
Ecce Virgo concipiet. cap 30. nu. 45. cap. 38 nu. 2. 9. cap. 48 nu. 9 cap. 49 nu 1.
Sibilauit Dominus muſcæ cap. 30 n. 20.*
Fac tibi librum grandem. cap. 30 nu 7. cap 8.
Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere. cap. 31 nu. 7. cap. 49. nu. 1.
Et vocabitur nomen eius admirabilis. cap. 30. nu. 45. cap. 9.
Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe. cap. 28. num. 36. cap. 29. num. 34. cap. 30. nu. 48. cap. 49. nu. 14.*
Iugum enim oneris eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. cap. 37. nu. 19.
Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. cap. 45. num 8. cap. 53. num. 2. cap. 60. nu. 25.*
Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. cap. 60 nu. 15.
Zelus Domini exercituum faciet hoc. cap. 59. num. 18.
Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus cap. 40. nu. 40.
Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit. cap. 49 nu. 24.
Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, &c. cap. 30. nu. 50. cap. 10.
Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum. cap. 31. num. 5.


Con-




Conſummationẽ, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet. cap. 30. nu. 29.
Mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, &c. cap 37. nu. 19.
cap. 11. Et iudicabit in iuſtitia pauperes. cap. 32. nu. 1.
Et percutiet terram virga oris ſui. cap. 30. nu. 46 cap. 41. nu. 4. cap 49. n. 2.*
Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, &c. cap. 42. nu. 2. cap. 61. nu. 1.
cap. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. cap. 43. nu. 5.
cap. 13. Ego mandaui ſanctificatis meis, &c. c 28. n. 10.
Et timorem eius ne timeatis, neque paueatis: Dominum exercituum ipſum ſanctificate, &c cap. 51. nu. 13.
Nec ponet ibi tentoria Arabs. cap. 32. nu. 13.
cap. 14. In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c. cap. 44. num. 4. cap. 36. nu. 1. cap. 50. n. 11.*
Infernus ſubter conturbatus eſt. cap 30. nu. 53.
cap. 16. Finitus eſt puluis, conſummatus eſt miſer, defecit qui conculcabat terram. cap. 37. nu 19.
Superbia eius & arrogantia eius. cap 30. nu. 6.
cap. 17. Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio duarum oliuarum, &c cap. 44 n. 4.*
Rapietur ſicut puluis montium à facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate, &c. cap. 37. num 19.
cap. 18. Sicut meridiana lux clara eſt. cap. 43. nu. 7 cap. 58 nu 10.
cap. 19. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem. cap. 30. n. 39.*
cap. 21. Super ſpeculam Domini ego ſum. cap. 62 nu. 7.
Cuſtos quid de nocte cuſtos quid de nocte? cap. 29. nu. 20.
cap. 22. Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, &c. cap. 56. nu. 14.
Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ. cap. 32 nu. 5.
Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat. cap. 45. nu. 4.
cap. 24. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, &c. cap. 34 nu. 13.*
Quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius. cap. 33. nu. 8.*
Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion. cap 34. nu. 3.
Hinnient de mari. cap. 30. n. 48.*
Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis. cap. 33 n. 9.*
cap. 25. Conuiuium pingium, pinguium medullatorum. cap. 30. n. 41.*
cap. 26. Emitte agnum Domine dominatorem terræ. cap 52. nu. 5.
Conculcabit eam pes, pes pauperis, greſſus egenorum. cap. 41. nu. 17.*
Concepimus, & quaſi parturiuimus. cap. 33. num. 9.*
Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi. cap. 28. num. 26. cap. 27.
Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim. cap. 62. num. 3. cap. 28.
Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? &c. cap. 55. nu. 1.
Sicut in monte diuiſionum ſtabit Dominus, ſicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur. cap. 37 nu. 19.
Vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius. ca. 28. nu 30 cap. 40 n. 22.*
Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, &c. cap. 59. nu. 3.
Ecce ego mittam in fundamentis Siõ lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum. cap. 60 nu. 7.*
Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ, &c. cap. 37. nu. 19.* cap. 29.
Væ qui profundi eſtis corde cap. 30. nu. 51.
Et audient in die illa ſurdi verba libri. cap. 32. num. 4.
Populus hic labijs me honorat. cap 28 nu. 24.
Subito dum non ſperatur, veniet contritio eius. cap. 29. n 5.* cap. 30.
Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuũ. cap. 55 nu 8.
Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. c. 45. n. 14.
Auferte à me viam, declinate à me ſemitam. cap. 29. nu. 35
Paſcetur in poſſeſſione ſua in die illa, agnus ſpatioſe. cap. 32. nu. 20
Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, &c. cap. 50. nu. 14.*
Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius nõ hominis vorabit eum, &c. cap. 37. num. 19. cap. 31.
Cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur, & plane. cap. 35. num 9.* cap. 32.
Et erit deſertum in Carmel. cap. 40. num. 11.
Et cultus iuſtitiæ ſilentium. cap. 30 nu 18.*
Cum conſummaueris deprædationẽ, deprædaberis, &c. cap. 37. num. 19. cap. 33.
Et omnes funiculi eius non rumpentur. cap. 33. num. 21.
Hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. cap. 40. nu. 13. cap. 35.
Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmel ſedebit. cap 33. nu. 4.
Ecce ego dabo ei ſpiritum, & reuertetur ad terram ſuam, & reducam te in viam, per quam veniſti. cap. 37. nu. 19. cap. 30



greſſus

cap. 37. Egreſſus eſt Angelus Domini, & percuſſit in caſtris. cap 31 num. 5.
Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum cap. 43. nu. 13 cap. 48. nu 4.
cap. 38. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues cap 37. nu 8.
Ecce ego reuerti feci vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz, &c. cap. 48. nu. 4. *
Sicut pullus hirundinis ſic clamabo. c. 59. n. 12
cap. 39. Fiat tantum pax in diebus meis. cap. 40 nu. 23.
cap. 40. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis cap. 28. nu. 17.
Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. cap. 46. nu. 2 cap. 52. nu. 5.*
Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion, &c. cap. 52. num 6.*
Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. cap. 38. nu. 6.*
Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei cap. 38 nu. 12.
Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. cap. 43. num. 13.
Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. cap. 44. num. 6.
cap. 41. Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eũ, vt ſequeretur ſe? cap. 45. nu. 12. cap. 46. nu. 7.
Annunciate quæ futura ſunt, & ſciemus quia dij eſtis vos cap 43. nu. 10.*
cap. 42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, &c. cap. 41. nu. 25 cap. 43. nu. 9.
Gloriam meam alteri non dabo. cap. 30. nu. 39.
Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, &c. cap. 41. num. 18. cap. 48. nu 6
Quis cæcus niſi ſeruus meus, & ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi. cap. 43. num. 7.
cap. 43. Ab Oriente adducam ſemen ſuũ, &c. c. 41. n. 10
Omnem qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui eum cap. 38. nu. 23.
Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina, &c. cap. 44. nu. 2.
Seruire me feciſti in peccatis tuis, &c. cap 42. num. 1.*
Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor amplius. cap. 44. nu. 12.
cap. 44. Artifex lignarius extendit normam. c 30. n. 39.
cap. 45. Hæc dicit Dominus Cyro Chriſto meo, cap. 41. nu. 3.
Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. cap. 45. nu. 11.
Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus &c. cap. 53. num. 5.*
Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. cpa. 28. num. 20.
Reſiduo populi ſui cap. 52. nu. 10. cap. 48.
Audite inſulæ, & attendite populi de longe. cap. 41 nu. 1. cap. 49.
In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui cap. 60. nu. 25. cap. 55. nu. 11. cap. 30. nu. 42.
Numquid obliuiſcetur mulier infantẽ ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? &c. c. 55 n. 13.
Poſui te in lucem gentium cap 30. nu 10.
In manibus meis deſcripſi te cap 62 nu 3.*
Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te. cap. 60. nu. 3.*
Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt, & erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. cap. 60. n. 20.
Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei cap. 50 nu. 1.
Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? cap. 52. nu. 3. cap. 50.
Dominus dedit mihi linguam eruditam. cap. 59. nu. 23.
Incuruare vt tranſeamus. cap 60. nu. 18. cap. 51.
In Aegyptum deſcendit populus meus in principio cap. 30. nu. 12.* cap. 52.
Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. cap. 45. nu. 12.
Domine quis credidit auditui noſtro? cap. 28. nu. 8. 26. cap. 53.
Et brachium Domini cui reuelatum eſt? cap. 59. nu. 17.
Vidimus eum, & non erat ſpecies, neque decor. cap. 52 nu. 17.
Non eſt ſpecies ei, neque decor. cap. 29. nu. 16. cap 33. nu. 13.
Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, &c. cap. 38. nu. 9.
Et liuore eius ſanati ſumus cap 30. nu 47.
Sicut ouis ad occiſionẽ ducetur, & quaſi agnus coram tondẽte ſe, &c. &c c. 57. n. 12.
Tamquam agnus coram tondente ſe non aperiet os ſuum. cap 42. nu. 8.
Lauda ſterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, &c. c. 49. nu. 18. cap. 54.
Quia multi filij deſertæ, magis quam eius quæ habebat virum. cap. 52. nu. 10.
Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorũ tuorũ extende, ne parcas, &c. c. 49. n. 18
Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te, &c. cap. 51. nu 17 cap. 60. nu. 14.*
Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, &c. cap. 49 n. 11. cap. 55.
Quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, cap. 30. nu. 29.*


Non




Non reuertetur ad me vacuum. cap. 32. nu. 6.
Ecce teſtem populis dedi eum. cap. 30. num. 33. cap. 43. nu 9.
cap. 56. Impegimus in meridie quaſi in tenebris. cap. 29 num. 20.
Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, &c. cap 57 nu 6.
Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, &c cap. 57. nu. 6.
Canes muti non valentes latrare. cap. 39. nu. 8. cap. 58 nu 1.
cap. 57. Cor impij quaſi mare feruens. cap. 29. num. 34. cap. 30. nu. 17.
cap. 58. Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum: fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis cap 61. nu. 4.
cap. 59. Non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat cap 37. nu. 14.
Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deũ veſtrum, & peccata, &c. cap 38. nu 3. cap. 44 num. 11.
Fœdus meum cum eis. cap. 59. nu. 21.
Non eſt pax impijs, dicit Dominus. cap. 32. num. 16.
cap. 60. Ponam te in ſuperbiam populorum. cap. 62. num. 9.*
cap. 61. Spiritus Domini ſuper me, &c. cap. 42. num. 3. cap 49. nu. 10. 13.
Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt. cap. 29. nu. 24.*
Quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. cap. 59. nu. 21.
cap. 62. Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplẽdor iuſtus eius, &c. cap. 60. nu. 3.*
cap. 63. Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra cap 34 num. 6
Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? cap. 59 nu 18.
Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Calcaui eos in furore meo, &c. cap 59. nu. 18.
Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? &c cap. 59. num. 13.*
cap. 64. Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes. cap. 45. nu. 8.
Neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt. cap. 29 nu. 15.
Omnes iuſtitiæ noſtræ tamquam pannus menſtruatæ. cap. 43. nu. 19.
Et nunc Domine, Pater noſter es tu. cap. 29. num. 31.
cap. 65. Iſti fumus erunt in furore meo. cap. 30. nu. 52.
Ecce ego creo cælos nouos. cap. 30. nu. 47. cap. 42. num. 14. cap 51. num. 16.
Ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomẽ meum, &c. cap. 49. nu. 20.
Tota die expandi manus meas ad populum. cap. 29. num. 19.
Qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres. cap. 30. nu. 49.
Inuentus ſum à non quærentibus me. cap. 29. num. 19.
Eritque antequam clament. cap. 30. num. 24. cap. 38. nu. 19.
Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. cap. 60. num. 17. cap. 66.
Quis audiuit vnquã tale, aut quis vidit huic ſimile? cap. 43. nu. 15.
Declinabo ſuper eam ſicut fluuium pacis. cap. 32. nu. 16. cap. 33. num. 20.
Vermis eorum non morietur. cap. 30. nu. 29.


## EX LIB. HIEREM.


Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum cap. 40. nu. 9. cap. 1.
Ab Aquilone pandetur omne malũ ſuper omnes habitatores terræ. cap. 44. n. 13.
Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, &c. cap. 40. nu. 5. cap. 2.
Quid tibi vis in via Aegypti. cap. 30. nu. 12.
Arguet te malitia tua. cap. 40. num. 4. cap. 50. num. 1.
Memento quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum. cap. 43. n. 21.
Ego plantaui te vineam electam. cap. 29. nu. 9.
Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi hæbam Borith. cap. 30. num. 29.
Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ, &c. cap. 32. nu. 20.
Vbi ſunt dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te, &c. cap. 57 nu. 13.
Iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia. cap 48. nu. 1. cap. 4.
Laua à malitia cor tuum. cap. 40. num. 4.
Percuſſiſti eos, & non doluerunt cap. 26. n. 18. cap. 5.
Circuite vias Hieruſalem, & quærite in plateis. cap. 57. nu 2.
Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, ignorantes viã Domini, & iudicium Dei ſui? Ibo igitur, &c. cap. 34. nu 10.*
Prophetæ prophetabant mendacium. cap. 30. num. 11.
Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, &c. cap 49. nu. 6.* cap. 6.
State ſuper vias, & videte. cap. 50. nu. 37.
Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diem conſurgens diluculo. cap. 42. nu. 19. cap. 7.


 Tu

Tu ergo noli orare pro populo hoc & non obſiſtas mihi. cap. 58. nu. 12 cap. 65. n. 9.*
cap. 8. Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Hieruſalem auerſione contentioſa? cap. 59. nu. 14.
Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, &c. cap. 34. nu. 11.
cap. 9. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis. cap. 39. nu. 6.
cap. 10. Quis non timebit te ò Rex gentium. cap. 33. nu. 15.
Iuxta vias gentium nolite diſcere: & a ſignis cæli noli metuere, &c. cap. 44. nu. 16.
Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia, confuſus eſt artifex, &c. cap. 44. num. 10.
cap. 11. Non prophetabis in nomine Domini. cap 30. num. 9.
Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. cap. 40. nu. 32.*
Eradamus eum de terra viuentium c. 59. nu. 5.
cap. 12. Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecũ: veruntamen, &c. cap. 57. nu. 1.
Quare via impiorum proſperatur, &c. cap 40. num. 38.
Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorũ. cap. 40. nu. 38.
Congrega eos quaſi gregem ad victimam. cap. 29 num. 8. 11. cap. 30. num. 46.*
Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius. cap. 29 nu. 9.
cap. 15. Occidit ei ſol cũ adhuc eſſet dies. cap. 29. n. 20.
cap. 17. Maledictus qui confidit in homine. cap. 30. nu. 3. cap. 31. nu. 3. cap. 36. nu. 5. cap. 42. nu. 9.
Et diem hominis non concupiui, tu ſcis. cap. 57. nu. 20.
Confundantur qui me perſequuntur, & nõ confundar ego, &c. cap. 41. nu. 13.
Duplici contritione contere eos Domine. cap. 40. nu. 7. cap. 61. n. 8.*
Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo. cap. 30. nu. 7.*
cap. 18. Ecce ſicut lutum in manu figuli. cap. 29. nu. 31.
Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod loquutus ſum, vt facerem ei. cap. 44. nu 14.
Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, &c. cap. 38. nu. 2.
cap. 20. Dominus autem mecum eſt quaſi bellator fortis, &c. cap. 42. nu. 16.
cap. 23. Ecce dies veniunt, & ſuſtitabo Dauid. cap. 32. num. 1.
In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter, &c. vſque in terra ſua, cap. 43 num. 15.*
Et hoc eſt nomen quod vocabunt eũ. c. 32. n. 1.
Væ paſtoribus qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus, &c. cap. 40. nu. 23.
Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant, nõ loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. cap. 61. nu. 1.
In nouiſſimo die cognoſcetis eum vos. cap. 29. nu. 21.*
Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, &c. cap. 41. nu. 15. cap. 49. nu. 2.
Sume calicem vini furoris huius de manu mea, &c. vſque ſicut eſt dies iſta. c. 51. nu. 17. cap. 25.
Dereliquit Dominus quaſi leo tabernaculum ſuum. cap. 29. nu. 2.*
Rugiens rugiet ſuper decorem ſuum. cap. 33. nu. 13.*
Apprehenderunt eum ſacerdotes, & prophetæ, cap. 39. nu. 4. cap. 26.
Dabo domum iſtã ſicut Silo, & vrbẽ hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ, &c. cap. 48. nu. 2.
Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? cap. 42. nu. 15. cap. 29.
Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, &c. vſque erunt mihi in populũ. cap. 42. nu. 29. cap. 55. nu. 7. cap. 59. num. 20. cap. 61. num 9. cap. 31.
Quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum. cap. 45. num. 9. cap. 42. nu. 14. cap. 28. nu. 23.
Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c. cap. 40. nu. 14. cap. 51. nu. 5.
In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, &c. cap. 42. num. 11. cap. 33.
Factum eſt autem cum compleſſet Hieremias loquens ad populum. cap. 30. nu. 9. cap. 43.
O mucro Domini vſquequo non quieſces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile. cap 34. nu. 5. cap. 47.
Quomodo quieſcet, cum Dominus præceperit ei aduerſus Aſcalonem, & aduerſus maritimas eius regiones? cap. 34. nu. 5.
Et ponam ſolium meum in Aelam, & perdam inde reges, & principes, &c. cap. 43. nu. 12.* cap. 49.
Recedite de medio Babylonis & de terra Chaldæorum egredimini, &c. cap. 52. nu. 11. cap. 50.
Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam. cap. 48. num. 13. cap. 51.
Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam cap. 47. nu. 2.*
Egredimini de medio eius populus meus, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini, cap. 48. nu. 13.





## EX LIB. THREN.

cap. 1. ET egreſſus eſt à filia Siõ omnis decor eius, &c. cap. 34. nu 9.
Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui cap. 47. nu. 5.*
cap. 2. Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalem? &c. cap. 34. nu. 9.
cap. 3. Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus, &c. cap. 59. nu. 1.
cap. 4. Et maior effecta eſt iniquitas eius peccato Sodomorum. cap. 34. nu. 7.
cap. 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. cap 57. nu. 18.

## EX LIB. BARVCH.

cap. 1. DOmino Deo noſtro iuſtitia: nobis autem confuſio faciei noſtræ. &c cap 50. nu. 1.
cap. 3. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. cap 41. nu 23.*
Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero tuo, &c. cap. 52 n. 5.
In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. cap 38. nu. 12.
Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore, &c. cap. 40. nu. 33.
cap. 6. Habet etiam in manu gladium, &c. vſque tales ſunt & dij eorum. cap 44. nu. 10.*

## EX LIB. EZECHIELIS.

cap. 1. SImilitudo hominis in eis. cap. 30. nu. 35.*
Pedes eorum pedes recti cap. 52. nu 6.
Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur dũ ambularent c. 60. n. 11
cap. 2. Fili hominis mitto te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, &c. cap. 48 nu. 3.
cap. 3. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, &c cap. 43 nu. 3 cap. 50. nu. 10.
Et tu fili hominis teſtificare populo huic, ſi forte audiant, &c cap. 49. nu. 6.
Fili hominis ſpeculatorẽ dedi te domui Iſrael. cap 40. nu. 18.
cap. 9. Tranſi per mediam ciuitatem Hieruſalem, & ſigna thau. cap. 61. nu. 3.*
cap. 11. Et dabo eis cor nouum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum cap 40. nu. 14.
cap. 13. Non aſcẽdiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. cap. 58. nu. 1.*
Propter puſillum hordei. cap. 29 nu. 35.
cap. 14. Fili hominis, terra cum peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper eam, &c. cap. 38. nu. 2.
cap. 16. Tranſiens autem per te vidi te conculcari in ſanguine tuo. cap. 29. nu. 6.
Et tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quod dedi tibi, &c. cap. 57. n. 6.
Ergo & tu porta confuſionem tuam, quæ viciſti ſorores tuas peccatis tuis. cap. 57. num. 20. cap. 30. nu. 51.
Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, &c. c. 55. nu. 13. cap. 18.
Inſuper & Sabbata mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me, & eos, &c. cap. 57. nu. 5.* cap. 20.
Stilla ad Aphricum. cap. 52. nu. 18.*
Coniuratio Prophetarum in medio eius, ſicut leo rugiens rapienſque prædã, &c. c. 56. n. 13. cap. 22.
Munera acceperunt apud te, ad effundendũ ſanguinem: vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, &c cap. 56. nu. 13.
Principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam, &c. cap. 40 nu. 23.
Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignẽ. c. 49. n. 6.* cap. 24.
Vt carnes aſinorum, carnes eorum. c. 34. nu. 11.
Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia. cap. 29. nu. 16. cap. 28.
Producam ignem de medio tui. cap 30. nu. 53.
Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidẽ. cap. 62. num. 4. cap. 30. nu. 33.*
Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti dracho magne, &c. cap. 51. n 11. cap 34. nu. 10. cap. 29.
Et vẽtilabas cornu in fluminibus tuis. c. 30. n. 12 cap. 32.
Quod ſi ſpeculator viderit gladium veniẽtem. & non inſonuerit buccina, &c c. 56. nu. 11. cap. 33.
Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem, &c. cap. 55. nu. 13. cap. 57. nu. 19.
Et tu fili hominis: filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, &c. vſque. Et non faciunt ea cap. 40. nu. 3.*
Fili hominis propheta de paſtoribus Iſrael, &c. cap 40. nu. 23. cap. 34.
Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotũ non ſanaſtis, &c. c. 40. n. 23. c. 42. n. 5.
Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus, &c. &c. cap. 40. nu. 23.*
Inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcabatis pedibus veſtris. cap. 30. nu. 12.
Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, &c. cap. 52. nu. 18. cap. 36.
Faciã vt in præceptis meis ambuletis. c. 55. n. 1.
In vigeſimo quinto anno noſtræ tranſmigrationis, in exordio anni, &c. vſque. In manu eius. cap. 34. nu. 8. cap. 40.
Et ecce vir cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris cap. 28. nu. 23.*
Fili hominis oſtende domui Iſrael templum, vt cõfundãtur ab inquitatibus ſuis, &c. c. 51. n. 3 cap. 43.
Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum. c. 29. n. 2
Porta hæc clauſa erit. cap. 30. nu. 45.* cap. 44.

EX LIB. DANIEL.

cap. 3. TVnc Nabuchodonoſor repletus eſt furore, &c. cap 43. nu. 3.
Regnum eius, Regnum ſempiternum. cap. 28. num. 1.
cap. 6. Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. cap. 35. num. 15.
cap. 7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. cap 44. nu. 5.
cap. 9. Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus, &c. cap 37. nu. 4.*
cap. 10. Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus. cap. 30 nu. 25.
Noli metuere Daniel, quia ex die. c. 30. n. 25.
Leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, &c. cap. 59. nu. 22.*
cap. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, &c. cap. 40. nu. 36.
Tu autem Daniel claude ſermones. c. 29. n. 21.*

EX LIB. OSEAE.

cap. 1. FOrnicans fornicabitur terra à Domino. ca. 57. num 6.
Et erit in loco vbi dicetur eis: non populus meus vos: dicetur eis: filij Dei viuentis. cap. 55. nu 10.
Voca nomen eius non populus meus. cap. 29. num. 19. 27.
Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, &c cap 40. n 1.
cap. 2. Confuſa eſt quæ concepit eos, quia dixit: vadam poſt amatores meos. cap. 30. n. 6.
Vadam poſt amatores meos. c. 29. n. 6. c 50. n. 1.
Propter hoc. ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem. cap. 28. n 17. c. 40 n. 2.*
Et miſerebor eius quæ fuit abſque miſericordia. Et dicam, non populo meo, populus meus es tu, &c. cap 55. n. 10.
Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus, &c. c 50. nu. 1.
Et erit in die illa, exaudiam dicit Dominus. c. 62. nu. 4.
cap. 4. Peccata populi comedent ſacerdotes. c. 40 n. 5.
cap. 6. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, &c. c 37. n. 16.
Miſericordia vt nubes matutina, & ſicut ros diluculo cadens. cap. 30. n. 27.
cap. 7. Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor. cap. 59. n 12.*
Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iuſtitiam. cap. 60. n. 25. cap. 30 num 37. cap. 10.
Ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis. cap. 29. n. 6. c. 49. nu. 21. cap. 11.
Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. cap. 35. nu. 5
Et loquutus ſum ſuper prophetas, & in manu prophetarum aſſimilatus ſum. cap. 52. nu 5 cap. 42. nu. 19.* cap. 12.
Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. cap. 60. n. 14. cap. 13.
Tollite vobiſcum verba, & ite ad Dominum, & dicite, omnem aufer iniquitatem, &c. cap 37. nu. 8 * cap. 14
Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut lilium, &c. vſque Vinum libani. c. 35. n. 4
Viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea. cap. 30. nu. 32.*

EX LIB. IOEL.

SAnctificate Ieiunium. cap. 58. nu. 7. cap. 1.
Ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis, &c. cap 44. num. 14.
A facie eius contremuit terra, &c. cap. 30. n. 58 cap. 2.
Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & in fletu, & in planctu, &c. ca 36. n. 12. c 30 n. 11. 15. c. 55. n. 12.
Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, &c. c. 55. nu. 12.
Benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. cap. 43. nu. 21.
Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat? cap. 30. num. 36.
Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes. cap. 33. nu 7.
Zelatus eſt Dominus terram ſuam, &c. cap. 44. nu. 1.
Et filiæ Sion exultate & lætamini. ca. 30. n. 33.
Et reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca, &c. cap. 44. num. 14*
Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem. cap. 30. n. 12. cap. 40. n. 14.

EX LIB. AMOS.

ET propinabatis Nazaræis vinum. ca. 30. num. 9. cap. 2.
Si erit malum in ciuitate quod Deus non fecerit. cap 45. n. 7. cap. 34. n. 13. cap. 3.
Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in cap. 6.

monte



monte Samariæ, &c. vſque, ſuper contritione Ioſeph. cap. 56. n. 14.
cap. 7. Non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper domum Idoli. cap. 52. num. 18. cap. 30. num 9.
cap. 8. Mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ. cap. 30. nu. 29 cap. 42. nu. 4. cap. 51. num 18.

EX LIB. ABDIAE.

cap. 1. AVditum audiuimus à Domino, & legatos ad gentes miſit. cap. 52. nu. 18.

EX LIB. IONAE.

cap. 1. SVrrexit Ionas vt fugeret in Tharſis a facie Domini. cap. 30. nu. 19. cap. 40. nu. 32.
cap. 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, &c. cap. 58. nu 6.
cap. 4. Fecit ſibimet vmbraculum ibi. cap. 30. nu 2.
Et præparauit Deus vermem in aſcenſu diluculi. cap. 41. nu. 15.*

EX LIB. MICHEAE.

cap. 2. AScendet pandens iter ante eos, diuident, & tranſibunt portam, & ingredientur per eam, &c. cap. 52. nu. 16.
cap. 3. Principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant: & Prophetæ eius in pecunia diuinabāt. c. 56. n. 13.
Prophetæ qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium. c. 56. num. 13.*
cap. 5. Et tu Betlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael. cap 42. nu. 16.
Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. cap. 30 nu. 45. cap. 55. nu 16.*
Stabit & paſcet eos in fortitudine Domini. cap. 30. num. 49.
cap. 6. Popule meus quid feci tibi? aut quid moleſtus fui? cap. 29. nu. 9.
Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum. cap. 29. num. 26.*
cap. 7. Deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. cap. 59. num. 19.

EX LIB. NAHVM.

cap. 1. ECce ſuper montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem. cap. 52. nu. 6.
Deuorauit te vt bruchus, congregare vt bruchus. cap. 33 nu. 3. cap. 3.

EX LIB. HABAC.

APparebit in finē & non mentietur, ſi moram fecerit, expecta illum. cap 46. n. 8. cap. 51. n. 6 cap. 28 n. 2. 16. cap. 2.
Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuū. cap. 30. num. 12.
Dominus autem in tēplo ſancto ſuo. c. 30. n. 17.
Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis cap. 28. nu. 17. cap. 3.
Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors. cap. 40. nu. 21.
Aſpexit & diſſoluit gentes. cap. 33. n. 3.
Contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. cap. 40. nu. 13 c 64. n. 2.
Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. cap. 42. n. 16.

EX LIB. SOPHON.

SIlete à facie Domini Dei, quia iuxta eſt dies Domini, &c. vſque, veſte peregrina. cap. 43. nu. 4* cap. 1.
Principes eius in medio eius, quaſi leones rugientes: iudices eius lupi, veſpere non relinquebant in mane. cap 56. nu 13.* cap. 3.
Paſtores tui, lupi, veſpere non relinquent in mane. cap. 40. n 23. 36.
Expecta me in die reſurrectionis in futurum, cap. 28. nu 10.

EX LIB. AGGEI.

FActum eſt enim verbum Domini in manu Aggei, dicens, Hæc dicit Dominus, &c. cap. 52. n. 13. c 28. n. 10.* cap. 2.
Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus, &c cap 60. n. 9. c. 28. n. 10.

EX LIB. ZACHARIAE.

COnuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. cap. 30. nu 22. cap. 1.
Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona. cap. 40. nu. 2.
Zelatus eſt Dominus Sion. c. 63 n. 15.
Abſque muro habitabitur Hieruſale, præ multitudine hominum, &c. cap. 49. nu. 18.* cap. 2.
Funiculum habens geometricum. cap. 28. num. 23.

Qui

Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. cap. 37. nu. 11.

cap. 6. Ecce vir Oriens nomen eius. cap. 34. n. 8. c. 41. num. 22.

cap. 7. Cum ieiunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo, per hos ſeptuaginta annos, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi? cap. 58. nu. 3. 7. cap. 57. n. 7. *

cap. 8. Et venient populi multi, & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Hieruſalem, & deprecandam faciem Domini. cap. 49. nu 9.

cap. 9. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de loco in quo non eſt aqua. cap. 42. nu. 12.

Duplicia reddam tibi. cap. 61. n. 8.

cap. 13. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. cap. 43. nu. 8.

Frameā ſuſcitare ſuper paſtorem meum. cap. 41. nu. 13.

cap. 14. Et erit in die illa exibunt aquæ viuæ de Hieruſalem cap. 30. nu. 29. *

### *EX LIB. MALACHIAE.*

cap. 1. AD vos o ſacerdotes qui deſpicitis nomen meum. cap 29 nu 3

cap. 2. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam. cap. 33. num. 7. *

cap. 3. Ecce ego mitto angelum meum, &c cap 40. n. 8.

Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, &c. cap. 38. nu. 4. cap 40. nu 38.

Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, &c. cap. 38. nu. 4.

cap. 4. Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ cap. 38 nu. 16.

### *EX I. LIB. MACHAB.*

cap. 3. ACcingimini, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in mane. cap. 57. nu. 3.

### *EX II LIB. MACHAB.*

cap. 9. ELatus in ira arbitrabatur ſe in iniuriam illorum, &c. cap. 29. nu. 11.

Aequum eſt mortalem non paria Deo ſentire. cap. 29. nu. 11. *

## AVCTORITATES EX NOVO TESTAMENTO.

### *EX EVANGELIO MATTHAEI.*

CVM eſſet deſponſata mater Ieſu. cap. 1.
cap. 30. nu. 45.

Vocabis nomen eius Ieſum. ca. 33. num. 20.

Ecce magi ab Oriente venerunt Hieroſolymā, cap. 2.
dicentes. Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum. cap. 49. nu. 1. cap. 43. nu. 6. c. 45. n. 14. *

Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? cap. 32. nu. 4. cap. 41. nu. 6. cap. 43. nu. 6. cap. 60. num. 3. 5. 7. *

Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius. c. 41. n 22.

Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. cap. 60. num. 7.

Iuſſit occidere omnes pueros qui erāt in Bethleem, & in omnibus finibus eius. c. 49. n. 4.

Conſurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Iſrael, &c. cap. 38. nu. 7.

Pœnitentiam agite, appropinquabit enim re- cap. 3.
gnum cælorum. cap. 57. nu. 14.

Si filius Dei es, mitte te deorſum. cap. 30 n. 12. cap. 4.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. cap. 36 nu. 10 c. 37. nu 6. c. 49 nu. 23. *

Videns turbas aſcendit in montem. c. 30. n. 37. cap. 5.
cap. 45. nu 16.

Aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerūt ad eum diſcipuli eius, &c cap. 49. n. 11.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorū. c. 32. n. 3. c. 49. n. 13. c. 52. n. 5.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. cap. 29 nu 34.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. cap. 30. nu. 17. cap. 57. n. 18.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. cap. 55. nu. 1.

Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, &c cap. 51. nu. 8.

Gaudete & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cælis. c. 45. nu. 16.

Vos eſtis lux mundi. cap. 33. nu. 6.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. cap. 34. nu. 8.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus. cap. 29. n. 37. cap. 30. n. 48. cap. 43. n. 10.

Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præte-

præte-



præteribit à lege, donec omnia fiant. c. 34. nu. 12. cap. 51. nu. 7.

Iota vnum, aut vnus apex non præteribit a lege. cap. 31. n. 2.

Qui ſoluerit vnum de mandatis minimis. cap. 32. nu. 5. cap. 35. n. 11.

Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. cap. 55. nu. 6.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum. cap. 28. num. 23.

Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos, &c. cap. 35. nu. 2. cap. 28. nu. 12.

Eſto conſentiens aduerſario tuo. ca. 30. n. 30. *

cap. 6. Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c. cap. 39. num. 7.

Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. cap. 39. num. 3.

Sanctificetur nomen tuum. cap. 37. nu. 4.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra. cap. 62. num. 4.

Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, &c cap. 58. num. 4.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, &c. cap. 37. nu. 1. *

cap. 7. In qua menſura menſi fueritis. cap. 33. nu. 1.

Nolite ſanctum dare canibus. cap. 30. nu. 43. cap. 42. nu. 4.

Petite, & accipietis, &c. cap. 43. nu. 17.

Si autem vos cum ſitis mali, noſtis bona dare filijs veſtris; quanto magis pater cæleſtis dabit bona petentibus ſe? cap. 55. nu. 13.

Qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. cap. 29. n. 24. cap. 32. num. 6.

Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c. cap. 40. num. 36.

Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea. cap. 28. num. 25.

Factū eſt, cum conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius, &c. cap. 49. num. 3.

Turbæ admirabantur ſuper doctrina eius. Erat Enim docens, &c. cap. 41. num. 6. *

cap. 8. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem, &c. cap. 41. nu. 22.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent, &c. c. 43. nu. 6. cap. 49. nu. 13 cap. 58. nu. 15.

Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. cap. 38. nu. 6.

Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat ſpiritus verbo, &c. cap. 53. nu 6.

Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt.
cap. 41. num. 6. cap. 52. num. 17.

Veniſti ante tempus, &c. cap. 29. nu. 11.

Confide fili remittuntur tibi peccata tua. cap. cap. 9.
61. nu. 2.

Miſericordiam volo & non ſacrificium. cap. 43. num. 17.

Confide filia fides tua te ſaluam fecit. cap. 42. num. 5.

Numquid poſſunt filij ſponſi lugere? cap. 62. num. 6.

In viam gentium ne abieritis. cap. 34. num. 1. cap. 10.
cap. 52. nu. 14.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. cap 35. nu. 15. *

Quicumque non receperit vos, nec audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, &c. cap. 55. n. 15.

Eſtote prudētes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, cap. 60. nu. 12. *

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, &c. cap. 40. num. 11.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, & non habent amplius quid faciant. cap. 40. num. 19.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. cap 45. nu. 16.

Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. cap. 40. n. 42.

Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vi- cap. 11.
diſtis, Cæci vident, &c. cap. 49. nu. 13.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, &c. cap. 35. nu. 8.

Quid exiſtis in deſertum videre. cap. 33. n. 5. cap. 40. nu. 8.

Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt in illo. cap. 60. nu. 25.

Ecce homo vorax & potator vini. cap. 32. n. 6. cap. 42. num. 8. cap. 58. num. 10. cap. 59. num. 14.

Væ tibi Chorozaim, væ ſibi Bethſaida, &c. cap. 49 num. 6.

Cōfiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, cap. 29. nu 21. cap. 61 nu. 1.

Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. cap. 62. nu. 4. *

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, &c. cap. 40. n. 2. cap. 48. nu. 10. *

Diſcite a me quia mitis ſum. cap. 29. num. 34. cap. 35. nu. 15. cap 42 nu. 8.

Iugum meum ſuaue eſt, &c. cap 40. nu. 13. *

Et præcepit eis ne manifeſtum eum facerent, cap. 12.
&c. cap. 42. nu. 1.

In

In Belzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.cap.57.nu.7.

Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur.cap.50.nu.13.

Generatio mala, & adultera ſignum quærit. cap.48.nu.3. cap.57. num.6. cap 49.nu.6.

cap. 13. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. cap.33. num.6.

Et hi radices non habent.cap.30.nu.4.

Exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. cap.33 nu.9.

Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum. cap 30. num.40.

Qui habet aures audiendi audiat. cap.43.nu.7. cap.42.nu.21.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo. cap. 35.nu.12 cap.60.nu.25.cap.55 nu.2.

Simile eſt regnum cælorum fermento. cap.29. num.37.

Iuſti fulgebnnt ſicut ſol.cap.30.nu.47.

Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, &c. cap.55. num.2.cap.39.num.3.*

Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare & ex omni genere piſcium congreganti.cap.28. num.37.cap 60.nu.23.

cap. 15. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur. cap. 29. num.26.

Irritum feciſtis mandatum Dei.cap.29.nn.23.

Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.cap. 60.num.23. cap.61. num 3.

Sinite illos cæci ſunt. cap. 29. nu.17.

Clamauit dicens, miſerere mei Domine. cap. 30.nu.25.

Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.cap.42 nu.4.cap.46.nu.8.cap.52. num.14.

O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.cap.38 nu.6. cap.30.nu.26.

cap. 16. Alij Ioannem Baptiſtam, alij Heliam. cap.33. nu.20.

Tu es Chriſtus filius Dei viui. cap.40.num.20. cap.41.nu.19.

Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.cap 53.nu.1.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam. cap.43. nu.8. cap. 45.nu.12 cap. 62. num.2.9.

Abſit à te Domine, propitius tibi eſto. cap.30. num.35.

Si quis vult poſt me venire, abneget.cap.30.nu. 37.cap.45 nu.14.cap 59.nu.24.cap.55.nu.8.

Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? &c cap 35.nu.11.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.cap.30 nu.47.cap 52.num.17. cap. 17.

Splenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autẽ eius facta ſunt alba ſicut nix. cap.55.nu.10.

Veſtimenta autẽ eius facta ſunt alba ſicut nix. cap. 52. nu. 17.

Hic eſt filius meus dilectus. cap 28. num. 14. cap.30.nu.33.cap.42.nu 1. cap. 30.num.45. cap. 50.num.5.10.cap. 52.num.17.

Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur molla aſinaria, &c. cap. 57.nu.14. cap. 18.

Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te.cap. 31.num. 6.

Videte ne contemnatis vnum de his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt cap.43 nu 5.

Relinquit nonaginta nouem in montibus. cap. 29 nu.1.

Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties cap.30. nu.47.

Et tenens ſuffocabat eum, dicens: redde quod debes cap 58.num.6.

Quid boni faciam, vt habeam vitam æternã? cap.30.nu.37. cap. 19.

Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, &c.cap.49 nu.11.

Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt: ſunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt, &c. cap. 56.nu.5.*

Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis. Amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis me, &c. cap. 49. nu.13.cap.29.nu.34.cap.55.nu.2.*

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, &c cap.61 num.9.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.cap:50.nu.8. cap. 20.

Cum ſero autem eſſet factum, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios. cap. 34 nu 6.

Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. cap. 29. nu.33.

Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. cap. 53 nu.1.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? cap.40.nu.27. cap.51.nu.17.

Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, &c.cap.49.nu.5.cap.42.nu.1.

Eiecit

cap. 21. Eiecit omnes vendentes & ementes in templo, &c. cap 56.nn.7.

Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius: &c. cap.42. nu 22.

cap. 22. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, &c. cap. 55. nu.10.

Magiſter ſcimus quia verax es. cap.32 num.6.

Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege? cap.58 nu.2.

cap 23. Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite. cap.35.nu.11.

Alligant onera grauia. cap.30. nu 34. cap.32. num. 19.

Vos autem nolite vocari Rabbi. cap.30. n 33.

Ve vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ ca.28. nu 24.cap.34.nu.10.cap.49.num 21.cap.59. num. 11.

Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum. cap. 29. nu. 33.

Quoties volui congregare filios tuos. cap. 31. num. 5.*

Relinquetur domus veſtra deſerta. c.32. n.13.

cap. 24. Non relinquetur lapis ſuper lapidem. cap. 30. num. 47.

Et tunc ſcandalizabuntur multi. cap 33. nu 8.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet, &c cap.51. nu.20.

Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, &c. cap 34.nu.3.

Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. cap.33.nu.6.

Conſurget enim gens contra gentem, & regnũ in regnum, &c. cap.34 nu.2.

Et dabunt ſigna magna, & prodigia. c.33.n.8.

Ecce hic eſt Chriſtus. cap. 52. nu. 11.

Statim autem poſt tribulationem dierum illorum. cap.30.nu.48.

Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. cap.34.nu.3.

Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. cap.38.nu 2.

Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis, &c. cap.50.nu.7.

cap. 25. Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. cap. 35. num. 10.

Dicet enim rex ijs, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, &c. cap. 58. nu 8.cap.34.nu.6. cap.61.nu.2.*

Amen dico dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. cap.60.nu.16. cap.49.nu.8.*

Ite maledicti in ignem æternum. cap. 28.n.25. cap.30.nu.51.cap.34.nu.4 cap.42.n 17.c.61. nu.2. tap 30.nu.49.*

Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamẽti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. cap.43.nu.15.cap.59 nu 20. cap. 26.

Amen amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. cap. 41. num. 19.

Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. cap. 42. num 8

Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. cap.51. nu. 17.

Verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu Pater. cap 38.nu.24.

An putas quia non poſſum rogare Patrem meũ, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum? cap.42.nu.5.

Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus, &c. cap.42. nu.5.

Petrus ſequebatur eum a longe. cap.30.nu. 35.

Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur. cap.57.nu.12.

A modo videbitis filium hominis ſedentem. cap 32 n.7. cap.36.n 12.

Reus eſt mortis, reus eſt mortis. cap. 53. nu.7.

At ille negauit. cap.30.nu.40.

Tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit. cap.35 n 9.

Innocens ego ſum a ſanguine iuſti huius. cap. 53 num.7. cap. 27.

Sanguis eius ſuper nos. cap.33. nu.12. cap.49. nu.24.cap.59 n.5.*

Hic eſt rex Iudæorum. cap.40 n.40.

Principes ſacerdotum & omne concilium quærebant. cap 32.nu.7.

Ego nullam inuenio in eo cauſam, ſedente autem illo pro tribunali, &c. cap.53.nu.5.

Vah qui deſtruis templũ Dei, & in tribus diebus. cap.28.nu.18.cap.50.nu.3. cap.57. n.7.

Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. cap.52.nu.17.

Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. cap 32.nu.6.

A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam. cap. 50.num. 5.

Circa horam nonam clamauit voce magna, dicens, Eloi Eloi Lamma Sabacthani. Clamans voce magna, emiſit ſpiritum. cap. 42. num. 3.

Præ timore eius perterriti ſunt cuſtodes. cap. 33. num. 3. cap. 28.

Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto. cap. 30. num.9.

Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati

ſunt

ſunt eum, nobis dormientibus. cap. 56. n. 12.

Conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, &c cap. 41. nu. 7.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. cap 43. nu 12.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. cap. 35. nu. 14. cap. 46. nu. 8. cap 49. n. 20. cap. 52. num 14.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus. cap. 30. nu. 33. cap. 33. nu. 19. cap. 51. nu. 15. cap. 59. nu. 22.

### EX EVANGELIO MARCI:

*cap. 1.* STupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius. cap. 49. nu. 3.

*cap. 4.* Tace, obmuteſce. cap. 29. nu. 34. cap 30. nu. 17.

Suſcipiunt, & fructificant. cap. 30. nu. 40.

*cap. 6.* Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? cap. 40. num. 20.

Non licet tibi habere vxorem fratris tui. cap. 32. nu. 4

*cap. 7.* Abijt in fines Tyri, & Sidonis. cap. 61. nu. 10.

*cap. 8.* Vade retro Satana. cap. 45. nu. 14.*

*cap. 14.* Cum eſſet Ieſus Bethaniæ in domo Simonis leproſi, &c. vſque. Vt quid perditio hæc? cap. 42 nu. 5.*

Cœpit Ieſus pauere & tædere. cap. 42 nu. 8.

Mulier neſcio quid dicis. cap. 30 nu 40.

*cap. 15.* Tolle, tolle, crucifige eum. cap 33 nu 12.

Et cum iniquis reputatus eſt. cap 50. nu. 11.

Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere, &c. cap 57. nu. 7.

Emiſſa voce magna exſpirauit. cap. 31. nu. 4.

Vere hic homo filius Dei erat. cap 50 num. 9.

*cap. 16.* Recumbentibus illis apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, &c. cap. 43 nu. 8.

Increpauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia ijs qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. cap. 46 nu. 8.

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. cap. 34 nu. 1. cap. 49. nu. 20.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. cap. 45. nu. 15.

Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c. cap. 35. num. 15.

In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, &c. cap. 44. nu. 4.

### EX EVANGELIO LVCAE.

ERit enim magnus coram Domino, & vinum, & ſiceram non bibet, &c. cap. 40. num. 28. *cap. 1.*

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galileæ, &c. cap. 45. nu. 8.

Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. cap. 48. nu. 9. cap. 62. num. 2.

Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, &c. cap. 44 nu. 5.

Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. cap. 52. nu. 8.

Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. cap. 40. nu. 24.

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. cap. 49. nu 1.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. cap. 45. nu 8.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, &c. cap. 40 nu. 13.

Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, &c. cap. 40. num. 9.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. cap. 41. nu. 22.

Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent. cap. 62. nu. 1.

Factum eſt autem cum eſſent ibi impleti ſunt dies, vt pareret, &c. cap. 45. nu. 8. *cap. 2.*

Quia non erat ei locus in diuerſorio. cap. 40. num. 12.*

Et claritas Dei circumfulſit illos. cap. 30. num. 47.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priusquàm in vtero conciperetur. cap. 48. nu 9. cap. 49. nu. 1.

Simeon iuſtus & timoratus. cap. 33. nu. 5.*

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, &c. cap. 51 nu. 5. cap 38. nu. 12.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. cap. 42. nu. 12.

Factus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum. cap. 30. nu. 29.

Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus parentibus eius Hieroſolymam, &c. cap. 38. nu. 9.

Stupebant omnes qui eum audiebant, &c. cap. 41. nu 6. cap. 52. nu. 17.

Maria autem conſeruabat omnia hæc conferens in corde ſuo. cap. 57. num. 4.

Genimina viperarum, quis oſtendit vos fugere à ventura ira. cap. 40. nu. 11. *cap. 3.*

Facite fructus dignos pœnitentiæ. cap. 40. nu. 12.





Et videbit omnis caro ſalutare Dei. cap. 40. nu. 24. cap. 52. nu. 11.

Ieſu baptizato & orante apertum eſt cælum, & deſcendit Spiritus ſanctus, &c. cap. 42. nu. 2.

Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. cap. 42. nu. 1.

Erat enim incipiens, quaſi annorum triginta. cap. 29. nu. 4 cap. 38. nu. 9.

*cap. 4.* Traditus eſt enim illi liber Iſaiæ Prophetæ, & vt reuolues librum, inuenit locum, vbi ſcriptum erat. Spiritus Domini ſuper me, cap. 61. num. 1.

Tranſiens per medium illorum ibat. cap. 49. num. 4.

*cap. 6.* Væ vobis diuitibus, quia habetis hic cõſolationem veſtram. Væ vobis, &c. cap. 30. nu. 17. cap. 40. nu 1.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. &c. vſque. Quia merces veſtra multa eſt in cælis. cap 49. nu. 11.

Date & dabitur vobis, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum. cap. 51. nu. 12.

Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam. cap. 28. nu. 23.

*cap. 7.* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. cap. 61 n. 2. cap. 40. nu. 5.*

Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? cap. 61. nu. 2.

*cap. 8.* Qui habet aures audiendi audiat. cap. 28. n. 33. cap. 42. nu. 3.

Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei. cap 29. nu 20.

Semen eſt verbum Dei. cap. 30. nu. 40.

Qui ſupra petram, hi ſunt qui cum audierint cum gaudio. cap. 30 nu. 40.

In corde bono & optimo audientes verbum retinent. cap 28. nu. 21.

Mulier quædam, quæ fluxum ſanguinis patiebatur. cap. 55. nu. 4.

Quæ in medicos erogauerat ſubſtantiam ſuam. cap. 30. num 5.*

*cap. 10.* Miſit binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum, &c. cap. 52. nu. 6.

Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. ca. 28. nu. 36.

Nolite portare ſacculum, nec perã. c. 29. n. 37.

Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, &c. cap. 52. nu. 1.

Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. cap 51. nu. 16.

Domine etiã dæmonia ſubijciuntur nobis, &c. cap. 41. nu. 16.

Nolite in hoc gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiecti ſunt, ſed gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. cap. 40. nu. 36.

Beati oculi qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi Prophetæ & reges, &c. cap 38. nu. 16. cap. 35 nu. 5. cap. 40. n. 9. cap. 30. nu. 34.

Multi reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. cap. 52 nu 18. cap. 53. num. 4.

Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? cap. 58. nu. 2.

Qui deſcendens ab Hieruſalem in Hierico. cap. 33. nu. 1.*

Et videns eum, miſericordia motus eſt. cap. 30. num. 47.

Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. cap. 58 nu 9. *cap. 11.*

In Belzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. cap. 34. nu. 7. cap. 59. num. 14. cap 50. num. 3.*

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet, &c. cap. 49. nu. 23.*

Cum immundus ſpiritus exierit de homine ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, &c. cap. 37. nu. 6.

Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, &c. cap. 34. nu. 11.

Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, &c. cap. 43. nu. 11 cap 51 nu 9. *cap. 12.*

Nolite ſoliciti eſſe, qualiter, aut quid reſpondeatis, &c. cap. 41. nu. 15.

Cogitabat intra ſe dicens. Quid faciam. cap. 29. num. 14.

Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit, &c cap. 38. num. 15.

Nolite timere puſillus grex, quoniam placuit Patri veſtro dare vobis regnum. cap. 60. n. 24.

Quis putãs eſt fidelis diſpenſator, & prudens. cap. 30. nu. 12.

Seruus qui non cognouit voluntatem domini ſui, & facit digna plagis. cap. 30. nu. 11.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, &c. cap 45 n. 3.*

Ideo, & vos eſtote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet. cap. 38. nu. 2.

Ille autem ſeruus qui cognouit voluntatem domini ſui, &c. cap. 34 nu. 6.

Baptiſmo autem habeo baptizari. cap. 30. nu. 35.

Domine dimitte illam: & hoc anno. cap. 28. num. 21. *cap. 13.*

Grano ſinapis quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus. cap. 28. nu. 37.

Dicere inuitatis, vt venirent. cap. 41. num. 10.

cap. 15. Dimiſit nonaginta nouem in deſerto. cap. 40. num. 23.
Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. cap. 35. nu. 35 nu. 12. cap. 29 nu. 34. cap 55. nu. 34.
Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe. cap. 62. n. 5. cap. 50. nu. 1.
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c. cap. 55. nu. 10.
Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus. cap. 59 nu. 13.
Indignatus eſt, & nolebat introire. cap. 43. n. 7. cap. 29. nu. 19. *
cap. 16. Vt hortetur illos, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum: cap 38. nu. 23.
Qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. cap. 47. num. 2. cap. 30. nu. 52.
Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis cap. 29 nu. 28.
cap. 17. Ite & oſtendite vos ſacerdotibus. cap. 43 n 24.*
Cum feceritis quæ præcepta ſunt vobis. ca 30. num. 49.
cap. 18. Duo homines aſcenderunt &c. ca. 29 num 23.
Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum. cap. 30. nu. 26. c. 58. nu. 3.
Nemo eſt qui relinquat domum, aut vxorem. cap. 30 nu 48.
Ecce aſcendimus Hieroſolymam. cap. 32. nu 4.
cap. 19. Videns ciuitatem, fleuit ſuper illã, dicens. Quia ſi cognouiſſes & tu. cap. 29. nu. 7. cap. 61. n. 2. cap. 49. num. 6. *
cap. 20. Amplius non audebant eum quidquam interrogare. cap 49 nu. 3.
cap. 21. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. cap. 49 nu. 3. cap. 59 nu. 16.
Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. cap. 34 nu. 12.
cap. 22. Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis. cap. 34. num. 3.
Ego pro te rogaui, Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. cap. 59 nu. 22.
Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum a me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. cap. 40. nu 27.
Orate, ne intretis in tentationem: & ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis. cap. 40. num. 6.*
cap. 23. Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtrã, & prohibentem tributum dari Ceſari. cap. 59. num. 14.
Quid enim mali fecit iſte, nullam cauſam mortis inuenio in eo. cap. 53. nu. 7.
Filiæ Hieruſalẽ nolite flere ſuper me. c. 32. n. 10
Si in ligno viridi hæc faciunt. cap. 32. nu. 12
Tollet, tolle, crucifige eum. cap. 50 num. 14 cap. 57. nu. 7.
Si filius Dei es, libera te. cap. 50. nu. 11.
Neque tu times Deum, quia in eadem damnatione es, &c. cap. 50. n. 11. cap. 50. nu. 5. *
Domine ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. cap. 35. nu. 2. cap. 50. nu. 13.
Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meũ, &c. cap. 42. num. 3.
Ieſus voce magna emiſit ſpiritum, &c. cap. 53. num. 5.
Obſcuratus eſt Sol. cap. 30. nu. 48.
Centurio, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, &c. cap. 53. nu. 5.
Qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo. cap. 49. num. 3. * cap. 24.
O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ, &c. cap. 43. num. 8.
Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? cap. 49 nu. 3.
Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno, &c. cap. 51 nu. 4.
Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. cap 52. nu 9.
Pax vobis, ego ſum, nolite timere: Conturbati vero, & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre, &c cap. 49. nu. 15.

## EX EVANGELIO IOANN.

IN principio erat verbum. cap. 29. num. 16. cap 35. nu. 10 cap. 48. nu. 8. cap. 1.
Omnia per ipſum facta ſunt. cap. 34. nu. 13. cap. 56 num. 4.
Et vita erat lux hominum. cap. 30. nu. 47.
Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. cap. 40. nu. 8.
Hic venit in teſtimonium: vt teſtimonium perhiberet de lumine, &c. cap. 40. nu 10
Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. cap. 59. num. 10. cap. 60. nu. 1. 23. cap. 30. nu. 47.
In propria venit, & ſui eum non receperunt. cap. 50. nu 2. cap. 60. nu. 2.
Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, &c. cap. 40. num. 15. cap. 60. nu 2.
Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c. cap. 42. nu 12.
Et verbum caro factum eſt. cap. 30. nu. 44. 45. cap 35. nu 5. cap. 40. nu. 17. cap. 45. nu. 8.
Vidimus gloriam eius. cap. 40. nu. 16.*

De



De plenitudine eius nos omnes accepimus. cap. 33. nu. 13.
Tu quis es? Ego vox clamantis in deſerto, &c. cap. 40. nu. 8.
Quia non ſum ego Chriſtus. cap. 33. nu 5. cap. 62. num. 6.
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. cap 40. nu. 20. cap. 44. nu. 12. cap 53. nu 6. *
Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. cap. 41. nu. 19.
cap. 2. Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, &c. cap. 50 nu 10. cap. 28. nu. 6. cap. 29. nu. 4. 8. cap 30. nu 40.
Quod ſignum oſtendis nobis, vt videamus, & credamus. cap. 59 nu. 11.
cap. 3. Quomodo poteſt homo naſci cũ ſit ſenex? numquid poteſt, &c. cap 42 nu. 14.
Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, &c. cap. 43. nu. 5.
Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. cap 43. nu. 12.
Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem nõ credit, iam iudicatus eſt, &c. cap. 45. nu. 15.
Qui enim eſt de terra, de terra eſt. cap 30. num. 37.
Non ad menſuram dat Deus ſpiritum. cap. 51. num. 17.
cap. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, &c. cap. 43. nu. 14. cap. 48. nu. 14 cap 35. nu 10. *
Vade, voca virum tuum. cap. 39. nu. 5.
Bene dixiſti, quia non habeo virum, &c. cap. 41. nu. 19
Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet. cap. 37. nu. 8.
Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate, &c. cap. 37. nu 8.
Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. cap 41. nu 19.
Numquid aliquis attulit ei manducare? cap. 3 . num. 6.
Ego alium cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. cap 28. nu. 35. cap. 3 . nu. 6. *
Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. cap. 40. num. 22.
Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis. cap. 28. nu 36.
Et vos in labores eorum introiſtis. cap. 28. num. 36.
cap. 5. Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium, &c. cap. 30. nu. 21.
Ego non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. cap. 61. nu. 1.
Ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me. cap. 61. n. 1.
Ille erat lucerna ardens & lucens cap 40. nu. 8.
Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ad inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? cap. 59. nu. 2. cap. 56. num. 11. *
Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis, ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. cap. 42. nu 21.
Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. cap 30. nu. 41. cap. 40 nu 41.* cap. 6.
Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet. cap. 30. nu. 31.
Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. cap. 55. nu. 5.
Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, &c. cap. 49. nu. 12.
Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me, &c. cap 55. nu. 5.
Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. cap. 30. nu 32.
Spiritus viuificat: caro autẽ non prodeſt quicquam. cap. 31 nu. 3.
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. cap. 45 nu. 17. cap 55 nu. 1.
Numquid & vos vultis abire? cap. 32. nu. 3. cap. 50. nu 6.
Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit. cap. 50 nu. 6. cap. 7.
Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me Patris. cap 59. nu. 21.
Ego ſcio eum quia ab ipſo ſum, & ipſi me miſit. cap. 61. nu 1.
Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, qui credit in me (ſicut dicit Scriptura) flumina de ventre eius, &c. cap. 35. num. 10 cap 44. num. 2. cap. 49. num. 12. cap. 55. num 1. cap. 48 num. 14. *
Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Ieſus fuerat glorificatus. cap. 45 nu. 4.
Numquam ſic loquutus eſt homo, ſicut hic loquitur. cap. 50. nu. 6.
Ego ſum lux mundi. cap 60 nu 1. cap. 8.
Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vmquam cap 56 nu. 3. cap 28 nu. 16 26.
Ego principium, qui & loquor vobis. cap. 44. num. 8
Quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper. cap 48 nu. 9
Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. cap. 49 num 5.
Tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo

 facio

facio nihil, &c. cap. 52. num. 8.
Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati cap. 52. num 4.
Nos ex fornicatione non ſumus nati, vnum patrem habemus Deum. Dixit eis Ieſus, ſi Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me, &c. cap. 57. nu. 6.
Ego ex Deo proceſſi, & veni: neque enim à meipſo veni, ſed ille me miſit. cap. 48. n 10. cap. 61. nu. 1.
Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, &c. cap 57. nu 7.
Ille homicida erat à principio. cap 57. nu. 14.
Nunc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis loquutus ſum c. 43 n. 9.
Veritatem vobis loquutus ſum, quam audiui à Deo. cap 59 nu 21.
Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. cap. 28. num 16.
Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor. cap. 43. nu. 9.
Quis ex vobis arguet me de peccato? cap. 50. num. 11.
Samaritanus es, & dæmonium habes. cap. 57. nu 7. cap 59. num. 14. cap. 42. num 8. cap. 50. num. 3 *
Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet. cap. 49. nu. 5.
Abraham pater veſter exultauit, vt videret diẽ meum, vidit, & gauiſus eſt. cap. 38. nu. 16.
Antequam Abraham fieret, ego ſum. ca 44. n 5.
cap. 9. Me oportet operari opera eius. cap 33 nu 3
Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, &c. cap. 38. num. 26.*
In iudicium ego veni in mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. cap. 42. nu 2. 17. cap. 28 nu 18. cap 29. nu. 27.
Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit. cap. 28. num. 23.
cap. 10. Ego ſum paſtor bonus cap. 40. nu. 23
Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. cap 28 nu. 20. cap. 32. nu. 15. cap. 41. n. 22. cap. 56. nu 8. cap. 60. nu. 25.*
Vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. cap. 52. num. 16.
Quouſque animam noſtram tollis, cap. 29 nu. 20. cap. 59. nu. 11.
Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, &c. cap. 35. nu 8.
Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, &c. cap. 43 num 10. cap. 62. num. 3.
Pater quod dediſti mihi, maius omnibus eſt. cap. 42 nu. 13.
De bono opere non lapidamus te. cap. 30. num. 10.
Ioannes quidem nullum ſignum fecit. cap. 29. num. 37.
Quid facimus quia hic homo. cap. 29. nu. 17. cap. 11. cap. 30. nu. 1 cap. 59 nu. 4. 5.
Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, &c cap. 59. nu. 5.
Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. cap. 56. nu 13. cap. 60. nu. 25. cap. 59. nu. 4. 9
Cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, &c. cap. 41 nu. 22. cap. 56. nu. 8.
Quia Ieſus moriturus erat pro gente, & non pro gente tantum, &c. cap. 43. n 6.
Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cap. 12. cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, &c. cap 45. nu. 8 cap 53. num. 7. cap 55. nu. 16. cap. 60. nu 25.*
Et clarificaui, & iterum clarificabo. cap. 55. num. 10
Nunc iudicium eſt mundi. cap. 30 num. 21. cap. 11. cap. 32. nu 7 cap. 33. nu. 20. cap 42. n. 2. 8. cap. 45. num 12.
Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. cap. 32 nu 7.
Ambulate dum lucem habetis. cap. 29. num. 20. cap. 30 num. 37. cap. 50. num. 14. cap. 60. num. 1.
Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: vt ſermo Iſaiæ impleretur, quem dixit, &c. cap. 53. nu. 1.
Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos cap. 38. nu. 19.
Domine non tantum pedes, ſed & manus, & caput, &c. cap. 52 nu. 6.
Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. cap. 52. nu. 2.
In hoc cognoſcent omnes, quia vere mei di- cap. 14. ſcipuli eſtis. cap 29. num. 16. cap 24 num. 4.
In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. cap. 34. nu. 6.
Ego ſum via, veritas, & vita. cap. 43. nu. 14. cap. 48. nu. 11. cap. 55. nu. 5. 8.
Qui videt me, videt & Patrem meum. cap. 38. num. 19.
Et maiora horum faciet. cap. 33. nu. 19.
Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis. cap. 30 nu. 46. cap. 40 nu. 1. cap. 42. nu. 10 cap. 59 num 22.*
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, &c. cap. 35. nu. 12.





Ille vos docebit omnia. cap. 30. num. 33.
Pacem relinquo vobis, &c. cap. 41. nu 4. cap. 57. num. 19.
Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. cap. 50. nu. 11.
cap. 15. Et Pater meus agricola eſt. cap. 28. nu. 33 cap. 61. num. 3.
Sine me nihil poteſtis facere. cap 43. nu. 17.
Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis. cap. 49 num 2. cap. 30. num. 29.*
Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet. cap. 61. nu. 3.
Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, &c. cap. 41. nu. 15.
Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. cap. 52. nu. 14.
Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem, vobis odio habuit. cap. 41. nu 8. cap. 49. n. 9. cap. 51. nu. 8.
Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. cap 28. nu 18.
Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, &c. cap. 48. nu. 10.
cap. 16. Ipſe arguet mundum de peccato. cap 40 nu. 5.
Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c. cap. 41. num. 24.
Ille me clarificabit, quia de me accipiet, & annunciabit vobis. cap. 48. nu. 10.
Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis, &c. cap. 30 nu 23.
Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. cap. 35. nu. 1.*
In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum. cap. 48. nu. 9.
cap. 17. Ego te clarificaui ſuper terram. cap 28. nu. 30. cap 49. nu. 6 cap. 55 nu. 10.
Opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciã. cap. 49. nu 6. cap. 40. nu. 22.
Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos. cap. 56. nu. 9. cap. 30. nu. 49.
Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis, &c. cap. 57. num. 7.
Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, &c. cap. 56. nu. 9
cap. 18. Cum autem dixit ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. cap. 42. nu. 5. cap. 28. num. 14.*
Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. cap. 42. nu. 5.
Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. cap 40. num. 36.
Ego palam locutus ſum mundo. cap. 33. nu. 6. cap. 45 nu. 16.
Regnum meum non eſt de hoc mundo. cap. 48. num 40.
Ego nullam inuenio in eo cauſam cap. 50. n. 11.
Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper cap. 19. caput Ieſu. cap. 28. nu. 2.
Ecce homo. cap. 40. nu. 20. cap. 50. nu. 9. cap. 53. num. 3.*
Neſcis quia poteſtatem habeo occidere te, & poteſtatem habeo dimittere te? cap. 56. num. 10.
Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit. cap 32. nu. 4.
Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua, &c. cap. 43. num. 8. cap. 30. nu. 31. cap. 48. nu 14.*
Vidit in monumento linteamina, non tamen cap. 20. introiuit. cap 43. nu. 7.*
Erant congregati propter metum Iudæorum. cap. 32. nu. 4.
Gauiſi ſunt diſcipuli, viſo Domino. cap. 51. num. 4.
Inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum ſanctum. cap. 42. nu. 2. 10. cap. 57. num. 16.*
Vidimus Dominum. cap. 33. num. 13. cap. 52. num. 9.*
Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. cap. 43. nu. 8. cap. 61. nu. 4.
Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c. cap. 43. nu. 8.
Dominus meus, & Deus meus. cap. 42. nu. 15.

## EX EPISTOLA AD *Romanos.*

Paulus ſeruus Ieſu Chriſti. cap. 49. num. 5. cap. 1. cap. 45. nu. 14.
Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid, ſecundum carnem, &c. cap. 45. nu. 4.*
Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, &c. cap 42. nu. 1. cap. 43. nu. 9.*
Teſtis enim mihi eſt Deus. cap. 62. nu. 8. cap. 37. num. 8.
Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem. cap 30. num. 40. cap. 49. num. 2.*
Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, &c. cap. 40. nu. 30.
Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, &c. cap. 40. nu. 30. cap. 34. nu. 6 cap. 44. nu. 10.
Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. cap 38. num. 23.

Propter quod, & tradidit illos Deos in deſideria cordis eorum, in immunditiam,&c. cap. 34.nu.13.cap.63 nu 17.
Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione,auaritia,nequitia,&c cap.59 nu.7.
cap. 2. Quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. cap.30.nu.8.
An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ,& longanimitatis contemnis? cap 29.nu 6
Theſaurizas tibi iram in die iræ. cap. 30. num. 52.
Reddet vnicuique ſecundum opera eius; ijs quidem,qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, &c. cap.34.nu 6.
Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. cap.42 nu.21.
Quicumque in legem peccauerunt, in lege iudicabuntur. cap 58. nu 2.
Qui alios doces, te ipſum non doces. cap.30. num.34.
cap. 3. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt,&c. cap. 59. num. 9.
Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. cap. 60 nu.1.cap.43.nu.19.
Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. cap.37. nu.9.
cap. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. cap. 43.num.17.
Vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt cap.41.nu.19
Lex iram operatur. cap.35.nu.13. cap 42.n 9.
Contra ſpem in ſpem credidit. cap. 41. num 2. cap.51. nu.1.
cap. 5. Spes autem non confundit. cap.28.nu 22.
Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.cap 28.nu.36.
Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, &c. cap.55 nu.8. cap.41.nu.10.
Regnauit mors ab Adam, vſque ad Moyſen, &c. cap.52.nu 8.
Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternã per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. cap 52.nu 8.
cap. 6. Neſcitis quoniam cui exhibebitis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obediſtis; ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? cap.52.nu.4.
Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra iam non dominabitur, &c cap 53.nu.7.
cap. 7. Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. cap.40.nu.5.
Video autem aliam legem in membris meis. cap.32.nu.12.cap 52 nu.3.cap 57 nu 19.
Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, iterum in timore. cap.30.nu 24. cap. 8.
Si autem filij,& hæredes,hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. cap 57.nu.5.
Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. cap.28.n.34.*
Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. cap 57. nu.5.
Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei. cap 37.nu. 6
Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram,&c.cap. 48. nu. 11.
Miſit Deus filium ſuum in mundum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato cap. 43.nu.14.cap.40.n.57.
Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei cap. 57.nu.16.cap.63.nu.14.*
Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri, &c. cap.41.nu.9. cap.43 nu.5.cap. 44.num.4.
Qui ergo proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non,&c cap.40.n.7.cap.49.n.15. cap.55 n 8.
Si Deus pro nobis, quis contra nos? cap. 41. nu.11.cap.50.nu.11.
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti.cap.32. num.15 cap 43.num.2.
Veritatem dico in Chriſto Ieſu,non mentior. cap. 9 cap.33.nu.7 cap.41.nu.17. cap.60 nu 6.*
Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex circũciſione ſunt Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ. cap.49.nu.8. cap.41.nu.8.
Cum nõdum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent,aut mali,&c cap.40.nu.37.cap.44 nu.1.
Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt. cap.30.nu.22.cap.41.num.10.*
Non eſt volentis,nec currentis,ſed Dei miſerentis. cap.33.nu.2.cap.61.nu.9.*
Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? cap. 29.n.31.
O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? &c. cap.45.nu.10.
Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtenderem, &c. cap.63. nu.13.
Aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. cap.43.nu.6.17.
Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam,ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum,&c. cap. 60. nu.14.
Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. cap.34 nu 13.
Vocabo non plebẽ meam,plebẽ meã.c.29.n.27
Quos & vocauit non ſolum ex Iudæis, ſed etiã ex gentibus, ſicut in Oſee dicitur. Vocabo non plebem meam, plebem meam, &c. cap.55.nu.10.
Numquid Iſrael non cognouit? cap.29. nu.19.
Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali. cap.28 nu. 22.*
cap. 10. Voluntas quidem cordis mei, & obſecratio. cap.33.nu.7. cap.41.num.17. cap.49.num.6. cap.62.nu.8.*
Teſtimonium perhibeo illis. cap.29.nu.26.
Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.cap.59.nu 10.*
Finis legis Chriſtus in ſalutem omni credenti. cap 38 nu.13.19.cap.40.nu.6.cap 42 nu.23.
Ore confeſſio fit ad ſalutem. cap 43. num.22. cap.44.nu.4.
Non enim eſt apud Deum diſtinctio Iudæi, & Græci. cap.40 nu 14. cap.43. nu.6. cap.56. num. 38.
Idem Dominus omnium, diues in omnibus qui inuocant illum, &c. cap 43.nu 17.
Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. cap.44 nu.4. cap.30. nu.22.*
Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? cap.43 nu.7.cap.52 nu.6.
Sed non omnes obediunt Euangelio cap. 53. num. 1.
Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. cap.28 nu.26.
Nolo enim vos ignorare fratres myſteriũ hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes,&c. cap 59. num 12.
Qui diues eſt in omnibus qui inuocant illum. cap.30.nu.27.
Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant. cap. 43. nu.17.*
cap. 11. Si autem gratia,iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia. cap.35.nu.10. cap. 43.nu.17 cap.55.n.1 *
Quod quærebat Iſrael,hoc non eſt conſecutus. cap.29.nu.18.
Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. cap.59 nu.20.
Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? vobis enim dico gentibus, &c cap.55.nu.10.
Noli gloriari aduerſus ramos,&c. cap. 41 num. 11.*
Fracti ſunt rami, vt ego inferar. cap.35. nu.1.
Quia cecitas ex parte contigit in Iſrael. cap. 32.nu.14.cap.49.nu.8.cap.59.nu.20.
Donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis, &c. cap.29.nu 36.
O altitudo diuitiarum ſapientiæ. cap 29.n.30. cap 40 nu 24 cap.55.nu.2
Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? cap.28. nu 17.cap.30 nu 22 cap.55.nu.2.
Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula, amen. cap. 44. num. 15.
Nolite conformari huic ſæculo cap.62.num.7. cap. 12.
Sicut corpus vnum eſt,& membra habet multa, &c. cap. 6.nu.9.
Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt,cum omnibus hominibus pacem habentes, &c. cap.42. n.6. cap. 52. nu.7.
Vis non timere poteſtatem? bonum fac & habebis laudem ex illa,&c. cap 51.nu.16. cap. 13.
Qui diligit proximum,legem impleuit. cap.30. num. 29.
Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, &c vſque, in deſiderijs. cap 49.nu 10 cap.55.nu 11.cap.56.nu 1.*
Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. cap. 38.num 16.
Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum cap 42.nu.5. cap. 14.
Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? &c. cap.41.nu.11.
Non eſt regnum Dei eſca, & potus. cap. 32. num. 16.
Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, &c. cap.45.nu 18.
Debemus autem nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere. cap.42 nu.5. cap. 15.
Omnia quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c. cap.3 . num.5. cap.52.num.5.
Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis,&c cap.42.nu.4.cap.59.n.17.
Et qui exurget regere gentes,in eum gẽtes ſperabunt. cap.42.num 9

## *EX PRIMA EPISTOLA AD Corinthios.*

cap. 1. Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti,Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis ſanctis.c.60.n.23
Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, &c. cap 55.nu.16 cap.61.nu.6.
In omnibus diuites facti eſtis. cap.33.nu.18.
Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, &c. cap.52.nu.9.
Nam quia in Dei ſapientia,non cognouit mun-

…dus per ſapientiam Deum; placuit Deo, &c. cap.49.nu.20.
Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum. cap.29.nu.21
Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam cap 53 nu.1.cap.43.nu.14.
Ipſis autem vocatis, &c cap.41.nu.10.
Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt. cap.29.nu.28.
Qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia. cap.53 nu 2.
Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. cap.33.nu 15.
Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt. c.29.n.16.
Factus eſt nobis iuſtitia ſanctificatio, & redemptio. cap.28 nu 22. cap.32.nu 1.15. cap.40. nu.4.cap 41.nu.4.cap.46 nu 8.
Qui gloriatur, in Domino glorietur c.39.n.6.*
cap. 2. Sapientiam autẽ loquimur inter perfectos, &c. vſque. cognouit. cap 40.nu.2.
Loquimur Dei ſapientiam in myſterio. cap.29. num. 21.
Si enim cognouiſſent, numquam, &c. cap.53. num. 5.
Nobis autem reuelauit per Spiritum Sanctum. cap.53.num.1.
Quod oculus non vidit, nec aures audiuit. cap. 29.nu.21.15.cap.35.nu.16. cap.40.nu.2.29. cap.54.nu.vltimo.cap.30.nu.25 *
Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei cap.42.nu.10
cap. 3. Non potui vobis loqui, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. cap 40 nu 2.
Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis. cap 50 nu.7 cap 60 nu.5.
Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. cap.60.nu.23.
Dei adiutores ſumus. cap.61.nu 4.6.
Dei agricultura eſtis, Dei edificatio eſtis. cap. 28.nu 24.cap.49 nu.16.cap.60.num.13. cap. 61.num 3.*
Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui. cap.61.num.4.
Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundũ proprium laborem. cap.28.nu 23. cap.49. nu.6.
Fundamentum aliud nemo poteſt ponere. cap. 28 nu.20.
Lignum, fœnum, ſtipulam. cap.30.nu.52.
Templum enim ſanctum eſt, quod eſtis vos. cap.37.nu.8.cap.52.nu.15.
Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, &c. cap. 55.num.9.
cap. 4. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadvſque veniat Dominus. cap.30.nu.8.
Et tunc laus erit vnicuique. cap.57.nu.19.
Quis enim te diſcernit? &c. cap.41. num 14.
Quid habes quod non accepiſti? cap.30 nu 22. cap 41 nu 14. cap.43. nu.17. cap 50.num.8. cap 54.nu vltimo. *
Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & collaphis cædimur, &c. cap. 49.num 8.
Tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus. cap.32.nu.4
Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium meum ego vos genui. cap.40.nu 23.
Cum huiuſmodi, nec cibum ſumere.c.33.n.16. cap. 5.
Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. cap.52.nu.13.
Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. cap.58.nu.3. cap. 6.
An neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, &c cap.52 nu.15.
Nam qui in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini. cap.45 nu 14. cap. 7.
Igitur, & qui matrimonio iungit virginem ſuã, bene facit, & qui non iungit, melius facit. cap.56.nu.5. *
Scimus quia nihil eſt idolum in mundo, &c. cap.41.nu 21.cap.44 nu.8.* cap. 8.
Scimus quod nullus eſt Deus niſi vnus. Nam & ſunt qui dicantur dij, ſiue in cælo, ſiue in terra, &c. cap.44.nu.15.
Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam infirmam, &c.cap 57.nu.14.
Nõ alligabis os boui, tunc triturãti c.30.n.42. cap. 9.
Numquid enim de bobus cura eſt Deo. cap.30. num. 42.*
Qui Euangelium annunciat, de Euangelio viuat, &c. cap.56.nu 13.
Quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes mare tranſierunt, &c.cap.48. n.14. cap. 10.
Petra autem erat Chriſtus. cap.42.nu.15.cap. 40.nu.41.cap.51.nu.1.*
Neque tentemus Chriſtum. cap.30 nu.16.
Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. cap.57.nu.8.
Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur, vos tentari. cap.32 nu.12.cap.51.nu.17.*
Qui ſtat, videat ne cadat. cap.33. nu.15. cap. 60. num. 6.
Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. cap.28.nu.27.
Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. cap.30.nu.8.
Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt. cap. 29. num. 12. cap. 11.
In qua nocte tradebatur, accepit panem. cap. 30.nu.32.
Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.cap.55.nu.5.*

Hoc



Hoc facite in meam commemorationem. cap. 30.num 32.
cap. 12. Alij genera linguarum, &c. cap.40.nu.36.
Omnia autem hæc operatur vnus, & idem ſpiritus, &c. cap.30.nu. 22.
Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. cap 49 nu.8.
Aemulamini autem chariſmata meliora, & ad huc excellentiorem viam vobis demonſtro. cap 35.nu.13.
cap. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. cap. 44.nu.4.
Sed cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, &c. cap. 28.nu. 36.
Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus. cap.61.nu.41.
cap. 14. Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia. cap 35.nu.13.
In lege autem ſcriptum eſt, quoniam in alijs linguis, & in labijs alijs loquar populo huic. cap.28 nu.11.*
Non enim eſt diſſenſionis Deus. cap.32.nu.16.
cap. 15. Nouiſſime autem omnium tamquam abortiuo viſus eſt & mihi. cap.45. nu 5.
Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, &c. cap. 60. num. 25.
Gratia autem Dei ſum id quod ſum. cap. 30. nu 22.cap.43.nu 17.cap.45.n 5.cap.50.n.8.*
Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. cap. 30.num.49 *
Euigilate iuſti & nolite peccare. cap.49.n.10.
Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. cap 57.nu.16. *
Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, &c. cap. 40. num. 40.

## EX II. EPISTOLA AD *Corinthios*.

cap. 1. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, &c. cap.38.nu.9.cap 40.nu.1.cap 51.nu.13.
Fidelis Deus qui non patietur vos tentari, &c. cap.28.num 33.
cap. 2. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, ca 60. num.8.cap.35.num 2. cap.41.nu.18.cap.55. num.18. *
cap. 3. Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur, &c. ca.40.n 14.
Non quod idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. cap.43.nu.17.
Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, nõ littera, ſed ſpiritu, littera enim occidit. cap. 61.nu.1.
Littera occidit, Spiritus autem viuificat. cap. 30.num.46.
Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, &c. cap.45.n.16.
Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur, &c. vſque auferetur velamen c.42 n.26.
Adhuc velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. cap 29.nu.17.36 *
Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, &c. cap 35.nu.5.c.40 nu.14.
In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur. cap 59.nu 16 cap. 4.
Habemus enim theſaurum iſtũ in vaſis fictilibus. cap.41.n 12.c.52.n 15.cap.45.n.10.*
Quoniã licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, &c. vſque. æterna ſunt. cap. 49. num. 12 *
Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, &c c.51.nu.17.*
Quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. cap.62.n.14. c.29.n.20. cap. 5.
Vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, &c. cap.40. num. 40
Quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. cap.45. n.2. c.52 n.7.
Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua. cap.42.nu 14 cap.65.num.13.*
Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. cap.33. nu.7.
Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. cap.40.nu.5.
Hortamur vos, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. cap 49.nu.10. cap. 6.
Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. cap.49 nu.10. cap.55. nu 11. cap.60. nu.25 cap 61 nu.2.*
Sicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, &c cap 49.nu 12.
Qua ſi triſtes, ſemper autem gaudentes, quaſi egentes, multos autem locupletantes, &c. cap. 51.nu 12.
Nolite iugum ducere cũ infidelibus, quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? &c. cap.52.nu 12. cap 28 nu.27.
Scripſi vobis ad manifeſtandam ſolicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo, cap.60 nu.12 cap. 7.
Altiſſima pupertas eorum abundauit. cap. 32. num 21. cap. 8.

Propter nos egenus factus eſt. cap. 30. num. 27.
Abundantia veſtra aliorum inopiam ſuppleat.
cap. 32. nu 22.
cap. 9. Qui parce ſeminat, parce & metet c. 32. n. 21.
Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo. cap.
32. num. 21.
Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti. cap.
32. num. 21.
cap. 10. Parati ſumus omnem inobedientiam vlciſci,
cum completa fuerit veſtra obedientia. cap.
42. num. 8.
Quoniam quidē epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt
& fortes. cap. 60. num. 25.
Nos non in immenſum gloriabimur, ſed ſecun-
dum menſuram regulæ, qua menſus eſt no-
bis Deus, &c. cap. 45. nu. 5.*
cap. 11. Nam huiuſmodi Pſeudoapoſtoli operarij ſubdo
li transfigurantes ſe. cap. 30. nu. 45.
In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame
& ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nudi-
tate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, &c.
cap. 30. nu. 12.
In laboribus plurimis, in carceribus abundan-
tius. cap. 32. nu. 19.
Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c. c. 53.
nu. 1. cap. 60. nu. 6.
cap. 12. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuor-
decim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, ne-
ſcio, &c. cap. 43. nu. 10. cap. 45 nu. 5.
Audiuit arcana verba, quæ non licet homini
loqui. cap. 35. nu. 16.*
Et ne magnitudo reuelationum extollat me, &c.
cap. 28. nu 17 cap. 32. nu. 12.
Ego enim a vobis debui cōmēdari, &c c. 45. n. 5.
cap. 13. An experimentum quæritis eius, qui in me lo-
quitur, Chriſtus? cap. 40. nu. 2. 11.
Mortuus quidem eſt ex infirmitate. ca. 30 n. 33.
cap. 14. Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, ſicut & in
omnibus Eccleſijs, &c. cap. 60. nu. 23.
cap. 16. De collectis aūt, quæ fiunt in ſanctos, c 60 n. 23.

### *EX EPISTOLA AD GALATAS.*

cap. 1. QVi dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.
cap. 51. nu 17.
Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſ-
ſem. cap. 51. nu. 8.
Cum autē placuit ei qui me ſegregauit ex vte-
ro matris meæ, &c. cap. 49 nu. 1.
cap. 2. Quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectioni,
vt veritas Euāgelij permaneat apud vos, &c.
vſque. cogis Iudaizare. cap. 45. nu 5.*
In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.
cap. 42. nu. 25. *
Scientes autem, quod non iuſtificatur homo
ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chri-
ſti, &c. cap. 33. num. 13.
Quod autem nunc viuo in carne: in fide viuo
Filij Dei qui dilexit me, & tradidit ſemet-
ipſum pro me. cap 43 nu. 5.*
Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi cap. 3.
ad iuſtitiam. cap. 41. nu. 2.
Ordinata per Angelos in manu mediatoris. ca.
42. num 27.
Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, &c.
vere ex ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit
Scriptura, &c. cap 35. nu. 13.
Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato: vt
promiſſio, &c. cap. 42. nu. 12. cap. 43. nu. 1.
Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis,
Chriſtum induiſtis. cap. 56. nu 3.
Quanto tempore heres paruulus eſt, in nihilo
differt à ſeruo. cap. 43. nu. 18. cap. 4.
Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filiū
ſuum, factum ex muliere, &c. cap. 43. nu. 12.
cap. 40. nu. 1.
Filioli mei, quos iterum parturio, donec for-
metur Chriſtus in vobis. cap. 34. nu. 11. cap.
40 nu. 23.*
Donec Chriſtus formetur in vobis. cap. 60. n. 5.
Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare, &c.
vocem meam. c 28. n. 11. c. 61. n 7.
Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prode- cap. 5.
rit. cap. 52. nu 2.
Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum. cap.
32. num. 12.
Fructus autem ſpiritus eſt charitas. ca 32. n. 16.
Fratres etſi præoccupatus fuerit homo in ali- cap. 6.
quo delicto, &c. cap 42. nu. 5.
Nolite errare, Deus non irridetur. cap. 28. n 31.
Bonum autem facientes non deficiamus; tem-
pore enim ſuo metemus non deficientes cap.
42. nu 42 cap. 32 nu. 21.
Mihi mundus crucifixus eſt. cap. 28 nu. 31. cap.
33. num. 14.*

### *EX EPISTOLA AD EPHESIOS.*

INſtaurare omnia in Chriſto. cap. 61. nu. 4. cap. 1.
Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum,
&c. cap. 42. nu. 1
Ipsū dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ
eſt corpus eius, &c. cap. 37. num. 13. cap. 52.
num. 17.
Propter nimiam charitatem qua dilexit nos. cap. 2.
cap. 30. nu. 21. cap. 59. nu. 18.
Eramus enim omnes natura filij iræ. c. 43. n. 5.
Vt in ſæculis ſuperuenientibus oſtenderet abū-
dantes diuitias gratiæ ſuæ, &c. cap. 43. n. 18.
Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vo
bis, Dei enim donum eſt, &c. cap. 52. nu. 21.
Qui conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit
in cæ-



in cæleſtibus. cap. 58. num. 14.
Memores eſtote, quod aliquando vos gentes in
carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ
dicitur circumciſio in carne manu facta, &c.
cap. 49. nu. 13.
Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquan-
do eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine
Chriſti. cap. 57 nu. 19 cap. 60 nu 5. *
Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui lon-
ge fuiſtis, & pacem ijs qui prope. cap. 51.
nu. 6 cap. 52. nu. 6. cap. 57. nu. 19.*
Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnū:
& medium parietem maceriæ, ſoluens inimi
citias in carne ſua. cap. 38. nu. 3. cap. 52. nu.
7. cap 57. nu. 19. *
Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, cap 28. nu.
20. cap. 44 nu 16. cap. 60 n. 17.
cap. 3. Quod alijs generationibus non eſt agnitum.
cap. 29. nu. 21. cap. 42. nu. 12.
cap. 4. Vnicuique autem veſtrum data eſt gratia ſe-
cundum menſuram donationis Chriſti. cap.
49 nu. 8.
Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c.
cap. 41. nu 24.
Deſcendit primum in inferiores partes terræ.
cap. 29 nu 16.
Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei.
cap 63. nu 10. *
cap. 5. Quod eſt idolorum ſeruitus cap 31. nu. 3.
Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illu-
minabit te Chriſtus. cap 49 nu. 10.
Fuiſtis enim aliquando tenebræ; nunc autem
lux in Domino. cap. 40 nu 40.
Nolite communicare operibus infructuoſis te-
nebrarum, magis autē redarguite c 32. n. 12.
Chriſtus dilexit Eccleſiā & ſemetipſum tradi-
dit pro ea, &c. cap. 52 nu. 1.
Semetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctifi-
caret, mundans eam lauacro aquæ in ver-
bo vitæ, &c cap. 49 num. 18.
Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiā. cap.
61. nu. 12.*
Non habentem maculam, aut rugam, aut ali-
quid huiuſmodi, &c. cap. 43. num. 18. cap 60.
nu. 13. 18. *
Nemo vmquam carnem ſuam odio habuit. cap.
58. num. 7.
cap. 6. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus
carnem, &c. cap. 41. nu. 12.
Contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. cap.
34. nu. 4.
Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere
in die malo, & in omnibus perfecti ſtare, &c.
cap. 52. nu. 15.
Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus,
quod eſt verbum Dei. cap. 49. nu. 2.

### *EX EPISTOLA AD Philippenſes.*

QVidam quidem, & propter inuidiam, & cap. 1.
contentionem, &c. cap. 42. nu. 3.
Diſſolui, & eſſe cum Chriſto. cap. 38. nu. 11.
Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſola- cap. 2.
tium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi
qua viſcera miſerationis, &c. cap. 61. nu. 7.
Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem
Deo. cap. 33. nu. 13. cap. 50. nu. 11. cap. 42 n. 1
In ſimilitudinem hominum factus, & habitu
inuentus vt homo. cap. 40 num. 12. cap. 43.
nu. 18. cap. 44. nu. 4 cap. 45. num. 14.
Exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens. cap. 29.
num 16.*
Obediens vſque ad mortem, mortem autem
crucis. cap 40. nu 12 cap. 46. nu. 7. cap. 49.
num. 7. cap. 50. nu. 8. cap. 53 n. 1.*
Propter quod & Deus exaltauit illum, & dona-
uit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,
&c. cap. 45. nu. 18. cap. 52. nu. 17. cap. 40. n. 32
In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium
terreſtrium, & infernorum, &c. cap. 49. nu. 9.
Cum metu & tremore veſtram ſalutem opera-
mini. cap. 33. nu. 5. 15. cap. 41. nu. 11.*
Deus eſt qui operatur in nobis velle & perfi-
cere cap. 28. nu. 8 cap. 30 nu. 22. cap. 33 nu.
2 cap. 45. nu. 18.
Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.
cap. 30. nu 48 cap 40. nu 36.
Videte canes, videte malos operarios, videte cap 3.
conciſionem. cap. 56. nu. 11.*
Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum
eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chri
ſti Domini mei, &c. cap 35. nu 13.
Nō quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim
fratres. cap. 30. nu. 25.
Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis ini-
micos crucis Chriſti, &c. cap. 44. nu. 5. cap.
57. nu 8.*
Quorum Deus venter eſt. cap 32. nu. 12.
Conuerſio noſtra in cælis eſt cap. 58. nu. 14.
Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſi- cap. 4.
mi, gaudium meum, & corona mea: ſic ſta-
te in Domino chariſſimi. cap 60 num. 6.
Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gau-
dete cap 51. num. 12.
Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.
Dominus prope, &c. cap. 56. nu. 1.
Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum. cap.
32. nu. 16.
Omnia poſſum in eo, qui me confortat. cap. 40.
num. 21. cap. 41. nu. 12.
Non quæro datum, ſed quæro fructum. cap. 56.
nu. 13.

Salu-

Salutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt. cap.60. nu.23.

EX EPISTOLA AD Coloſſenſes.

cap. 1. Paulus Apoſtolus iis qui ſunt Coloſſis ſanctis,& fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu gratia,vobis,& pax à Deo. cap.60.nu.23.

Gratias agimus Deo,& Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, &c. vſque. In veritate. cap. 30 num.40. cap.35. num 3.

Pacificans per ſuum ſanguinem,ſiue quæ in cælis,ſiue quæ in terris ſunt. cap.40.n.12. cap.42.nu.11.cap.57.nu.12.

Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis,& adimpleo ea quæ deſunt paſſioni Chriſti,&c.cap.38.nu.3.

cap. 2. Nam & ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum gaudens, & videns ordinem veſtrum,&c cap.60.nu. . cap.61.nu.7

In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.cap.45.nu.4. cap.55 nu 16.

In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. cap.29.nu 16 cap.52.nu 7.

Et eſtis in illo repleti. cap 33 nu.18.

Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, &c. cap 42.nu.16.

Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti,&c.cap.38.nu 16.

Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huiuſmodi. cap.29. nu.26.

cap. 3. Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens cap 33. nu 14.*

Quæ ſurſum ſunt,ſapite.cap. 28.num. 31.

Mortui enim eſtis,& vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. cap.37.nu.17. cap.41. nu.15.

Donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet.cap.3 . num. 47.

EX EPISTOLA I. AD Theſſalonicenſes.

cap. 2. Facti ſumus paruuli in medio veſtrum,tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos, &c. cap. 60. nu. 5.

Gratias agimus Deo ſine intermiſſione.cap.30 nu.40.cap 41.nu.10.

cap. 4. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli.cap.30.num. 49.

EX EPIST. II.

cap. 5. De temporibus autē,& momētis,fratres nō indigetis,vt ſcribā vobis. &c.c.38 n.2.

Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur, &c.cap. 60.nu.1.

Rogamus autem vos,fratres, corripite inquietos,&c cap.42 num.5.

Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos. cap.32. num.16.

EX EPISTOLA PRIMA ad Timotheum.

Qui prius blaſphemus fui, perſecutor, & contumelioſus,&c.cap.40.num.7.cap. 50. nu 13. cap. 1.

Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor,& gloria.cap. 42.num. 13.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione. cap. 37.num 8.cap.39. nu.8. cap. 2.

Qui vult omnes homines ſaluos fieri, &c. cap. 41.nu.11.cap.60.nu.23.*

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,vnius vxoris virum,ſobrium,prudentem &c.cap.56 nu.14. cap. 3.

Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana,& eos qui contradicunt redarguere.cap.58.nu. 1.

Diacones ſimiliter pudicos,non bilingues, non multo vino deditos,&c. cap.56.nu. 14.

Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum.cap 33 nu 7.

Fidelis ſermo,& omni acceptione dignus, &c. cap.5 .nu 6. cap. 4.

Forma eſto fidelibus cap. 30. nu.35.

Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem cap.30.nu.43. cap. 5.

Si ſanctorum pedes lauit.cap 60 n.23.

Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium,quia nec auferre quid poſſumus,ca.38, num.4. cap. 6.

Qui bene præſunt presbyteri cap.61 nu.8.*

Manus cito nemini impoſueris. cap. 58.nu.10.

Rex regum,& Dominus dominantium.cap.45. num.15

O Timothee depoſitum cuſtodi cap.32 n.20.*

Habentes alimenta,& quibus tegamur,his contenti ſimus.cap 38.nu.6.

EX SECVNDA EPISTOLA ad Timotheum.

Memor eſto Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe.cap.30.nu 7. cap. 2.

Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc:cognouit Dominus qui ſunt eius. cap.49.nu.36.*

Quædam vaſa in honorem:quædā vero in contumeliam. cap.60. nu.23.*

Mali homines, & ſeductores proficient in peius cap.30.nu.15. cap. 3.

Præ-



cap. 4. Prædica verbum opportunè,importunè, argue, obſecra,increpa,in omni patientia & doctrina.cap.32.nu.1.cap.58.nu.1.*

Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt,&c.cap. 30.num. 11.

Prurientes auribus.cap. 40.num. 3.

Bonum certamen certaui cap.61.num.11.

De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, &c. cap.55. num.2.cap 61.nu.12.

EX EPISTOLA AD TITVM.

cap. 1. Confitentes ſe noſſe Deum: factis autem negantes.cap 43.nu.11.

cap. 3. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei,non ex operibus, &c.cap. 40.nu. 4.7.14.cap.43 nu.17.*

Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. cap.45.nu 12. cap 60.nu 14.

Hæreticum hominem,poſt primam,& ſecundā admonitionem deuita.cap.33 nu.16.

EX EPISTOLA AD HEBRAEOS.

cap. 1. Multifarie multiſque modis, &c. cap.28. nu.11.cap.35 nu.5.cap.40 num 2 cap. 52.nu.5.*

Nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis, &c. cap.29.num.21.cap.30 num.8. cap 43.num. 18.

Qui cum ſit ſplendor Patris,&c. cap 30.nu.45. cap.33.nu.13.cap.60. num.3. cap 43 nu.18.

Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ. cap. 49. num.2.

Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi,&c. cap.40.nu.36.

cap. 2. Si enim qui ad Angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus,&c.cap.42.nu 27.

Paulominus ab Angelis minoratus. cap. 42. num 1.

Nuſquā Angelos apprehendit,ſed ſemen Abrahæ apprehendit. cap.38.nu.9. cap.40.nu.23. cap.52.nu.17.*

cap. 3. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tamquam famulus in teſtimonium eorum quæ dicenda erant. cap.44.nu. 16.

cap. 4. Itaque relinquitur Sabbatiſmus populo Dei, &c.cap.57.num.5.*

Viuus eſt enim ſermo Dei. cap.30. nu.34. cap. 31.nu.7.cap.49.nu.2.cap.55 nu.16.

Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius.cap. 41. nu.19.

Tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.cap.28.nu.20.cap.30.num 47.

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, &c. cap. 42. num. 29. cap. 5.

Nec quiſquam ſumit ſibi honorem cap.32. nu. 5.cap.42.nu.11.cap.49.n.1.*

In diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesque ad Deum,&c.cap 4 .nu.3.

De quo nobis grandis eſt ſermo, & interpretabilis ad dicendum. cap.44.nu.17.

Imbecilles facti eſtis ad audiendum: etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, &c.cap 60.nu 5.cap.50.nu.7.*

Omnis qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ cap 28 nu 9.

Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, &c. cap.55.num.15. cap. 6.

Non enim iniuſtus Deus. cap.61. nu 9.

Melchiſedech interpretatur rex Salem.cap.42. nu 11. cap. 7.

Nihil ad perfectum adduxit lex. cap.28.nu.36. cap 35. nu.13.

Et quantum eſt non ſine iureiurando. cap. 42. num.29.

Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes. ca. 42 nu.29.

Quod in melioribus repromiſſionibus ſancitū eſt.cap.42.num 29.cap 43. num.15.* cap. 8.

Quod autem antiquatur & ſeneſcit,propè interitum eſt.cap 42. nu.29. cap.55. nu.7.

Solummodo in cibis,& in potibus, & in varijs baptiſmatibus.cap. 28 nu. 36. cap. 9.

Si enim ſanguis hircorum & taurorum,& cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis,&c.cap.35. nu 14.

Teſtamentū enim in mortuis confirmatum eſt, cap 30 num.33.

Lecto enim omnino mandato legis à Moyſe in vniuerſo populo, &c. vſque, ad vos Deus. cap.43.nu.15.

Iuxta quam munera,& hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem,&c.cap 35.nu 14 cap.55. num 6.

Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.cap.38 nu.16. cap. 10.

Ecce venio,vt faciam Deus voluntatem tuam. cap.40.nu.22.

Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum,&c.vſque, indeclinabilem. cap. 42.nu.31.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis cap.28.nu.25.

Et confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.cap.60 nu.14.* cap. 11.

Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ

liæ

ſiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei,&c cap 60 n.15.*
cap. 12. Recogitate eum,qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionē. cap.57 n 4.*
Aſpicientes in auctorem fidei,& conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem,confuſione contempta. cap.43. nu.11.
Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes, &c. vſque, quem non corripit pater cap 43 nu.11.
Quem enim diligit Dominus, corripit. cap.29. nu.11.
Pacem ſequimini cum omnibus,& ſanctimoniā ſine qua nemo videbit Deum.cap 54 nu.vlt.
Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, &c. cap 51.nu.5.cap. 42.nu 33 *
Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei.cap 30 nu.23
cap. 13. Ieſus Chriſtus heri, & hodie,ipſe & in ſæcula. cap 30.nu.51 cap 48 nu 7.
Deus autem pacis aptet vos in omni bono.cap. 28.num 8 cap.40 nu.13.*
Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo,&c cap.60.nu 9
Gratia cum omnibus vobis,amen.cap.42.n.33.

### EX ACTIS APOSTOLORVM.

cap. 1. NOn eſt veſtrum noſſe tēpora vel momenta,quæ pater poſuit in ſua poteſtate. cap 40 nu 39
Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos,&c.cap 43 nu 8.
Reuerſi ſunt Hieroſolymam. cap.30 nu 46.
Oportet ergo ex iſtis viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore,&c.cap.43 n 8.
cap. 2. Factus eſt repente de cælo ſonus cap 30 num. 46.cap.32.nu.4.cap.42 n.10 cap 56 n 6.*
Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.cap 40.nu 19. cap 49 n 10 *
Stupebant omnes,& mirabātur,dicentes Nonne ecce omnes iſti,&c cap. 41. nu.6 cap 62. num.4.
Non ſicut vos æſtimatis hi ebrij.c.29.n 17 *
Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem ſuam,& loquutus eſt eis,Viri Iſraelitæ: audite verba hæc,Ieſum Nazarenum, virum approbatum,&c.cap 35 nu.9.
Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia,&c. cap 60 nu.8
cap.3. Aſcenderunt in templum ad horam orationis nonam cap 52 nu.9.
In nomine Ieſu Chriſti Nazareni,ſurge & ambula. cap. 44. num. 4.
Vocantes eos, denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu, &c. cap.43. num.8.
Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis,&c.cap 50.num 15.
Diſcipuli replebantur gaudio,cap.29.nu.34.
Hic eſt lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus cap 30 nu 12.* cap. 4.
Et non eſt in alio aliquo ſalus: neque enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, &c.cap 40.nu 14 20.cap 42 n.9. ca 52.n.7.
Quid faciemus hominibus iſtis? &c. cap. 41. num.7.
Vocantes Apoſtolos,denunciauerunt,ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Domini Ieſu.cap.30 nu 9 cap.42. nu.22.
Apoſtoli virtute magna reddebāt teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, &c.cap 43 nu 11.
Quotquot enim poſſeſſores agrorū,aut domorum habebant, vendentes, afferebant pretia eorum,quæ vendebant,&c cap.60 num.8.
In templo ſtantes,& docentes populum.cap 33 cap. 5. num.6.
Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei. cap 6. cap.32.nu 8.
Surrexerunt autem quidam de ſinagoga, quæ appellatur Libertinorum,&c cap.49.n.2.
Dura ceruice, & incircumciſi cordibus, &c cap.7. cap.41.n 13.cap.52.nu.1 *
Vos Spiritui ſancto ſemper reſtitiſtis cap. 29. num 33.
Continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt.cap 30 nu. 9
Et poſitis genibus clamauit voce magna, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. cap. 35. num. 2.
Pecunia tua tecum ſit in perditionem,&c. cap. cap. 8. 29.num. 5. *
Vir Aethiops,eunuchus,potens Candacis reginæ Aethiopum, qui erat ſuper omnes gazas eius,&c cap 60 num. 11.
Spiritus Domini rapuit Philippum & amplius non vidit eum eunuchus:ibat autem per viā ſuam gaudens.&c cap.60 nu 11.
Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in cap. 9. diſcipulos Domini cap. 29. num. 0.
Subito circumfulſit eum lux de cælo. cap. 29. num.11. cap.30. nu. 47. *
Saule Saule quid me perſequeris? cap 29. nu.9. cap.37.nu.11. cap 41 nu.22.cap 45. num 5. cap 49.n.8 cap 63 nu 9.*
Vade,quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus,& filijs Iſrael.cap.45.nu.5.c 52.nu 15
Acci-



cap. 10. Accipe & manduca. cap.34.nu.11.
Cornelius vir religioſus,ac timens Deum cap. 33 num.5.
In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus,&c cap.42. nu 3.
Pertranſijt benefaciendo, & ſanando, &c. cap. 41 num.4.
Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum, &c. vſque, qui credunt in eum.cap.43. n.10.*
Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibēt, remiſſionē peccatorū accipere, &c.c.55.n.8.
cap. 13. Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus,dixit illis Spiritus ſanctus, Segregate mihi Saulum, & Barnabam, &c. vſque, Iudæorum.cap.60. nu 11.
Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud &c. cap.52 nu. 14. cap 30 nu.10. cap.40.nu.19 cap.49. nu. 8.cap.59. nu 15.*
Diſcipuli quoque replebuntur gaudio,& Spiritu ſancto cap 51.nu 4.
cap. 14. Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines,&c.cap.36. nu.12.
cap. 15. Quidam deſcendentes de Iudæa, docebant fratres. Quia niſi circūcidamini,&c.c.42.n.24.
Facta ergo ſeditione non minima,Paulo, & Barnaba aduerſus illos,&c.vſque, in gētibus per eos.cap. 42.n.24.*
Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum,quod neque, &c. cap. 40.nu.13 cap 28.nu 36 cap 40.n.2.c 52.n.2.
cap. 16. Tranſeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia,&c.cap 60 nu.11.*
cap. 17. Genus ergo cum ſimus Dei, &c. cap.42.nu. 12.
Attendite vobis,& vniuerſo gregi.cap.62 nu.7.
cap.20. Vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium cap 33.nu.7.
cap.22. Factum eſt autem,eunte me, & appropinquante Damaſco,&c. vſque. Quem tu perſequeris.cap 43.n.10.*
Saule frater reſpice, & ego eadem hora reſpexi in eum. At ille dixit,&c cap.43.nu.10.
cap. 28. Cum viderent barbari pendentem beſtiam de manu eius ad inuicem dicebant; vtique homicida eſt homo hic,&c. cap.35 num.15.*

### EX EPISTOLA B. IACOBI.

cap. 1. BEatus vir qui ſuffert tentationem, quoniā cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ,quam repromiſit Deus diligentibus ſe. cap.45.nu.16.
Vnuſquique verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus,& illectus,&c.cap.59.nu.6.
Omne datum optimum,& omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. cap 35. nu. 10.
Eſtote factores verbi,& non auditores tantum, fallentes voſmetipſos cap.42.nu.21.
Si quis autem putat ſe religioſum eſſe. cap.30. num.18.
Religio munda, & immaculata apud Deum. cap.29.n 26.*
Patientes eſtote fratres,ſperantes vſque ad aduentum Domini:ecce agricola patienter expectat pretioſum terræ fructum. cap. 28. nu. 21. *
Triſtatur aliquis veſtrum? oret. æquo animo cap. 4. eſt? pſallat.cap. 56 n.6.*
Quæ eſt enim vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens.cap.40.nu.16 * cap. 5.

### EX I. EPIST. B. PETRI.

ELectis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ,Capadociæ, Aſiæ, & Bythiniæ gratiam imprecatur,& pacem. cap.56.nu 8. cap. 1.
Quæ de futura in vobis gratia prophetauerunt ſcrutantes id quod, vel quale tempus, &c. cap 52 nu.18.
Deponentes igitur omnem malitiam, & omnē cap.2. dolum.cap.28. nu.19.
Quaſi modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite. cap.60 nu.5.
Ecce ponam in Sion lapidem ſummum angularem. cap. 28 nu 22.*
Vobis igitur honor credentibus: non credentibus,&c.cap.28. nu. 18 *
Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta,&c. cap.43.num. 16. cap.41. nu. 10.cap. 51.num. 21.cap.60.nu 1.
Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, &c. vſque, cuius liuore ſanati eſtis.cap.50.num. 11.cap.56.n 4.*
Qui peccatum non fecit,nec dolus inuentus eſt in ore eius. cap.48 nu.5. cap.53. num 7.
Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte, quia peccata noſtra ipſe pertulit,&c. cap.53.num.6.
Sicut chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum cap. 3. datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, &c. cap 42.nu.25 *
Quæ indocti & inſtabiles homines deprauant. cap.30.num.12.
Vt iudicium incipiat à domo Dei. cap. 29. nu. cap. 5. 2.cap. 57.n.1 *
Humilibus autem dat gratiam. cap.57. num. cap.5. 15.
Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. cap.62.num 7.
Quia

Quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. cap. 35. nu. 15. cap. 49 nu 16. cap. 56. nu. 10.

### EX II. EPIST. B. PETRI.

cap 1. NOn indoctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, &c. cap. 43. nu. 8. cap. 30 num. 34. cap. 52. nu 9 *
Certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, &c. cap. . 8. nu. 13.
cap. 3. Adueniet autem dies Domini, vt fur: in quo cæli magno impetu tranſient, &c. cap. 34. n. 3. cap. 65. nu 13. 14.
Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam veſtrum exiſtimant. c. 28. nu. 21.

### EX I. EPIST. B. IOANN.

cap. 1. QVod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, &c. cap 43. nu 8. cap. 30. nu. 34. cap 33. nu. 6 cap 52. nu. 9 *
Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. cap. 55. nu. 12.
cap. 2. Aduocatũ habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris cap. 37 nu 9.
Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. cap. 56. nu. 11
Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, &c. cap 52. nu. 12.
Chariſſimi, nouiſſima hora eſt. cap 30 nu 8.
A nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nã ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, &c. cap. 4. num. 16.
cap. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus, &c cap. 43. nu. 5.
Cum enim apparuerit, ſimiles ei erimus. cap. 30. nu 48.
Videbimus enim eum ſicuti eſt. cap. 58. nu. 13.
Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas cap. 40 nu 5.
Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. cap. 34. nu 4.
In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. cap 59 nu 18.
cap. 4. Miſit Deus filium ſuum propitiationẽ pro peccatis noſtris. cap 61. nu. 2.
In hoc eſt charitas Dei, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, &c. cap. 43. num. 5.
Hæc eſt victoria quæ vincit mundum. cap. 28. num 5. cap. 5.
Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. cap 35. nu. 14.

### EX EPIST. B. IVDAE.

CHariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei cap. 60. nu 12. cap. 1.
Hi ſunt in epulis ſuis maculæ conuiuantes ſine timore, &c cap 55 num. 4.
Fluctus feri maris deſpumãtes cõfuſiones ſuas. cap. 57. nu. 20.*

### EX APPOCALIPSI.

IOannes ſeptem Eccleſijs quæ ſunt in Aſia, gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt cap. 43 nu 9. cap. 1.
Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. cap. 48. num 7.
Ego ſum Alpha, & Omega principium, & finis. cap 38. nu. 13. cap 44. nu. 5.
Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ. cap. 33. nu. 7. cap. 2.
Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiã, & prima opera fac, ſin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, &c. cap 43. num. 21.
Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarũ actio, &c cap. 51. nu 4. cap. 7.
Factum eſt ſilentium in cælo quaſi hora dimidia. cap. 30. nu. 17.* cap. 8.
Accuſator fratrũ noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. cap. 35. nu 7. cap. 12.
Qui gladio occidit, oportet eum gladio occidi. cap. 33. num 1. cap. 13.
Et audiui vocem de cælo tamquam vocem aquarum multarum, &c. cap. 52 nu. 9 cap. 14.
Et cantabant quaſi Canticum nouum ante ſedem Dei, & ante quatuor animalia, & ſeniores. &c. cap. 56 nu. 4.
Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, &c. cap 56. nu. 4.
Audiui vocem de cælo dicentem mihi. cap. 30. num. 7.
Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit ſpiritus, &c. cap. 38. num. 4. cap. 57. nu. 5.*
Opera enim illorum, ſequuntur illos. c. 58. n. 8.
Aquæ quas vidiſti, populi ſunt. cap. 30. num. 3. cap. 32. nu. 19. cap. 17.





cap 19. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta cap 34. nu 7.
cap. 20. Et regnabunt cum eo mille annis. cap 41. nu 2.
Et infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnũ ignis. cap 34. num. 7.
cap. 21. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo; paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. cap. 60. num. 18. cap 65. nu 12. 13.
Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum: & mors vltra non erit, &c cap. 33. nu 22. cap. 35. nu. 16. cap 38. nu. 9. cap. 51. nu 4 cap 58. nu 8. cap. 60 nu. 23.
Prima abierunt: ecce noua facio omnia. cap. 42. num. 14. cap 65. nu. 12. 13.
Eadem erit menſura hominis & Angeli. cap. 28. nu 23.
Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius ſtagnus. cap 60. nu 22.
Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, &c. cap. 60. num. 22 cap. 22.
Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc. cap 52. num 15. cap. 56. num. 9.
Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ. cap 29 nu. 12 cap. 42. nu. 4 cap. 49. nu. 18. cap 60. nu. 23.*

# INDEX RERVM ET SENTENTIARVM,

## QVAE IN HOC SECVNDO TOMO ISAIAE NOTANTVR IN MARGINE.

*C. Caput Iſaiæ. N. numerum deſignat eiuſdem capitis.*

### A

ABRAHAM egreditur ad præceptum Domini de terra ſua. cap. 41 nu. 2.
Abraham vidit diẽ Chriſti. cap. 38. nu. 16.
Abrahæ fœdus cum Deo initum quale fuerit. cap. 42. num. 12
Abrahæ filios ex lapidibus facit Deus. cap. 44. num. 2.
Abrahæ fides expenditur. cap. 28. num. 22. cap. 51. nu. 1.
ABSOLVTIONEM ſacramentalem per litteras numquam Eccleſia impendere conſueuit. cap. 43. nu. 24 *
ADAM è regione paradiſi habitauit, vt vnde exciderat, memor eſſet. cap. 58. num 17.*
Adæ omnes filij ſubiacent peccato. cap. 59. num. 9.
ADAMANTIS proprietates. cap. 43 n. 3.
Adamanti comparantur electi. cap. 43. nu. 3. *
ADEPS quid ſignificet. cap 34. nu. 5.
ADVENTVS Chriſti maxime fuit deſideratus. cap. 45. nu 8. eius ſigna. cap. 51. nu. 6 eiuſdem effectus. cap. 42. nu 17.
ADVERSARIVS noſter eſt verbum Dei. cap. 30 nu. 30. *
AGRICOLA in agricultura quæ obſeruare debet. cap 28. nu 34.
Agricolæ confertur Deus cap 28. nu 33.
Agrorum fructus colligentes benedicebantur à tranſeuntibus. cap. 30. num 4.
Agricultura diaboli ſunt reprobi. cap. 61. nu. 3.
ALTARE deſpicabile fit ob peccata ſacerdotum cap. 29 nu. 3. *
Altare templi Ariel dicitur. cap 29 num. 2.
Altaria ſunt menſæ numulariorum multorum auaritiæ cap. 29 nu. 8.
AMBITIO & ſuperbia ſub pietatis ſpecie abſconditur. cap 39. nu. 4. *
Ambitio & propriæ excellentiæ appetitus etiã ſanctos inuadit. cap 39. num. 2 *
Amen quid ſignificet cap 65. nu. 12.
ANANIAS quis fuerit. cap. 39. nu. 6.
ANGELVS omnes milites Aſſyriorũ occidit, decem exceptis. cap. 31. nu. 8.

Angeli pacis ſunt Apoſtoli.cap 33.nu.7.
Angeli ſunt cuſtodes hominum in via, & ſocij in patria.cap.35. num.15. cap.62. nu. 7.
Angeli primo experti ſunt iudicium Dei. cap. 34.nu. 4.
Angeli ad nutum Deo deſeruiunt.cap.40 n.36
Angelus mittitur ad mariam cap.45.nu. 8.
Angelus cupiens ſimilis eſſe Altiſſimo,diſſimilis factus eſt.cap.44 nu. 4. *
Angelus præceſſit filios Iſrael, non Chriſtus. cap.45.nu.2. *
A N I M A & caro ſitiunt Deum.c.30.n.46. *
Anima ſignificatur per flatum. cap.42.nu. 10.
Anima fidelis diſſoluit querimonias, quas proponit caro.cap. 40.num.38. *
Animarum conuerſio quàm grata ſit Prælatis. cap.30. num 44.
A N I M A L I A bruta deſignant peccatores. cap.34.num.8.
Animalia parua,Dei fortitudo dicuntur. cap. 40. nu.15. *
A N N I duo ſignificant paucos. cap.29. nu.5.
Agnus paſchalis ſignificat Chriſtum.c.53 n.11
A N N V N C I A T I O Dominica prædicitur ab Iſaia.cap. 45.nu. 8.
Annunciantes verbum Chriſti, ſagittæ appellantur cap.49 nu.3. *
Annunciare ventura,ſoli Deo competit.cap 48 num.3. *
Antichriſti perſequutio qualis cap.34.nu.3.
APORIARI quid ſignificet.cap.59. num 16.
A P O S T O L I dicuntur vermis Iacob,propter humilitatem.cap.41 nu.15. *
Apoſtoli montes dicuntur.cap 49.nu.19.
Apoſtoli plauſtro conferuntur,& boui trituranti.cap.41.nu.15. *
Apoſtoli egeni ſunt,eſurientes ſalutem animarum cap.41. nu.17. *
Apoſtoli & Martyres teſtes ſunt Chriſti. cap. 43 num. 8. *
Apoſtoli teſtes fuerunt eorum,quæ viderunt, & audierunt cap.43 nu.8. *
Apoſtoli Spiritu ſancto irrigantur de ſuperioribus.cap 30 nu.46. *
Apoſtoli diſerte prædicabant.cap.32.nu.4. *
Apoſtoli viderunt gloriam Domini,ideſt,Filiũ Dei carne tectum. cap. 35.num. 5.
Apoſtoli nubibus ſimiles,diſcurrentes per mundum vniuerſum.cap.60.num.11. *
Apoſtoli corona regni Chriſti ſunt cap 62.n 3.
Apoſtoli reparauerunt Eccleſiam cap.61. nu.4.
Apoſtoli prædicatione ſua debiles confortauerunt,& puſillanimes. cap. 35.num. 6.
Apoſtoli miluis conferuntur & ceruis. cap.34. nu.11. *
Apoſtoli,adueniente Spiritu ſancto, apertè prædicauerunt Chriſtum. cap.35.nu.9.
Apoſtoli teſtes fuerunt diuinitatis,& humanitatis Chriſti. cap.30.nu.34. cap 43.nu.10.*
Apoſtoli ſunt Angeli pacis cap 33 nu.7.*
Apoſtoli omnibus populis prædicauerũt Chriſtum cap 32.nu. 19.
Apoſtoli montes & colles. cap.30. nu,46.
Apoſtoli videntes dicuntur. cap.33. num 6.
Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fluuij, Doctores autem riui.cap.33 nu.19.
Apoſtolici viri conditiones. cap.57.nu.14.
Apoſtoli puluerem pedum excutiunt Iudæis. cap 52.nu,16.
Apoſtolorum diuiſio. cap.53.nu.19.
Apoſtolorum prædicationẽ impedire non potuit mundus cap.41.nu. 7. *
Apoſtolorum prædicatio palam facta. cap.33. num.6. *
Apoſtolis,vt à Iudæis recedant præcipitur. ca. 52 num.14.
Apoſtolis,vt eſſent recti,datus eſt Spiritus ſanctus.cap.28.nu.6. *
Apoſtolis diuiſit Dominus vniuerſum. cap.34. num. 23.
Apoſtolis & fidelibus datum eſt noſſe myſteria regni cæleſtis.cap.29 nu.21.
Apoſtolos docuit Spiritus ſanctus,cap.32.nu.4.
Apoſtolos in reſurrectione tamquam linum fumigans ſuccendit Chriſtus cap.42.n 5. *
A Q V A miſcetur vino in Euchariſtia,propter myſterium.cap.30.nu.31. *
Aqua fluens diuitias ſignificat. cap.25. nu.15.*
Aqua deſignat Chriſtum. cap.55.nu.3.
Aquæ innundantes ſignificant iram Dei. cap. 28 nu 2.
Aqua tribulationes deſignat. cap.43. nu 3.
A Q V I L A perfectorum vitam deſignat. ca. 59 nu.14.
Aquila quomodo renouetur. cap 40. nu.41.*
Aquilæ renouatio renouationem ſpiritualem deſignat cap 40.nu.41. *
AQVILONEM fugari quid ſit. cap.34.n 8.
Arbores ſignificant iuſtos cap 41. nu.18.
A R C A tabernaculi,ex qua materia fuerit compoſita cap.41 nu 18.
Arca Domini deſtruxit Dago. cap.46.nu.1.
Arcam Domini,vt portarẽt, Dominus iuuabat Leuitas,& quare.cap.40 nu.42. *
A R A N E A R V M tela opera deſignat peccatorum. cap.59. nu.6.
Arbitrij bonus vſus eſt à Deo.cap.61.nu.11.*
Arietes ſignificant Prædicatores.cap.62.nu.11.
Ariel eſt idem quod leo Dei. cap.29 nu.2.
Arioli, & Pythones non cognoſcũt certo futura.cap 41.nu.21.
Arioli diuinantes quàm vani ſint.cap.44.nu.16





A R M A quibus ſuperatur diabolus quæ ſint. cap.59. nu.18.
Arma quibus fideles defenduntur ab inimicis ſunt ſigna Crucis.cap.49 nu.20.
Artes etiam minimæ à Deo ſunt.cap.28.nu.34
Aſcenſurus in cælum qualis eſſe debeat cap.33 nu.12.
Aſſyriorum exercitus vna nocte perijt, decem viris exceptis cap.31.nu 8.
Aſpidum oua quid ſignificent. cap.59. num.5. & 7. *
A V A R I T I A ſeruum diuitiarũ efficit hominem.cap.31 nu.6.
Auaritia cauſa fuit euerſionis Iudæorum. cap. 29. nu.5.
Auaritia ſacerdotum taxatur.cap.29.nu.8.
Auari taxantur cap.29. nu.1.
Augures,& incantatores, qua pœna puniendi. cap 47.nu.7.
Auguſtini mors.cap.33.nu.8.
Aures præparantur à Deo,vt eius myſteria percipiant.cap.28.nu.33. *
Auxilium Domini facile inuenitur.cap.30.n.6.
Auxilium efficax diuinæ gratiæ in quo conſiſtat.cap.41.nu.9. *
Auxilium humanum difficile inuenitur, & nihil prodeſt.cap.30.nu.5.
Azarias quis fuerit.cap.39 nu.6.

B

BABYLON ſignificat diabolum cap.48 nu.13.
Babylon quare virgo dicatur. cap.47. nu.1.
Babylonis euerſio cap.47 nu.2.
Babylonis viciſſitudo.cap. 47 nu.5.
Baptiſmus eſt flumen violentum.cap.59.nu.19.
Baptiſmus à peccatis mundat. cap.42.num.2.
Baſilicas Deo conſtruxit Conſtantinus cap.60. nu.14.
B E A T I præcedentium malorum ſunt memores.cap 65. nu.13.
Beatis datur duplex ſtola.cap.40.nu 7. *
Beatitudo ſignificatur per ſpolia fortium. cap. 53. num.19.
Beatitudo lætantium omnium gaudio confertur.cap.65.nu 14.
Beatitudo terra dicitur propter ſtabilitatem. cap 33. nu. 14.
Beatitudo patriæ explicatur per affirmationem & negationem.cap.35. n.16. *
Beatitudo patriæ qualis.cap.58.num 8.
Beatitudo durauit in æternum. cap.56.nu.17.
Beatorum claritas qualis.cap.30.n.48.
Beatorum felicitas quanta. cap.65.nu.14.
Bel,idolum erat Babyloniorum.cap.46.nu.1.
Benedictionem Chriſti qui obtineant. cap.30. num 36.*
Beneficia omnia quæ Mater Eccleſia habet, à Chriſto accepit. cap.49.nu.9.
Beſtiæ ſiluæ peccatores deſignant.cap.56 nu.10.
Blaſphemantibus ſi reſpondeas,in maiores prorumpunt blaſphemias. cap 36 num. 11.
Boui trituranti conferuntur Apoſtoli. cap.41. num.15.
B O N A repromiſſa fidelibus quam ſint immenſa.cap.49.nu.11.
Bona duplicia tribuit nobis Dominus. cap.40. nu.7. *
Bona omnia temporalia conferuntur ſomnio. cap.29.num 14. *
Bona temporalia non poſſunt voluntatem creatam ſatiare,& quare. cap.29. nu.15 *
Bona vniuerſa habet, qui legem Dei cuſtodit. cap.48.nu.11.
Boni permixti ſunt reprobis inEccleſia,ſicut triticum zizaniæ.cap.54.nu.14.cap.60 n 14. *
Boni quando à reprobis non maculentur. cap. 52. num 12.
Boni operis initium & cõſummatio eſt à Deo. cap.33.nu.2.
Bonum omne à Deo eſt cap.50. num.11.8.*
Boſra ſignificat Hieruſalem cap.34.nu.6.
Borith herba ſignificat verbum Dei. cap 30. num. 29.
Brachium Domini Chriſtus eſt cap.51.nu 6.10.
Brachium parare quid ſit. cap.52 nu.11.
Bruchus quid. cap. 33. num. 3.

C

CADERE in die eſt infirmitatem, & peccatum ſuum agnoſcere. c.28.n.14. *
Cadere retrorſum quid ſit.cap.28.nu.14. *
Calamus quid ſit.cap.43 nu.17.
Calamus quaſſatus Iudæos ſignificat. cap. 42. num 5.
Calici confertur tribulatio, & quare. cap.51. nu.17. *
Calumniator fratrum eſt diabolus.cap.35.nu.7
C A N I S ligatus eſt diabolus.cap.54. n.16.*
Canes muti cauendi.cap.56.nu.11.
Canes deſignant hæreticos. cap.30 nu.43. *
Canicies hominis eſt vita immaculata.cap.65. nu.15.
Carbones deſolatorij ſunt opera prædicatorũ bona cap.49. num.2.
C A R N I S motus reprimunt iuſti. cap.35. num.15.
Carnis ſtimulus patiuntur ſancti. c.32.nu.12.*
Carnis concupiſcentias temperat Spiritus ſanctus.cap.43. nu.2.

Lanam, & linum quærere, quid ſit.c.29.n.24.
Lapidis iactus quid ſignificet. cap.40 nu.6.
Lapides deſiderabiles ſignificant fideles. cap. 54.nu.12.*
Lapides quos tulit Ioſue de Iordane, quid ſignificent. cap.50.nu.4.
Lapides ſculpti, ſunt Doctores Eccleſiæ. cap. 54.num.12.*
Laqueos euadit qui alta conſcendit. cap. 28: num. 31.*
Laqueis plena eſt vita præſens. cap. 28. num. 31.
Latro bonus, an blaſphemauerit Chriſtum. cap.53.num.21.
Ad LAVDES Dei concinendas factus eſt homo. cap.38.num.23.
Laudes Dei hominem continent, ne peccet. cap. 48. num.5.
Laudes Dei vt cantent, eliguntur homines à Deo. cap 43.nu.19.
Laudes in choro decantatæ ſunt gratæ Deo. cap.38.num.25.
Laudes puerorum, qui exclamauerunt, Oſanna, commendantur. cap 35. num.9 *
Laudant Deum viui, non mortui. cap.38.n.24.
Laudibus deputati diuinis fœlices ſunt reputandi. cap.38 num.27.
Laus ſoli Deo danda. cap.48. num 4.
Laus humana in puncto perit. cap.51. num. 9.
Laus & corona à Deo expectanda eſt, non ab homine. cap.51.num.9.
Legalia mortuo Chriſto ſunt mortua. cap. 42. num. 33.
Legalia cum Euangelio ſeruanda eſſe, multi falſo crediderunt. cap.42 num.24.
Lætitia iuſti æterna eſt, quia non terminatur morte. cap.5[illegible].nu.12.
LEGEM accepturus populus ſanctificatur prius. cap.29.nu 3.
Legem Dei cuſtodiens bona habet vniuerſa. cap 48.num 11.
Legem antiquam reformauit Chriſtus. cap.28. num.23.*
Legem Dei cuſtodientibus, repromititur aqua cæleſtis gratiæ. cap.50.nu 7.
Legem Moſaicam excellentiorem Euangelio eſſe, octo rationibus probant Hæbrei, quæ tamen ſoluuntur. cap.42 nu.26.
Legis antiquæ miracula conferenda non ſunt cum mirabilibus legis gratiæ. cap.43. nu.15.
Legis antiquæ ſtatus fuit tempus arandi, tempus gratiæ eſt metendi. cap.28.nu.36.
Legis iugum in ſuauitatem legis Euangelicæ commutauit Chriſtus. cap 40. nu 13.
Legis obſeruantiæ non ſanctificabant. cap. 29. num. 5.
Legis opera nihil conducunt ad conſecutionem gratiæ. cap.43.num.17.
Lex antiqua ceſſauit adueniente lege gratiæ. cap 40.num.6.
Lex antiqua data eſt vni populo, lex vero gratiæ vniuerſo orbi. cap.51.nu.5.
Lex antiqua, & noua qualibus ſignis fuerint promulgatæ. cap 42.nu.33.
Lex antiqua non iuſtificabat homines. cap.35. num 13.
Lex antiqua non viuificabat, ſed lex gratiæ viuificat. cap.55. num 6.
Lex antiqua pulueri confertur. cap.52.num. 2.
Lex antiqua terminum habuit. cap.29.num.5.
Lex antiqua vſque ad tempus legis gratiæ eſt impoſita. cap.28.nu.36.
Lex Euangelica eſt panis arctus, & aqua breuis. cap 30.num.29.
Lex Euangelica abſque vmbris veritatem docet. cap.40.num 14.
Lex Euangelica nõ in abſcondito eſt publicata, ſed palam. cap.45.nu.16 cap.48.nu.10.
Lex gratiæ eſt lex amoris cap.51.nu.5.
Lex gratiæ excellentior eſt lege antiqua. cap. 42.num.22 *
Lex gratiæ homines ſanctificat. cap.35.nu.14.
Lex gratiæ non in tonitrus data eſt, ſed in ſpiritu dilectionis. cap.51.nu 4.
Lex gratiæ per mane deſignatur, ſicut antiqua per noctem. cap 38.nu.16.
Lex gratiæ via eſt ad vitam æternam. cap. 48. num 11
Lex Moyſi ſcripta fuit in lapidibus, lex autem gratiæ in cordibus carneis. cap.51.nu 5.
Lex Moyſi vni populo, lex Chriſti vniuerſo mundo data eſt cap 42.nu.9.
Legislatores fuerunt Prophetæ. cap.33 nu.20.
Lepra Iob, & manus Moyſi paſſionem Chriſti deſignabat. cap.53.num.7.
Leuare manum quid ſignificet. cap. 49. nu.20.
Libanus eſt mons Phœniciæ. cap.29.nu.32
Liber repudij quid ſit. cap.50.nu.2.
Liberum hominis arbitrium ex ſe eſt flexibile in malum, & bonum. cap.41.nu.11.
Ligna diuerſa varietatem deſignant iuſtorum. cap.60.num.17.
Ligna quæ nutriunt ignem inferni, ſunt peccata. cap.30 num.52 *
LILIVM florens, Eccleſiæ decorem ſignificat. cap.35.nu.2.
Lilium inter ſpinas eſt anima iuſti. cap. 35. num.2.*
A Limbo Chriſtus eduxit ſanctos Patres. cap. 49. num. 10.
Limbus tenebat Patres concluſos. cap. 42. num. 12.

Linea



Linea veſtis, & lanea, quid ſignificent. cap.59. num. 23.
Lineis veſtitus vir apud Danielem, quid ſignificet. cap.56.nu.23.*
Linum fumigans fœtorem deſignat conſcientiæ cap.42 num 5.*
Loca deſerta replebũtur multitudine fidelium. cap 49.num.18.
Longe eſt homo à Deo per peccatum, prope autem per gratiam. cap.49.nu 13.
Loqui ad cor, quid ſit. cap.40.num.2.
Lorica eſt iuſtitia. cap.59.num.28.
Lucra temporalia non quærant Dei miniſtri. cap.56.num.13.
Lugentes conſolatur Chriſtus. cap.61. num.3.
Luna Eccleſiam ſignificat. cap 30 nu.47
Lunæ ſplendor in die Iudicij. cap.30. nu.47.*
Lutherani inuehuntur contra ieiunia Eccleſiaſtica. cap.58.num.4.
Luto conferuntur homines. cap. 29. num 31. cap 64.num.11.
Lutum ſignificat mortalia peccata. cap. 52. num. 2.
Lux ſignificat Chriſtum. cap.60.num.2.

M

MAGI velociter, & plane confeſſi ſunt Chriſtum. cap.32.num 4.
Magi primitiæ gentium. cap.60.num.2.
Magorum munera quid ſignificent. cap. 45. num. 14.
Magorum aduentus. cap 60.num.7.
Maior, eſt nomen officij. cap.32.nu.5.
Mala culpæ non operatur Deus. cap.45. nu.6.
Malorum diuturnitas intolerabilis. cap. 32. num 10
Malum pœnæ eſt à Deo, non malum culpæ,
Malleus ſignificat verbum Dei. cap 41.nu.15.*
Malitia quid ſignificet. cap.40.num.4. cap 45.num.7.
Manaſſes ſignificat populum Iudæorum. cap. 29. num 33.
Mandata Dei præferenda traditionibus hominum. cap.29.num.26.
Mandata Dei obſeruantes, non tamen ſincero animo, conterendi non ſunt. cap. 41. num.5.
Mandatorum difficultatem inimicus fidelibus opponit, vt eos deijciat. cap. 36. num. 4.
Mane & veſpere vitæ noſtræ, quid. cap. 33. num.3.*
Mane ſignificat legem gratiæ. cap.38.num.16.
Mane & mane quid ſignificet. cap 50.num.8.
In MANNA nihil ſpirituale ſentiebant Iudæi. cap.30.num.29.*
Manna quare in die Sabbati non pluebat cælum Iudæis. cap 30 num. 29.*
Manna quare pro vna tantum die dabatur. cap.30.num.27.*
Manna ſignificat verbum Dei. cap. 30. num. 26.*
Margarita ſignificat verbum Dei. cap.30.num. 43.
MARIA Virgo, mater eſt viuentium ſpiritualiter, ſicut Eua viuentium carnaliter. cap 53.num.13.
Ad Mariam mittitur Angelus. cap.45. num. 8.
Maria Magdalena ſtetit retro, & quare. cap. 38 num.22.*
Mariam Magdalenam defendit Chriſtus. cap. 42.num.5.
MARTYR idem ſignificat quod teſtis. cap. 43.num.11.
Martyrem non facit pœna, ſed cauſa. cap. 50. num. 11.*
Martyres, Chriſti panis efficiuntur tormentis. cap.28.num.33.
Martyres palam confeſſi ſunt Chriſtum. cap. 44 num.4.
Martyres perſequentes tyranni linum ſunt, & titio fumigans. cap.42 num.6.
Martyres, confuſio ſunt tepiditatis noſtræ. cap.43.num.11.
Martyres quare ab igne ſæpe liberati, gladio ſunt occiſi. cap.43 num 3.*
Martyres vicerunt tyrannos cap.52.num.16.
Martyres ſapienter reſpondent tyrannis. cap. 36.num.10.*
Martyribus nihil nocuerunt perſecutores. cap. 32.num.6
In Martyribus iniuria afficitur Eccleſia. cap. 54.num 12.
Martyrum perſecutores conteruntur. cap. 41. num 13.
Martyrum perſequutores fabro conferuntur. cap.54.num.15.
Martyrum conſtantia. cap 43.num.11.
Maſilienſium ſententia contra neceſſitatem gratiæ. cap.30.num.22.*
Matrimonio præfertur virginitas. cap.56.n.4.*
Medicinæ contemnendæ non ſunt. cap.38.n.6.
Meditari timorem eſt cauſas timoris expendere. cap 33 num 15.
Meditatio quam vtilis. cap.47 num.5.
Mendacium mendacijs defendunt reprobi. cap. 28.num.16.*
Merces operis, qualis. cap.61 num.9.
Mercenariorum negligentia circa oues taxatur. cap.56 num.10.
Melchiſedech non obtulit aquam vino miſtam. cap.30.num.31.

Mel-

Chriſti aduentus primi & ſecundi, diuerſi effectus.cap.42.nu.17.
Chriſti affectus erga homines. cap.52. nu.4.
Chriſti anima ab inſtanti conceptionis eius fuit beata.cap.40.nu.22.
Chriſti animam nullum læſiuum potuit pellere à corpore,niſi ipſa exire voluiſſet cap.53. num.10.*
Chriſti benignitas erga crucifixores ſuos. cap. 53.nu 11.
Chriſti caro cibus eſt,& ſanguis potus. cap.49. num.12.
Chriſti conuerſatio pacifica cap. 42. num. 3.
Chriſti corona ſunt iuſti. cap.62.nu.3.
Chriſti pietate non ſunt liquefacti Iudæi. cap. 48.nu.3.
Chriſti aduentus quam deſideratus fuerit. cap. 45. num. 8.
Chriſti prædeſtinatio eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ. cap 42.nu 1.cap.53.nu 19.
Chriſti manus perforatæ eum liberalem oſtendunt cap.42.nu.15.
Chriſti mors legalia abſtulit. cap.42. nu 33.
Chriſti corpus non vidit corruptionem. cap.42 nu.11.
Chriſti corporis ſolemnitas quantis celebratur tripudijs.cap.45.nu.14.
Chriſti diuinitas cognita eſt in morte eius. ca. 53 nu.5.
Chriſti deſcenſus ad inferos, corpore incorrupto manente cap.51.num 15.
Chriſti egreſſus,ſignificat eius incarnationem. cap.42. nu. 19.
Chriſti facies dehoneſtata in paſſione c.53.n.5.
Chriſti fames,& ſitis ſalutis noſtræ.cap.32.n.6
Chriſti generatio æterna inenarrabilis, & ſimiliter temporalis.cap 53.nu. 13.
Chriſti humilitas eſt plenitudo animæ noſtræ. cap.29.nu.16.
Chriſti inimici, ipſum confeſſi ſunt innocentem.cap.50 nu.11.
Chriſti liberalitas cap.32.nu.5.
Chriſti doctrina facilis. cap.28.nu.13.
Chriſti mors vita noſtra fuit. cap.53. nu.7.
Chriſti paſſio ſignum fœderis inter Deum, & homines.cap.54.nu.10.
Chriſti mortificatio à nobis qualiter imitanda.cap 53.nu.23.
Chriſti vulnera dicuntur cauerna laci.c.51.n.1.
Chriſti cibus ſunt fideles. cap.53.nu.18.
Chriſti patientia cum captus eſt expenditur. cap.42.nu.5.*
Chriſti patientia, illum Deum eſſe, oſtendit. cap. 50. num.9.
Chriſti præſentia omnia deſtruuntur Idola. cap.30. nu.39.*
Chriſti regnum virgulto confertur. cap 53. num.2.*
Chriſti ſanguine ſcripti ſumus omnes in mente Dei. cap.49 num. 15.
Chriſti ſepulchrum cuſtodientes taxantur.cap. 53.nu 15.
Chriſti veſtigia ſectantes omnes labores ſuſtinent.cap 49.nu. 12.
Chriſti vulnera inhabitans,ſecurus eſt ab inſidijs diaboli. cap.42.nu 15. *
Chriſto adaptantur quæ de Cyro dicuntur. cap.45.nu.4.*
Chriſto fuit Sinagoga quaſi leo in ſilua.cap.29. num 9.*
Chriſto multos dolores præbuit homo. cap.43. nu.18.
Chriſtum diabolus ſuperare non potuit.cap.59 nu.17.
Chriſtum malitioſe impugnabant Iudæi: cap. 59 nu.14.
Chriſtum Pater miſit in mundum.cap.42.n 11.
Chriſtum Prophetam futurum prædixit Moyſes.cap 44.n.16.
Chriſtum ſequimur à longe.cap.30.nu.35.*
Chriſtum ſequuti ſunt gentes vinctæ manicis. cap.45.nu.14.
In Chriſto complacuit Pater. cap.42.nu.1.
COGITATIONES conceptui, opera partui conferuntur.cap 59.num.4.
Cogitationes peſſimæ ouis regulorum conferuntur.cap.59.nu.5 *
Cognitio Dei & propria humilitaté parit. cap. 41.nu.11. *
Cognoſcit homo quædam de Deo, quædam ignorat vt humilietur. cap. 40 nu.24.
Choro deputati, vt Deo pſallant, inutiles non ſunt,ſed fœlices.cap.43.nu.16.
Claritas beatorum.cap.30.nu.48.
Claudicare quid ſit.cap.29.nu 4.
Clauſtralium ſilentium valde neceſſarium.cap. 30.nu.18.*
COLVMBÆ meditatio quid ſignificet. cap. 38.nu.17.
Columbæ proprietates,Prædicatorũ deſignant affectus cap.60.nu.12.
Columbæ pennæ deargentatæ quæ dicantur. cap 40.nu.18.
In comeſationibus homines excedunt bruta. cap 28.nu.7.
Conceptus deſignat cogitationes.cap.59.nu.4.
Concupiſcentiæ carnales infernus ſunt iuſtis. cap.57.nu.17.
CONFESSARII & Prædicatores qui aliorũ ſordes tergunt,nõ ſint immundi. c.52.n.15.
Confeſſarij interrogent prudenter pœnitentes. cap.39.nu 9.
Con-
Confeſſio dimidiata diſplicet Deo. cap.39.n.5.
Confeſſio facta per litteras ſacerdoti abſenti non eſt ſacramentalis. cap.43.nu.23. *
Confeſſio laudis qua honor debitus Deo tribuitur, eſt illi multum grata.cap.38. nu.23. 24 25. cap 52. nu.9.
Confeſſio fidei,qua in corde latet, ore fit. cap. 35.num 12
Confortare Deum electos quid ſit cap.41.n.12
Congregatio fidelium facta ex vniuerſo orbe. cap.49.num.17.
Conſcientiæ fœtor per linum fumigans deſignatur.cap.42.nu 5.
Conſilium bonum etiam à barbaris recipiendum. cap.32.nu 8.*
Conſilium de peccatis faciendis fugiendum eſt.cap.30.num 1.*
Conſolatio iuſtorum qualis ſit: cap.40 nu.1.
Conſolatur Chriſtus humiles & pauperes, non diuites & ſuperbos cap.40.nu.1.
Conſtantia Baptiſte qualis cap 33.num.5.
Conſtantinus cõuerſus ad fidem baſilicas Deo extruxit.cap.6[illegible] nu 14.
Conſuetudo mala deponenda.cap.40 num 40.
Contemnentes terrena,imbribus irrigãtur cæleſtibus.cap.30 nu 46.*
Contrarijs conſtant omnia,& mirabiliter ſubſiſtunt.cap.40.nu.35 *
Contritio duplex peccatorum.cap 28 num. 4.
Conuerſio ad Deum qualis. cap.31. num 6.
Cor carneum non lapideum veritatem agnoſcit,& ſuſcipit.cap 40 nu.14.*
Cor intuetur Deus,ideo peccata omnia cauenda ſunt. cap. 43. num 9.
Corona Regni Chriſti ſunt Apoſtoli. cap. 62. nu. 3.
Coronam ſpineam plectentes Chriſto ſpinis puniuntur. cap.32.nu 11 *
CORPVS Chriſti Eccleſia eſt, membra eius ſunt ſancti cap.49 nu 8.
Corpus iuſti tabernaculum dicitur.c.38.nu 13.
Corpora cæleſtia militia dicuntur, quia ordinate diſpoſita.cap.40.nu.33.*
Creauit vno verbo Deus vniuerſa.cap.44.nu.8.
Creatori deſeruiunt omnia. cap.40. num. 35.
Creaturæ omnes etiam minimæ ſuo deſeruiunt creatori.cap.44.nu.8.
CRVX Chriſti ſignum dicitur.cap.55.n.19
Crucis Chriſti opprobrium præſtantius eſt, quam mundi gloria. cap 60.nu.15.
Crucis lignum amara in dulcedinem vertit. cap.38.nu 26.
Crucis ſignum arma eſt aduerſus diabolum. cap.49.nu.20.
Crucis ſe ſigno munientes à plurimis liberantur malis.cap.55 nu.19.*
Crucis ſigno etiam olim mirabilia fecerunt ſancti.cap.38.nu.26.*
Crucis ſignum in cælo apparuit Hieroſolymis. cap.55.nu 19.*
Crucis virtute renouantur fideles.cap.40.n.40
In cruce expandit manus Chriſtus, ad populũ non credentem. cap 65.nu.2.
Crucifixi potentia in vocatione gentiũ oſtenditur cap.42.nu.9.
Cultus Dei facit remp. inexpugnabilem. cap. 29.nu.2.
Curioſitas arguitur.cap.29.nu.31.
Cuſtodes ſepulchri pecunijs corrumpentes arguuntur. cap.56. nu.2.
CYRVS auis dicitur, & quare. ca.46.nu.7.
Cyrus paſtor dicitur,& quare.cap.44.nu.17.
Cyrus proprio nomine prædicitur 150.annis antequam naſceretur. cap.45. num.1.
Cyrus vtrum habuerit cognitionem Dei verã. cap.45.nu 3.
Cyrus fuit Chriſti figura. cap. 45.nu.4.
Cyro multa bona contulit Dominus propter populum Iſrael,vt eum liberaret.cap.45.n.3
Cyro regi quanta promiſerit Dominus.cap.45. num. 2.
Cyro ſubiecti fuerunt quamplurimi. cap. 45. nu.13.

D

DAGON, corruit coram arca Domini. cap. 46 nu.1.*
Damnatorum pœnæ perpetuæ. cap.28 nu.35.
Daniel, Ananias, Miſael & Azarias qui fuerũt. cap.29. nu.6.
Danielis oratio qualis.cap.37.nu.4.
Dauid auferens cæcos,& claudos, geſſit typum Chriſti. cap.29 nu 4 *
Dauid humilitas.cap.29.nu.30.
Dauid licet occupatus,laudibus intendebat diuinis.cap.43 nu.16.
Debitum primi parentis Chriſtus ſua morte perſoluit.cap.50.nu.11.
Dedicationis templi dies feſtiui quales.cap.30 nu.48.
Delectatio ſpiritualis eſt Euchariſtiæ effectus. cap.55.nu.5.
Delectationes carnales ſignificantur per lac. cap 28.nu 9.
Delicijs in hoc ſæculo affluentes,in futuro non habebunt hæreditatem. cap.50. nu.14.
Dæmones dicuntur non eſſe.cap.30 nu.49.
Dæmonia virtute Dei ſubijciuntur iuſtis, ſed non in hoc gloriandum. cap.41. nu.16.
Deprædatio ſignificat æternam damnationem. cap.33 nu.1.

Deſertum cælum dicitur,& quare.cap.40.n.23.
DEVS à peccatoribus non videns reputatur cap.57. nu,12. *
Deus donat quæ à nobis exigit. cap.30. nu 22.
Deus differt dare,quod petimus,ne vileſcat cito datum,& vt magis humilietur homo.cap. 30.nu.26. *
Deus miſeriæ hominis recordatur,vt miſereatur illius. cap.64 nu.11.
Deus ſuam cauſam rationibus diſcutere cum hominibus non dedignatur. cap 41. nu 1.
Deus ſpecialem habet ſuorum prouidentiam. cap.40.num.39.
Deus qualiter à nobis ſit quær¯dus c.55 n.12*
Deus fictori,& homines luto conferuntur. cap. 29.nu 31. cap.64 nu.11.
Deus facile deijcit aduerſarios ſuos c.33.nu.3.
Deus non deficit in promiſſis cap.49.nu.23.
Deus bonū eſt ſenſu imperceptibile. c.35 n.16.
Deus bona nobis pro malis retribuit. c 40.n.7.
Deus quàm facile mundum gubernat.c.40.n.24
Deus non eſt cauſa peccati. cap.45.nu.6.7.
Deus eſt obiectum ſpei. cap.30 nu.3.
Deus gloriam ſuam non vult vt alter accipiat cap.41. num.18 cap.42.nu.13.
Deus multipliciter loquutus eſt per Prophetas.cap 35 num.5.
Deus cum punit,loquitur vt parturiens cap.42 num.18. *
Deus excellentiſſimus artifex, qui vno verbo creauit vniuerſa.cap. 44.num. 8.
Deus omnia operatur, qui eſt vnicum omnium principium. cap 44.nu.15.
Deus ore eſt glorificandus cap.48.num.1.
Deus magni æſtimat venerationem ſanctorum. cap 49 nu.23.
Deus vtitur ſagittis tamquam verus amator animarum. cap.49 num.2. *
Deus neminem iniuſtè punit. cap.50. num.1.
Deus qualiter futura cognoſcat.cap.41. n.20.*
Deus quãta fecerit mirabilia ſæpe repetit Scriptura.cap.37.nu.14.
Dei affectus mirabilis erga homines c.46.n 2.
Dei dilectio qua nos diligit cauſa eſt bonorum quæ nobis contulit cap.43.nu.5. *
Dei fortitudo expenditur. cap.29. nu.12.
Dei furor quid ſignificet cap.30. nu,52.
Dei genus ſunt iuſti. cap.42. nu 12.
Dei honorem potius quam proprium quærunt ſancti.cap.37 num.3.cap.36.nu,12. *
Dei iudicia quam ſint profunda. cap.40.nu.29.
Dei nomen eſt virtus eius. cap.30 nu.49.
Dei opus proprium eſt ſaluare,alienum; mortem pati.cap.28.nu.30
Dei ſimilitudo creata dari non poteſt. cap. 46. num.4. *
Deo fruentur qui quatuor habuerint conditiones.cap.33 num.12. *
Deo omnis habitatio eſt anguſta.cap.28 nu.27
Deo totum tribuendum.cap.33.nu.2.*
Deum colentium fortitudo qualis. c.30 nu.16.
Deum magis cognoſcimus via remotionis,quã per affirmationem cap 35.nu.16.*
In Deo omnia inueniunt electi.cap.28.nu.5.
DIABOLVS calumniator eſt fratrū.c.35.n.7.
Diabolus eſt faber ſufflans ignem,cum peccatores tentat cap.54.nu 15
Diabolus fortis dicitur.cap.49 nu.23.c.50 n.1.
Diabolus ligatur ne quantum vult impugnet iuſtos cap 54 nu.16.
Diabolus non plus tentat,quàm Deus permittit cap.37 nu.15 cap 56.nu.10 ca.36.nu 7.
Diabolus præualere non potuit contra Chriſtum cap.59.nu.17
Diabolus quoad naturam à Deo eſt c.54.n.15.
Diabolus qualiter illudatur à iuſtis c 54 n.15.
Diaboli agricultura ſunt reprobi cap.61.nu.3.
Diaboli potentia & aſtutia. cap.41. nu.12.
Diaboli poteſtas per Babylonem & Chaldæos deſignatur.cap 48.nu.13.
Dianæ templum quidam ſuccendit,vt memorabilis fieret.cap.39 nu 2.
Dies retributionum eſt dies iudicij cap.34.n.6.
Diem Chriſti qualiter exultando viderit Abraham cap 38 uu.16
Digitum extendere quid ſit. cap.58 nu.10 *
Dilectio fortis vt mors quare dicatur c.43.n.3*
Diſcretio iuſti à peccatore eſt à Deo ſolo tamquam à primo incipiente cap 41 nu.14.*
Diſſentire poteſt homo motus auxilio efficaci, ſed numquam diſſentiet cap.41 nu 9. *
Diuinæ perſonę non diſtinguũtur inter ſe, niſi per relationes.cap.48.nu 10.
DIVITIS auari confuſio in inferno.c.38.n.23
Diuites impinguat diabolus vt occidat.cap.34 num.5.*
Diuites per manus pauperū tranſmittunt ſuas diuitias in cælum cap.32.nu.22. *
Diuitiæ aquæ fluenti conferuntur. c.29.n 14.*
Diuitiæ ſpinæ ſunt quæ ſuffocant verbum cap. 30 nu.40.
Diuitijs & paupertate probantur homines.cap. 48.nu 6.
DOCTORES Eccleſiæ ſunt ſculpti lapides cap 54.nu.12. *
Doctores falſi vitandi.cap.55.nu 4.
Doctores ſcribentes ſuper ſacram Scripturam laudantur. cap.44.nu.4.
Doctores ſunt tauri.cap.30.nu 42.
Doctores ſunt riui Eccleſiæ. cap.33.nu.19.
Doctrina antiqua ſequenda.cap.32.nu.21. *
Doctrina ſana depoſitum dicitur.cap.32.n.20*





Doctrina cæleſtis,& humana,qualiter differãt. cap.54. nu.12.
Docuit Chriſtus quæ omnes poſſent facile intelligere.cap.28. nu 13.
Dominis duobus nemo ſeruire poteſt. cap.55. nu.12 *
Dormire inter medios cleros qd ſit.c.40 n.18.*
Dracones malitioſas mentes deſignant.cap.43. nu. 15.

E

EBRII & non à vino qui dicantur. cap. 29. nu.17 cap.51. nu 20. *
Ebrij taxantur. cap 56.num.14 cap.28.num,7. cap.56 nu.14.
ECCLESIA ſponſus dicitur, & ſponſa. cap.61. num.12.
Eccleſia nuncupatur Sara, & Sion figuratiue. cap.51 nu 1.& Hieruſalem.cap.52.nu.10.
Eccleſia qualiter dilatanda cap.54.nu.2.
Eccleſia omnia bona participat à Chriſto. cap. 49 nu 9.
Eccleſia tabernaculum dicitur, & quare. cap. 33 nu 18.
Eccleſia bonos habet malis permixtos cap. 54. nu. 14.
Eccleſia cumulatius habet,quidquid fœlicitatis fuit in terra promiſſionis.cap 35.num.4.
Eccleſia fideles diligit vt filios cap.49.nu.15.
Eccleſia in martyribus afficitur iniuria. cap. 54 nu.12.
Eccleſia, etſi videatur abiecta, fiduciam tamen habet, cũ protegatur à Domino. c.49. n 23.
Eccleſia conuulſa dicitur propter tyrannos. cap.49.nu.9.
Eccleſia Romana eſt mater omnium Eccleſiarum cap.44. nu. 17.
Eccleſia lætatur in electis, ſed propter reprobos contriſtatur. cap.40 nu.14.
Eccleſia ex fidelibus conſtruitur tamquam ex lapidibus.cap 54. nu.12.
Eccleſia tentorio confertur. cap.54.nu.2. *
Eccleſia per totum orbem dilatanda prædicitur.cap. 54.num. 5.
Eccleſia nigra,ſed in pelle,nõ intus c.54.nu 9.*
Eccleſia ſuper montem, ideſt Chriſtum,ædificata eſt.cap 34.nu.8.cap.28.num.20.
Eccleſia tria cõtinet fideliũ genera. c.35.n.11.*
Eccleſia triumphans omnia poſſidet bona. cap. 35.num. 16.
Eccleſia murus dicitur,& quare. cap.60.nu.14.
Eccleſia vbique ædificanda.cap.32.nu.18.
Eccleſia vt luna pulchra cap 30.nu 47.
Eccleſia ſupra petram firmiſſimam,ideſt, Chriſtum fundata eſt. cap.28.nu.20.cap.34.nu.8.
Eccleſiæ ædificium quale cap. 60.nu. 17.
Eccleſiæ gloria poſt Euangelij promulgationẽ, cap.60.num 19.
Eccleſiæ triumphantis felicitas. cap. 60.n.22.
Eccleſiæ triumphanti quanta ſit pax futura. cap.54 n.13.
Eccleſiæ membra viua ſunt Sancti.cap.49.nu.8.
Eccleſiæ perſequutio cap.54 nu 9.
Eccleſiæ pulchritudo qualis. cap. 49 nu.18.
Eccleſiæ Catholicæ excellentia. cap 33.nu.17.
Eccleſiæ habitatio opulenta. cap 33. nu.18.
Eccleſiæ nomen,Dominus ibidem. c.30. n.33.*
Eccleſiæ ſtabilitas vnde proueniat. c.33.n.19.
Eccleſiæ Catholicæ in quanta abundantia donata ſit gratia,& doctrina cæleſtis.c.35 n.10
Eccleſiæ decor florenti lilio confertur propter Martyres cap.35. nu.2.
Eccleſiæ funiculi quales cap.33 nu.21.
Eccleſiæ fundamentum eſt Chriſtus.c.28.n.20.
Eccleſiæ antiquus feruor tepeſcit cap.34.nu.9
Eccleſiæ primitiuæ feruor qualis.cap.29 nu.8.
Eccleſiam alloquitur Deus,vt ſurgat. c.60.n.1.
Eccleſiam reparauerunt Apoſtoli.cap.61. nu.4.
Eccleſiam triumphantẽ nullus inhabitabit immundus.cap.52. nu.1.
Eccleſiã vt conſurgat hortatur Iſaias.c.52.n.1.
Eccleſiã redemit Chriſtus ex iuſtitia.c 33 n 3.
Eccleſiam nulla aduerſitas poteſt commouere. cap 35. nu 18.
Eccleſiam nolunt intrare Iudæi ca.29.nu.19.
Eccleſiam ædificans Dominus euertit ciuitatẽ Babylonis cap.44.nu.17.
Eccleſiam Catholicam Chriſtus ſuo ſanguine hereditauit cap 49. nu 8.
Eccleſiam diligit Deus valde cap 38.nu.6.
Eccleſiam Deus iuramento firmauit.c.49.n.17
Eccleſiaſticæ res ſumma reuerentia venerandæ ſunt. cap.49. num 23.
Edon ſignificat Hieruſalem. cap.34 nu.6.
Egredi,eſt abſque timore aggredi cap.42.n.16.
Egreſſus Chriſti ſignificat incarnationẽ eius. cap.42 n.19.
Electio Gentium & Iudæorum reprobatio præfigurata fuit in lege cap.29.nu.32. *
Aegypti tenebræ ſignificant excæcationem Iudæorum cap.50.nu.5.
ELECTI abundant bonis, quando reprobi implentur malis cap 28.nu 5.
Electi Soli conferuntur,& ſtellis cap.40.nu.36.
Electi per ignem & aquam tribulationum ſecuri tranſeunt cap.43.nu 3.
Electi contemnuntur à mundanis,ſed à Deo in magno habentur pretio. cap 43. num.5.
Electi dicuntur reliquiæ, quoniam pauci ſunt. cap 37.num.4 cap 44.nu.4. *
Electi ſtellis ſimiles.cap 40.nu.36.
Electi conferuntur adamanti. cap.43.nu.3.
Electorum lætitia.cap.30.nu.50.

Electorum fortitudo. cap.33 nu.22.
Electorum paucitas cap.44.nu.4.
Electorum ſecuritas. cap.41.nu.11.cap.37.nu.4.
Electos conſolatur Dominus,ne animo deſpondeant. cap.41.nu.8.cap.66.nu.6.
Electos Deus probat aliter, quam reprobos. cap.28. nu.33.
Electos in præſſuris conſtitutos conſolatur Dominus. cap.40. nu.37.
ELEEMOSYNA non eſt ex ære alieno facienda. cap.32.nu.22.*
Eleemoſyna prompte, & hilariter tribuenda. * cap.32 num.21.
Eleemoſyna qualiter facienda ſit. cap.58 nu.7.
Eleemoſynæ, & orationes ſe inuicem iuuant. cap.58.nu.9.
Eleemoſynas facientes non peribunt in æternum. cap.58 nu.8 *
Elementorum purgatio fiet in die iudicij. c.30. nu.47.cap 65. num.13.14.
Elias deridet ſacerdotes Baal. cap 46 num.5.
Emere, & vendere ſpiritualia,damnabile. cap. 29.num 8.
Ephraim typum gerebat gentium. c. 29. n.33.
Eructare verbum, quid ſit. cap.35.n.10.
Eua eſt mater viuentium carnaliter. cap. 53. num.13. *
EVCHARISTIA pura conſcientia ſumenda. cap 29.nu.3.
Euchariſtia eſt memoriale Eccleſiæ. cap. 30. num. 32.
Euchariſtia eſt migma commixtum. * cap 30. num. 44.
Eucariſtia eſt panis arctus, & aqua breuis. * cap.30 nu.31.
Euchariſtia ſacramentum eſt, & ſacrificium. cap. 30.num 44.
Euchariſtia virtutem viuificandi habet cap.55. num. 5.
Euchauriſtia eſt panis pinguis. cap.30 num.41.
Euchariſtia tres continent miſturas. c.30.n.44.
Euchariſtiæ effectus eſt delectatio ſpiritualis. cap.55 nu.5.
Euchariſtiæ fructum non percipiũt peccatores. cap.62.nu.10.
EVANGELIVM diuulgatum eſt per vniuerſum orbem. cap.49.nu.13
Euangelium non eſt ex contentione prædicandum. cap.42.nu.3.
Euangelium vniuerſo orbi pædicandum præ- dicitur. cap.34.nu.1.cap.40.nu1.
Euangelij fides, quam ſit infallibilis. cap. 42. num. 10.
Euangelij prædicationem non potuit mundus impere. cap.41. nu.7.
Euangelij tempus eſt dies nouiſſimus. c.30.n.8.
EVANGELISTAE ſcripto donantes Euangelium laudantur. cap. 44. nu. 4.
Euangeliſtæ ſunt quatuor flumina paradiſi.cap. 41 nu.17.
Eunuchi propter Deũ qui dicantur. c.56. n.5.*
Excæcatio populi Aegypti, figura fuit excæcationis,quæ modo eſt in Iudæis. cap. 50.nu.5.
Exercitus Sennacherib excidium. cap 43.n 13.
Expectare Deum noſtrum liberum conſenſum dicunt aliqui. cap 30.nu.22
Expectat homo Deum, non è contra. cap.30. num.22.*
Extaſis, quid ſit. cap.29.nu 32.
Extra Eccleſiam nulli patet ſalus. cap.60.n.17.
EZECHIAS nõ eſt commotus verbis Sennacherib. cap. 37. num. 8.
Ezechias typum Chriſti geſſit. cap.36.nu 9.
Ezechias quos libros ſcripſerit. cap.38. nu 10.
Ezechias quare mori recuſauerit. cap.38. n.3.*
Ezechias oraturus, quare ad parietem conuertit faciem. cap 38 nu 3.*
Ezechias quare fleuerit,audiens imminentem mortem. cap.38. num 5.
Ezechiæ infirmitas quo tempore acciderit. cap.38 num.1.
Ezechiæ quare quindecim anni fuerint adiecti cap.38.nu.6.*

F

FACIEM abſcondere, quid ſit. cap. 64. num. 10.
Faber ſufflans ignem eſt diabolus.cap. 54. n.15.
Fabro conferuntur perſecutores cap.54. nu.15.
Fames ſalutis animarum,qualis. cap.32.nu.6.
Farinam molere, quid ſit. cap.47.n.3.
Fæces bibere, quid ſit. cap.51. nu.20.
Fœdus Abrahæ cum Deo,quale. cap.42.nu.12.
Fœlicitas iuſtorum vbi ſit conſtituta. cap.49. num. 12.
Fœmur, quid ſignificet cap.30.num 34.
Fœnum ornauit Chriſtus natus. cap.40.nu.17.
Fœnum ſignificat populum carnalem.c.40.n.17
Fœnum tectorũ ſuperbos deſignat. c.30.n.40.*
FIDES Abrahæ, & Ioſeph,qualis. cap.28. num. 22.
Fides ob certitudinem ſcientia dicitur. cap.53. num. 18.
Fides non contrariatur lumini noſtri intellectus. cap.29 nu.28.
Fides Gentium Iudæos confundit. c.52.n.18.
Fides per dilectionem operatur. cap. 35. nu.3.
Fides grano ſinapis eſt ſimilis. cap.35. nu.12.
Fide Ieſu Chriſti Deo placuerunt antiqui. cap.42.nu.32.
Fides ſit longanimis. cap.28.nu.21.

Fidei



Fidei veritas intra Eccleſiam prædicatur non foris. cap.42 nu.4 *
Fidei myſteria credibilia ſunt nimis. cap. 45. num.17.
Fidei non obmurmuret ratio naturalis. cap.29. nu 28.cap.30.nu 17.
Fidei doctrina eſt commixtum migma,quo paſcuntur fideles.cap.30.nu 45. *
Fidei deciſiones ex ore Romani Pontificis ſunt petendæ.cap.59.nu.22.
Fideiuſſor noſter Chriſtus eſt cap.38.nu.18.
Fideles deficiunt à feruore primitiuæ Eccleſię. cap.29.nu 8 *
Fideles ſunt lapides deſiderabiles cap.54.nu.12
Fidelium multiplicatio quanta. cap.60.nu.25.
Fidelium multitudine ſaturatur Chriſtus. cap. 53.nu.18.
Fidelibus quanta ſint bona repromiſſa. cap 49. num. 11.
Figulus dicitur Deus.cap 64.nu.11
Filius Dei,vt nos redimeret,non Angelum miſit,ſed ipſe venit.cap 52.nu 5.*
Filios impedire non debẽt Patres, ne fiant Religioſi cap.55.nu 17.
Flagella erudiunt quos beneficia non corrigũt. cap.28.nu 26.
Flagellum impiorum quale. cap.33.nu. 1.
Flatus, animam rationalem deſignat. cap.42. num. 10.
Flatus ſignificat Spiritum ſanctum.cap.42.n.10
Flatus Dei quid ſignificet cap.40.nu.16.
Fletus Ezechiæ tres cauſæ. cap.38.nu.5.*
Flos decidens eſt gloria mundi.cap.28.nu.1.
Fluctus maris, corda ſignificant peccatorum. cap.29.nu.34.
Flumen violentum quid ſignificet.cap 59.n.19.
Fluuius paradiſi eſt Chriſtus. cap 41. nu.17.
Fluuij Eccleſiæ ſunt Apoſtoli.cap.33.nu.19.
Folia arborum generationes hominũ deſignãt. cap.28.nu.1. *
Fons à fundendo dicitur.cap.35.nu.10.
Fons ſignificat Scripturam ſacram.cap.35.n.5.
Fons in quo differat à ſtagno, & torrente. cap. 35.nu.10.
Foramina habent manus Chriſti, vt effluant chariſmata gratiarum. cap.42 nu.15.*
Fornicatio eſt idololatria. cap.57.nu 8.
Fortitudinem tantam habet homo, quantam Deus illi largitur.cap.30 nu.20.
Fortitudinem mutare eſt veterem conſuetudinem relinquere.cap.40 nu.40.*
Frater iunior Gentiles;ſenior Iudæos deſignat cap.43.nu.7.
Fratres maiores in Scriptura præferuntur minoribus. cap.29.nu.33. *
Frænum erroris quid ſit.cap.30.nu.49.*
Fructum magnum attulit Chriſtus mortuus. cap.54.nu 1.
Fructus præcoces deſiderabiles cap.28.nu 4. cap 54 nu 1.
Fumus inferni ſunt reprobi. cap.65. nu.5.
Funiculi Eccleſiæ, & peccatorum diſſimiles. cap.33. nu 21.
Futurum contingens,vt contingens non ſubditur cognitioni infallibili. cap.41.nu.20 *
Futura cõtingẽtia Deus cognoſcit.cap.41.n.20.
Futura non cognoſcunt certo arioli.cap.41.n.21.

G

GALEA ſalutis virtutes deſignat. cap. 59.nu.18.
Gaudium electorum in quo conſiſtat. c.35.n.1.
Gaudium impiorum fallax. cap.57.nu.20.
Gaudium iuſtorum florenti lilio confertur. cap.35.num.2.
Gaudium iuſtorum eſt indeficiens, reproborum ad inſtar puncti cap.35.nu.1.
Gedeonis vellus quid ſignificet. cap.29.nu.33.
Gehenna diabolo præparata eſt cap.30.nu.51.*
Gehennæ pœna grauiſſima.cap.30.nu 51.*
Generationes hominum aſſimilantur folijs arborum.cap.28.nu.1. *
GENTES excellentiorem cognitionẽ Chriſti habuerunt,quam Iudæi. cap.52. nu.18. *
Gentes fideles,Iudæos confundunt.cap 55.n.9.
Gentes omnes quaſi nihilum ſunt coram Deo. cap.40.nu.26. *
Gentes velociter ad Eccleſiam venerunt. cap. 60.nu.10.
Gentium benedictio in benedictione Iacob figuratur cap 29.nu.32.*
Gentium populus per iuniorem fratrem,& Iudæi per maiorem deſignantur. cap.43. nu.7.
In gentium vocatione impleta eſt promiſſio Abrahæ facta.cap.42.nu 12.
Gentium vocatio à quatuor mundi partibus prædicitur.cap 43.nu.6.
Gentium vocatio potentiam Crucifixi manifeſtat.cap.42.nu 9.
Gentilium corda per fluctus maris deſignantur cap.29 nu.34.
Gentilitas dicitur deſerta, inuia, & ſolitudo. cap.35.num.2.
Gladium inebriari,eſt plus ſolito ſæuire. cap. 34 num 4.
Gladius eſt verbum Dei. cap.30. nu.34.
GLORIA vana parum durat cap.51.nu.9.
Gloria vana quæ mala inferat. cap.39.nu.[illegible]
Gloria Dei non eſt alteri tribuenda. cap. 41. nu.18. cap.42 nu 13.
Gloria mundi flori decidẽti confertur.c.28.n.1

Glo-

Gloria mundi vana eſt,ideo fugienda. c.51.n.8.
Gloriari in Domino,quid ſit. cap.39.nu.6.
Grando iram Dei ſignificat. cap.28.nu.2.
Granum frumenti mortuum multum fructum attulit. cap.60.nu.26. *
Granum ſynapis typus eſt fidei. cap 35.nu.12.
GRATIA carens terra eſt arida. c.44 n.7.
Gratia renati diabolum ſuperant cap. 52. n 1.
Gratia, & liberum arbitrium non ſunt cauſæ partiales cap.33 nu 2. *
Gratia,& omnis virtus iuſtorum à Deo eſt.cap. 41.nu.15.
Gratia non reſpondet naturalibus, quia eſt ſupra totam naturam. cap.41.nu.14.
Gratia per Chriſtum,lex per Moyſem data eſt. cap.42.nu.9.
Gratiæ adiutorium requiritur, ad incipiendum bonum. cap.50.nu.7.
Ad Gratiam,ſine auxilio gratiæ, ſe non poteſt homo diſponere. cap.55.nu.2.
Gratiā non præcedunt opera naturæ.c 52.n.11.
Gratiarum actionem ſubiungit Iſaias poſt vaticinium myſteriorum gratiæ. cap.42.n.15.
Gratis venditi,& redempti ſumus. cap.52. n.3.
Gratitudo commendatur. cap.30.nu.50.
Gratitudo exigit, quod homo ſe ipſum offerat Deo. cap 40.nu.27.

H

HAEDOS paſcere, quid ſit c.57.n 17.
Hæreditas iuſtorum Deus eſt c 54 n.18.
HAERETICI deſtruere conantur Hieruſalem. cap 49 nu.16.
Hæretici relapſi igne comburuntur. c. 31. n.8.
Hæretici verbo Dei diſſipantur. cap.41. n 13.
Hæretici onagris conferuntur. cap.32. nu.20.
Hæretici peribunt, & proijcientur de Eccleſia vt puluis. cap 29.nu.12.
Hæretici non in publico, ſed occulte ſuas hæreſes docent. cap.33.nu.6.
Hæretici ſub verbis Scripturæ abſcondunt callide ſuos errores. cap.30 nu 45. *
Hæretici, canes & porci dicuntur. c.30.n.43. *
Hæretici diſſimulant quod eorum errores detegit, cap.36.nu.5.
Hæretici quatuor modis diuinis abutuntur Scripturis. cap.30 nu.45.*
Hæretici colorant Scripturis ſacris ſuos errores. cap.30.nu 12. *
Hæretici ſerpentibus ſimiles. cap.29.nu 28.
Hæretici ſunt ventilatores Eccleſiæ, per quos probantur fideles. cap.29 nu.12.
Hæretici multis locis Scripturæ peruerſe vtuntur ad ſuos confirmandos errores c.30.n.12.
Hæretici contra fideles inſurgunt, ſed fidem infringere non valent. cap 30.nu.43.
Hæretici dicuntur terminos tranſcendere.cap. cap 32.nu.20.
Hæretici ad prædam vigilant. cap. 32. nu. 20.
Hæretici non ſunt ſuſtinendi. cap.33 nu.16.
Hæretici aduerſus Eccleſiam non prȩualebunt. cap.54 nu.17.
Hæretici ſunt vaſa à diabolo fabricata. cap. 54. num. 15.
Hæretici ſub ouina pelle ſe contegunt. cap.36. num.8
Hæreticorum iacula in corda eorum vertuntur. cap.32.nu.6.
Hæreticorum verſutiæ. cap.30 nu.12
Hæreticorum conuenticula, nauis maris dicuntur ab Iſai. cap.33.nu.21.
Hæreticorum fraudes, & doli. cap.32.nu 6.
HAMVS verbum incarnatum ſignificat.cap. 49.nu 4.
Herba ſignificat incipientes. cap.30. nu 40.
Hieremiam præceſſit Iſaias, 150. annis. cap. 51.nu.3. fine
HIERVSALEM fuit ſexies deuaſtata. cap 29. nu.1.
Hieruſalem pluribus nominibus ſignificatur, ob ſuam eminentiam cap.29.nu.2. *
Hieruſalem deſtructio cap 32.nu.10 *
Hieruſalem dicitur Ariel ideſt leo, quia alijs ciuitatibus erat formidabilis. cap. 29. nu.2.
Hieruſalem Eccleſiam deſignat. cap 52 nu.10.
Hieruſalem viſio pacis. cap.32.nu.16.
Heiruſalem, quam dilecta fuerit Domino. cap. 38 nu.6
Hieruſalem calamitas, qualis fuerit. c.51 n.18.
Hieruſalem deſtruentes ſunt hæretici, & eius perſecutores. cap.49 nu 16.
Hieruſalem ſpiritualis ædificatio, per Chriſtum facta cap 49 nu.16.
Hieruſalem Boſra dicitur, & Edom. c.34 n.6.
Hirundinis clamor, quid ſignificet c 38. n.17.
Hircus Emiſſarius Chriſtū ſignificat.c.53 n 6.
Hiſtoria paſſionis Chriſti. cap.53.nu.12.
Holocauſta olim quam plurima offerebantur Deo, & quare. cap 40. nu 27.
HOMO ad bonum faciendum non eſt ſufficiens,niſi diuino adiuuetur auxilio c.50.n.7.
Homo eſt omnis creatura cap 34.nu.1.
Homo appetens ſimilitudinem Dei, diſſimilis factus eſt illi. cap.44 nu 4.*
Homo nihil boni ex ſe habet. cap 33. nu.13. *
Homo ſuis viribus non innitatur. cap.48 n.2.
Homo teſta eſt de Samijs. cap.45.nu.10.
Homo nihil habet, quod non ſit à Deo. cap. 50.nu.8.
Homo non eſt metuendus, ſed ſolus Deus. cap. 51. nu.14.

Homo



Homo facie in cælum erecta quare creatus ſit. cap.51 nu.21 *
Homo efficitur ſeruus ſuarum rerum,per inordinatum vſum earum. cap.3 .nu 6.
Homo filius eſt terræ, & nepos nihili. cap. 40. num.28. *
Hominis fragilitas. cap.40.nu.15.
Honores non ſunt quærendi. cap.49 nu.1.
Horologium Achaz,quid ſignificet c.38 nu 8.
HVMILES, & pauperes conſolatur Chriſtus. cap 40 nu.1
Humilians ſe exaltabitur. cap.49 nu.7.8.
Humilitatis cauſa eſt cognitio Dei,& propria. cap.41.nu 11.
HYPOCRISIS diu latere non poteſt. cap.58.nu 3.
Hypocrita non guſtat ſpiritualem dulcedinem. cap.35.nu.10.
Hypocritæ hiſtriones ſunt. cap.29 nu. 24.
Hypocritæ ſub ſcirpi nomine deſignantur. cap. 30 nu 40.*
Hypocritarum duplex iniquitas. cap.58.nu.2.
Hypocritarum ſimulationes reprehenduntur. cap.49 nu.21.

I

IACOB deſignauit prælatos. c.40. n.23.
Iacob fuit Chriſti figura, cap 43.nu 18.
Iacob quare ante canales virgas poſuerit. cap. 51.num.3.
IDOLA colentes,mente capti ſunt. c.46.n 6.
Idola abijcienda. cap.30.nu.39. *
Idola prius abijcienda ſunt, vt in nobis fructificet verbum Dei. cap. 30. nu.40.*
Idola maxime diſtant à Deo. cap 40.nu 29
Idola diuerſa fabricāt homines peccatores multis laboribus,& expenſis. cap.40.nu 29.
Idola corruunt in præſentia Chriſti. c.30 n.39
Idola quali hominum fiant induſtria. c.41.n.7.
Idola ex nihilo eſſe, qualiter intelligatur. cap. 41.num.21.
Idola quot ſumptibus, & laboribus fabricentur. cap 44 nu.8.9.
Idola prius deſtruit Dominus, & poſtea idolorum cultores cap.47.nu.1.
Idola timenda non ſunt,nec aliquid aliud præter Deum. cap 44 nu.7.
Idololatria dicitur fornicatio cap 57.n 8.
Idolorum cultores texantur. cap.46.num.4.
Idolorum imbecillitas cap.36.nu.10.
Idolorum ſpurcitia varijs nominibus explicatur. cap 44.nu 10.
Idolorum vanitas. cap.44.nu.6.
Idolum eſt omne peccatum mortale c.44.nu.5.
Idolum ſuum facit creaturam,qui peccat mortaliter. cap.31. num.6.
IEIVNARE ad contentiones, quid ſit. cap.58.nu.3.
Ieiunia Eccleſiaſtica damnant Lutherani. cap. 58. num 4.
Ieiunium Deo gratum,quale ſit. cap.58. nu.3.
Ieiunium ſuperſtitioſum notatur cap.58.nu.5.
Ieiunium quam ſit vtile. cap.58. nu.4.
Ieiunium quas debeat habere conditiones. cap 58.nu.6.
Ieſus eſt nomen nouum. cap 62.nu.2.
Ignis in iunipero multo tempore conſeruatur. cap.49.nu.2 *
Ignis non nocet ſanctis. cap 43.nu.3.
Ignis ſignificat verbum Dei. cap 41.nu.15.
Ignominia paſſionis Chriſti ſimilis magnitudini eius. cap.52.nu.17.*
Ignorantia affectata reprehenditur. c.30. n.11.
Imber incarnationem deſignat. cap.55. nu.16.
Imber ſignificat verbum Dei. cap.55.num.14.
Imitanda eſt Chriſti mortificatio. cap. 53. num.23
Immutari eſt renouari. cap 40 nu.40 *
Imperatores martyres perſequentes contriti ſunt. cap.41 nu.13.
IMPIORVM cogitationes ſtipulæ aſſimilantur. cap.33 nu.9.
Impiorum, & ſtultorum proprietates.c 32 n.6.
Impijs maiora ſemper adueniunt mala, quam ipſi timent. cap 28.nu 26.
INCARNATIO imbri confertur. cap. 55 num.16.
Incarnatio opus fuit omnipotentiæ Dei, & miſericordiæ. cap.45.nu.6.
Incarnatio tres miſturas continet. cap. 30. num.44. *
Incarnationis Verbi competens ſignum fuit quod datum eſt Ezechiæ. cap.38.nu.9.
Incarnatum Verbum comparatur ſigillo,anima noſtra ceræ. cap.29.nu 16.*
Incircumciſi dicuntur peccatores,& dæmones. cap 52.nu.1.
Increpat Deus ſuos, & qualiter. cap.54 nu.10.
Infernus eſt locus tenebroſus. cap. 30 nu. 51.
Infernus ſunt iuſtis concupiſcentiæ carnales. cap 57 nu 17.*
Inferni ignis quibus lignis nutriatur. cap. 30. num.52.*
Ad Inferos deſcendit Chriſtus. cap.61. nu.15.
Infirmitates ſanat Deus remedijs contrarijs, vt virtus eius magis ſplendeat c.38. n.26.*
Ingratitudo Iudæorum qualis cap 53.nu.7.
Iniuria pro Deo ſuſtinenda. cap.36.nu.12.
Iniquitas quid ſit. cap.40 nu 9.
Innocentum pœnis gaudet Deus. cap.30 num. 27.

Inſpi-

Inſpiratio bonorum eſt à Spiritu ſancto. cap. 57. nu. 16.
Inſulæ, quid ſignificent. cap.41.nu.1.
Interrogando confundit Deus hominem. cap. 41.num.2.
Inuenitur dilectus, cum contemnuntur terrena. cap.40. nu.37.
Inuidiæ zelus eſt compunctionis ſpiritus, quia pungitur cor inuidi. cap.29.nu. 9.
IOANNES Baptiſta diſcipulos habet cum Domino. cap.40.nu.10.
Ioannes Baptiſta eſt amicus ſponſi. cap.62.n.6.
Ioannes Baptiſta magnus eſt coram Domino. cap.40.nu.28.*
Ioannes Baptiſta eſt plus quã Propheta, & quare. cap. 40. nu.8.
Ioannes puer Propheta. cap.40.nu.9.
Ioannes Baptiſta quare in eremo prædicauit. cap. 40.nu.11.* eſt vox Verbi cap.40.n.10.
Ioannis Baptiſtæ conſtantia. cap.33.nu 5.*
Ioannis Baptiſtæ prædicationẽ vaticinati ſunt plures Prophetæ. cap.40.nu.8.
IOB curioſitas à Deo arguitur. cap.29. n.31.
Iob humilitas. cap.29.num.30.
Iob duo locutus eſt, de quibus pœnitet & quæ ſint illa. cap.29.nu.31.
Iob lepra percuſſus, ſignum fuit paſſionis Chriſti, cap.53.nu 7.*
Iordanis duo fontes, quid ſignificent. cap.35. num. 4.
Per Iordanem, ſacrum baptiſma intelligitur. cap. 50. num.4.
IOSEPH fugiens a Domina ſua, Chriſtum fugientem à ſynagoga deſignat. c.29. n.36.*
Ioſeph detinetur per duos annos in carcere, quia ſperauit in homine. cap.30. n.3.28.
Ioſeph eiſdem medijs fuit exaltatus, quibus eum fratres voluerunt deijcere. cap 40.n.32.
Ioſeph fides mirabilis. cap.28 nu.22.
Ioſeph ab Arimatia pietas erga Chriſtum. cap.53 nu.15.
IRA Dei contra Iudæos, & contra reprobos in die Iudicij. cap.28 nu.28
Ira Dei non tanget electos. cap.32.nu.18.
Ab ira Dei, nullus ſe poteſt abſcondere cap.30. num 19.
Ira Dei ſimilis grandini, & aquæ inundanti. cap.28.nu.2
Iſaiæ auctoritas, & ſanctitas. cap.37.nu.2.
Iſrael, quid ſignificet cap.49.nu.5.
IVDAEA Idumæa dicitur. cap.34. nu 4.
Iudææ deſolatio. cap.33.nu.8.
IVDÆI ad æmulationem adducuntur gentiũ conuerſione. cap.55.nu 10.
Iudæi calamo quaſſato conferuntur. cap. 42. num. 5.*
Iudæi capti ſunt ſicut beſtia agri. cap.51.n.19.
Iudæi, & Samaritani non ſibi conſentiebant. cap.65. num.20.
Iudæi ſciebant literas, ſed liber Scripturæ clauſus erat eis. cap. 29.nu.21. *
Iudæi conuertentur in fine mundi. cap. 32. num. 14.
Iudæi iugum Euangelij à ſeipſis excuſſerunt. cap. 42.num 22.
Iudæi Chriſti præſentiam ſuſtinere non potuerunt. cap.30.nu.10.
Iudæi fuerunt frater maior, gentes minor, cui ſeruit maior. cap.29.nu.32.
Iudæi in meridie palpant. cap.29.nu.20.
Iudæi malitioſe contra Chriſtum inſurgebant. cap 59.nu 14.
Iudæi noluerunt Eccleſiam intrare. cap. 29. nu. 19 *
Iudæi ſapientes fiunt inſipientes, & gentiles ſapientes fiunt. cap.29.n 27
Iudæi flagello ſpirituali, vſque in hodiernum diem flagellantur. cap 28. n.11.26.
Iudæi, ſtagnis areſactis, gentes fluminibus cõferuntur. cap.42.nu.19.
Iudæi vt canes eiecti ſunt foras. cap.43.nu.7.
Iudæorum cæcitas, & ingratitudo. cap 53.n.7.
Iudæorum cæcitas longo tempore durabit. cap.29.nu.17.
Iudæorum conuerſio quando futura. cap. 29. num. 36.*
Iudæorum duritia. cap 30.nu.9.cap 48.nu.2.
Iudæorum excidium Sodomæ exceſſit ruinam. cap 34.nu.7.
Iudæorum incredulitas reprehenditur. cap.42. num. 21.
Iudæorum malitia impleta eſt in morte Chriſti. cap.29.nu 33.
Iudæorum inſenſibilitas. cap.59.nu.12.
Iudæorum legem impugnantium Euangelicam confuſio. cap.41 nu.13.
Iudæorum peccatum quam inexcuſabile cap. 48 nu.4.
Iudæorum perfidia qualis. cap.33. nu.19.
Iudæorum populus per Manaſſem, & gentium per Ephraim deſignatur. cap.29.nu 33. *
Iudæorum ruina grauiſſima. cap. 28. num.14. cap.30.nu 14
Iudæorum ſanctitas circa finem mundi. cap. 32 nu. 15.
Iudæorum ſopor quàm grauis. cap.29. n.18.
A Iudæis ablatum eſt verbum Dei. cap. 30. num 10.
Iudæis clauſæ ſunt Scripturæ ſacræ, quæ reſerantur gentibus. cap.29.n.20.c.34.n.3.
A Iudæis receſſerunt Apoſtoli. cap.52. nu.14.
Iudæis in petram ſcandali, & ſupplicium fuit Chriſtus eorum malitia. cap.28. nu.18.
Iudæis reprobatis eliguntur gentes. cap. 29. num.32.
Iudæos confundit fides gentium. cap.52. n 18. cap.55.num. 9.
IVDICIS qualitates cap.32. nu. 12.
Iudicium Dei acceleratur aliquando. cap. 28. num 4.
Iudicium præcedent ſigna in Sole, & Luna. cap.30.nu.48.
Iudicium Dei, primo in Angelos, deinde in homines ſæuiet. cap 34.nu 4.
Iudicium reproborum terribile erit. cap. 57. num. 6.
Iudicium ſeuerius, reſeruatur Chriſtianis peruerſis. cap.34.nu.6.
Iudicium Dei ſemper repente occupat reprobos. cap.30.nu 13 cap.66 n 7.8.
Iudicij dies aquis inundantibus confertur. cap. 28.num.25
Iudicij dies bonos à malis diſtinguet. cap. 28. num. 25.
Iudicij dies, eſt dies nouiſſimus. cap.30.nu.8.
Iudicij dies, eſt dies vltionis. cap.61.nu.2.
Iudicij diem expectant creaturæ. cap 66.nu.9.
Iudicij forma in paſſione Chriſti non eſt ſeruata. cap.53.nu 12.
Iudicij die pauebunt reprobi. cap.30 nu.50.
Iudicij dies reprobis veniet inopinate cap. 30. num. 49.
Iudicij tempus, dicitur dies retributionum. cap.34.nu.6.
In Iudicio omnes ſubijcientur in Chriſto. cap. 45.num.18.
In Iudicio audietur vox Chriſti. cap.42. nu.3.
In Iudicio commutabitur ſors reproborum, & electorum. cap.30 nu 50.
In Iudicio conterentur, & comminuentur peccatores. cap.30.nu.14.
In Iudicio, non ſolum ſecuri, ſed & beati erunt iuſti. cap 28.nu.25.
Iudicis ira deſcribitur. cap.30.nu.49.
Iudicis ira qualis. cap 28.nu.28.
Iugum legis euangelicæ excutere voluerunt Iudæi à ſe. cap.42.nu.22
Iuniperus conſeruat ignem multo tempore. cap.49.nu.2
Iuramenta reprehenduntur. cap.29.nu.1.
In Iuramento requiritur veritas, & iuſtitia. cap.48.nu.1.
Ius profanum, quid ſit. cap 65.nu.3.
IVSTVS, nec eleuatur proſperis, nec frangitur aduerſis. cap.30 nu 38.
Iuſtus perit, ſed apud cogitationes diuitum, non apud Deum. cap.57.nu 1.
Iuſtum vnum pluris æſtimat Deus, quam vniuerſum mundum. cap. 43. num. 4.
Iuſtum vnum quærit Deus, vt multitudini parcat. cap.43.nu 5 cap 57.nu.2.
Iuſti ligna dicuntur. cap 60.nu.17.
Iuſti morte rapiuntur, ne à reprobis coinquinentur. cap.57.nu.3
Iuſti ſunt genus Dei cap 42.nu.12.
Iuſti patienter ferunt aduerſantium opprobria, cap 42 nu.6.
Iuſti illudunt diabolum. cap.54 nu.15.
Iuſti ſalicibus ſimiles. cap 44.nu.3.
Iuſti ſemper ſunt pauidi, & quare. cap. 38. n.7.
Iuſti iram Dei auertunt. cap.64.nu.8.
Iuſti ſunt omnes in patria. cap 60.nu.24.
Iuſti ſunt plantatio Domini. cap.51 nu.3.
Iuſti vermes dicuntur, quia contemptibiles videntur. cap 41.nu 15.
Iuſtorum diuerſitas, per diuerſitatem arborum deſignatur. cap 41.nu 18.
Iuſtorum pia querella. cap 57.nu.1.
Iuſtorum vita arbori exciſæ confertur. cap.37. num. 17.
Iuſtorum hæreditas Deus. cap.54.nu.18.
Iuſtorum opera non ſunt omnia peccata. cap. 64.nu.5.*
Iuſtos reputat mundus infelices, quia temporaliter tribulantur. cap.40.nu 38.
Iuſtificatio dicitur creatio, quia fit abſque vllis præcedentibus meritis. cap.65.nu.13.
Iuſtificatio impij eſt maius opus, quam creatio mundi. cap.33 nu.19.
Iuſtificatio impij eſt maximum opus Dei. cap. 43.num 13
Iuſtis beſtiæ ſubduntur, quia beſtiales motus carnis ſuperant. cap.35.nu.15.
Iuſtis ſubijciuntur dæmonia, ſed non in hoc gloriandum. cap.41.nu.16.
Iuſtitia Dei quæ ſit. cap.54.nu.13.
In Iuſtis Deus iniuria afficitur. cap.37. n.11.
Iuſtitia dicitur lorica. cap.59.nu.18.
Iuſtitia generalis omnes includit virtutes. cap. 56.num.1.
Iuſtitia ſplendet, & miſericordia in omnibus operibus Dei. cap.28.nu.27.*


L


LAbia veracium, qualiter Deus commutet, cap.29.nu.33.
Labor impiorum eſt inanis, non autem iuſtorum. cap.65.nu.18.
Lac ſignificat Verbum Dei. cap.55.nu.1.
Lac ſignificat aliquando voluptates ſæculi. cap. 28 num 9.
Lacrymæ iuſtorum plenæ ſunt gaudio. cap 30. num.23.


Lanam

Captiuitas Babylonis captiuitatis peccati typum geſſit. cap.40. nu 1.
Captiuitas vera eſt peccati captiuitas. cap.52. nu.4.
Carnales ſalicibus conferuntur.cap.44.nu 3.*
CARO eſt quaſi flos fœni. cap.40.nu. 15 17.
Caro tam in iuſtis, quã in reprobis ſpinas profert contra ſpiritum, in pœnam inobedientiæ Adæ.cap. 32 nu.12 *
Caro ſilet, cum ſpiritui non contradicit cap. 30 nu. 17. *
Caro ſpiritui reſiſtit cap. 28.nu.9.
Cathedra peſtilentiæ eſt ſimonia. cap.29 n.8.*
Cedar deſignat peccatores cap.42 num.15.
Cæci habentes oculos, & non habentes qui dicantur. cap.43.nu.7.
Cæcos & claudos auferre quid ſit cap.29 nu.4
Cæcos & claudos tum corporaliter, tum ſpiritualiter ſanauit Chriſtus cap 35 nu.8 *
CAELVM aſcenſurus quas debeat habere conditiones cap.33.nu.12. *
Cælum deſertum dicitur, & quare. cap. 40. nu 23
Cælum complicari quid ſit. ca 34.nu.3.*
Cælum nouum, & terra noua eſt cæleſtis patria.cap.65 nu.13.
Cælos diſrumpere eſt miſereri.cap 64.nu.1.
Centurionis fides cap.41.nu.22.
Cerui ſignificant Apoſtolos.cap.34.nu.11.
Chananææ miſericorditer diſtulit Deus concedere,quod petebat cap 30.nu. 25 *
CHARITAS erga proximos qualis eſſe debeat cap.60 nu. 0
Charitas via eſt,& ſemita cap.35 nu.13.
Charitas Pauli qualis. cap.41.nu.17.
Chriſtianæ religionis ſumma in quibus conſiſtat cap 44. nu 4.
Chriſtiani ſancti dicebantur olim cap.60 n.24.
CHRISTVS triſtitiam habuit verã cap. 42.num 8.
Chriſtus mortuus eſt, quando ipſe voluit, & quomodo voluit. cap.53. n. 10 *
Chriſtus eſt brachium Domini cap.51.nu.6.10
Chriſtus hirco emiſſario præfiguratus eſt cap. 53.num.6. *
Chriſtus gratis nos Deo reconciliauit. cap.53. num 8
Chriſtus à Iudæis elongatus eſt.cap. 59.nu.10.
Chriſtus appellatur iuſtus anthonomaſtice.ca. 51.nu.1.
Chriſtus quibus armis diabolum ſuperauit. cap.59.nu.18 *
Chriſtus multis rebus aſſimilatur per Prophetas.cap 52.nu.5. *
Chriſtus morbos corporales etiam abſtulit.ca. 53.nu.6.
Chriſtus virgulto confertur.cap.53.nu.2.*
Chriſtus ſuæ mortis cauſa fuit indirecte. cap. 53.nu.20. *
Chriſtus agno paſchali confertur.cap.53.nu.11
Chriſtus in paſſione denigratus candidos electos efficit.cap.54.num.9. *
Chriſtus refugium noſtrum in omni aduerſitate.cap. 32.num.2. *
Chriſtus Dominus in præſepio poſitus,loquitur nobis quaſi balba lingua.cap.28.nu.11.*
Chriſtus ex alieno apparuit deſpectus, ſed ex proprio glorioſus.cap 33.nu.13.*
Chriſtus eſt vir habens funiculum menſuræ. cap 28.nu.23.*
Chriſtus fundamentum, & lapis angularis Eccleſiæ cap.28.nu.20.
Chriſtus lapis reprobatus ab hominibus, ſed à Deo electus cap.28. nu 20.
Chriſtus probatus per omnia. cap.28. nu.20.
Chriſtus eſt menſura,qua lapides ædificij regulantur cap. 28.nu.24.
Chriſtus eſt Samaritanus hominem ſanans ca. 30 nu 47.
Chriſtus aqua eſt,& panis cap 55.nu.3. *
Chriſtus potius cogitationibus reſpondebat, quam verbis.cap 32.nu.6.
Chriſtus inter legiſlatores excellentiſſimus. cap.33. nu,20.
Chriſtus bis clarificatus.cap.55 n.10.
Chriſtus dicitur videns, qui occulta cordium intuetur. cap.28 num.7.
Chriſtus dicitur arguens in porta, ideſt in iudicio. cap.29 num.35.
Chriſtus proſperitatem hominis ſuam reputat. cap 55.num.16. *
Chriſtus doctor,& teſtis.cap.30.nu.33 *
Chriſtus teſtis dicitur.cap.55 nu.7. *
Chriſtus à Synagoga exijt nudus cap.29.nu.36
Chriſtus iudex,legifer,Rex, & Saluator.cap.33 nu,20.
Chriſtus glorificatus eſt à Patre in transfiguratione cap.55.num 10.
Chriſtus dux & præceptor. cap.55.nu 9.
Chriſtus audiendus eſt,& comedendus.cap.55. num 5.
Chriſtus morti tripliciter ſeipſum tradidit. cap.53 nu 20.
Chriſtus cum iniquis deputatur.cap 53.nu.21.
Chriſtus venit,poſtquam homo expertus eſt, quid poſſet ſine gratia. cap.40. nu.6. *
Chriſtus dicitur nouiſſimus virorum, & ſciens infirmitatem, quia pœnam noſtris peccatis debitam pertulit. cap.53.nu.4.
Chriſtus ſanauit cæcos,& claudos.cap.35.nu.8
Chriſto omnes ſubijcientur in iudicio. cap.45. num.18.





Chriſtus natus quare ſuper fœnum ſit poſitus. cap.40.nu 17.
Chriſtus flet miſerias,& obdurationes noſtras. cap.49 nu.6.
Chriſtus palam loquutus eſt,non in abſcondito.cap.45.nu.16.
Chriſtus quatenus homo,ſeruus dicitur Patris. cap.49 nu.5.
Chriſtus in propria perſona non prædicauit, niſi Iudæis. cap.42. nu.4.*
Chriſtus vt nutrix fouet ſuos.cap,46. nu.2.
Chriſtus in pharetra poſitus, ſignificat Deum humanitate tectum. cap.49. nu.4.
Chriſtus aui confertur,& giganti. cap 46.nu.7.
Chriſtus ſuam diuinitatem ex cognitione cordis humani, & futurorum contingentium oſtendit.cap 41. nu 19. *
Chriſtus orandus eſt vt Deus cap 45.nu.14.
Chriſtus in reſurrectione inſtaurauit teſtes ſuos.cap. 43 nu.8 *
Chriſtus verus eſt paſtor ca.44.nu.17.
Chriſtus a Patre miſſus eſt in mundum.cap.48 nu.10.
Chriſtus natus pedibus ſuis ſubiecit potentes & reges.cap.41.nu 22.
Chriſtus verbum iuſtitiæ dicitur. cap.45. num.18.
Chriſtus in ſinu Patris Filius, ſed in Matris gremio ſeruus dicitur.cap.42.nu.1.
Chriſtus quo miſſus fuerit propter homines. cap 43.nu.12.
Chriſtus qualiter prædeſtinatus fuerit Filius Dei. cap.45 nu.4.
Chriſtus non propria culpa pertulit flagella, ſed aliena.cap.50.n.11.
Chriſtus fluuius eſt paradiſi, qui per quatuor Euangeliorum flumina Eccleſiam irrigat. cap 41. nu 17.
Chriſtus vt homo eodem quo nos menſuratur tempore cap.38. num.9.*
Chriſtus eo quod veritatem docebat,contemnebatur.cap.50.nu.3.
Chriſtus prænunciatus fuit ante eius aduentũ. cap.48.nu. 9.
Chriſtus teſtis fuit eorum quæ prædicauit.cap. 43.nu.9. *
Chriſtus habuit ſcientiæ plenitudinem.cap.52. num.17.
Chriſtus mortuus magnum fructum attulit. cap.54 nu.1. *
Chriſtus pro tranſgreſſoribus orat. cap. 53. nu.23.
Chriſtus ex iuſtitia nos redemit. cap.33. nu.3.
Chriſtus reformauit legis corruptelam.cap.28. nu.23. *
Chriſtus venit principaliter ad delendum peccatum originale.cap.53.nu.17.
Chriſtus liberauit exiſtentes in Limbo cap.49. num.10.
Chriſtus ſoluit debita noſtra cap 50.nu.11.
Chriſtus innocens morti traditur, vt mulier peccatrix dimittatur cap.53.nu.16.
Chriſtus eſt Dominus noſter titulo creationis, & redemptionis.cap.43.nu.1.
Chriſtus excellentior eſt Moyſe. cap.42.n.28.*
Chriſtus excellentior eſt Angelis.cap 42.n.27.
Chriſtus in paſſione minoratus eſt paulo minus ab Angelis. cap.42.nu.27.
Chriſtus mortem præ oculis ſemper habuit. cap.40 cap.23. *
Chriſtus quanta pro nobis paſſus ſit. cap. 49. num.15.
Chriſtus vias ambulauit, & ſemitas. cap.40. num.12.
Chriſtus venit poſtquam homo expertus eſt, quid poſſet per naturam cap.40.nu.15.
Chriſtus Deus eſt & homo. cap 35.num.7 cap. 42.nu.9.cap.44. nu.5. cap.40 num.24. cap. 54.nu 6. *
Chriſtus in iudicio contra hoſtes ſuos iraſcetur.cap.42.nu 8.
Chriſtus maledictionem abſtulit peccati. cap. 42.nu.12.
Chriſtus loquitur per ſanctos ſuos cap.40.n.2.
Chriſtus eſt Melchiſedech,ideſt Rex pacis.cap. 42.nu.11.
Chriſtus in primo aduentu miſericordiam, ſed in ſecundo iuſtitiam oſtendet.cap.42.nu.7.*
Chriſtus licet manſuetus,acriter contra peccatores inuehitur.cap 42.nu.7.
Chriſtus pro Eccleſia ſeruiuit 33. annis,ſicut Iacob 7. pro Rachel cap 43.nu.18.
Chriſtus venit in ſimilitudinem carnis peccati, vt hominem faceret ſimilem Deo. cap. 44. num 4.
Chriſtus fideiuſſor eſt, qui nos à morte eripuit, & pro nobis reſpondit.cap 38.num.18.
Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ cap.61. nu.12.
Chriſtus ante ortum rex fuit cap 49.num.1.
Chriſtus poſt tergum ſuum portat peccata noſtra.cap.38.nu 22. *
Chriſtus vnctus, & vngens. cap.61. nu.1.
Chriſtus à Iudæis elongatus eſt. cap.59.nu.10.
Chriſtus lux eſt,& ſplendor. cap.60. num.2.
Chriſtus quibus armis diabolũ ſuperauit. cap. 59.nu.18.
Chriſtus Samaritanus eſt, ſanans vulnera noſtra.cap.61.num.1.
Chriſtus pro omnibus quo ad ſufficientiam,pro electis quo ad efficaciam ſatisfecit. cap 53. num.9.
Chriſti aduentus prædicitur. cap.41.nu 22.

Melchiſedech, ſignum fuit Chriſti. cap. 42. num. 11.
Migma quid ſit. cap. 30. nu. 44.
Mille anni vniuerſitatem deſignant annorum. cap. 41. nu. 2.
Milui ſignificant Apoſtolos. cap. 34. nu. 10.
Miniſtri Dei timendi ſunt, & venerandi. cap. 51. num. 16.
Miracula antiquorum quare commemoret Scriptura. cap. 51. nu 3.
Miraculis non emolliuntur reprobi. cap. 33. num. 11.
Miſael quis fuerit. cap. 39 nu. 6.
Miſereri eſt opus Dei, punire alienum ab eo. cap. 28 nu 29.
Miſeria antiqua conſideranda ſemper. cap. 51. num. 17.
MISERICORDIA erga pauperes inſtaurat diſſipata. cap. 58. nu. 12.
Miſericordia Dei retribuit nobis duplicia bona pro peccatis. cap. 40. nu. 7.
Miſericordia Dei in peccatoribus ſplendet. cap. 41. nu. 10.
Miſericordia magis ſplendet, cum indignis benefacit. cap. 28. num 17.
Miſericordia exaltat Deum. cap. 30. nu. 21.
Miſericordia Dei iram temperat. c. 28. n 17.*
Miſericordiæ viri qui dicantur. cap. 57. nu. 2.
Miſericordes non peribunt. cap. 32. nu. 21. *
Miſſio in Diuinis quomodo intelligatur. cap. 48 num. 10.
Myſterium Trinitatis innuitur. cap. 48. num. 7.
Mixturæ tres in incarnatione, & Euchariſtia. cap. 30. nu. 44 *
Moabitarum excluſio typus fuit excluſionis Iudæorum. cap 29. nu 5.
Molere farinam, quid ſit. cap. 47. nu. 3.
Monachus non ex veſte, ſed ex vita eſt agnoſcendus. cap 49. nu. 18.
Montes Apoſtolos ſignificant. cap. 30. num. 46. cap. 49 cap. 18.
MORI recuſauerunt antiqui, & quare. cap. 38. num. 3.
Morituri conſolantur maxime recordatione bonorum, quæ geſſerunt in vita. cap. 38. num. 4.
Moriuntur quidam ſtatim nati, quidam in iuuentute, quidam in ſenectute. cap. 38. num. 14. *
Moriuntur iuſti pleni dierum, non autem peccatores. cap. 65. nu. 15.
MORS electorum cygni, reproborum Syrenæ morti confertur. cap. 38. nu. 4. *
Mors eſt iuſtorum requies. cap. 57. nu. 5.
Mors ſecunda animam nolentem tenet in corpore. cap. 30. nu. 49.
Mors eo amarior, quo vita fœlicior fuerit. cap. 38. nu. 21.
Mors Redemptoris venenum fuit diabolo. cap. 49. num. 18.
Mors præ oculis habenda exemplo Chriſti. cap. 40. num. 23.
Mors Chriſti dicitur reconciliatio. cap. 60. num. 14.
Mors ſuauis eſt poſt paſſionem Chriſti, quæ prius erat terribilis. cap. 38. nu. 11.
Mors Principis tremenda. cap. 38. nu. 21.
Cum Morte pactum inire dicuntur reprobi, quia ſecure viuunt. cap. 28. num. 15.
Mortem corporis ne timeas; animæ autem caue. cap. 51. nu 9.
Mortem Chriſti quam pauci recogitent. cap. 57. num. 4.
Morti Pater Chriſtum tradidit ex charitate; Iudæi ex inuidia. cap. 53. nu. 14.
Morti ſe Chriſtus ex mera charitate obtulit. cap. 53. num. 10.
Mortis hora incerta eſt, vt homo ſemper vigilet. cap 38. num. 2.
Mortis immaturæ non eſt quærenda ratio. cap. 38. uum. 14.
Mortis dies incertus, & quare. cap. 38. nu. 15.
Mortis meditatio quam vtilis. cap. 47. num. 5.
Mortis memoria multa affert bona. cap. 56. num. 1.
MOYSES, Aaron, & Samuel quales fuerint. cap. 43. nu. 20.
Moyſi manus leproſa, Chriſti paſſionem ſignificabat. cap. 53. num. 7.
Moyſi virga, brachium Dei dicitur. cap. 63. num. 13.
Moyſi oratio qualis. cap. 37. nu. 4.
Mulier peccatrix dimittitur, & homo innocens morti traditur, & quare. cap. 53. num 16. *
Mulierum ornatus ſuperfluus reprehenditur. cap. 32. num. 10.
Multi aliquando ſignificat omnes. cap. 53. n. 22.
Mundi innouatio futura in fine ſæculi. cap. 65. num. 13.
Mundus nullus eſt in conſpectu Dei. cap. 52. num. 15.
Mundus, carnalibus cupiditatibus deditos ſignificat. cap. 42. nu. 10.
Munera excutienda ſunt. cap. 33. num. 12.
Murus ſignificat Eccleſiam. cap. 60. nu. 14.

N

NABAL ſignificat ſtultum, impium. cap. 32. num. 5.
Naſci inter Chriſtianos magna eſt miſericordia. cap. 41. num. 10.

Naſci



Natiuitatis Domini die, Romæ fluxit oleum, & in Hiſpania apparuerunt tres ſoles. cap. 30. num 48.*
Naturæ opera nihil valent de ſe, ad conſequutionem gratiæ. cap. 43. nnm. 17.*
Naues maris homines peruerſi dicuntur. cap. 60 num 13.
Naues maris ſunt hæretici. cap. 33. num. 21.
Nazaræorum error circa obſeruantiam legalium. cap. 42. num. 24.
Nebula peccata ſignificat. cap. 44. num. 14.
Nix ſignificat verbum Dei. cap. 55. num. 14.
Nobiles Eccleſiæ præditi ſint virtute. cap. 34. num. 10.
Nobilitas coniuncta virtuti eſt laudabilis, ſine illa non placet Deo. cap. 28. num 6.
Nocere iuſto nullus poteſt, niſi quantum Deus permittit. cap. 54. num. 16.
NOMEN Dei in ore, & corde portandum. cap. 48. num. 1.
Nomen Ieſu Chriſti ſemper memoria retinendum. cap. 48. num. 0
Nomen imponere, eſt ſignum Dominij. cap 40. num. 34.
Noua dicuntur quæ ad ſtatum legis Euangelicæ pertinent, alia vetera cẽſentur. c. 42. n. 14.
Nouiſſimorum meditatio quàm vtilis c. 47. n. 5
Nox ſignificat legem antiquam. cap 38. n. 16.
Nubes deſignant Apoſtolos. cap. 60 nu. 11.
Nubes ſignificant peccata. cap 44. num. 11.
Nudatio calamitatem magnam deſignat. cap. 32. num. 10.
Numerus denarius quid ſignificet. cap. 49. n. 9.
Numerus finitus pro infinito. cap. 30. num 47.
Numeris libabant Iudæis. cap. 65. nu. 9.
Nuptias virginitati præferentes impugnantur. cap. 56. num. 5.

O

OBEDIENTIA Chriſti. cap. 50. n. 8.
Obſirmare faciem quid ſignificet cap. 50. num. 10.
Oleum fluxit Romæ, & in Hiſpania in die Natalis Domini. cap. 30. num. 48.
Onagri deſignant hæreticos. cap. 32. num 20.
Onus iumentorum, quid ſit. cap 30. num. 6.
OPVS Dei eſt miſereri. cap 28. nu. 29. 30.
Opera bona moralia peccatoris ad quid valeant. cap 43. num. 18.
Opera mortua ſunt quæ fiunt in peccato mortali. cap. 44 num. 14.
Opera noſtra non præcedunt gratiam, quæ ſola Dei miſericordia datur. cap. 52. num. 11.
Opera iuſtorum non ſunt omnia peccata. cap. 64. num. 5. *
Opera praua ſunt oua aſpidum. cap. 59. num.
Opera mortificata, qualiter reuiuiſcant. cap. 44 nu. 13. *
Opprobriũ Crucis Chriſti honor eſt c. 60 n. 15.
ORANDI modus, & forma, & effectus cap 37. num. 4
Orandi modus perfectus, qualis ſit. cap. 37. n. 9.
Orandum ſemper eſt pro errantibus à via. cap. 49 num. 6.
Orans, ad parietem, ideſt ad Chriſtum faciem conuertat. cap. 38. num 3.
Orantes conſolatur Deus, & illis ſtatim reſpondet. cap. 37. num 10.
Orare deſiſtunt qui abundant temporalibus cap. 57. num. 11.
ORATIO Chriſti pro tranſgreſſoribus effuſa cap. 53. num. 23.
Oratio omnes ſpiritus profligat afflictiones. cap. 56. num. 6.
Oratio Phariſæi, & Publicani. cap. 30 nu. 26.
Oratio Ezechiæ, Moyſi, & Danielis, qualis fuerit. cap. 37. num. 4.
Oratio Ezechiæ quare confertur clamori hirundinis, & meditationi columbæ. cap. 38. num. 17.
Oratio ſpiritum requirit purum, & quietum cap. 37. num. 8.
Orationis petitiones, quare differat Deus concedere. cap 30. num. 26. *
Orationis humilis quanta ſit efficacia. cap. 38. num. 6.*
Orationis domus eſt templum. cap. 56 num. 7.
Orationi non vnus locus præſcribitur in lege gratiæ. cap. 37 num 8.
Orationem humilem commẽdat Deus, multa propter iuſtos faciens. cap. 37. num. 18.
In Oratione verba Dei repetere eſt valde vtile. cap. 37. num. 9.
Orationes cum mentis puritate fundendæ. cap. 29 num. 25.
Orationes iuſtorum ſtatim exaudit Deus. cap. 30 nu 24. c. 65. nu. 19.*
Orationes exaudit Deus tempore opportuno. cap. 30 num. 28.
Orationes prius exaudit Deus, quàm effundantur. cap. 30. num. 24.*.
Orationes in Eccleſia fuſæ ſunt Deo gratiſſimæ. cap. 37 num. 8.
Orationes iunctæ eleemoſynis ſunt efficaciſſimæ. cap 58. num. 9.
Orationes matutinæ ſunt Deo acceptæ, cap. 33 num 3. cap 50. num. 8.
Orationes noſtræ quare multoties non audiantur à Deo. cap. 30 num. 25. *
Orationes noſtræ Deum delectant, ideo differt dare quod petimus. cap. 30. nnm. 27.*

e Oret

Oret homo Deum ſicut pauper eleemoſynam petit. cap 30.num.26.
Originale peccatum venit Chriſtus delere principaliter. cap.53.num.17.
Oryx animal eſt ſilueſtre. cap.51.nu.19.
Oſſa quid ſignificent. cap.58 num.11.
Oua aſpidum quid ſignificent. cap.59.nu.5.
Oues ſuas agnoſcit Chriſtus. cap.40. num.36.

P

PACTVM & fœdus ſignificant idem quod teſtamentum. cap.55.num.7.
Pagani quia neſciunt literas, librum apertum, ideſt, Chriſtum, non intelligunt. cap.29 n 21.
Palpare in meridie eſt repugnare veritati agnitæ. cap 59 num.11.
Panis pinguis ſignificat Euchariſtiã c.30.n.41.
Panis Chriſtum ſignificat. cap.55.nu.3.
Panis arctus, & aqua breuis, quid ſignificent. cap 30.num 29.
Pars iuſtorum Deus eſt. cap.57.num.8.
Partus Eccleſiæ mirabilis. cap.66.nu.8.9.
Partus Beatiſſimæ Virginis fuit ſine dolore. cap.66.nu.8.9.*
PASSIO Chriſti nos ducit ad gloriam. cap.30.num.36.
Paſſionis Chriſti acerbitas quanta. cap.53.n.3.
Paſſionis Chriſti contemplatio deuotiſſima. cap.50.num.9.
Paſſionis Chriſti deſcriptio. cap.53.nu.12.
Paſſionis Chriſti ignominia quanta. c.53.nu.4.
Paſſionis Chriſti ignominia ſimilis magnitudini diuinitatis eius. cap 52 nu.17.*
Paſſionis Chriſti vaticinium. cap.53.nu.2.
PASTOR verus Chriſtus eſt. cap.44.n.17.
Paſtor, & Prælatus ſubditorum infirmitati condeſcendat, ſicut Iob. cap.40.num.23.
Paſtoris duæ conditiones. cap.40.num.23.
Paſtores peruerſi ad ebrietatem; recti ad ſanctitatem ſuos inuitant. cap 56.num.14.
PATER orbatur prole in pœnam ſuorum delictorum. cap.48.nu.12.
Pater, & Filius ſunt Spiritus ſancti principium. cap.34.nu.12.
Patres antiqui vincti tenebantur in limbo. cap.42.num.12.
Patres antiqui placuerunt Deo per fidem Ieſu Chriſti viuam. cap 42.nu.32.
Patres qui filios impediunt, ne fiant religioſi, taxantur. cap.55 nu.17.
Patrum clamores, & petitiones diſtulit Deus, & quare. cap.30. num 26.
Patribus antiquis non patebat aditus ad regnũ cælorum. cap 38.num.11.
Patriæ cæleſtis continuam memoriam habent electi. cap.33.num.14.
Patienter pro Dei gloria ſunt iniuriæ ſuſtinendæ. cap.36.num.12.
PAVLVS cæteris Apoſtolis confertur. cap.45.num.5.
Paulus in faciem reſtitit Petro. cap.42.n.25.*
Paulus abortiuum ſe dicit, & quare. c.66.nu.9.*
Paulus paruulus interpretatur. cap.60 nu.26.
Paulus præfertur Ioſeph Patriarchæ, Dauid, & alijs. cap.45.num.5.*
Paulus teſtis fuit ocularis diuinitatis Chriſti. cap.43.num.10.*
Paulus vt leo Chriſti oues dilaniabat. cap.29.num.9.
Pauli affectus erga fideles. cap.60.num.5.
Pauli charitas erga Iudæos. cap.33.num.7.cap.55.num.10.cap.41.num 17.
Pauli epiſtola ad Hæbreos exponitur. c.42.n.24
Pauli conuerſio mirabilis. cap.29.num.11.
Paulo Apoſtolo adaptantur, quæ Iſaias dicit de Cyro. cap 45.num.5.*
Paulo miſericordia collata qualis. cap.28.n.17.
Paulo non nocuit vipera. cap.35.num.15.*
Paulum conuertens Chriſtus fuit plaſtes conculcans humum. cap.41.num 22.*
Paulum proprio nomine vocat Chriſtus de cælo. cap 45 num.5.*
PAVPER qualiter eleemoſynam petat. cap.30.num.26.
Pauperes conſolatur Dominus. cap.40 num.1.
Pauperes Dei quidam ſunt, quidam diaboli. cap 49.num.13 *
PAX regni Chriſti qualis. cap.32.num.16.
Pax iuſtorum duplex. cap.57.num.20.
Pax iuſtorum occulta. cap 57.num.5.
Pax iuſtorum perfecta erit in patria. c.57.n 19.
Pax mundi ſimulata. cap 32.num.16.
Pax Eccleſiæ triumphantis, qualis. c.54.nu.13.
Pax Sanctorum in patria cap.32. nu.17.
Pax vnde generetur. cap.54.num.13.
Pax ſanctorum qualis. cap.32.num.16.
Pax vera non eſt impijs. cap 57.num.20.
Peccans mortaliter idolum ſuum facit creaturam. cap.31 num 6.
Peccare coram Deo quid ſit. cap.59 num.13.
PECCATOR à Deo recedit. cap.29.num.23.
Peccator propria culpa perit. cap.50. num.2.
Peccator Babyloni confertur. cap.47. num.3.
Peccator longe eſt à Deo. cap.49 nu.13.
Peccatores diuerſis animalibus ſunt ſimiles. cap.34.num.8.*
Peccatores frenum dicuntur erroris, quia alios trahunt ad culpam. cap.30.num.49.
Peccatores à iuſtis arguendi. cap.52 nu 12.
Peccatores incircuncisi dicuntur. cap 52. nu.1.





Peccatores beſtijs ſiluæ conferuntur. cap.56.num.10.
Peccatores nihil eſſe dicuntur. cap.65.nu.13.
Peccatores proficiunt in peius. cap.30. nu 10.
Peccatores equus dicuntur, & mulus. cap.30.num.49.
Peccatores qualiter derelinquat Deus. cap 54.num.8.
Peccatores ſunt agricultura diaboli. c.61.n.3.
Peccatores pluries arguuntur, vt reſipiſcant. cap.29.num.1.
Peccatores nauis maris dicuntur. cap.60.n.13.
Peccatorum excuſationes ſunt vincula, quibus magis implicantur. cap.28.num.31.
Peccatoribus parcit Deus propter nomẽ ſuum. cap 48.num 5.
Cum peccatoribus habitare quam periculoſum ſit. cap 52.num.13.
Peccatum quot modis accipiatur. cap.·o. n 9.
Peccatum cum commiſerit quis, feſtinet pœnitentiam agere de illo. cap.50.num.13.
Peccatum mortificat opera bona præcedentia. cap.64.num.13.*
Peccatum per malitiam commiſſum difficile dimittitur. cap.50.num 13.
Peccatum non ſolum non eſt patrandum, ſed nec ineundum conſilium, vt fiat. cap.30.num 1.*
Peccatum omne mortale idolum eſt hominis. cap.44.num 5.
Peccatum vnum ad aliud excitat. c.34. nu.11.
Peccatum quam graue ſit. cap.43.nu.1.
Peccatum deſtruit animam, ſicut tinea veſtem. cap.50.num 12.
Peccatum fuge, ſed poſtquam commiſſum fuerit, pudeat te peccaſſe. cap.48.nu.3.
Peccatum pro formali, eſt quædam natura poſitiua. cap.45.num.6.
Peccatum, vt ens, à Deo eſt. quia vt ſic bonum eſt. cap.45.num.6.
Peccati ſeruitus eſt vera captiuitas. cap.52.num.4.
Peccati cauſſa non eſt Deus, etiam indirecte. cap 34.num.13.
Peccati grauitas multis nominibus exprimitur. cap.40.nu.4.*
Peccati captiuitas qualis. cap.40.nu.1.
Peccato ſubiacent omnes filij Adæ. cap.59.num.9.
Peccato offenduntur tres perſonæ Trinitatis. cap.40.num.9.
Peccata peccatores accuſant. cap.59.nu.13.
Peccata reſpondere peccatoribus quid ſit. cap.59.num.13.
Peccata dimiſſa non improperat Dominus. cap.54.num.4.
Peccata venialia conferuntur pulueri; mortalia vero luto. cap.52.nu.2.*
Peccata noſtra occiderunt Chriſtum cap 53.num.9.*
Peccata ſunt latrones, in quos incidit homo. cap.30.num.47.
Peccata habet homo à ſeipſo. cap.43. nu 18.
Peccata diuerſa diuerſis animalibus conferuntur. cap.34 num.11.
Peccata nubi conferuntur. cap.44 nu 11.
Peccata nebulæ conferuntur cap 44 nu.14.
Peccatorum conſideratio præmittenda ante ſacramentum pœnitentiæ. cap 43.nu 21.
Peccatorum contritio duplex. cap.28. nu.4.
Peccatorum fœtor, & corruptio. cap.34. nu.2.
Pedes Prædicatorum ſpecioſi. cap.52.nu.6.
Pœna inferni æterna cap 30 num.50.
Pœnæ damnatorum perpetuæ. cap.28.nu.35.
Pennas vt aquilæ aſſumunt iuſti. cap.40 num.42.
POENITENTIA eſt vera quies peccatoris cap 30 num.15
Pœnitentia non eſt differenda. cap.50 nu.13.
Pœnitentia reuiuiſcunt opera mortificata. cap.44 nu 13.*
Pœnitentia fugat peccata, vt ventus nebulam. cap.44 num 14.
Pœnitentia reſoluit peccata, ſicut gelu auſter liquefacit. cap 44.nu.13.*
Pœnitentiæ locum concedit Deus peccatori. cap 29.num 6.
Pœnitentiæ efficacia cap.38.num.19.
In Pœnitentiæ ſacramento peccator eſt reus, accuſator, & teſtis. cap.43 nu 21.
Ad Pœnitentiam inducit temporis opportunitas. cap.95.nu.11.
Pœnitentes Deus benigne ſuſcipit. cap.54.num.7.
Pœnitentium dolor qualis. cap 59 num.12.
Pœnitentibus offenſam remittit Deus toties quoties. cap.55.num.13.
Pœnitentibus in corde vere ante quam oreclament dimittitur culpa. cap 38 nu.19.*
Perfecti homines quam pauci. cap.33.nu.8.
Perfecti non debent imperfectos deſpicere, ſed eos ſupportare. cap 42.nu 5 *
Perfectos ſignificat aquila. cap 59.num.14.
Perſecutiones patienter ſunt propter gloriam Chriſti tolerandæ. cap.49.nu.9.
Perſecutores nihil nocent iuſtis. cap.32 nu.6.
Perſonarum acceptor non ſit prædicator. cap.32.num.19
Petere, deſiderare, & pulſare non poteſt homo abſque auxilio gratiæ. cap.43 nu 17.
PETRA Chriſtus eſt, partes petræ fideles. cap.51.nu.1.

Petra, Chriſtus nuncupatur. cap.48.num.13.
Petra ſcandali fuit Chriſtus Iudæis.c.28.n.18.
Petrus Apoſtolus peccauit venialiter, permittens obſeruationem legalium.cap.42.n.25.*
Petri confeſſio. cap.33.num.20.
Petri Apoſtoli humilitas, & modeſtia. cap 42. num. 25.*
Pharao verberatus, ſupplicat, & reſipiſcere vult. cap.29.num.11.
Pharetra, humanitatem Chriſti deſignat. cap. 49.num.4.
Phariſæi, & Publicani oratio qualis. cap. 30. num. 26.
Phariſæorum fraudes. cap.32.num.6.
Philippus conuertit Eunuchum. cap.60.n.11.
Piſces pinnulas habentes, electos deſignant. cap.51.num.21.*
Plantatio Domini dicuntur iuſti.cap.61. nu.3.
Plauſtrum triturans deſignat Apoſtolos. cap. 41 num 15.
Pollutum non tangere quid ſit. cap.52 nu.12.
Pondus, retributionem ſignificat.cap.28.n.23.
Pondera, & menſuras variantes reprehenduntur. cap.28.num 24.
PONTIFEX Romanus dubia reſoluit fidei. cap.31.num.8.
Pontifex Romanus ſupremus eſt paſtor Eccleſiæ. cap 30.nu 23.
Pontificis fimbriam portant Principes. cap.49. num 9
Pontificis Romani ex ore petendæ ſunt diffinitiones fidei.cap.59.nu 22.
Pontifici Romano cuncti curuantur tamquam Chriſti vicario cap.49.nu.23.
Pontifici Romano tradita eſt plena poteſtas ligandi, & ſoluendi.cap.49 nu 9.
Porcus ſignificat carnales, & epulones. cap 66. num.3
Porci ſignificant hæreticos cap.30.nu.43.
Portantes vaſa Domini mundandi.ca 52.n.15.
POTESTAS Eccleſiaſtica, & ſæcularis differunt ſicut ſol, & luna.cap.49 nu.23.
Poteſtas ſecularis non audeat vllo modo Eccleſiaſticæ præferri.cap.49.nu 23.
Poteſtas verbi Diuini etiam in Diſcipulos trāſmiſſa eſt.cap.49.nu.3.
Præcedere Chriſtum quid ſit.cap.30.nu.35.
PRÆCEPTA Dei portāt iuſti, ſicut vaccæ arcam teſtamenti.cap.28.nu.9.
Præcepta Dei ſuauia ſunt cuſtodientibus ea. cap.35.nu.13.
Præceptor noſter Chriſtus eſt, viam & ſemitas docens antiquas.cap.30.nu.37.
PRAEDESTINATI congregātur.cap. 56.nu.9.
Prædeſtinati dicuntur viri miſericordiæ. c.57. nu.2.
Prædeſtinatio Chriſti cauſa eſt noſtræ prædeſtinationis.cap.42.nu.1
Prædeſtinatio ſors dicitur, & quare.c.34.n.13.
Prædeſtinationis certitudo.cap.54.nu.10.
Prædeſtinationis & reprobationis nulla datur cauſa ex parte noſtra. cap.29.nu.30.
Prædeſtinationis, & reprobationis quis ſit finis potiſſimus.cap 60 nu.14.
Prædeſtinationis noſtræ cauſa fuerunt Chriſti merita.cap.53.nu.17.
Prædeſtinationis primus effectus eſt vocatio ca. 41.nu.9.
Prædicationis Euangelicæ vberrimus fructus. cap.41.num.17.
PRAEDICATOR debet eſſe fidelis, & prudens. cap.30.num 42.
Prædicator nō ſit perſonarū acceptor.c 32 n.19
Prædicator diſcat prius, quam alios doceat. cap.32.num 4.
Prædicator ſit mūdus, vt alios tergat.c.52.n.15.
Prædicator non ſit nimis intentus verborum compoſitioni. cap 40 num. 3.
Prædicator præconis habet officium.c.40.n.19.
Prædicator ſit prius diſcipulus, quàm magiſter. cap.40.num.18.
Prædicator Euangelij magnum præmium recipiet. cap 49.num.6.
Prædicator veritatis non perdet mercedem, ex eo quod audientes renuant veritatem ſuſcipere. cap 49. num 6.
Prædicatoris vita bona eſt prius videnda, & poſt audiendus. cap 30.num.34.*
Prædicatoris vita plus mouet, quàm verba. cap.30.num.34
Prædicatoris doctrina ſemper opportuna. cap. 30 num 42.
Prædicatoris Euangelici cōditiones.c.40.n.18.
Prædicatoris verba ſagittæ ſunt potentis acutæ: ſed facta, carbones ſunt deſolatorij. cap. 49.num 2.
Prædicatores nubibus ſimiles. cap.60 num.11.
Prædicatores, vt nubes volant, quo eos impellit Spiritus ſanctus. cap.60.num.11.
Prædicatores columbis cōferuntur. c 60.n.12.
Prædicatores ſagittæ ſunt Chriſti. c.49 nu.3.
Prædicatores arietes dicuntur. cap. 62. nu.11.
Prædicatores plures orando, quam clamando conuertunt. cap.62.num 8.
Prædicatores arguentes crimina multi non ſuſtinent. cap.30.num.11.
Prædicatores Euangelij plorantes peccata populi prædicabunt Chriſtum. cap 33. nu.7.*
Prædicatores portāt enſē ſup femur.c.30.n.34
Prædicatores lucra temporalia quærentes arguuntur. cap.56.num.13.
Prædicatores vox ſunt Chriſti loquentis.c.40. n.11.







Prædicatores eructant populo quæ prius guſtant.cap.35.num.10.*
Prædicatores reprehenduntur, qui inutilia prędicant. cap.40.num.3.
Prædicatores peccata principum detegant, ſicut Iſaias. cap.39.num.8.
Prædicatores ſunt pennæ columbæ deargentatæ. cap.40.num.18.
Prædicatorum vox ſit intrepida. cap. 58. nu.1.
Prædicatorum pedes quam ſpecioſi.cap.52.n.6.
Prædicatorum vita inculpabilis plus mouet quam verba. cap.29.num 37.
Prædicatorum cibus eſt conuerſio animarum. cap.30 num.44.
Prædicatio Euangelij eſt flumen violentum. cap.59.num. 19.
PRAELATI Eccleſiæ ſapientes erunt. cap.32.num.5.
Prælati neceſſitatibus egenorum ſubuenire debent. cap.49.nu.21.
Prælati ſuperiores, res minimas commutant inferioribus. cap.32.num.8.*
Prælati ſunt gigantes ſub aquis gementes. cap. 41. nu. 18.*
Prælati ſunt tigna domorum, ideſt Eccleſiarum. cap.41.num.18.
In Prælio fortiſſimi ſunt colentes Deum. cap. 30.num.16.
PRINCIPIS mors quam tremenda. cap. 38. num 21.*
Principes negotia grauia, non communicent vulgo. cap.37.num.8.
Principis quatuor conditiones. cap.32. num.1.
Principis ſapientia qualis. cap 32. num.3.*
Promiſſiones Dei quam infallibiles.c.54.n.11.
PROPHETAE, & Prædicatores, in ſuo miniſterio, regibus ſunt ſuperiores. cap.37. num. 5.
Prophetæ multa dicunt futura per modum præteriti. cap.44.nu 12.
Per Prophetas, multifarie loquebatur Deus antiquis, ſed nobis loquitur per Filium. cap. 35.num.5.
Prophetia comminatoria qualiter veritatem contineat. cap.38. num.2.
Prophetæ legis latores fuerunt. cap.33. nu.20.
Proſperis non eleuatur iuſtus. cap.30.num.38.
Proſperitas timenda. cap.39.nnm.1.
Prouidentia Dei erga electos. cap 40.nu.39.
Prudentia humana diuinæ contraria. cap. 29. num. 28.
Puer centum annorum quis dicatur. c.65.n.15.
Pueri ſine baptiſmo decedentes, non habebunt poſt Iudicium vitam beatam.cap.65.nu.13.*
Puerorum laudes commendantur. cap.35. n.9.
Puluis ſignificat legem antiquam. cap.52. n.2.
Puluis peccata venialia deſignat. cap.52.nu.8.
Pulchritudo Eccleſiæ deſcribitur. cap.49.n.18.
Pythonis vox quid ſignificet. cap.29.nu.10.


## Q


QVADRAGESIMAE tempus acceptabile. cap 55.num.11.
Quærendus eſt Deus ſemper. cap 55.nu 3.
Quærendus eſt Deus, & qualiter. cap.55.n.12.
Quid ſit metiri fabricam. cap 51.num 3.


## R


RAAB quid ſignificet. cap.49. num.19.
Rationale iudicij in pectore Aaron, quid ſignificet. cap.52.num.15.
Regnum Cælorum rebus minimis confertur, & quare. cap 28.num.37.*
Regulorum oua quid ſignificent. cap.59. nu.6.
RELIGIO ſimulata Deo diſplicet. cap. 29. num. 24.
Religionum fundatores quas ſemitas ſequuti fuerint. cap.30.num.37.
Relinquenda ſunt omnia propter Chriſtum, etiam ipſa cupiditas cap.55 nu.2.*
Relinquens omnia, relinquat ſeipſum. cap. 29. num. 34.*
Reliquiæ electos ſignificant. cap.34.num.4.
Remiſſionem peccatorum quæ bona cōſequantur. cap.44.num.1.
Renouati per gratiam diabolum ſuperant. cap. 52.num.1.
REPROBATIONIS finis eſt oſtenſio iuſtitiæ in reprobis, & miſericordiæ in electis. cap.28.num.29.
Reprobantur aliqui, vt manifeſtetur Iuſtitia Dei. cap.28.num.37.
Reprobi conferuntur ſpinis. cap.33.num.9.*
Reprobi duriores fiunt, miraculis Dei viſis. cap. 33.num 11.
Reprobi proſperantur in hoc ſæculo. c.33 n.1.
Reprobi rudes ſunt & tardi ad Dei legem addiſcendam. cap.28.num 10.
Reprobis tanquam deſperatis concedit Deus, quod inordinate appetunt. cap.33.num.1.
Reproborum damnatio, erit electorum gaudium. cap.30 num 50.
Reproborum terror in die Iudicij.cap.30.n.50.
Reproborum flagellum quale. cap 33.num.1.
REQVIES Chriſti in ſepulchro. cap. 57. num. 5.
Requies iuſtorum in morte. cap.57.nu.5.
Res temporales quam viles. cap 54.num.8.
Res humanæ, & cæleſtes non compatiuntur ſimul. cap.52.num.12.

RESVRRECTIONIS Chriſti ſplendor, & gloria. cap. 33. num. 13.
Reſurrectionis ſanctorum qualis lætitia. cap. 30. num. 48.
Reſurrectionis ſpes indicatur Chriſti, cum abſciſſus dicitur. cap. 53. num. 12.
Reſurrectionē deſignat annus tertius. c. 37. n 16
Retributio nomine ponderis deſignatur. cap. 28 num 23.
Reuelare quibus modis ſumatur. cap. 53. nu. 1.
REX Aegypti appellatur draco. cap. 51 nu. 11
Rex iniquus eſt ſicut ebrius. cap. 28 num. 3.
Reges inferiores ſunt prophetis cap. 37. nu. 5.
Reges quid per ſeipſos, quid per alios exercere debeant. cap 32. num. 9.
RHINOCEROS quid ſignificet. cap. 34. n. 5.


S


SABBATVM delicatum quid ſit. cap. 59. num. 13.
SACERDOS doctrina polleat c. 33 n. 7.
Sacerdotis proponuntur conditiones. c. 50. n 15
Sacerdotes Barbarorum quanta præparatione ſacrificarent idolis. cap. 29. num. 3.
Sacerdotes quanta puritate debeant accedere ad altare. cap 29 num. 3
Sacerdotes vaſa Domini portant, ideſt, ſeptē Eccleſiæ Sacramenta cap 52. num. 15.
Sacerdotes Baal deridet Elias. cap. 46. num. 5.
Sacerdotum peccatis altare deſpicabile redditur cap 29 nu. 3.
Propter ſacerdotum peccata punitur populus. cap. 28. nu 7.
Sacerdotium Chriſti præcedit ſacerdotiū Leui. cap. 42. nu. 29. *
SACRAMENTI pœnitentiæ natura. cap. 43. nu. 21.
Sacramenta adminiſtrantes in peccato mortali peccant mortaliter. cap. 52. nu. 5.
SACRIFICIVM in Cruce oblatum, eſt cauſa vniuerſalis noſtræ ſalutis. cap. 42. n. 31.
Sacrificia antiqua ſpes mendacij dicuntur, quia non ſaluant. cap. 28. num 16.
Sacrificiorum antiquorum infirmitas. c 66. n. 3
Sacris litteris peruerſe vtitur diabolus. cap. 30. num. 12.
Sagittæ potentis quæ dicantur. cap. 49. num. 2.
SAL Agrigentinum in igne fluit, & in aqua crepitat, vt refert Aug. cap. 65. nu. 20.
Sal necat ſerpentes. cap. 65. num. 20.
Salicis natura. cap. 44. nu. 3.
Salices in bonam, & malam partem accipiuntur. cap. 44. num. 3.
Salices carnales ſignificant. cap. 44. num. 3.
Salices aliquando ſignificant virgines, & iuſtos. cap. 44. num. 3.
Saliuncula, & vrtica quid ſignificent. c. 55. n. 18.
Salus noſtra in Chriſto tantum conſtituta eſt. cap. 28. nu. 19.
Samaritanus ſignificauit Chriſtum. c. 30. n. 47.
Samaritani, & Iudæi inimici erant ad inuicem. cap. 65. num 20.
Samaritani exoſi erant Iudæis. cap. 66. num. 1.
Salutare Dei viſum eſt, quando in terram deſcendit. cap. 52. num. 11.
Samuel punitur à Deo, & qualiter. cap. 43. num. 20.
Sanari Deo quid ſit. cap. 59. num. 17.
SANCTITAS ſimulanda non eſt propter humanam laudem. cap. 51. num. 8.
Sanctitas quæritur in nobilibus Eccleſiæ, nec inuenitur. cap 34. num. 10.
Sanctus Dominicus confertur viro, quem vidit Daniel lineis veſtitum. cap. 59. num. 23. *
Sanctus Dominicus quæ pertulerit pro animarum ſalute cap. 32. num. 19.
Sancti Ignatij conſtantia, ex Hieronymo lib. de viris illuſtribus. cap. 28. num. 34.
Sanctus Petrus Martyr, vt teſtis ſubſcripſit fidem proprio ſanguine. cap. 43. num. 11. cap. 44. nu. 4.
Sanctus Thomas Apoſtolus in foraminibus petræ didicit veritatem. cap. 42. nu. 15.
Sanctus Thomas Apoſtolus inſtauratur à Chriſto. cap 61. num. 4.
Sancti Antonij grauitas, & modeſtia. c. 42. nu. 8.
Sancti patiuntur ſtimulos carnis. cap. 32. n. 12. *
Sancti multi apparent in oculis hominum, qui apud Deum reprehenſibiles ſunt. c. 43. n. 20. *
Sanctorum lætitia in reſurrectione. c. 30. n. 48.
SAPIENTIA humana deſtruitur per Euangelicam. cap. 29. num. 28.
Sapientes huius ſæculi confundit Deus comprehens eos in aſtutia ſua, cap. 40. num. 32.
Sapientis oculi in capite eius, ideſt, in Chriſto cap 30. num. 35.
Sara ſignificat Eccleſiam. cap. 51 num. 1.
Saron terra fertilis eſt. cap. 33. num. 8.
Satisfactio duplex, quoad ſufficientiam, & quoad efficaciam. cap. 53. num. 9.
Scabellum pedum Dei eſt humanitas Chriſti. cap. 66. num. 1.
Scandala ſunt tollenda. cap. 57. num. 14.
Schola Chriſti à ſenſibus carnis remota. cap. 54 num. 12.
SCIENTIA Chriſti pacē generat. c. 54. n. 13.
Scientia Chriſti multum differt ab humana. cap. 50. num. 6.
Scientia duplex eſt in Deo, ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. cap. 41. num. 20.
Sciētia naturali quæ Deus cognoſcat. c. 41. n. 20
Scientiæ plenitudo in Chriſto, cap. 51. nu. 17.







Scientiam mediam in Deo reperiri, eſſe impoſſibile, oſtenditur cap. 41. num. 20.
Scindere cor quid ſit. 24 cap. 36. num. 12.
Scindere veſtimenta quod ſignificet. c. 36. n. 12.
Scirpus ſignificat hypocritas. cap 30. num 40.
SCRIBAE & Phariſæi adhærere Chriſto noluerunt. cap. 33. num. 11.
Scribæ & Phariſæi vnicornibus comparantur. cap 34. nu. 5. *
Scribarum & Phariſæorum negligentia arguitur. cap. 56. num. 11.
Scripti ſunt iuſti in mente Dei. cap. 49. nu. 15.
Scribi præcipiuntur quæ ſunt perpetuo in mente retinenda. cap. 30. num. 7. *
SCRIPTVRA clauſa eſt Iudæis poſt paſſionem Chriſti. cap. 34. nu. 3.
Scriptura ſacra, cum impletur, facilius intelligitur cap. 34 num. 12.
Scriptura ſacra epiſtola eſt de cælo miſſa à Chriſto ſponſæ ſuæ Eccleſiæ. cap. 29. nu. 21. in fine.
Scriptura ſacra eſt panis, & aqua. cap. 30. nu. 29.
Scriptura ſacra omnibus loquitur. cap. 52. nu. 5.
Scriptura ſacra teſtis eſt contra peccatores. cap. 30. num 8.
Scriptura ſacra vnus liber dicitur. cap 29. n 22
Scriptura Iudæis in caliginē verſa eſt c. 34. n 7.
Scripturæ ſacræ doctrina fons eſt indeficiens. cap. 35 nu. 5.
Scripturæ loca allegant Apoſtoli, aliquādo ſenſum retinendo, potius quàm verba. c. 28. n. 22
Scripturam detorquent hæretici, ſicut & diabolus cap. 30. nu. 12.
Scripturæ ſunt clauſæ Iudæis cap 29 nu 20.
Scripturarum intelligentia excidit à Phariſæis præſente Chriſto. cap. 29. num. 28
Scripturis ſacris quatuor modis abutuntur hæretici. cap. 30 num. 45.
Scrutatores maieſtatis profundi corde dicuntur. cap. 29 nu. 29
Scrutanda eſt voluntas Dei, ſed non maieſtas. cap. 29 nu. 30.
Secretum ſeruandum, nec omnia omnibus manifeſtanda. cap. 29 nu. 3.
Sæculo renunciantes addunt lætitiam Deo. ca. 29. num. 34.
Securitas impiorum quàm vana. cap. 28. nu. 15
Securitas ſanctorum. cap. 33 nu. 13
Seminare eſt miſericordem eſſe. cap. 32. nu. 21. *
Semitæ quæ dicantur. cap. 30. nu. 37.
Semitæ Chriſti quare exaltatæ dicantur. cap. 49. nu. 11.
Senectus mentis, non corporis attendenda. cap. 32. nu 3. *
SENNACHERIB excidiū prædicitur. cap 33. nu. 1. 3. 9. cap. 37. nu. 20.
Sennacherib fuit vt bruchus viuens & moriens. cap. 33. nu 3.
Sennacherib potentia. cap. 33. nu 6.
Sennacherib ſuperbia. cap 37. nu. 7.
Senes quando ſint increpandi. cap 65 nu. 15.
Senſibilia ducunt hominem ad cognitionē ſpiritualium. cap. 52. num. 5.
Senſum Scripturæ aperuit Chriſtus. c. 29. n. 21.
SEPVLCHRVM fuit requies Chriſti. c. 57. n. 5
Sepulchrum Chriſti cuſtodientes taxantur. ca. 53 nu. 15.
Sepulchra principum qualia. cap 28. num. 1.
Sequentes Chriſtum obtinent benedictionem illius. cap. 30. nu. 36.
Sequentes Chriſtum omnia propter eum ſuſtinent. cap. 49. num. 12.
Sequi debent fideles Chriſtum, non eum præcedere. cap. 30 num 35.
Serpentibus comparantur hæretici c. 29 n. 28.
SIGNVM aduentus Chriſti. cap. 51. num. 6. cap. 39. num 8
Signum laudabiliter petijt à Domino Ezechias cap. 38 nu. 27.
Signum quare in horologio Achaz datum fuerit Ezechiæ cap. 38. nu 8.
Signa antecedentia iudicium cap. 30. num. 48.
SILERE Dei quid ſit. cap. 65. nu. 5.
Silentium bonum quale ſit cap 30. nu. 17.
Silentium clauſtralium quam neceſſarium. cap. 30. nu. 18. *
Silentium ſpem firmam deſignat cap. 30. n. 16.
Silentium triplex cap 30. nu. 17. *
Symbolum Fidei cap 53. nu. 3.
Similitudo creata Dei dari non poteſt. c. 46. n. 4
Similitudo Dei non eſt appetenda cum ſuperbis cap 44. nu. 4.
Simonia eſt cathedra peſtilentiæ. cap. 29 nu. 8.
SYNAGOGA fuit quaſi leo occidens Chriſtū. cap 29 nu. 9.
A Synagoga fugit Chriſtus, ſicut Ioſeph à Domina ſua. cap. 29 nu. 36.
Synagoga olim chara erat Deo, nunc autem odio habita propter malitiam. c 50. n 1. 12.
Sion Eccleſiam ſignificat cap. 51. nu. 1.
Sitis iuſti qua Deum deſiderat. cap 55 nu. 2.
Sitis ſalutis animarum qualis eſſe debeat. cap. 32. nu. 6.
Societas improba cauſa eſt multoties ruinæ, & perditionis. cap 48 nu 13.
Sodomæ excidium & Iudæorum comparantur. cap. 34 nu 7.
SOL & Luna poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſæcularem deſignant. cap 49. 23.
Sol electos ſignificat. cap 40 nu 36.
Sol ter per miraculum curſum interrupit naturalem. cap. 38. nu. 8.

Solis & Lunæ ſplendor in die iudicij.c.30.n.47
Solis tres apparuerunt in die Natalis.c.30.n 48
Solitudo ciuitatum Iudæ. cap 32.num.13.
Solium ponere in Elam quid ſit.cap.43.nu.12.
Sonus in orbem terræ exijt, vt homo cælum intret cap.34.nu.1
Sors iuſtorum,& reproborum commutabitur in morte. cap.30.nu 50.
SPES coniuncta ſit bonis operibus. c 37.n.1.
Spes longanimis eſſe debet, & ſimiliter fides. cap 28.nu 21.*
Spei noſtræ obiectum eſt Deus cap.30 nu.3.
Spei non eſt terminus ſtatuendus, ſed longanimis ſit cap.30.nu.16.
Spem in nihilo conſtituunt,qui in Idolis confidunt.cap.41.nu.21.
Spem in creaturis conſtituere, onus iumentorũ eſt cap.30.nu.6.
Spem in homine conſtituere, eſt addere peccatum peccato. cap. 30. nu.2.
Sperandum in Deo cap.30.nu.3.19.
Sperandum in Domino,etiam ſi contraria promiſſionibus eius videantur accidere. cap.28. num.22 *
Sperans in Chriſtũ non confundetur c.28 n.22
Sperans in homine pedẽ figit in aquis defluentibus.cap 30 nu.3.*
Sperantes in homine,in vmbra ſperant.cap.30. nu.23.
Sperantes in Domino certiſſime liberabuntur. cap 51.nu.7.
Spica ſignificat proficientes. cap.30.nu.40.
SPINAE ſunt diuitiæ. cap.30. nu.40
Spinas & tribulos germinauit terra ante peccatum.cap.32.nu.12.
SPIRITVALES animæ volatilia cæli dicuntur. cap.30.num 46.
Spiritualem dulcedinem nõ guſtat hypochrita. cap.35.nu.10.
Spiritualium virorum ſeparatio à voluptatibus ſæculi eſt cum gaudio celebranda. cap. 28. num.9.*
Spiritualibus delectationibus abundant,qui renunciant carnalibus.cap.28.nu.9.
SPIRITVS compunctionis eſt inuidia. cap.19 nu.19.
Spiritus ſanctus à Patre, & Filio procedit. cap. 48 nu.10.cap 59.nu.21.
Spiritus ſanctus docuit Apoſtolos cap.32.nu 4.
Spiritus ſanctus extinguit concupiſcentias carnales cap.43.nu.2.
Spiritus ſanctus quæ bona operetur in anima iuſti.cap.35. nu. 10.
Spiritus ſanctus datur Apoſtolis, vt ſint recti iudices.cap.28.num.6.
Spiritus ſanctus ſuper humiles, non ſuper iracundos quieſcit cap.66.nu.2.*
Spiritus ſanctus cõſolator eſt, & ſimiliter Chriſtus Dominus. cap.40.num.1.cap 66. nu.14.
Spiritus ſanctus quare datus in linguis.cap.28. num.11.
Spiritus ſanctus ſpiritualia inſpirat deſideria. cap.57 nu.16.
Spiritus ſanctus in puris cordibus libenter requieſcit cap.35.nu.12.
Spiritus ſanctus diſſoluit vincula Apoſtolorum, vt apertè prædicarent Chriſtum. cap. 35. num 9.
Spiritus ſanctus adueniens teſtes reſurrectionis Chriſti confirmauit. cap. 43. num. 8.
Spiritus ſancti aduentum implorant Apoſtoli. cap.30.nu.46.*
Spiritus ſancti aduẽtus,per flatum deſignatur. cap.42.nu.10.
Spiritus ſancti vnum principium ſunt Pater & Filius.cap.34.nu.12.
Spiritum emittere,eſt voluntarie mori. cap.53. num. 10.*
Spiritu ſancto adueniente de cœnaculo exierũt Apoſtoli ad prædicandum. cap 37. nu.17.
Spiritu ſancto repleti ſimplices Apoſtoli,loquebantur diſerte. cap 32. nu.4.
Spiritu ſancto replentur Apoſtoli, & irrigantur de ſuperioribus. cap.30.nu.46.*
Spiritu ſancto repleti quare dicantur ebrij, ſed non à vino. cap.29.nu.17.*
Splendor ſignificat Chriſtum. cap.60 nu.2.
Spolia fortium ſignificant Beatitudinem. cap. 53. nu. 19.
Spolia fortium fuere ſancti Patres, quos ab inferis eduxit Chriſtus.cap 53.nu.19.
Stagnum in quo differat à torrente, & fonte. cap.35.num. 10.
Stagna arefacta Iudæos deſignant.cap.42.n.19
Stellæ militiæ dicuntur cæli, quia ordinatæ. cap.34.nu.3.
Sterilem fatetur Deus ſe eſſe, niſi filios ſpirituales ex Eccleſia ſuſcipiat. cap.66. nu.10.
Sterilis & fœcunda quæ ſint cap.49.nu 18.
Stillare quid ſignificet.cap 52.nu 18.
Stipula ſignificat cogitationes prauas. cap.33. num.9.
Stola duplex beatorum. cap.40. nu.7.
Subſanantes Chriſtum arguuntur.cap.57.nu.7.
SVMMVS Pontifex res fidei determinat. cap.54.nu.17.
Summi Pontificis adiutores,qui,& quales.cap. 32.nu.9.
Summo Pontifici reſeruantur grauiores Eccleſiæ cauſæ.cap.32.nu.8.
SVPERBIAM hominum, interrogando eos,confundit Deus,cap.41.nu.2.

Su-



Superborum ruina multis modis explicatur in Scriptura cap.37.nu.19.
SION ciuitas Dei dicitur. cap.49.nu.19.

T

TABERNACVLVM dicitur corpus iuſti.cap.38. nu.13.
Tabernaculum veteris teſtamenti, & Eccleſiæ conferuntur.cap 54.nu.2.
Tabernacula duo fuerunt in Lege, quibus alia duo reſpondent in Euangelio. cap.42 nu.30.
Tamyris regina Scytharum occidiſſe dicitur Cyrum cap 45.nu 3.
Tangere pollutum quid ſit. cap.52. num.12.
Tauri ſignificant doctores.cap 30.nu.42.
Tela aranearum peccata ſignificat.cap.59 nu 6
Tela ſignificat vitam humanam. cap 38.nu.13.
TEMPLVM aliquando ſumitur pro ciuitate.cap.49 nu.15.
Templum materiale abſque ſpirituali cultu non placet Deo. cap.66 nu.1.*
Templum eſt domus orationis.cap.56.nu.7.
Templum Dei locus eſt orationis, nõ negotiationis.cap.50.num.10.
Templi antiqui, & Eccleſiæ Chriſtianæ differentia.cap.56 nu.8.
Templi dedicatio.cap.30.num. 48.
TEMPVS acceptabile dicitur in quo Chriſtus nos ſuo proprio ſanguine redemit. c 49. nu.10.
Tempus vitæ præſentis puncto confertur. cap. 30. nu. 13.
Tempus vitæ præſentis quàm breue. cap. 54. num.8.
Temporis opportunitate adducuntur homines ad pœnitentiam. cap.55. nu 11.
Temporalibus abundantes orare deſiſtunt. cap. 57.nu 11.
TENTATOR Chriſtum audet tentare. cap.37.nu 6.
Tentantur homines paupertate,& diuitijs.cap. 48.num.6.
Tentat importunè iuſtos diabolus.cap.37.nu 6
Tentatio non modica eſt, quam diabolus iuſtis ſuadet.cap.36.nu.7.
Tentorium ſignificat Eccleſiam militantem. cap.54 nu.2.
Tepiditas in virtute quam deteſtanda cap.34. num 9.
TERRA inanis,& vacua creatur, & quare. cap.29 nu.15.
Terra arida peccatores ſignificat. cap.44.nu.2
Terra ſcabellum eſt pedum Dei.cap 66.num.1.
Terrena parua videntur electis; quia à longe aſpiciunt illa cap.33.nu.14.
TESTAMENTVM nouum eſt calamus menſuræ,& quare. cap.28.nu.23.*
Teſtamentum ſignificat rem teſtamento relictam.cap. 42.nu.12.
Teſtamentum vetus temporale, nouum ſempiternum.cap.55 nu 7.
Teſtamentum vetus per nouum terminatur. cap.42 num.29.
Teſtamentum vetus & nouum, duo fontes ſunt Iordanis fontibus ſimiles cap.35.nu.4.
Teſtis Chriſti ſunt Martyres. cap.43 nu.8. 10.
Teſtis & Martyr idem ſignificant. cap. 43. nu.11.*
Teſtes Chriſti,vitam exponentes pro fide,meliorem accipiunt. cap.43.nu.11
Teſtes Chriſti qui dicantur cap.30 nu.34.
Theſaurus quid ſit. cap.33 nu.5.
Tigna & laquearia quid ſignificent. cap. 41. num.18.
Tigna ſignificant Dei timorem.cap 33.nu.5.
TIMET iuſtus,quia cadere poteſt ex ſe. cap 41.nu.11.
Timent iuſti,& quare.cap.38.nu.7.
Timentes ſe protegit Deus, ſicut cælum terrã. cap.55.nu.13.
Timor & ſpes ſocientur ſimul.cap.41.nu.12.
Timor inimicorum non apprehendet ſperantes in Domino.cap.51.nu 8.
Timor Dei comparatur tignis.cap.33 nu.9.*
Timor filialis eſt theſaurus animæ. cap. 33. num.4.*
Timor commendatur. cap.66. nu.2.
Timor iuſtis neceſſarius cap 33.nu 19.
Timor quæ bona cauſet cap 33 nu.9.
Timorem meditari eſt cauſas timoris expendere.cap.33.nu.19.
Tophet ſignificat gehennam. cap.30. nu 51.
Torrens,ſtagnum,& fons in quo differant. cap. 35.nu.10.
Traditiones antiquæ venerandæ.cap 29.nu.26
TRANSFIGVRATIO Chriſti. cap. 30 nu.47.
Transfigurationis Chriſti glorificatio. cap.55. num.10.
Transfigurationis Chriſti gloria cum ignominia paſſionis eius confertur. cap.52 nu 17.*
Tranſgreſſores mandatorum quam plurimi, cap 33.nu.8.*
TRIBVLATIO vino inebrianti confertur.cap.51 nu.17.*
Tribulationes iuſtorum temporales. cap. 28. num.35.
Tribulationes graues per aquam deſignantur, & ignem.cap 43.nu.3.
Tribulationes præſentis vitæ ſunt velut ſomnium. cap.29.nu.14.

Tribu-

Tribulationes ſunt vincula, quibus Deus fugientes tenet peccatores. cap 28 nu.31.
Tribulationes trahunt peccatorem ad Deum. cap.29.num 6.
Tribulationibus corripit Dominus, quos beneficia non emendant. cap 28.num 12.
Tribulationibus non frāgitur iuſtus.c.30 n. 38.
Tribulationibus oppreſſi principes qu runt ſanctos, ſed non in proſperis.cap.39.num.4.
Tribulationibus vnicum refugium eſt Chriſtus cap.32.num.2.
Tribulationum vtilitates plures. cap 29.n.11.
TRINITATIS myſterium obumbratur. cap 35. num.14. cap 34.nu.12. cap.48 nu.7. cap 63.num.10.
Triticum à zizania ſeparatur. cap 28.nu.35.
Triſtitia quæ à Chriſto excluditur, qualis ſit. cap.42 num 8.
TYRANNI vincuntur facile Dei virtute. cap.37.num.15.
Tyrannorum crudelitas in Sanctos. c 51.n.21.
Tyrannos irridet Dominus per Prophetas cap. 37.num 18
Tyrus, alienigen[æ], & populus Aethiopum quid cent. cap.49 num 19.

V

VACCAE Arcam teſtamenti portantes ſignificant iuſtos. cap 28.num.9.
Vallis Achor, quid deſignet. cap.65.nu 8.*
Vanā gloriam prohibet Apoſtolus, concedens quod glorietmur, ſed in Domino cap.59 nu.6.
Vaſa Domini portantes mundentur prius. cap. 52.num.15.
Vas immundum quod ſit. cap 30.n.18
Vbique præſens eſt Deus. cap 66 num 1.
Vellus Gedeonis quid ſignificet. cap 29 n 33
Veneratio Sanctorum eſt Deo grata c 49.n 23
Venire de longe quid ſit. cap 49.num 13.
Verbera domant vrſum. 59.nu.12
VERBVM Chriſti tantam habuit auctoritatem. vt nullus dolus aduerſus illud valeat præualere. cap 49.num.3.
Ad Verbum Dei audiendum hortantur omnes. cap.33. num.11.
Verbum Dei eſt manna. cap.30 nu.29
Verbum Dei habet omnis ſaporis ſuauitatem. cap.30.num 29
Verbum Dei eſt herba Borith, quia lauat animām. cap.30 num.29.
Verbum Dei vermis efficitur non ſeruantibus illud. cap.30.num 29.
Verbum Dei gladius. cap.30.num.34.
Verbum Dei fieri in manu Prophetæ quid ſit. cap.30.nu.34.*
Verbum Dei ſanctum, & margarita dicitur, & quare cap.30.num.43.
Verbum Dei aduerſarius noſter dicitur. cap. 30 num.30.*
Verbum Dei multa bona operatur in homine. cap 30.num.40.
Verbum Dei imbri cōfertur, & niui c.55. n.14.
Verbum Dei ligari non poteſt. cap.30. nu. 10.
Verbum Dei herbam, ſpicam, & granum perfectum generat in corde. cap 30.nu 40 *
Verbum Dei eſt ſanctum, non dandum canibus. cap.30.num 43.
Verbi Dei virtus quanta. cap.50.nu.6
Verbum Dei non reuertitur vacuum. cap. 55. num 15.
Verbum Dei eſt vinum, & lac.cap.55. num.1.
Verbum Dei gladius dicitur. cap.49 num.2.
Verbum Dei adeo efficax eſt, vt corda duriſſima ad ſe conuertat. cap.49.nu 2.
Verbum Dei ſagitta. cap.49.nu.2.
Verbum Dei appellatur hamus. cap.49.nu.4.
Verbum Dei ignis, & malleus. cap 41.nu.15.
Verbum Dei iuſte ſubtrahitur ab indignis. cap.42 num 4.
Verbum Dei ex ſemine Abrahæ naturam aſſumpſit humanam cap.41.nu 8.
Verbi diuini efficacia. cap 31.nu.7.cap 49 nu. 3 cap. 50 nu.6.
Verbo Dei confunduntur hæretici, & annihilantur cap.41.nu 13.
Verbo Domini vniuerſa creata ſunt c.49 nu 2.
VERITAS ab Eccleſia deficere non poteſt. cap.59.nu 22.
Veritas odium parit. cap 48 nu.2.
Veritatis publica oppreſſio notatur. cap. 59. nu 15.
Veritate orta, malitia, & inuidia inſidiantur illi cap 49 nu 4.
Vermis eſt verbum Dei non ſeruantibus illud cap.30 num.29.
Vermis ſignificat Iuſtos. cap.41.nu.15.
Veſtimenta vltionis quæ dicantur. c 59. n.18.
Veſtis non facit Monachum. cap.49 nu.18.
Vexatio dat intellectum, vnde ortum habuit. cap 28.num 26
VIA præparanda Domino qualis ſit. cap.40. num. 12.
Via ad vitam eſt lex gratiæ. cap.48 num.11.
Viæ Domini pulchræ, & ſemitæ pacificæ. cap. 40 num.12.
Viam cæleſtis patriæ ſecuram reddit Chriſti gratia cap 35.nu 15.
Viam, & ſemitas antiquas docuit nos Chriſtus. cap.30 nu 37.
VICTORES contra Tyrannos euaſerunt martyres. cap.52.nu.16.


Victo-




Victoria Deo attribuenda. cap.33. num.4.cap. 37 nu 14.
Victoria electorum Deo tribuenda. c.30 n.50.*
Victoriam conſequitur exercitus tyrannorum virtute diuina. cap.29.num.7.
Videntes qui dicantur. cap 33.num.6.
Vincentij martyris conſtantia. cap. 43. nu.11.
Vipera quare non læſerit Paulum. c.35.nu.15.
Vinum ſignificat verbum Dei. cap.55 num.7.
VIRGAE amygdalinæ, & virides, quid ſignificent. 51 num.3.
Virgines deſignantur per ſalices. cap. 44.n.3.
Virginitas matrimonio præfertur. cap. 56.n.4. cap.56. nu.5.
Virginitatis laudes. cap 56.num.4.
Virgultum, Chriſtum deſignat, & regnum eius. cap.53.num.2.
VIRTVS diuina quàm magna. cap.50 n.4.
Virtus intus, & extra ſplendeat. cap.29.nu.16.
Virtus non ſolum exterius, ſed potiſſimè interius eſt habenda. cap.29.nu.24.
Virtus verbi Dei. cap.50.num 6.
Virtutes morales in medio conſiſtunt, non autē Theologicæ. cap 30.nu.37
Virtutes per galeam ſignantur. cap. 59 nu.18.
VITA humana telæ comparatur. c.38.n.13.
Vitæ humanæ duratio, durationi ſyllabarum confertur. cap. 38 nu.14 *
Vitam deſiderant iuſti, vt Deum laudent, & illi ſeruiant cap.38 num.25.
Vitium, quid ſignificet. cap 40.num.4.
Vmbra horologij Achaz quid ſignificet. cap. 38.num.9.
Vnicornis quale animal ſit. cap.34.num.5.
Vnicornibus qui conferantur. cap 34.num.5.
Vniuerſum mirabiliter conſiſtit, cum ex contrarijs conſtet. cap.40 num.35.*
VNITAS commendatur. cap.60. num.10.
Vnitas inter fideles qualis eſſe debeat. cap. 56. num. 9. cap.30.num.42.
VOCARE aliquem proprio nomine, eſt perfecte naturam eius cognoſcere. cap. 40. num. 34.
Vocare homines à longinquis quid ſit. cap. 41. num.10.
Vocari ab vtero quid ſignificet. cap. 49. nu. 1.
Volatilia Cœli ſpirituales deſignant. cap. 30. num 46.
VOLVNTAS noſtra ſupponit bonum quod amat: voluntas Dei illud cauſat. cap.43 n.5.
Voluntas propria relinquenda propter Chriſtum. cap.55 num.2.*
Voluntatem hominis ſolum Deum ſatiare poſſe explicatur exemplo ſigilli. cap.29, n.16.*
Voluntatem non explent bona temporalia. cap. 29 num.15 16.*
Vox Archangeli dicentis, ſurgite mortui, qualis. cap.66 num.7.
Vox prædicatorum qualis eſſe debeat. cap. 58 num 1.
VRSVS in bonam ſumitur, & in malam partem cap.59.nu.12.
Vrſus verberibus domatur. cap.59.num.12.
Vrſi ſolertia qualis. cap.59 num 12.
Vrtica quid ſignificet. cap.55.num.18.
Vſus bonus liberi arbitrij eſt à Deo. cap 61. num 11.
VVLNERA Chriſti contemplantes, dicuntur habitatores petræ cap 42.nu.15.
Vulnera Chriſti cauerna laci dicuntur. cap 51. num 1.
Per Vulnera, viſcera patent Chriſti. cap. 42. num.15.*

Z

ZELVS inuidiæ dicitur ſpiritus compunctionis. cap.29.num.19.
Zelus amorem ſingularem deſignat. cap. 63. num.16


ELEN-

# ELENCHVS
## IN QVO IVXTA MOREM ECCLESIAE ROMANAE, OMNIA QVAE IN COMMENTARIIS SVPER ISAIAM, TAM IN I. QVAM IN II. THOMO CONTINENTVR
## *AD CONCIONES*
## SECVNDVM ORDINEM EVANGELIORVM totius anni adaptantur.

## AD LECTOREM.

*Iſai.29.* Orig. Hō. 13. ſuper num. *Luca 3.*

*PROPHETIA Iſaiæ, breui quodam, & mirabili compendio omnium Prophetarum oracula, immo & totius Scripturæ ſummam continet: quod ex verbis illis eiuſdem Prophetæ: Et erit vobis viſio omnium, quaſi viſio libri ſignati, colligit Origenes. Stylus eiuſdem Prophetiæ moralis eſt, & ad conciones valde accommodatus. Vnde ſanctus Lucas Euangeliſta referens quendam huius prohetiæ locum, ait. Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ. Vox clamantis in deſerto, &c. In libro, inquit, ſermonum, quoniam liber eſt ſermonibus, & concionibus plenus. Quapropter, ea, quæ in primo, & ſecundo thomo ſuper Prophetiam Iſaiæ, Deo donante, atque adiuuante ſcripſi, Euangelijs, tàm de tempore, quàm de Sanctis per anni circulum occurrentibus, ſecundum ſenſum Iſaiæ litteralem adaptare volui. Id enim Euangelij Prædicatoribus, in quorum obſequium hoc onus aſſumpſi, vtile fore, & pergratum, iudicaui.*

## DOMINICAE I. ADVENTVS.
*Euangelium Lucæ 21. Erunt ſigna, &c.*

1 PRO *introductione Euangelij:* In primo aduentu apparuit Saluatoris benignitas, ſed in ſecundo eius indignatio apparebit, quæ talis erit, vt impij latibula quærant, ſecundũ illud Iſaiæ: Ingredere in petrã, abſcondere in foſsa humo &c. cap.2. à num. 21. vſque ad 25. vide etiam cap.42.num.7.8.16.17.18.

2 *Erunt ſigna in Sole, & Luna, &c.* Quoniam iudex omnes vult homines inuenire paratos, ideo ſigna ſui aduentus illis tribuit quamplurima, vt fugiant à facie arcus. cap.1.nu.63. cap 2.nu.21. Ideo Iſai.10.dicitur. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? De longe enim venire eſt, à longe peccatorem diſtricti iudicij comminatione admonere, vt caueat. Iſai.30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, &c. cap. 10. num. 3. cap.30.num.49. & iterum ait: Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. cap 63.nu.6. Hinc iudicium arcus dicitur, quia quo magis protenditur, eo ab illo exit ſagitta diſtrictior. cap.1. num. 63. De ſignis, quæ præcedent in Sole, & Luna, vide cap.13.nu.10. cap.24. nu.2.3.9 28. Ex ſignis cæli Arioli vane prædicere futura conantur. cap.44 num. 16. Deus autem ex ſignis cæli, cito adeſſe iudicium denunciat.

3 *Erunt ſigna in Sole.* Armauit Deus creaturas ad vltionem inimicorum, quoniam, vt dici-



citur Iob.15. Ipſi contra omnipotentem pingui ceruice armati ſunt. cap.9 num.10. Vnde Iſaias ait, quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, &c. cap.34.nu.2.3.4.

4 *Erunt ſigna.* De his ſignis inquit Iſai. Quoniam ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. cap.13. nu. 10. Et paulo inferius. Propter hoc cælum turbabo. ibidem nu.3. vide cap 34.nu.3.

5 *Erunt ſigna.* Iſaias ait. Erubeſcet Luna, & confundetur Sol, vt videlicet, deſignent reproborum opera eſſe confuſione digna. cap.24.num. 8.

6 *Erunt ſigna.* Purgabuntur in die iudicij omnia elementa, & nouo ſplendore fulgebũt Sol, & Luna, iuxta illud Iſai. Et erit lux Lunæ, ſicut lux Solis, &c. cap.30.num.47.48.cap.65. num.12.13.

7 *Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione.* Prope eſt dies iudicij. Vlulate, inquit Iſai. Quia prope eſt dies Domini. cap. 13.nu.6. Vbi explicatur, qua ratione dicatur prope. Vide cap.14.nu.2. vbi explicatur, quare dies iudicij dicatur dies Domini.

8 *Præ timore, &c* Quanta futura ſit in terra preſſura circa diem iudicij, & timor hominum, explicatur. cap.24.num.2.3.5.& 6.

9 *Et in terra preſſura gentium, areſcentibus hominibus.* Per terram intellige peccatores, qui in die iudicij contremiſcent, iuxta illud Iſaiæ. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra. cap.24.nu.20. & 21. Et iterum ait. Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet. cap. 13.nu.7.

10 *Præ timore.* De quo Iſai. Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet, & conteretur. Torſiones & dolores tenebunt, &c. cap.13.nu.7.& 8. Vide quæ de hoc timore dicuntur. cap.19.num.15.16.17.

10 *Areſcentibus hominibus.* Præ timore latibula quærent impij, vbi ſe abſcondant a iudicis ira, neque inuenient. cap.2.num.21.22.& ſequentibus, vſque ad finem capitis.

11 *Et expectatione.* Dies iudicij eſt incerta: quam filius dicitur neſcire, eo quod alios ſcire illam non facit. cap.7.nu.31.

12 *Præ timore.* Iſaias ſanctus erat, & tamẽ futuram pœnam reproborum conſiderans, clamat. Secretum meum mihi. Væ mihi. Quomodo ergo non timebit peccator? cap.24. nu. 14.15.16.17.

13 *Tunc videbunt filium hominis.* Maxime torquebuntur reprobi, cum viderint iudicem contra ſe iratum. Vnde Iſaias. Exaltetur Domine manus tua, vt non videant. ſed ſtatim zelo Dei repletus ſubdit. Videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos deuoret. cap.26.nu.19. Videbunt eum: ſed ſicut dicitur infra, ardens furor eius, & grauis ad portandum. cap.10.nu.3. & 4. Vide cap.66.nu.16.

14 *Tunc videbunt filium hominis, &c.* Veniet ad iudicium Dominus cum ſenioribus populi ſui: & quia cauſa illius quaſi impij iudicata eſt, cauſam omnium iudicabit. cap.3. nu.24. Fiet autem iudicium, Chriſto pro tribunali ſedente. cap.6. nu.6. Congruit huic loco illud Iſaiæ. Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, vt congregem cum omnibus gentibus, & linguis. Et venient, & videbunt gloriam meã. Quaſi diceret, tunc videbunt Filium hominis, &c. cap.66.nu.18.

15 *Venientem in nube.* Iudex reprobis terribilis erit, electis autem deſiderabilis. Quem, S. Iob.31. cap. expectabat, cum diceret. Quis mihi tribuat adiutorem, vt deſiderium meum audiat Omnipotens &c. cap.9.nu.2.

16 *Leuate capita.* Reprobi habent nunc caput erectum, electi humiliatum: ſed tunc illorũ capita deprimentur, iſtorum exaltabuntur. cap. 2.num.23. *

17 *Leuate capita.* In die iudicij deridebũt iuſti reprobos, eo modo quo Iſai. excidium Regis Babylonis ſubſannauit, dicẽs: quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributũ, &c. cap.14.à nu. 5.vſque ad 13.

18 *Leuate capita.* Hoc non dicetur filiabus Sion, quæ ambulauerunt erecto collo, de quibus Iſaias. Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, &c. cap.3. num.27.

19 *Leuate capita, &c.* Cum reprobi maxima fuerint afflictione preſſi, tunc electi ſecura erunt, ſicut Iſaias ait. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, &c. cap.26.nu.30.32. cap.32. nu.17. & 18.

20 *Leuate capita.* Conſolatur Dominus electos, gaudium futurum illis annunciãs, quod Iſaias his verbis declarat. Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. cap.24.nu.12.13.*

21 *Leuate capita.* Iudicium reprobis terribile, ſed electis ſuaue erit: reprobis erit nox, ſed electis erit dies cap.13.nu.9.

22 *Leuate capita.* Cum leuauerint capita ſua electi, humiliabuntur capita reproborum: Iſai.13. Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & requieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. cap.13.nu.11.

23 *Leuate capita.* Deus, cum electorũ recordatur, ſtatim iram temperat. vnde cum per Iſaiam

Iſai aduerſus reprobos multa dixiſſet in cap. 1. nu.16 & 17. ſermonem conuertens ad electos ait: Dicite iuſto,quoniam bene.cap.3. à num. 18. vſque ad 21. Et Iſai.28 cum aduerſus impios iratus dixiſſet: Audite viri illuſores, &c. ſtatim recordatus iuſtorum iram temperat, miſericordia,Verbi incarnationem promittens, & ſubdens. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c. cap.28. nu 17. & cap.30.nu. 49.poſtquam deſcripſit iram eius aduerſus impios,dicens. Ecce nomen Domini venit de longinquo ardens furor eius, &c. ſtatim conſolatur iuſtos,ſubdens. nu. 50. Canticum erit vobis,&c. Tunc enim commutabuntur fortes reproborum, & electorum. cap.30. citato.

24 *Leuate capita*. De ſecuritate iuſtorum quam habebunt in die iudicij, vide cap. 26. num 30.

25 *Quia prope eſt æſtas*. Dies iudicij prope eſt, ſicut Iſai. ait: Prope eſt dies Domini,prope eſt dies tenebrarum. cap.14. nu. 2. Chriſtus autem dicitur neſcire diem illum, nec horam: quia non facit alios ſcire. cap.7 nu 31.

26 *Quia prope eſt æſtas*. Conſolatur Dominus iuſtos Iſai. 14. ſpe futuri iudicij: ait enim. Prope eſt, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob, &c cap.14.num.2.3.& 5. & Iſaiæ 51.nu.6. Prope eſt iuſtus meus, &c.

27 *Cælum & terra tranſibunt*. cap 51. nu. 7.cap 54. nu.11.

## DOMINICA II: ADVENTVS.
### *Euangelium. Matthæi* 11.

1 CVM *audiſſet Ioannes,&c.*Ioannes tenebatur in vinculis: quia dixerat Herodi. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Prædicatores enim vitia principum reprehendere debent. Sic Iſai. Audite verbum Domini Principes Sodomorũ,&c. cap.1.nu 34 Vide quæ de prædicatoribus notata sũt in feſto S Dominici.

2 *Renunciate Ioanni, &c.* Reſpondet verbis, & factis; quia erat Propheta magnus: Prophetarum autem non ſolum verba,ſed & facta expendenda ſunt. tom.1. pag.4.nu.5.

3 *Cæci vident, &c.* Miraculis reſpondet Ioanni,vt omnes intelligerent Chriſtum eſſe, de cuius aduentu prædixerat Iſai.35. Tunc aperientur oculi cæcorum,&c.cap.8.nu.30. & cap. 9.nu. 30 cap 35 nu.8. & 9. Et iterum. Dedi te in fœdus populi,in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum. cap.42.nu.12.

4 *Cæci vident*. Miracula quibus ſtabilita eſt lex Euangelica, excedunt ſigna, quibus lex antiqua confirmata eſt. cap. 42. num. 33. cap. 43. num. 14. 15. cap. 51. num. 4. *

5 *Arundinem vento agitatam*. Arundo quia radices non habet,vento facile mouetur. Ioannes autem perſeuerauit immobilis,quia fixas radices in Chriſto habuit. cap.33.nu 5.

6 *Hominem mollibus veſtitum*. Non ſolũ verba, ſed veſtimenta Prophetarum notanda ſunt.quibus Dominus multa myſteria declarat. Vnde mittens Iſaiam ad prædicandum ait Vade,& ſolue ſaccum de lumbis tuis,& calceamenta tolle de pedibus tuis,&c.cap.20.n 3.& 4 Vbi explicatur quid ſignificent veſtimenta Ioannis.

7 *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt*. Nam in domibus pauperum,qui propter Chriſtum ſunt pauperes, luxus veſtimentorum contemnitur. cap.20 nu.3. *

8 *In domibus regum ſunt*. Ideſt,in domibus magnis, & eburneis,quæ non decent peregrinos, & futuram ciuitatem inquirentes. vnde Iſai. Væ qui coniungitis domum ad domũ. cap.5 nu.11 & 13.

9 *In domibus regum*. Principes ſuperbi,cũ iuſto Dei iudicio eorum palatia deſtruuntur,ea cõtraDei volũtatẽ pretioſis lapidibus reædificare nitũtur,dicẽtes illud Iſai.Lateres ceciderũt, ſed quadris lapidibus ædificabimus. c.9 n.82.*

10 *Et pluſquam Prophetã*. Tribus rationibus Baptiſta dicitur pluſquam Propheta, quæ explicantur.cap 40. nu.8.& 9.

11 *Qui præparauit viam*. Vide Dominica 3.& 4 Aduentus.

## DOMINICA III. ADVENTVS.
### *Euangelium. Ioann.* 1.

MISERVNT *Iudæi Sacerdotes,& Leuitas* Sacerdotum peccatis euertitur ciuitas, vnde Iſaias: Væ Ariel, ideſt altari.cap. 29. nu 2.& 3. vbi explicatur, quanta debeant Sacerdotes ſanctitate pollere Vide cap.52.n.15

2 *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis,&c.*Sacerdotum & principum mores deprauati multum nocent populo: nam cum ad inſtar capitis conſeruare deberent Rempublicam Chriſtianã eam deuaſtant cap.1.nu 26.

3 *Tu quis es?* De cognitione propria agit Iſaias.cap.38.nu.1. cap.40. nu.15.16.17.

4 *Propheta es tu*. Prophetarum oracula difficillima ſunt, & magno indigent ſtudio, vt intelligantur.tom 1.pag 2.nu 2.3.4.

5 *Non ſum*. Vide humilitatem Ioannis, qui nihil ſe eſſe agnoſcit. Per ſuperbiam vacuæ factæ ſunt ſedes Angelorum, & per humilitatẽ replentur. cap.6.nu.8 cap.8.nu.2 cap.11.nu.2.

6 *Ego vox*. Quæ nihil aliud eſt,quàm aer verberatus. Humiliat ſe Ioãnes,cum exaltatur ab hominibus, quia humilis non habet vnde cadat. Vnde lucifer,quoniam ſuper aſtra exaltare voluit ſedem ſuam, audire meruit illud Iſaiæ. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. cap.14.nu.11.

7 *Ego vox clamantis*. Tanta huius fuit vocis efficacia, vt dicens. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, duos Apoſtolos ad Chriſtum conuerteret, quorum vnus erat Andreas frater Simonis Petri.to 1.pag 9.n.15.

8 *Ego vox*. Prædicator officiũ habet præconis.vnde Iſai. Exalta in fortitudine vocem tuã.cap.40.n.19.Et iterũ.Clama ne ceſſes,quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum,&c.cap.58 nu.1. *

9 *Ego vox clamantis in deſerto*. Inter alia ſigna aduentus Chriſti hoc conſtituunt Prophetæ, quod videlicet Baptiſta præiturus erat illum,vt præpararet vias eius. Malachiæ 3.Ecce ego mitto Angelum meum. Iſai. 40. Vox clamantis in deſerto: hoc autem ſignum iam fuiſſe adimpletum,oſtendit præſens Euangeliũ. cap.9 nu.25.26.*

10 *Ego vox*. Ideo Ioannes vox dictus eſt, non verbum, quia per illum nõ explicuit Deus abſcondita myſteria,quæ per Verbũ ſuum poſt modum manifeſtauit.cap.9.num.26. Vide cap. 40. à nu. 8. vſque ad 13. vbi hic locus explicatur ex profeſſo. *

11 *Ego vox*. Debet Prædicator peccata populi increpare.cap.6. nu.18 cap.9. nu.25 26. *

12 *In deſerto*. Quare Ioannes in deſerto prædicauerit,explicatur. cap.40.nu.11.

13 *Ego baptizo in aqua* De baptiſmo Ioannis,vide in octaua Epiphaniæ.

14 *Dirigite viam Domini*. Iuſti ambulant recta via,ſicut Iſai. ait: Semita iuſti recta eſt, rectus calis iuſti ad ambulandum.cap.26 num. 10. 11. 12. vbi explicatur, qualiter à Domino greſſus hominis dirigantur. Vide Dominica ſequenti.

15 *Viam*. Charitas via eſt,& ſemita, de qua Iſaias. Erit ibi ſemita,& via ſancta vocabitur.cap 35.nu.13.

16 *Medius autem veſtrum ſtetit, &c.* Vt ſciamus Chriſtum mediatorem Dei,& hominũ eſſe, ſæpius in medio ſtetiſſe cõmemorat Scriptura. Vnde Iſai. ait. Quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Et Ioann. 20. Venit Ieſus, & ſtetit in medio,&c. cap.12. nu.14.

17 *Medius autem*. Chriſtus quare medius dicatur. Vide Dñica infra octauã Epiphaniæ.

18 *Qui ante me factus eſt*. Iſai. de Chriſto loquens,ait. Ego primus, ego nouiſſimus. cap. 48.num. 7. Et iterum. Ex tempore,antequam fierent,ibi eram. eodem cap nu.10.

## DOMINICA IV. ADVENTVS.
### *Euangelium. Lucæ* 3.

ANNO *quintodecimo Imperij Tyberij Cæſaris,&c.* Notat Euangeliſta tempus aduentus Chriſti,& principes,qui tunc regnabãt: erant enim impij, vt ex hoc magis commendabile redderetur incarnationis beneficium. cap. 7 nu.2. Aliquando tamen propter peccata principum ſubtrahit Deus beneficia,quæ tamen,illis de medio ſublatis,confert. Vnde Iſai.mortuo Ozia qui fuit rex impius, ſingularẽ quandam viſionem vidit.cap.6.nu.2. * 1

2 *Procurante Pontio Pilato,&c.*Tales principes ob propria delicta habuit ille populus.ca. 3.nu.7.& 8. Vbi oſtenditur,quales debeant eſſe populi Rectores:de quo etiam agitur latiſſime. cap.16.nu 6 & 7. *

3 *Procurante Pontio Pilato, &c.* Infelix Reſpublica,quæ tam peruerſos principes habet & miniſtros, nam eorum exemplo paulatim populus ad impietatem accenditur. Iſai 9.Succenſa eſt enim quaſi ignis impietas, &c. cap.9. nu. 88. in principio,& nu.89.per totum.Vnde Iſai. Nobiles eius non erunt ibi, & omnes principes eius erunt in nihilum: id eſt multa damna inferent Reipublicæ. cap.34 nu.9 10.

4 *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ*. Vide Dominica infra octauam Epiphaniæ.

5 *Vox clamantis in deſerto*. Vide Dominica præcedenti.nu.6.7.8.9.10.11.

6 *Parate viam Domini*. Via Domini illa eſt,per quam Dominus ambulauit,via aſpera,& laboribus plena.c.2.nu.9.10 Vide Iſai.40.n.12.

7 *Parate viam*. Dicit enim Iſai. Prope eſt iuſtus meus,egreſſus eſt Saluator meus, &c. cap.51.nu.6. Et ipſe Saluator ait: Ego qui loquebar, ecce adſum cap 52.nu 5.

8 *Parate viam Domini*. Conſonat illud Iſaiæ.Et dicam viam facite,præbete iter,declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei.cap.57.nu.14. (13. 14.

9 *Omnis vallis implebitur,&c.* Iſai.40.nu.

10 *Omnis mons,& collis humiliabitur.* Chriſtus humili ſuo aduentu hominum humiliauit ſuperbiam, iuxta illud Abac. 3. Contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. cap. 2. num.23. cap 64.nu 1.2. Vide Iſai.40 nu 13.

11 *Videbit omnis caro*. Iſai.40.nu.14. Vide Dominica 12. poſt Pentecoſtem.nu. 1.2 Et Dominica in Albis,in illa verba: Vidimus Dñm.

12 *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*. De quo Iſai.ait: Parabit Dominus brachium ſanctum ſuum, &c. Pſal. 97. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.cap.52.nu.2.

IN

## IN VIGILIA NATALIS Domini.

8 *Euangelium. Matth.* I.

1 C*V M eſſet deſponſata*. Beata Maria terra eſt? quæ ſublimē nobis protulit fructum. cap.4.nu.6.

2 *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto*. Sicut per Iſai. dicitur. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. quo teſtimonio, & alijs quamplurimis perpetua Beatiſſimæ Virginis comprobatur virginitas.cap.7.nu.21.& ſeq.

3. *Noli timere accipere Mariam,&c.* Iuſti ſemper ſunt pauidi. Vide in feſto Purificationis in illa verba: Iuſtus & timoratus.

4. *Vocabis nomen eius Ieſum*. Vide in Circumciſione Domini, de huius nominis excellentia, & veneratione.

## IN DIE NATALIS Domini.

*Euangelium primum. Lucæ* 2.

*Exijt edictum à Cæſare Auguſto,&c.*

1 V*T deſcriberetur vniuerſus orbis*. Naſcitur Chriſtus, quando pax erat in vniuerſo, quia pacificare venit, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt. Vnde Iſai. Conflabunt gladios ſuos in vomeres,&c. cap.2.nu.13.14. Naſcitur in alieno loco, & alienas patitur calamitates, vt adimpleat illud Iſai. Vt faciat opus ſuum alienum eſt opus eius,&c.cap.28.nu.29.30.

2 *Peperit filium ſuum primogenitum*. In cuius partu totus mundus exultat, ſed præſertim Beatiſſima Virgo, cui competit illud, quod Geneſ.30. dixit Lia nato Gad, & Aſſer: Feliciter, & hoc pro beatitudine mea, &c. cap. 8. num.8. *

3 *Peperit filium ſuum*. Cuius generatio non ſolum æterna, ſed etiam temporalis mirabilis eſt, iuxta illud Iſai. Generationem eius quis enarrabit? cap.53.nu.13.

4 *Peperit filium ſuum primogenitum.* Paruulum peperit, qui ex Patre natus fuerat magnus. Vnde Iſai. Paruulus enim natus eſt nobis. Nobis, inquit: nam impijs, & infidelibus nōdum natus eſt Chriſtus. cap.9.num.16.17.18. lege à nu.20.vſque ad 42. vbi ex diſcurſu Euangelij ſecundum Matth. oſtenditur prædictam Iſaiæ Prophetiam in Chriſto Domino impletam eſſe.

Iob. 5 *Et pannis eum inuoluit*. Iob clamat. Quis concluſit oſtijs mare? &c. Euangeliſta reſpondet, Dei Mater pannis eum inuoluit, &c. cap.5.nu.2.

6 *Pannis eum inuoluit.* De quo Iſai. iuxta aliam litteram. Aſcendet vt puer, latens facies eius.cap.53.nu.2.

7 *Et pannis eum inuoluit,&c.* Quam ſuauis, & benignus Chriſtus venerit in primo aduentu. oſtenditur ex veſtimentis: quia faſcijs inuolutus. Ex cibo: quia, vt Iſai. ait. Butyrum & mel comedet.cap.7.nu.30.31. Iſai.

8 *Et pannis eum inuoluit*. Iſai. ait: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet. Inuolutus eſt pannis, & inquit, in fortitudine veniet? Vtique: nam ibi abſcondita eſt fortitudo eius. cap.40.num.21.

9 *Et reclinauit eum in præſepio,&c.* O beatiſſime paruulorum, quem quæris inter palleas & fœnum? reſpondebit vtique, fratres meos quæro, ſicut olim Ioſeph. Quærit Hieremias, & inquit. Expectatio Iſrael Saluator eius in tempore tribulationis. Quare quaſi colonus futurus es in terra? Reſpondebit, quia in Aegyptum deſcendit populus meus, vt colonus eſſet ibi;&c.cap.52.nu.4. circa medium. Abac. 2. Gen. 37. Hiere.14. Iſai. 52.

10 *In præſepio*. Vbi cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem non cognouit. cap.1. nu. 13.14. Vide num.9.10.11.12.& cap.40.nu.17.

11 *Et reclinauit eum in præſepio*. Vide, ò homo, quo miſſus fuerit Dei filius propter te, & in quo loco conſtitutus, ſcilicet in Babylonē, iuxta illud Iſai. Propter vos miſſi in Babylonē. Et Hierem.49. Ponam ſolium meum in Elam. cap.43.nu.12.

12 *Et paſtores erant vigilantes*. Vide quæ de conditionibus veri paſtoris dicuntur Dominica ſecunda poſt Paſcha, in illa verba. Ego ſum Paſtor bonus.

13 *Et claritas Dei circumfulſit illos*. Iuxta illud Iſai. vaticinium: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.cap 9.nu.5.6.

14 *Nolite timere*. Vide in communi Martyrum, in illa verba. Nolite timere eos, qui occidunt corpus.

15 *Natus eſt nobis hodie Saluator*. Iſaias ait: Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.cap.9. à num. 16. vſque ad 42.

16 *Et hoc vobis ſignum.* Meſſiam in lege promiſſum aduenisſe, illumque eſſe Chriſtum Dominum, oſtendit. S. Matt. in toto Euangelio ex viginti duobus ſignis, in lege & Prophetis prædictis, quæ in Chriſto adimpleta eſſe declarat. de quibus.cap.9.à nu.21.vſque ad 42.

17 *Et hoc vobis ſignum*. Natiuitas Chriſti ſignum eſt per excellentiam, quia ſignum manifeſtum eſt bonitatis diuinæ, miſericordiæ, & iuſtitiæ eius, de quo Iſai. Propter hoc dabit Dominus ipſe nobis ſignum. Ecce virgo concipiet, &c. cap.7.nu.19. 20.21. * Vide Dominica infra octauam Natalis Domini.

18 *Inuenietis infantem pannis inuolutum*. Chriſtus in ſtabulo, quaſi labijs bleſis nobis loquitur, & in lingua altera, iuxta Iſai. Vaticinium. cap.28.nu.11.*

19 *Laudantium & dicentium*. Qui in ſe bonitatem, & miſericordiam Dei fuerit expertus, continuo in Dei laudes prorumpit. Vnde Iſai. poſtquam de Verbi incarnatione loquutus eſt, ſtatim gratiarum actionem ſubiungit, cum ait: Et dices in illa die. Confitebor tibi Domine, &c. cap.12.num.2.3. Vbi multa dicuntur de diuinis laudibus. Vide cap.6.n.13. Et cap.48.nu.5. in illa verba. Et laude mea infrænabo te.

20 *Laudantium*. Angeli, & ſimiliter homines ad laudes Dei concinendas creati ſunt. cap.38. num.23. 24 vnde Ezechias. Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus, &c. ibidem num. 25. Non ergo debent inepti, ſed felices reputari, qui diuinis laudibus decantādis ſunt addicti, ait enim Iſai. Populum iſtū formaui mihi, laudem meam narrabit. cap.43. num.16. * Laudandus eſt autem à pluribus vno ſpiritu. cap.52.nu.9.

21 *Et in terra pax hominibus, &c.* Pax temporalis & ſpiritualis regnauit tempore incarnationis Chriſti, ſicut oſtenditur. cap. 2. num.13.14.

22 *Pax hominibus*. Quia lex Euangelica non armis bellicis, ſed inſtrumentis pacificis eſt introducenda. cap 2.nu.15.

23 *Et in terra pax*. Hanc Chriſtus attulit, propter quod princeps appellatur. Iſai. 9. Hanc & moriens relinquit Ioan.14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. cap. 9. num.75.76.

## PRO EVANGELIO AVRORAE *Lucæ*. 2.

*Paſtores loquebantur ad inuicē, &c.*

1 V*IDEAMVS hoc verbum*. Hoc eſt verbum de quo Iſaiæ 2. dicitur. Verbum quod vidit Iſai. &c cap.2.nu.1 & 2.

2 *Et venerunt feſtinantes*. Vide in Viſitatione B. Mariæ, ſuper illud: cum feſtinatione.

3 *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc*. Dei beneficia, præſertim incarnationis miſteria ſunt profunda meditatione penſanda. cap.17.nu.7.

## TERTIVM EVANGELIVM *Ioan.* I.

I*N principio erat verbum, &c.* Sicut Iſai. cap 9. diuinitatem, & humanitatem Chriſti prælocutus eſt, ita & Euangeliſta in præſenti. Propheta, de diuinitate loquens, inquit. Et vocabitur nomen eius admirabilis, Euangeliſta vero ait. In principio erat verbum. Propheta humanitatem Chriſti agnoſcens ait. Paruulus natus eſt nobis,&c. Eāugeliſta inquit. Et verbum caro factum eſt, &c. cap. 9. nu. 55. Vide de duplici Chriſti natiuitate, diuina, & humana eodem cap. 9 a nu. 19. vſque ad 29. & num. 35 item à nu. 45. vſque ad 73. in quibus oſtenditur, Chriſtum verum Deum, & hominem eſſe. & in oct. Epiph nu.5. 1

2 *In principio erat verbum*. Ne Chriſtus Dominus vileſceret ex his, quæ temporaliter accepit ex matre, narrat ea, quæ æternaliter habet a Patre, ſicut Iſai. tractaturus de paſſione, præmittit generationem eius æternam, dicens, generationem eius quis enarrabit? cap. 53. nu. 13.

3 *In principio erat verbum*. De quo Iſai. ait. Tantum in te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te, vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. cap.45.nu.13.14.

4 *Omnia per ipſum facta ſunt*. Sicut Iſai. ait. Quis menſus eſt pugillo aquas,&c cap.40. nu.24.cap 44.nu.15.

5 *Et lux in tenebris lucet*. De hac luce ait Iſai. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. cap.9. num. 5.6.7. Et iterum. Et Saluator eius, vt lampas accendatur. cap.62.nu.1. cap.2.nu.3.

6 *Fuit homo miſſus à Deo*. Admonet, Baptiſtam fuiſſe hominem, ne quis propter ſanctitatem vitæ, eum exiſtimet angelum. cap. 40. nu 8. Vide plura alia de Ioanne, Dominica 3. & 4. Aduentus.

7 *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. ideſt Iudæos, & gentes, iuxta illud Iſai. Dedi te in lucem gentium. cap.49.n. 8. & c. 60. n. 1. ibi, ſurge, illuminare Hieruſalem.

8 *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Vnde, & ipſe Saluator per Iſai. conqueritur, dicens. In vacuum laboraui, & ſine cauſa fortitudinem meam conſumpſi. cap. 49. nu.6. Et iterum ait, Quibus non eſt annunciatum, de eo intelligent. cap.52.nu.18. Et Rurſus. Domine quis credidit auditui noſtro? cap. 53. num. 1. 2.

9 *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Magna eſt excellentia filiorum Dei. De qua per

Iſai. ait. Filios enutriui & exaltaui. cap. 1. n. 9.

10 *Verbum caro factum eſt.* Olim terribilis erat Deus, ſed carne indutus, dilectus, & manſuetus factus eſt, ſicut vnicornis in gremio virginis matris. cap. 5. nu. 2.*

11 *Verbum caro factum eſt.* Vt ſchoriam noſtræ iniquitatis mundaret. vnde Iſai. Et conuertam manum meam ad te, ideſt (incarnari faciam filium meum) & excoquam ad purum ſchoriam tuam, &c. cap. 1. num 64. & cap. 2.
1 num. 1.

12 *Verbum caro factum eſt.* Vt in illo tamquam in imagine clare agnoſcamus omnia diuina attributa. Vnde ad Iſai. Sume, inquit tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis, ideſt, ſtylo claro, vt ab omnibus poſſit intelligi. cap. 8. nu. 4. 5 7. 8. Vide eodem cap. n. 3. vbi viſio Iacob Geneſ. 28. explicatur cum Ruperto, de incarnatione Verbi.

13 *Verbum caro factum eſt.* Chriſtus dicitur os Patris, quia in illo duo labia, ideſt, diuina & humana natura, in eodem ſuppoſito ſunt coniuncta. cap. 1. nu. 61.

14 *Verbum caro.* Chriſtus non ſolum homo, ſed etiam eſt verus Deus. Iſai. 9. Et vocabitur Deus fortis, cuius diuinitas oſtenditur. ex Pſal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Pſal. 88 Ipſe inuocauit me, Pater meus es tu; & ex a ijs pluribus locis Scripturæ, quæ adducuntur. cap. 9. a nu. 45. vſque ad. nu. 73.

15 *Verbum caro factum eſt.* Stylo hominis, ideſt plano, qui facile poſſet intelligi, ſcripſit Pater in verbo incarnato, quæ ſtylo diuino, & inacceſſibili ſcripſerat, cum ab æterno genuit Filium; de cuius generatione per Pro-
Pſal. 44. phetam ait: Lingua mea calamus ſcribæ, &c. cap. 8. num. 7. *

61 *Verbum caro factum eſt.* In quo adimpletum eſt illud Pſal. 48. Simul in vnum diues, & pauper. cap. 9. nu. 45. Vide nu. 46. 47. 48. 49. vbi de generatione Chriſti æterna, & temporali explicatur illud Pſal. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Item nota quod propter reuerentiam Verbi incarnati, cum Angeli ante aduentum Chriſti, ab hominibus ſe permiſerint adorari, poſtmodum nequaquam id permittere voluerunt. cap. 9. nu. 52. De incarnatione, & aduentu Chriſti, vide cap. 11. per totum.

17 *Verbum caro.* Verbum Dei noſtræ humanitati vnitum eſt, vt capacitatem impleret illius. Cant. 8. Pone me vt ſignaculum, &c. cap. 29. nu. 16. *

18 *Verbum caro.* Chriſtus venit in ſimilitudinem carnis peccati, vt hominem faceret Deo ſimilem. cap. 44. nu. 4.

19 *Et verbum caro factum eſt, &c.* Vt hominem à ſeruitute peccati liberaret. Vnde Iſai. gratis væniundati eſtis, & ſine argento redimemini. cap. 52. nu. 3. 4. 5. *

20 *Et habitauit in nobis.* Cum colonus eſſet Dei populus, voluit colonus fieri Dei filius, & præ amoris magnitudine viſus eſt, non quieſcere in cælo. Ait enim Iſai. 52. Et nunc quid mihi eſt hic, dicit Dominus, quaſi dicat. Captus eſt in peccatis ſuis populus meus, & ego in cælo quieſcam? cap. 18. nu. 8.

21 *Vidimus gloriam eius.* Quam ſpiritu Prophetico præuidit Iſai. cum dixit. Vidi Dominum ſedentem. cap. 6 nu. 4. 5. 7.

22 *Et vidimus gloriam eius.* Apoſtoli viderunt gloriam Domini, ideſt, Filium Dei carne tectum, ſicut Iſai. ait. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. cap. 35. num. 5.

23 *Vidimus gloriam eius.* Quam gloriam? viles pannos, præſepium, lachrimas, &c. dicis gloriam eius? vtique, quoniam hæc pro dilectis patiebatur. cap. 5. nu. 5. cap. 6. nu. 7. *

24 *Vidimus gloriam eius.* De qua Iſai. ait. Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. cap. 52. num. 17. Vide notata in Dominica 2. Quadrageſimæ, pro transfiguratione Domini.

25 *Plenum gratiæ.* Quem Iſai. vidit ſuper omnes montes exaltatum, a quo omnes gratiam accipiunt, vt oſtenditur. cap. 2. nu. 3.

## DOMINICA INFRA OCTAVAS Natiuit. Domini:

### *Euangelium. Luc. 2.*

E*RANT Ioſeph, & Maria.* Maria Vir- I
go, & Ioſeph ſunt duo Cherubim ſe & propitiatorium reſpicientia. tom. 1 pag. 1.

2 *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum.* Nam credentibus factus eſt in ſanctificationem, non credentibus
in petram ſcandali. Vnde Iſai. Et erit vobis Iſai. 28.
in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſrael, &c. cap. 8. num. 23. 24. cap. 28. numero 18.

3 *Et in ſignum, &c.* Chriſti natiuitas ſignum fuit omnium ſignorum, de quo Dominus ad Achaz. Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, &c. Et poſt pauca. Propter hoc dabit vobis ſignum. cap. 7. nu. 14. 15. 19. 20. cap. 8. ne. 30. Vide in Euangelio 2. Natalis, in illa verba. Et hoc vobis ſignum.





4 *Cui contradicetur.* Iudæi in omnibus contradixerunt Chriſto. Vnde Pſalmiſta: Quo-
Pſal. 54. niam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. cap. 1. nu. 62 cap 8. nu. 30.

4 *Et hac vidua erat vſque ad annos ſeptuaginta quatuor.* Memoriam facit ætatis, vt iuuenes ad conſiderationem virtutum illius excitet: ſenioribus enim parere debent iuuenes. Vnde Iſai. ruinam ciuitatis deplorans, ait. Tumultuabitur puer contra ſenem, &c. cap. 3. num. 9.

6 *Ieiunijs, & obſecrationibus vacans.* Magnum bonum ieiunium, quod ſecum habet comitem orationem. Ieiunantes mane ſurgunt ad vacandum Deo; carnales vero mane ſurgunt ad ebrietatem ſectandam. De quibus Iſaias: Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam. cap. 5. nu. 15. 16. * Et iterum ait. Et vocauit Dominus in die illa ad fletum, &c. & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, &c. cap. 22. num. 8. 9. 10. Orationes quæ coniunctæ ſunt operibus miſericordiæ, efficaciſſimæ ſunt, vnde poſtquam Iſaias dixit: Frange eſurienti panem tuum, &c. ſequutus adiunxit: Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adſum. cap. 58. num 9. 10. 11. 12. *

7 *Et obſecrationibus vacans.* Offerebat ſingulis diebus ſacrificium orationis: quod eſt Deo gratiſſimum, ſi tamen ex puro corde procedat. c. 17. nu. 11. c. 1. n. 42. Meruit Anna ſuis orationibus Deum incarnatum videre. Tanta eſt enim orationis efficacia, vt Deum ipſum impetret. ait enim Iſai. Clamabunt ad Dominũ à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. cap. 19. num 22. *

8 *Die ac nocte.* Semper eſt orandum, præſertim nocte, quæ aptiſſimum tempus eſt orationi. Vnde Iſai. Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus. cap. 21. num. 9. 11.

9 *Omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael.* Omnes ſperant in Chriſtum, ſed pauci ſequuntur illum. Vnde Hierem. in plurali
Thren. 3. dicit, Bonus eſt Deus ſperantibus in eum: ſed ſubdit in ſingulari, animæ quærenti illum. cap. 6. nu. 9. in fine. Vide cap. 26. nu. 28 qualiter multi iuſtorum deſiderent mortem, qui vitam eorum abhorrent.

## IN DIE CIRCVMCISIONIS Domini.

### *Euangelium. Lucæ 2.*

P*OST quam conſummati ſunt dies octo.* Vi- I
de Dominica infra octauas Epiphaniæ. num. 1.

2 *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Qualiter hoc cohæreat cum prophetia Iſai. Et vocabitur nomen eius Emanuel, explicatur cap. 7. num. 26. * Vide Iſai. 9. num. 44. in illa verba. Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, &c. Vide de nominibus Chriſti. cap. 8. nu 9. in illa verba. Voca nomen eius accelera, &c.

3 *Nomen eius Ieſus.* Vide notata contra iuramenta. cap. 1. num. 20. vbi locus quidam Zachariæ 5. pulchre expenditur cum Chriſoſtomo. & cap. 29. nu. 1.

4 *Vocatum eſt, &c.* Ieſus eſt Deus, & homo, ſed Deus abſconditus ſub humanitate, iuxta illud Iſai. 45. Quia in te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te. Vere tu es Deus abſconditus, &c. cap. 9. nu. 53.

5 *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* De hoc nomine dicit Iſai. Mementote quoniam excelſum eſt nomen eius. cap. 12. num. 11. Idem qui ab Angelo dictus eſt Ieſus, ab Iſaia dicitur Emanuel, ideſt nobiſcum Deus; vt ex ethimologia nominis ſpes noſtra firmetur. cap. 7. num. 29.

6 *Nomen eius Ieſus.* Ieſus idem eſt, quod Saluator. Eſt ergo Deus, qui ſolus poteſt ſaluare quod perierat. cap. 9. nu. 57. vbi Iſai. dicit. Ecce Deus Saluator meus, Hebraicæ habetur: Ecce Deus Ieſus meus. cap. 12. nu. 5.

7 *Quod vocatum eſt ab Angelo.* Vide in annunciatione Dominica, in illa verba. Et vocabis nomen eius Ieſum.

## IN EPIPHANIA Domini.

### *Euangelium. Matth. 2.*

C*VM natus eſſet Ieſus, &c.* Chriſtus natus ante quam ſciret vocare patrem & matrem, deprædatus eſt à diabolo ſpolia, Magos ab Oriente ad ſeipſum trahens. cap. 8. nu. 9. 10. 11.

2 *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Sicut prophetatum fuerat Numerorum 24. Orietur ſtella ex Iacob. Et Iſai 60. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, &c. cap. 9. nu. 23. De aduentu Magorum, & vocatione gentium loquitur ad litteram Iſaias toto fere capite 60. vt ibidē oſtenditur a nu. 1. vſque ad 20.* Venerunt de longe, iuxta illud. Filij tui de longe venient. cap. 60. num. 5.

3 *Ecce Magi*. Reprobatio Iudæorum ſalus fuit gentibus. cap. 2. nu. 17.

4 *Ecce Magi venerunt, &c.* Agnoſcentes Magi Chriſtum non ſolum hominem, ſed etiā verum Deum, venerunt adorare illum. Iuxta illud Iſai. 45. Tranſibunt ad te, & adorabunt te, &c. cap. 9. nu. 53. cap. 45. nu. 14.* Venerunt autem cum magno charitatis affectu, & feſtinatione: ita vt venientes admiretur. Iſaias, dicens. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? cap. 60. numero 10.

5 *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Chriſtus infantulus ſpolia abſtulit Samariæ, cum pannis inuolutus Magos, ab Oriente ad ſe traxit, vt adimpleretur illud Iſaiæ. Quia ante quam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem, &c. cap. 8. nu. 10. Vnde Pſalmiſta de
*Pſal. 69.* Chriſto loquens, ait. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas, quibus videlicet prædam auferet a Diabolo. ibidem nu. 11. & cap. 42. nu. 9.

6 *Ecce Magi ab Oriente*. Ab Oriente vocauit Deus Abraham, iuxta illud Iſai. Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, &c. Et ab Oriente venit Chriſtus. cap. 41. num. 2. 3. 4. cap. 41. num. 22.

7 *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum.* Intrepide Magi quærunt Chriſtum natum. cap. 8. nu. 11. cap. 2. nu. 6.

8 *Vidimus ſtellam*. Et infra. *Videntes*
*Baruch. 3.* *ſtellam gauiſi ſunt*. Stella iuxta Baruch vaticinium Magos illuminans, ſuo inſeruiuit creatori. cap. 8. num. 11.* Vnde Iſai. Omnes, ſcilicet ſtellas, ex nomine vocat. cap. 40. nu. 33.

9 *Vidimus Stellam eius*. De qua Iſai. ait, Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. cap 9. nu. 6. 7.*

10 *Vidimus enim ſtellam eius, &c.* Duæ ſtellæ ſeruierunt creatori ſuo, vt a longinquo Magos ducerent, & ad Chriſtum traherent: altera interior, altera exterior. cap 8. nu 11.* De vtraque ſtella dicit Iſaias: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, &c. cap 60. nu. 13.

11 *Vidimus ſtellam*. Inter alia ſigna aduentus Chriſti, fuit apparitio ſtellæ, de qua Numerorum 24. Orietur ſtella ex Iacob. Et aduentus Magorum. cap. 9. nu. 23.

12 *Et venimus adorare eum.* Quod Iſai. 2. prædicitur. Et fluent ad eum omnes gentes. cap. 2. nu. 6. 7. & 8. Vide cap. 49. nu. 8. in illud. Dedi te in lucem gentium.

13 *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo, &c.* Nam Rex impius & tyrannus omnem Rempublicam turbat. cap. 3. num. 9. Neceſſe eſt enim, quod pereat Reſpublica principes habens iniquos. Vnde poſtquam dixerat Iſai. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, ſubdit, à planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. cap. 1. nu. 26. 27. Quales autem debeat Rex habere cōditiones, explicatur. cap. 16. nu. 6. cap. 22. a num. 16. vſque ad 24. Propter peccata populi ſunt multoties Reges iniqui. cap. 3. nu. 7. 8.

14 *Turbatus eſt*. Cui conſonat illud Iſai. Viderunt inſulæ, & timuerunt. cap. 41. nu. 6. Sed gentes illuminatæ ſunt per Chriſtum. cap. 42. num. 19.

15 *At illi dixerunt: In Bethlem Iuda*. Indicauerunt Iudæi locum, ſed Chriſtum adire noluerunt. Quorum ſubinde typum geſſit Zaran, qui prius quàm Phares manum protulit in prophetis, vt Chriſtum oſtenderet, ſed ipſe in vtero legis manſit percluſus, & filo coccineo circumciſionis ligatus: cap. 1. nu. 29. Idem præfiguratum fuit multis alijs figuris veteris teſtamenti, quæ explicantur. cap. 29. num. 32. & 33. Vide quæ de reprobatione Iudæorum, & electione gentium habes in tabula communi, verbo Iudæi, & verbo gentes.

16 *Et tu Bethleem terra Iuda*. Hic locus explicatur. cap 9. num. 54.

17 *Gauiſi ſunt gaudio magno valde*. De gaudio illorum, qui inueniunt Chriſtum, ait Iſai. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. cap. 9 nu. 9. & 10.

18 *Et intrantes domum*. Eccleſia in aduentu gentilitatis admirans multitudinem filiorum, dicit per Iſai. Quis genuit mihi iſtos, &c. Et per Pſalmiſtam. Memor ero Raab, & *Pſal. 84.*
Babylonis ſcientium me, &c. cap. 49. numero 19.

16 *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius*. Chriſtus in ſinu Patris filius, & in gremio matris ſeruus dicitur. Vnde Iſai. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum. cap. 42. numero 1.

20 *Et procidentes adorauerunt eum, &c.* Quod multo antea prædixerat Iſaias. Vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te eſt Deus, & non





eſt abſque te Deus, vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. cap. 45. nu. 13. 14.* & Iſai cap. 49. nu. 22. dicitur: Vultu in terram demiſſo adorabunt te. & cap. 60. nu. 18 Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te.*

21 *Obtulerunt ei munera*. Tunc adimpletum eſt illud Iſaiæ. Et cognoſcetur Dominus ab Aegypto; Et cognoſcent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtijs & muneribus. Vota vouebunt Domino, & ſoluent. cap. 19. nu. 23.

22 *Obtulerunt ei munera*. Quorum ſignificatio explicatur, cap. 45. nu. 14.

## DOMINICA INFRA OCTAVAS Epiphaniæ.

### *Euangelium. Luc. 3.*

1 CVM *factus eſſet Ieſus duodecim annorū.* Qui habitat æternitatem tempori voluit pro nobis ſubiacere. Vnde & ſignum futuræ incarnationis datum eſt Ezechiæ, in horologio Acaz, quo vita mēſuratur humana. c. 38. n. 8. 9.

2 *In medio Doctorum*. Chriſtus in medio ſedet, quia mediator eſt Dei & hominum: vnde Iſai. ait, Quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. cap. 12. nu. 14.* Vide Dominica tertia aduentus. nu. 16. 17.

3 *Super prudentia, & reſponſis eius*. Sapientia Chriſti doctrina eſt pacifica, quæ aquis Siloe confertur. cap. 8. nu. 13. 14.

4 *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*. Cum dolore oportet vt quærat Chriſtum, cum labore, & afflictione ſpiritus, qui eum inuenire deſiderat, vnde Prouerb. 2. Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelligēs timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies. cap. 12. n. 9. Hinc per Pſalmiſt. Quærite Dominum, & confirmamini,
*Pſal. 104.* Quærite faciem eius ſemper. cap. 6. nu. 11. cap. 55. nu 3. Magna triſtitia afficiuntur electi, cum Dominus eſt abſens, cum autem præſens eſt gaudent, iuxta illud: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael. cap. 12. nu. 13.*

5 *Dolentes quærebamus te*. Pſal. 104. dicitur, Letetur cor quærentium Dominum. Igitur, quærere Dominum, letitiam ſecum, & dolorem affert. c. 55. n. 3. vbi explicatur, qualiter Deus à nobis ſit ſemper quærendus.*

6 *Quærebamus te*. Vita præſens eſt tempus aptum ad quærendum Dominum, vnde Iſai. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, cap. 55. num. 11. vide num. 12. qualiter ſit quærendus.

7 *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc*. Diuina myſteria ſunt profunda meditatione penſanda, & in corde conferenda.

8 *Proficiebat ſapientia, &c.* Hoc intelligendum eſt de ſcientia experimentali: nam ſapientia diuina illa ſumma erat, & infinita: de qua Pſal. 146. Et ſapientiæ eius non eſt numerus, ideſt ſapientia Dei. vtpote infinita: non eſt multiplicabilis, ſed vna & ſimpliciſſima, ſic explicat Bernardus.

## IN OCTAVA EPIPHANIAE.

### *Euangelium. Ioan. 1.*
### *Vidit Ioannes Ieſum, &c.*

ECCE *agnus Dei, ecce qui tollit peccata* 1
*mundi*. Chriſtus Dominus ſuper ſe omnium hominum peccata portauit, iuxta illud Iſai. Proieciſti poſt tergum tuum omnia pecca- *Iſai. 38.*
ta mea. c. 38. n. 22. c. 1. n. 22. c. 9. n. 43.

2 *Ecce agnus Dei*. Prædicatores imitantes Ioannem Baptiſtā debent ea quæ ad amorem Dei homines inducunt prædicare, non curioſa & inutilia, ne ſint ſicut illi, de quibus Apoſtolus ait. Coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus. c. 40. n. 3. Tales enim Dominus per Hierem. acriter reprehendit, dicens. *Hierem. 8.*
Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia, cap. 30. n 11. Vide Dominica 3. Aduent. nu 7.

3 *Poſt me venit vir*. Chriſtus Dominus vere eſt vir, de quo per Danielem dicitur. Le- *Dan. 10.*
uaui oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, &c. cap. 59 n. 22.*

4 *Poſt me venit vir qui ante me factus eſt.* Vide Dominica tertia in Aduentu.

5 *Qui prior me erat.* Docet hic locus Chriſtum non ſolum eſſe hominem, ſed etiam verū Deum: quod late oſtenditur. cap. 35. n 7. cap. 40. num. 24. cap. 42. nu. 9. cap. 44. nu. 5. cap. 54. num 6.*

6 *Quia vidi Spiritum ſanctum deſcendentem*. Ioannes verus eſt Chriſti teſtis, quia quæ vidit & audiuit, hæc teſtatur: cui ſubinde illud competit, quod Dominus per Iſaiam ait. Vos teſtes mei, dicit Dominus. c. 43. n. 8.*

7 *Qui miſit me baptizare in aqua*. Vide Dominica tertia Aduentus, in illa verba, Ego baptizo in aqua.

8 *Super quem videris Spiritum ſanctum*

*deſcendentem , & manentem, &c.* Vide in Euangelio ſequenti , ex cap. 3. Matthæi . num. 5. & 6.

## IN OCTAVA EPIPHANIAE, ſecundum vſum antiquum Fratrum Prædicatorum.

### *Euangelium. Matth. 3.*

1 V*T baptizaretur ab eo.* Chriſtus Dominus mundauit aquas, virtutem illis tribuens, vt nos abluerent. Vnde Iſai. Lauamini mundi eſtote. cap.1.n.44. vbi agitur de efficacia baptiſmi. De quo vide. cap.4.n.10.& c.12. nu.7.8. in illa verba, haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Et cap.42.nu.2. in illa verba,cum tranſieris per aquas tecum ero. Eſt baptiſmus flumen, & flumen violentum, quia omnia peccata diluit,de quo Iſaias ait:cum venerit quaſi fluuius violentus, quē ſpiritus Domini coget. cap 59.nu.19.20.

2 *Ego a te debeo baptizari.* Baptiſmus ſuũ conſequitur effectum, non quidem ex maiori, vel minori ſanctitate miniſtri, ſed ex Chriſti Domini virtute, c.6. n.25.

3 *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam.* Inter alia ſigna Chriſti venturi, hoc vnum conſtituerunt Prophetæ, quod videlicet conuerſatio eius inter homines futura erat humilis & pacifica. Iſai. 42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum,&c. cap 9.n.31.

4 *Aperti ſunt ei cæli.* Et non ſolum ei, ſed & hominibus propter eum.Vnde Iſai.Aperite portas, & ingredietur gens ſancta. Et Pſalmiſta: attollite portas principes veſtras, &c.

Pſal.22. Sic ergo aperti ſunt cæli,vt numquam deinceps claudantur iuſtis. cap. 26 num.4.5.* Sed diabolus contra baptizatos inſurgit, fiduciam habens, quod influat Iordanis in os eius. cap.49. num.18.

5 *Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam.* Sicut per Iſaiam dicitur. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. cap.11. num 3.4.5.

6 *Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam.* Ioanni dictum eſt, ſuper quem

Ioan.1. videris ſpiritum deſcendentem, & manentem. In alijs ſanctis deſcendit ſpiritus, ſed in Chriſto deſcendit,& manet. c.3.n.26.*

7 *Hic eſt filius meus dilectus.* Deus fuit teſtis ſanctitatis Chriſti, iuxta illud Iſai. Vos teſtes mei,dicit Dominus, & ego teſtis. c. 43. nu.10.11. Vide Dominica ſecunda Quadrageſimæ. in illa verba. Hic filius meus,&c.

8 *Filius dilectus.* De quo Iſai. ait. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, &c. cap.5.nu.2.3.

## DOMINICA II. POST Epiphaniam.

### *Euangelium. Ioan. 2.*

N*VPTIAE factæ ſunt, &c.* Matrimonium, ſignum quoddam eſt coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ gaudēs,eo quod talem ſortita ſit ſponſum, ait: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. cap.61. num.11. 12.* 1

2 *Nuptiæ factæ ſunt, &c.* Vxor viro ſit ſubiecta,non debet illi dominari,nec vir illam, vt ſeruam tractare, ſed vt ſociam. Ideo enim non ex capite, neque ex pedibus Adæ formata eſt: ſed ex coſta illius. cap.3.nu.22.*

3 *Nuptiæ factæ ſunt.* Mulieres in ſuis ornamentis modeſtiam ſeruent, ne illis accidat iudicium, de quo Iſaias. Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, &c. cap 3. nu.27.28.29.30. vbi diffuſe explicatur, qualiter mulieres ſe debeant habere cum viris ſuis, &c. *

4 *Et vocatus eſt Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.* Inuitatus venit Chriſtus cum diſcipulis ſuis ad nuptias, vt matrimonium quod ipſe inſtituerat,honoraret, non autem vt ipſum virginitati præferret. Eſt enim celibatus multo excellentior matrimonio, vti conuincitur ex illo Iſaiæ. Quia hæc dicit Dominus Deus Eunuchis,qui cuſtodierint ſabbata mea: & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meũ, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, &c. cap.56.nu.4.5.6.

5 *Dicit mater eius miniſtris.* Miniſtrorum Dei octo conditiones ſtatuuntur, & declarantur. cap.22.a nu.16. vſque ad 24.

6 *Aquam vinum factam.* Conuertens aquam in vinum, oſtendit Chriſtus, ſe Deum eſſe. cap.9.nu.56.

7 *Hoc fecit initium ſignorum.* De ſignis, & miraculis Chriſti. Vide Dominica ſecunda Aduentus, & Dominica tertia Quadrageſimæ.

DO-



## DOMINICA III. POST Epiphaniam.

### *Euangelium. Matth. 8.*

### *Cum deſcendiſſet Ieſus, &c.*

1 D*OMINE ſi vis potes,* Voluntas Dei efficax eſt: hominis autem voluntas infirma, nihilque poteſt operari pertinens ad ſuam ſalutem, niſi moueatur, & adiuuetur à Deo, vt late oſtenditur. cap.10. nu.10.11.12. cap.26.nu.10.11.*

2 *Tetigit eum.* Magnā habet tactus Chriſti virtutē. Tactu calculi qui ſignificabat Chriſtum,mundatur Iſai. cap.6.num.23.24.25. Vide Dominica 23.poſt Pentecoſten, in illud: ſi tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.

3 *Nemini dixeris.* Quia margaritæ non ſunt mittendæ ante porcos. Vide Iſai. ſecretum meum mihi. cap.24 n. 15. Vide Dominica 2. Quadrageſimæ, ſuper illud, nemini dixeritis viſionem. vide etiam Iſai. 42. nu.3.4. in illud, Nec audietur vox eius foris,

4 *Sed vade oſtende te ſacerdoti.* Confeſſionis & pœnitentiæ inſinuatur ſacramentum. Quæ non per epiſtola ſacerdoti abſenti, ſed ore ad os facien a eſt. cap.43.nu.22.Vide Dominica poſt 13.Pentecoſten,in illud: Ite,oſtendite vos ſacerdotibus.

5 *Et male torquetur.* Diabolus torquet reprobos,ſed male:Deus autem electos affligit, ſed bene, quia multa bona poteſt ex eorum afflictionibus educere Vide in tabula communi, verbo tribulatio,& verbo tentatio.

6 *Domine non ſum dignus.* Expende Centurionis humilitatem. Talis eſt hæc virtus, vt ſedes Angelorum impleat, quas ſuperbia fecit vacuas: vnde Iſai. Et ea quæ ſub ipſo erant,replebant templum. cap.6. nu. 7. 8. hinc Dauid placuit Deo, quoniam filium Eſai ex humilitate ſe eſſe agnouit. cap. 11. nu. 2. Vide quæ in deteſtationem ſuperbiæ, & commendationem humilitatis habentur. cap. 14.nu.11. Vide etiam Dominica 10. poſt Pentecoſten, in illa verba. Qui ſe exaltat,humiliabitur.

7 *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Fides gentium, fidem confundit Iudæorum. cap. 52.nu.18.cap.55.nu. 9.10.*

8 *Multi ab oriente, & occidente venient.* Sicut Iſai. ait. Et fluent ad eum omnes gentes. cap.2.num.6.,78.Et iterum ait, Ab oriente adducam ſemen tuum, &c. cap.43. nu. 6. Vide Dominica in Septuageſima,in illa verba,Erunt primi nouiſſimi, &c.

9 *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores.* Vide de pœnis damnatorum Dominica prima Aduentus & feria ſecunda poſt primam Dominicam Quadrageſimæ. Et Dominica 24. poſt Pentecoſten.

10 *Sicut credidiſti,fiat tibi.* Vide in Euangelio Cananææ, ſuper illud. Fiat tibi ſicut vis. habetur fer.5. poſt Dominicā 1.Quadrageſimæ.

## DOMINICA IV. POST Epiphaniam.

### *Euangelium. Matth. 8.*

A*SCENDENTE Ieſu in nauiculā.* 1 Hæc nauicula ſignificat Eccleſiam, contra quam portæ inferi præualere non poſſunt, de quo vide in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli.

2 *Et ecce motus magnus factus eſt.* Statim vt diſcipuli ingreſſi ſunt nauiculam, ſequentes Dominum, turbatur mare, quoniam aduerſus iuſtos tentationes inſurgunt, ſic & Chriſtus tentatus eſt poſt Baptiſmum: Baptizatos enim perſequitur inimicus. Iuxta illud Iob 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, &c. cap. 49.nu.18. *

3 *Ipſe vero dormiebat.* Dormire videtur Dominus, cum ſuos tentari permittit,ſed tempore opportuno eos eripit: ſicut artifex aurum ex igne purificatum educit quādo alij arbitrantur conſumptum eſſe. cap.33. nu.9.

4 *Ipſe vero dormiebat.* Sed illum excitauerunt Apoſtoli, verbis Iſaiæ. Conſurge, conſurge,induere fortitudinem brachium Domini cap.30. num. 17. Quibus per Iſaiam reſpondet: Nunc conſurgam, &c. cap. 33. numero 9.

5 *Quid timidi eſtis?* Cum Dominus iraſcitur,miſeretur, miſericordia enim iram temperat. cap. 28. num. 17. * Vide in Aſcenſione Domini ſuper illud. Et increpauit incredulitatem illorum.

6 *Imperauit ventis, & mari, &c.* Contra ſpiritum inſurgunt paſſionum fluctus, quos verbo oris ſui mitigat Dominus, iuxta illud Pſal. Et ſiluerunt fluctus eius. cap. 30. numero 17.

7 *Quis eſt hic, quia venti & mare.* Obſtupeſcunt omnes, videntes potentiam Chriſti, ſicut ait Iſai. Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde: Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, &c. cap.52.num 17. *

8 *Quia venti & mare.* Contra Eccleſiam

 quam-

quamplurimi hæretici inſurgunt, atque innumeri excitantur fluctus, vt nauicula operiri videatur, ſed Dominus verbo virtutis ſuæ tranquillitatem facit. Iſai. 17. & increpabit eum, & fugiet procul. cap.17.nu.10.

## DOMINICA V. POST Epiphaniam.

### *Euangelium. Matth. 13.*

1 S*IMILE eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen*. Vide Dominica in Sexageſima, num. 2. 3. 4. 23. & ſequentibus.

2 *Cum autem creuiſſet herba*. Verbum Dei germinat, primo herbam in incipientibus. Secundo ſpicam in proficientibus. Tertio granum conſumatum in perfectis. cap. 30. num. 40 *

3 *Tunc apparuerunt & zizania*. Vide Dominica in Sexageſima, in illud. Et ſimul exortæ ſpinæ. &c.

4 *Inimicus homo hoc fecit*. Inimicus homo peior eſt, quam inimicus diabolus, ideo eius conſortium vitandum. cap.52.nu.13.

## DOMINICA IN SEPTVAGES.

### *Euangelium. Matth. 20.*

1 S*IMILE eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, &c.* Mane eſt tempus aptum ſpiritualibus exercitijs, & laboribus, quibus vita comparatur æterna. Vnde Iſai. acriter eos arguit, qui mane conſurgunt ad ebrietatem ſectandam. cap. 5. nu.16.cap 50.num.8

2 *Primo mane*. ideſt in initio vſus rationis homines ad ſe vocat. Vnde Iſai. eſto brachium noſtrum in mane. cap.33.nu.3

3 *Conducere operarios, &c.* Fides ſine operibus non ſufficit, ad regnum cælorum conſequendum. Ideo bona opera ſunt quotidie iteranda, ſicut ſingulis diebus floribus conſpergitur lectulus, vt fragrans ſit. cap.11. nu.2. Vnde Iſai. fiducialiter agam, & non timebo. cap. 12. nu. 6. Sed aduerte, quod opera extra charitatem facta, plantationes, & vites ſunt inutiles; vnde Iſai. Plantabis plantationem fidelem; & germen alienum ſeminabis. cap. 17. num. 7.

4 *Conuentione autem facta cum operarijs, &c.* Denarius iſte eſt gloria beatorum, quæ promiſſa eſt laborantibus: de qua vide in feſto omnium Sanctorum.

5 *In vineam ſuam*. Vinea Domini eſt Eccleſia, multo ſudore, & labore plantata. de qua Iſaias ait. Cantabo dilecto meo canticum. &c. cap.5. num.3.4.8 Vide Euangelium de vinea, feria 6.poſt 2.Dominicam Quadrageſimæ. Vinea eſt anima prælati, & vniuſcuiuſque fidelis, quam excolere oportet, & ab ea ramos inutiles vitiorum amputare, vt fructus proferat in tempore ſuo cap. 21. nu.9.10. De hac vinea ait Iſai. Vinea meri cantabit ei. cap. 27.nu. 4.5.6.

6 *Ite & vos in vineam meam*. Conducti à Deo ad elaborandam vineam, hortum intra illam ſibi ad delicias parant: qui ergo laborauerint in hortis ſuis, & non in vinea Dominica, confundetur. Iſai.1. Et erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis. cap.1.nu.70.

7 *Voca operarios & redde illis mercedem*. Merces reddetur operarijs in die Iudicij, nam per Iſai dies retributionis dicitur cap.34.nu. 6. & nu 8. in illa verba. Extendetur ſuper ea menſura.

8 *Redde illi mercedem*, ideſt beatitudinem, quæ merces eſt bonorum laborum. Iſai.3. Dicite iuſto, quoniam bene. quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. cap.3. num. 19. 20 21.

9 *Erunt primi nouiſsimi*. Iudæi erant primi, ſed facti ſunt nouiſſimi. Gentes autem cum nouiſſimæ eſſent, primæ effectæ ſunt ſecundũ illud Iſai. 11. Et ſecundum Septuaginta interp. Et ſuper Moab primũ manus mittent. ſi ij autem Ammon primi obedient. in cuius ſignũ. Ioan. 20. Ioannes venit prius ad monumentum, non tamen introiuit: Petrus autem venit poſtea, & introiuit in monumentum, &c. cap. 11. num. 22.

10 *Sic erunt primi nouiſſimi*. ideſt Iſrael, qui primus erat, factus eſt nouiſſimus, & gentiles qui erant nouiſſimi, facti ſunt primi. Iuxta illud Iſai. Vaticinium. In die illa erit Iſrael tertius Aegyptio, & Aſſyrio. &c. Et 1. Regum 1. Repleti prius pro panibus ſe locauerunt; & famelici ſaturati ſunt. In cuius ſignum Geneſ. 48. Iacob, dexteram poſuit ſuper caput Ephrain minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior erat natu, commutans manus, &c. cap 19. num. 26. *

11 *Erunt primi nouiſſimi. &c.* Quod in duobus filijs Rebecæ, qui collidebantur in vtero, fuit præfiguratum, & in Iacob, & Eſaul, ac demum in filijs Ioſeph. Nam fratres minores maioribus præferuntur, vt oſtenditur. cap.29.nu.32.33.

12 Erunt



12 *Erunt primi nouiſſimi, &c.* Sicut prædixit Iſai. Ecce ego addam, vt commutem populum iſtum. Et commutabo eos.cap.29.nu.27.

13 *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Sicut Iſaias ait: Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam cap 9.nu.8.

14 *Pauci vero electi*. Quos propterea paucis oliuis relictis contulit Iſai. dicens: Quomodo ſi paucæ oliuæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, &c. cap 24.nu.11.

15 *Pauci vero electi*. Homines, quo ſanctiores, eo ſunt pauciores. Vnde cum Daniel dixerit. Millia millium miniſtrabant ei. Iſai. Duo tantum Seraphim ſe vidiſſe teſtatur. cap. 6.num.9. circa medium.

16 *Pauci vero electi*. Qui ideo dicuntur relicti reſidui & reliquiæ: quoniam pauci ſunt, & eos mundus pro derelictis habet. cap.4.num.8. Colliget enim Dominus vnum electum ex vno loco, & alium ex alio, ſicut Iſai. ait: Et vos congregabimini vnus, & vnus filij Iſrael. cap. 27. nu.15 Et iterum ait: Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo, ideſt rarior; quia omne rarum pretioſum. cap.13.nu.12.

## DOMINICA IN SEXAGESIMA.

### *Euangelium. Lucæ 8.*

1 C*VM turba plurima, &c.* Proponit Chriſtus ſub parabolis myſteria regni cæleſtis. quoniam ſic prophetatum fuerat. Pſal.77 Aperiam in parabolis os meum. tom. 1 in præfatione nu.2.cap.9 num.32.

2 *Exijt qui ſeminat ſeminare*. Cum hac parabola conſonat locus ille Iſai. Auribus percipite, & audite vocem meam. numquid tota die arabit arans, vt ſerat, &c. Quibus verbis ſignificat tẽpus vitæ præſentis, tempus eſſe arandi, & ſeminandi cap.28. à nu.33. vſque ad 36.

3 *Exijt qui ſeminat*. Apoſtoli diſſeminauerunt Euangelium ſuper vniuerſum orbem, de quibus Iſai. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas immittentes pedes bouis, & aſini. c. 32. nu.19.20. *

4 *Exijt qui ſeminat*. Chriſtus exijt à Patre, vt verbum Dei ſeminaret, ſed Apoſtoli poſtmodum impleuerunt faciem orbis ſemine, iuxta Iſai. prophetiam. cap.27.nu.9. *

5 *Aliud ſecus viã*. Cor impiorum via eſt, per quam immũdæ tranſeunt cogitationes, iuxta illud Iſai. Et dixerunt animæ tuæ incuruare, vt tranſeamus, &c. cap.51. nu.21 * Per corda namque iuſtorum incircumciſi non tranſeunt, vt habetur Iſai.cap.52.nu.1.

6 *Aliud cecidit ſecus viam*. Ad hoc reſpicit Iſai. cum dicit. Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſrael.cap.9.nu.8.

7 *Simul exorta ſpina*. Caro non ſolum in reprobis, ſed etiam in Iuſtis ſpinas profert contra ſpiritum, in pœnam inobedientiæ Adæ.cap. 32.nu.11.12.cap.34 nu.10.

8 *Et ſimul exorta ſpina*. Si comburantur ſpinæ vtilis eſt cinis terræ, vt creſcat triticum. Vnde Iſai. Spinæ congregatæ igne comburentur. Vide Dominica in Septuageſ. nu.13.& ſeq.

9 *Aliud cecidit in terram bonam*. Quarta dumtaxat pars ſeminis fructum attulit, quia pauci ſunt qui ſaluantur. Vnde Iſai. Pretioſior erit vir auro. cap.13.nu.12.

10 *Aliud cecidit in terram bonam*. Verbum Dei non reuertitur vacuum, ſed in aliquibus profert fructum, iuxta illud Iſai. Non reuertetur ad me vacuum, &c cap.55 nu.14.15.16.

11 *Clamabat*. Quomodo hæc cohæreant cum illo Iſai. Non clamabit, nec audietur vox eius foris, explicatur. cap.42.nu.3.4.

12 *Clamabat, qui habet aures*. Clamat Chriſtus. quia magna pars Euangelicæ prædicationis non profert fructum in cordibus audientium, ſed prædicator non perdet mercedẽ ſuam. 1 Cor, 3. Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum proprium laborem, non dicit ſecundum fructum, quem fecerit. cap.49.num.6.*

13 *Qui habet aures audiendi audiat*. Sicut Iſai. ait: Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. cap. 32 n 3. Sunt enim qui aures habent, ſed nõ audiendi, de quibus Iſai. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt cap 43.nu.7.

14 *Qui habet aures*. Iſai. ait: Erigit mane mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum, &c. Nam Dei donum eſt, audire verbum Dei. cap. 50.num.8.

15 *Qui habet aures*. Iſai. ait: Audite audientes, &c cap 6.nu.34 Et iterum. Qui apertas habes aures nonne audies? cap.42.nu.21.

16 *Qui habet aures audiendi audiat*. De auribus loquitur interioribus. Multi enim exterius audiunt verbum Dei, ſed interius aures habent aggrauatas. De quibus Propheta. Et aures eius aggraua. cap 6. nu.35 46.

17 *Qui habet aures audiendi audiat*. Quia homo rationalis Dei verba audire contemnit, ad inſenſibilia Prophetæ conuertunt ſermonẽ. Iſai.ait: Audite cæli, & auribus percipe terra. Moyſes dicit Deuth 32. Audite cæli quæ loquor. Et alius Propheta. 3. Reg. 13. Altare, altare, hæc dicit Dominus. cap.1.n 7.8.*

18 *Cæteris autem in parabolis, vt videntes*

non

*non videant*, &c. Tunc adimpletum eſt illud Iſai. Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. cap 8. nu. 25.

19 *Ceteris autem in parabolis*. Quia vt inquit Iob. 37. Immanibus ſuis abſcondit lucem, ideſt Iudæis Euangelium. Iob. 9. Et ſtellas claudit ſub ſignaculo. cap. 9. nu. 8. 38.

20 *Ceteris autem in parabolis*. Inter alia ſigna Redemptoris, hoc vnum fuit, quod parabolice loquuturus erat, &c. cap. 9. nu. 32.

21 *Ceteris autem in parabolis*. Reprobi namque ſunt rudes, & tardi ad Dei legem addiſcendam, iuxta illud Iſai. ſecundum aliam literam, mandatum poſt mandatum, linea poſt lineam. cap. 28. nu. 10.

22 *Ceteris autem in parabolis*. Verbum quippe Dei eſt ſanctum non dandum canibus, & margaritæ non mittendæ ante porcos, ideſt hæreticos, qui canes dicuntur, & porci cap. 30. num. 43.

23 *Vt videntes non videant*. Hi qui videntes non vident, ſunt homines à Deo excæcati, & obdurati, de quibus agitur. cap. 6. num. 48. 49.

24 *Eſt autem hæc parabola*. Scriptura ſacra obſcure loquitur, & multis eſt difficultatibus implexa, & Chriſto indiget expoſitore. to. 1. pag. 2. nu. 2. 3. 4. Vide fer. 2. Paſchæ.

25 *Semen eſt verbum Dei*. Singula verba Scripturæ ponderanda ſunt, quia ſingula plena ſunt ſupernis myſterijs, vnde Iſai. Vbi eſt legis verba ponderans? tom. 1. pag. 6. num. 10. cap. 33. num. 15.

26 *Semen eſt verbum Dei*. Nam eandem virtutem habet, & proprietatem ſeminis, Quia ſicut in ſemine arbor virtute continetur, ita & in verbo Dei ſpiritualis fructus. cap. 27. num. 9.* Eſt verbum Dei efficaciſſimum, eſt gladius, eſt ſagitta potentis. cap. 49. nu. 2. 3. eſt hamus, quo diabolus capitur. nu. 4.

27 *Semen eſt verbum Dei*. Eſt & manna, eſt panis & aqua, eſt herba borith, eſt & aduerſarius noſter, de quo Matth 5. Eſto conſentiẽs aduerſario tuo. cap. 30. nu. 29. 30.

28 *Semen eſt verbum Dei*. Multis nominibus explicatur in Scriptura efficacia verbi diuini. Dicitur ſemen, quia facit animam fructificare. Calculus, quo mundata ſunt labia Iſai. Aqua, quoniam animam interius mũdat. Ioan. 15. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, &c. c. 6. num. 23. 24. 25.

29 *Semen eſt verbum Dei*. Ex ſemine naſcuntur fructus ſecundum illius naturam: Si ergo ſemẽ eſt verbum Dei, ex illo vtique filij Dei naſcentur per gratiam. cap. 27. nu 9 circa finem

30 *Semen eſt verbum Dei*. Eſt & medicina efficaciſſima, quæ peccatores ſanat, ſicut aer propriæ patriæ ſalutem affert ægrotis. cap. 27. nu. 9.

31 *Et hi radices non habent*. Quia ſunt velut arundo vento agitata, de quo vide Dominica ſecunda Aduentus.

32 *Quod autem inter ſpinas*. Diuitiæ, ſpinæ ſunt quæ ſuffocant verbum. cap. 30. num. 40. Terra noſtra etiam in hominibus iuſtis ſpinas profert, iuxta illud Iſai. Super humum populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent, quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultãtis? Sed inter ſpinas ſuffocãtur reprobi, non autem electi. cap. 32. nu. 11. 12. *

33 *Audientes verbum retinent*. Iuxta illud Apoc. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. cap. 28. nu. 21.

34 *Et fructum afferunt in patientia*. Non ſtatim, quod ſeminatur, ſemen fructum affert, ſed ſuo tempore. Vnde Iſai. Qui crediderit nõ feſtinet (ideſt) non ſtatim velit fructum diuini verbi in ſe experiri, expectet, ſit longanimis. Iacobi 5. Ecce agricola expectat pretioſum terræ fructum, patienter ferens, &c. Sic expectarũt Abraham, & Ioſeph, & diuinas promiſſiones viderunt impletas. cap. 28. nu. 21. 22. * Vnde Iſai. In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. cap. 30. n. 16. *

35 *Fructum afferunt*. Iuxta illud Iſai. Et dabitur pluuia ſemini tuo, vbicumque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis. Germinat autem verbũ Dei, vt notauit Greg. 1. herbam in incipientibus, 2. ſpicam in proficientibus. 3 granum conſummatum in perfectis. cap. 30 nu. 40. cap 2. nu. 10.

36 *Et fructum afferunt*. Hi ſimiles ſunt illis, de quibus Iſai. ait. Et germinabunt inter herbas quaſi ſalices iuxta præterfluẽtes aquas. cap. 44. nu. 3.

37 *Et fructum afferunt*. Verbum Dei non reuertitur vacuum, ſed in aliquibus ſemper affert fructum. Iuxta illud Iſai. Sicut deſcendit imber, aut nix de cælo, &c. non reuertetur ad me vacuum, &c. cap. 55. nu. 15. 16.

## DOMINICA IN QVINQVAG. *Euangelium. Lucæ 18.*

1 ECCE *aſcendimus Hieroſolymam*. Ad Hieruſalem, nonniſi aſcendendo peruenitur, quia fundata erat in cornu filio olei. cap. 5. nu. 3. Vide feria 4. poſt 2. Dominicam Quadrageſimæ.

2 *Et conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt, &c.* Omnes virtutes conſummatæ ſunt, & peruenerunt ad ſummum in paſſione Chriſti. Iuſtitia Dei, quoniam filium pro peccatis noſtris



Ioan. 15. ſtris morti tradidit: Charitas quoniam maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat, quis pro amicis: Patientia, humilitas, & aliæ virtutes, &c. Vnde Iſai. 10. dicitur. Conſummatio abbreuiata inũdabit iuſtitiam. cap. 10. num. 19. *

3 *Tradetur enim gentibus, &c.* Libenter loquebatur Chriſtus de paſſione ſua, quia pro hominibus pati maximam gloriam reputauit. Hinc Iſai. Et erit ſepulchrum eius glorioſum. cap. 11. nu. 17.

4 *Illudetur, & flagellabitur*. Vide quæ circa hoc notata ſunt feria 6. in Paraſceue, & contra Iudæos illudentes Dominum, eſt inſignis locus Iſai. 57. ſuper quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam? cap. 57. nu. 7.

5 *Et ipſi nihil horum intellexerunt*. Quia myſterium crucis occultum eſt, vnde Apoſtolus. 1. Cor. 2. Loquimur enim Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Myſterium enim aliud exterius repræſentat, aliud in occulto habet abſconditum. cap. 5. nu. 4. cap. 29. nu. 21. *

6 *Nihil horum intellexerunt*. Quibus competit illud Iſai. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, &c. cap. 29. nu. 21.*

7 *Ieſu fili Dauid*. Vocat Chriſtum filium Dauid, vt ad miſericordiam eum inclinet. cap. 7. num. 16. Peccatores enim non propter ſe, ſed propter Dei nomen miſericordiam conſequuntur. cap. 48. nu. 5.

8 *Fides tua te ſaluum fecit*. Vide in feſto Magdalenæ.

9 *Et ſequebatur illum*. Quomodo ſit Chriſtus ſequendus. Vide in cõmuni vnius Martyris in illud. Et ſequatur me. Et in conuerſione S. Pauli. ſuper illa verba. Et ſecuti ſumus te.

## FERIA QVARTA CINERVM. *Ex Epiſtola. Ioelis 2.*

1 CONVERTIMINI *ad me in toto corde veſtro*. Vocat Dominus peccatores ad pœnitentiam, & ipſi in comeſſationibus, & ebrietatibus occupantur, iuxta illud Iſai. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci. Et ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. cap. 22. nu. 8. & 9. Et voce Domini neglecta ſe inuicem inuitant, dicentes illud Iſai. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, &c. cap. 56. nu. 14 cap. 5. nu. 15. 16.

2 *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*. Pœnitentiæ locum concedit Deus peccatori, & multis modis conatur eum ad ſe conuertere. Vnde Iſai. Additus eſt annus ad annum, ideſt, ad tempus peccati, additum eſt tempus pœnitendi. cap. 29. nu. 6.

3 *Conuertimini*. Clamat Dominus, conuertimini, &c. Et tamẽ ipſe cõuertit nos, dicẽte Iſai. Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reduxi eum, &c. cap. 57. nu. 18.

4 *In ieiunio, fletu, & planctu*. Pœnitentia & lacrymæ ſuaues ſunt medicinæ, animam lauant, & recreant. Vnde Iſai. Lauamini mundi eſtote. cap. 1. num. 44. 45. cap. 4 num. 11. cap. 15. num. 5. Ad pœnitentiam autem nos debet inducere peccatorum grauitas, quæ in Scriptura ſacra multis nominibus exprimitur. cap. 40. n. 4. 5.

4 *Scindite corda veſtra*. Sciſio veſtium magnum dolorem ſignificat. cap. 36. nu. 12.

5 *Ecce nunc tempus acceptabile*. Tempus vitæ præſentis Deo eſt acceptabile ad pœnitentiam, de quo Iſaias ait, vt prædicarem annum placabilem Domino. cap. 61. nu. 2. cap. 34. nu. 6.

6 *Memento quia cinis es*. Admonet Iſai. filios ſuos, vt ſeipſos humiliter agnoſcant: nam ex cognitione Dei, & ſui, multa iuſtus acquirit bona. cap. 6. nu. 19.

## *Ex Euangelio. Matth. 6.*

1 CVM *ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ*, Hic circa ieiunium, & orationem nos admonet non eſſe ad laudes humanas ordinanda, omnis enim aura humana vana eſt. c. 51. n. 89.*

2 *Cum ieiunatis*. Supponit Dominus ieiunandum eſſe: nam multa mala ex gula, & ebrietate oriuntur. cap. 5. nu. 15. 16.

3 *Cum ieiunatis nolite*. Qualiter Chriſtus deteſtaturus eſſet hypocriſim ſignificatur. Iſai. 11. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, &c. cap. 9. nu. 34. cap. 11. nu. 7. Vide in tabula communi verbo hypocrita.

4 *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuũ*. Non ſatis eſt ſi ieiunat corpus abſtinens à cibo, niſi ſimul etiam à peccatis ieiunet anima. Vnde Iudæis dicentibus per Iſai. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, &c. Reſpondit Dominus, Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi. cap. 58. à num. 3. vſque ad 7. vbi explicatur, quas debeat ieiunium habere conditiones, vt ſit Deo acceptum. *

5 *Faciem tuam laua*. Animam videlicet à peccatis interius mundando, iuxta illud. Lauamini, mundi eſtote cap 1. nu. 44. 45. 53. & 54.

6 *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*. Sunt apud Deum abſconditi theſauri iræ, ſunt & miſericordiæ. Qui peccata peccatis addunt, theſaurizant ſibi iram in die iræ: at qui miſericordiæ opera exercent, theſauros accumulãt miſericordiæ. cap. 24. nu. 18. 19. *

FE-

## FERIA QVINTA CINERVM.
*Euangelium. Matth. 8.*

1 C*V M introïſſet Ieſus Capharnaum*. Hoc Euangelium in quo agitur de fide Centurionis. Dominica 3. poſt Epiphaniam explicatum eſt.

## FERIA SEXTA CINERVM.
*Euangelium. Matth. 5.*

1 A*VDISTIS quia dictum eſt antiquis*. Antiqui dicebant malum bonum, ponentes tenebras lucem, de quo eos arguit Iſai. cap. 5. nu. 25. 26.

2 *Quia dictum eſt antiquis*. Falſa doctrina perſeuerare non poteſt, iuxta illud Iſai. 16. Aquæ Nemrim deſertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, &c. Vbi Hieronymus per aquas, Nemrim doctrinam intelligit hæreticorum cap. 15 nu. 8.

3 *Et odio habebis, &c.* Præceptum charitatis corruptum fuerat ab antiquis, ſed illud renouauit Chriſtus, dicens: Ego autem dico vobis, &c. cap. 24. nu. 7. * Adulterabant Iudæi legem Domini, dicente Iſaia. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua. cap. 1. nu 62. Sed Dominus ſtannum, & ſcoriam peruerſæ doctrinæ ab auro ſeparat diuinæ legis, ſicut per Iſaiam promiſerat. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, auferam omne ſtannum tuum cap. 1. nu 64. Et iterum ait. Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura, ideſt regula Euãgelij, antiqua veſtra mãdata corrigã. cap. 28. nu. 23. 24. * Vide cap. 30. nu 45 in illa verba. Commixtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt. vbi oſtenditur, Euangelium eſſe mundum migma. *

4 *Et odio habebis inimicum tuum*. Tales leges ſtabilientes reprehenduntur Iſai 10. Væ qui condunt leges iniquas, &c cap. 10. nu. 2. & cap. 1. nu 64.

5 *Ego autem dico vobis*. Ego qui ſum iudex, & legiſlator, de quo Iſaias Dominus Iudex noſter, Dominus legifer noſter. & Iob 36. Nullus ei ſimilis in legiſlatoribus. cap 33 nu. 20.

6 *Diligite inimicos veſtros*. Præceptum charitatis latum eſt nimis, vt dicitur. Pſal. 118. Quia non ſolum ad amicos, & proximos, ſed etiam ad inimicos ſe extendit. In cuius ſignum Zachariæ 2. abſque muro habitandam eſſe Hieruſalem prædicitur, vt poſſet ſe extendere, &c. cap. 8 nu. 16 circa medium.

7 *Diligite inimicos veſtros*. Quomodo diligent inimicos, qui amicos & benefactores, immò & fratres proprios dilacerant? de quibus Iſai. 9. Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit, &c. cap 9. nu. 90.

8 *Diligite inimicos veſtros, &c.* In laudem ſponſæ dicitur. Cant. 4 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias: quia non ſolum fratribus, ſed etiam ſpinis pungentibus, ideſt, perſecutoribus benefacit. cap. 10. num. 4. circa finem. *

9 *Diligite inimicos veſtros*. Inimici ſunt diligendi: nam per eorum perſecutionem ſanctificantur homines. Vnde Iſai 13. dicitur. Ego mandaui ſanctificatis meis, &c. vbi Medi, & Perſæ ſanctificati dicuntur, non formaliter, ſed cauſaliter, eo quod multi perſecutionibus eorum ſanctificati ſunt. cap. 13 nu. 4.

10 *Vt ſitis filij Patris veſtri*. Qui non diligunt proximos ſuos, indigni ſunt, quòd filij Dei, aut eius Populus nominentur cap 6 nu. 33. Peccatores veram pietatem erga Deum nõ habent, de quibus per Iſaiam ait: Filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me. cap. 1. num. 9. 10 11. & 12.

11 *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. &c.* Vide in tabula communi, verbo vana gloria, & verbo hypocriſis.

12 *Cum facis eleemoſynam*. Eleemoſyna non eſt ex rapina facienda; quantum enim deteſtetur eam Dominus, oſtenditur. cap. 1. nu. 40.

13 *Cum facis eleemoſynam*. Eleemoſyna facienda eſt abundanter; quoniam quæ erogantur pauperibus, conſecrantur Domino. cap 23. nu. 10. & ſequentibus. liberat à morte ibid nu. 13. Quomodo eleemoſyna ſit facienda. cap. 21 nu. 15 cap. 23 nu. 13. 14. * cap. 32. nu 21 22 *

14 *Cum facis eleemoſynam*. Miſericordes in pauperes adorant Chriſtum in muneribus, & deprecantur ipſum, iuxta illud, Pſal 44. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur cap. 23. nu 14 *

15 *Noli tuba canere ante te.* Diuitiæ ſpirituales non ſunt Babylonijs oſtendendæ, ſicut Ezechias oſtendit temporales. cap. 39. num. 3. Vide num. 6 & 7. quæ mala ſequantur ex vana gloria.

16 *Tu autem cum oraueris intra in cubiculũ tuum, &c.* Chriſtus Dominus. Matt. 6, Inſtruit ſuos, primo circa ieiunium, ſecundo circa orationem, tertio circa eleemoſynam; inter quæ oratio eſt Deo magis accepta: nam de corde procedit, &c cap. 18. nu. 11. circa finem. Debet oratio ex puro corde procedere, aliàs Deo grata non erit; ait enim: Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos, &c. cap. 1. nu. 42. 43. De orationis efficacia, vide cap. 19. nu. 22. *

SAB-



## SABBATO POST DIEM Cinerum.

*Euangelium. Marci 6.*

*Cum ſero eſſet factum, &c.*

1. E*T Ieſus ſolus in terra, &c.* Solus Chriſtus erat comprehenſor ſecundum animã, quamuis ſecundum corpus eſſet viator, alij autem omnes in mari erant periculis expoſiti, Vnde non erant ſecuri, quibus illud competit
*3. Reg. 20.* non glorietur accinctus æquè, vt diſcinctus. cap. 45. num. 3. *

2 *Erat ventus contrarius, &c.* Fideles multas patiuntur perturbationes, habent enim magnum contrarium, diabolum videlicet impugnatorem, de cuius potentia agitur cap. 41. nu. 12. cap. 48. nu. 13. cap. 49. nu. 23. cap. 50. n. 1. Sed non poterit plus tentare hominem, quàm Deus permittat. cap. 37. nu. 15. cap. 56. n. 10. cap. 36 num. 7.

3 *Ego ſum, nolite timere*. Quis timebit, ſi ſecum habet Chriſtum?

4 *Et ceſſauit ventus*. Chriſto protegente, omnis ceſſat perſecutorum potentia, fluctus ſilent, & tempeſtates. de quo vide Dominica quarta poſt Epiphaniam.

6 *Erat cor eorum obcecatum*. Vide quæ de cæcitate Iudæorum habentur. cap. 6. a n. 34. vſque ad nu. 50.

6 *Cumque egreſsi eſſent de naui, continuo cognouerunt eum*. In naui huius ſæculi, hoc eſt in Eccleſia militante, quæ cõfertur nauiculæ, videmus per ſpeculũ in ænigmate, ſed egreſſi de corpore, cum ad portum cæleſtis patriæ peruenerint, cognoſcent Deum facie ad faciem. cap. 3. nu. 19. 20. cap. 25. nu. 14. cap. 56. nu. 14.

7 *Quotquot tangebant eum, ſalui fiebant*. Vide Dominica 23. poſt Pentecoſten: circa illud. Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.

## DOMINICA PRIMA Quadrageſimæ.

*Euangelium. Matth. 4.*

1 D*VCTVS eſt Ieſus a ſpiritu in deſertum, vt tentaretur*. Ieiunium, & tentatio Chriſti prædicta fuerunt in Pſalm. 108. Excuſſus ſum ſicut locuſtæ, ſcilicet in deſertum. Vnde & ſanctus Marcus Euangeliſta ait. Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum. Et Zachariæ 3. Et oſtendit mihi Dominum Ieſum ſacerdotem, &c. cap. 9. nu. 27. *

2 *Vt tentaretur à diabolo*. Magna eſt tentatoris fortitudo, & calliditas. Vnde & Iſai. eum vocat ſerpentem vectem. cap. 27. num. 3. Vide verbo tentatio. Et verbo diabolus.

3 *Vt tentaretur a Diabolo*. Statim poſt baptiſmum tentatur à diabolo, quia baptizatos perſequitur inimicus, iuxta illud Iob 40. abſorbebit fluuium, & non mirabitur, &c. cap. 49. num. 18. *

4 *Vt tentaretur*. Diabolus eſt faber ſufflans ignẽ, cum peccatores tentat. de quo Iſai. Ecce ego creaui fabrum, &c. ſed à iuſtis deluditur, iuxta illud pſal 103. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, &c. cap. 53. n. 15. *

5 *Et accedens tentator*. Non plus tentat diabolus, quàm Dominus permittat. cap. 37. nu 15. Vnde Pſalmo 103. dicitur, vt quærant à Deo eſcam ſibi, ideſt, licentiam tentandi, vt explicat Auguſtinus. cap 56. nu. 10.

6 *Si filius Dei es*. Diabolus conabatur inquirere, an in rei veritate Chriſtus eſſet filius Dei, ſed redemptor ſuam illi Deitatem occultauit, ſudibus Scripturarum, ſicut ait Iob. perforando nares eius. cap. 5. num. 4. Ita S. Greg. lib. 33. moral. cap. 8.

7 *Scriptum eſt: non in ſolo pane, &c.* Quibus armis munitus Chriſtus diabolum ſuperauerit, oſtendit Iſaias, dicens. Et ſaluabit ſibi brachium ſuum, & iuſtitia eius ipſa confirmabit eum. Indutus eſt Iuſtitia, vt lorica, & galea ſalutis in capite eius, &c. cap. 59. nu. 17 18. * Reſpondet teſtimonijs Scripturæ. Vnde teſtimonia Scripturarum muniunt hominem aduerſus inſidias diaboli.

8 *Non in ſolo pane*. Verbum Dei panis eſt in locis obſcuris, aqua in apertioribus. tom. 1. pag. 3. num. 3. *

9 *Mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, &c.* Hæretici à diabolo edocti locis Scripturæ male intellectis, atque truncatis vtuntur ad ſuos perſuadendum errores. cap. 30. n. 12. * cap. 30. nu. 45. vbi explicantur quatuor modi, quibus Hæretici diuinis abutuntur Scripturis. Vide cap. 32. nu. 20. vbi oſtenditur doctrinam antiquam eſſe tenendam.

10 *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te.* Angeli parati ſunt, vt ſuccurrant hominibus quos cuſtodiunt. Vnde & Iſai. volauit vnus de Seraphin. cap. 6. num. 22. Vide in feſto Angelorum.

11 *Iterum aſſumpſit eum diabolus*. Tentat aduerſarius noſter iuſtos importunè, & victus iterum redit. cap. 37 nu. 6.

12 *Hæc omnia tibi dabo*. Diabolus promittit

mittit bona, quæ donare non poteſt, quoniam ſua non ſunt. cap.36.nu.10.

13 *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens, &c.* Auarus in proximo eſt, vt colat idola: quia diuitiæ, & earum cupiditas cultum verum Dei relinquere faciunt. Vnde poſtquam Iſaias dixit, repleta eſt terra eius argento, & auro, ſubdit: Et repleta eſt terra eius idolis. c.2. n.19.*

14 *Si cadens, &c.* Vide inſaniam ſuperbiæ diaboli; prius dixit, ſimilis ero Altiſſimo, modo ſuperior vult eſſe altiſſimo. cap. 14. nu. 10. 11.*

15 *Et illi ſoli ſeruies.* Maxima ergo reprehenſione digni ſunt Iudæi idola colentes, de quibus Iſaias ait. Qui conſolamini in dijs ſubter omne lignum frondoſum, &c. c.57.nu 8 9. & 10. Vbi multa contra Idololatriā dicuntur.

16 *Tunc reliquit eum diabolus.* Diabolus neminem poteſt tentare, niſi quātum Deus illi conceſſerit. Vnde Apoc. 20. & ligauit eum per annos mille. Alligatur à Deo, ne aduerſus iuſtos præualeat. cap.54.nu.16.*

## FERIA SECVNDA POST Dominicam I. Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 25.*

CVM *venerit filius hominis, &c.* Vide quæ de aduentu Iudicis, dicta ſunt Dominica prima Aduentus. nu 13.14 15. Et Dominica 24. poſt Pentecoſten.

2 *Tunc ſedebit ſuper ſedem.* De iudiciaria Chriſti poteſtate, dicit Iſaias. Stat ad iudicandum Dominus, ſtat ad iudicandos populos, &c. cap.3.num 4.*

3 *Et ſeparabit eos ad inuicem.* Quod Pſalmiſta prædixit Pſal.49. Aduocauit cælum deſurſum, &c. Et Oſeæ 13. Ipſe inter fratres diuidet. cap.1.num.7.

4 *Separabit eos ab inuicem.* Quod & Matt. 3. deſignauit Baptiſta, dicens: Cuius ventilabrum in manu ſua. cap.25. nu.5. Vnde Iſaias. Sicut in monte diuiſionum ſtabit Dominus, &c. Diuidet enim in die Iudicij bonos a malis. cap. 28.nu.28. & cap.1.nu.7.*

5 *Statuet oues a dextris.* De ſeparatione, qua in Iudicio electi ſeparabuntur à reprobis intelligitur, illud Pſal. 54. Lætabor, & diuidam ſichimam. cap.9. nu.2.*

6 *Tunc dicet his, qui a dextris eius erunt.* Conſolatur Dominus electos ſuos, cum reprobi ſunt in maximis preſſuris conſtituti. Iſai. 3. Dicite iuſto, quoniam bene. cap.3. num. 18. 19. 20. 21. Vide Dominica prima Aduentus à num. 16. vſque ad 26.

7 *Venite benedicti Patris mei.* Tunc adimplebitur quod Iſai. ait. Et præcipitabit mortem in ſempiternum, &c. cap.25. nu.17. Vide nu.18 & 19. quanta futura ſit beatorum lætitia. & cap.66.nu.11.12.13.14.

8 *Venite benedicti, &c.* Reddet in Iudicio vnicuique, ſecundum opera eius. Vnde Iſai. ait. Ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura. cap.28.nu 23.

9 *Percipite Regnum.* Iudicij dies dicitur annus retributionum; quia tunc reddet vnicuique, ſecundum opera eius. Vnde Iſai. Dies vltionis Domini, annos retributionum iudicij Sion. cap 34.nu 6.& 8. in illa verba, extendetur ſuper eam menſura.

10 *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Enumerat ſigillatim opera bona electorum, & ſimiliter reproborum peccata, vt omnes ſciant, publicè propalāda eſſe in Iudicio vniuſcuiuſque merita, vel demerita, iuxta illud Iſaiæ, Quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt. Et iuxta 70. quia feneſtræ de cælo apertæ ſunt. cap.24.nu 18.

11 *Eſuriui enim.* Operibus miſericordiæ promittitur beatitudo cæleſtis. Vnde poſtquā Iſaias dixiſſet. Frange eſurienti panem tuum, &c. Subdit ſtatim. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, &c. cap 58 nu 8 9.*

12 *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Illi ſunt magna reprehenſione digni, qui bonis temporalibus abundantes, pauperes prætereunt; de his enim ait Iob. Fratres mei præ- *Iob. 6.*
terierunt me, ſicut terrens, qui raptim vadit. cap.16.num 3. Vnde impijs in Iudicio continget, quod accidit Balthaſar Regi Babylonis. cap.21. nu.6. Vide quam gratæ ſint Deo eleemonſyæ. cap. 1.nu 34.& cap.23.nu 13.

12 *Hoſpes eram.* Ad opera pietatis ſedulos oportet eſſe homines, & diligentes. cap.6. num. 11.

13 *Tunc dicet, his qui a ſiniſtris.* Primo iudex electis retribuet præmium, deinde pœnam reprobis: nam punire, alienum eſt opus ab eo, ideo nouacula conducta vtitur ad puniendum, vt ait Iſaias. cap 7.nu.34.

14 *Ite maledicti.* Modo reputatur à peccatoribus Deus tacens, & quaſi non videns; iuxta illud Iſaiæ: Ego tacens, & quaſi non videns, ſed in die Iudicij, vt parturiens loquetur, dicens. Ite maledicti. cap 57 nu.12.13. cap.42.nu 18.* Sententia hæc illa eſt, de qua Iſaias ait: Sicut deuorat ſtipulam lingua ignis. &c. cap.5.nu.29 cap.1.nu.72.

15 *Ite maledicti.* Maxima pœna damnatorum eſt priuatio diuinæ viſionis, de qua Iſaias: In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. cap.26 nu.17.

16 *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* Qualis futura ſit pœna damnatorum, ex tribus conſtat, quæ in hac ſententia notantur. Primum eſt pœna damni, quæ in carentia diuinæ viſionis conſiſtit: ideo ait: Ite, ideſt, a me ſeparamini. Secundum eſt pœna ſenſus, quæ ex parte conuerſionis reſpondet peccato, videlicet cruciatus, Ideo ait: in ignem æternum. Tertium eſt æternitas pœnæ, quæ ſignificatur, cum ait, in ignem æternum. Hæc omnia Iſaias enumerat, dicens: Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur. cap.24.n.23.24.25.26. Vbi plura loca adducuntur Scripturæ, ad pœnarum inferni æternitatem comprobandam.*

17 *Ite maledicti.* Sententia hæc gladius eſt, de quo Iſaias: gladius deuorabit vos. c. 1. num.60.& lapis qui abſciſſus eſt de monte ſine manibus Danielis 2. ſtatuam diſſipauit humanæ gloriæ. cap.17.nu.10.

18 *In ignem æternum.* Ignis ille caliginoſus erit, comburet, ſed non dabit lumen: nam ſeparabit Deus ab ardore lucem, ſecūdum illud, Pſal.28 Vox Domini intercidentis flammam ignis, ideſt, diuidentis, & ſeparantis lucem a calore illius, vt explicat Baſilius in oratione de Iudicio.

19 *In ignem æternum.* Hunc ignem tineā appellat Iſaias, quæ exurit peccata, quibus nutritur. cap.14.nu.9.

20 *In ignem æternum.* Ignis hic eſt in profundo laci, de quo Iſaias: Verumtamen ad infernū detraheris in profundū loci. c.14.n.11.

21 *In ignem æternum.* Succendit Dominus vineam ſuam, quia non protulit fructum. ait enim Iſaias: Gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter. cap.27.nu.5.

22 *In ignem æternum.* Cuius nutrimenta, ſicut dicit Iſaias, ignis & ligna multa, & flatus Domini, ſicut torrēs ſulphuris, ſuccendēs eum. cap.30.nu.52.53.& iterum ait Iſai. Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur, &c. cap.34 nu 7.

23 *Qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Angeli mali, & homines peruerſi eadem ſententia detrudentur in lacum, iuxta illud Iſaiæ: Et erit in die illa, viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo, & ſuper Reges terræ, qui ſunt ſuper terram. cap. 24. num. 22 & 25.* Et iterum ait. Præparata eſt ab heri ophet, ideſt gehenna, Regi præparata eſt, ideſt diabolo. c.30.n. 51.52.* Et rurſus: Quia inebriatus eſt in cælo gladius meus, ideſt, in angelis. c.34.n.4. Vide multa alia notata circa iudicium, Dominica prima Aduentus, & Dominica 24. poſt Pentecoſten.

## FERIA TERTIA POST I. Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 21.*

### *Cum intraſſet Ieſus, &c.*

QVIS *eſt hic, &c.* & infra: *Hic eſt Ieſus Propheta*, &c. Vide in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, circa illud: Quē dicūt homines.

2 *Et eijciebat omnes vēdentes, &c.* Ioannes Euangeliſta eandem referens hiſtoriam ait, quod fecit quaſi flagellum, &c. Narrat Euangeliſta flagella, quibus Chriſtus Dominus Iudæos corripuit, ſed non dicit eos emendatos fuiſſe: Reprobi non corriguntur flagellis, quibus iuſti erudiuntur. Vnde Iſaias: Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis. cap.26.nu.16. cap.1.nu 23.24.25.

3 *Quaſi flagellum.* Non ait flagellum, ſed quaſi flagellum: nam flagella, quibus percutiuntur homines in hac vita, non flagella, ſed quaſi flagella reputanda ſunt. Verum flagellum illud erit, quo animam, & corpus mittet in gehennam. cap.9.nu.6. Vnde Iſai. Et erit tranſitus virgæ fundatus. cap.30. nu 49.

4 *Quaſi flagellum.* Impij ſecuri viuunt arbitrantes, flagellum Dei numquam ſuper eos eſſe venturum. Vnde per Iſaiam dicunt: flagellum inundans cum tranſierit non veniet ſuper nos. cap.28. nu.15.16. Sed Dominus illis conteſtatur dicens. Flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in cōculcationem. ibid.n.26.

5 *Quaſi flagellum.* Ioannes à 2. Feciſſe hoc flagellum de funiculis. Notans in funiculis eos, qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, vt Iſaias dicit, peccantes ex conſuetudine, & peccata peccatis addentes: contra quos, vide cap 5.nu.22.23.24.

5 *Eiecit de templo omnes vendentes, & ementes.* Vt auaritiam expelleret a templo ſuo. cap.29.nu 8. cap.2. nu.18.19. vbi multa dicuntur contra auaritiam. Auaritia cantui meretricio comparatur. cap 23.n.4. Vide quæ habentur. c.1.nu.14. contra eos qui nomen obtinent & locum ſanctitatis, cum tamen impie viuant. Eiecit de templo vendentes & ementes, &c. In laudem Dauid dicitur, quod abſtulit cæcos, & claudos odientes animam eius, & eiecit eos de Hieruſalem. Quid ſimile fecit Chriſtus, eijciens de tēplo vendentes & ementes, qui ſpiritualiter cæci erant & claudi. c.29.nu.4. vide c.50.n.10.

7 *Et cathedras vendentium columbas euertit.* Cathedra peſtilentiæ eſt Simonia, quam euertere conatur Chriſtus, & menſæ numulariorum ſunt auaritia ſacerdotum. cap. 29. n. 8.

8 *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Vide quæ de oratione dicuntur in tabula communi, verbo, oratio. Vide cap. 56. nu. 7. 8. vbi pulchræ expenditur hic locus.

9 *Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Cultus Dei facit Rempublicam inexpugnabilem, & ſacerdotum ſanctitas, ſed his deficiẽtibus, ruinæ patet. Vnde Iſai. Væ Ariel, ideſt altari, & ſacerdotibus miniſtrantibus in altari. cap. 29. nu. 2. 3.

10 *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi, & ſanauit eos.* Vt adimpleretur illud Iſaiæ vaticinium. Tunc ſaliet claudus, &c. De quo vide ſupra dicta Dominica tertia Aduentus, ſuper illud. Cæci vident; &c.

11 *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* De ſignis Chriſti, vide fer. 4. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, ſuper illud, niſi ſignum Ionæ. & Dominica 3 Aduentus. ſuper illud; Cæci vident, claudi ambulant.

12 *Et pueros clamantes in tẽplo Hoſanna.* Tunc adimpletũ eſt illud Iſaiæ, iuxta ſeptuaginta, & expedita erit lingua blæſorum. c. 35. nu. 9. Vide cap. 6 num. 13. qualiter per laudem infantium, hoc eſt, Eccleſiæ militantis, perficiatur laus, quam Eccleſia triumphans tribuit Deo. Vide Dominica in ramis Palmarum. circa illud: Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, &c.

13 *Et relictis illis abijt foras.* Nam, relictis Iudæis, elegit gentes: quod ſignificatum eſt in Ioſeph, qui nudus fugiẽs a domina ſua, Chriſtum Dominum a Synagoga diſcedentem de-
*Pſal. 26.* ſignauit, cap. 29. nu. 36.* Hinc eſt illud. Ne declines in ira à ſeruo tuo, &c. cap 1. num 31. cap. 16. nu. 17. 18. Vide Dominica in paſſione, in illa verba. Abſcondit ſe, & exiuit de templo. Et in tabula communi, verbo Iudæi. & verbo gentes.

## FERIA QVARTA POST Dominicam I. Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 12.*

### *Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ.*

1 MAGISTER *volumus a te ſignum videre.* Loquitur Dominus ad Achaz, vt ſignum petat, & illo ſignum petere renuente, domui Dauid vltro ſignum dedit, & tamen Iudæos ſignum petẽtes reprehendit. Quid hoc ſignificet explicatur. cap. 7. n. 14. 15. 16. 19.* Vide cap. 38. nu. 27.

2 *Generatio mala, & adultera.* Conſimilibus titulis populum Iudæorum notat Iſai. dicens. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, filijs ſceleratis. & cap. 1. a nu. 15. vſque ad 21.

3 *Generatio mala & adultera.* Iudæi ſunt quos Ioannes vocauit genimina viperarum. Et Iſaias, gentem peccatricem, filios ſceleratos, ſemen nequam. cap. 1. a nu. 15. vſque ad 20. Eoſdem appellat viros illuſores. cap. 28. nu. 15. 16. & filios auguratricis, ſemen adulteri. cap. 57 num. 6.

4 *Generatio mala & adultera.* Docet hic locus, libere increpados eſſe peccatores à prædicatoribus Euangelij, & ſi opus fuerit verbis aſperitatem redolentibus, ſicut Iſaias. Audite verbum Domini Principes Sodomorum, &c. cap. 1. num. 35. fine.

5 *Signum non dabitur ei.* Multa ſigna Redemptoris præceſſerunt in Lege & Prophetis, quæ in Chriſto Domino adimpleta fuiſſe oſtenditur. cap. 9. a num. 20. vſque ad 42. vide de Chriſti ſignis, & portentis. cap. 8. nu. 30.

6 *Niſi ſignum Ionæ.* Prophetia Ionæ contra Niniuen fuit comminatoria. c. 25. n. 17. Ad vocem vnius Prophetæ agunt barbari pœnitentiam, & ad prædicationem Chriſti Apoſtolorumque eius Chriſtiani pœnitentiam agere recuſant: quos verba illa redarguunt Iſai. Et vocauit Dominus ad fletum, & planctum, &c. cap. 22. nu. 8. 9. 10 & 11.

7 *Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Cuius nauis, quia peccator erat mergebatur, pondus peccati illius ferre non valens; aggrauat enim animam peccatum, ſicut Iſaias ait. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. cap. 1. num. 17.

8 *Viri Niniuitæ ſurgent, &c.* Barbari in die Iudicij confundent falſos Chriſtianos, iuxta illud Iſaiæ. Gentes, quæ te non nouerunt, ad te current. cap. 55. num. 9.

9 *Viri Niniuitæ ſurgent in Iudicio.* Vbi Pagani confundent Chriſtianos peruerſos, iuxta illud Iſaiæ: erubeſce Sidon ait mare. cap. 23. num. 3.

9 *Quia pænitentiam egerunt.* Homo facillime virtute pœnitentiæ omnia vitat ſpiritualia damna. cap. 1. nu. 44. & 45, & 53. 54.* Pœnitentia eſt torcular, in quo vinum deuotionis exprimitur. cap. 5. nu. 9.

10 *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine.* De diaboli fortitudine dictum eſt Dominica prima Quadrageſimæ.





11 *Aſſumpſit ſeptem alios ſpiritus nequiores.* Significant hæc verba ſtatum peccatoris peſſimum. in cuius animam ingreditur diabolus multis comitatus peccatorum agminibus tanquam in domum propriam, quibus ingredientibus, ſicut dicit Iſaias, nullus fuit qui moueret pennam & reperiat os, & gãniret. cap. 9. nu. 9. Vide Dominica 3. Quadrageſimæ.

12 *Ecce mater mea.* Anima iuſti ſpiritualiter concipit, & parit Chriſtum, ac mater eius ſpiritualiter efficitur. cap. 26. nu. 26. Vide Dominica 3. poſt Paſcha. nu. 8. 9. 10.

## FERIA V. POST DOMINICAM primam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 15.*

1 EGRESSVS *Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis.* Fuit Tyrus olim opulenta Ciuitas, contra quam vaticinatus fuerat Iſaias, ſed modo Chriſtus eam conſolatur ad eam veniens. cap. 23. per totum.

2 *Et ecce mulier Cananæa.* Fides gentium, fidem confundit Iudæorum. cap. 52. num. 18. cap. 55. nu. 9. 10.

3 *A finibus illis egreſſa.* Non eſt tutum cum infidelibus, aut peruerſis hominibus habitare. vnde Iſaias: recedite, recedite, exite inde, &c. cap. 52. nu. 12. 13.

4 *A finibus illis egreſſa.* Tribulationibus purgantur iuſti, & corriguntur, vt ad Deum conuertantur; impij vero eiſdem tribulationibus duriores fiunt. cap. 1. nu. 23. 24.*

5 *Clamauit, dicens ei.* Cum proſpere omnia ſuccedunt hominibus, obliuiſcuntur Deum Iſaiæ 26. Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti, numquid glorificatus es? At cum tributiones patiuntur, clamant ad Dominum ſicut Cananæa. cap. 26. nu. 23. 24. 25. Hinc eſt illud Iſaiæ: Vitam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti. cap. 57. nu. 11.

6 *Miſerere mei Domine fili Dauid.* Comitem Cananæa orationẽ ſecum portat, ſciens hanc eſſe Deo acceptiſſimum ſacrificium, iuxta illud Oſeæ 14. Conuertere Iſrael ad Dominum, quoniam corruiſti in iniquitate tua: tollite vobiſcum verba, &c. cap. 1. nu. 36.* Vide circa efficaciam orationis. infra nu. 16.

7 *Miſerere mei Domine.* Clamat cum fiducia. Quia proprium eſt opus Dei miſereri, alienum autem punire. cap. 1. nu. 63. Vide in tabula communi, verbo miſericordia.

8 *Miſerere mei.* Tribulationes Maximam iuſtis vtilitatem afferunt, quoniam ad Deum adire compellunt. cap. 29. num. 11.

9 *Fili Dauid.* Vocat Chriſtum filium Dauid, vt ad miſericordiam eum inclinet. cap. 7. n. 16. Peccatores enim non propter ſe, ſed propter Dei nomen miſericordiam conſequuntur. cap. 48. num. 5.

10 *Fili Dauid.* Interponit ſanctitatem Dauid, ſciens, quia propter vnum iuſtum, multa bona tribuit peccatoribus. ait enim per Iſai. Saluabo ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruum meum. cap. 37. num. 18. & multo latius. cap. 43. nu. 45.*

11 *Filia mea male à dæmonio vexatur.* Diabolus vexat homines male, quoniã ad malum eos inclinat. Deus autem bene, quia punit miſerendo. cap. 27. nu. 5. & 6 vide quæ de fortitudine dæmonis notata ſunt Dominica prima Quadrageſimæ.

12 *Qui non reſpondit ei verbum.* Vtiliter differt Dominus concedere quæ ab illo petimus, idque quadruplici ratione, quæ explicantur. cap. 30. a nu. 25. vſque ad 28.

13 *Dimitte eam quia clamat poſt nos.* Proprium munus eſt eorum, qui zelo Dei feruent pro peccatoribus exorare, ſicut Moyſes: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. vnde Iſaias: An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, &c. Iuſti enim tenent Deum, ne peccatores diſperdat. cap. 27. num. 7.

14 *Non ſum miſſus niſi ad oues.* Sicut prædixerat Iſaias: verbum miſit Dominus in Iacob. cap. 9. nu. 80. Et iterum ait, nec audietur vox eius, ideſt prædicatio eius, foris, hoc eſt in gentibus. cap. 42. nu 44.

15 *Domine adiuua me.* Chriſtus Dominus Samaritanam quærit; & Cananæam videtur repellere, illi fons, iſti puteus Chriſtus fuit. cap. 12 nu 8. in illa verba. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

16 *Domine adiuua me.* Voluntas hominis à Deo dirigitur adiuuante, cui ſubinde omnia bona tribuenda ſunt. cap. 2. nu. 10 11. Vide quæ notata ſunt circa orationẽ feria 6. poſt Cineres.

16 *Fiat tibi ſicut vis.* Magna eſt orationis efficacia, quæ à Deo impetrat quod vult. vnde Dominus ad Ezechiam. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. cap. 38. n 6. Hinc idem Iſaias ait: clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. cap. 19. num. 22.

## FERIA SEXTA POST Dominicam I. quadrageſimę.

### *Euangelium. Ioan. 5.*

### *Erat dies feſtus Iudæorum,&c.*

1 IN *his*, ſcilicet porticibus *iacebat multitudo magna languentium.* Lex cōtinebat infirmos, quia homines à peccato ſanare non potuit. Oſtendebat peccatum,ſed non dabat vires cōtra peccatum: illi omnes expectabant Angelum, ideſt Chriſtum, qui moueret aquas, & virtutem ſacramentis nouæ legis tribueret ad ſanandum infirmos à peccatis. Vnde Iſaias infirmitatem legalium oſtendens, ait. Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, &c. c. 1. à nu.25. vſque ad 41.

2 *Angelus autem Domini deſcendebat in piſcinam.* Angelus iſte deſignabat Chriſtum, qui eſt magni conſilij Angelus, ipſe enim mouet animam interius per gratiam, vt ſanetur. cap.1. nu.35.poſt medium. De miniſterio Angelorum, vide in feſto ſancti Michaelis.

3 *Et qui prior deſcendebat, &c.* Vnus tantum ſanabatur qui prius in piſcinam deſcendebat,vt cōmendet vnitatem,quæ in vinculo charitatis conſiſtit. cap.11.nu.13.

*Erat autem quidam homo ibi 38. annos habens in infirmitate ſua.* In quo longa peccandi conſuetudo deſignatur, contra quam multa inuenies. cap 1 nu.16.& 23. & cap. 5. nu. 22. & 23. in illa verba: væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.

4 *Vis ſanus fieri?* Voluntas hominis per peccatum maximè aggrauatur. cap.6.n.45.46. 47. Ideo oportet, vt excitetur à Deo, & moueatur auxilio efficaci, vt ſanari velit. cap. 10. nu.11. & 12. Vbi oſtenditur quod auxilium efficax præoperantis gratiæ non tollit, ſed perficit, ac roborat voluntatem.

5 *Alius ante me deſcendit.* Non ergo pigri, ſed ſoliciti conſequuntur ſalutem. De quo vide in Viſitatione Beatæ Mariæ, in illa verba: abijt in montana cum feſtinatione.

6 *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Iſaias ait. Et ſaluauit ſibi brachium ſuum. Pſalmiſta inquit. Saluauit ſibi dextera eius. vbi Auguſtinus expendit,quod non dixit tantum ſanauit, ſed ſanauit ei, multi enim ſanantur ſibi, non Deo, qui videlicet, ſalutē non conuertunt in obſequium eius: Ideo Chriſtus admonet ſanatum, ecce ſanus factus es, iam noli peccare, vt non ſibi ſanetur, ſed Deo. cap.59.nu.17.

## DOMINICA SECVNDA Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 17.*

ASSVMPSIT *Ieſus Petrum, &c.* In his diſcipulis deſignatur,quales debeant eſſe, qui cum Chriſto aſcēdent ad Patriam cæleſtem, quorum conditiones explicantur. cap. 33. nu. 12.13. 1

2 *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Aſcendit Chriſtus, qui mons eſt, ſuper montem, vt impleatur illud Iſaiæ. Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. cap.2.nu.2.& 3.

3 *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Vt videlicet terram cernerent de longe,& omnia terrena deſpicerent, quæ niſi Iuſtus contemnat,particeps non erit conſolationis cæleſtis. cap.33 nu.14.

4 *Et duxit illos in montem.* Via, qua ad videndam gloriam Domini peruenitur, aſpera eſt & difficilis,de qua Iſaias ait. Venite aſcendamus ad montem Domini. cap.2.nu.9.

5 *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* In hoc ſplendore fundatur Eccleſia, iuxta illud: Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei;vbi in Hæbreo pro cornu habetur in ſplendore. cap.5.nu.5.*

6 *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Hic oſtenditur, quale futurum ſit præmium iuſtorum, quibus per Iſaiam dicitur. Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. cap.3.nu.19.20.

7 *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol.* In reſurrectione ita fulgebunt Iuſtii, uxta illud Iſai. Erit lux ſolis ſeptempliciter, ſicut lumen ſeptē dierum. cap.30.nu.48.

8 *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Ab inſtanti conceptionis fuit anima Chriſti beata, iuxta illud, Ecce merces eius cum eo,&c. cap. 40. nu.22. Sed hanc gloriam detinuit, ne communicaretur corpori, vt daretur locus paſſioni. Vnde & ſubditur. Et opus illius coram illo.

9 *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, &c.* Transfigurationis Chriſti gloriam, cum ignominia paſſionis eius confert Iſai. dicens. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic in glorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. cap.52.nu 6.*

10 *Veſtimenta eius facta ſunt alba.* Veſtimēta Chriſti ſunt iuſti,de quibus ſcriptum eſt, quia omnibus his velut ornamento veſtieris. tom.1. pag.7.nu.11.& tom.2.cap.49.nu.17.

11 *Et apparuerunt Moyſes, & Elias loquentes cum Ieſu.* Quia vbi exceſſus dilectionis, quem tot ſupplicia ſuſtinendo demonſtrauit, ibi claritas, ibi clarificatio, ibi ſplendor, ibi gloria. cap.5.nu.5.in fin.

12 *Apparuerunt Moyſes,& Elias.* Vt excellentia Chriſti ſupra illos appareret. de qua vide cap.42.nu.28.

13 *Loquebantur de exceſſu.* Paſſionem Chriſti vocat exceſſum: nam abiecta Chriſti gloria ſunt paradiſi, iuxta illud, & ea,quæ ſub ipſo erant, replebant templum. cap.6.nu.7.

14 *Faciamus hic tria tabernacula.* Iuſti ſecurum habent tabernaculum, in quo ab eſtu concupiſcentiæ ſe defendant, quia Deum habent protectorem. Impijs autem nullum relinquitur ſuffragium. Nam, vt inquit Iob. 8. capite.Tabernaculum impiorum non ſubſiſtet. cap.4. à nu.11. vſque ad 14.

15 *Faciamus hic tria tabernacula.* Nondum nouerat Petrus magnitudinem gloriæ cæleſtis, ideo dicebat, bonum eſt nos hic eſſe.

*Ioſue 13.* In quo ſimilis fuit dimidiæ tribui Manaſſæ, quæ terræ promiſſionis oblita, propeIordanem habitationem elegit. cap.1.nu.57.

16 *Faciamus hic tria tabernacula.* Militans Eccleſia tabernaculum eſt, quod ab vno loco in alium transfertur: ſed Eccleſia triumphans tabernaculum eſt immobile,de quo Iſai. ait: Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, &c. cap.33.nu.17.18.19. Vide cap. 42. nu. 30. vbi oſtenditur tabernaculum nouæ legis excedere tabernaculum legis antiquæ.

17 *Faciamus hic tria tabernacula.* Anguſtā volebat Petrus eſſe Eccleſiam tribus tabernaculis,cum Iſaias dicat. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. cap.54 nu.1.2.3.5.6.*

18 *Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui.* De quo Iob 23. Inueni in quo ei propitier. In Chriſto enim omnes peccatores propitiationem inueniunt. cap. 27. num. 8.

19 *Iu quo mihi bene complacui.* Idem dicit per Iſaiam: Complacuit ſibi in illo anima mea. cap.42.num.1. In quo mihi complacui. Iſai. ait, Et dixit mihi, ſeruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor. Chriſtus, vt homo, ſeruus dicitur. cap.49.nu.5.

20 *Ceciderunt in faciem ſuam.* Iudæi,audita voce Chriſti dicentis: Ego ſum, ceciderunt retrorſum. Apoſtoli autem, audita voce Patris, ceciderunt in faciem. Iuſti enim in faciem cadunt, quia vident quo cadant, iuxta illud: Septies in die cadit Iuſtus, &c. cap. 28. num. 14.

21 *Nemini dixeritis viſionem.* Maxime obſeruanda eſt circumſtantia temporis, in qua loqui, aut tacere oportet. Aliquando enim crimini datur ſilentium, aliquando verò laudatur. cap.6. nu.18.

22 *Nemini dixeritis viſionem.* Quia margaritæ non ſunt mittendæ ante porcos. Vnde Iſai. A finibus terræ laudes audiuimus gloriam iuſti, ideſt Chriſti, & dixi: ſecretum meum mihi. cap.24.nu.15.*

## FERIA II. POST DOMINICAM ſecundam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan. 8.*

EGO *vado, & quæretis me.* Quidam Chriſtum quærunt, vt eum morti tradant: alij vero, vt illum poſſideant, de quibus dictum eſt Dominica infra octauas Epiphaniæ. 1

2 *In peccato veſtro moriemini.* De conſuetudine peccandi,vide feria 5. & 6. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.

3 *Principium, qui & loquor vobis.* Innuit myſterium Trinitatis, & oſtendit,Patrem, & Filium eſſe vnū Spiritus ſancti principium. de quo vide in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, & Dominica 4. poſt Paſcha.

4 *Et ea quæ audiui ab eo, hæc loquor.* Chriſtus Dominus teſtis fuit fideliſſimus: nam quæ audiuit à Patre, & vidit,hæc teſtatur: vnde per Iſaiam ait: vos teſtes mei,dicit Dominus, & ego teſtis. cap.43. nu.9. & cap.55. nu. 7. Et iterum ait: ego qui loquebar,ecce adſum. cap. 52.num.5.

5 *Quæ audiui ab eo, hæc loquor.* Verba Chriſti à Patre fuerunt accepta, iuxta illud Iſaiæ 59. & verba quæ poſui in ore tuo, &c. cap 59. num 21.

6 *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, &c.* In morte Chriſti intelligentia Scripturarū eſt manifeſtata, iuxta illud Pſ. 103. Extendens cælum ſicut pellem. cap. 3. nu.11.cap.8.nu.5.cap 34.nu.3.cap 40 num.31. cap.41.nu.22.cap.48. nu. 11. Vide in vtroque feſto ſanctæ Crucis.

7 *A meipſo facio nihil.* Quia enim Filius non habet eſſe à ſeipſo,ſed à Patre,etiam ipſum operari habet à Patre, quanto magis liberum arbitrium creatum,cū non habeat eſſe à ſeipſo, ſed à Deo,ipſum velle, & ipſum operari habebit à Deo? cap.10.num.11.12.

8 *Et qui me miſit,mecum eſt.* Sicut Iſaias ait ad Chriſtum loquens: in te eſt Deus,& non eſt Deus præter te, vere tu es Deus abſconditus,Deus Iſrael Saluator. cap.45.nu.13.14.

9 *Quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*. Quod per Iſaiam ipſe Pater teſtatur dicens: Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus complacuit ſibi in illo anima mea. cap. 42. nu. 1. vide Euang. Transfigurationis, Dominica 2. Quadrageſimæ.

## FERIA TERTIA DOMINICAE II. Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 23.*

### *Locutus eſt Ieſus, &c.*

1 SVPER *cathedram Moyſi*. Prædicatores, & Magiſtri debent opere adimplere, quæ verbis docent. de quo plura inuenies in feſto ſancti Dominici, ſuper Euangelium, Vos eſtis ſal terræ.

2 *Sederunt Scribæ, & Phariſæi*. Cathedra Phariſæorum per doctrinam honorem ambientium. cathedra eſt peſtilentiæ, in qua iuſtus non ſedit, iuxta illud Pſalmi primi: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. cap 29.nu.8.

3 *Dicunt enim, & non faciunt*. Prædicatores Euangelij faciendo diſcant, quæ alios doceant, vt ſint potentes in opere, & ſermone. cap. 1.nu.50 vide in feſto ſancti Dominici, vide etiam Dominica 7 poſt Pentecoſten in illud: attendite à falſis prophetis.

4 *Alligant enim onera grauia, & importabilia*. Non ſic Prædicatores Euangelici. De quibus Iſaias ait. Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. vbi ſignare legem, eſt illam digito alligare, ideſt, in operatione oſtendere. cap.8. nu. 25. & 26 igitur Prædicatores vitam actiuam, & contemplatiuam debent amplecti. cap.26.nu.27. 28. Vide cap 22. à n.17. vſque ad 24. quibus conditionibus Dei miniſtri polere debeant.

5 *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus*. Vide feria 4. & feria 6 Cinerum.

6 *Amant autem primos accubitus in cœnis*. Superborum proprium eſt primum locum, & ſupremum appetere: Deus autē in infimum ſuperbos deijcit, ſicut Lucifero contigit: dixit enim, aſcendam ſuper altitudinem nubium, &c. ſed eius excidium his verbis denunciat Iſa. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. cap. 14. nu 10. 11.

7 *Vnus eſt enim magiſter veſter* Chriſtus eſt verus, & vnus Magiſter, ſicut ipſe ait: vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Vide feria quinta in Cœna Domini.

8 *Qui maior eſt veſtrum, &c.* vide in feſto Angelorum, in illa verba: niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli. &c.

9 *Qui ſe exaltat, humiliabitur*. Circa hæc verba plura notata inuenies Dominica 10. poſt Pentecoſten.

## FERIA QVARTA POST II, Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 20.*

### *Aſcendens Ieſus, &c.*

DE prima parte huius Euangelij vide Dominica in Quinquageſima. De ſecunda 1
vero, quæ incipit ab illo verſiculo, *tunc acceſſit ad eum*. vide in feſto ſancti Iacobi. Præterea notanda ſunt quæ ſequuntur.

1 *Aſſumpſit 12. diſcipulos ſuos ſecreto*. Cum Chriſtus publice paſſurus eſſet in Hieruſalem, ſecreto tamen loquitur de paſſione ſua cum diſcipulis, vt nos doceat, in illo publico paſſionis, quod oculis corporis videtur, maxima latere ſecreta, profunda meditatione penſanda. Ideo Crux dicitur myſterium. primæ Corinthiorum ſecundo, loquitur Dei ſapientiam in myſterio. nam, vt notauit Chriſoſtomus, myſterium, aliud in publico, aliud in occulto continet. cap 5.nu.4.*

2 *Scitis, quia Principes gentium, &c.* vide in feſto Angelorum, circa illa verba, niſi conuerſi fueritis.

3 *Qui voluerit inter vos primus eſſe, &c.* vide Dominica in Septuageſima, in illa verba: Erunt primi nouisſimi.

4 *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*. Sicut per Iſaiam ait, verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, &c. cap.43. nu.18 & iterum ait, ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum. cap 42. nu.1.

## FERIA QVINTA DOMINICAE ſecundæ Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Lucæ 16.*

### *Homo quidam erat diues, &c.*

PRO *introductione Euangelij eſt inſignis* 1
*locus*. Iſaiæ 57. nu. 1. & 2. Vbi deplorat, quod peccatores abundent temporalibus. Iuſti autē fame pereant: ait enim. iuſtus perit, & non eſt qui recogitet, ſed ſtatim eos conſolatur; quia in morte requieſcit iuſtus, vnde & ſubdit: Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, &c. cap.57. à nu.1. vſque ad 5.*

2 *Homo quidam erat diues*. Diuitiæ non damnant hominem, ſed peruerſus illarum vſus. ſimiliter nec paupertas beatum efficit, ſed bonus vſus illius: vnde Matt.24. Erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur &c. cap.27.nu.15. Vide cap.23 nu. 10.11.12. & 13. de recto vſu diuitiarum.

3 *Homo quidam erat diues*. Diuites, & auari non ſatiantur pecunia cap.2.nu.18.14. Vnde auaritia principatu tyrannico dominatur hominibus, illis ſua imponens præcepta, Dei mandatis contraria. cap.2.nu.19.

4 *Homo quidam erat diues*. Maxime timenda eſt proſperitas, vt patet in Ezechia cap. 39.num 1.

5 *Induebatur purpura & byſſo*. Omnia temporalia comparantur bonis, quæ in ſomnijs homo ſe habere arbitratur, ſed cum fuerit expergefactus, vacua inuenitur anima eius. Iſai. Et ſicut ſomniat eſuriēs, &c. cap.29. n.14.15.16 quod in diuite Epulone euidenter apparet. Vide Dominica 3. Aduentus ſuper illud, hominem mollibus veſtitum &c.

6 *Et induebatur purpura, &c* Vera nobilitas, & vera gloria non in ſplendore ſanguinis, aut veſtibus pretioſis, ſed in virtute conſiſtit, iuxta illud. Pſ.44. Myrrha, & gutta, & caſia, à veſtimentis tuis, à domibus æburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo, In tuo inquit honore, non in ſuo. cap.28.nu.6.

7 *Epulabatur quotidie ſplendide*. Reprobis concedit Dominus hæc temporalia, & abundantiā illis tribuit terreſtrium bonorum, quoniam poſtmodum gloriam Domini non videbunt. Vnde Iſai. Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam, in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. cap. 26. num. 17.18.

8 *Et epulabatur quotidie ſplendide*. Multitudo ciborum non ad corporis valetudinem deſeruit, ſed multa homini parit incommoda cap.3.nu.4. vide cap.5.nu.15. quanta incommoda ebrietas afferat.

9 *Epulabatur quotidie*. Sed aliquando fame peribit, & ſiti. Sicut Iſai. ait. Et nobiles eius interierunt fame. cap.5.nu 17.

10 *Epulabatur, &c.* Deliciæ carnales multa mala pariunt, Amos 6. Væ qui opulenti eſtis in Sion, &c. Iſai.17. Et pinguedo carnis eius marceſcet. Vt quid ergo homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei carnem ſuam impinguare ſatagit? cap.17. num. 4.

11 *Epulabatur quotidie*. De gula & multitudine ciborum, quos humana cupiditas inuenit. cap.3.nu 3. & 4. Vide cap 28.num.7. vbi explicatur, quanta mala ex gula, & ebrietate proueniant homini. Vide cap.5. nu.15 16. in illa verba. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, &c. & cap.56.nu 14.

12 *Epulabatur quotidie ſplendide*. Quale ſit iudicium paratum his, qui ducunt in bonis dies ſuos, his verbis explicuit Iſai. Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent, quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis. cap.32.nu.11.12.

13 *Epulabatur quotidie*. Diuites impinguat diabolus, vt eos occidat, & manducet, vnde Iſai. Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, &c. cap. 34. numero 56.

14 *Epulabatur quotidie*. Sed veniet dies mortis, in quo non epulabitur, ſed ſitiet, & eſuriet, & incidet in iudicium, quod accidit Babyloni, de quo Iſai. ait. Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylon, &c cap.47. à num.1. vſque ad 7. hinc Iſai. In doloribus dormietis. cap. 10 nu.14.

15 *Et erat quidam mendicus*. Magna Dei prouidentia factum eſt, vt diuites ſecum pauperes ſemper haberent. Pauperes enim ſunt diuitibus valde vtiles. cap.23. nu.13. Sed caueant pauperes, ne ſub paupertatis habitu idolum auaritiæ habeant reconditum, ſicut illi de quibus 2. Machabæorum 12. Inuenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, &c. cap.17.nu.5.

16 *Et nemo illi dabat*. Mendicus cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo dabat illi, cum tamen diuitiæ ſuperfluæ conſecrandæ ſint Domino, vt pauperes manducent vſque ad ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem. cap. 23. num. 10. 11. 12. 13.14. *

17 *Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt in inferno*. Cui congruit illud Iſaiæ. Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonus lætantium, &c. cap. 24. nu.9.10. Commutantur in morte ſortes iuſtorum, & impiorum. Lazarus in vita eſuriebat, diues epulabatur, & in morte ille portatur in ſinum Abrahæ, iſte in inferno iacet, ibid.nu.11.

18 *Mortuus eſt autem diues*. Mors eo eſt amarior, quo fuerit vita fœlicior, vnde Ezechias. Ecce, inquit, in pace amaritudo mea amariſſima. cap.38 nu. 21.

19 *Et ſepultus eſt in inferno*. Vt quid ergo ſuperbi corpori parant ſumptuoſa ſepulchra,

cum animæ eorum ſepultæ ſint in inferno, Dominus per Iſaiam inuehitur contra Sobnam præpoſitum templi & ait: Quid tu hic, aut quaſi quis hic, quia excidiſti tibi ſepulchrum? &c. cap. 22. nu. 13. 15. De pœnis inferni vide ſis per totum cap. 24 Iſaiæ, præſertim à nu. 23. vſque ad 26.

19 *Et ſepultus eſt in inferno* Reprobi, dũ viuunt in hoc ſæculo, epulantur, & magna preſulgent gloria; ſed in morte incipiunt eorum miſeriæ: electi verò è contra, &c. Vnde Iſaias. Et erit, inquit, ſepulchrum eius glorioſum, capit 11. nume. 17 * vbi latè explicatur, qualiter omnia commutentur in morte.

20 *Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt in inferno*. Mors & iudicium repente accidet reprobis, qui toto tempore vitæ ſuæ ſecuros ſe eſſe putabant, dicentes illud Iſaiæ: Poſuimus mendacium ſpem noſtram, cap. 28. numero 16.

21 *Pater Abraham mitte, &c.* Confuſus eſt in inferno diues peccatis ſuis, ſed inutiliter: vnde Iſa. ait. Quia non infernus confitebitur tibi, &c. cap 38 nu. 23. 24.*

22 *Quia crucior in hac flamma*. Vide quæ de igne inferni notata ſunt Dominica prima Aduentus, & feria ſecunda poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ.

23 *Fili, recordare quia recepiſti bona* Recordatio conſolationis præteritæ maximè torquebit reprobos in inferno, cap. 13. num 8 circa fin.

24 *Recordare quia recepiſti bona in vita tua*. Reprobi proſperantur in hoc ſeculo, quibus tãquam deſperatis concedit Deus quæ inordinatè appetunt, cap. 33. nu. 1.

## FERIA SEXTA POST Dominicam II. Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Matth. 21.*

1 HOMO *quidam erat Pater familias, qui plantauit vineam.* Vinea hæc eſt Eccleſia Chriſti ſanguine fundata, cui Iſaias Epithalamium cecinit. Cãtabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ, cap. 5. à nume. 2. vſque ad 10. vbi totum ferè hoc Euangelium expenditur. * vide num. 33.

2 *Qui plantauit vineam*. Iſaias ait. Et plantauit vineam electam, multo labore & ſudore; ſicut agricola, qui pro vinea plantanda, incommoda patitur quamplurima, cap. 5. nu. 8.

3 *Et ſepem circumdedit, &c.* Iſaias ait, Et ſepiuit eam. Qualis autem fuerit ſepes huius vineæ, explicatur. cap 5. nu. 6.

4 *Et ſepem circumdedit ei*. Qui magna cuſtodia cauet peccata venialia, ſepe circumdatam habet animam ſuam. Nam qui minima negligit in maiora peccata paulatim decidet: ſicut Saul, Cain, Iudas Iſcarioth, & alij, cap. 9. nu. 88. * hinc patet, quantam curam Deus habeat vineæ ſuæ, de qua Iſaias ait. In die illa vinea meri cantabit ei, Ego Dominus qui ſeruo eam. cap. 27. nu. 4. 5. 6.

5 *Ædificauit Turrim*. Velox eſt Dominus ad ædificandum, tardus autem ad deſtruendum, cap. 1. nu. 63.

6 *Et ædificauit Turrim*. Quid per Turrim intelligat, explicatur, cap. 5. nu. 9.

7 *Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet*. Fructus, quem expectat Dominus ex vinea animæ noſtræ, eſt ille de quo Iſa. 27. Et iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius, &c cap. 27. nu. 12.

8 *Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, &c.* Vide in feſto ſancti Stephani in illa verba, Ecce ego mitto ad vos.

9 *Verebuntur forſitan filium meum*. O Dei miſericordiam, pro tot iniurijs maiora retribuit beneficia. Vnde Iſa. Suſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Et Pſal 102. Noli obliuiſci omnes retributiones eius, cap. 40. nu. 7.*

10 *Hic eſt hæres, venite occidamus eum*. Magna ingratitudo, præſumptio, & audacia, cõtra Dominum ſuum bellicare audent peccatores, ſicut Iſaias ait. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, cap. 1. nu. 11. 12. cap. 27. num. 11.

11 *Venite occidamus eũ*. Peruerſum conſilium, non Chriſto, ſed ſibi nocuerunt: dicit. n. Iſaias: Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem. Oua aſpidum ruperunt, &c. cap. 59 nu. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

12 *Venite occidamus eum*. Dominus ſicut ait Iſa. voluit vt magnificaret eum, ſcilicet populus Iudaicus Chriſtũ, & magnificaret legẽ, Euangelicam, ſed ipſe populus Chriſtum occidit, cap. 42. nu. 22. 23. Ecce quem fructum fecit domino ſuo vinea tot laboribus plantata. Ecce labruſcas de quibus per Iſaiam ait. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas, c. 5. n. 10.

13 *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, &c.* Vide de paſſione Domini feria ſexta in Paraſceue.

14 *Malos male perdet*. Prius beneficijs ad ſe Dominus conatur homines trahere, ſed poſtmodum flagellis eos erudit, iuxta illud Iſaiæ. In lingua altera loquetur Dominus ad

populum



populum iſtum, cap. 28 num. 12. Vnde inferius ait. Tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui, eod. cap. nu. 26.

15 *Malos malè perdet*. Sicut per Iſaiam ait. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabo, cap. 27. num. 11. Vide nu. 10. * Vnde & Iudæi fatentur: Peccata noſtra reſponderunt nobis, cap. 59. num. 13. Ideo excæcati, & obdurati ſunt à Deo, cap. 6. nume. 48. 49. 50. Vnde ſuã vicẽ lamentantur dicentes: quare errare nos feciſti? &c. cap. 63. nu. 19.

16 *Malos malè perdet*. Sicut per Iſaiam ait. Ciuitas enim munita deſolata erit, &c. cap. 27. nu. 13. 14. diſſipauit enim vineam Iudæorum, vt latè oſtenditur, cap. 27. nu. 5. 6. 7.

17 *Et vineam ſuam locauit alijs agricolis*. Sicut per Iſaiam ait. Et relinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea, cap. 1. nu. 30. cap. 3. nu. 5.

18 *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Hic locus latè expenditur Iſaiæ 8. nume. 23. 24. in illa verba. In lapidem autem offenſionis, & cap. 28. nu 20 in illa verba. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c.

19 *Auferetur a vobis Regnum*. Id eſt intelligentia Scripturarum, quæ ſpolia dicuntur. Pſal. 118. Sicut qui inuenit ſpolia multa. Et Geneſ. 49 Et veſpere diuidet ſpolia: quoniam Iudæi ſacris eloquijs, quibus ornati erãt, priuati ſunt, cap 9 nu 11.

20 *Auferetur à vobis Regnum, &c.* Quod Iſaias prædixit. Auferet à Ieruſalem, & Iuda omne robur, &c. cap. 3 nu. 5.

21 *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, &c.* Chriſtus Dominus fuit Iudæis lapis offenſionis, & petra ſcandali iuxta illud Iſaiæ. In lapidem autem offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſrael. Et offendent ex eis plurimi, cap. 8. nu. 23. 24.

22 *Super quem autem ceciderit, conteret eum*. Iudæi offenderunt in lapidem offenſionis, & propterea deuaſtati ſunt, cap. 8. num. 23. cap. 28 num. 20.

## SABBATO POST II. Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Lucæ 15.*

### *Homo quidã habuit duos filios, &c.*

1 ET *dixit adoleſcentior ex illis*. Adoleſcentis ætas virtutem robuſtorum ſignificat, ſicut Cant. 1. adoleſcentulæ dilexerunt te nimis, cap. 31. nume. 7. hic autem ſignificat eos, qui carnalibus volunt deſeruire delicijs.

2 *Peregre profectus eſt*. Peccator enim elongat ſe à Deo, Vnde Iſa. Abſcondi à te faciem meam, & indignatus ſum, & abijt vagus in via cordis ſui, cap 57. nu. 17.*

3 *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè*. Huic adoleſcenti & ſimilibus dicit Iſa. Quare apenditis argentum, & non in panibus, &c. cap. 55. nu. 4.

4 *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè*. Diuitiæ non in luxuriam, ſed in vſus pauperum ſunt conſummandæ. cap. 23. nu. 10. 11. 12. & 13.

5 *Viuendo luxurioſè*. Peccata carnalia ſunt veluti tinea, de qua Iſa. ait. Tinea comedet eos. cap. 50. nu. 12.

6 *Vt paſceret porcos*. Seruientes diabolo intolerabili opprimuntur atque ignominioſa ſeruitute. Vnde Iſa. Onus iumentorum Auſtri, cap. 30. nu. 5.

7 *Vt paſceret porcos*. Peccatores diuerſis brutis animalibus conferuntur, cap. 34. num. 8. 10. & 11. Porcos paſcit, & hœdos, qui carnalibus deditus eſt voluptatibus iuxta illud: Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & Cant. 1.
paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum, cap. 32. nu. 20. c. 57. nu. 17. c. 62. nu. 5.

8 *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis*. Relinquentes Deum non veſcuntur pane filiorum, nec veſtimentis Chriſti operiuntur. Iſaiæ 4. panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, &c. Sed ſi conuertantur ad Dominum, cibum, & ſtolam in domo patris, ſicut filius prodigus, recipient, cap. 4. nume. 3.

9 *In ſe autem reuerſus, &c.* Nota cum Petro Chriſologo, quod prius in ſe reuertitur filius prodigus quàm ad domum, patris reuertatur: nam prius à ſe ipſo exierit quàm egredi vellet domum patris, cap. 9. num. 84 * Salus incipit à cognitione propria, & Dei, de qua multa dicuntur, cap. 6. nu. 19.

10 *Quanti mercenarij in domo patris mei &c.* Electi à domo paterna, ideſt à patria cæleſti ſe abſentes eſſe cognoſcunt, ideo profugi dicuntur. Iſa. 16. habitabunt apud te profugi mei, cap. 16. nu. 4.

11 *Surgam, & ibo ad Patrem meum*. Pœnitentia eſt vera quies de qua Iſai. Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis, cap. 30. nume. 15. 16.

12 *Vidit eum a longè*. Homo longè eſt à Deo per peccatum, prope autem per gratiam. Vnde Iſai. Ecce iſti de longè venient, cap. 49. nume. 13.

13 *Et date annulum in manu eius*. In quo ſignificatur, quod opera mortificata reuiuiſcunt per pœnitentiam. cap 44. nu 14.

14 *Indignatus eſt, & nolebat introire*. Nam de populo ſuo, qui per illum iuniorem fratrem ſignificabatur, ait Iſai. Educ foras cæcum, & oculos habentem, &c cap. 43. nu. 7. *

15 *Epulari autem, & gaudere oportebat*. Vnde acriter ſunt reprehendendi Patres, qui filios impediunt, ne fiant religioſi, &c. vt ex Chryſoſt. oſtenditur. cap. 55. nu. 17.

## DOMINICA TERTIA Quadrageſimæ.

### *Euangelium*. Luc. 11.

1 ERAT *Ieſus eijciens dæmonium, &c.* Chriſtus de mundo eiecit diabolum, qui inique hominem tenebat captiuum. Iſaia 27. In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem. cap. 27. nu 2. 3. *

2 *Et illud erat mutum, &c.* Peccatum homines, & crudeliter, & tyrannice gubernat, ſicut diabolus hominem iſtum. Vnde Iſaias 19. Tradam Aegyptum in manus dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum, &c. cap. 19. num. 5. vbi multa dicuntur de tyrannide peccati, ex Auguſtino, & Chryſoſt. Alij Euangeliſtæ referunt, quod iſte fuerit etiam ſurdus, & cæcus, quo inſinuatur, vnum peccatum eſſe pœnam alterius cap. 19. nu. 6.

3 *Et illud erat mutum*. Confuſionem & erubeſcentiam furatur diabolus ab hominibus dum peccant, vt liberius peccent, & tempore pœnitentiæ eam reſtituit, ne ſua præ confuſione confiteantur delicta. cap 1. nu. 70.

4 *Et illud erat mutum*. Iſaias appellauit diabolum ſerpentem vectem, quoniam ſenſus hominis aperit, vt intret in animam eius, & poſt ſe claudit, ne exire per ſacramentalem confeſſionem cogatur. Quod in hoc Euangelio maniſeſtiſſime oſtenditur, cap. 27 nu. 3.

5 *Et illud erat mutum*. Aliquando diabolus loquaces, aliquando mutos facit peccatores, quia & nimis loqui, & nimis tacere peccatū eſt. vnde Iſaias. Væ mihi, quia tacui. cap. 6. n. 28. *

6 *Et illud erat mutum*. Laudabile eſt triplex ſilentium, de quo Iſai. ait: In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. Sed huius dæmoniaci ſilentium erat pernicioſum. Vnde & à Domino ſoluitur, & loquitur mutus cap. 30 nu 16. 17. 18. vbi agitur de ſilentio clauſtralium.

7 *In Beelzebub, &c.* Contra iſtam blaſphemiam loquitur Iſaias, dicens, ſuper quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam? numquid non vos filij ſceleſti, ſemen mendax cap. 57. num 7. Et iterum. Peccare, & mentiri contra Dominum, &c. cap 59. nu. 14 In quo ad iracundiam Chriſtū prouocauerūt, iuxta illud Iſaiæ. Ipſi autem ad iracundiam eum prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum ſanctum eius, ideſt, Chriſti. cap. 63. nu. 10.

8 *In Beelzebub principe dæmoniorum, &c.* Semper Iudæi contradixerunt Chriſto, doctrinæ, & miraculis eius, illa virtuti dæmonis tribuentes. Sed Iſaias docet, à Domino exercituū miracula, quæ fecit, procedere. ait enim: Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael à Domino, Et Pſalmiſta ait: Qui facit mirabilia magna ſolus. cap. 8. nu. 30. *

9 *Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant*. Vide ſer. 4. poſt Dominicam Quadrageſimæ in illa verba: Magiſter volumus à te ſignum videre.

10 *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*. Pax, & vnitas maxime neceſſaria ſunt ad conſeruationem Reipublicæ. Vide quæ de pace regni Chriſti notantur. cap. 32. nu. 16. 17. cap. 57. nu. 20. Et quoniam pacem impij non habent, neceſſe eſt, vt eorum regnum diſſipetur. Vide eiſdem locis.

11 *Ideo & ipſi Iudices veſtri erunt*. De Apoſtolis hoc dicit, de quibus per Iſaiam ait: Et reſtituam iudices tuos ſicut fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus. cap. 1. n. 65.

12 *Cum fortis armatus, &c.* vſque *ſi autem fortior illo ſuperuenerit*. Fortis erat diabolus, ſed fortior illo ſuperuenit Chriſtus, & abſtulit ſpolia eius, ſicut Iſaias ait: Velociter ſpolia detrahe. cap. 8. nu. 6. 9. 10. cap. 9. n. 10 cap. 49. n. 23.

13 *In pace ſunt omnia quæ poſſidet*. Diabolo adaptantur verba illa dicta de Rege Aſſyriorum, & inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, &c. vſque & non fuit qui moueret pedem, & aperiret os, & ganniret. Et Iob. 41. reputabit quaſi paleas ferrum, &c. c. 10. n. 9.

14 *Et ſpolia eius diſtribuit*. Hæc diuiſit Chriſtus, ſicut Iſaias ait. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortiū diuidet ſpolia, &c. cap. 33. n. 19. *

15. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine*. cap. 37. nu. 6. Vide circa hæc eadem verba, fer. 4. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ. nu 10.

16 *Reuertar in domum meam*. Suam appellat animam peccatoris, quia per peccatum ſe illi vendidit cap. 8. nu. 6.

17 *Et aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi*. Sicut dicit Iſaias, Et occurrent dæmonia, & Onocentauris & Piloſus, & clamauit alter ad alterū. c. 34. n. 11

18 *Quinimmo, Beati qui audiunt verbum Dei*

*Dei*

Elenchus.

*Dei, & cuſtodiunt illud*. Vide Feria 4. Dominicæ 1. Quadrageſimæ. n. 12. & in Feſto S. Dominici in illa verba: Qui fecerit & docuerit.

## FERIA SECVNDA POST Dominicam III. Quadrageſimæ.

### *Euangelium*. *Lucæ*. 4.

1 DIXERVNT *Phariſæi ad Ieſum*. Petebant Phariſæi a Chriſto ſigna, ſed ea facere noluit, erant enim increduli, quibus illud congruit. Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei. de quo vide feria 4. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ.

2 *Quando clauſum eſt cælum annis tribus*. Quoniam ex terræ fructibus debitas pauperibus non facis eleemoſynas, nec decimas Deo tribuis, terra tibi non profert fructum, nec cælum pluuiam. Vnde Iſai. Decem iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij ſementis facient modios tres. c 5. n. 14. Alia ratio propter quam terra non fructificat. ô homo fructus tibi eſt quoniam tu bona opera non fructificas Deo. Vnde Iſai. Quia oblita es Dei Saluatoris tui &c. in die plantationis tuæ labruſca, &c. cap. 17. n. 7. 8.

3 *Ad mulierē viduā* Magnā Deus viduarū habet curā. Vnde per Iſaiā Iudices reprehēdit ꝙ cauſa viduæ nō ingreditur ad eos. c. 1. n. 51. *

4 *Nemo eorum mundatus eſt, niſi Nahamanſyrus*. Lauacro mundatus eſt Nahamanſyrus ſepties in Iordane ſeipſum abluens, in ſignū quod per lauacrum pœnitentiæ mūdantur homines à peccatis, iuxta illud Iſaiæ. Lauamini mundi eſtote, &c. cap. 1. à n. 44. vſq; ad 54. * Vbi hæc hiſtoria Nahaman expenditur.

5 *Et eiecerunt eum extra ciuitatem*. Vide feria 6. poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ in illa verba. Eiecerunt eū extra vineam.

6 *Vt præcipitarent eum*. In quo nimirum imitati ſunt audaciam diaboli, qui ſtatuit Ieſū ſupra pinnaculū tēpli, vt mitteret ſe deorſū, de quo vide Dominica 1. Quadrageſimæ. Diabolus dicebat, mitte te deorſum, ſed Iudæi diaboli exceſſerūt malitiā, Chriſtū præcipitare volētes.

## FERIA TERTIA POST Dominicam III. quadrageſimę.

### *Euangelium*. *Matth*. 18.

1 SI *peccauerit in te Frater tuus*. Prælati debent ſe infirmitati ſubditorū accōmodare, & eos patienter ſupportare, & corrigere, tanquā pater filios, iuxta illud Iſai. Et erit quaſi pater habitantibus Hieruſalem, & domui Iuda. cap. 22. num. 20. 21. 22.

2 *Corrige eum*. Caute corrigendus eſt proximus, ne dū cōſuere vis quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem facias. cap. 22. n. 22.

3 *Si Eccleſiam non audierit*. Hæretici vitandi ſunt & abijciendi. Vnde Iſaias eos cōparat pulueri, quem proijcit ventus à facie terræ, Et erit, inquit, ſicut puluis tenuis multitudo vētilantium te. cap 29. n. 12.

4 *Sit tibi tanquā ethnicus & publicanus*. Ideſt eorum conſortium deuita, nam cū huiuſmodi periculoſum eſt habitare. c. 52. n. 13.

5 *Quæcumq; alligaueritis ſuper terrā*. Vide in feſto Apoſtolorū Petri, & Pauli, in illa verba, quæcumq; ligaueris ſuper terrā. & feria 6. poſt 4 Dominicā Quadrageſimæ in illa verba, ſoluite eum. & Dominica in Ramis palmarum in illa verba, ſoluite & adducite mihi, & Dominica in Albis in illa verba, quorum Remiſeritis peccata Vide etiā c. 22. n. 22. 23. in illa verba. Et dabo claues Domus Dauid ſuper humerum eius.

6 *De omni re quamcūq; petierint* De efficacia orationes, vide Dominica 5. poſt Paſcha, & feria 2. Rogationum.

7 *Vſq; ſeptuagies ſepties*. Toties quoties peccauerit dimitte ei, ſic explicat Aug. c. 30 n. 47. In quo maxime Dei miſericordia & benignitas cōmēdatur. Vnde Pſalmiſta. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis &c. Et Iſaias ait, ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. cap. 28. n. 17. c. 40. n. 7. *Pſal. 102. Iſai. 40.*

## FERIA QVARTA DOMINICÆ tertiæ Quadrageſimæ.

### *Euangelium*. *Matth*. 15.

1 QVARE *Diſcipuli tui tranſgrediuntur, &c.* Non ſoli Iudæi, ſed immundi arguebant Chriſtum, quod diſcipuli eius non lotis manibus manducarent, ſed Dominus per Iſaiam eos admonet, dicens, lauamini, mundi eſtote &c. & tunc venite & arguite me &c. c. 1. n. 52. qualiter anima ſit à peccatis abluēda, explicatur eodem capite n. 44 & ſequentibus vſq; ad 54.

2 *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur, &c.* Huius interrogationis nequitia aperitur. cap. 29 n. 25. 26.

4 *Quare diſcipuli tui, &c.* Nō eſt à Deo petenda ratio alicuius rei: dicit enim Iſai. 2 qui contradicit factori ſuo teſta de Samijs terræ, numquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis, &c. cap. 45. n. 9. 10. c. 2. n 30.

4 *Quare & vos trāſgredimini*. Arguit Phariſeos, vt impleatur illud Iſa. 2. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos c. 2. n. 12. Et illud

non

non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, &c.cap.9.num.7.& 8. & illud,Et percutiet ter ram virga oris ſui,eod cap.nu.9.

5 *Quare & vos tranſgredimini,&c.* Reſpondet pro diſcipulis innocentibus, vt adimpleret illud Iſaiæ vaticinium,capit. 11. Et arguet in æquitate pro manſuetis terræ. cap. 9. num.34.cap.11. nu.7.8.9 De Phariſæorum ſuperbia,& hypocriſi, & ſacrificijs, vide cap. 1. à nu.34.vſque ad 44.

6 *Quare & vos tranſgredimini,&c.* Religio ſimulata Deo valdè diſplicet, & virtus externa ſine interiori: vtraque enim eſt neceſſaria,vt oſtenditur,cap.29.nu.24.25

7 *Propter traditiones veſtras.* Non ait, propter traditiones ſeniorum:nam traditiones antiquæ venerãdæ ſunt,nouæ autem repellendæ,cap.29. nu 26.

8 *Propter traditiones veſtras.* Traditiones Phariſæorum ſunt ſtannum, quia non bene ſonant,de quo per Iſaiam ait. Auferã omne ſtannum tuum.cap.1.nu.64.

9 *Hypochritæ.*De peccato Hypocriſis,quã abominabile ſit Deo, vide in tabula communi verbo Hypocrita.

10 *Populus hic labijs me honorat,&c.*Cultus Dei verus non in ore hominis ſed in corde conſiſtit, vnde Iſa Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die Sabbati, & vocaueris Sabbatum delicatum, &c. cap.58.num 13. vide cap.29.à num. 23. vſque ad 26.vbi prædicta verba Iſa.populus hic. &c. latè expenduntur.

11 *Docentes doctrinas, & mandata hominum.* Noua doctrina abijcienda eſt,& ſequentia antiqua,cap 32.nu.10 21. Hæretici enim nouis doctrinis delectantur, tranſcendentes terminos Patrum,cap.32 num.20. cap.36. nu. 8.
Ioan. Hinc Chriſtus Dominus. Doctrina mea nõ eſt mea, quia videlicet à Patre eam accepit, iuxta illud Iſaiæ. Dominus dedit mihi linguam eruditam,&c.cap.50.num.6.7.& iterum ait.Spiritus meus qui eſt in te; & verba mea quæ poſui in ore tuo,&c.cap 59.nu.21.22.23.

12 *Quia Phariſæi, audito hoc verbo,ſcãdalizati ſunt.* Vide in feſto Angelorum, in illa verba,Qui autem ſcandalizauerit, &c.

13 *Omnis plantatio, &c.* Iuſti ſunt plantatio Domini,de qua Iſaias ait.Et plãtatio Domini ad glorificãdum:reprobi autem ſunt plantatio,& agricultura diaboli,c.61.nu.3.

14 *Cæci ſunt & duces cæcorum.* Iudæi in ipſo lumine excæcati ſunt,palpantes in meridie,cap 29.nu.20.cap.53.nu.7.c.6. à nu.35. vſque ad nu. 50. in illa verba:excæca cor populi huius.

15 *Ediſſere nobis parabolam iſtam.* Chriſtus eſt qui veram intelligentiam Scripturarũ Apoſtolis aperuit. de quo vide feria ſecunda Paſchatis,in illa verba, Tunc aperuit illis ſenſum,vt intelligerent Scripturas.

## FERIA QVINTA POST III.Dominicam quadrageſimę.

### *Euangelium.* Lucæ 4.

### *Surgens Ieſus de Synagoga,&c.*

ET *rogauerunt illum pro ea.* Efficaciſſimum remedium eſt oratio in quacunque tribulatione,nam à Deo impetrat ſanitatem. 1

2 *At ille ſingulis manus imponens.* Chriſtus manus eſt Patris, per quem omnia operatur,eius nutui obediunt omnia.de quo vide Dominica quarta poſt Epiphaniam, in illa verba tunc ſurgens imperauit ventis.

3 *Exibant autem dæmonia a multis.* Chriſtus venit, vt diabolum foras eijceret.de quo vide Dominica tertia Quadrageſimæ in illa verba,Erat Ieſus eijciens Dæmonium.

4 *Quia tu es filius Dei.* Vide in feſto Apoſtolorũ Petri & Pauli,in illa verba,Tu es Chriſtus Filius Dei viui.

5 *Et detinebant illum,ne diſcederet ab eis.* Vide feria ſecunda Reſurrectionis, in illa verba,Mane nobiſcum Domine, & Dominica in paſsione in illa verba. Ieſus autem abſcondit ſe. Vide etiam feria tertia poſt primam Dominicam Quadrageſimæ,nu 13. in illa verba. Et relictis illis,abijt foras.

## FERIA SEXTA DOMINICÆ tertiæ Quadrageſimæ.

### *Euangelium.* *Ioan.* 4.

### *Venit Ieſus in Ciuitatem.*

IESVS *autem fatigatus ex itinere.* Fatigatur Chriſtus, vt vnam vitem, ideſt Samaritanam,ad vineam ſuam traheret. cap 5.nu.8. cap.7.nu.18. Fatigatur propter peccatores, vnde Iſaias. Num parum eſt vobis fatigare homines, quia defatigatis etiam Deum meum? cap.7.nu.18. *

2 *Fatigatus ex itinere.* Fatigatur Chriſtus,vt peccatores conuertantur, & ipſi obdurati manent. ideò conqueritur per Iſa. Et ego dixi,in vacuum laboraui, & vanè fortitudinem meam conſumpſi.cap.49.nu.6. *

3 *Sedebat*



3 *Sedebat hic ſupra fontem.* Fons eſt Chriſtus,de quo Iſai 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Et verè fons: quoniam vijs ſecretis peccatorum penetrat,& irrigat corda.cap.12 nu.8.

4 *Mulier da mihi bibere.* Antequam Samaritana peteret, Domine da mihi hanc aquã, &c. eam præuenit Chriſtus ſua vocatione, quæ gratis omnino fit. Vnde Iſai Non me inuocaſti Iacob,nec laboraſti in me Iſrael. cap.43. nu. 17.* Vbi oſtenditur,naturæ,& legis opera non eſſe diſpoſitiones ad gratiam.

5 *Mulier da mihi bibere.* Refrigerat Chriſtum conuerſio peccatorum, ſed Pſal 21. obdurati dant in eſcam eius fel,in ſiti potant illum aceto. Vide Aug. ſuper eundem Pſal.

6 *Da mihi bibere.* Qui ad prædicationem Euangelij non conuertitur,potum ſitienti Chriſto aufert,iuxta illud Iſai. Vt vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat.ca. 32.nu.6.Et iterum ait. Egeni & pauperes quærant aquas,&c. cap.41 nu.17.

7 *Forſitan tu petijſſes ab eo, & ipſe dediſſet tibi aquam viuam.* Ad hanc aquam omnes inuitat Iſai. Omnes ſitientes venite ad aquas,&c. cap.55.à nu.1.vſque ad 6.

8 *Et dediſſet tibi aquam viuam.* Scriptura ſacra aliquando cibus,aliquando potus dicitur,& aqua. cibus in difficilioribus locis, aqua verò in clarioribus.tom 1.pag 2. num.2.3.& 4.

9 *Domine, neque in quo haurias habes.* Aquæ bonorum temporalium cum magna difficultate hauriuntur, aquæ verò cæleſtis gratiæ cum gaudio immenſo, iuxta illud:Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. cap.12. nu.7.8.& 9.

10 *Et puteus altus eſt,&c.* Hæc eſt differentia inter puteum,& fontem,quod ex puteo multo labore educitur aqua, ex fonte non ita. Deus ergo aliquibus fons eſt,aliquibus puteus.cap.12 nu.8. Vide nu.9.de diuerſis fontibus Saluatoris.

11 *Non ſitiet in æternum.* Non ait, non ſitiet, ſed,non ſitiet in æternum, quoniam bona ſpiritualia maiorem ſui in hac vita excitant deſiderium. Vnde Iſai. cum dixiſſet: Omnes ſitientes venite ad aquas, ſubdit. Emite,& comedite. Per comeſtionem quippe ſitis accenditur.cap.55.nu.3.*

12 *Aqua, quam ego dabo.* Spiritus ſancti gratia per aquam deſignatur, quoniam concupiſcentias mitigat carnales.cap.43.nu.2.

13 *Fiet in eo fons aquæ.* Bona ſpiritualia nõ deficiunt, ſed tamquam ex fonte perenni ſemper manant, temporalia verò vt guſtantur,deficiunt, & ſitim excitant. Ideò Canticorum, 1. ſpiritualia bona lacti, temporalia vino comparantur. ait enim: quia meliora ſunt vbera tua vino. Hinc & Iſaias:Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. cap.12.nu.7.8.

14 *Fiet in eo fons aquæ ſalientis.* Aqua cæleſtis gratiæ de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum; & ideo vſque ad cæleſtem patriam cor hominis facit aſcendere. cap.2.nu 8. Iacob. 2.

15 *Salientis in vitam æternam.* Quoniam qui ſemel guſtauerint aquas cæleſtis gratiæ, nõ ſolum de ſua ſalute ſunt ſoliciti, ſed etiam alios ſaluare cupiunt cap.12.num.9.

16 *Fiet in eo fons* Qui dicitur à fundendo,& loquitur de fonte aquæ ſpiritualis, de qua Iſai. ait: Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ,&c. cap. 35.num.10.

17 *Domine da mihi hanc aquam.* De oratione,atque eius efficacia,vide feria 6.poſt Cineres,in illud. Tu autem cum oraueris, & in tabula communi,verbo oratio.

18 *Non habeo virum.* Illi ergo competit, quod ait Iſai. Quia vt mulierem derelictam, & mœrentem ſpiritu vocaui te.cap.54.nu.7.

19 *Bene dixiſti, Quia non habeo virũ.* Confeſſarij debent cum pœnitentibus ſe prudenter gerere.cap.39.nu.5.

20 *Quia Hieroſolymis oportet adorare.* In lege antiqua vnus locus præſcriptus erat orationi; non autem in lege gratiæ.cap.37.nu.8.

21 *Ego aliam cibum habeo.* Cibus prædicatorum eſſe debet,conuerſio peccatorum. In prologo ad lectorem.paulo poſt principium.to.1.

22 *Meus cibus eſt,vt faciam,&c.* Vnde Iſai. ait. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur,ſcilicet conuerſione fidelium cap. 53.nu.18. Vide etiam circa hoc.cap.40. nu.22.

23 *Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis.* Tempus legis antiquæ fuit tempus arandi; tempus autem gratiæ eſt tempus metendi. Vnde Iſai Numquid tota die arabit arans, &c. cap.28 nu.36.37

24 *Rogauerunt eum,vt ibi maneret.* Vide feria 5. Dominicæ 3. Quadrag nu.5.

25 *Ipſi enim audiuimus & ſcimus.* Prius dixit audiuimus,& poſtea ſcimus, quoniam per auditum ad viſionem peruenitur, iuxta illud. Pſal.44 Audi filia,& vide,& Pſal.47.Sicut audiuimus,ſic vidimus,&. cap.7.nu.13. *

## SABBATO POST III. Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium.* *Ioan.* 8.

PERREXIT *Ieſus in montem Oliueti, & diluculo venit in templum.* Diluculo tem- 1

tempus eſt aptiſſimũ orationi. Orationes enim matutinæ ſunt Deo gratiſſimæ. cap. 33. num. 3. cap. 50. num. 8. Vnde Iſai. acriter reprehendit eos, qui mane conſurgunt, non ad ſpiritualia exercitia, ſed ad ebrietatem ſectandam. cap 5. nu. 15. 16. cap. 21. nu. 11.

2 *Et ſedens docebat eos.* Vide in die omniũ Sanctorum, in illa verba, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, &c.

3 *Mulierem deprehenſam in adulterio.* Mulier fidelitatem debet marito ſuo ſeruare, & illi in omnibus obedire; non enim domina eſt, ſed ſocia, vnde Iſaias ruinam Iudæorum deplorans inquit, & mulieres dominatæ ſunt eis. cap. 3. num. 22. *

4 *In lege autem Moyſes mãdauit nobis.* Lege Moyſi ſuam volebant malitiam operire. Zelabãt legalia, & odio pleni erant intus, & inuidia, vnde Iſaias: Quo mihi multitudine victimarum veſtrarũ, &c. vſque. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. cap. 1. à nu. 35. vſque ad 43. Vnde & ſtatim ſubdit. lauamini mundi eſtote, &c. vſque, & venite & arguite me. ibidem à nu. 44. vſque ad 53. Phariſæi ergo non loti, ſed pleni iniquitate arguere venerant adulteram.

5 *Qui ſine peccato eſt veſtrum.* Phariſæi pleni cum eſſent iniquitate, arguere venerant adulteram, quibus tamen per Iſaiam dicitur. Lauamini, mundi eſtote, &c. vſque & venite, & arguite me, dicit Dominus. cap. 1. à num. 44. vſque ad 54. * Idem nunc Phariſæis reſpondet Chriſtus. Qui ſine peccato eſt veſtrum, &c. quaſi dicat. Lauamini prius à peccatis veſtris, & tunc venite, & arguite adulteram, & lapidate illam. Vide feria 4. poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ. in illa verba. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? & ſuper illud, quare & vos tranſgredimini præceptum Dei.

6 *Neque ego te condemnabo.* Oſtendit ſe Iudicem vniuerſalem omnium, de quo vide Dominica prima Aduentus, & fer. 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, & Dominica 24. poſt Pentecoſten.

## DOMINICA QVARTA Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan. 6.*

ABIIT *Ieſus trans mare.* Vide in feſto ſancti Andreæ. nu. 1.

2 *Et ſequebatur eum multitudo magna.* Chriſtus Dux eſt, & præceptor noſter, de quo Iſai. ait: Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis, &c Poſt tergum inquit, quia multitudo magna plebis ſequitur Dominum. cap. 30. à nu. 35. vſque ad 37.

3 *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Magnam Deus ſuorum prouidentiam habet, quibus in tempore opportuno alimenta ſubminiſtrat. cap. 9. nu. 60.

4 *Vnde ememus panes.* Magnam vniuerſis facturus eleemoſynam, inquirit, vnde panes poſſint emi: quoniam eleemoſyna non ex alienis bonis, ſed ex proprijs eſt facienda.

5 *Vnde ememus panes, vt manducent, &c.* Docet hic locus, quam ſoliciti debent eſſe homines, vt pauperes reficiant. vnde Iſaias. Frange eſurienti panem hunc, &c. cap 58. nu. 7. *Vbi late oſtenditur eleemoſynam non eſſe ex alieno faciendam.

6 *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt.* Quia bona terrena non vera, ſed ficta ſunt bona, quæ ſubinde animã ſatiare non poſſunt. cap. 1 nu 5. 57.

7 *Facite homines diſcumbere.* In hoc ſignificatur magna quies, quam electi habebunt in patria, iuxta illud Iſai. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis. cap 32. nu. 17.

8 *Accepit Ieſus panes, &c.* vſque *ſimiliter, & ex piſcibus quantum volebant.* Pane & piſcibus ſuos ſectatores Chriſtus Dominus ſuſtentat in via, nec potum illis dediſſe fertur, vt deſignet, magis ac magis beneficijs acceptis ſitim electorum excitari Sicut dicit Pſalmiſta: Sitiuit anima mea ad Deum fontem, &c. In patria vero ſitis extinguetur: nam, ſicut ait Iſai. bibent gaudium, bibent lætitiam. cap. 25. nu. 16 *Pſalm.*

9 *Accepit panes.* Scriptura ſacra, & præſertim Euangelium panis eſt, de quo Iſaias ait: Et dabit vobis Dominus panem arctum. cap. 30 nu. 29. Panis eſt Scriptura in locis difficilioribus cap 30. nu. 29. Ideo eum frangit Chriſtus, iuxta illud: Frange eſurienti panem tuum. to. 1. pag. 3. nu. 4. Vide fer. 2. Paſchæ in illa verba, Et interpretabatur in omnibus ſcripturis, &c.

10 *Accepit Ieſus panes.* Auertamus parũper oculos à pane materiali, quem Chriſtus Dominus diſcumbentibus diſtribuit, & panem illum ſuperſubſtantialẽ expendamus, in quo ſeipſum tribuit ſuis in cibum. Vide in feſto Corporis Chriſti.

11 *Similiter & ex piſcibus quantum volebant. Vt autem impleti ſunt.* Omnia temporalia ſunt panes mendaces, quia non ſatiant hominis appetitum: Vera bona ſunt ſpiritualia, quæ animam implent, & ſatiant. Hinc eſt illud. Cant. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera eius vino, &c. cap. 1. num. 61. cap. 12. nu. 7. * cap. 29. nu. 14. 15. *





12 *Qui venturus eſt in mundum.* Ex ſignis Chriſti collegerunt illum eſſe Prophetam magnum. de quo Moyſes dixerat. Prophetam ex fratribus veſtris ſuſcitabit Dominus, &c. Sicut ipſe Saluator Ioanni inquirenti: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Reſpondi. Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, &c. Vide Dominica 2. Aduentus.

## FERIA SECVNDA POST Dominicam IV. Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan. 2.*

PROPE *erat Paſcha Iudæorum, & deſcendit Ieſus Hieroſolymam.* Vide Dominica in Sexageſima, in illa verba: Ecce aſcendimus Hieroſolymam.

2 *Et inuenit in templo vendentes oues, &c. vſque, & nolite facere domum Patris mei domũ negotiationis.* Vide fer. 3. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ. vbi omnia hæc verba expendũtur.

3 *Zelus domus tuæ comedit me.* Zelus amorem ſingularem deſignat. cap. 63 nu. 16. Hũc habent electi, qui gloriam Dei quærunt: nam eorum cibus eſt honor diuinus, & animarum cõuerſio. cap. 28 nu. 35. cap 32. nu. 6. *

4 *Cum ergo ſurrexit a mortuis, recordati ſunt.* Poſt Chriſti mortem, & reſurrectionem intellexerunt Scripturas: nam per illam apertæ ſunt, cum antea eſſent clauſæ: quia poſtquã implentur Scripturæ, intelliguntur facilius, ca. 34. n. 3. 2. quod illis verbis deſignatur. Prophetæ: Extendens cælum (idest Scripturas) ſicut pellem, &c. cap. 3 nu. 11. cap 8. nu. 5. *

5 *Multi crediderunt videntes eius ſigna.* Eiſdem miraculis quidam emolliuntur, quidam duriores fiunt. cap. 33. nu. 11. & ex eiſdem principijs electi, & reprobi contrarias inferunt concluſiones. cap. 22 nu. 9. 10. 11. de quo vide feria 6 poſt Dominicam in paſſione. nu. 2.

6 *Eo quod ipſe noſſet omnes.* & infra, *ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* Chriſtus inquantum Deus omnia cognoſcit, quæ ſunt in aliqua differentia temporis cognoſcit ſcientia ſcientia viſionis, poſſibilia autem, quæ numquam erunt cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. cap 41. num. 26. Et inquantum homo etiam habet ſcientiæ plenitudinem, qua intimas penetrat cogitationes cordium. cap. 28. nu. 7. cap. 41. nu. 19. cap. 52. nu. 17. Vnde potius cogitationibus reſpondebat, quã verbis. cap. 32. nu. 6.

## FERIA TERTIA POST Dominicam IV. Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan. 7.*

IAM *die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum.* Feſtiuitates Sanctorum colẽdæ ſunt bonis operibus. cap. 49. nu. 23. Peccatores autem feſtiuitates expectant, vt in illis epulentur, & luxurientur, propter quod Dominus per Malachiam ait: Diſpergam ſuper vultum veſtrũ ſtercus ſolemnitatum veſtrarum. cap. 1. nu. 41. cap. 16. nu 11. & per Iſai ait: Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, &c. cap. 1 nu 41 42. & aſſignans rationem. ſubdit, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, ibidem num. 43.

2 *Aſcendit in templum, & docebat.* Sæpius Chriſtus Dominus aſcendit in templum, vt oraret, & doceret turbas: in quo inſinuare voluit, templum his exercitijs dedicatum eſſe; orationes enim in templo ſunt Deo gratiſſimæ. cap. 37. nu. 8 cap 56. nu 7. Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit, &c. cap 50. nu. 6.

3 *Mea doctrina non eſt mea.* Vnde per Iſai. ait: Dominus dedit mihi linguam eruditam &c. cap. 50. nu. 6. 7. * cap. 59. nu. 21. Quia Dei filius non à ſeipſo, ſed à Patre, ideo à Patre ſe doctrinam ſuam accepiſſe fatetur, à quo æternaliter genitus eſt. Ex quibus collige primo, omne bonum eſſe Deo tribuendum, nec habere aliquid liberum arbitrium à ſeipſo, quod non acceperit à Deo. Si enim Dei filius, quia non eſt à ſe, ſed a Patre, ait: doctrina mea non eſt mea, & Filius nõ poteſt à ſe facere quidquã, quomodo liberũ arbitriũ creatũ ſibi arrogare audet, quod à Deo accepit. cap. 33. nu. 2. * Collige ſecundo nouas doctrinas reijciendas eſſe, & antiquã ſequendã, de quo agitur latiſſime c 32. nu. 20. 21. *

4 *Dæmonium habes.* Iſaias ait: Blaſphemauerunt ſanctum Iſrael. cap. 1 nu. 20. 21. 22. Hæc autem fuit blaſphemia eorum, Dæmoniũ habes, &c. Vide Dominica in paſſione, vbi hæc eadem verba expenduntur.

5 *Mihi cur indignamini, quia totum hominem ſaluum feci.* Iudæi oblatrabant contra Chriſtum, ſicut canes rabidi, qui in proprium Dominum inſiliunt, vnde per Pſalmiſt ait: Circumdederunt me canes multi, &c. cap. 43. nu. 7. Vide cap 36 nu 43 cap 56. nu. 11

6 *Rectum iudicium iudicate.* Iſai. ait: Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, &c. cap. 1 num 51.

7 *Numquid vere cognouerunt Principes, quia hic eſt Chriſtus?* Malitioſe Iudæi contra Chriſtum inſurrexerunt. cap. 59. num. 14 Nam

cognoſcentes Chriſtum, illum blaſphemauerunt, vnde & ſubdit. Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis.

8 *A me ipſo non veni.* & infra, *ipſe me miſit*. Quod ideo dixit quia non eſt a ſe, ſed a Patre: mitti enim in diuinis eſt perſonæ procedentis ab alia. Chriſtus mittitur a Patre, quia eſt à Patre. Spiritus ſanctus mittitur a Patre, & Filio, quoniam ab vtroq; procedit, cap. 48. num. 10. *

9 *Nondum venerat hora eius.* Horam eius appellat horam mortis eius, propter rationes quæ adducentur feria 5. in cœna Domini in illa verba. Quia venit hora eius.

## FERIA QVARTA POST IIII. Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan. 9.*

1 PRÆTERIENS *Ieſus vidit hominem &c.* Chriſtus Dominus eſt, de quo Petrus Apoſtolus ait, hic eſt qui pertranſiuit benefaciendo, & ſanando, &c. cap. 41. n. 4.

2 *Vidit hominem cæcum.* Quam efficax ſit, & quanta bona cæco attulerit viſio Chriſti, cōſtat ex his quæ notabuntur in die Paraſceues in illa verba. Reſpexit Dominus Petrum. Et in Feſto S. Matthæi. nu. 1.

3 *Vidit hominem cæcum*. Cæcus iſte genus humanum deſignat, vel populum Iudæorum, de cuius cæcitate multa dicuntur animaduerſione digna, cap. 6. à num. 34. vſq; ad 50. Vbi explicatur, qualiter Deus peccatores dicatur excæcare.

4 *Cæcum a natiuitate*. Sunt alij cæci, ſed non a natiuitate, illi videlicet qui deſerentes lucem, tenebras dilexerunt, tales fuerunt Iudæi, qui per Iſai. dicunt. Palpauimus ſicut cæci parietem, &c. cap. 59. n. 11. 12. *

5 *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, &c.* Tribulationes, & infirmitates corporis miſericorditer immittuntur a Deo, ob præcedentia peccata, cap. 1. n. 31. cap, 26. num. 18. Aliquando vero non propter præcedentia delicta, ſed ad exercitium virtutis, & incrementum meriti, vt in ſuis glorificetur Dominus, cap. 29. n. 11.

6 *Quamdiu ſum in mundo, lux ſū mundi.* Chriſtus eſt lāpas, a qua omnes Iuſti lumē participant. ait enim Iſai. & Saluator eius, vt lampas accendatur. cap. 2. num 3. Vide in Feſto ſancti Dominici, in illa verba, nec accendunt lucernam.

7 *Fecit lutum ex ſputo.* Hoc lutum myſterium incarnationis obumbrat, in quo ſaliua, hoc eſt diuina ſapientia, quę ex ore Altiſſimi prodiuit vnita eſt luto humanitatis noſtræ, cap. 30. num. 44. Vide in Euangelio 3. Natalis Domini, in illa Verba, & verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.

8 *Et liniuit lutum ſuper oculos*. Remedijs contrarijs ſanat Deus infirmitates noſtras, vt magis ſplendeat omnipotentia eius: Sic curauit vulnus Ezechiæ maſſa ficus, vt oſtenditur cap. 38. n. 26.

9 *Vade, & lauare in natatoria ſiloe*. Lauacrum illud typum gerebat pœnitentiæ, quæ ſuauiſſima medicina eſt. Vnde cum Iſai. dixiſſet. Vulnus & liuor, & plaga tumens, ſubdit, Lauamini mundi eſtote. Non inquit curamini, ſed lauamini, ac ſi diceret, non opus eſt ferro, non igne vrente, ſed lauacro animam recreante, cap. 1. à num. 44. vſq; ad 54. *

10 *Vbi eſt ille*. Præ odio & inuidia Chriſtum Ieſum nominare noluerunt, nam grauis erat illis etiā ad vidēdū c. 59. n. 14 c 30. n. 10.

11 *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit*. Latrant contra Chriſtum innocentem Iudæi perfidi tanquam canes rabidi, cap. 3. n. 14. Vide Dominica 3. Quadrageſimæ, in illud. In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit demonia.

12 *Qui Sabbatum non cuſtodit*. Arbitrabantur Iudæi veram obſeruationem Sabbati in ceſſatione dumtaxat ab externis operibus conſiſtere: Iſaias autem Sabbatum delicatum illud vocat, in quo a peccatis homo abſtinet, & cultu interno Deum collit, ait enim. Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatē tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, &c. cap. 58. num. 13. 14. Vide cap. 56. num. 15. in illa verba. Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbata mea, &c.

13 *Hunc exaudit*. Quam efficax ſit iuſtorum oratio, vide Dominica 4. poſt Paſcha, & in tabula communi, verbo Oratio.

14 *Et procidens adorauit eum*. In diſcurſu huius Euangelij oſtendit Chriſtus ſe verum Deum eſſe ac propterea ab omnibus adorandum, cap. 9. n. 63.

## FERIA QVINTA POST IIII. Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Lucæ. 7.*

### *Ibat Ieſus inciuitatem, &c.*

1 PRO introductione Euangelij, ad explicandam fragilitatem vitæ humanæ, eſt inſignis locus Iſai. videlicet. Omnis caro fœnum, &c. cap. 40. nu. 15. 16. 17.

2 *Pro alia introductione eſt locus Iſai.* 28. Dum adhuc ordirer, ſuccidit me, ex quo habetur, magna Dei prouidentia fieri, quod quidam ſtatim nati, quidam in iuuentute, quidam in ſenectute moriantur, ſicut Silabæ in cantu, quædam magis durant, quædam minus. cap. 38. nu. 14. * Vide ibi nu. 11. 12. & 13.

3 *Et ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ*. Vana ſpes, quæ in præſidio temporali fundatur. Vnicum refugium erat matri filius ille, quo mortuo, nullum illi remanſit ſolatium. Non ergo in homine, ſed in Deo ſperandum eſt. Vnde Iſai. ait: non adijciet reſiduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Iacob inniti ſuper eo, qui percutit eos, ſed innitetur ſuper Dominum, &c. cap. 10. nu. 18. Et iterum ait: Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, &c. cap. 36. num. 5. Vide etiam cap. 22. num. 25. in illa verba, auferetur paxillus, & id quod pependerat in eo.

4 *Hæc vidua erat*. Hæc ſpem ſuam conſtituerat in filio ſuo, quem tamen Dominus de medio ſuſtulit, vt in Deo ſolum ſpem reponeret. Vnde Hierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, &c cap. 20. nu. 5. & Iſai. Vt omnem ſpem noſtram ab humanis præſidijs auertat, ait: Aegyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non ſpiritus. cap. 31. nu. 3.

5 *Quam cum vidiſſet Dominus, &c.* Magnam viduarum habet Deus curam, vnde per Iſaiam ait. Defendite viduam. cap. 1. nu. 51. *

6 *Adoleſcens tibi dico, ſurge*. Vide fer. 6. poſt 4. Dominicam Quadrageſimæ in illa verba: Lazare veni foras.

## FERIA SEXTA POST IV Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan. 11.*

1 ERAT *quidam languens*. Languidus Lazarus peccatorem deſignat, peccatum enim animam debilitat, & corrodit ſicut tinea veſtem. cap. 50. nu. 12 cap. 30 nu. 47. Quam graue ſit peccatum. Vide cap. 40. n. 4. cap. 43. nu. 1.

2 *Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento*. Vide in feſto Magdalenæ.

3 *Miſerunt ſorores eius*. Maria & Martha vitam contemplatiuam deſignant & actiuam. Vide in feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ in illa verba, Et huic erat ſoror nomine Maria.

4 *Ecce quem amas, infirmatur.* In his verbis orandi modus, & forma, & affectus exprimitur, debet enim iuſtus ſuas calamitates & miſerias verbis humilibus Deo proponere confidenter, & remedium ab eo expectare, ſicut fecit Ezechias, qui vt Iſai. refert, tullit libros de manu nunciorum, & legit eos, & expandit eos Ezechias coram Domino. cap. 37. nu. 4. 8. 9. Vice cap. 1. nu. 42. cap. 19. nu. 22. vbi explicatur, quanta ſit humilis orationis efficacia.

4 *Ecce quem amas infirmatur*. Homo in oratione non ſua merita, ſed plagas proprias debet proponere, & Dei miſericordiam implorare, ſicut pauper eleemoſynam petens. Vnde Pſalmiſta Iſte. Pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, pauper enim non pretioſas veſtes oſtendit, ſed ſeminuda membra, aut vlcera. c. 30. n 26. Vide Dominica 10. poſt Pentecoſten in illa verba. Quia non ſum ſicut ceteri hominum.

5 *Infirmitas hæc non eſt ad mortem*. Vide fer. 4 præcedenti nu. 5.

6 *Vt ergo audiuit, quia infirmabatur.* Audiuit Dominus duarum ſororum orationem, quibus quod petebant concedere ſtatuerat, & tamen tunc manſit in eodem loco duobus diebus, & differt dare vitam mortuo, propter rationes quæ aſſignantur. cap. 30. nu. 25. 27.

7 *Diligebat Ieſus Martham, & ſororem eius*. Vita actiua & contemplatiua in his duabus ſororibus deſignatur. Vtrāque vitam ſimul diligit Deus, de qua vide in Aſſumptione Beatæ Mariæ.

8 *Lazarus amicus noſter dormit*. Beatus ille qui moritur in Dei amicitia. Apoc. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Vide in fine huius Elenchi in ſerm. Defunctorum.

9 *Et inuenit eum iam quatuor dies in monumento habentem*. Vide infr. num. 12.

10 *Reſurget frater tuus*. Spes reſurrectionis maxime conſolatur iuſtos, vnde Iob. Scio quod Redemptor meus viuit, &c. vſque repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. cap. 4. nu. 5.

11 *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Vide in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli.

12 *Domine iam foetet quatriduanus eſt enim*. Lazarus fœtens peccatorem deſignat longa conſuetudine deprauatum, de qua vide cap. 1. nu. 16. 23. 31. & cap. 5. nu. 22. 23. 24. & 25. cap. 6. nu. 12. Tales peccatores excæcat Deus, vt explicatur. cap. 6. à nu. 45. vſque ad 50.

13 *Ieſus autem eleuatis oculis*. Oratio præmittēda eſt omnibus operibus, præcipue arduis. Cuius modum hoc loco præſcribit Chriſtus, de quo vide fer. 2. Rogationum.

14 *Lazare veni foras*. Vide cap. 22. nu. 23.

15 *Soluite eum, & ſinite abire*. Prius Deus per gratiam ſuam peccatorem viuificat, ſed poſt-

poſtmodum traditur ſoluendus diſcipulis: quo, vt notauit Greg. deſignatur, illos nos per paſtoralem auctoritatem debere abſoluere. quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam viuificaſſe. cap.22.nu.28.

## SABBATO POST IV. Dominicam Quadrageſimæ.

### *Euangelium. Ioan.* 8.

1 EGO *ſum lux mundi*. Chriſtus lux mundi eſt per eſſentiam, Apoſtoli autem, & omnes Iuſti ſunt lux per participationem: de quo vide in feſto ſancti Dominici, in illa verba, vos eſtis lux mundi, & ſuper illud, neque accendunt lucernam.

2 *Teſtimonium tuum non eſt verum*. Vide Dominica in Paſſione, in illa verba: & dæmonium habes.

3 *Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt*. Dicit enim Iſaias, Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. cap. 11. nu. 7. 8. & 9. Vide quæ circa iudicium vniuerſale notantur Dominica prima Aduentus, feria ſecunda poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, & Dominica 24. poſt Pentecoſten.

4 *Teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater*. Vide in octaua Epiphaniæ nu.7. & Dominica ſecunda Quadrageſimæ, in illa verba. Hic eſt Filius meus dilectus.

5 *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*. Oſtendit ſe verum Deum eſſe. c. 45. nu.14.cap.35.nu.7.cap.42 nu.9.cap.44.num.5. cap.40.nu.24.cap.54.nu.6. Et myſterium Trinitatis declarat: de quo vide in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.

6 *Quia nondum venerat hora eius*. Mors dicitur hora Chriſti, quoniam in illa charitatem ſuam erga homines oſtendit. de quo vide in feria 5. in Cœna Domini, in illa verba. in finem dilexit eos, & Dominica in Quinquageſima. nu.22.

## DOMINICA IN PASSIONE.

### *Euangelium. Ioann. 8.*

1 PRO *Introductione nota*. Eccleſiam, his diebus ſacris, recolere paſſionis Chriſti myſteria, & detegere ſanguinem effuſum illius, vt pro nobis clamans miſericordiam obtineat. Vox ſanguinis Abel clamabat de terra, ſed petebat vindictam contra fratrem ſuum. Vox ſanguinis Chriſti clamat, ſed petit veniam. Vnde Iob 16. dicitur. Terra ne operias ſanguinem meum, neque inueniat locum latendi clamor meus. cap.19.nu.22.

2 *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Intendit oſtendere, ſe ex charitate pro alienis peccatis mori, & non propria culpa, quod ſæpius Scriptura clamat. Pſal.68. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, ideſt culpa, quæ eſt proprium ſubiectum pœnæ. Pſal. 62. quæ non rapui tunc exoluebam. Iob 34 Violenta ſagitta mea abſque vllo peccato, quaſi violenter quippe ſagitta percutit innocentem. cap. 10.nu.19.& cap.2.nu 14.

3 *Quis ex vobis arguet me.* Similem quæſtionem proponit per Iſai. Quis eſt qui condēnet me, &c. Oſtendit ſe paſſurum mortem pro alienis peccatis, non pro ſibi proprijs, quod multis locis Scripturæ oſtenditur. cap 50 n.11.

4 *Quis ex vobis arguet me, &c.* Chriſtus peccare non poterat, qui ſpiritum permanentem habuit. cap.11.nu.3.& 4.

5 *Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi*. Veritas multos habet impugnatores. Vnde Iſaias. Corruit, inquit, in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta eſt veritas in obliuionem, &c. cap. 59. nu. 15.16. Vide cap.1.nu.62 & cap.8. nu.30. in illa verba Pſal. 54. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, &c. propterea Iudæi oderant Chriſtum, quia veritatem prædicabat illis. Veritas enim odium parit, vnde Hierem.26. Iudicium mortis eſt viro huic, quia prophetauit contra ciuitatem iſtam. cap. 48. num. 2.

6 *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*. Vide Dominica in Sexageſima, à num. 12. vſque ad 17. in illa verba: qui habet aures audiendi, audiat.

7 *Quia Samaritanus es tu*. Vere Chriſtus Samaritanus eſt, quod interpretatur cuſtos. cap.21. num.12.13. * Samaritanus eſt, qui tranſiens per viam, vulnera eius curauit, qui incidit in latrones. cap.30.nu.47. cap.61. n.1.

8 *Et dæmonium habes*. Ex ira & inuidia latrabant Iudæi contra Chriſtum, vt canes. cap 3.num.14.

9 *Ego dæmonium non habeo*. Non clamat Chriſtus, neque iraſcitur, ſed pacifice reſpondet, vt adimpleret illud Iſai. non clamabit, nec audietur vox eius foris: calamum quaſſatum nō conteret, & linum fumigans non extinguet. cap.42.nu.3.4.5.& 6.

10 *Ego dæmonium non habeo*. Non negat ſe eſſe Samaritanum, quod interpretatur cuſtos,





ſtos, nam ipſe eſt vere cuſtos animæ noſtræ, de
Pſal. 121. quo ait Pſalmiſt. Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, &c. & Iſai. Cuſtos quid de nocte? dixit cuſtos; venit mane, & nox: ſi quæritis, quærite: conuertimini, & venite. Hæc enim omnia prædicauit nobis Chriſtus. cap.21. num.12.13.

11 *Si quis ſermonem meum ſeruauerit*. Vide Dominica in Sexageſima, in illa verba: ſemen eſt verbum Dei.

12 *Abraham mortuus eſt, &c.* Vide in ſermone de defunctis, in fine Elenchi.

13 *Exultauit, vt videret diem meum*, ideſt Euangelium, vt explicat Chryſoſtomus. cap.9. nu.6.cap.30.nu.16.cap.38.nu.16.

14 *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Oſtendit ſe eſſe Deum, & coeternum Patri. c. 9.nu 62. Vide in octaua Epiphaniæ nu.5.

15 *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum*. In quo neſcientes obumbrabant, Chriſtū finem eſſe, & terminum legis, quæ ſcripta fuit in tabulis lapideis, quod etiam, vt notauit Auguſtinus, ſignificant verba illa Lucæ 22. ipſe autem auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis. cap.40.nu.7.

16 *Et abſcondit ſe ab eis*. Sicut prædixerat Iſaias. Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à Iacob. cap.8.nu.28.

17. *Et exiuit de templo*, ſe a Iudæis elongans, iuxta illud Iſai. Propter hoc elongatum eſt iudicium a nobis, &c. cap.59.nu.10.15.

## FERIA SECVNDA POST Dominicam in Paſsione.

### *Euangelium. Ioan. 7.*

1 MISERVNT. *Principes, & Phariſæi miniſtres.* Quam graui odio, & inuidia accenſi fuerint Phariſæi cōtra Xp̄m, explicat Scriptura, cū eos appellat canes. de quo vide c.3.n.14.

2 *Vado ad eum, qui miſit me*. Vide Dominica 4. poſt Paſcha.

3 *Numquid in diſperſione gentiū iturus eſt?* Iam timebant Iudæi Apoſtolos, & miniſtros Domini relicturos eſſe Iudæā, & docturos gentes, quod in Scripturis ſacris fuerat pronunciatū, vt poteris videre in Epiphania Domini.

4 *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Solus Chriſtus, & ſpiritualia bona poſſunt ſatiare hominis appetitum, vt oſtēditur feria 6. poſt 3. Dominicam Quadrageſimæ, in illa verba, omnis qui bibit ex aqua hac, &c.

*Flumina de ventre eius*. Prius bibit ſitiens, dum venit ad Chriſtum: poſtmodum de ventre eius fluunt aquæ viuæ cæleſtis doctrinæ. Vnde Iſai. poſtquam dixit, haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, ſubdit. Et dicetis in illa die, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. cap.12.nu.8.9.*

## FERIA TERTIA POST Dominicam in Paſsione.

### *Euangelium. Ioan. 7. Ambulabat Ieſus in Galilæam.*

1 TEMPVS *meum nondum aduenit*. Tempus ſuum appellat horam paſſionis, quia in illa ſuam oſtendit miſericordiam, patientiā, ſapientiam, &c. vt oſtenditur Dominica in Quinquageſima, in illa verba: & conſummabuntur omnia.

2 *Me autem odit, quia ego teſtimoniū perhibeo de illo*. Vide Dominica in Paſſione. n.5.

3 *Ego autem non aſcendam*. Celebrare dies feſtos, ſanctum eſt, ſi tamen cultu interiori celebrentur, alias nihil proſunt, ſed potius confuſionem pariunt. Vnde Iſai. hæc ait de Moabitis. Ingredietur ad ſancta ſua, vt obſecret, & non valebit. Et Malach. 2. Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum. cap.16.nu 11. Vide cap. 1. nu 42.43.

4 *Vbi eſt ille?* Præ odio, & inuidia nolunt proprio nomine Chriſtū nominare, quia grauis erat eis etiam ad videndum. Vide feria 4. poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ, vbi hæc eadem verba expenduntur.

## FERIA QVARTA POST Dominicam in Paſſione.

### *Euangelium Ioan. 10.*

1 FACTA *ſunt encænia in Hieroſolymis, & hiems erat*. Notat tempus feſtiuitatis, vt ſignificet, nullo calore ſpiritus dies feſtos celebrari à Iudæis Ideo non erant accepti apud Deum. de quo vide fer. 3 præcedenti, nu. 3.

2 *Circumdederunt ergo eū Iudæi*. Pſal. 21. Circumdederunt me canes multi. Vt canes contra Chriſtum pauperem latrabant Iudæi. cap.3.nu.14. Circumdederunt eum ſicut apes, vt fauum mellis edificarent. cap.7.num.33.

3 *Opera quæ ego facio, &c.* Vide in feſto ſancti Dominici, in illa verba, qui fecerit, & docuerit, &c.

4 *Oues meæ vocem meam audiunt*. Oues Chriſti, ſunt prædeſtinati. Prædeſtinatio autem

ſors dicitur, quia ſine præcedentibus meritis fit. cap.24.n.13. Audiunt oues Chriſti vocem paſtoris ſui, iuxta illud Iſaiæ. Et aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis,&c. cap. 30. nu. 35. 36. Vide Dominica 2. poſt octauas Paſchæ.

5 *Et ego agnoſco eas.* Electos ſuos agnoſcit Chriſtus, vnde Iſaias ait. Et omnes ex nomine vocat. cap.40 nu 34.36.

6 *Et ſequuntur me.* Vide Dominica 2. poſt Paſcha.

7 *Et non peribunt in æternum.* Eſt enim prædeſtinatio certa certitudine mediorum, vt oſtenditur. cap.54.nu. 10.

8 *Pater meus quod dedit mihi.* Oſtendit ſe filium Dei eſſe, & myſterium Trinitatis declarat. de quo vide in feſto Trinitatis.

9 *Vt lapidarent eum.* Vide Dominica in Paſſione num.15.

10 *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum.* Mitti eſt perſonæ præcedentis, Chriſtus ergo quia eſt a Patre, miſſus a Patre dicitur. cap.40.num.10.

11 *Operibus credite.* Opera bona maiorem ad perſuadendum efficaciam habent, quàm verba. de quo vide in feſto ſancti Dominici, ſuper illud: qui fecerit, & docuerit, &c.

## FERIA QVINTA POST Dominicam in Paſſione.

### *Euangelium. Lucæ 7.*

ROGABAT *Ieſum quidam Phariſæus.* Hoc Euangelium explicatur in feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

## FERIA SEXTA POST Dominicam in Paſsione.

### *Euangelium. Ioan. 11.*

1 COLLEGERVNT *Pontifices.* Contra ſe potius, quam contra Chriſtum collegerunt concilium. cap.3.nu.17. Illi conſiliabantur, vt Chriſtum perderet, ſed Chriſti conſilium erat eos redimere, ſicut Pſal. 118. canit Propheta. Etenim ſederunt Principes, &c. eodem cap. & num. Vnde ſcriptum eſt. Congregamini populi, & vincimini; Vicit enim Chriſtus populum Iudæorum, ſicut olim Iacob angelum ſuperauit. cap.8.num.17.18.*

2 *Collegerunt concilium.* Nihil abſque conſilio faciendum, ſed oportet optimos eſſe conſiliatores, alias conſilium multa mala pariet. cap.1.num.66. Vbi explicantur conditiones optimi conſiliatoris, Vide cap.32. num.8. qualiter conſilium bonum etiam a barbaris datum ſit excipiendum.*

3 *Collegerunt ergo.* Ex eiſdem principijs contrarias inferunt concluſiones peccatores, & iuſti: ſicut ex hoc principio, breue eſt tempus vitæ noſtræ, intulerunt reprobi hanc concluſionem. Sap. 2. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt. Paulus autem infert contrariam ad Galatas 4 Cras moriemur, ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Iudæi ergo, quoniam auari erant, & inuidi, ex miraculis Chriſti intulerunt, ergo occidamus eum, hoc notauit Euangeliſta, cum dicit. Collegerunt ergo. cap.22.nu.9.10 11.*

4 *Collegerunt* contra Chriſtum concilium, vt Chriſtum perderent, ſed a Domino diſſipatum eſt, iuxta illud Iſai. vaticinium: Congregamini populi, & vincemini: inite conſilium, & diſſipabitur. cap.8.nu.17.18.

5 *Collegerunt Concilium, &c.* Non ſolum eſt vitandum peccatum, ſed neque ineundum conſilium, vt fiat. Vnde Iſai. Væ filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me. cap. 30. num. 1.

6 *Collegerunt.* De his conſiliatoribus ait Iſai. Fraudulenti vaſa peſſima ſunt; &c. cap. 32. num. 7.

7 *Collegerunt, &c.* His competit illud Pſalmiſt. Quouſque irruitis in hominem, interficitis vniuerſi vos. cap.38.nu.3.*

8 *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit.* Viſis miraculis reprobi duriores fiunt. cap. 3. nu.11.

9 *Quia hic homo multa ſigna, &c.* Pſal. 21. Scribæ & Phariſæi, vnicornibus comparantur, quia multa Chriſti beneficia, & miracula domare non potuerunt illos cap.34 nu.5.

10 *Quid facimus, &c.* Noxium fuit Iudæis hoc conſilium. de quo Iſai. conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem, oua aſpidum ruperunt, &c. cap.59 nu.4 5.6.*

11 *Quia hic homo multa ſigna facit.* Signis Chriſti contradicere Iudæi audebant, ſicut per Pſalmiſt ait. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate cap.8.num 30.

12 *Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, &c.* Ex auaritia morti tradiderunt Chriſtum, ne Regnum amitterent. Vide quæ contra auaritiam Phariſæorum notantur, cap. 1.nu.62.cap.2.nu. 18.cap.3.nu.18.

13 *Venient Romani, &c.* Timore mundano Chriſtum tradiderunt morti: & propterea ipſi morti traditi ſunt. cap.25. nu.24.





14 *Vos neſcitis quicquam.* Erant Scribæ & Phariſæi excæcati, & ſpiritu compunctionis inebriati fluctuabant, & vacillabant, Chriſtum videntes, dicit enim Iſai. Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, &c. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, &c. cap.29. à num.17. vſque ad 22. & num. 28. Vbi multa dicuntur de inuidia, & cæcitate Iudæorum.

15 *Expedit vobis, vt vnus moriatur, &c.* Iudæi conſiliati ſunt occidere Chriſtum, vt deleretur de terra memoria eius, ſed eiſdem medijs fuit exaltatus, quod explicatur exemplo Ioſeph. Nam Deus comprehendit ſapientes in aſtutia ſua. Vnde Iſai. Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint. cap 40.nu 32.

16 *Vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Sicut per Iſai. dicitur: Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael. cap. 11. num. 18. 19. vbi multa alia explicantur circa hæc loca Scripturæ. Vide cap.51.nu.22.

17 *Qui erant diſperſi, congregaret, &c.* Per peccatum diſperſi fuerunt homines ad diuerſa. Vnde Cain Geneſ. 4. poſtquam peccauit, vagus, & profugus fuit ſuper terram, & de reprobis Iudæis dicit Pſalmiſt. Pſal.58. Diſperge illos in virtute tua. ſed Chriſtus moriens, diſperſiones Iſraelis congregauit. Vnde Iſai. In die illa adijciet Dominus ſecundò manum ſuam, ad poſſidendum reſiduum populi ſui,&c. cap 11. num.18. Et ſtatim ſubditur, & leuabit ſignum in nationes, & congregauit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget. eodem cap.18. num.19.

18 *Qui erant diſperſi, &c.* A quatuor mūdi partibus gentes vocauit, iuxta illud Iſai. Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te, &c. c.43. n 6. c.49 n.18.

19 *Congregaret in vnum, &c.* Sicut per Iſai. ait. Et congregabit vos Deus Iſrael. cap 52. nu. 16. Et iterum: Ecce accola veniet &c. cap.54.n.14. cap.14.n 4 c.56 n.7.8. Vbi dicit idem Iſai. Adhuc congregabo ad eum congregatos eius, ideſt prædeſtinatos.

## SABBATO POST DOminicam in Paſsione.

### *Euangelium. Ioan. 12.*

1 COGITAVERVNT *Principes ſacerdotum, vt Lazarum interficerent.* In hoc, inuidia & odium notatur Iudæorum contra Chriſtum, atque eorum obduratio, & cæcitas, & ingratitudo. de quo vide cap.1. à n.9. vſque ad 12. & cap.29.nu.33. cap.30. nu.9.10. cap.59. Vide feria 6. præcedenti.

2 *Acceperunt ramos palmarum.* Vide Dominica in ramis palmarum.

3 *Et inuenit Ieſus aſellum.* Et paulo inferius: *ecce Rex tuus venit.* Vide Dominica in ramis à nu.7. vſque ad 14.

4 *Quando Lazarum vocauit de monumento.* Vide feria 6. poſt Dominicam Quadrageſimæ, in illa verba. Lazare veni foras.

5 *Videtis quia nihil proficimus.* Vide feria 6. præcedenti. nu 8.9.10.11. in illa verba: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?

6 *Erant autem quidam gentiles, &c.* Quando Iudæi de morte Chriſti tractabant, tūc gentiles eum videre deſiderant: nam loco Iudæorum ſunt electi. Gentium ergo fides Iudæorum incredulitatem confundit. cap. 52. nu 18. cap.55.nu.9.10.cap.29.nu.32.33.

7 *Venit Philippus, &c.* Sancti debent pro peccatoribus intercedere, & eos ad Chriſtum introducere, ſicut Apoſtoli pro gentilibus iſtis, & pro Chananea. cap 27. nu. 7. Vide feria 5. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.n.13.

8 *Vt clarificetur filius hominis.* Mortem ſuam clarificationem dixit, quoniam pro claritate, & gloria reputabat mori pro hominibus. cap.55.nu.10.16.

9 *Niſi granum frumenti, &c.* vſque *honorificabit eum Pater meus.* Vide in communi vni martyris, vbi totum hoc Euangelium explicatur.

10 *Et clarificaui & iterum, clarificabo.* Chriſtus Dominus bis fuit clarificatus a Patre, in Transfiguratione videlicet, & in Paſſione. Propter vtramque clarificationem gentes ad Chriſtum cucurrerunt, iuxta illud Iſai. Gentes quæ te non cognouerunt ad te current, propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſræl, quia glorificauit te. cap 55.nu 9.10.

11 *Nunc iudicium eſt mundi, &c.* Vſque ad verſiculum: *vt filij lucis ſitis.* Vide in exaltatione ſanctæ Crucis. Vbi totum hoc Euangelium expenditur.

12 *Abijt, & abſcondit ſe ab eis.* Vide fer. 3. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ. n.13. & Dominica in Paſſione. nu.16.17.

## DOMINICA IN RAMIS Palmarum.

### *Euangelium. Matth. 21.*

CVM *appropinquaſſet Ieſus, & veniſſet, Bethſage.* Per incarnationem nobis ap- 1

propinquauit, qui per peccatum ab eo longe receſſimus. Fecit enim in incarnatione tres mixturas, de quibus agitur. cap.30.nu.44.

2 *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt.* Illud caſtellum typum gerebat huius mundi, qui contra Chriſtum pugnat, & contra diſcipulos eius, ſicut per Pſalmiſt.ait. Quoniam vidi ini-
Pſal. 54. quitatem, & contradictionem in ciuitate, &c. cap.1.nu.62 cap.8. nu.30. Vide Dominica vndecima poſt Pentecoſten, in illa verba: videns ciuitatem, fleuit ſuper illam.

3 *Inuenietis aſinam alligatam.* De vinculis peccatorum, & peruerſa conſuetudine peccandi, vide feria 5. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, ſuper illud: qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati; & fer. 6. Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, ſuper illud: quatriduanus eſt enim.

4 *Soluite, & adducite mihi.* Aſina alligata, eſt natura humana ſuis obligata peccatis, quibus conſtringitur anima, cum verba concionatorum irridet. Vnde Iſai. Et nunc nolite illudere, ne forte conſtringantur vincula veſtra. cap. 28 num 31. vbi latiſſime explicatur cum Chryſoſtomo locus Eccli. 9. Agnoſce, quod in medio laqueorum tranſis.*

5 *Soluite, &c.* Vide feria 6. Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, in illud, ſoluite, & ſinite abire. & in feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in illud. Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c.

6 *Vt adimpleretur quod dictum eſt.* cap. 19.num 37.

7 *Ecce Rex tuus.* Iam ergo Deum noſtrum digito poſſumus oſtendere; ne quis deinceps fideli populo inſultans dicat. Vbi eſt Deus tuus? Vnde Iſai. Ecce Deus ſaluator meus, & iterum: Ecce Deus noſter iſte. cap.12.nu.5.

8 *Ecce Rex tuus venit.* Chriſtum eſſe Regem oſtenditur. cap.9.nu.66.

9 *Ecce Rex.* Prophetæ, Chriſti aduentum expectabant. Vnde Iſai. Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam a domo Iacob, & præſtolabor eum. cap 8.nu.28.

10 *Ecce Rex tuus, &c.* Quinq; debet condiciones habere Rex verus, & Princeps, quas in Chriſto Domino reperiri oſtenditur. cap. 16. nu.6.& 7. & cap.23 à nu.17.vſque ad 24.

11 *Ecce Rex.* Ob peccata populi, tyrannos Principes, & pueros regnare facit Dominus, iuxta illud Iſai: Dabo pueros Principes eorum, &c. c 3.n.7 8. Quæ autem mala ſequantur, ex eorũ gubernatione oſtenditur eodem cap. n.9. & ſeq.

12 *Sedens ſuper aſinam, &c.* In primo aduentu venit Chriſtus humilis, & blandus peccatoribus. Vnde Iſai. vt ſuauitatem, & benignitatem illius deſignaret, inquit, butyrum, & mel comedet. cap.7.nu.30.*

13 *Strauerunt veſtimenta ſua in via.* Veſtimenta Chriſti ſunt iuſti, vnde in obſequium illius ſunt conuertenda. tom.1.pag.7 nu.11.

14 *Turba aut, quæ præcedebat, & quæ ſequebatur.* Chriſtus a duobus populis portatur, Iudaico, & gentili, ſicut olim botrus a duobus exploratoribus. cap.1.nu.30.*

15 *Clamabãt Hoſanna, &c.* Pueri etiã hoc clamabãt, vt impleretur illud Iſai. iuxta Septuaginta: & expedita erit lingua Bleſorũ. c.35.n.9.

## FERIA QVINTA IN Cœna Domini.

### *Euangelium. Ioan.13.*

### *Sciens Ieſus, &c.*

PRO introductione Euangelij, nota, feriã 5. hebdomadæ paſſionis Chriſti, correſpondere feriæ 5. creationis mundi, propter ſymbolum quod habent opera, quæ in vtraque die patrauit Altiſſimus. cap.6. n.12.*

2 *Vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Chriſtus tranſiturus de hoc mundo ad Patrem, ſacerdotium inſtituit ſecundum ordinem Melchiſedech, offerẽs ſub ſpecie panis, & vini corpus ſuũ, & ſanguinem in ſacramento altaris, ſub quo nobiſcum permanet, vſque ad finem ſæculi. Iuxta illud Ezech.48 Et nomẽ ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem. cap.9.n.40 vnde ſacerdotium nouæ legis, in multis præcedit ſacerdotiũ Leuiticum, & ſacerdotium Melchiſedech, vt oſtenditur cap.42.n.29.& 31.*

3 *In finem dilexit eos* Ideo nõ miſit Legatum, non Angelum qui redimeret homines, ſed ipſe redemit eos, ſicut Iſai. ait: Nõ legatus, neq; Angelus: ſed ipſe Dominus ſaluabit eos, eo q diligeret eos, & parceret eis, ipſe redemit eos. In dilectione ſua, & in indulgentia ſua, ipſe redemit eos, & portauit eos cunctis diebus ſæculi, cap.63 num.9.10.*

4 *In finem dilexit eos.* Quoniam modum inuenit, quo & tranſiret ad Patrem, & vſque ad cõſummationem ſæculi nobiſcũ maneret, quod & duo Seraphim innuere videntur. Dicitur enim de illis, quod ſtabant, & volabant. cap. 6. nu.12. cap.30 nu.32.33.*

5 *In finem dilexit eos.* Sap. 11, ſpecialiter dicitur, quòd Deus amat animas. Hũc amorem oſtendit tranſiturus ad Patrem, lauans pedes diſcipulorum, & nouum mandatum illis relinquens: ac demum ſacramentum Euchariſtiæ inſtituens. cap.9. nu.67.





6 *In finem dilexit eos.* Quia corpus ſuum illis reliquit, & ſacerdotes ordinauit, vt conſecrarent corpus eius, quibus illud competit. Iob. 40. Si habes brachium ſicut Deus, & voce ſimili tonas, &c. cap.22.nu.18

7 *In finem dilexit eos.* Quoniam tunc omnes cõſummauit virtutes, iuxta illud. Cõſummationem, & abbreuiationẽ faciet Dominus Deus exercituum in medio vniuerſæ terræ. cap. 10. num. 19. & 20.

8 *In finem dilexit.* Dilectio, qua Deus nos diligit, cauſa eſt bonorum, quæ nobis tribuit. cap.43.nu.5.*

9 *Cum diabolus miſiſſet in cor.* Poſt buccellam introiuit Sathanas in Iudam, quoniam indigne ſuſcipientibus, in mortem conuertitur cibus vitæ. Vide in feſto corporis Chriſti.

10 *Et ad Deum vadit.* Vide in feſto Aſcenſionis Domini.

11 *Et extergere linteo.* Humilitas Chriſti Eccleſiam ornat, & cælos implet, iuxta illud Iſaiæ. Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. cap.6. num.7.8. Vide cap. 52. num. 1. & 2.

12 *Cœpit lauare.* De humili conuerſatione Chriſti. Vide cap.4. nu. 31. Sequamur ergo eius humilitatem, & erimus ſecuri. Nam humilis non habet vnde cadat. cap.14. nu. 12.

13 *Et tergebat linteo, quo erat præcinctus.* Hanc Chriſti humilitatem deſignant illa verba Iſaiæ. Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, &c. cap.42.nu.1.2.

14 *Niſi vt pedes lauet.* Scilicet a puluere peccatorum venialium, ſine quibus humana vita non ducitur. Mortalia enim comparantur luto. Vnde Iſai. Excutere de puluere, &c. cap. 52.num.2.

15 *Magiſter, & Domine.* Dominus eſt titulo creationis, & redemptionis. Vnde per Iſai. ait. Redemi te, & vocaui te nomine tuo meus es tu. cap.43.nu.1.

## FERIA SEXTA IN PARASCEVE

### *De Paſſione Domini, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem.*

1 PASSIO *Domini noſtri.* Tractaturus Iſai. de Paſſione Chriſti, prius excellentiam diuinitatis eius commemorat, dicens. Et brachiũ Domini, cui reuelatum eſt? cap 53.nu.1.& 13. Vide totum caput.

2 *Paſſio Domini* fimbria dicitur, quæ omnes ſanat infirmitates noſtras, ſicut Marci 14. Tactu fimbriæ Dominicæ à fluxu ſanguinis liberata eſt mulier. cap.6.nu.7 Huius paſſionis continua meditatio, Deo eſt acceptiſſima. Vnde Threnorum 3 ait. Recordare paupertatis meæ, &c. cap.17.nu.7.

3 *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti* vocatur commutatio, quia per illam nos de morte ad vitam commutauit. Et quoniam pro peccatis noſtris ex iuſtitia commutatiua ſatisfecit. cap.1.nu.68.

4 *Vt quid perditio iſta vnguenti?* Reſpondet Dominus huic obiectioni, vt adimpleat illud Iſai. vaticinium. Arguet in æquitate pro manſuetis terræ. cap.11.nu.8.

5 *Noui teſtamenti* In quo Deus renouauit omnia, iuxta Iſaiæ vaticinium. Quæ prima fuerunt ecce venerunt, &c. cap 42.nu.14.

6 *Qui pro multis effundetur.* Quo ad ſufficientiam, nam quantum ad efficaciam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. cap.53. num.9.

7 *Iam non bibam de hoc genimine vitis.* Hoc genimen, iuxta Theodoret. ſunt myſteria, quæ ſuis facie ad faciem reuelabit in patria. cap.25.nu.12.

8 *Reges gentium dominantur eorum.* Sancti autem viri, vt Greg ait. non præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe, nec timeri deſiderant, ſed amari. De tyrannis enim ſcriptum eſt, & effiminati dominabuntur eis. cap.3.n 8.

9 *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Hoc votum non adimpleuit Petrus, quia in ſuo confidit libero arbitrio. Sed poſtea ex Dei gratia illud impleuit, iuxta illud Iob 22. Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes. cap.19.nu.23.

10 *Auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis.* In quo ſignificatur, Chriſtum eſſe finem legis, quæ ſcripta erat in tabulis lapideis cap.40.nu.6.

11 *Triſtis eſt anima mea.* Concordat hic locus cum illo Iſaiæ. non erit triſtis neque turbulentus. cap.42.nu.8.

12 *Factus in agonia prolixus orabat.* Huius agoniæ meminit Iſaias, iuxta verſionem Septuaginta, cum ait. Numquid parum vobis agonem exhibere hominibus, & quomodo Domino exhibetis agonem? cap 7.n.18.

13 *Et factus in angonia, &c.* Hæc Chriſti agonia ex noſtris peccatis procedit, iuxta illud Iſaiæ vaticinium. Numquid parum vobis agonem exhibere hominibus: Et quomodo Domino exhibetis agonem? cap.7.nu.18.

14 *Factus eſt ſudor.* Multa Chriſtus pertulit, laſſatus eſt, & ſudauit, vt ſanitatem reciperemus, vt purgaremur à peccatis & nihil nobis profuit. Ezech. 34. Multo labore ſudatum

eſt, &c. cap. 1. Iſaiæ num. 24. & 25.*

15 *Et factus eſt ſudor eius*. Sudabat Chriſtus humorem noſtrorũ peccatorum, & tamen malitiæ noſtræ non ſunt conſumptæ. Ezech. 24. Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius. cap 49.n 6.c.1.n.23.24.

16 *Ceciderunt retrorſum*. Non ſuper faciem ſuam, ſicut diſcipuli in monte Tabor, ſed retrorſum ceciderunt Iudæi, quoniam irreparabilis fuit eorum ruina, quoniam verbis Euangelij non crediderunt. Vnde Iſaias. Et erit eis verbum hoc manda remanda, &c. vt vadant, & cadant retrorſnm, &c. cap. 28 uum. 14. Vide cap. 30. num. 35. 36. in illa verba. Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis.

17 *Sinite hos abire*. Sicut gallina, vt pullos ſeruet indemnes omnibus, ſeipſam exponit periculis, ſic & Chriſtus, vt ſuos ſeruaret incolumes, ſeipſum obiecit populo iracundo. cap. 3. nu. 11. in fine.

18 *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues*. In Chriſti perſona pendentis in Cruce clamat Propheta: De ventre matris meæ, Deus
*Pſal. 21.* meus es tu, ne diſceſſeris à me. Quoniam tribulatio proxima eſt. Iam erat in tribulatione paſſionis, & ait: Quoniam tribulatio proxima eſt. Loquebatur ergo, vt Aug. ait, de ingratitudine populi, & diſcipulorum diſperſione mox futura. cap. 1. nu. 15.

19 *Sequebatur eum à longe*. Sequi debent fideles Chriſtum, non eum præcedere. Sequuntur autem eum ſicut Petrus, à longe, vt notauit Auguſt. quia illi pro ſuis; Chriſtus pro alienis patiebatur delictis. cap. 30. nu. 35.

20 *Et acceperunt triginta argenteos, & dederunt eos in agrum figuli*. Hæc verba explicantur. cap 6. nu. 36. 41. 42.

21 *Ieſus ſtetit ante Præſidem*. Iuxta illud Iſaiæ vaticinium. Stat ad iudicandum Dominus, ideſt vt iudicetur. cap 3 nu. 24.

22 *Non reſpondit ei verbum*. Blaſphemantibus non reſpondendum, ne in maiores prorumpant blaſphemias. cap. 36. nu. 10. 11. Item vt adimpleret illud Iſaiæ. Quia ego tacens, & quaſi non videns. cap 57. nu. 12. & illud: & non aperuit os ſuum. cap. 53. nu. 10. 11.

23 *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*. cap 8. nu. 18.

24 *Ego palam loquutus ſum mundo, & in abſcondito loquutus ſum nihil.* Idem denunciat per Iſai. Non in abſcondito loquutus ſum in loco terræ tenebroſo, cap 45. nu. 16. c. 48. n. 10.

25 *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi*. Pater tradidit filium ſuum morti. Et Chriſtus ipſe ſe tradidit. Tradidit eum Pilatus, tradiderunt Iudæi; aliter tamen, & aliter. cap. 53. num. 14. 20.

26 *Vt teſtimonium perhibeam veritati*. Iſai. ait. Ecce teſtem populis dedi eum. cap. 55. nu. 8. cap. 43. nu 9.

27 *Vt teſtimonium perhibeam veritati*. Chriſtus teſtis eſt, ideſt Martyr, qui veritatem ſanguine ſuo confirmauit, de quo Iſai. Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi. cap. 43. nu 9. 10. 11.*

28 *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Ideo per Iſai. c. 9. appellatur Pater, non huius, ſed futuri ſæculi, Iſaiæ 9. nu. 74.

*Scidit veſtimenta ſua*. Sciſſio veſtium, magnum dolorem ſignificat. cap. 36. nu. 12.

29 *Sedit pro Tribunali*. Cum tamen nulla forma Iudicij, in damnatione Chriſti fuerit ſeruata, ſicut Iſai. ait. De anguſtia, & de Iudicio ſublatus eſt. cap. 53. nu 12.

30 *Facti ſunt amici ab illa die*. Peruerſi namque quantumuis ſint inter ſe diuiſi, vt Chriſtum perſequantur, & electos eius, conciliant inter ſe, vt Bernardus ait, inimiciſſimas amicitias, &c. cap. 15. nu. 2.

31 *Facti ſunt amici ab illa die*. Inter ſe diſſidebant Herodes, & Pilatus, ſed vt Chriſtum occiderent, inimiciſſimam amicitiam conciliauerunt. cap. 9. nu. 90.

32 *Flagellauit eum*. Ideo Chriſtus per Pſalmiſtam loquens. Corpus, inquit, aptaſti mihi, ideſt aptum dediſti flagellis, &c. cap. 1. nu. 38. in fine.

33 *Flagellauit*. Et Chriſtus Dominus libenter ſe obtulit flagellis, ſicut per Iſai. ait. Corpus meum dedi percutientibus, &c. cap. 50. num. 9.

34 *Flagellauit*. Iſai. ait Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. cuius paſſionem & vulnera Iob lepra percuſſus deſignauit, & Moyſi manus leproſa, &c. cap. 53. num. 7. 8.*

35 *Ecce Homo* Iſai. ait. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. Vbi ignominiam paſſionis Chriſti, tantam eſſe denunciat, quanta fuit magnitudo excellentiæ eius. cap. 52. nu. 17.*

36 *Ecce Homo*. Talis apparuit, qualem illum depinxit Iſaias. A planta pedis, vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. cap. 1. num. 27. Et iterum. Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus. cap. 53. num. 3. 4. 5.

37 *Ecce Homo*. In eo quod patitur, oſtenditur homo; at in charitate, & patientia qua patitur cõſtat, quod ſit pluſquã homo, eſt enim Deus homo. cap. 9. n. 35.* & 72. cap. 50. nu 9.

38 Plu-



38 *Plectentes coronam de ſpinis*. Gloria huius mundi flori decidenti confertur, & coronæ ſuperbiæ, pro qua coronam ſpineam Chriſtus pertulit. cap 28. nu 1.

39 *Sanguis eius ſuper nos*. Filij puniuntur pœna temporali, propter iniquitatem patrum. Sic punitus eſt Nabuchodonoſor, de quo Iſai. 14. præparate filios eius in occiſioni, in iniquitate patrum eorum. c. 14. n. 14 & c. 49. n. 24.

40 *Baiulans ſibi crucem*. In qua omnia noſtra portauit delicta, iuxta illud Iſai. Vere languores noſtros ipſe tulit. Quem ſubinde hircus præfigurauit emiſſarius, iniquitates portans filiorũ Iſrael. c. 53. n. 6.* 8. & 9. & 22.

41 *Baiulans ſibi Crucem*. Chriſtus ſeruiuit pro Eccleſia pluſquam Iacob pro Rachel. Portans crucem, clamat ad nos Illud Iſai. Seruire me feciſti in peccatis tuis, &c. c. 43. n. 18.

42 *Lamentabantur eum*. Conſideratio terræ ſanctæ, atque eorum quæ ibi pro nobis pertulit Chriſtus Dominus, magnum timorem, & dolorem parit, ſecundum illud Iſai. Et erit terra Iuda Aegypto in pauorem. cap. 19 n. 18.

43 *Ibi crucifixerunt eum*. Chriſtus crucifixus eſt altare, de quo Iſai. ait. In die illa erit altare Domini in terra Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius erit in ſignum. cap 19. nu. 21. Vide quamplurima Crucis epitheta. cap. 17. nu. 6.

44 *Ibi crucifixerunt eum*. Chriſtus extenſus eſt in cruce, vt rugas tolleret Eccleſiæ, iuxta illud Apoſtoli. Non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. cap. 1. num. 44.

45 *Ibi crucifixerunt eum*. Crucis ſacrificium cruentum, non in templo, ſed extra ciuitatem; non ſub tecto, ſed in excelſo ligno immolatur propter rationes, quæ ex Chriſoſt. aſſignantur. cap. 17, nu. 11.

46 *Medium autem Ieſum*. cap. 53. nu 21. Vbi adhibentur plures rationes, propter quas inter duos latrones fuerit crucifixus.

47 *Et cum iniquis reputatus eſt*. cap. 53. num. 21.

48 *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*. Sicut per Iſai. ait. Induam cælos tenebris, &c. cap. 50. nu. 5

49 *Illudebant eum*. Hos arguit Iſai. dicens. Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam? cap. 57. nu. 7.

50 *Vah qui deſtruis templum Dei*. Blaſphemantes Chriſtum, acriter reprehẽdit Iſai. dicens. Super quem luſiſtis, ſuper quem dilaſtis os, & eieciſtis linguam, &c. cap. 57. nu 7.* Et iterum ait. Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael. cap. 1. nu. 20.

51 *Memento mei Domine*. cap. 53. n. 21. vbi multa notantur circa fidem, & confeſſionem latronis.

52. *Pater dimitte illis*. Iſaias ait. Et pro *Lucæ 23.*
tranſgreſſoribus rogauit. cap. 53. nu. 23.*

53 *In manus tuas commendo ſpiritum meum*. Chriſtus ſimul fuit ſacerdos, & hoſtia, vt ex Chryſoſt. oſtenditur. cap 19. nu. 21. Hinc Iſai. ait: quod Chriſtus tradidit in mortem animam ſuam. cap. 53 nu. 20.

54 *Conſummatum eſt*. Ideſt, finitæ ſunt omnes legales obſeruantiæ, quod illis verbis notauit Iſai. Et commota ſunt ſuper liminaria cardinum, a voce clamantis. cap. 6. nu. 15.

55 *Conſumatum eſt*. In paſſione Chriſti adimpleta ſunt diuerſa Prophetarum oracula. quæ referuntur. cap. 9 nu. 41.

56 *Cum accepiſſet acetum, dixit, conſummatum eſt*. Nam in morte Chriſti, finis eſt impoſitus legalibus ceremonijs. cap. 1. nu. 35.

57 *Emiſit ſpiritum. & ecce velum templi ſciſſum eſt*. Tunc adimpletũ eſt iuxta explicationem Hieron. illud Iſai. 10. Ecce dominator Dominus confringet lagunculam in terrore, ideſt lagenam corporis Chriſti, non abſque omnium creaturarum tremore. cap. 10. num. 27. 28.

58 *Emiſit ſpiritum*. Chriſto morienti congruit illud Iſai. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. cap. 57. nu. 1. 2.

59 *Emiſſa voce magna, expirauit*. Vt oſtenderet, nullo læſiuo exteriori cogente, ſed propria voluntate ſpiritum emiſiſſe, ſicut Iſai. ait. Oblatus eſt quia ipſe voluit. cap. 53. num. 10. Quomodo autem hoc cohæreat cum illo Iſai. non clamabit, neque audietur vox eius foris explicatur. cap. 42. nu. 3. 4.

60 *Et velum templi ſciſum eſt*. In ſignum, quòd per mortem Chriſti, legi antiquæ imponebatur terminus. cap. 1. nu. 35.

61 *Erat autem titulus*. Titulo crucis Chriſti renouantur peccatores. Vnde titulus Pſal. 59. in quo de inſtauratione ſpirituali agitur, talis eſt, in finem, pro ijs qui immutabuntur, in tituli inſcriptionem ipſi Dauid in doctrinam. cap. 40. num. 40.* De hoc titulo ait Iſai. In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius erit in ſignum. cap. 19. nu. 21.

62 *Non fregerunt eius crura*. In ſignificationem myſterij, vt videlicet deſignaret, quod intus latens medulla diuinitatis, à nullo poterat in hac vita guſtari. cap 25. nu 10.

63 *Lancea latus eius aperuit*. Ex hoc latere ſurrexit Eccleſia, iuxta illud Iſai. & filiæ tuæ de latere ſurgent. cap. 60. nu. 5.

h 4 64 Lan-

64 *Lancea latus eius aperuit*. Quatuor in locis vulneratus eſt Chriſtus, adhuc viuens in cruce, ſed quintum vulnus pertulit, cum iam exſpiraſſet, vt quintum fontem qui poſt mortem relinquitur iuſtis, commendaret, de quo Pſalmo 41 Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. cap.12.nu.9 poſt medium.

65 *Exiuit ſanguis, & aqua*. Quia paſſio
Pſal. 21. Chriſti nos abluit, ait enim per Pſalmiſt. Sicut aqua effuſus ſum Aqua enim cum effunditur, aut rigat, aut abluit. Vnde Iſai. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion &c. c.1.n.44. cap.4.num.10.

66 *Et continuo exiuit ſanguis, & aqua*. Iuxta illud Pſal. Excidit petram, & fluxerunt aquæ. Petra enim eſt Chriſtus. cap.48 n.14.

67 *Videbunt in quem transfixerunt*. Chriſti ignominiam omnes viderunt, ſed gloriam eius pauci videbũt. Multi enim ſunt vocati pauci vero electi. de quo vide Dominica in Septuageſima nu 13.14.15.16. Vide etiam cap.6.n.9. in illa verba Tren. 3. bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, &c.

68 *Videbunt in quem transfixerunt*. Loquens de paſſione ait Iſai. in plurali. Vidimus eum, & non erat ei ſpecies. Loquens autem de gloria illius, ait in ſingulari. Vidi Dominum ſedentem, nam ignominiam paſsionis indifferenter viderunt iuſti, & peccatores, gloriam vero illius ſolum iuſti obtinebunt. c.6.n.4.

69 *Poſuerunt eum in monumento*. Ibi requieuit Chriſtus ab vniuerſo opere quod patrarat, Sepulchrum Chriſti corpus excipiens, tacitè clamat illud Iſai. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo. cap.57.nn.5.

70 *Poſuerunt eum in monumento, &c.* Commendat Scriptura opus iſtud, vt doceat ſepelienda eſſe cum pietate corpora defunctorum, ſed non in ſepulchris pretioſis, nam apud Iſai. reprehenditur Sobnam, quod exciderit ſibi ſepulchrum. cap.22.nu 3.5.

## IN DIE SANCTO Paſchæ.

### *Euangelium Marci 16.*

### *Maria Magdalena, &c.*

1 PASCHA, dicitur tranſitus, quo admonemur, ne, poſt quadrageſimalem obſeruantiam, ad vomitum reuertamur, ſicut illi de
Pſal. 11. quibus Pſalmiſta: in circuitu impij ambulant. cap.62.nu.12.*

2 *Surrexit Chriſtus*. Surrexit ad modum ligni præciſi virtute radicis, hoc eſt diuinitatis, ſurrexit, ſicut ſcriptum eſt: Lignum habet ſpem, Iob. 14.
ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit cap.4.nu.5. Vide quæ de reſurrectione illius dicuntur. cap. 9.num. 42.

3 *Surrexit*. Cum Chriſto reſurgent iuſti, numquam amplius morituri. Vnde Iſaias. Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent. cap.62.nu.28.2.9.

4 *Surrexit*. Primo diluculo, cuius typum geſsit vermis, quem præparauit Dominus in Iona
aſcenſu diluculi, & exaruit hedera Ionæ 1. Ita lex antiqua, vmbram habens futurorum bonorum, Chriſto reſurgente, exaruit. cap.1. n.30.

5 *Surrexit*. Ad vocem illam Patris, pſalmo 107. Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara. cap.9. nu. 41. 42. Vnde Iſai. Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædàm ſuam, &c. cap 31.nu.4.

6 *Coopertum ſtola candida*. Quid ſignificet ſtola candida, & quare Angeli appareant ſub varijs figuris, explicatur. cap.6.nu.9.

7 *Surrexit*. Vt apimpleretur illud Pſal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te, quod de reſurrectione explicat Hilarius, immo & Apoſtolus Paulus Actorum 13. cap.9.nu.48.

8 Cuſtudientes ſepulchrum. Mentiti ſunt, dicentes, quia venerunt diſcipuli, & tulerunt corpus eius, quos Iſaias appellat videntes vana cap.56.num.12.

## FERIA II. PASCHAE.

### *Euangelium. Lucæ. 24.*

### *Duo ex diſcipulis ibant, &c.*

ET *ipſe Ieſus appropinquans*. O benigni- 1
tas Dei, cum ipſe triſtis eſſet, & morti proximus, relicto eo omnes fugerunt, ait enim per Iſai. Torcular calcaui ſolus, & tamen eos non dereliquit ambulantes, cum eſſent triſtes, ſed appropinquans ibat cum illis. cap. 63. nu. 5.9.*

2 *Et nunc tertia dies eſt, &c.* Tertia dies, & tertius annus, ſignificat reſurrectionem futuram. cap. 37. nu.16.

3 *Sed & mulieres quædam ex noſtris, &c.* Quia Phariſæi cæci extiterunt, mulieres factæ ſunt veritatis magiſtræ, ſicut Iſaias ait. Mulieres venientes à ſpectaculo venite, &c. cap. 27. num. 14.*

4 *O ſtulti, & tardi corde*. Fidem Reſurrectionis Chriſti, prius Eccleſia quam Sinagoga recepit, quod in Petro, & Ioanne venientibus ad monumentum oſtenditur. Vnde Iſai. ait. Filij autem Amon primi obedient. cap. 11. num. 22.

5 *O ſtulti, & tardi corde*. Idem ait per Iſaiam. Audite me duro corde, qui longe eſtis à iuſtitia, &c. cap.46. nu.8.

6 *Interpretabatur illis in omnibus ſcripturas*. De conſonantia veteris, & noui teſtamenti tom.1.in præfatione nu.1.

7 *Interpretabatur ſcripturas* Tædium laborum huius vitæ ſubleuat ſtudium ſacræ Scripturæ, in prologo ad Lectorem circa finem tom 1. Scriptura ſacra difficilis eſt intellectu, atque inuoluta: in præfatione nu.2 & 3 pag 2. Ideo interpretatione Sanctorum, immo & ipſius Chriſti expoſitione indiget. Ibidem nu. 4 pag.3. octo documenta notantur ad Scripturæ intelligentiam, ibidem pag. 4. 5. 6. & 7. Omnia quæ in Prophetis habentur, ad octo capita redducuntur. ibidem pag. 8. & ſequentibus.

8 *Scripturas, quæ de ipſo erant*. Vetus, & nouum teſtamentum ſe inuicem, & Chriſtũ reſpiciunt, ſicut duo cherubim. Exod. 25. in præfatione nu.1.pag.1.tom.1.

9 *Interpratabatur Scripturas*. Quas Iudæis clauſit, iuxta illud Iſaię 29. Claudet oculos veſtros Prophetas, & Principes veſtros. cap. 8. num. 5. Vnde & Iſaias ait: Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, &c. Quē tamen librum Apoſtolis aperuit, dum illis ſacras Sripturas reſerauit. cap 29.nu.21 22.

10 *Scripturas*. In aduentu Chriſti manifeſtata ſunt, quæ in lege veteri, velut in vmbra latebant myſteria. Vnde Ezechiel 2. dicitur. Et manus miſſa ad me, expandit illud, ſcilicet volumen coram me. cap.8.nu.5.

11 *Nonne cor noſtrum ardens erat* Chriſti eloquium ignitum eſt, & auditores humiles ardere facit. cap.6.num.24.

12 *In fractione panis*. Chriſtus eſt qui panem ſcripturarum ſuis frangit, occulta aperiens myſteria. tom.1.pag 3 nu.4.

## FERIA III. PASCHAE.

### *Euangelium. Lucæ 24.*

1 STETIT *Ieſus in medio*. Vide Dominica 3. Aduentus. nu.16.

2 *Pax vobis*. Vide Dominica in Albis. num.2.3.4.5.

3 *Quid turbati eſtis, &c.* Cogitationes quæ à terra in cor hominis aſcendunt, turbant illum: quæ vero deſcendunt a Patre luminum, conſolationem, & pacem illi afferunt.

4 *Palpate, & videte, &c.* Vide Dominica in Albis, in illa verba: infer digitum tuum, &c.

5 *Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*. Vide feria ſecunda poſt Paſcha. nu 6 7.8 9.

## FERIA IIII. PASCHAE.

### *Euangelium. Ioan.21.*

### *Manifeſtauit ſe iterum Ieſus, &c.*

ET *illa nocte nihil prendiderunt*. Per totam noctem laborantes nihil capiunt homines, quia terrena quærunt, non cæleſtia, quibus Dominus ait. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis, & Apoſt. Coloſ. 4. Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. c.19.n.9. & 10. Vide Dominica 4. poſt Pentecoſten. nu 3.

2 *Plenum magnis piſcibus*. Eccleſia militans comparatur ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, vt oſtenditur in communi Virginum Sed Eccleſia triumphans, quam deſignat rete poſt reſurrectionem
piſces continens, magnis piſcibus eſt plena. Aug li 83.
Ita Aug. q.q. 81. 10.

3 *Non eſt ſciſſum rete*. Ante reſurrectio- 4.
nem Lucæ 5. miſerunt Apoſtoli retia in mare, & cum traherent piſces, rumpebatur rete eorum. Sed poſt reſurrectionem, non eſt ſciſſum rete, in ſignum, quod in Eccleſia militante, multi rumpunt rete, poſt quam ingreſſi ſunt Eccleſiam. Pſalm. 2. Dirumpamus vincula eorum: ſed in Eccleſia triumphante nul-
lus eſt qui rete conetur diſrumpere. Ita Au- Aug. vbi
guſtinus. ſupra.

4 *Ieſus accepit panem, &c.* Vide Dominica quarta Quadrageſimæ. num 8.9.10.

5 *Hoc Iam tertio*. Multoties poſt reſurrectionem ſuã Chriſtus apparuit diſcipulis, vti ſuos teſtes confirmaret. De quo vide Dominica in albis num. 16.

## DOMINICA IN ALBIS.

### *Euangelium. Ioan. 20.*

VENIT *Ieſus, & ſtetit in medio, &c.* 1
Vide Dominica infra octauas Epiphaniæ ſuper illud. In medio Doctorum.

Pax

2 *Pax vobis*. In Aduentu Domini, pacem maximam futuram eſſe denunciauit Iſai. cum dixit. Conflabunt gladios ſuos in vomeres. cap.2.nu 13.14. Vnde Euangelium pacifice annunciandum eſt, nec ad illud ſuſcipiendum ſunt vi armorum cogendi Pagani. ibidem num.15. Hinc & Chriſtus dicitur Princeps pacis. cap. 9. nu. 75. quem ſubinde arcus poſitus in nubibus in ſignum pacis, deſignabat. cap.2. num 14. Hæc autem pax erit in patria perfecta, iuxta illud Iſaiæ. Vetus error abijt, ſeruabis pacem, pacem, quia in te ſperauimus. cap. 26. num 6.

3 *Pax vobis*. Pacem attulit, & annunciauit nobis Chriſtus, iuxta illud Iſaiæ. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe eſt, & qui prope. cap 57.nu 19.*

4 *Pax vobis*. Chriſtus eſt caput noſtrum, à quo vnguentum pacis deſcendit in barbam,& in oram veſtimenti, hoc eſt in Apoſtolos & reliquos fideles, iuxta illud Pſal.132. Ecce quam bonum, & quam iucundum, &c. cap. 1. nu.26. *Pſal. 132.*

5 *Pax vobis*. Pacem veram nobis per paſſionem ſuam Chriſtus attulit, iuxta illud Iſai. Et erit opus iuſtitiæ pax. cap.32.nu.16.

6 *Oſtendit diſcipulis manus, & latus*. Vt ſciamus,habere Eccleſiam ſcriptam in manibus ſuis, ſicut per Iſaiam ait. In manibus meis deſcripſi te. cap.49.nu.15.

7 *Inſufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum ſanctum*. Oſtendit in hoc ſe eandem cum Patre habere virtutem ſpiratiuam, atque ab vtroque Spiritum ſanctum procedere. cap. 9. num. 73.

8 *Inſufflauit*. Flatu dedit diſcipulis Spiritum ſanctum, vt adimpleret illud Iſai. Quia ſpiritus à facie mea egredietur,& flatus ego faciam. cap.57.nu.16.

9 *Inſufflauit*. Loquens de Chriſto Domino Iſaias ait. Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia videlicet in ſufflando dedit Apoſtolis Spiritum ſanctum. cap. 2. nu. 26.

10 *Inſufflauit*. Apoſtolis dedit prius Spiritum ſanctum, vt eſſent recti Iudices. Vnde Iſaias. Erit Dominus ſpiritus Iudicij, ſedenti ſuper Iudicium. cap.28 nu.6.

11 *Inſufflauit*. Per flatum deſignatur Spiritus ſanctus, iuxta illud Iſaiæ. Qui dat flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam, ideſt contemnentibus terrena. cap.42.nu.10.

12 *Thomas non erat cum eis*. Ideo non meruit audire Chriſti ſalutationem, Pax vobis. Vnde poſtquam Iſaias ait, creaui fructum labiorum pacem, &c. ſubdit. Non eſt pax impijs, dicit Dominus. cap 57. num.20.*

13 *Vidimus Dominum*. Læti Apoſtoli id clamabant. quibus competit illud Iſai. Vox ſpeculatorum tuorum, leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, ſcilicet Chriſtum glorioſum. cap.52.nu.9.

14 *Niſi videro, non credam*. Cum tamen Iſaias dicat, ſi non credideritis, non intelligetis. Electi credunt in via quæ videre ſperant in patria, per auditum enim eſt tranſitus ad viſum. Increduli autem prius videre volũt,quam audire, & credere. cap 7.nu 12.13.

15 *Non credam*. Cum tamen dicat Pſal. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis,cap. 45. nu.17.

16 *Deinde dicit Thomæ*. Chriſtus in Reſurrectione inſtaurauit teſtes ſuos. quibus per Iſai. ait. Vos teſtes mei dicit Dominus. Et Iob. Inſtauras teſtes tuos contra me, &c. cap. 43. nu. 8. 9. 10. cap 61.nu.4.*

17 *Infer digitum tuum huc*. Sãctus Thomas Apoſtolus in foraminibus petræ, ideſt, in cicatricibus Domini fidelis effectus eſt, de quibus Cant. 2. Columba mea in foraminibus petre. cap 42.nu.15.cap.51.nu.1.*

18 *Mitte manum tuam in latus meum*. Apoſtolos Chriſtus Dominus in Reſurrectione ſuſcendit, tamquam lignum fumigans, de quo Iſai. Et lignum fumigans non extinguet. cap. 42. num.5.

19 *Dominus meus*. Confitetur Deum in foraminibus petræ, ſicut illi de quibus Iſai. Laudate habitatores Petræ. cap.42.nu 15.*

## DOMINICA SECVNDA poſt Paſcha.

### *Euangelium. Ioan. 10.*

1 EGO *ſum Paſtor bonus, &c.* De quo Ezechielis 34. Sicut viſitat Paſtor gregem ſuum, &c. cap 9. nu. 33. Et Iſai. 44. Qui dico Cyro Paſtor meus es, &c. cap.44 nu.17.

2 *Bonus Paſtor, animã ſuam dat pro ouibus ſuis*. Prælati ſunt velut pelles Tabernaculi, qui defendunt hyacinthum, & Byſſum, pluuias, & ventos tolerando: ſunt velut gallina, quæ pro defendendis pullis vitam exponit. Sic Chriſtus eam dedit pro ouibus ſuis.cap 3.n.11. Nomen Paſtoris affectũ paternum denotat erga oues. Debet enim Prælatus eſſe vt Pater, ſicut de Eliachim dicitur Iſai.22. Et erit quaſi pater habitantibus Hieruſalem, & domui Iuda. cap.22. nu.20. & 21. Imitetur Iacob ſe infirmitatibus ouium accommodando. ibi n.22. Sunt Prælati tigna domorum, & gigantes, qui gemunt ſub aquis. cap 41 nu 18.



3 *Ego ſum Paſtor bonus*. De quo Iſai. ait. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet cap 40.n.23. Vbi explicantur duæ conditiones veri paſtoris. Paſtores Eccleſiæ humiles eſſe oportet, nam humiles in paſtores elegit Chriſtus. cap. 11. num. 12.

4 *Ego ſum Paſtor bonus*. Nam oues portat in humeris ſuis, iuxta illud Iſai. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo. cap. 46. num. 2. & 3.

5 *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. Chriſtus Paſtor optimus, qui non ſolum animam pro ouibus, ſed & carnem dedit ouibus, illam in pretium, iſtam in cibum. cap. 1. num. 10.

6 *Bonus Paſtor*. De conditionibus boni Paſtoris agitur. cap.21. à nu.7. vſque ad 11. & cap.22 à nu 17 vſque ad 24.

7 *Mercenarius autem, &c.* Mercenariorum negligentia, oues pereunt, ipſi enim beſtias vocant, vt dilanient oues,dicunt enim illud Iſai. Omnes beſtiæ agri, venite ad deuorandum, &c. cap 56. nu 10. Vide num.11. 12. & 13. de aſtutia, & auaritia mercenariorum.

8 *Et alias oues habeo*. Chriſtus tamquam vniuerſalis Paſtor gentes vocauit,& ſuæ adiunxit Eccleſiæ, vt adimpleretur illud Iſai. vaticinium, adiungetur aduena ad eos. cap. 14. nu.4. Vide cap 56. nu 8.

9 *Et vocem meam audient*. Hic tangitur certitudo prædeſtinationis, de qua vide cap. 40. nu.30. & fer. 4. Dominicæ in Paſsione.

## DOMINICA TERTIA poſt Paſcha.

### *Euangelium. Ioan. 16.*

1 M*ODICVM, & iam non videbitis me.* Tribulationes præſentis vitæ modico durant tempore, quibus tamen æternum gloriæ pondus correſpondet. Vnde Iſai. Ad punctũ in modico dereliqui te, & in miſericordia magna congregabo te,&c. cap 54.nu 8.

2 *Plorabitis, & flebitis vos.* Plorant iuſti, & plurimas patiuntur perſecutiones,ſed in illis magnum habent refugium, ſicut Iſaias ait. Super omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, &c. cap 4 nu.13.14.

3 *Plorabitis, &c.* Permittit Dominus, quod plurima ſui patiantur aduerſa, ſed non in perpetuum affligentur. Iſai 10. noli timere populus meus habitator Sion ab Aſſur, &c. adhuc enim paululum modicũque & conſummabitur indignatio mea, &c. 2. Cor. 4. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, &c. cap.10 nu.22.23. Vbi explicatur quare gloria dicatur pondus.

3 *Plorabitis, & flebitis.* Sed quid eſt quod dicit Iſai., plorans, nequaquam plorabis, &c. cap.30. nu 23. vbi explicatur qualiter vtrumque cohæreat.

4 *Plorabitis, & flebitis vos*. Electos in præſſuris conſtitutos conſolatur Dominus. Clamant iuſti in aduerſis conſtituti, quare oblitus es mei, quare contriſtatus incedo, &c. Sed Deus ad patientiam eos hortatur. cap.40.a nu. 37. vſque ad 42. Et magnam illis conſolationem, & lætitiam promittit per Iſaiam. cap.51. nu.12.13. *Pſal. 41.*

5 *Mundus autem gaudebit*. Fugiendus eſt mundus, iuxta illud Ierem. Recedite de medio Babyloibs,&c. cap 13.nu 13.

6 *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Quia tribulationes iuſtorum breui durant tẽpore. cap.10.nu.23.cap.17.nu 31. Vnde tribulationes dicuntur viæ iuſtorũ, iuxta illud Iſai. 26. Et in ſemita iudiciorum tuorum, Domine, ſuſtinuimus te, quia videlicet ad ſempiterna gaudia eos perducunt. cap.26. nu. 13. Vnde ſummæ clementiæ Dei ſignum eſt, quod tribulationibus electos probet, cap.16. num. 17.18. Vide quæ de gaudio electorum dicuntur. cap. 35.num.1.2.3.

7 *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Sicut è conuerſo gaudium reproborũ pro ſempiternis cruciatibus commutabitur, iuxta illud Iſai. Et replebuntur domus eorum draconibus. cap.13.nu.15.16.

8 *Mulier cum parit triſtitiam habet.* Hac ſimilitudine vtitur Iſaias, cum ait. Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, &c. cap 26. num. 25.

9 *Quia natus eſt homo in mundo*. Quid enim prodeſt maſculum concipere, niſi naſcatur incolumis? Ita ergo nihil proderit, Chriſtum ſpiritualiter concipere, niſi ad partum perueniat. Concipitur Chriſtus per bonum propoſitum, paritur cum Dei mandata opere adimplentur. cap 26.nu.26.

10 *Quia natus eſt homo.* Non dixit quia na- eſt mulier, ſed homo. Mulier enim imperfectorum, vir typum perfectorum gerit. Eccleſia autem viros perfectos genuit Chriſto. Vnde Iſai. Antequam veniret partus eius, peperit maſculum. cap 66.nu.8.

11 *Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habe-*

*habebitis, &c.* In hoc ſæculo multa patiuntur incommoda electi, ſed poſtea lætitia perfruentur æterna. Vide Dominica prima Aduentus à nu. 16. vſque ad 26.

12 *Et gaudium veſtrum nemo tollet.* Omnia alia bona temporalia nobis nolentibus, aduerſarij auferunt, gaudium autem, & pacem conſcientiæ nullus poteſt inuitus amittere. cap 35. num. 1.

## DOMINICA QVARTA POST Paſcha.

### *Euangelium. Ioan.* 16.

### *Vado ad eum, qui miſsit me, &c.*

1 SI *autem abiero mittam eum ad vos.* Nam Chriſti Aſcenſio cauſa fuit aduentus Spiritus ſancti, iuxta illud Iſai. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio ijs, qui ſaluati fuerint de Iſrael. cap. 4. nu. 7. Vide de aduentu Spiritus ſancti, in feſto ipſius, quomodo autem mitti conueniat Spiritui ſancti, vide feria 3. poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ. n. 8.

2 *Triſtitia impleuit cor veſtrum.* Et recte quidem: nam quod gaudium relinquitur abſente Chriſto. Vnde Exod 33. cum dixiſſet Dominus ad Moyſen: Non aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis eſt, aduertit Scriptura, & ait. Audienſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt culto ſuo. Peſſimum ſermonem vocat illum, in quo de abſentia Dei agitur. Vnde è contrario Iſai. ait. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael c 12. n 13.

3 *Triſtitia impleuit cor veſtrum.* Chriſtus conſolatur triſtes, & pauperes, non diuites, & ſuperbos. Iſai. 40. Conſolamini conſolamini popule meus. cap. 40. num. 1. & 2.

4 *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Non vult Deus duplicem nos habere conſolatorem. Qui ergo caret delectationibus ſenſibilibus, is conſolationibus ſpiritualibus abundat. Vnde Iſai. Quem docebit ſcientiam, aut quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus. cap 28 nu. 9. Vnde virga Aaron, virgas Magorum deuorauit, quia delectatio ſpiritualis, delectationes carnales abſorbet. cap. 29. nu. 28.

5 *Mittam eum.* Mitti eſt perſonæ procedentis: Spiritus ſanctus mittitur a Patre, & Filio, quia ab vtroque procedit. cap. 48 n 10.

6 *Arguet mundum de peccato.* Scilicet infidelitatis, vt explicatur. cap. 40. num. 5.

7 *Docebit vos omnem veritatem.* Vide cap 41. nu 24.

8 *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Significatur his verbis Spiritum ſanctum à Filio procedere. cap. 48. nu. 10.

## DOMINICA QVINTA POST Paſcha.

### *Euangelium. Ioan.* 16.

SI *quid petieritis Patrem in nomine meo.* 1
In nomine Chriſti petit ille, cuius oratio ex puro cordis procedit, alias enim oratio Deo non erit acceptabilis, iuxta illud Iſai. Et cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis. cap. 1. num. 42. 43. Vide cap 30. num. 25.

2 *Si quid petieritis in nomine meo.* Orationes noſtræ, per Chriſtum gratæ efficiuntur, in cuius ſignum Geneſ. 28. Iacob lapidē erexit in titulum, vt ſignificaret, quod per Chriſtum, peccatores miſericordiam conſequuntur. Vnde ad Epheſ. 2. per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem. cap. 11. num. 16. * Vnde Ezechias orans, ad parietem faciem conuertit, ideſt ad Chriſtum cap. 38. num. 2.

3 *Petite, & accipietis.* Tanta eſt enim orationis efficacia, vt quidquid à Deo petierit obtineat. Quid enim non impetrabit, quæ filium Dei ad terram fecit deſcendere, Propheta atteſtante. Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem qui liberet eos? cap. 19. nu. 22. Oratio eſt gratiſſimū Deo ſacrificium, de quo Iſai. In tempore illo deferetur munus Domino, &c. cap 17 nu. 11. vide cap. 58. num. 9.

4 *Petite, & accipietis.* Hoc etiā per Iſai. promiſit dicens. Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. cap. 30. nu. 24. & ſequentibus. Vide feria 2. Rogationum.

5 *Quærite & inuenietis.* Quomodo Chriſtus ſit quærendus. Vide Dominica infra octauas Epiphaniæ. nu. 4. 5. 6.

6 *Hæc in prouerbijs locutus ſum.* Scriptura ſacra metaphoris vtitur, & prouerbijs, propter rationes, quæ adducuntur. tom. 1. pag. 1. nu. 2. & 3. & cap 30. nu 29.

7 *Venit hora cum iam non in prouerbijs* In nouo teſtamento manifeſtata ſunt, quæ latebant in veteri. cap 6. nu. 15. 16. Nunquam enim clarius ſacra intelligitur Scriptura, quam cum impletur. cap. 34. nu. 12. cap. 3. num. 11. cap. 8. num. 5. *





8 *Ipſe enim Pater amat vos.* Nec ſolum amare, ſed & zelum habere probatur, ideſt exceſſum amoris, qui dixit, zelus Domini exercituus faciet hoc. cap. 9. nu. 79.

9 *Exiui à Patre & veni in mundum.* Vide in Euangelio primo Natalis Domini a n. 10. vſq; ad 20. Et in Annūciatione Beatæ Mariæ.

10 *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Vide Dominica 3. & 4. poſt Paſcha, & in feſto Aſcenſionis Domini.

## FERIA SECVNDA Rogationum.

### *Euangelium. Lucæ* 11.

1 PRO introductione Rogationum eſt inſignis locus Iſai. 57. Vitam manus tuæ inueniſti, propterea no rogaſti. quibus verbis ſignificatur, propter calamitates Eccleſiæ inſtitutas eſſe Rogationes. cap. 57. n. 11. cap. 9. n. 84.

2 *Quis veſtrum habebit, &c* Vide de oratione quæ notata ſunt Dominica præcedēti. *

3 *Omnis qui petit accipit.* Cum Moyſes &
*Num. 20.* Aaron clamarent ad Dominum, vt aquam tribueret populo ſitienti, reſpondit. Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas, quaſi diceret, Potēs eſt oratio ex ſaxo duriſſimo aquas educere. cap. 19. nu. 22. *

4 *Omnis qui petit, accipit.* Differt multoties Pater cæleſtis dare quod petimus propter rationes quæ aſſignantur. cap. 30. n. 26. 27. *

5 *Omnis qui petit, accipit.* Orationes iuſtorū ſtatim exaudit Deus. Vnde Iſa. ad vocē clamoris tui ſtatim vt audierit reſpōdebit tibi. c. 30. nu. 24 & iterū ait: Eritq; ante quā clament ego exaudiā. cap. 65. nu. 19 Reliqua quæ pertinent ad hoc Euangelium, explicata ſunt Dominica præcedenti.

## IN DIE ASCENSIONIS Domini.

### *Epiſtola. Actuum* 1.
### *Primum quidem ſermonem, &c.*

1 A*SSVMPTVS eſt.* Vide in Euangelio huius ſolemnitatis.

2 *Ioannes quidem Baptizauit aqua.* Vide in octaua Epiphaniæ.

3 *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti.* Vide in die Pentecoſtes.

4 *Et eritis mihi teſtes:* Vt teſtimoniū alicuius fidē faciat, duo requiruntur. Primo quod non ſit infamis, ſed probatę vitæ: Secūdo quod ex viſu & auditu teſtimoniū perhibeat. His conditionibus pollebāt Apoſtoli, de quibus per Iſai ait. Vos teſtes mei, dicit Dominus cap. 43. nu. 8 * Vide Dominica in Albis. nu. 16.

5 *Videntibus illis eleuatus eſt:* Sicut Iſai. prædixerat, In illa die erit germen Domini in magnificētia & gloria, & fruct⁹ terræ ſublimis, ideſt, Xps, ex Maria Virgine natus in altū cōſcēdens. c. 4. n. 5. & 6. Vide n. 7. qualiter Aſcenſio Chriſti cauſa fuerit Aduentus Spiritus ſancti.

6 *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Ab oculis, inquit, nā à corde Apoſtolorum non potuit nubes Chriſtum tollere.

7 *Sic veniet quemadmodum, &c* De Aduentu Chriſti ad Iudicium, vide Dominica 1. Aduentus. feria 2. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ, & Dominica 24. poſt Pentecoſten.

## EODEM DIE.

### *Euangelium Mar. vlt.*

### *Recūbētibus vndecim diſcipulis, &c.*

INCREPAVIT *incredulitatem eorū, &c.* 1
Vide feria 2. poſt Paſcha, in illa verba: O ſtulti, & tardi corde, &c. Vide etiam. cap. 46. nu. 8, in illa verba: Audite me duro corde, &c.

2 *Euntes in mundum vniuerſum.* Ante mortē ſuam Dominus præceperat diſcipulis ſuis, In viam gentium ne abieritis: at poſt eius mortem & reſurrectionē, dixit illis, Euntes docete omnes gentes: nam vbiq; diſſeminandum erat Euangelium. Pſal. 59. In Idumæam extendam calceamentum meum. cap. 9. nu. 43. *

3 *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Nā Euangeliū non vni populo, ſed vniuerſis gētibus erat anunciādum. de quo vide in Tabula communi. Verbo gentes, & verbo Iudæi. *Omni creaturæ, &c.* Quoniā rationalis homo audire renuit verbum Dei, inſenſibilibus creaturis ſæpe Scriptura loquitur. Vnde Iſai. Audite cæli, & auribus percipe terra. & 3 Regum 13. Altare, altare, hæc dicit Dominus. ca. 1. n. 7.

4 *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, &c.* De Baptiſmo atq; eius neceſſitate, vide in octaua Epiphaniæ.

5 *In nomine meo dæmonia eijcient.* Chriſtus diſcipulis ſuis dedit poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt lāguores curarent: quod per Iſa. fuerat prophetatū, cū in perſona Chriſti loquēs, ait: Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in ſignū & in portentum Iſrael à Domino, &c. cap. 8. nu. 29. 30. Omnis poteſtas ſpiritualis & temporalis à Deo eſt ca. 22. n. 19.

6 ***In nomine meo.*** Scribæ & Phariſæi Chriſtum Dominum blaſphemantes, dixerunt. In Beelzebub Principe dæmoniorũ eijcit dæmonia, ſed Saluator ait. In nomine meo dæmonia eijcient, &c. Vide Dominica 3. Quadrageſimæ, in illa verba. In Beelzebub Principe dæmoniorum, &c.

7 *Linguis loquentur nouis.* Vide in feſto Pentecoſtes circa Epiſtolam.

8 *Serpentes tollent.* Vide in feſto ſancti Dominici. num. 3. in illa verba. Vos eſtis ſal terræ.*

9 *Aſſumptus eſt in cælum.* Poſt quam Chriſtus opus Redemptionis noſtræ perfecit, quieuit ſedens ad dexteram Patris, ſecundum illud Iſai. 18. Ego quieſcam, & conſiderabo in loco meo, ideſt conſiderabo Eccleſiam paruulam, & mittam illi Spiritum ſanctum, vt doceat illam omnem veritatem, vnde & ſubditur. Sicut meridiana lux clara eſt. cap. 18. num. 8.

10 *Aſſumptus eſt in cælum.* Aſcendens ad Patrem, non ſolum ianuam cæleſtem nobis aperuit, ſed & portas abſtulit, vt omnibus pateret, aditus ad cæleſtem patriam, dicente Pſalmiſta. Tollite portas Principes veſtras, &c. Non ait aperite, ſed tollite. cap. 26. num. 5.*

11 *Aſſumptus eſt in cælum.* Quo aſcendente, angelici ſpiritus præ admiratione dixerunt. Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de boſrha? Et Dominus. Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum, &c. cap. 63. à n. 1. vſq; ad 7.

## IN DIE SANCTO Pentecoſtes.

### *Epiſtola. Actuum 2.*

### *Dum complerentur, &c.*

1 FACTVS *eſt repente de cælo ſonus.* Orantibus Apoſtolis, aduenit Spiritus ſanctus rigans montes de ſuperioribus ſuis. cap. 30. num. 46. Pſal.

2 *Tamquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Spiritus ſanctus adueniens irrigauit vniuerſam Eccleſiam, vt impleretur illud Iſai. Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, &c. cap. 35. num. 10.

3 *Tamquam aduenientis ſpiritus vehementis.* De quo Iſai. ait. Dans flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam, cap. 42. n. 1.

4 *Tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, &c.* Deus ad puniendum tardus: ſed ad viuificandum, & benefaciendum eſt velox, vt ex diuerſis locis Scripturæ oſtenditur. cap. 1. num. 36. ideo Spiritus ſanctus repente venit. &c.

5 *Tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, &c.* Aduentus Spiritus ſancti ſuper diſcipulos, effectus fuit aſcenſionis Filij. Vnde Iſaias poſtquam dixit, erit fructus terræ ſublimis, ſubdit, & exultatio ijs qui ſaluati fuerint de Iſrael. cap. 4. n. 7. *

6 *Diſpertitæ linguæ tamquam ignis.* Et infra, *loquebantur varijs linguis.* Ad hoc donum linguarum iuxta interpretationem Chryſoſtomi reſpiciunt verba illa Iſaiæ. In loquela enim labij & in lingua altera loquetur Dominus ad populum iſtum. cap. 28. nu. 11.

7 *Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tamquam ignis.* Iſtæ ſunt linguæ, de quibus Pſalmiſta. Lingua canum tuorum ex inimicis. Pſal. 44. ab ipſo, lingua canum commendatur, eo quòd latentem in oſſibus medulam deguſtat. cap. 25. num. 11.

8 *Seditq; ſupra ſingulos eorum.* De Chriſto dicitur Iſai. 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, &c. Sic etiam requieuit ſuper Apoſtolos, ſicut apes requieſcunt, non ſuper lutum, ſed ſuper flores. cap. 11. num. 3. 4. Vide num. 5. & 6. de ſeptem donis Spiritus ſancti.*

9 *Et cœperunt loqui.* Spiritu ſancto adueniente exierunt Apoſtoli de cænaculo ad prædicandum Euangelium, ſicut Iſai. ait. Quia de Hieruſalem exibunt reliquiæ, &c. cap. 37. num. 17.

10 *Et cœperunt loqui.* Spiritu ſancto repleti ſimplices Apoſtoli diſerte loquebantur. Vnde Iſai. Et cor ſtultorum intelliget ſcientiã, & lingua Balborum velociter loquetur & plane. cap. 32. num. 4. cap. 35. num. 9. & 10.

11 *Prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Linguas de cælo acceperunt Apoſtoli, vt non terrena, ſed cæleſtia loquerentur, de quibus Iſaias. In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaam, &c. cap. 19. nu. 19.*

12 *Stupebant omnes, & mirabantur.* Iuxta illud Iſai. Viderunt inſulæ, & timuerunt: extrema terræ obſtupuerunt. cap. 41. n. 8. Et iterum, ait, Et timebunt qui ab Oriente nomen Domini, & qui ab ortu ſolis gloriam eius, cum venerit quaſi fluuius violentus quem ſpiritus Domini coget. cap. 59. num. 19. 20.





13 *Stupebant.* Videntes Apoſtolos varijs linguis loqui, exiſtimabant multi illos ebrios eſſe, quibus Petrus ait. Non ſicut vos exiſtimatis hi ebrij ſunt cum ſit hora diei tertia, inſinuans grande peccatum eſſe, mane conſurgere ad ebrietatem ſectandam. Vnde Iſai. væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, &c. cap. 5. num. 15. & 16. Vide cap. 29. num. 17. cap 51. num. 20. Vbi explicatur, qui dicantur ab Iſaia ebrij, & non à vino.

## EODEM DIE.

### *Euangelium. Ioan. 14.*

1 SI *quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Verbum Dei eſt profunda meditatione penſandum, vt intelligatur, & opere impleatur. tom. 1. pag. 7. n. 10. Vide Dominica in Sexageſima.

2 *Sermonem meum ſeruabit.* Ex obſeruantia præceptorum multa proueniunt bona. Iſai. Vtinam attendiſſes mandata mea, &c. cap. 48. n. 12.

3 *Et ad eum veniemus.* Deus in puris cordibus requieſcit libenter. cap. 35. nu. 12.

4 *Et ſermonem quẽ audiſtis, non eſt meus.* Vide fer. 4 Dominicæ Quadrageſimæ, in illa verba: doctrina mea non eſt mea.

5 *Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo.* Mitti in diuinis eſt perſonæ procedentis, cum ergo Filius a Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroq; miſſus fuerit, ſequitur, quod Pater a nullo, Filius a Patre, & Spiritus ſanctus procedat ab vtroq; cap. 48. num. 10.

6 *Ille vos docebit omnia.* Vide Dominica 4. poſt Paſcha.

7 *Pacem relinquo vobis.* Vide in Natali Domini, Euangelio primo. num 2. 22. 23. & Dominica in Albis. à nu. 2. vſq; ad 5.

8 *Non quomodo mundus dat ego do vobis.* Pax Chriſti eſt vera pax, ſed illa quam mundus tribuit eſt falſa, & ſimulata. Vnde Iſai. non eſt pax impijs, dicit Dominus. cap. 57. n. 20. c. 32. n. 16.

9 *Quia vado ad Patrem.* Vide in feſto Aſcenſionis, & Dominica 4. poſt Paſcha.

10 *Vt cum factum fuerit credatis.* Scriptura ſacra perfectius intelligitur, cum impletur. cap. 34. n. 12.

11 *Venit enim Princeps mundi huius.* Vide in exaltatione S. Crucis, in illa verba, nunc Princeps mundi huius eijcietur foras.

## FERIA SECVNDA POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Ioan. 3.*

SIC *Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Tale donum ex nimia charitate proceſſit, ſicut Iſai. ait. Zelus Domini exercituum faciet hoc. cap. 9. num. 79. 1

2 *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum.* In primo aduentu venit Chriſtus mundum redimere, ſed in ſecundo mundum, quem redemit, iudicabit, Vide Dominica 1. Aduentus. nu 1.

3 *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Iſaias ait, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. cap. 26. n. 19.

4 *Qui male agit, odit lucem.* Illam videlicet, de qua Ioan. ait. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Vide in die Natalis, Euangelio 3. n. 5. 7.

## FERIA TERTIA POST Pentecoſten.

### *Euangelium Ioan. 10.*

QVI *non intrat per oſtium in ouile ouium.* Ouile ouium eſt Eccleſia, cuius oſtium eſt Chriſtus, eo quod inter duo teſtamenta voluitur. cap. 6. num. 15. Per hoc oſtium non intrant Herætici. Vnde & terminos patrum tranſcendere dicuntur, cap 32. num 20. Ideo fures ſunt, & latrones, immo & lupi dilacerantes oues. Vide Dominica. 7. poſt Pentecoſten, in illa verba. Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. 1

2 *Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium.* De conditionibus veri paſtoris, vide Dominica. 2. poſt Paſcha, in illa verba, Ego ſum paſtor bonus.

3 *Et proprias oues vocat nominatim* Iuxta illud Iſai. Qui educit in numero militiã eorum & omnes ex nomine vocat, cap. 40. num. 33. 34 36.*

4 *Proprias oues vocat nominatim.* Sic vocauit Paulum, dicens, Saule, Saule, quid me perſequeris? vnde Iſai 45. dicitur de Cyro. Vt ſcias quia ego ſum, qui voco te nomine tuo, ſanctus Iſrael. cap. 45. num 3. Sic vocauit gentes, & introduxit ad fidem, iuxta illud Iſaiæ, Adiungetur aduena ad eos cap 14. nu. 4. Vide in feſto Epiphaniæ. Act. 9.

5 *Et cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit.* Hoc perfecit Chriſtus Dominus ſicut Iſaias ait. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis; hæc eſt via,&c. cap. 30. à num. 34. vſq; ad 38.

6 *Et oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.* Vide feria 4. poſt Dominicam in Paſſione, in illa verba: Oues meæ vocem meam audiunt,vide in comuni Martyrum, ſuper illud. Si quis vult poſt me venire,& in feſto Magdalenæ, in illa verba: Stans retro ſecus pedes eius.

7 *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Prædicatores Euangelij tauri ſunt, fideles autem agni,& pulli aſinorum. Hos paſcit Dominus doctrina ſana, à paleis errorum purgata, iuxta illud Iſai. Paſcetur in poſſeſſione tua in die illa agnus ſpatioſe: & tauri tui & pulli aſinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt. cap. 30. à nu. 42. vſq; ad 45.

## IN FESTO SANCTISSIMÆ Trinitatis.

### *Euangelium. Ioan. 16.*

1 DATA *eſt mihi omnis poteſtas.* Merito Paſſionis, ſicut ait. Iob. Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam iudiciumq; recipies. cap. 3. num. 24. Hinc Apoſtolus. Propter quod, & Deus exaltauit illum,& dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. cap. 40. num. 32. cap. 45. num. 18. cap. 49. num. 9. cap. 52. num. 17.

2 *Euntes docete omnes gentes.* Prius dixerat Matth. 15. non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael,& Apoſtolis præceperat, in viam gentium ne abieritis: & modo ait,euntes docete omnes gentes,vt ad emulationem Iudæos incredulos prouocaret, vnde Iſai. ait. Zelus Domini exercituum faciet hoc. cap. 9. num. 80.* & ſubditur: Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſrael, quia videlicet ſalutem miſſam Iudæis apprehenderunt gentes, cap. 9. num. 81.* Hinc Iſai. Accedite gentes, & audite, &c. cap. 34. num. 1. Et ad Apoſtolos. Recedite, recedite,ſcilicet a Iudæis incredulis. cap. 52. num. 14. Vide in feſto Aſcenſionis num. 2. & 3. in illa verba: Prædicate Euangelium omni creaturæ.

3 *Baptizantes eos in nomine Patris.* Non adminiſtrum ſacramenti Baptiſmi eſt ſanctificatio referenda. Vnde cum Seraphim calculo,quem forcipe tulerat de altari, labia tetigiſſet Iſai. non ait. Ecce ego tetigi labia tua, ſed inquit. Ecce tetigit hoc labia tua. vt ad calculum, ideſt Chriſtum, ſanctificatio Prophetæ referretur. cap.6.nu.25.

4 *In nomine Patris & Filij.* Quam in comprehenſibile ſit Trinitatis myſterium, indicauerunt Seraphim velando duabus alis facies ſuas,& duabus pedes. cap. 6. num. 10. Et quoniam in lege antiqua nondum fuerat perfecte explicatum, ideo poſtquam Propheta ter dixit. ſanctus, ſubdit. Et domus repleta eſt fumo. c.6.n.16.17. Et iterùm ait Quærite Dominum,& confirmamini,quærite faciẽ eius ſemper, vt incomprehenſibilem Dei eſſentiam deſignaret. eodem cap.nu.11.circa finem.

5 *In nomine Patris & Filij, &c.* Trinitatis myſterium ſignificatur Iſai.6.cum terdicit ſanctus. cap.6.nu. 14. cap. 34.nu. 12.Et ſimiliter c.35.n.12, cũ ter repetit idem nomen via. cap.48.nu.7.Vbi ter repetit,Ego,in ſymbolum Trinitatis. Innuitur idem myſterium. cap.34. n.12.cap.45.n.14.cap.63.nu. 10.

6 *In nomine Patris.* Myſteria fidei prius credenda ſunt, vt intelligantur, iuxta illud Iſa. ſi non credideritis,non intelligetis. cap.7. nu.12.13.

7 *Et ecce ego vobiſcum ſum, &c.* Chriſtus in ſacramento Euchariſtiæ nobiſcum manet vſq; ad conſummationem ſæculi, ſicut per Iſai. ait. & Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam breuem, & non faciet vltra à te auolare præceptorem tuum. cap. 30. num. 31. 32. & cap. 6. num. 9. in illa verba Seraphim ſtabant ſuper illud. Et ſanctus Ezechiel: & nomen, inquit,ciuitatis, ex illa die Ezech.48.
Dominus. ibidem. cap. 30. num. 33. cap. 62. num. 4.

## IN FESTO SACRATISSIMI Corporis Chriſti.

### *Euangelium. Ioan. 6.*

1 PRO introductione Euangelij eſt inſignis locus Iſai. 55.à nu.1.vſq; ad 7. Omnes ſitientes venite ad aquas, &c.

2 *Caro mea vere eſt cibus.* Pſalm. 33 ait Proph. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Eſt ergo cibus ſuauis,vnde per Iſai. Conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum ſe facturum vniuerſis populis Dominus repromittit. cap.25.nu 10.11. [illegible]

4 *Caro mea vere eſt cibus, &c.* Quo cibo non



non ſolum nutriti, ſed exaltati ſunt Hebræi, iuxta illud Iſai. Filios enutriui, & exaltaui. cap. 1. num. 9. Eſt Chriſtus panis pinguis, de quo Iſai. Et panis frugum terræ erit, vberrimus & pinguis. cap. 30. num. 41. 42.* Eſt & migma, de quo Iſai. ait. Tauri tui, & pulli aſinorum cõmixtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt. cap.30.nu.44.*

4 *Caro mea vere eſt cibus.* De quo Iſai. ait, & dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. cap.30.num.31.32.33. Vbi multa explicantur myſteria Euchariſtiæ.*

5 *Caro mea vere eſt cibus.* Verbum Dei cibus eſt ſuauiſſimus iuſtis, ſed amarus peccatoribus. cap. 1. num.59. quando ſe naſcens dedit ſocium diuinitatem ſuam, ſub tegumento noſtræ humilitatis occultauit: at dum conueſcens ſe dedit in edulium, diuinitatem, & humanitatem velauit ſpeciebus panis,& vini. cap. 6. num.12.*

6 *Caro mea vere eſt cibus.* Verbum Dei aliquando aqua, aliquando panis dicitur, & quare. tom. 1. pag.3.nu 3.

7 *Et ſanguis meus vere eſt potus.* Vinum habet fæces, ſed potus quem ſuis offert Chriſtus, omni caret amaritudine. Vnde Iſai. vinum vindemiæ defæcatæ (hoc eſt)ſine fæcibus, fidelibus repromittit. cap.25.num.12. vide vſque ad n. 16. quæ dicuntur de conuiuio Aſſueri. Vide de inſtitutione huius ſacramenti.cap. 9.nu. 40.& cap.6.nu.12.*

8 *Et bibit meum ſanguinem.* Iſai. 9.Iuxta Septuaginta, hoc primum bibe, velociter fac regio Zabulon. cap.9.nu.2. circa finem.

9 *Sicut miſit me viuens Pater,&c.* Oſtendit ſe eſſe verum Deum, & conſequenter Euchariſtiæ ſacramentum eſſe adoratione latriæ adorandum, quod fideles humiliter faciunt, iuxta illud Iſai. Poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, &c. cap. 45. nu 14.Sacerdotes quàm ſancti eſſe debeant, explicatur. cap.52.nu.15.*

10 *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Multi panem iſtum manducant, ſed robur panis non percipiunt, quia manducantes Chriſtum, non imitantur veſtigia eius. cap. 3. num. 6.*

11 *Qui manducat hunc panem, &c.* Euchariſtiæ effectus eſt vita, & delectatio ſpiritualis, ſicut Iſai. ait.Comedite bonum,& delectabitur in craſſitudine anima veſtra, audite, & viuet anima veſtra. cap.55.nu 5.& 6.

12 *Qui manducat hunc panem, viuet.* Si tamen digne manducet. Vnde Apoſtolus. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c. Peccatoribus enim amarus eſt cibus iſte, qui ſuauiſſimus eſt iuſtis. Vnde Iſai. Ipſi autem inamaricauerunt me. cap. 1. num. 59. Peccatores ſacramentum ſumentes, rem non percipiunt ſacramenti. Vnde Iſai. Auferet Dominus à Iuda, & Hieruſalem omne robur panis, & omne robur aquæ. &c. Non ait auferet panem, ſed robur panis, &c. cap.3. num. 6.

13 *Hunc panem.* Dicens, hunc, dignitatem indicat panis, in quo omnia nobis parauit. Vide Dominica ſecunda poſt Pentecoſten, in illa verba; Et omnia parata.

## DOMINICA I. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ. 6.*

ESTOTE *miſericordes.* Deus miſericors eſt, iuſtis, & peccatoribus pluuiam 1
tribuens, ipſum ergo imitemur eleemoſynas pauperibus diſtribuendo. Vide Dominica quarQuadrageſimæ. Et feria ſexta Cinerum. num. 12. 13. 14.

2 *Dimittite, & dimittemini.* Vide feria ſexta Cinerum, in illa verba. Diligite inimicos veſtros. Et Dominica vigeſima prima poſt Pentecoſten, in illa verba. Omne debitum dimiſi tibi, &c.

2 *Date, & dabitur vobis.* Qualiter eleemoſyna ſit facienda. Vide Dominica quarta Quadrageſimæ. nu. 12 13.14.

4 *Menſuram bonam, & confertam, &c.* De qua Iſaias ait. Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura. cap. 28. nu.23. 24. cap.51.nu.12.

5 *Eadem quippe menſura.* Vide in feſto omnium Sanctorum, quanta ſint iuſtis bona præparata.

6 *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris ſui.* Vide feria quarta poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ, in illud. Quare & vos tranſgredimini præceptum Dei. &c & Sabbato poſt tertiam Dominicam Quadrageſimæ, in illud. Qui ſine peccato eſt veſtrum,primus in illam lapidem mittat.

7 *Hypocrita eiice primum, &c.* Quid ſimile dicitur per Iſaiã Iudæis, qui ceremonijs, & ſacrificijs veteris legis, ſanctos & mundos ſe eſſe putabant. Lauamini mundi eſtote. auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis, &c.Et venite arguite me,&c. cap 1.à n. 44. vſq; ad 54. Vide locis citatis num. præcedenti.*

## DOMINICA II. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ* 14.

1 HOMO *quidam fecit cœnam magnam, &c.* Hæc cœna per Iſaiam conuiuium appellatur. ait enim, Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum, &c. cap. 25. à nu. 6. vſque ad 16. Vbi ex conuiuio regis Aſſueri, oſtenditur magnificentia epularum cæleſtium.

2 *Cœnam magnam.* Cœnam vocat æternam beatitudinem, cuius ſatietas inenarrabilis, cuius lætitia inexplicabilis eſt. cap. 25. à num. 6. vſque ad 12. Vide ibi nu. 3. & ſequentibus, vbi confertur hæc cœna cum conuiuio Regis Aſſueri, quod refertur Eſter. 1.*

3 *Dicere inuitatis, vt venirent.* Vocauit multos, non ſolum Iudæos, ſed etiam gentiles, de quorum vocatione, vide in feſto Epiphaniæ, & in feſto S. Stephani, in illa verba: Ecce ego mitto ad vos.

4 *Omnia parata.* In vno Euchariſtiæ ſacramento, & in vno conuiuio patriæ cæleſtis, omnia quæ deſiderari poſſunt, parata ſunt. Pſal. 67. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. non explicat, quid parauit, quia omnia in vno parata ſunt. cap. 1. nu. 10.*

5 *Et cœperunt ſe excuſare.* Cum cæleſtia ſint fidelibus repromiſſa, illa nolunt acceptare, terrena perquirentes. cap 1. num. 57. Vnde à Deo vocati, reſpondent, venire nolumus, in quo ad iracundiam Deum prouocant, iuxta illud Iſaiæ. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, &c. cap. 1. nu. 58. 59.

6 *Villam emi.* Propter vilem villam, id eſt, propter bona temporalia, quæ ſitim animæ explere non poſſunt, relinquit homo regnum cæleſte, cuius gloria ſatiat animam, cap. 25. numero 16.

7 *Compelle intrare.* Verbum compelle efficaciam denotat vocationis, qua Deus facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur, actiue proprie ex nolentibus volentes faciens. cap. 10. n. 11. 12 Nec tamē per hoc aufertur, ſed potius perficitur, & roboratur noſtri arbitrij libertas, vt oſtenditur cap. 10. num. 12. Reliqua quæ pertinēt ad hoc Euangelium, expenduntur Dominica 19. poſt Pentecoſten.

## DOMINICA III. POST Pentecoſten.

### *Euangelium Lucæ* 15.

1 ERANT *appropinquantes ad Ieſum Publicani, & peccatores, vt audirent illum.* Verbum Dei, quomodo ſit audiendum, Vide Dominica in Sexageſima. Peccatores Deo appropinquant per pœnitentiam. Vide feria quarta Cinerum, in illud. Conuertimini ad me.

2 *Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ.* Qui ideo canes dicuntur, quia latrabant cōtra Chriſtum, iuxta illud Pſal. 21. Circumdederunt me canes multi, &c. cap. 3. n. 14. cap 43. nu. 7. cap. 30. num. 43.

3 *Quia hic peccatores recipit.* Nec mirum, quia Deo proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: punire autem alienum eſt opus ab eo. cap. 1. num. 63.

4 *Peccatores recepit.* Deus parcendo maxime & miſerendo, ſuam potentiam manifeſtat. Vnde, & peccatoribus benefacit. cap. 22. num 13.

5 *Nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto.* Hoc eſt in cælo, quod ſecundum Gregorium deſertum dicitur, quia illud deſeruit homo cum peccauit. cap. 40 n. 23.*

6 *Donec inueniat illam.* Chriſtus multo labore, & dolore quæſiuit ouem perditam, donec inuenit eam, & nos ſimiliter eadem ſolicitudine Dominum quærere debemus. Sic eum quærebat ſponſa, dicens. Surgam, & circuibo ciuitatem, &c. cap. 12. nu. 8. Vide Dominica infra octauas Epiphaniæ. Can. 2.

7 *Et cum inuenerit eam, imponit ſuper humeros ſuos gaudens* Quod Iſai. prædixerat dicens. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo leuabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. cap. 40. nu. 23 *

8 *Imponit ſuper humeros.* Iuxta illud Iſai. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo. cap. 46. nu. 2, 3.

9 *Et quærit diligenter.* Qualiter Deus ſit quærendus, explicatur Dominica infra octauas Epiphaniæ.

10 *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* De efficacia pœnitentiæ, & ſuauitate illius. Vide cap. 1. n. 44. 45. & feria quarta Cinerum, in illa verba: Conuertimini ad me in toto corde veſtro.

1 *Gaudium erit in cælo.* Iſai. ait. Et addent mites in Domino lætitiam, hoc eſt. gaudebunt in conuerſione fidelium. cap. 29. num. 34. Vide cap. 35. numero 12. cap. 55. numero 34.

## DOMINICA IV. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ.* 5.

1 CVM *turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei.* Vide Dominica 4. Quadrageſimæ, in illa verba, ſequebatur eum multitudo magna.

2 *Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia.* Omnes retia ad piſcandum parant. Quidam, vt temporalia, quidam, vt ſpiritualia piſcentur. Vide in feſto ſancti Andreæ. num. . & feria quarta poſt Paſcha.

3 *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Vide feria quarta poſt Paſcha. num. 1.

4 *Rumpebatur autem Rete.* Vide feria 4. poſt Paſcha nu. 3. in illa verba. Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.

5 *Stupor enim circumdederat eum.* Sicut Iſai. ait. Cum feceris mirabilia, non ſuſtinebimus. cap. 64. nu. 3. *Ex hoc iam homines eris capiens.* Quia Regnum cælorum ſimile eſt ſagenæ miſſæ in mare, piſcatores autem ſunt Apoſtoli. de quo plura dicuntur cap. 19 nu. 10. Vide in feſto ſancti Andreæ, in illa verba, faciam vos fieri piſcatores hominum.

6 *Relictis omnibus ſequuti ſunt eum.* Vide in comuni Apoſtolorum, in illa verba. Ecce nos Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

## DOMINICA V. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth.* 5.

NISI *abundauerit iuſtitia veſtra.* In noua lege debent homines perfectiores eſſe quàm in veteri, quoniam Chriſtum habent Magiſtrum, de quo Iſai. ait. Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. cap. 2. nu. 10.

2 *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra.* Corrigit imperfectionem antiquam, nouæ legis iuſtitia, de qua Iſai. ait. Ponam iudicium ad lineam, iuſtitiam ad librameutum. cap. 28. nu. 23. 24.

3 *Audiſtis quia dictum eſt antiquis.* Vide feria ſexta cinerum. nu. 1. 2. 3. & 4.

4 *Ego autem dico vobis.* Vide feria ſexta cinerum. nu. 5.

5 *Omnis qui iraſcitur.* Iracundi ſimiles ſunt titionibus fumigantibus, qui dum in alijs excitant lacrymas, ſeipſos calore, quo ardent, conſumunt cap. 7. nu 8.*

6 *Si ergo offers munus tuum ad altare.* Præcipit Dominus, vt ſacrifitia oblaturus mundetur prius, & reconcilietur fratri ſuo, quia non ſunt illi accepta munera impiorum, vnde per Iſai. ait. Quo mihi multitudinem victimarum veſtiarum? Plenus ſum, &c. cap. 1. à num. 36. vſq; ad 44.

## DOMINICA VI. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Marc.* 8.

1 CVM *turba multa eſſet cum Ieſu, &c.* Totum hoc Euangelium explicatum eſt Dominica 4. Quadrageſimæ.

## DOMINICA VII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth.* 7.

1 ATTENDITE *à falſis Prophetis.* Docet, hæreticos eſſe cauendos, & nouas doctrinas, & eorum aſtutias detegit, de quibus plura dicuntur. cap. 11. nu 13. cap. 26. num. 5. & 8.

2 *Attendite, &c.* Noua doctrina reijcienda eſt, & antiqua amplectenda. 1. Thimot. 6. O Thimotæe depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. cap. 11. num. 13.

3 *In veſtimentis ouium.* Nam hæretici humilitatem ſimulant, & pleni ſunt odio, atq; iracundia, vnde non immerito dicuntur cauda, propter adulationem, Iſai. atteſtante. Diſperdet Dominus ab Iſrael caput, & caudam incuruantem &c. cap. 9. num. 85. 86. 87. Vide feria tertia poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ, in illud, ſuper Cathedram Moyſi, & in tabula communi, verbo Hypochryſis.

4 *In veſtimentis ouium, &c.* Hæretici ſe inuicem protegunt, & defendunt, vt oues gregis Dominici perdant, de quibus Iob 40.

Protegunt vmbræ vmbram eius, &c. cap. 26. num, 32.*

5 *Intrinſecus autem ſunt lupi rapates.* De quibus Iſai. 9. Quia omnis hypocrita eſt & nequam, & vniuerſum os locutum eſt ſtultitiam, & Sophoniæ 1. Ecce dies Domini venit magnus, &c. ſuper omnes ciuitates munitas, & ſuper omnes angulos excelſos, ideſt, ſuper omnes hypocritas, qui fallacij ſemper ſunt offenſione circundati, vt Gregorius explicat. cap. 9. num 87.

6 *Intrinſecus autem, &c.* Multi ſunt qui exterius quidem loricati & armati ad debellandum, diabolum videntur, intrinſecus autẽ habẽt ipſum abſonditum, ſicut illi de quibus 2. Machabæorum 12 Inuenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donarijs idolorum. cap. 17. num. 5. Vnde Iob 8. ſcirpo conferuntur, vt Gregorius explicat, & Pſal. 128. comparantur fœno tectorum, quod prius quam euellatur exaruit. cap 17.nu.8.

7 *Intrinſecus autem.* Virtus externa ſine interiori valde Deo diſplicet ad vtramque inducuntur homines varijs locis Scripturæ. cap. 29. num 24.

8 *Intrinſecus autem.* Pſal. 67. dicitur: Increpa feras arundinis, vel vt legit Auguſtinus, Feras calami, ideſt hæreticos, qui venenato calamo fidem Catholicam impugnant. cap 17. nu. 10

9 *Nunquid colligunt de ſpinis vuas.* Niſi voluntas ſit bona, fructus bonos facere non poteſt. vnde ſine auxilio gratiæ ſe ad gratiam nequit homo præparare. cap. 43, nu. 18. cap. 52. num 11.

18 *Excidetur, & in ignem mittetur.* De igne inferni, & iudicio reproborum, vide Dominica prima Aduentus, & feria ſecunda poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, & Dominica 24. poſt Pentecoſten.

11 *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine.* Vide in feſto ſancti Dominici in illa verba: qui fecerit & docuerit. Et in communi Virginum, in illa verba: neſcio vos.

## DOMINICA VIII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ 16.*

1 HOMO *quidam era diues, &c.* Vide in communi Cõfeſſorum circa Euangelium de talentis.

2 *Quaſi diſſipaſſet bona illius.* Vide Sabbato poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ num. 3. 4. & 5.

3 *Quid hoc audio de te?* Interrogando, ſuperbiam Deus confundit hominum cap 41.n.2.

4 *Quid hoc audio de te.* Quid ſimile dixit Dominus per Iſai. ad Sobnam Præpoſitum templi. Quid tu hic, aut quaſi, quis hic? &c Eſt enim ratio rigoroſe exigenda a ſacerdotibus & Prælatis Eccleſiæ. cap. 22. nu. 13. 14. 15. Vbi pœna infidelibus miniſtris infligenda taxatur, & explicatur, qualiter amouendi ſint a miniſterio ſuo.

5 *Quid hoc audio de te?* Prælati debent ſubditos negligentes corripere, cum diſcretione tamen, quia (vt notauit Chryſoſtomus) multoties dum volunt conſuere quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem faciunt. cap. 22. num. 22. in fine.*

6 *Quia Dominus meus aufert a me villicationem.* Iuſto Dei iudicio, ſua dignitate priuantur multoties, qui abutuntur illa, ſic depoſitus eſt Sobnã Præpoſitus templi, ſicut Iſai. ait. Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius. cap. 22. nu. 17. 18. 19.

7 *Filij huius ſæculi prudentiores, &c.* Propter quod deſignantur per ſerpentem, de quo dicitur Geneſ. 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. cap. 29. nu. 28. Vide cap. 27. nu. 2. 3. in illa verba: ſuper Leuiatan ſerpentem vectem.*

8 *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Qui in proximos ſuos miſericordes non ſunt, acriter reprehenduntur in Scriptura ſacra. Vnde Arabes arguuntur, quod non exceperint filios Iſrael, cum fugerent a facie gladij. cap. 21. n. 15. Vide de eleemoſyna. cap. 23. à num. 10. vſque ad 14.

9 *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* ſicut fecerunt Tyrij, de quibus dicit Iſai. Et erunt negociatores eius, & mercedes eius ſanctificatæ Domino, non recondentur, nec reponentur, quia his qui habitauerint coram Domino erit negotiatio eius: vt manducent in ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem. cap. 23. à nu. 10. vſque ad 14. * Vide etiam fer. 6. poſt Cineres.

10 *Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Diuites diſtribuendo bona ſua pauperibus, ſeminant, vt multa bona colligant in patria. Vnde Iſai. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, &c. cap. 32. num. 21. 22.*





## DOMINICA IX. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ 19.*

*Cum appropinquaſſet Ieſus, &c.*

1 VIDENS *ciuitatem fleuit, &c.* Super eandem ciuitatem prius fleuerat Iſaias. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis. &
Pſal. 54. Pſalmiſta. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, &c. cap. 1. num. 62.*

2 *Fleuit ſuper illam.* Suam benignitatem oſtendit Dominus noſtras deflens miſerias. c. 9. nu. 65. cap. 49. nu. 6.

3 *Fleuit.* Dolet Dominus, tum de ingratitudine populi, tum de pœna quam pro peccatis debebat luere. Vnde per Iſai. ait. Væ genti peccatrici. cap. 1. nu. 15. 16.

4 *Fleuit ſuper illam.* Deflet pijſſimus Dominus calamitates noſtras, & ſuos aduerſarios puniturus, præ dolore clamat. Iſai. 1. Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis. cap. 1. nu. 63.

5 *Fleuit.* Fidelium ruinam prædicatores Euangelij deplorare debent, iuxta illud Iſai. Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt. cap. 23. nu. 7.

6 *Fleuit ſuper illam.* Sed quid vidit Dominus in ciuitate, vt ita doleat? Reſpondet per Prophetã. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, ſuper muros
Pſal. 54. eius iniquitas, &c. cap. 1. nu. 6. 8. 11. 30. Vnde Iſai. quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, &c. Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius. c. 59. n. 15. 16.*

7 *Fleuit ſuper illam.* Sicut Dominus fleuit mala ventura ſuper ciuitatem, ita & Iſai. cum ait. Recedite a me, amare flebo, nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei: dies enim interfectionis, & conculcationis, &c. Idem deplorauit Ezechiel, & Hierem. atque alij Prophetæ, & Apoſtolus Paulus, nullam admittentes conſolationem, ob cladis magnitudinem. cap. 22. num. 4. 5. & 6. Vide nu. 7. rationem propter quam vaſtata eſt ciuitas.

8 *Circumdabunt te inimici tui vallo, eo quod non cognoueris,* Conſonat hoc cum Iſai. Prophetia. Pro eo quod abiecit populus iſte aquas ſiloe, &c. cap. 8. nu. 13. 14. 15. 16.

9 *Circumdabunt te inimici tui vallo.* Sicut prædixit Iſai. Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis & mœrens. cap. 29. nu. 7. & 8.

10 *Circumdabunt te.* Sanctæ ciuitatis excidium his verbis denunciauit Iſai. Propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens, &c. cap. 30. nu. 13. 14. Vide c. 30. n. 20. & cap. 34. nu. 5. & 6. & c. 51. nu. 18. 19. 20.*

11 *Circumdabunt te.* Annunciare futura, ſoli Deo competit. Vnde Iſai. Priora ex tunc annunciaui, &c. cap. 48. nu. 3. 4.

12 *Ad terram proſternent te.* Ciuitates Moab deuaſtatæ ſunt propter arrogantiam, propter perfidiam, & inhumanitatem, & ciuitas Hieruſalem ſimiliter. cap. 15. nu. 2.

13 *Ad terram proſternent te.* De vaſtitate Hieruſalem. vide cap. 49. nu. 24.

14 *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Euerſionem ciuitatis, & templi vaticinatur Iſai., dicens. Væ Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid. cap 29. n. 1. 3. 4 Hoc impletum eſt tempore Titi, & Veſpaſiani, quando euerſa eſt ciuitas, iuxta illud Iſai vaticinium Terra veſtra deſerta, Ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni. cap. 1. nu. 29. 30. 31. 70. 71. 72. & c. 2. à nu. 20. vſque ad 26 & c. 3. n. 27. & ſequentibus fit ſermo ſpecialiter contra mulieres Hieruſalem, ſe ipſas ornantes ſuperbè.

15 *Cœpit eijcere vendentes.* Et infra: *Domus mea, domus orationis eſt.* Vide fer. 3. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, & fer. 2. poſt Dominicam quartam.

## DOMINICA X. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ 18.*

DVO *homines aſcenderunt in templum.* Peruerſi aſcendunt in templum, vt ſuam 1
quærant vanitatem, & deplorẽt amiſſa temporalia, ſicut de Moab dicitur Iſai. 15. Aſcendit Domus, & Dibon ad excelſa in planctum: ſed electi aſcendunt, vt ſuas deplorent iniquitates. cap. 15. nu. 3.*

2 *Aſcenderunt in templum, vt orarent.* Oratio præſertim in tẽplo Domini effuſa, omnem triſtitiam pellit, & omnes ſpirituales repellit nequitias. Vnde Iſai. Adducam eos in montem ſanctum meũ, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Et ſponſa Cant. 1. Introduxit me in cellam vinariam, ideſt, in domum orationis. c. 56. n. 6. 7.* Orationes cum mentis puritate ſunt fundendæ, alias Deo valde diſplicent. cap. 29. n. 25. cap. 1. n. 42. & 43. & cap. 16. num. 11.

3 *Aſcenderunt in templum.* Orationes in Eccleſia fuſæ ſunt Deo gratiſſimæ. Vnde Ezechias oraturus aſcendit in domum Domini. c. 37. nu. 8. Et quamuis Deus intime omnia penetret, gratum habet quod noſtras illi ponamus neceſſitates. ibidem.

4 *Vt orarent*. Orandi forma, & affectus oſtenditur in oratione Ezechiæ, Moyſi, & Danielis. cap.37.nu.3.8.9.*

5 *Phariſæus autem ſtans hæc apud ſe orabat*. Oratio quæ non ex puro, & humili corde procedit, ſed arroganti, & immundo abominabilis eſt apud Deum.Iſai.1.incenſum abominatio eſt mihi, & cum extenderitis manus veſtras, &c.cap.1.nu.41.42.43.*

6 *Gratias tibi Deus, &c.* Superbi fallaciter Deo gratias agunt, quia non illi, ſed ſibi tribuunt,quæ operantur bona. Humiles autem quicquid operantur bonum, in Deum referunt,vt late oſtenditur cap.33. nu.2.& 4.

7 *Non ſum ſicut cæteri hominum*. Vide hominis arrogantiam, quam exprobrat Iſai. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. cap. 5. num. 26.

8 *Quia non ſum ſicut cæteri hominũ*. Multi apparent ſancti in oculis hominum, & tamen coram Deo ſunt imperfecti. Nullum Samuelis Scriptura narrat in particulari peccatum, & tamen punitus eſt a Deo ob aliqua delicta illi ſoli nota, iuxta illud Pſal. 98. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, &c. cap.43.nu.20.

9 *Velut etiã hic publicanus*.Superbia huius Phariſæi ſimilis eſt ſuperbiæ Moab.de qua Iſai. Audiuimus ſuperbiam Moab,ſuperbus eſt valde ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius pluſquã fortitudo eius.Indignabatur enim Phariſæus contra Publicanum,illum deſpiciẽs. cap 16.n.8. vbi explicãtur tres ſpecies ſuperbiæ.

10 *Ieiuno bis in Sabbato*. De hypocriſi huius Phariſæi. vide c.1.n.43 eius oratio, quia ficta,Deo erat execrabilis, ibidem num.42.Vide verbo hypocriſis, verbo ſuperbia, & verbo oratio.

11 *Ieiuno bis in Sabbato*. Iuſtus obliuiſcatur bonorum operum quæ geſſit, vt illarum Deus memoriam habeat. cap.1.num.48.

12 *Decimas do omnium quæ poſſideo*. Decimæ ſunt debitæ in ſuſtentationem miniſtris Eccleſiæ. Vnde Iſai. de diuitijs Tyri loquens ait. Non recondentur, nec reponentur, quia his qui habitauerint coram Domino erit negotiatio eius. cap.23.nu.12.

13 *Decimas do omnium*. Quoniam diuites decimam partem fructuum terræ Deo non offerunt, neque ipſi decimam partem eorum quæ ſeminauerunt,colligent, iuxta illud Iſai. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam vnam, &c. cap.1.num.14. Vide cap.23. nu. 12. qualiter ſint decimæ ſoluendæ.

14 *Non audebat oculos ad Deum leuare*. Sed Dominus illum reſpexit, nec reuerſus eſt vacuus. cap.16.nu.5.

15 *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Homo propria peccata debet ſemper præ oculis habere, vt Deus illa obliuioni tradat. Iſai. 1. Auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis. non inquit, ab oculis veſtris, ſed ab oculis meis. cap.1.nu.46.47 48.

16 *Mihi peccatori*. Statim vt peccator ſuam agnoſcit culpam, Deus illam dimittit. Iob.
Vnde Iob:Tædet animam meam vitæ meæ,&c. Et ſtatim ſubdit .Dicam Deo,noli me condemnare. cap.1.nu.53.* Vide ibi. nu.54.

17 *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo*. Phariſæus quoniam in templum aſcendit ſuperbus, deſcendit vacuus, ſicut de Moab dicitur Iſai. 15. Omnis vlulatus deſcendit in fletum:Publicanus autem quoniam aſcendit humilis in templum, deſcendit gaudens, ſicut illi de quibus dicitur Pſal.125. Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: Venientes autem venient cum exultatione. cap.15.nu.5.

18 *Qui ſe exaltat,humiliabitur*. Populus Iudæorum, quoniam ſe exaltauit,humiliatus eſt, & populus gentium exaltatus eſt ſuper illum, iuxta illud Iſai. In die illa erit Iſrael tertius Aegyptio,& Aſſyrio. cap.19.nu.26.27.

19 *Qui ſe exaltat, &c.* Sic humiliatus eſt, qui dixit.In cælum conſcendam,&c.de illo nãque dixit Iſai. Verumtamen ad infernũ detraheris,&c. Vnde Pſal.72.dicitur: Deiecisti eos, dum alleuarentur. Et Pſal.82. Deus meus, pone illos vt rotam. cap.14.nu.11.*

20 *Qui ſe exaltat humiliabitur*.Aegre fert Altiſſimus, quod exaltetur homo, & glorietur contra Deum, & ſibi aliquod bonum tribuat. Vnde Iſa 10. ait. Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea. cap. 10. nu.11.12. Vbi oſtenditur in omni ſua actione hominem indigere motione diuina.

21 *Qui ſe exaltat,humiliabitur*. Angelus ſuperbus ſimilis volens eſſe Altiſſimo,diſſimilis ei factus eſt: & homo ſimiliter,ſed per humilitatem Chriſti aſſimilatur Deo,iuxta illud Iſai. Et in nomine Iſrael aſſimilabitur. cap.44 n 4.

22 *Qui ſe exaltat, humiliabitur*. Superbia ſedes Angelorum vacuas fecit,& humilitas cælum replet, ſecundum illud Iſai.6.Et ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. cap.6.nu.6. 7.8.* vbi in laudem humilitatis multa dicũtur.

23 *Qui ſe humiliat, &c.* Vnde Iſai. Hæc dicit Dominus excelſus,&c.in excelſo,& in ſancto habitans,& cum contrito,& humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium,&c. c.57.n.15.* Vide Dominica 4 poſt Pentecoſten nu.6.

DO-



## DOMINICA XI. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Marc. 7.*

*Fxiens Ieſus de finibus Tyri, &c.*

1 ET *adducunt ei ſurdum & mutum*. Per quem deſignatur peccator à Chriſto Domino merito paſſionis ſanandus. de quo vide Dominica 3.Quadrageſimæ,in illa verba, & illud erat mutum,à nu.1. vſque ad 6.

2 *Et expuens tetigit linguam eius*. Saliua Chriſti diuinitatem ſignificat,& ſapientiam,de qua ſcriptum eſt:Ego ex ore Altiſſimi prodiui.
Eccleſ.24. cap.15.nu.16. per hanc ergo ſurdum ſanat, ſicut & cæcũ a natiuitate curauit lutum faciens ex ſputo. de quo vide feria 4. poſt Dominicam 4. Quadrageſimæ.

3 *Effeta quod eſt, adaperire*. Vide feria 6. poſt 4. Dominicam Quadrageſimæ, in illa verba. Lazare veni foras.

4 *Et loquebatur recte*. Recte loquitur,qui loquitur cæleſtia: nam qui terrena loquuntur, lingua Aegyptiaca loquuntur. de quibus Iſai. In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaam.c.19.n.19

5 *Et loquebatur recte*. Melius eſt tacere, & mutum eſſe,quam peruerſe loqui.De quo vide Dominica 3. Quadrageſimæ. num.5.6. vbi agitur de triplici ſilentio.

## DOMINICA XII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ 10.*

1 BEATI *oculi qui vident, quæ vos videtis*. Apoſtoli dicuntur videntes ab Iſaia. Ecce videntes clamabunt foris. Quia (ſcilicet) Verbum incarnatum viderunt. cap.33 nu.6.

2 *Multi Prophetæ,& Reges,&c.* Vide cap. 30.nu.34. cap.35 nu.5. cap.38. nu.16. cap.40. nu 9.cap.52.nu.18.cap.53.nu.4.

3 *Magiſter quid faciendo*. Et infra. *Ipſe autem volens iuſtificare ſeipſum, &c.* Contra hypocritas, qui de magno mandato interrogant, cum nec minimum obſeruent, ait Iſai. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt quaſi gens quæ fecerit iuſtitiam. cap. 58.num.2. Vide Dominica 17. poſt Pentecoſten nu.1.

4 *Et plagis impoſitis*. De quibus Iſai. 1. A planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens. cap.1.num.27.

5 *Accidit autem, vt ſacerdos quidam*. Quales debeant eſſe ſacerdotes, oſten ditur ex analogia capitis, & cordis, quod vitam communicat toti corpori, ſed Iſai. ait. Omne caput languidum, & omne cor mærens. cap. 1. num. 26.

6 *Et viſo illo præterijt*. Valde reprehendit Scriptura eos, qui in fratres ſuos non ſunt miſericordes. Iſai. 16. reprehenduntur Moabitæ, eo quòd fugientes Iudæos non exciperint, & Iob 6. conqueritur de amicis ſuis: Fratres mei prætererierunt me ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus. cap.16.nu.3.*

7 *Samaritanus autem quidam*. Chriſtus eſt hic Samaritanus, nam eſt fidelium cuſtos, murus, & antemurale. cap 1. nu 6. de quo ſcriptum eſt Pſal. 121. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Ad quem reſpiciens ait Iſai. Cuſtos quid de nocte? cap. 21. nu. 12. 13.

8 *Alligauit vulnera,&c.* Hic ſanauit hominem, iuxta illud Iſai. vias eius vidi,& ſanaui eum, & reduxi eum, & dedi conſolationem ipſi, & lugentibus eius. cap.57. nu.18 Et cap. 60. inquit. Spiritus Domini ſuper me,eo quod vnxerit me. Euangelizare pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde. cap.61. num. 1. 2. & 3.*

9 *Alligauit vulnera eius*. Reprehendit Iſai. ſynagogam, quod plaga eius non fuerit circumligata, nec curata medicamine,&c. cap. 1.nu.28. Et oſtendit quàm facili, & ſuaui medicina, vulnera peccatorum ſanentur, lauachro, videlicet, baptiſmi, & pœnitentiæ.Iſai. 1. Lauamini mundi eſtote, &c.c 1. n.44 & 45.

10 *Alligauit vulnera eius*. De quo Pſal. 146. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. alligamenta hæc, vt ait Auguſt. ſacramenta ſunt Eccleſiæ. cap. 61. nu. 1.

## DOMINICA XIII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ 17.*

*Cum iret Ieſus in Hieruſalem, &c.*

QVI *ſteterunt a longe*. Præ humilitate, 1
& in ſignum, quod peccator longe eſt à Deo, cap.29.nu 23.cap.49.nu.13.

3 *Et leuauerunt vocem*. Vide fer. 5. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ.

3 *Ieſu præceptor*. Chriſtus eſt verus præceptor.

ceptor. de quo Iſai. ait. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, &c. cap. 30. nu. 33. 34. 35.

4 *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Dum irent ad ſacerdotes, mundati ſunt, quia ex deſiderio ſacerdotis, & ſacramentalis confeſſionis cōſequitur pœnitens ſpiritualem ſalutē, Pſal. 31. Dixi confitebor aduerſum me in iuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. vbi de futuro inquit, Confitebor, & de præterito, remiſiſti. cap. 1. num. 53. cap. 38. num. 19.* Vbi modus exprimitur pœnitentiæ.

5 *Oſtendite vos ſacerdotibus.* Hic ſacramentum inſinuatur pœnitentiæ, de quo multa dicuntur cap. 43. nu. 22. vbi oſtenditur, confeſſionem factam per litteras ſacerdoti abſenti, & abſolutionem ſimiliter per litteras traditam ab illo, non eſſe ſacramentalem.

6 *Vnus ex illis regreſſus eſt.* Iuſti pro beneficijs acceptis gratias agunt, vt multis Scripturæ locis oſtenditur cap. 1. nu. 15.

7 *Non eſt inuentus qui rediret, &c.* Peccatores ingrati sūt. De ingratis dicitur Iſai. 1. Ipſi autem ſpreuerunt me. Primus ingratitudinis gradus eſt, beneficium obliuioni tradere. Secūdus, benefactorem non agnoſcere. Tertius, ipſum ſpernere, atque eiſdem beneficijs in contemptum benefactoris vti. cap. 1. num. 14. De quo plura dicuntur eodem cap. num. 11. 12. 13.*

8 *Non eſt inuentus qui rediret.* Ingratitudo eò eſt maior, quò poſt plura beneficia ſubſequitur. Vnde Iſai. Prius dixit, filios enutriui, & exaltaui, & ſtatim Hæbræorum notat ingratitudinem, ſubdens. Ipſi autem ſpreuerunt me. cap. 1. num. 9.

9 *Niſi hic alienigena.* Alienigenarum fides, & deuotio, ingratitudinem confundit Chriſtianorum, iuxta illud. Erubeſce Sidon, ait mare. Vide feria quinta poſt Dominicam primam Quadrageſimæ nu. 2. in illa verba, & ecce mulier Cananæa.

10 *Fides tua te ſaluum fecit.* Vide in feſto Magdalenæ.

## DOMINICA XIV. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 6.*

1 NEMO *poteſt duobus Dominis ſeruire.* Dixit enim Iſai. Coanguſtatum eſt enim ſtratum ita, vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt. Vnde Cant. 1. dicitur. Lectulus noſter floridus. Lectulus dicitur cor hominis, & non lectus, quia breue eſt, & vtrumque operire non poteſt. cap. 28. nu. 27. cap. 55. nu. 12.*

2 *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* De auaritia inquit Apoſtolus, quod eſt idolorum ſeruitus: ſicut ergo idolo, & Deo nemo poteſt ſeruire: ita nec Deo, & diuitijs. Idolum eſt quidquid Deo præfertur, aut æquatur, & multoties latet ſub humilitatis habitu, ſicut 2. Machabæorum 12. dicitur. Inuenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donarijs idolorum. cap. 17. num. 5.* Vide quæ contra auaritiam dicuntur. cap. 29. num. 1.

3 *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Ex auaritia ſequitur idololatria. Vnde Iſai. poſtquam dixit: Et repleta eſt terra argento, & auro, ſubdit: Et repleta eſt terra eius idolis. Auaritia habet ſua præcepta, Dei præceptis contraria. cap. 1. num. 18. 19. Vbi multa inuenies contra auaritiam. Auaritia cantui meretricio comparatur, quia homines dementat. cap. 23. num. 9. Similis eſt aſpidis morſui, quia dulcedine lucri, velut ſuauitatē ſoporis, tenetur auarus, & moritur. cap. 23. nu. 13. in fine. Similis eſt hydropiſi, vt oſtenditur Dominica 16. ſequenti.*

4 *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Homo efficitur ſeruus pecuniæ per inordinatum vſum illius. Hanc ſeruitutem à ſe abijcit iuſtus, iuxta illud Iſai. Abijciet vir idola argenti ſui. cap. 31. num. 6. Non enim eſt ſolum auaritia projcienda, ſed etiam excutiendæ ſunt manus ab omni munere. cap. 33. num. 12.*

5 *Et mãmonæ.* Auaritia eſt Idolorũ ſeruitus, hoc idolum ſibi fabricant homines multis laboribus, & expenſis. Dicit enim Iſaias: Nunquid ſculptibile conflabit faber, aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? Et iterum. Faber ferrarius lima operatus eſt, in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ; eſuriet, & deficiet, non bibet aquam & laſſeſcet, &c. cap. 40. num. 29. cap. 44. num. 8. 10.

6 *Quærite primum Regnum Dei.* Patribus antiquis promiſſa fuerant terrena. Iſai. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, & ipſi terrenis oblitis, ad cæleſtia anhelabant: nos autem, quibus ſunt cæleſtia repromiſſa, terrena perquirimus. cap. 1. nu. 56. 57.*





## DOMINICA XV. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Lucæ. 7.*

IBAT *Ieſus in ciuitatē Naim.* Hoc Euangelium explicatum eſt feria 5, poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ.

## DOMINICA XVI. POST Pentecoſten.

### *Euangelium Lucæ. 14. Cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum, &c.*

1 ET *ecce homo quidam hydropicus.* Hæc infirmitas typum gerit auaritiæ, de qua Iſai. ait. Et repleta eſt terra argento & auro. cap. 2. nu. 18. Vbi oſtenditur, quam inſatiabilis ſit pecuniæ apetitus. Vnde Dominica 14. poſt Pentecoſten.

2 *Homo hydropicus.* Temporalia bona auari ſitim non extingunt, quia ad animam vbi eſt ſitis non pertingunt. Eccleſ. 1. Non ſatiatur oculus viſu, &c. Vnde Iſai. Repleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis Theſaurorum eius, quia auarus ſicut hydropicus, quo magis bibit, eo amplius ſitit, quod multis Scripturæ locis oſtenditur. cap. 2. num. 18. 19.*

3 *Non diſcumbas in primo loco, ne forte, &c.* Superbus ſibi primum eligit locum, & eminentiorem, ſed Dei potentia in infimum deijcitur, ſicut Lucifer, qui dicebat in corde ſuo: In cælum conſcendam: & tamen ſicut dicit Iſai. detractus eſt in profundum laci. cap. 14. nu. 10. 11. Vide. cap. 32. nu. 4.

4 *Recumbe in nouiſſimo loco.* Humilitas cælum replet, iuxta illud Iſai. Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. vnde Exod. 24. dicitur, quod ſub pedibus Dei erat, quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum cum ſerenum eſt. Tales enim ſunt qui recumbunt in nouiſſimo loco, qui propter Deum ſubiecti ſunt omni humanæ creaturæ, & ſub aliorum pedibus ſe conſtituunt. cap. 6. nu. 8.

5 *Amice aſcende ſuperius.* Angelus deſcendit per ſuperbiam, homo per humilitatem
*Gen. 43.* aſcendit. Vnde Ioſeph, qui recubuit in nouiſſimo loco, in quinque partibus exceſſit fratres ſuos. cap. 6. nu. 8.

6 *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* Iuxta illud Iſai. Pedibus conculcabitur coronæ ſuperbiæ, &c. cap. 28. num. 3. & 4. Vide Dominica 10. poſt Pentecoſten. à num. 18. vſq; ad 23. Vbi hæc eadem verba expenduntur.

## DOMINICA XVII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 22. Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi.*

1 MAGISTER *quod eſt mandatum magnum in lege?* Simulantes ſanctitatem, interrogant Phariſæi Chriſtum de maximo mandato: quos per Iſai. acriter reprehendit, dicens. Me etenim de die in diem quærunt: & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ Iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit. Rogant me iudicia iuſtitiæ, appropinquare Deo volunt. cap. 58. nu. 2.

2 *Diliges Dominum Deum tuum.* De præcepto dilectionis vide in communi Apoſtolorum, in illa verba. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. & feria 5. in Cœna Domini, in illa verba, in finem dilexit eos; & Dominica 12. poſt Pentecoſten.

3 *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet.* Nam in præcepto dilectionis omnia alia comprehenduntur, iuxta illud Iſai. Conſummatio abbreuiata inundauit iuſtitiam. cap. 10. nu. 21. Hinc eſt quod Cant 8. dicitur. Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. quia videlicet animam inſuperabilem efficit cap. 43. num. 3. Charitas obſeruantiam aliorum mandatorum ſuauem facit. de quo vide in feſto S. Matthiæ, in illa verba. Iugum meum ſuaue eſt, &c.

4 *Vniuerſa lex pendet & Prophetæ.* Lex, & Euangelium eundem Chriſtum reſpiciunt, ſicut duo Cherubim ſe inuicem, & arcam teſtamenti reſpiciebant. Tom. 1. pag. 1. & 2. *Exod. 25.*

5 *Quid vobis videtur de Chriſto?* Sanctus Iob inquit: Si repente interroget, quis reſpondebit ei; Et ipſe Dominus ait. Numquid *Iob 9.*
qui contēdit cum Deo tam facile conquieſcet? oſtendens neminem poſſe cum eo diſputare. ca. 29. num. 31.*

6 *Dicunt ei, Dauid.* Chriſtus ſpecialiter dicitur filius Dauid, vt manſuetudo illius, & benignitas commendetur. Vnde Cananæa. *Matth. 15*
Miſerere mei fili Dauid. cap. 7. num. 16. Vide fer. 5, poſt Dominicam primam Quadrageſimę.

7 *Et nemo poterat reſpondere.* Iuxta illud Iob. Non poterit ei reſpondere vnum pro mille. Vide Dominica infra octauas Epiphaniæ. num. 2. 3.

## DOMINICA XVIII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 9.*

*Aſcendens Ieſus in nauiculam tranſfretauit, &c.*

1 CONFIDE *fili*. Filium vocat, cui ſunt remiſſa peccata: peccatores enim filij Dei non ſunt, quia pietatem erga illum non habent. Vnde Deut. 32. Peccauerunt ei & non filij eius in ſordibus. cap. 7. nu. 17.* Vide etiam cap 1 nu 9 & cap. 6. nu. 33.

2 *Hic blaſphemat*, Vide Dominica in Paſſione. in illa verba, Dæmonium habes.

3 *Cum vidiſſet cogitatines eorum*. Malas cogitationes cauere non poſſumus, ſed tantum malum cogitationum, ideſt conſenſum. Vnde Iſai. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. cap. 1. nu 46. 47.*

4 *Vt vidit cogitationes*. Chriſtus vt oſtenderet ſe verum Deum, potius cogitationibus reſpondebat quàm verbis. cap. 32, num. 6. Vide fer. 2. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ. nu. 4.

5 *Vt quid cogitatis mala?* Chriſtus non ſecundum viſionem oculorum iudicabat, quia intuebatur corda hominum. cap. 11. nu. 7. 8. 9. Vbi late oſtenditur, qualiter Deus hypocritas reprehendat.

6 *Quia filus hominis habet poteſtatem in terra dimitendi peccata*. Vere talem habet poteſtatem Chriſtus Dominus, qui eam dedit Petro, dicens. Et quodcumq; ligaueris ſuper terrã erit ligatũ & in cælis, &. Vide in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, & Dominica in Albis. in illud, Quorũ remiſſeritis peccata, &c.

## DOMINICA XIX. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 22.*

1 SIMILE *eſt Regnum Celorum homini Regi qoi fecit nuptias filio ſuo*. Cum videlicet naturam humanam ſibi copulauit. De quo vide in Natali Domini, ſuper illud. Et Verbum caro factum eſt. Circa totum Euangelium vide quæ notata ſunt Dominica 2. poſt Pentecoſten.

2 *Et nolebant venire*. De ijs ait Iob. dixerunt Deo, recede a nobis; ſcientiam viarum tuarum nolumus.

3 *Ecce prandium meum paraui*. Omnia nobis Deus in vna Euchariſtiæ buccella præparauit cap 1, nu. 10 *. Vide Dominica 2. poſt Pentecoſten, & cap. 28. nu. 5. Vbi oſtenditur, Iuſtos ſimul in Deo omnia poſſidere bona, quæ ſunt in creaturis ſparſa.

4 *Illi autem neglexerunt*. Vide Dominica 2. poſt Pentecoſten, in illa verba. Et cœperunt omnes ſe excuſare.

5 *Reliqui vero tenuerunt ſeruos eius, &c.* Vide in feſto ſancti Stephani ſuper illud. Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas.

6 *Ite ergo ad exitus viarum*. Hoc intelligitur de vocatione gentium, de qua Iſai. Ecce gentem quam neſciebas vocabis, & cap. 55. nu. 9. 10. Vide in feſto Epiphaniæ.

7 *Non habens veſtem nuptialem*. Hæc veſtis eſt Charitas & Iuſtitia, de qua Iob 29. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, quia vt notauit Gregorius, ex omni parte debet homo iuſtitia protegi, ſicut induitur veſtimento. cap. 22 nu. 18. *

8 *Mittite eum in tenebras exteriores*. De pœnis Inferni vide Dominica 1. Aduentus. & feria 2. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ, & Dominica 24. poſt Pentecoſten, & totum cap. 24. Iſai. Vide etiam cap. 1. nu 69. ſuper illud Iſai. Conteret ſceleſtos, & peccatores.

9 *Multi enim ſunt vocati*. Vide Dominica in ſeptuageſima ſuper hæc eadem verba.

## DOMINICA XX. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Ioan. 4.*

ERAT *quidam Regulus*. Solus Deus eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, 1
alij omnes ſunt Reguli. vnde Iſai. Væ coronæ ſuperbiæ, &c. cap. 28. nu. 1.

2 *Rogabat eum, vt deſcenderet, &c.* Principes tribulationibus oppreſſi quærũt ſanctos, ſed nam in proſperis. cap. 39. nu. 4.

3 *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis*. Myſteria fidei credenda ſunt, vt intelligantur. Vnde Iſai: Niſi credideritis non intelligetis. cap. 7, nu. 12. 13. Vide feria 4. Dominicæ 1. Quadrageſimæ, ſuper illud. Magiſter volumus à te ſignum videre, & in Natali Domini, ſuper illa verba, & hoc vobis ſignum.

DOMI-



## DOMINICA XXI. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 18.*

1 SIMILE *eſt Regnum Calorum homini Regi*. Homo Rex Chriſtus eſt habens in femore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium Ipſe cũ ſeruis ſuis rationẽ dignatur ponere, qui per Iſa ait. venite, arguite me. c. 1. n. 52. 53. Et iterũ. Venite iudicemur, ſimul c. 43. n. 18. Vide Dominica 8. poſt Pentecoſten.

2 *Miſertus autẽ dominus ſerui illius*. Maxima Dei miſericordia ſplẽdet cũ remitit peccata. Vnde Iſai. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Et Pſal. 102. Noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, &c, cap. 28. nu. 17, cap, 40. nu. 7. *

3 *Serue nequam, &c.* Acriter Deus reprehendit eos qui ſunt inmiſericordes in fratres ſuos. ſic reprehendit Aſſur dicens. Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, &c, cap. 10. num. 4, 6. & 8.

4 *Omne debitum dimiſi tibi, &c.* Homines nullum in peccando terminum habent, & tamen Deus terminum ſuo imponit furori. Iſai. In obliuione eris ò Tyre ſeptuaginta annis: poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis. cap. 25. nu. 7.

5 *Omne debitum dimiſſi tibi*. Deus vere pœnitentibus veniam concedit toties quoties. cap 55. nu. 13.

6 *Sic faciet Pater meus caleſtis*. Non dicit Pater veſter, ſed Pater meus, quia peccatores indigni ſunt quod Dei ſilij nominentur, iuxta illud Deut, 32. Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus. cap. 7. nu. 17.

## DOMINICA XXII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 22.*

*Abeuntes Phariſæi.*

1 CONSILIVM *inierunt*. Cogitauerunt Iudæi contra Chriſtũ conſilia quæ non potuerunt ſtabilire. Geneſ 49. in conſilium eorum non veniat anima mea. cap. 3. nu. 17. quales debeant habere cõditiones Conſiliarij, explicatur cap. 1. nu. 66. & feria 6. poſt Dominicam in Paſſione.

2 *Vt caperent eum in ſermone*. Iſti contra Chriſtum arguere volebant, ſed diſputatio hominis eſt Deo gratiſſima, quæ poſt peccatorũ pœnitentiã, ſequitur Vnde Iſa. poſtquã dixit, lauamini, mundi eſtote, &c. ſubdit, & venite arguiteme dicit Dominus. cap. 1. nu. 52. 53.*

3 *Magiſter ſcimus quia verax eſt, &c.* His cõpetit illud Iſai. Stultus fatua loquetur & cor eius faciet iniquitatẽ, vt perficiat ſimulationẽ, & loquatur ad Dominũ fraudulenter, &c Fraudulẽter enim ad Chriſtũ locuti ſunt. ca. 32. n. 6.

4 *Magiſter ſcimus quia verax es, &c.* Adulabantur Domino tanquam hypocritæ qui mel habent in ore, & fraudem moliuntur in corde. Vnde Iſai. Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Hi ſimiles ſunt ſcorpionibus, & vulpibus. cap. 3. nu 23. Aſſimilantur etiam caudis, quia blandiuntur cap. 9. nu. 85. *

5 *Non reſpicis perſonam hominum*. De illo namq; ſcriptum eſt, non ſecundum viſionem occultorum iudicabit, &c, cap. 1. nu. 7.

5 *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* Homo ad imaginem Dei factus eſt, vnde capacitatem cordis eius ſolus Deus poteſt implere. ait enim Cant. 8. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. cap. 29 nu. 16. * Anima noſtra facta eſt ad ſimilitudinẽ Dei, non tamen poteſt ipſum per eſſentiam repræſentare aliqua ſimilitudo creata. Vnde per Iſai. ait. Cui aſſimilaſtis me, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? cap. 46. nu 4.

7 *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* Imago Dei per peccatum fœdatur in hominibus, qui imaginem adorant diaboli. Non enim ſolum beſtiam adorare nefas eſt, ſed & imaginem beſtiæ. cap. 4 nu. 3. *

8 *Reddite quæ ſunt Dei Deo*, Quoniam auarus homo non reddit ex terræ fructibus decimas & primitias Dei miniſtris debitas, iuſto iudicio terra illi fructum non profert, ſed ſicut dixit Iſai. Triginta modij ſemeutis facient modios tres. cap. 5. nu. 14,

## DOMINICA XXIII. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 9.*

*Loquente Ieſu ad Turbas, &c.*

ECCE *Princeps vnus*. Princeps & Prælatus quas debeant habere conditiones explicatur cap 3 nu. 8.

2 *Ecce Mulier*. Vide in feſto Magdalenæ ſuper hæc eadem verba

3 *Quæ fluxum ſanguinis patiebatur*. Fluxus ſan-

xus ſanguinis peccata ſignificat idololatriæ, præſertim rapinæ, & homicidij, de quibus Iſa. 1. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, & Oſeæ 4. Sanguis ſanguinem tetigit. cap. 1. num. 4.

4 *Quæ fluxum ſanguinis patiebatur duodecim annis*. De conſuetudine peccandi, vide feria 6 poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, ſuper illud: Triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. & feria 6. poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ, ſuper illud. Domine iam fœtet.

5 *Acceſſit retro*. Peccatores ſubtrahunt ſe ex præſentia Dei, & ſe retro conſtituunt, iuxta illud Iſai. Abalienati ſunt retrorſum. cap 1. n. 21. 22. Vide in feſto Magdalenæ, ſuper illud, ſtans retro ſecus pedes eius.

6 *Tetigit fimbriam*. Tactu fimbriæ, hoc eſt humanitatis, & paſſionis Chriſti, mundantur peccatores. cap. 6. nu. 7.

7 *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit*. Chriſtus Dominus linum fumigans ſuis accendebat verbis, iuxta illud Iſai. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. cap. 42. nu. 5.

8 *Et ſurrexit puella*. Vide quæ circa reſurrectionem notata ſunt in die Paſchatis, & feria 6. poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ. Vbi agitur de reſurrectione Lazari.

## DOMINICA XXIV. POST Pentecoſten.

### *Euangelium. Matth. 24.*

1 CVM *videritis abominationem deſolationis*. Circa totum hoc Euangelium vide Dominica prima Aduentus. & fer. 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.

2 *Et qui in tecto*. Reprobi nullum habent tectum, nullum vmbraculum in quo ſe abſcondant a turbine, & a pluuia, ideſt, ab ira iudicis. Electi autem vmbraculum habent, & tabernaculum, in quo habitant ſecuri, iuxta illud Iſai. Super omnem enim gloriã protectio, &c. cap. 4. nu. 13. 14.

3 *Erit enim tunc tribulatio* Chriſtus futura prædicens, oſtendit ſe eſſe verum Deũ. Vnde Iſai. Annũciate quæ ventura ſunt in futurũ, & dicemus quia dij eſtis vos. cap. 41. num. 19. 20. vbi agitur de ſcientia diuina. Vide cap. 51. num. 20. de tribulatione extrema. Et Dominica prima Aduentus.

4 *Sol obſcurabitur & Luna non dabit lumen ſuum*. cap 14 nu. 6.

5 *Illic congregabuntur & aquilæ*. Iuxta illud Iſaiæ vaticinium, & vos congregabimini, vnus, & vnus filij Iſrael. Hinc Saluator ait. Erunt duo in lecto, vnus aſſumetur, & alius relinquetur: diuitiæ namque non condemnant hominem, ſed malus vſus earum. Nec paupertas hominem ſaluat, ſed bonus vſus illius. cap. 17. num. 15.

6 *Stellæ cadent de cælo*. Quid ſit ſtellas cadere, aut virtutes cælorum commoueri, explicatur. cap. 14. nu. 10. & cap. 34. nu. 3.

7 *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, &c.* Sicut Balthaſar repentinum accidit iudicium, ita etiam impijs eueniet in die mala. c. 21. n. 6.

8 *Tunc apparebit ſignum filij hominis*. Cuius iram vt caueamus nos Iſai. admonet. Quieſcite ergo ab homine, &c. cap. 2. nu. 26.

9 *Et videbunt filium hominis*. Videbunt, & omnia quæ commiſerunt reprobi peccata, in libris propriæ conſcientiæ ſcripta. De quibus Daniel 7. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. cap. 26. n. 32. Vide Dominica prima Aduentus. nu. 13. 14. 15.

10 *Et mittet angelos ſuos cum tuba, &c.* Sicut denunciauit Iſai. Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, &c. cap 27. nu 16.

11 *Ab arbore autem fici diſcite parabolam*. Vide Dominica prima Aduentus à nu. 19. vſque ad 26.

12 *Quia prope eſt in ianuis*. Diem Iudicij Chriſtus dicitur neſcire, quia non facit alios ſcire diem illum. cap. 7. nu. 31 Alia, quæ pertinent ad hoc Euangelium, explicata ſunt Dominica prima Aduentus, & feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.

13 Igitur electi ibunt in vitam æternam, reprobi autem in ignem æternum. qui igne, & lignis peccatorum nutritur, & flatu Domini ſuccenditur, iuxta illud Iſai. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, & flatus Domini ſuccendens eam. cap. 30 num. 52. 53.* Et iterum ait. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis. cap. 50. nu. 14.





# ANNOTATIONES IN EVANGELIA DE SANCTIS.

## IN FESTO SANCTI Andreæ Apoſtoli.

### *Euangelium. Matth. 4.*

1 AMBVLANS *Ieſus iuxtà mare Galilææ*. In Galilæa prædicare cœpit Chriſtus vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, &c. c. 9 n. 28.

2 *Vidit duos fratres, &c* Per duos fratres, Moyſem videlicet, & Aaron, populum Hæbræum eduxit ex Aegypto, vt legem ſcriptam illis daret in monte Sinai, miſit illos binos, at Chriſtus Dñs prædicaturus Euangeliũ binos, & binos fratres elegit. vt maior & perfectior, vnitas legis gratiæ ſignaretur. cap. 9. nu. 28.*

3 *Petrum, & Andream*. Hi fuerunt duo lapides fundamentales Eccleſiæ. Quibus illud competit. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem lapidem, ideſt Petrum, & Andream, in fundamento fundatum. hoc eſt in Chriſto, cap, 28. nu. 20.*

4 *Et vocauit eos* Scilicet ad Apoſtolatum. Nemo enim ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron, vt dicitur Hæbræorum quinto. Vnde Iſaias. Et vocabo, inquit, Eliachim filium Helciæ, &c. cap. 22. nu. 16. 17.*

5 *Et vocauit eos*. Vocatio hæc eſt occulta, non ex meritis, ſed ex pura Dei miſericordia, ſicut & prædeſtinatio. cap, 29. num. 30. 31. vbi agitur de prædeſtinatione gratuita.

6 *Et vocauit eos*. Vocatio ſecundum propoſitum, effectus eſt prædeſtinationis: eſt enim duplex vocatio, altera ſufficiens, altera efficax, quæ explicantur. cap 41. nu 9.*

7 *Faciam vos fieri piſcatores hominũ*. Non dixit faciam vos rerum temporalium piſcatores. Qui enim his intendũt piſcationibus, nihil capiunt. Iſaiæ 19. & mœrebuntur piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamũ, &c. cap. 19 nu. 9. De piſcatoribus autem hominum ſcriptum eſt Ieremiæ 16. Ecce ego mittam piſcatores multos, & piſcabũtur eos. ibid. num. 10 & 11. vbi contra piſcatores diaboli, Deum mittere piſcatores, oſtenditur.

8 *Faciam vos fieri piſcatores*. Hieremiæ 16 promiſit Dominus ſe miſſurum piſcatores multos, deinde venatores multos, vt ſignificet quod amore, & timore adducendi erant fideles ad fidem. Amor in piſcatoribus, timor in venatoribus deſignatur. cap 7. nu. 37.*

9 *Faciam vos fieri piſcatores hominum*. De hac piſcatura ſpiritualiũ piſciũ agitur diffusè cap. 19. nu. 9. 10. & 11. Vide feria 4. Paſchatis.

10 *Piſcatores hominum*. Olim Apoſtoli, in capturã animarũ laxabant retia, nõ in captutã auri, vel argẽti, ſicut auari faciunt c. 56. n. 13.

## IN FESTO SANCTI Thomæ Apoſtoli.

### *Euangelium. Ioan. 20.*

THOMAS *vnus de duodecim, &c.* Vide de toto Euangelio Dominica in Albis. 1

## IN FESTO SANCTI Stephani Protomartyris.

### *Euangelium. Matth. 23.*

ECCE *ego mitto ad vos Propheta s*. Iuxta illud Iſa. Primus ad Sion dicet, ecce adsũt, & Hieruſalem Euangeliſtã dabo. cap. 41. n. 24.* Et iterũ ait. Quis cæcus niſi ſeruus meus, & ſurdus niſi ad quẽ nuncios meos miſi? ca. 42. n. 21. 1

2 *Quoties volui congregare, &c.* Prælati, & Paſtores ſubditos ſuos protegere debent, & defendere, ſicut Gallina pullos cap. 3 nu. 11.*

3 *Sicut Gallina congregat pullos ſuos, &c.* Affectus omnes dilectionis quos erga pullos ſuos habet gallina. Chriſtus in ſeipſo erga nos oſtendit cap. 3. nu 11, circa finẽ. Vnde per Iſai. ait. Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem, &c. cap. 31. nu 5. Et ſimiliter habet affectum matris. cap. 49. nu. 15.

4 *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*. Sicut prædixerat Iſai. Terra veſtra deſerta, &c. cap. 1. num. 29. 30. 31. 32. 33. cap. 6. nu. 51. 52.

cap.3.nu.13. in illa verba,Ruit enim Hieruſalem, & Iudas concidit. cap. 7. nu. 35. 36.37. cap.32.nu.13. in illa verba,domus enim dimiſſa eſt, & cap. 34. nu. 6. in illa verba Victima enim Domino in Boſra, &c. & nu 8. in illa verua,& poſſidebunt illam onocrotalus, &c. *

5 *Relinquetur domus veſtra*. Summa ira Dei, & ſumma pœna peccati eſt, peccatorem relinquere cap.1.nu.31.*. Vide cap. 14. num. 15.

6 *Domus veſtra*. Sumptuoſa ędificia vindictam petunt contra ſuperbos. Vnde Iſaias,poſtquã dixit,in auribus meis ſunt hæc,ſubdit Niſi domus multæ deſertæ fuerint, grandes, & pulchræ. cap. 5. nu. 12. 13. Vide quæ de vaſtitate vrbis dicta ſunt Dominica 9. poſt Pentecoſten.

## IN FESTO SANCTORVM Innocentum.

### *Euangelium. Matth. 2.*

1 ANGELVS *Domini apparuit*. Angeli miniſtri ſunt ſoliciti,noſtram quærentes ſalutem. Vide in feſto Angelorum.

2 *Fuge in Aegyptum, &c.* Vt in maiori abundantia Chriſtus pro nobis effunderet ſanguinem, noluit ab Herode occidi in tenera ætate: in cuius ſignum, Exod. 23. præcipitur, ne coquas agnum in lacte matris ſuæ. cap. 9. num. 24.*

3 *Fuge in Aegyptum*. Ingreſſus Domini in Aegyptum meminit Iſaias,dicens.Ecce Dominus aſcendet ſuper nubē leuē,& ingredietur Aegyptum, &c. vbi per nubem leuem ſignificatur humanitas Chriſti, vt ait Hieronymus, & Bernardus cap.19. nu. 4. Ingrediens Aegyptum omnia idola confregit cap.30.nu. 39

4 *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis*. Quantum damnum inferat reipublicæ Rex impius, oſtenditur cap. 1. nu. 26. 27. de conditionibus Regis & Iudicis, vide cap 16. nu.6. Vide etiam de Herodis ira, atq; turbatione, & Magorum conſtantia in feſto Epiphaniæ.

5 *Miſit, & occidit omnes pueros*. Sed Chriſtus Dominus non fuit inter eos occiſus, vt adimpleretur illud Iſaiæ in pharetra ſua abſcondit me videlicet ab Herodis ira. Pharetra enim humanitatem ſignificat, ſub quã Diuinitatis ſagitta fuit abſcondita. cap.49.nu.4.

## IN CONVERSIONE SANCTI Pauli Apoſtoli.

### *Euangelium. Matth. 19.*

ECCE *nos reliquimus omnia.* Vide in communi Apoſtolorum.

### *Epiſtola. Actuum. 9.*

1 SAVLVS *adhuc ſpirans*. Saulus, vt leo perſequebatur fideles, ſed Chriſti voce in ouem conuerſus eſt. cap.29.nu 9.*

2 *Et ſubito circumfulſit eum lux de cælo*. Nam diuina gratia præuenit peccatorem, & mouet efficaciter, vt reſurgat cap. 10. nu. 11. 12.* Vide quæ de gratia præueniente habentur in tabula communi, verbo gratia, & verbo auxilium.

3 *Et cadens in terram*. Chriſtus Dominus ſibi Paulum ſubijcens impleuit illud, Iſai. Et adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans lutum. Ex hoc luto fecit vas electionis,vt nomen eius portaret. cap.41. num. 22.

4 *Cadens in terram*. aſſumptus eſt ad tertium cælum, & ibi vidit arcana verba, vt teſtis eſſet ocularis diuinitatis Chriſti, iuxta illud Iſai. Vos teſtes mei dicit Dominus. cap. 43. nu.10.11.* Vide ibi. nu. 8. 9.

5 *Saule Saule*. Vocat eum ex nomine in ſignum dominij. Vnde Iſai. Et omnes ex nomine vocat. cap. 40. nu. 34. 36. cap.41.num. 22. Et iterum ait, Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias quia ego Dominus qui voco nomen tuum Hæc ad literam dicta ſunt de Cyro,ſed applicantur. Paulo, cap.45.num.5.* Et rurſus:ego, ego locutus ſum, & vocaui eum: adduxi eum, & directa eſt via eius.cap.48 nu.9.*

6 *Saule Saule, &c.* Paulo Apoſtolo poteſt adaptari illud quod dicit Iſai. Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. cap. 46. nu. 7. Ex Saulo factus eſt Paulus, quod interpretatur paruulus, cui poterit adaptari illud Iſaiæ: minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. Pene dixiſſet,Paulus. cap 60.nu.26. *

7 *Quid me perſequeris*. Perſequutiones iuſtorum ſuas reputat Dominus, quòd, & per Iſai. oſtendit dicens, Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? &c. cap.37.nu.11.

8 *Domine quid me vis facere*? Paulo competit illud Iſaiæ; humiliaberis, de terra loqueris,



& de humo audietur eloquium tuum, in tribulatione quippe cognouit Dominum,ca. 29. nu 10.11.

9 *Apertiſq; oculis nihil videbat*. Quod ideo factum eſſe affirmat Chryſoſtomus, vt intelligeret,ſe iam deinceps legem antiquam nō viſurum, vt carnales obſeruantias cuſtodiret, iuxta quod per Iſaiam ait, liga teſtimonium ſigna legem in diſcipulis meis, ideſt,claude legem Moyſi. cap. 8. nu. 27.cap.42.nu.22.vſque ad 33. vbi oſtenditur legem antiquam ceſſaſſe adueniente lege gratiæ.

10 *Ecce enim orat*. Quaſi dicat:non eſt timendum de eo qui orationi vacat, nam orationis efficacia maxima eſt. cap. 19. nu.22.*

11 *Domine audiui à multis de viro hoc, &c.* Timebat Ananias accedere ad Paulum, quia lupus erat: timebat,quia non audierat illud Iſaiæ: habitabit lupus cum agno. Lupus fuit Paulus, & lupus rapax, mane comedens prædam, ſed veſpere diuidens ſpolia. cap. 11. nu. 11. & 13.

12 *Vas electionis eſt mihi,vt portet nomen meum*, &c. Apoſtoli, & præſertim Paulus,humeri fuerunt ſuper quos aſcendit Chriſtus, vt volaret per vniuerſum mundum, ſecundum illud Iſaiæ. 11. & volabunt in humeros Philiſtijm per mare, &c. Et Pſalm. 17. Aſcendit ſuper Cherubin, & volauit. cap.11.nu.21.

13 *Vt portet nomen meum*. Non ſolum nomen Chriſti, ſed & omnes fideles ſuper humeros ſuos portauit Paulus,cui illud competit, quod de Eliacim dicitur per Iſaiam, Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domui Patris ſui, & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus Patris ſui,&c. ca. 22.n.24.*

14 *Vt portet nomen meum*. Sacerdotes, & prædicatores Euangelij portant vaſa Domini, quibus dicitur per Iſai Mundamini,qui fertis vaſa Domini. cap 52.nu.15.

15 *Saulus autem multo magis conualeſcebat. &c.* Non ſolum Paulus confudit Iudæos, ſed etiam in faciem reſtitit Principi Apoſtolorum Petro. cap.42.nu.25.

16 *Et confundebat Iudæos*. Magna erga Iudæos fuit charitas, & æmulatio Pauli, vt ex Chryſoſtomo oſtenditur. cap. 55. nu. 10

## IN PVRIFICATIONE Beatiſſimæ Virginis Marię.

### *Euangelium. Lucæ 2.*

1 POSTQVAM *impleti ſunt, &c.* De Beatæ Mariæ Virginitate, humilitate, & obedientia, vide verbo, Maria.

2 *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini*. De conſonantia legis, & prophetarum cum Euangelio a tom.1.pag 1.& 2.

3 *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini*. Per ceremonias legis antiquæ homines imperfecti diſponebantur,vt reciperent Euangelium:nullum tamen in illa præceptum conferebat ſalutē ſecundū illud.Ezech.20.Dedi eis præcepta non bona, ideſt,quæ non ſanctificant homines.Ideo Paulus cum dixiſſet, ſcimus quia bona eſt lex, ſubdit: ſi quis ea legitimè vtatur,in finē ſcilicet propter quem data eſt,ideſt vt per eam perueniant ad Chriſtum.cap.1.nu.40. Vide feria 6. Cinerum.

4 *Par turturum*. Pauper erat,non potuit inuenire vnde offerret agnum. Ideo ex ſua ſubſtantia offert par turturum. Ex quibus colligitur,quod non ſunt gratæ Domino oblationes ex bonis pauperum factæ.Vnde Malach. 1. Et hoc rurſum feciſtis, operiebatis lacrymis altare meum 1. ſacrificijs ex lacrymis pauperum, &c. cap. 1.nu 34.40. *

5 *Simeon iuſtus, & timoratus*. Coniunxit iuſtitiam cum timore, quia iuſti valde timent, vide verbo iuſtus, & verbo timor.

6 *Et timoratus*. Magnum bonum eſt timor Domini,de quo Iſa. Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius cap.33.nu.5.& 15. Timet iuſtus quia cadere poteſt,quoniam habet theſaurum in vaſe fictili,quoniam aſtutū habet aduerſarium, &c. Sed Deus timentes ſe protegit. cap.41.nu.11.12.

7 *Expectabat redemptionem Iſrael*. Quia vt dicit Iſa. in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra,neq; ſpei terminum impoſuit.cap.30. nu. 16. Vide nu.21.22. Vtrum Deus expectet hominis voluntatem?

8 *Lumen ad reuelationem gentium*. Iuxta illud Iſai. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. cap. 42. nu. 12.

## IN FESTO SANCTI MATTHIAE Apoſtoli.

### *Euangelium. Matt. 11.*

*Confiteor tibi pater.*

1 REVELASTI *ea paruulis*. Ideſt Apoſtolis,de quibus per Iſaiam ait. Ecce ego & pueri mei. cap. 8. nu.29. Eadem autem abſcondit à ſapientibus,iuxta illud Iſa.per ibit enim ſapientia à ſapientibus.& cap. 29 nu.28.

2 *Quoniam ſic placitum fuit ante te*. Di-

uitiæ

uinæ prædeſtinationis nulla datur cauſa ex parte noſtra, ſed in meram refunditur voluntaté, & miſericordiam Dei, cap. 29. nu. 30.

3 *Et cui voluerit filius reuelare.* Vide in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli. nu. 4. 5.

4 *Venite ad me omnes, qui laboratis. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Tanta fuit humilitas Chriſti, vt in vertice montium conſtitutus, ad eum fluere dicantur omnes gentes. cap. 2. nu. 6.*

5 *Venite ad me omnes, &c.* Ex magnitudine laboris, quo grauantur in via iniquitatis, peccatores ad ſe venire compellit. Iſai. 1. quieſcite agere peruerſe. cap. 1. nu. 49.*

6 *Venite ad me omnes qui laboratis.* Non debent prædicatores inutilia populo verbis compoſitis prædicare, ſed ea quæ ad virtutem inducunt, ſicut Chriſtus Vnde Iſai Loquimini ad cor Hieruſalem, &c. cap. 40. nu. 2. & 3.

7 *Tollite iugum meum ſuper vos.* Cuius ſuauitate allectus Sanctus Iob, dixit: Quis mihi tribuat adiutorem, vt deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat, ipſe qui iudicat, vt in humero meo portē illum, &c. c. 9. n. 2. vbi ex Aug oſtenditur, quàm ſuaue ſit iugū Chriſti. Iob. 31.

8 *Et onerati eſtis* iugo importabili legis antiquæ quod Iſaias iugum oneris, & virgam humeri, & ſceptrum exactoris eſſe dixit, pro quo iugum ſuaue legis gratiæ nobis impoſuit. cap. 9. nu. 12.

9 *Tollite iugum meum.* Prædicatores Euāgelij per boues, & aſinos deſignantur. Quia onera ſuper ſe, & iugum Domini libenter portant: de quibus Iſai. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bouis, & aſini, cap. 32. nu. 19.*

10 *Iugum meum ſuaue eſt.* Iſaias inquit, venite, aſcendamus in montem Domini, & paulo ante præmiſerat, & fluent ad eum omnes gentes, innuens, quod perfectio Chriſtiana quamuis carni moleſta videatur, ad illam tamen ſpiritu Dei attracti magno impetu currunt omnes, cap. 2. nu. 9. poſt medium.

11 *Onus meum leue.* De quo Iſaiæ 9 primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon. Onus eſt lex Euangelica, ſed leue, quia leuat ad cæleſtia, ſicut alæ volucrum, quæ onus habent, ſed animal ſubleuant. cap. 9. nu. 2.* in cuius ſignum Dominus adiuuaſſe Leuitas, vt portarent arcam, dicitur. 1. Paral. 15. cap. 4. nu. 42.

12 *Et onus.* Lex antiqua iugum erat intolerabile, lex gratiæ iugum ſuaue, per quod illud ferreum ceſſauit. Iſaiæ 10. & erit in die illa: auferetur onus de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computreſcet iugum à facie olei, .i. adueniente lege gratiæ, quæ deſignatur per oleum, onus legis antiquæ auferetur. cap. 10. nu. 25. Hoc eſt onus de quo Iſaias ait. Et omne onus diſrumpe. cap. 58. nu. 6.*

13 *Leue.* Opera noſtra dicuntur onus leue, & tamen gloria illis reſpondens dicitur pondus. 1. Cor. 4. id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue, &c. cap. 10. nu. 23.

14 *Onus leue.* Præcepta Dei ſuauia ſunt cuſtodientibus ea. cap. 35. nu. 13. ſed inimicus repreſentat iuſtis mandatorum difficultates, vt eos deijciat. cap. 36. nu. 4.

15 *Et onus leue.* Quia leue illud facit charitas. Vnde Iſai. deficient pueri, & laborabunt, ideſt fortes deficient, iugum intolerabile peccatorum portantes, qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, &c. cap. 40. nu. 40. 41. 42. *.

16 *Et onus leue.* De quo per Iſaiam ait. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, ideſt leui Euangelij iugo conſolata. cap 9. nu. 2.

## IN FESTO SANCTI THOMAE Aquinatis ordinis Prædicatorum.

### *Euangelium. Matt. 5.*

VOS *eſtis ſal terræ, &c.* Vide in feſto ſancti Dominici. 1

## IN FESTO SANCTI IOSEPH Sponſi B. Virginis.

### *Euangelium. Matt. 1.*

CVM *eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph.* Vide in Vigilia Natalis Domini. 1

## IN ANNVNCIATIONE BEATÆ Mariæ Virginis.

### *Euangelium. Lucæ. 1.*

MISSVS *eſt Angelus.* Conſiderans Iſaias mala, quæ patiebatur populus Iudæorum, quadam exclamatione, vt veniret ad defendendum ſuos, Dominum deprecabatur, dicens: ò Emanuel cap. 8. nu. 16. 1

2 *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* Poſt multa ſanctorum Patrum ſuſpiria clamantium, Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum. cap. 45. nu 8.

3 *Ad Virginem deſponſatam viro.* Prædictum fuerat in prophetis, Chriſtum Dominū ex Virgine naſciturum. Iſai. 7. Ecce Virgo concipiet. Ezechiel. 44. Porta hæc clauſa erit. Ideo Euangeliſta, virginem eſſe matrem Domini declarat. cap. 9. num. 22.

4 *Ad Virginem deſponſatam viro.* De perpetua Beatæ Mariæ virginitate agitur latiſſimè. cap. 23. à num. 21. vſque ad 29. vbi explicatur locus Iſaiæ. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Vide in vigilia Nat. Domini, ſuper illud: Cum eſſet deſponſata. De Incarnatione Verbi, & Meſſiæ aduentu, & ſignis. c. 9. à num. 21. vſque ad 42.

5 *Dominus tecum.* Beata Virgo nubes eſt leuis, in quam aſcendit Dominus, vt ingrederetur Aegyptum, ideſt mundum tenebris peccatorum obuolutum. cap. 19. num. 4.

6 *Dominus tecum.* Sacratiſſimæ Virginis typum geſſit locus ille, de quo Geneſ. 28. dixit Patriarcha Iacob. Verè Dominus eſt in loco iſto, &c. cap. 8. nu. 3.*

7 *Dominus tecum.* Non dixit, Deus tecū, ſed Dominus, vt Incarnationem Verbi eſſe ſupra totum naturæ curſum deſignaret. cap. 7. num. 20 *

8 *Ne timeas Maria.* Vide in feſto Purificationis num. 5. 6. Et in communi plurimorum Martyrum, ſuper illud. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus.

9 *Ecce concipies in vtero.* iuxta illud vaticinium. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Ex quibus verbis, atque alijs quamplurimis teſtimonijs Scripturæ perpetua virginitas Beatæ Mariæ comprobatur. cap. 7. à n. 21. vſque ad 28.*

10 *Ecce concipies, &c.* Incarnatio verbi inundatio eſt miſericordiæ, de qua Iſaias ait. Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam. cap 10. nu. 19. De hoc partu ait Iſaias: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. c. 11 n. 2. & iterum: Emitte agnū Domine dominatorem terræ. cap. 16. nu. 2.

11 *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Iſai. inquit: & vocabitur nomen eius Emanuel. quomodo hæc duo congruant. Vide cap. 7 nu 29.*

12 *Et Filius altiſſimi vocabitur, & regnabit in domo Iacob.* Sicut 2. Regum 7. fuerat Dauid repromiſſum, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, &c. Quem locum, ad literam, de Chriſto eſſe intelligendum, oſtenditur. cap. 9. num. 50. 51. 52.

13 *Et filius Altiſſimi vocabitur.* Sicut per Iſai. ait. Ego primus, & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus. cap. 44. num 5. cap. 9. num. 46. & ſequentibus.

14 *Et Filius Altiſſimi vocabitur, & regnabit in domo Iacob.* De quo Rom. 1. qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. cap. 45. nu. 4. vbi adaptantur Chriſto Domino, quæ de Cyro dicuntur.

15 *Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ſui, &c.* Iſai. 16. quinque conditiones legitimi principis aſſignat, quæ in Chriſto ſplendent maxime. Ait enim. Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper eum in veritate, in tabernaculo Dauid, iudicans, &c. cap. 16. num. 6. & 7. vbi explicatur locus Exod. 18. Prouide de omni plebe vires ſapientes, &c.

16 *Dabit illi ſedem Dauid patris eius.* Promiſſio facta Dauid de Salomone, impletur in Chriſto. tom. 1. pag. 5. nu. 7. & cap. 9. num. 50. 51. 52. *

17 *Regnabit in domo Iacob.* Iuxta illud Iſaiæ. Ecce in iuſtitia regnabit Rex. c. 32. n. 1.

18 *Et regnabit in domo Iacob.* Non regno temporali, ſed ſpirituali, quod in humilitate, in charitate, & pace conſiſtit. cap. 9. num. 36.

19 *Et regni eius non erit finis.* De quo Iſaiæ 9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. In Hæbreo pro multiplicabitur, habetur, lemarbè, vbi in medio dictionis præter morem Hæbreorum ponitur mem clauſum. ם. ad ſignificandam æternitatem regni Chriſti. cap. 9. nu. 76. 77. 78. * vbi ſimilitudo inter regnum Chriſti, & regnum Dauid expenditur.

20 *Quomodo fiet iſtud?* Iſai. reſpondet: Ego Dominus creaui eum. & idem ſignificat reſponſio Angeli: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c. cap. 45. nu. 9.

21 *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Cui conſonat illud Pſal. 84 etenim Dominus dabit benignitatem, &c. cap. 37. nu. 16.

22 *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* ideſt ſine virili ſemine concipies, quod Iſai denunciauit, dicens: Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitiente, ideſt, ex Virgine. cap. 53 nu. 2.*

23 *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quia videlicet, concipies, abſque vllo prorſus ardore concupiſcentiæ. Vnde Iſai. Et creauit Dominus nubem per diem. cap. 4. nu. 11. 12. 13.

24 *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quia concepit Verbum. de quo Thren. 4. ſcriptum eſt: ſpiritus oris noſtri Chriſtus, in vmbra eius viuemus inter gentes. cap. 4 num. 13.

25 *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* ideſt, quod mente poteſt concipi, quātumuis difficile videatur. cap. 2 nu. 1.

26 *Ecce Ancilla Domini.* Ad hanc vocem Verbum caro factum eſt. iuxta illud Iſai. Ape-

ratur terra, & germinet Saluatorem. cap. 49. num. 8, *

27 *Ecce Ancilla Domini.* Ad hanc vocem deſcendit Filius Dei in vterum Virginis, ſicut pluuia in vellus. Vnde Iſaias ait. Et quomodo deſcendit imber, aut nix de cælo, &c. cap. 55. num. 16.

28 *Ecce Ancilla Domini.* Beata virgo eſt nubes leuis, de qua Iſaias ait: Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum. cap. 19. nu. 2.

## IN FESTO SANCTI Marci Euangeliſtæ.

### *Euangelium. Lucæ 10.*

1 DESIGNAVIT *Dominus & alios ſeptuaginta duos.* Vide notata circa hoc Euangelium in communi Apoſtolorum.

## IN FESTO SANCTI PETRI Martyris, Ordinis Prædicatorum.

### *Euangelium. Lucæ. 9.*

1 SI *quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Totum hoc Euangelium expenditur in communi vnius Marryris.

## IN FESTO APOSTOLORVM Philippi, & Iacobi.

### *Euangelium. Ioan. 14.*

1 NON *turbetur cor veſtrum.* Vide feria 3. Paſchæ nu. 3. ſuper illud: quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?

2 *Et in me credite.* Nam Chriſtus eſt verus Deus, vt oſtenditur. cap. 9. à num. 45. vſque ad 73.

3 *Creditis in Deum, & in me credite.* Oſtendit ſe eſſe Deum, in quem tãquam in vltimum finem tendunt fideles. cap 9. nu. 68.

4 *Et in me credite*, ideſt, confidite. Qui enim in homine ſpem ſuam conſtituunt, maximè ſunt reprehenſibiles, ſicut qui pedem figunt in aquis defluentibus. Vnde Ioſeph detentus eſt in carcere, quia ſperauit in homine. cap. 30. num. 2 3. 4. & 5. Vide in tabula, verbo ſpes. Nam per Iſai. ait. In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. cap. 30. nu. 16.

5 *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quas diſtribuet electis in die iudicij; qui per Iſai. dies retributionum dicitur. ca. 34 n. 6.

6 *Vado parare vobis locum.* Vide in feſto Aſcenſionis Domini. & Dominica quarta poſt Paſcha, in illud. Vado ad eum qui miſit me.

7 *Vbi ego ſum, & vos ſitis.* Vide in communi vnius Martyris, in illud. Vbi ego ſum, & vos ſitis.

8 *Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis.* Nam Filius eſt imago Patris. De quo vide infra num. 11.

9 *Quomodo poſſumus viam ſciere?* Via virtutis plana eſt, & facilis: via peccatorum difficilis. càp. 1. nu. 49. Vnde Pſalmiſta ait: Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Cui reſpondet illud Prouerb. 3. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. cap. 7, nu. 75.

10 *Et quomodo poſſumus viam ſcire?* Via ad vitam, quã humana cognoſcit Philoſophia, eſt natiuitas. Nullus enim viuit niſi naſcatur; ſed via ad vitam ſempiternam eſt mors. de qua ait Pſalmiſta. Notas mihi feciſti vias vitæ. cap. 26. num. 4.*

11 *Philippe, qui videt me, videt & Patrē.* Nam Chriſtus eſt imago Patris. iuxta illud Sap 7. & imago bonitatis illius. abbreuiata eſt hæc imago ſub corpore mortalitatis noſtræ, vt in illa, Patris magnitudinem, bonitatem, & miſericordiam poſſis intueri. cap. 8. nu. 7.*

12 *Pater in me manens, ipſe facit opera.* Vnde Iſai. Omnia opera noſtra operatus es in nobis. cap. 26. nu. 20. & cap 10. nu. 10. 11. 12.*

13 *Propter opera ipſa credite.* Opera magis perſuadent, quàm verba, vt oſtenditur in feſto ſancti Dominici, num. 26. & ſeq.

14 *Et maiora horum faciet.* Vide in Aſcenſione Domini. n. 5. 6. *

15 *Quodcumque petieritis Patrem, &c.* Vide circa hoc Dominica quinta poſt Paſcha, & feria 2. Rogationum.

## IN FESTO S. ANTONINI Archiepiſcopi Florentini, Ordinis Prædicatorum.

### *Euangelium. Ioan. 10.*

EGO *ſum paſtor bonus.* Vide circa totum Euangelium Dominica ſecunda poſt Paſcha. 1

## IN INVENTIONE Sanctæ Crucis.

### *Euangelium. Ioan. 3.*

*Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine.*

ACCESSIT *ad Ieſum nocte.* Nocte accedit, quoniam tenebris ignorantiæ erat inuolutus: aut vero, quoniam ad noctem legis antiquæ pertinebat, in qua myſteria gratiæ ſub vmbris latebant, & figuris. cap. 6. n. 16. 17. Vide in Euangelio præcedenti, num. 1. 1

2 *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis.* De ſignis Chriſti, vide. cap. 8. nu 30.

3 *Niſi quis renatus, &c.* Hoc etiam competit paruulis, niſi enim renaſcantur per baptiſmum, vitam beatam non habebunt. quidquid dicant Pelagiani. cap. 65. nu. 13. Vide in octaua Epiphaniæ.

4 *Et renaſci.* Aquilæ renouatio oſtendit, qualiter homo vetus deponi debeat, & renouari per pœnitentiam. Vnde Iſa. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, &c Pſal. 102. Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. Per crucem renouamur. cap. 40. nu 40. 41. 42.

5 *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Vide Dominica in Sexageſima. nu. 26. 29.

6 *Spiritus vbi vult ſpirat.* Vide in feſto Pentecoſtes.

6 *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Teſtimonio infallibilis veritatis fides innititur Chriſtiana. Vnde myſteria illius prius credenda ſunt, vt intelligantur, iuxta illud Iſai. Si non credideritis, non intelligetis. cap. 7. nu. 12. & 13.

8 *Nemo aſcendit in cælum.* Vide in feſto Aſcenſionis.

9 *Sicut Moyſes exaltauit, &c.* Ad oſtendendam virtutem crucis Dominicæ, multa mirabilia per lignum olim operatus eſt Dominus. cap 38. n 26.* Crucis ſigno fugantur dæmones, & multa fiunt opera ſtupenda, ſicut Iſaias ait. Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, &c. cap. 55. num. 19. * Crux Chriſti vmbram illam cauſat, homines ab æſtu concupiſcentiæ protegentem, iuxta illud Iſai. Et vmbra Petræ prominentis in terra deſerta, &c. cap. 32. nu. 2. *

10 *Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem.* Huic loco valde conſonat illud Iſai. Et leuabit ſignum in nationes, &c cap. 11. nu. 19. Vide quamplurima ex Chryſoſt. Crucis epitheta deſumpta cap. 17. num. 6. Vide etiam in feſto Inuentionis ſanctæ Crucis, in illa verba: & ego ſi exaltatus fuero à terra.

## IN FESTO SANCTÆ Catherinæ Senenſis Ord. Præd.

### *Euangelium. Matt. 13.*

1 SIMILE *eſt regnum cælorum grano ſinapis.* Chriſtus Dominus, & Eccleſia, grano ſinapis comparantur. Ille, quoniam exterius non erat ei ſpecies, neque decor: ſed intus virtus latebat diuina, qua, vt Iſai. ait; Aſcendit ſicut virgultum coram eo, &c. cap. 4. n. 5.

2 *Grano ſinapis.* Iuſti rebus minimis comparantur, ſicut vermi. Iſai. Noli timere vermis Iacob, &c. ſed in eis latet virtus diuina. Vnde & ſubdit. Ecce poſui te ſicut plauſtrum triturans nouum, &c. cap. 41. nu. 15. in rebus minimis ſapientiam ſuam, & potentiam oſtendit Altiſſimus. cap. 28. nu. 37 *

3 *Cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus.* Sic & Chriſtus minimus quidem fuit, ſed gentem protulit fortiſſimam, iuxta illud Iſai. minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. cap. 60 num. 25. 26.

4 *Maius eſt omnibus oleribus.* Iuxta illud Iſai. Et germinabunt inter herbas quaſi ſalices, iuxta præterfluentes aquas. cap 44. nu. 3.

5 *Ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* In cordibus peccatorum habitãt dracones, ſed in corde credentium, & diligentium Deum virtutes habitant, & Angeli. Vnde Iſai. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabãt, orietur viror calami, & iunci. c. 35. n. 12

6 *Simile eſt regnum cælorum fermento, &c.* Significatur his verbis, paruum Apoſtolorum numerum gentes ad fidem Chriſti cõuerſurum eſſe. cap. 29. num 37.

7 *Et ſine parabolis non loquebatur.* Vide Dominica in Sexageſima a nu. 18. vſque ad 23. vbi explicatur, quare in parabolis Dominus loqueretur ad turbas.

8 Quam grata Deo fuerit virginitas Catharinæ, conſtat ex his quæ notantur in communi Virginum, circa Euangelium: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.

## IN FESTO S. IOANNIS ante Portam Latinam.

### *Euangelium. Matth. 20.*

ACCESSIT *ad Ieſum Mater filiorum Zebedæi.* Vide in feſto S. Iacobi Apoſtoli, vbi totum hoc Euangelium expenditur. 1

## IN FESTO S. BARNABAE Apoſtoli.

### *Euangelium. Ioan. 15.*

HOC *eſt præceptum meum.* Vide in communi Apoſtolorum in primo Euangelio. 1

## IN NATIVITATE SANCTI Ioannis Baptiſtæ.

### Euangelium. Lucæ. 1.

1 ELISABETH *impletum eſt tempus pariendi*. Ioannes Baptiſta, ſtella fuit matutina, quæ ortum ſolis, hoc eſt Chriſti annunciauit, cuius aduentum ſicut, & Chriſti, plures prædixerunt Prophetæ. cap. 9. nu. 25.*

2 *Quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa*. Miſericordia Dei eminet, & illuſtrior apparet inter omnia opera eius, & maxime oſtenditur in hoc, quòd peccatoribus parcit. cap 22. nu. 13 cap. 23. nu. 7.

3 *Et factum eſt in die octauo, venerunt circumcidere puerum*. Vide in Circumciſione Domini.

4 *Et poſtulans pugillarem, ſcripſit, dicens*. Zacharias Typum gerebat legis antiquæ, quæ ſignis legem indicat gratiæ. de quibus vide cap. 1. à nu. 35. vſque ad 43.

5 *Quis putas puer iſte erit?* Reſpondet Angelus Lucæ 1. Erit magnus coram Domino. cum tamen Iſai. dicat. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo. cap. 40. num. 26. 28.*

6 De laudibus Ioannis Baptiſtæ. vide quæ notata ſunt Dominica 2. 3. 4. Aduentus, & in octaua Epiphaniæ.

## IN FESTO APOSTOLORVM Petri, & Pauli.

### Euangelium. Matt. 16.

1 QVEM *dicunt homines*. Petrus, & Paulus Romam, iugo legis Euangelicæ ſubdiderunt. de quo Iſai. 25. Incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit, conculcauit eam pes pauperis, ideſt, Chriſti, greſſus egenorum, ideſt, Apoſtolorum Petri, & Pauli. cap. 13. num. 3. cap. 26. num. 9. cap. 7. num. 37.

2 *Alij Ioannem Baptiſtam, &c.* Sed tamen
Iob. 36. ſanctus Iob inquit, non eſt ſimilis ei in legislatoribus. cap. 30. num. 33.

3 *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Confitetur Petrus Apoſtolus Chriſtum verum Deum, & verum hominem, ſicut prædixerunt Prophetæ. cap. 9. num. 25.

4 *Beatus es Simon Bariona*. Sācti Petri laudes, & officium explicantur. cap. 19. num. 20. Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi. Reuelare multis modis ſumitur. cap. 53. nu. 1.

5 *Sed Pater meus, qui in cælis eſt*. Doctrina cæleſtis à ſolo Deo inſpiratur, iuxta illud Iſaiæ. Vniuerſos filios tuos doctos à Domino. cap. 54. nu. 12. 13.

6 *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* Romana Eccleſia eſt ciuitas ſolis, de qua Iſai. ait. Ciuitas ſolis vocabitur vna. Et Romanus Pontifex, quid ſit credendum, determinat, quid reijciendum. cap 14. nu. 20 vbi optimè explicatur de Petro, & ſucceſſoribus eius illud Iob 22. Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos. *

6 *Aedificabo Eccleſiam meam*. Sicut per Iſai. dicitur: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, &c. cap 3 nu. 1-. & cap 54 num. Huius Aedificij lapis fundamentalis eſt Chriſtus Deus, & homo, iuxta illud Iſaiæ. Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem, &c. cap 28. nu 20. Artifices huius ædificij fuerunt Apoſtoli. de quibus Iſaias ait; & ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſertas, &c. c. 61. n. 4.

8 *Aedificabo Eccleſiam*. Artifex vtitur linea, vt ædificium ſit rectum, non deficiens à regula; ſic & Chriſtus linea Euangelij veros à falſis diſcernit Chriſtianis, iuxta illud Iſai. Et ponam iudicium ad lineam, & iuſtitiam ad libramentum. cap. 8. nu 24.* Vnde, & Chriſtus Dominus Ezechi:l. 40. per virum illum deſignatur, cuius erat ſpecies, quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu eius. cap. 34. nu. 8.*

9 *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiā meam*. Eccleſiam vt ædificaret Dominus, euertit ciuitatem Babylonis. iuxta illud Iſai. qui dico Hieruſalem, habitaberis, &c. cap. 44. num, 17.

10 *Aedificabo Eccleſiam meam*. Iuxta illud, quod ſub perſona Cyri dicitur de Chriſto, Ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet. cap. 45. nu. 12.

11 *Aedificabo Eccleſiam meam*. Fideles ſunt lapides huius ædificij, & lapides deſiderabiles, Doctores autem Eccleſiæ ſunt lapides ſculpti. De his ait Iſai. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, &c. cap. 54. nu. 12.* Sūt & ligna, quibus ædificatur Eccleſia, ait enim Iſaias. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul. &c. cap. 60. nu. 17.

12 *Aedificabo Eccleſiam meam*. Iuſti ſunt lapides viui huius ædificij. de quibus ſcriptum eſt, & vos tanquā lapides viui ſuper ædificamini domus ſpirituales, & Iſai. 54. Ecce ego ſternā per ordinem lapides tuos, &c. cap. 54. nu. 12.*

*Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Deus ad ædificandum velox, ad deſtruendum eſt tardus. Homines autem è conuerſo cito deſtruunt, quæ multo labore ædificata ſunt, quod multis locis Scripturæ oſtenditur. cap. 1. nu. 63.

13 *Et portæ inferi*. Ideſt hæretici, & perſequutores Eccleſiæ non præualebunt aduerſus eam. In cuius ſignum duo reges aſcenderunt in Hieruſalem ad præliandum contra eam, & non potuerunt debellare illam. cap. 7. num. 3. & 4. Vide in communi Doctorum ſuper illud; Non poteſt ciuitas abſcondi.

14 *Et portæ inferi*. Eccleſia ſecundum Auguſtinum comparatur inſulis. Pſalm. 96. Lætentur Inſulæ multæ. Et hæretici ſuperbi conferūtur fluctibus, quoniam quantumuis impetere conentur Eccleſiam, eam frangere non poſſunt, ſed potius ab illa confringuntur, ſicut fluctus maris diſſipantur ab Inſulis. cap. 17. nu. 9. 10. vbi explicatur de hæreticis illud Pſal. 67. Increpa feras arundinis. Summus Pontifex omnes diſſipat feras arundinis: Nam in difiniēdis rebus fidei errare non poteſt, quia in ore eius ponit Deus veritatē, iuxta illud Iſaiæ, & verba mea quæ poſui in ore tuo, &c. cap. 59. nu. 21. 22. Vnde Iob. Diſcernes rem &
Iob 22. venient tibi, & in vijs tuis ſplendebit lumen. cap. 19. nu. 20. *

15 *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Quoniā Eccleſia mons eſt ſupra montem poſita, & fundata, quam nullus aduerſarius poterit commouere. De illa namq; ſcriptum eſt: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. cap. 2. nu. 4. 5.

16 *Non præualebunt aduerſus eam*. Deus Eccleſiam ſuam protegit in proſperis, & in aduerſis, ſicut Iſai. ait. Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, &c. cap. 4. nu. 11. Ideo nullus poterit eam expugnare. Vnico enim verbo omnes eius perſecutores diſſipat
Luca 8. iuxta illud. Increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, &c. Vnde per Iſaiam ait. Et increpauit eum, & fugiet. cap 17. nu. 10. & iterum, Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te. cap. 29. nu. 12. de perſecutionibus hæreticorum. Vide in tabula communi. verbo, Hæretici.

17 *Et portæ inferi non præualebunt*. Ait enim per Iſai. Ecce confundentur, & erubeſcent omnes qui pugnant aduerſum te, &c. cap. 41. nu. 13. 15. & iterum. omne vas, quod conſictum eſt contra te, non dirigetur, &c. cap. 54. nu. 17. Vide etiam nu. 15.

18 *Et portæ inferi*. Habet diabolus ſtructores, qui Eccleſiam deſtruere conantur; ſed non præualebunt, ait enim. Iſai. Deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt. cap. 49. num. 16. 18.

19 *Tibi dabo claues, &c.* Quid ſimile dictum eſt Helciæ Iſai. 22. Et dabo claues domus Dauid ſuper humerum eius. cap. 22. nu. 22. vbi explicatur qualiter ſupportare debeant prælati infirmitates ſubditorum.

20 *Tibi dabo claues*. Apoſtoli à Deo facti ſunt principes Eccleſiæ & iudices eius, ſicut promiſſum fuerat per Iſaiam. Et reſtituam tibi iudices tuos, ſicut fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus. cap. 1. nu. 65. 66.*

21 *Tibi dabo claues regni*. Tibi, olim peccatori, & piſcatori. Deus enim infirma mundi eligit, vt confundat fortia, ſed illi, qui extra Eccleſiam erant abiecti, in Eccleſia facti ſunt principes, iuxta illud Pſalm. 86. Dominus narrauit in ſcripturis populorum, & principum horum, qui facti ſunt in ea. cap. 1, nu 65.

22 *Tibi dabo claues*. Minoris momenti negotia per inferiores miniſtros ſunt exſequenda, grauiora reſeruantur Pontifici, iuxta illud Iſaiæ. Princeps quæ digna ſunt principe cogitabit. cap. 32. n. 8. 9.

23 *Quodcumque ligaueris*. Quid ſimile dictum eſt Eccleſiæ per Iſaiam. Et aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat. Vbi explicatur prudentia qua in vſu clauium vti debent prælati. cap. 22. 23.

## IN VISITATIONE Beatiſſimæ Mariæ.

### Euangelium. Lucæ. 1.

EXVRGENS *Maria abijt in montana cum feſtinatione*. Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Seraphin duabus alis volabant, vt deſignent ſedulitatem, quam in obſequium Dei habent iuſti: in domo eius omnes currunt, omnes feſtinant, vt patet in domo Abrahæ. cap. 6. nu. 11.

2 *Et ſalutauit Eliſabeth*. Hoc verbo, Deo gratias, creditur Beatiſſimam Virginem ſalutaſſe Eliſabeth. cap. 1. nu 11.

3 *Vnde hoc mihi?* Quo magis iuſtus Deum cognoſcit, eo plus ſeipſum deijcit. Vnde Iſaias, poſtquam vidit Dominum ſedentem, &c. ſe pollutum labijs cognouit. cap. 6. nu. 19.

4 *Magnificat anima mea Dominum*. Mariæ corpus Dominum peperit paruulum. Sed anima illum magnificauit, & quodammodo magnum effecit. cap. 8. nu. 3. circa finem.

5 *Magnificat anima mea Dominū*. Laudāt Deum Angeli in Eccleſia triumphanti, laudant & iuſti

& iuſti in Eccleſia militante quorum vocibus laus illa cæleſtis Hieruſalem perficitur Pſalmiſta atteſtante. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. cap.6,nu.13.

## IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ.

### *Euangelium. Lucæ.* 7.

### *Rogabat Ieſum.*

1 ECCE *mulier*. De Chriſto loquens, ait Pilatus: Ecce homo. Et de Magdalena ait Lucas: Et ecce mulier. Mulier erat peccatrix, Chriſtus Innocens; ſed mulier abſoluitur propter merita Chriſti, & Chriſtus morti traditur pro peccatis mulieris. cap. 53.nu.16.

2 *In ciuitate peccatrix.* Quidam ſunt peccatores in domo, illi videlicet, qui occulte peccant: quidam in ciuitate, ideſt qui peccant publice, qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis, qui & verecundiam à ſe abiecerunt, de quibus Iſaias ait. Agnitio vultus eorum reſpondebit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt. cap.3.nu.14.15.

3 *Mulier quæ erat.* Multorum peccatorum occaſio, eſt ſuperfluus mulierum ornatus, quem ſubinde acriter reprehendit Iſaias, dicens. Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, &c. cap.3.à n.27. vſque ad 30.

4 *In ciuitate peccatrix.* De conſuetudine peccandi, vide. cap.5.nu.22.& 23. & fer.6. Dominicæ 4. Quadrageſimæ, in illud. Domine iam fœtet.

5 *In ciuitate peccatrix.* Peccatores publici ſunt frænum erroris, quoniam ſuo exemplo alios ad peccandum trahunt. cap 30.nu.49.

6 *Stans retro.* Pœnitentia eſt vera quies peccatoris, de qua Iſai. Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis. cap.30 nu.15.16.

7 *Stans retro*, vt audiat verbum poſt tergum monentis: vt benedictionem quam Deus, poſt ſe relinquit, ſuſcipiat. cap. 30. n.35.36. vt poſt tergum Chriſti omnia ſua deponat peccata. cap.38.nu.2.

8 *Stans retro.* Vbi eam conſtituerant peccata illius. Peccatores enim ſubtrahunt ſe à præſentia Dei, & ſeipſos retro conſtituunt, vbi oculis miſericordiæ diuinæ non videantur: ſicut de quibuſdam. ait Iſaias Abalienati ſunt retrorſum. cap.1.nu.21.& 54.

9 *Lacrymis cœpit rigare.* Lacrymis abluũtur peccata, quãtumuis grauia ſint & euormia Iſai. 4. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, &c. cap 4.nu.10. & cap. 1. nu. 23.& 24. Lacrymarum imbre pro vitijs oriri cœperunt virtutes in corde huius peccatricis, iuxta illud Iſaiæ: pro ſaliuncula aſcendet abies, & pro vrtica creſcet myrtus. cap.55,nu.18.

10 *Lacrymis cœpit rigare.* Lacrymas excitat fumus ex igne progrediens. has ergo in Magdalena excitauit fumus compunctionis ex igne charitatis procedens, de quo Iſaias: Et creauit Dominus fumum & ſplendorem ignis, &c. cap.4 nu.11.12.

11 *Lacrymis cœpit rigare.* Hæc immutatio dexteræ Excelſi: Deus enim ſua omnipotentia transfert corda hominum ab odio in amorem, ſicut tranſtulit cor Regis Aſſueri à voluntate lædendi, in voluntatem bene faciendi: nec per hoc læditur humani arbitrij libertas, ſed potius perficitur, & roboratur. cap.10,nu.11,12.*

12 *Lacrymis cœpit rigare.* Lacrymæ medicinæ ſunt efficaciſſimæ cõtra peccata, neque aliquid proſunt ſi pro bonis temporalibus effundantur, ſed procedere debent à gemitu cordis, quo quis dolet Deum offendiſſe. Pſalm. 37. rugiebam à gemitu cordis mei, cap.15.nu.3.* & nu. 4. vide cap. 38.nu.5. cauſas, propter quas fleuit Ezechias.

13 *Lacrymis cœpit rigare.* Accedit cum ſpe veniæ, ſed comitem ſecum affert pœnitentiam, & multa bona opera, ſine quibus ſpes eſſet præſumptio. cap.37.nu.1.*

14 *Lacrymis cœpit rigare.* Peccata nebula ſunt, & nubes, quæ ardore ſolis, hoc eſt igne charitatis, ſoluuntur, iuxta illud Iſai. Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulã peccata tua. cap.44. nu.11.12.13.14. vbi declaratur qualiter opera mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam.*

15 *Capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur, &c.* De illis qui ad Deum per pœnitentiam conuertuntur, ait Iſaias. cap.40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Videlicet conuertendo membra ſua in obſequium Chriſti, quæ prius deſeruierant peccato, iuxta quod Apoſtolus ait Rom. 6. Sicut exhibuiſtis membra veſtra, &c. Maria autem Magdalena non ſic, ſed multo maiori fortitudine ſe conuertit in obſequium iuſtitiæ, quam antea ſeruierit peccato, iuxta illud Baruc. 4. Sicut fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo, ita decies tãtum conuertentes requiretis eum. c.1.n.49. cap.nu.41.42.* Vbi exemplo Aquilæ explicatur, qualiter renouetur anima per pœnitentiam. Hinc Iſai. Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. cap.31.n.6.

16 *Capillis capitis.* Olim ſignum luctus erat comam abradere ac barbam, ſecundum illud Iſa. 15. In cunctis capitibus eius caluitiũ, & omnis barba radetur. Sed modo lugentes capillos nutriunt, & barbam atq; in terram dimittunt. Sic Magdalena in ſignum pœnitentiæ ſuos dimittit capillos. cap.15.nu.4.

17 *Vides hanc mulierem?* Reſpondet Chriſto pro muliere tacite dicente illud Ezechiæ Domine vim patior, reſponde pro me. cap. 38. nu. 18. cap.42. nu. 5. & ſimul etiam repræhendit ſuperbum Phariſæum., vt adimpleret illud Iſa. Et arguet in æquitate pro manſuetis terræ. cap.11.nu.8. Sic etiam pro illa reſpondit, cum murmurabant quidam quod effudiſſet alabaſtrum vnguenti ſuper caput Ieſu. Et ait. Sinite illam, bonum opus operata eſt. eodem cap. & nu.*

18 *Vides hanc mulierem?* Hortatur vt mulieris qualitatem conſideret, cui competit illud Iſaiæ, quia vt mulierem derelictam, & mœrentem ſpiritu vocaui te, &c. cap.54.nu.7. Vbi oſtenditur, quàm benigne Deus ſuſcipiat pœnitentes.*

19 *Et conuerſus ad mulierem.* Mulier præ confuſione ſe retro conſtituit, ſed Chriſtus ad eam faciem conuertit. Vnde Iſai. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? cap.66.nu.2.

20 *Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum.* Vim amoris ſui oſtendit Maria Magdalena, cum videns hortulanum dixit. Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, &c. Quem eum? nihil de Chriſto dixerat, & ait: Si tu ſuſtuliſti eum? Hoc facit vis amoris. Multa de illo dixerat corde; prius quam ore interrogaſſet, ſi tu ſuſtuliſti eum. Sic Rex Dauid Loquitur. Pſalm. 87. Fundamenta eius in montibus ſanctis. cap.8.nu.9

## IN FESTO SANCTI Iacobi Apoſtoli.

### *Euangelium. Matt.* 20.

### *Acceſſit ad Ieſum.*

DIC *vt ſedeant.* Magnum malum eſt ambitio; & in non modico verſantur periculo, qui dignitates Eccleſiaſticas ſupra vires ſuas ambiunt. Iudicium. 9. oliua, & ficus, & vitis promoueri in regem aliorum arborum renuũt: & tamen rhamus plenus ſpinis, principatum acceptat. es cap.3.nu.12.

2 *Dic vt ſedeant:* Sedere cupiebant, & dominari; at Prælati Eccleſiæ non domini eſſe debent, ſed iudices & conſiliarij, ſimili Moyſi, Eliæ, & Ioſue, &c. cap. 1. nu. 65.66. Vide cap.3.nu.10.11.

3 *Dic vt ſedeant.* Ambitio, & vanus appetitus propriæ excellentiæ etiam ſanctos viros inuadit, ſicut Ezechiam, &c. cap. 39. nu.2.

4 *Poteſtis bibere calicem.* Calicem pro nobis bibit Chriſtus, & nos pro Chriſto Calicem bibere oportet. Pſalm. 115. Quid retribuam Domino, &c. cap. 40. num. 27. cap.51. num. 17.

5 *Bibere calicem.* Bibentes calicem Domini conſolatur Iſaias, dicens. Eleuare eleuare, conſurge Hieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, &c. Calici confertur tribulatio, quia cito tranſit. cap. 31. nu. 17.*

6 *Poteſtis bibere calicem.* Electi bibunt Calicem, ſed non fæces, aut profundum calicis: hunc enim bibent reprobi, iuxta illud Iſaiæ. Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, &c. cap. 51.nu.20.21.

7 *Poteſtis bibere calicem.* Calicem dixit paſſionem, quia breui durat tempore, ſicut potus calicis. Vnde Iſai. ad punctum in modico dereliqui te, &c. cap.54.nu.8.9.10.*

8 *Poteſtis bibere calicem.* Bibentibus calicem paſſionis hæreditas promittitur æterna Pſal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. cap. 54. nu. 18.

9 *Poſſumus.* Superbi, vt dignitatem obtineant Eccleſiaſticam, multa ſe facturos pollicentur: humiles vero ſe excuſantes minime ambiunt dignitates Eccleſiaſticas, ſed ſibi oblatas humiliter recuſant cum illis qui dixerunt. Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, nec veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi, cap. 3. num, 12. cap. 6. nu. 31.*

10 *Non eſt meum dare vobis, &c.* Eccleſiaſticæ dignitates, non conſanguineis, ſed dignioribus ſunt conferendæ, illis videlicet, qui veſtimentum habent, & panem. Iſai. 3. Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter. cap. 3.nu.11.& 12.

## IN FESTO SANCTI DOMINICI & communi Doctorum.

### *Euangelium. Matth.* 5.

VOS *eſtis ſal terræ.* Sali conferuntur Prædicatores Euangelici, quoniam non debent adulari populum, ſed reprehendere, & con- 1

ſtringere ſicut ſal vulnera. Illi enim qui blandiuntur populo, reprehēdūtur Iſai. 9. & aſſimilantur caudæ: ait enim. Et Propheta docēs mendacium, ipſe eſt cauda: ſicut .n. canis non audet contra Dominum latrare, ſed cauda adulatur illi: ità & falſi Prædicatores, vt dicitur Ezechielis 13. propter pugillum ordei, & fragmen panis viuificant animas, quæ non viuunt, &c. cap 9. nu. 85.86.

2 *Vos eſtis ſal terræ.* Sicut ſal indifferentèr præſeruat carnes à corruptione, ita & Cōfeſſarij abſque perſonarum acceptione ad ſe venientes debent ſuſcipere, ne in iudicium incidant Arabum, quos arguit Propheta, quia nō ſuſceperunt filios Iſrael fugientes a facie gladij: cap. 21. nu. 15.

Gen. 3. 3 *Sal terræ.* Olim dictum eſt ſerpenti: Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Sed hanc terram Dominus cōuertit in ſalem, vt necaret ſerpentem: ſal enim ſerpentes occidit, vt Chryſ. ait. cap. 65. nu. 20.*

4 *Vos eſtis ſal terræ.* Sali & luci viri Euangelici conferuntur, quia & proximis per prædicationem prodeſſe, & cum Deo per contemplationem conuerſari debent, Angelos imitando aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. In prologo ad Lectorem circa medium tom. 1.*

5 *Vos eſtis ſal terræ.* Miniſtri Euangelici debent habere conditiones, quæ enumerantur, & expenduntur cap. 22. a nu. 16. vſque ad 24.* quas in hoc Euangelio inſinuat Chriſtus, ſi recte omnia illius verba expendantur.

6 *Vos eſtis ſal terræ.* Prælati ſuauiter ſuos debent gubernare ſubditos. cap. 1. num. 66. nec debent ſubditis dominari; ſicut illi, de quibus Iſaias ait. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. cap. 3. num. 7. 8.

7 *Vos eſtis ſal terræ. Vos eſtis lux mundi.* Sal per actiuam: lux per contemplatiuam vitā. Vtramque enim debent amplecti Eccleſiæ Prælati, vt oſtenditur. cap. 6. n. 27.

8 *Vos eſtis ſal terræ.* Sal mordet plagas; ſic & Prædicator peccatores. Vnde & cani latranti aſſimilantur Pſal. 67. Lingua canū tuorum ex inimicis ab ipſo, cap. 25. nu. 11. vide cap. 22. à num. 17. vſque ad 24. vbi explicatur, quales eſſe debeant Eccleſiæ Prælati.

9 *Vos eſtis ſal terræ.* Non ergo conſentiant Prædicatores illis, qui dicunt. Loquimini nobis placentia, &c. ſed acriter arguant hominum crimina. cap. 30. nu. 10. 11.

10 *Vos eſtis lux.* Lux plura bona cauſat in inferioribus: per illam ſol operatur, & per viros Apoſtolicos ad populum deſcendunt ſpiritualia bona, ſicut à capite in membra, ſed heu omne caput languidum, &c. cap. 1. nu. 26. 27.

11 *Vos eſtis lux.* Electi, ſoli comparantur & ſtellis. cap. 40. nu 36.

12 *Vos eſtis lux.* Sol eſt lux publica vniuerſi: talis eſt doctrina Euangelica, quæ non in angulo, non in occulto prædicatur, ſicut hæreticorum dogmata, ſed palam, iuxra illud Iſai. Ecce videntes clamabunt foris, cap. 33. num. 6.*

13 *Vos eſtis lux.* Duæ poteſtates, ſcilicet Eccleſiaſtica, & ſæcularis ſunt duo luminaria magna, ſed luminare minus, ideſt ſecularis poteſtas, debet ab Eccleſiaſtica dirigi, & illuminari, atque illi deſeruire. cap. 49. nu. 22.*

14 *Ad nihilum valet vltra.* Valde enim reprehenſibiles ſunt, qui nomen, & locum ſanctitatis tenent, & ſanctitatis opera non exercent. cap. 1. num. 14.

15 *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montē poſita.* Eccleſia mons eſt & ciuitas, de qua Pſal. 67. Mons coagulatus, mons pinguis. Et ad Hebræos 12, ſed acceſſiſtis ad Sion montem. cap. 2. num. 4.

16 *Non poteſt ciuitas abſcondi.* Hæc ciuitas eſt Eccleſia, de qua Iſaias ait. Poſt hæc vocaberis ciuitas Iuſti, vrbs fidelis. Et iterum: ciuitas ſolis vocabitur vna. cap. 1. nu. 67. cap. 19. num. 20.

17 *Neque accendunt lucernam.* Prius dixerat, vos eſtis lux mundi, mox eos lucernam dicit, quæ accendi indiget, & extingui poteſt, vt agnoſcerent ſe nō eſſe lucem per eſſentiā, ſed ex Dei gratia. cap. 9. nu. 5.*

18 *Neque accendunt lucernam.* Peruerſi Prælati non lucerna ardens, & lucens, ſed titiones ſunt fumigantes, quia non illuminant ſibi ſubditos, ſed fumo ipſos lædunt, & offendunt, & ſeipſos conſumunt. cap. 7 nu. 8.*

19 *Nec ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* Prædicatores, & Prælati ſunt ſpeculatores Eccleſiæ, qui in loco eminenti cōſtituuntur, vt clament, & gregem dominicum defendant, iuxta illud Iſaiæ. Et clamabit leo. Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans iugiter per diem, &c. cap. 21 nu. 8. 9. & 10.

20 *Non veni ſoluere legem.* Ideo Iſaias nō dixit. Iugum enim oneris eius confreuiſti, ſed, ſuperaſti. cap. 9. num. 12. vid. tom. 1. pag. 1. de conſonantia legis, & Prophetarum cum Euangelio.

21 *Non veni ſoluere legem.* Lex Domini ſemper eſt in memoria retinenda, vt adimpleatur. cap. 8 nu. 26.

22 *Non veni ſoluere legem.* Per Euangelium, non eſt ſoluta lex antiqua, ſed impleta,





ta, quia quod lex promiſit, Euangelium ſoluit. cap. 10. nu. 39.

23 *Non veni ſoluere legem.* Lex gratiæ multo excellentior eſt lege antiqua, ideo per Euangelium completa eſt lex, vt late oſtenditur. cap. 42. a num. 22. vſque ad 33. Hinc eſt quod nouum teſtamentum pactum dicitur, & fœdus ſempiternum, vetus enim teſtamentum temporale fuit. cap. 55. n. 7.

24 *Sed adimplere.* Lex antiqua per nouā impleta eſt, quia lex noua conſūmatio eſt, & recapitulatio legis antiquæ, iuxta illud Iſai. 10. Conſummationem, & abbreuiationem Dominus exercituum faciet in medio omnis terræ, ideſt, in Hieruſalem dabit legem, quæ in vno dilectionis præcepto, omnia mandata legis complectatur antiquæ. cap. 10. num. 20. 21.

25 *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Quod & Iſaias pronunciauit, dicens. Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit. cap. 34. nu. 12.

26 *Qui fecerit, & docuerit.* Cymbalum tinniens eſt prædicatio eius, qui, quod verbis prædicat, moribus impugnat. cap 18. nu. 2.

27 *Qui fecerit, & docuerit.* His verbis norma traditur Prælatis, iuxta quam debeant ſuas actiones dirigere, ita videlicet, vt aliorum intendentes vtilitati, non obliuiſcantur ſui. Vnde Iſaias. ſuper ſpeculam Domini ego ſum ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meā. ego ſum ſtans totis noctibus. Sunt enim plurimi, qui vineam ſuam non cuſtodiunt, cum tamen aliorum curam gerant. cap. 21. num 9. 10. & 11. vbi multa dicuntur de bonis paſtoribus, qui gregem ſuum, & ſe ipſos cuſtodiunt.

28 *Qui fecerit, & docuerit.* Prædicatores Euangelij prius facere debent, quæ prædicant alijs, iuxta illud Iſaiæ: diſcite bene facere, &c. cap. 1. nu. 50. Vnde Iſaias, non ait, cum audierit filios ſuos, ſed, cum viderit filios ſuos ſanctificantes nomen meum, &c cap. 29. nu. 37.

29 *Qui fecerit, & docuerit.* Verbum Dei vermis efficitur in corde eorum, qui non ſeruant illud, ſicut olim manna. Exod. 16. cap. 30. num. 29.*

30 *Qui fecerit, & docuerit.* Loquens Iſaias de prædicatione Chriſti, prius dixit: erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & poſtea ſubdit: Et aures tuæ audiēt, &c Quia videlicet deſignat prius eſſe videnda bona opera, quam audienda Prædicatoris verba cap. 30. nu. 34.* Sit ergo prædicator prius diſcipulus, quàm magiſter. Vnde Pſal 67. Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa, ſi dormiatis inter medios cleros, &c. cap. 40. nu. 18.*

31 *Qui fecerit, & docuerit.* Tria ſunt fidelium genera, quidam legem Euangelicam prædicant, & eam non ſeruant: hi conferuntur canalibus. Alii eam ſeruant, ſed non prædicant, qui ſimiles ſunt ſtagno. Alij & ſeruant eam, & prædicant, & tales fontibus conferuntur, de quibus Iſai Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, &c. cap. 35. nu 10. 11.*

32 Proponit Eccleſia Patriarchas ſanctos, vt eorum imitemur exempla. Vnde Iſai. ait, Attendite ad petram, vnde exciſſi eſtis &c. cap. 51. nu. 1. 2. 3.*

33 Beato Dominico Patri noſtro adaptatur illud Iſaiæ. Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, &c cap. 59 nu. 23. Vbi eidem adaptatur viſio illa Dan. 10. Ecce vir veſtitus lineis, &c.*

## IN TRANSFIGVRATIONE Domini.

*Euangelium. Matth. 17.*

*ASSVMPSIT Ieſus Petrum, & Iacobum, &c.* Vide Dominica 2. Quadrageſimæ: Vbi totum hoc Euangelium explicatur. 1

## IN FESTO SANCTI Laurentij Martyris.

*Euangelium. Ioan. 12.*

*NISI granum frumenti cadens in terram, &c.* Vide in communi vnius Martyris.

## IN ASSVMPTIONE BEATÆ Mariæ Virginis.

*Euangelium. Lucæ 10.*
*Intrauit Ieſus in quoddā Caſtellū.*

*MVLIER quædam Martha nomine.* In Martæ, & Mariæ vita deſignatur actiua, 1
& contemplatiua, vtramque amplectitur vita perfecta. cap 6. nu. 27.

2 *Huic erat ſoror nomine Maria.* De laudibus Magdalenæ, vide in feſto ipſius. Verbum Dei audiendum eſt & ſuſcipiendum humiliter. Vide Dominica in Sexageſima

3 *Marta Marta ſolicita es.* In domo Iuſti omnes diligentes ſunt, & ſoliciti. cap. 6. n. 2. Vide in Viſitatione B. Mariæ, ſuper illud. Abijt in Montana cum feſtinatione.

4 *Porrò vnum eſt neceſſarium.* Neceſſaria eſt ad ſalutem vnitas, & dilectio, quam inter

ſe habere debent Chriſtiani, iuxta illud. Habitabit lupus cum agno. cap.2. nu.13. cap.11. nu. 11. Vide feria 6. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, ſuper illud. Sanabatur vnus. De laudibus Beatiſſimæ Virginis. vide in feſto Purificationis, Viſitationis, & natiuitatis eius.

## IN FESTO DECOLLATIONIS S. Ioannis Baptiſtę.

### *Euangelium. Matt. 6.*

1 MISIT *Herodes & tenuit Ioannem, &c.* Quantum damnum inferat Reipublicæ Rex iniquus, hodiernum oſtendit Euangelium: nam qualis Rector eſt Ciuitatis, tales eſt Miniſtri eius. Vnde poſtquam Iſaias dixit, omne caput languidum, & omne cor mœrens, ſubdit, à planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. cap.1.nu.26.27.28.*

2 *Miſit Herodes.* De conditionibus veri Regis, & Iudicis. Vide cap 16.nu.6.& 7.

3 *Dicebat enim Ioannes Herodi.* Execrabile eſt ſilentium in Prædicatoribus, qui aliquo humano reſpectu non arguunt publica peccata. Vnde Iſaias ſilentium ſuum reprehendit, dicens. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum. cap. 6. num. 18. 19.* Debent Prædicatores Principum peccata acriter reprehendere. cap.1.nu 34.circa finem.

4 *Non licet tibi.* Prædicator Euangelicus, nec cupiditate gloriæ mundanæ, nec timore aliquo debet auerti à veritate prædicanda. Vnde ad Ezechiel. Dominus ait, vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam. c.6.nu.19.* Hinc Iſaias ait. Lingua balborum velociter loquetur, & plane. cap.32.nu.4.

5 *Non licet tibi.* Illi Prædicatores qui metu, vel cupiditate non audent arguere peccatores, dicuntur ab Iſaia, canes muti non valentes latrare, & canes impudentiſſimi, &c. cap.56. nu.10.11.12.13.& 14.*

6 *Herodes natalis ſui cœnam fecit.* Ex cõmeſſationibus, & ebrietatibus multa oriuntur mala, de quibus vide cap.5. nu.15.16. cap. 28. nu.7.cap 56.nu 14.

7 *Et iurauit illi, &c.* Incauta iuramenta afferunt mala quamplurima. Herodis enim vnum iuramentum indiſcretum mortem attulit viro ſanctiſſimo. Vide in feſto Circumciſionis. num 3.

8 *Et poſuerunt illud in monumento.* Vide feria 6. in Paraſceue. nu.69. 70. Quanta mala ſequantur reipublicæ, cnm viri Iuſti ab illa vide toluntur. cap.57.nu.1.& 2.

## IN NATIVITATE BEATAE Mariæ Virginis.

### *Euangelium. Matth. 1.*

### *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

LIBER *generationis.* Hic liber eſt nouum teſtamentum, in quo ſcripta ſunt myſteria a ſeculo abſcondita in Deo. De quo Iſai. Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Grandis liber & extenſus. iuxta illud Pſal. 103. Extendens cælum ſicut pellem. cap.8.nu.4.& 5.* Item liber grandis, eſt vterus Virginis, quæ cælum ipſum, immo, & Dominum cæli in ſe clauſit, eodem capite.nu.3. Hoc Euangelium tot ſanctis Patriarchis depictum, ſimile eſt cælo, ſtellis illuſtrato, de quo ait Propheta: extendens cælum ſicut pellem: Nam poſt Domini aduentum extenſæ ſunt, & explicatæ ſcripturæ, quæ ad inſtar pellis erant inuolutæ. cap.8.nu.5.* 1

2 *Filij Dauid, filij Abraham.* Primum ſignum Meſſiæ in lege promiſſi, fuit, propagatio ex regia ſtirpe. de quo Iſai. 11. Et egredietur virga de radice Ieſſe, &c. Hieremiæ 25. Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum. Et Pſal. 131. De fructu ventris tui ponam, &c. Hoc autem Chriſto competere, oſtendit præſens Euangelium. cap.9.n.21.

3 *Filij Dauid.* Verè fuit Chriſtus filius Dauid. Et tamen Iſaias 11. de eius natiuitate loquens, non dixit. Egredietur virga de radice Dauid, ſed de radice Ieſſe, ob humilitatem natiuitatis eius. cap. 11. nu.2. Vbi explicatur, qualiter Chriſtus virga ſit, & flos.

4 *Ieſſe autem genuit Dauid Regem.* De quo Iſaias ait. Egredietur virga de radice Ieſſei. cap.11.num.2.

5 *Genuit Obed ex Ruth.* Vt adimpleretur illud Iſaiæ 16. Emitte agnum Domine, dominatorem terræ de petra deſerti, hoc eſt, ex Ruth Moabitide.

6 *Ex qua natus eſt, &c.* Sicut ad capiendos piſces, linea quædam baculo alligatur, ex cuius extreminate hamus pendet coopertus eſca, quam mordentes piſces, capiuntur: ita in hoc Euangelio quædam linea genealogiæ redẽptoris contexitur, ex cuius extremitate Chriſtus naſcitur, cuius corpus dum leuiatam mordere voluit, transfixus eſt aculeo diuinitatis. cap.9.num 21.*

7 *Ex qua natus eſt Ieſus.* Exiens per portam clauſam, cuius meminit Ezechiel. 44.cap. 7. num. 24. Vide in tabula communi verbo Maria, & verbo virginitas.

8 Ex



8 *Ex qua natus eſt Ieſus.* Maria virgo petra eſt, de qua Iſa. 16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. cap. 16.nu.2.

## IN EXALTATIONE SANCTAE Crucis.

### *Euangelium. Ioan. 12.*

### *Nunc Iudicium eſt mundi.*

1 NVNC *Iudicium eſt mundi.* Ipſa Chriſti paſſio eſt iudicium mundi, de quo Iſaias ait. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius, in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. cap. 4. nu. 10. per hoc iudicium à poteſtate Principis tenebrarum erepti ſumus. in præfatione. pag.5.nu.6.& cap 9.nu.10.

2 *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Chriſtus Dominus præfiguratus fuit per Dauid, qui expugnauit Ciuitatem, iuxta illud 1. Iſaiæ 29. Ariel Ciuitas quam expugnauid Dauid. cap.29.nu 4.

3 *Nunt iudicium eſt mundi.* De hoc iudicio loquitur Iſaias. Sion in iudicio redimetur, &c cap.1.nu.68.

4 *Si exaltatus fuero.* Canticorum primo dicit ſponſus. Ego flos campi, & lilium conuallium, quia ſicut flos odorem ſeruat ſucciſſus, & contritus accumulat, ita & Chriſtus exaltatus in Cruce, & ſpinarum aculeis vulneratus odore ſuauiſſimo fragrat. cap.11.nu.2.

5 *Et ego ſi exaltatus.* Crux eſt ſignum eleuatum in montibus, de quo Iſaiæ 18. Omnes habitatores orbis, & qui moramini in terra cum eleuatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, &c. Signum eſt iuſtitiæ, & miſericordiæ, ſignum potentiæ Dei, &c. cap 28.nu. 6. vbi ex Chryſoſtomo quinquaginta epitheta Crucis numerãtur *. eſt ſignum fœderis datum Noe. cap.54.nu.10.

6 *Et ego ſi exaltatus fuero, &c.* In excelſo ligno, & non ſub tecto immolatur Chriſtus, vt etiam ipſius aeris natura mundetur. Terra ſuſcipit fluentem ſanguinem, vt ſanctificetur, &c. cap.18.nu.11. vbi multa dicuntur de ſacrificio Crucis, & de oblatione, quã Deo offerunt iuſti, cor ſuum in illa concremando.

7 *Et ego ſi exaltatus,* Chriſtus Dominus affixus Cruci paxillus fuit, de quo Iſaias ait Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domui patris eius, &c. cap.22.n.24.*

8 *Et ego ſi exaltatus fuero.* Patibulum exaltationem vocat, quia Crux principatus eſt Chriſti, iuxta illud Iſaiæ. Et factus eſt principatus ſuper humerum eius, cap.9.nu. 43. cap. 11. nu 17.*

9 *Et ego ſi exaltatus, &c.* Exaltatus eſt Chriſtus Dominus in Cruce, vt ſignum eſſet populis, & titulus, quo populus fidelis ab infideli diſtingueretur, de quo Iſaias ait. In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini, iuxta terminum eius erit in ſignum, & in teſtimonium Domini exercituum in terra Aegypti. cap.19.nu.21. Vide cap.49.nu.20.

10 *Et ego ſi exaltatus fuero à terra.* Si exaltatus fuero, inquit. Nam Crux eo eſt principatus, de quo Iſaiæ 9. Et factus eſt principatus ſuper humerum eius, de quo Sapientiæ. 13. benedictum lignum per quod fit iuſtitia. Nam per ſignum Crucis liberantur electi. Ezechielis. 9. Signa Tau ſuper frontes virorum gementium, &c.cap.9.nu.43.*

11 *Et ego ſi exaltatus fuero.* Iſai. ait. Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, ſcilicet in Cruce. cap. 52.nu.17.

12 *Si exaltatus.* Crux & ſacrificium nouæ legis cauſa vniuerſalis fuit noſtræ ſalutis. cap.42.nu.31.

13 *Oportet exaltari filium hominis.* Myſterium Crucis eſt exaltatio, de quo Iſai. ait. Et eleuabit ſignum in nationes. &c. cap.11.nu.19. Vide quamplurima ex Chryſoſtomo Crucis epitheta deſumpta. cap. 17. nu 6. Vide etiam cap.52.nu 17. circa illud. Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde, de quo plura dicta ſunt in Inuentione ſanctæ Crucis.

14 *Ambulate dum lucem habetis, &c.* Iudæi in ipſo lumine excæcati ſunt. Vnde Iſaias loquens in eorum perſona inquit. Palpauimus quaſi cæci parietem, & quaſi abſq; oculis attrectauimus. cap.59.nu.11. Vide cap.29.nu. 18.19.20.21.22.*

## IN FESTO SANCTI Matthæi Apoſtoli.

### *Euangelium. Matth. 9.*

CVM *tranſiret Ieſus, vidit hominem ſedentem.* In magno ſunt auari periculo conſtituti, vt oſtenditur feria 5. poſt Dominicam 2. Quadrageſimæ ſuper illud, homo quidam erat diues. 1

2 *Sequere me.* Vide in communi vnius Martyris, ſuper illud, & ſequatur me.

3 Non

3 ***Non egent qui ſani ſunt medico.*** Debent Prælati tanquam medici ſubditorum curare vulnera cap.3.nu 12.

4 *Sed peccatores ad pœnitentiam*, de ſuauitate & efficatia pœnitentiæ, vide feria 4. cinerum circa Epiſtolam,& feria 4. poſt 4. Dominicam Quadrageſimæ, in illa verba. Vade ad natatoria Siloe.

## IN FESTO SANCTI Michaelis Archangeli.

### *Euangelium. Matt.18.*

### *Ac ceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum.*

1 QVIS *putas maior eſt in Regno Calorũ.* In Regno Chriſti humiles ſunt maiores. Vnde Iſai. Nec fraudulentus appellabitur maior. cap.32.nu.5.

2 *Aduocans Ieſus paruulum.* Virtus magna eſt humilitas,quæ ſedes Angelorum ob ſuperbiam euacuatas replet, iuxta illud Iſaiæ. Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. cap.6.nu.7 cap.44.nu. 4. Vide quæ contra ſuperbiam dicuntur. cap.16.nu.8.

3 *Et aduocans Ieſus paruulum.* Tanta eſt paruulorum, ideſt, humilium excellentia, vt abſque eorum laudibus imperfectam reputet cæleſtium ſpirituum melodiam. Pſalm 8. ex ore infantium,& lactentium perfeciſti laudem. cap 6. nu. 13. Paruulis committitur Eccleſiæ gubernatio, iuxta illud Iſaiæ, Et puer paruulus minabit eos. cap.11.nu.12.

4 *Niſi conuerſi fueritis,& efficiamini ſicut paruuli.* Angelus de cælo per ſuperbiam cœcidit. cap.14.nu. 10.11. Per humilitatem ergo in cælum paruulus aſcendet.

5 *Et efficiamini ſicut paruuli.* Vult Dominus fideles ſuos, & miniſtros malitia paruulos eſſe: quoniam ipſe cum eſſet magnus, vt nos duceret ad vitam æternam, paruulus effectus eſt. ſecundum illud. Et puer paruulus minabit eos cap.11.nu.12.

6 *Sicut paruuli*, Chriſtus paruulus magnam virtutem paruulis contulit, vt inſidias diaboli ſuperarent,& vim facerent regno Dei. Vnde Iſaias.11. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis, &c. cap. 11. nu. 14.

7 *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* Ideſt, proijce abs te quicquid Deo præfertur, iuxta illud Iſaiæ. Abijciat homo idola argenti ſui. cap.31.nu.6. *Qui ſcandalizauerit.* Qui ſcandalizat alium, conſcientiam illius crudeliter percutit, iuxta illud 1. Corinth. 8. ſic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam,&c ca 57 n.14.

8 *Videte ne contemnatis.* Iecti contemptibiles ſunt apud homines, ſed in magno pretio apud Deũ ſemper ſunt habiti. Nam & propter vnũ iuſtũ multitudini parcit. ca 43.n.4.5.*

9 *Angeli eorum.* In tota ſacra Scriptura nuſquam fit mentio Seraphin,niſi apud Iſaiam 6.cap.vbi duo tantum ſe vidiſſe teſtatur, cap.6. nu.9.10. Quam ſolliciti ſint Angeli de noſtra ſalute explicatur cap. 6 nu. 22. in illa verba. Et volauit ad me vnus de Seraphin. Angelorum celeritas ad iuſſa Dei exequenda oſtenditur. cap. 6. nu. 11. in illa verba. Et duabus volabant.

## IN FESTO SANCTI Franciſci Confeſoris.

### *Euangelium. Matt.11.*

CONFITEOR *tibi pater, &c.* Vide circa totum Euangelium,in feſto S. Matthiæ Apoſtoli. 1

## IN FESTO S. LVCAE Euangeliſtæ.

### *Euangelium Lucæ 10.*

DESIGNAVIT *Dominus, & alios ſeptuaginta duos,&c.* Vide in cõmuni Apoſtolorũ Ibi enim totũ hoc Euãgeliũ expẽditur. 1

## IN FESTO APOSTOLORVM Simonis & Iudæ.

### *Euangelium. Ioan.15.*

HAEC *mando vobis vt diligatis inuicem, &c.* Vide in communi Apoſtolorum. in primo Euangelio. 1

## IN FESTO OMNIVM Sanctorum.

### *Euangelium. Matt.5.*

### *Videns Ieſus turbas, &c.*

PRO introductione huius feſtiuitatis, notandus eſt locus Iob.5. Voca ergo,ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conſertere. Olim nullus erat ex hominibus in cælo ſanctus, qui ſuis nos poſſet precibus adiuuare: nunc autem non ad vnum duntaxat, aut duos, ſed ad innumerabilem ſanctorũ multitudinem ſe poteſt homo conuertere, & eos inuocare. hinc Iſaias ait. Beatus qui habet in Sion ſemen, & domeſticos in Hieruſalem, hoc eſt, domeſticos, & cognatos in patria. cap.31.nu.8. In ciuitate illa cæleſti omnes ſunt ſancti, omnes iuſti, iuxta illud Iſaiæ: Populus autem tuis omnes iuſti, &c. cap. 60. num.24. 1 *Iob 5*

2 *Aſcendit in montem.* Mons iſte eſt Eccleſia, vel perfectio Euangelica,ſuper quam eſt Chriſtus. cap.2.nu.4.& 5.

3 *Aſcendit in montem.* Mons eſt perfectio Euangelica, quam debet conſcendere prædicaturus Euangelium.cap.2,nu.5. c.40. n.18.

4 *Aſcendit in montem.* Doctrina cæleſti irrigaturus Eccleſiam,aſcendit in montem, vt impleretur illud Iſaiæ. Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem eleuatum riui currentium aquarum, &c. cap.30. num. 46.* Et illud:Super montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas.cap.40. nu. 18.19.Vide cap 49.nu.11.12.

5 *Aſcendit in montem.* Vide in transfiguratione Domini. *Gaudete & exultate.* Gaudium electorum eſt indeficiens,de quo Iſa. ait. Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, &c. cap. 35.nu.12.

6 *Aſcendit in montem.* Mons eſt Eccleſia,in qua perfectius reperitur quicquid in terra promiſſionis fuit glorioſum. Vnde Iſai. Gloria Libani data eſt ei, &c. 35.nu.4.

7 *Aſcendit in montem* daturus legem Euangelicam, oſtendens Euangelium palam eſſe annunciãdum,non in abſcõdito.Iſai.enim ait: Non in abſcondito loquutus ſum in loco terræ tenebroſõ,&c.cap.45.nu.16.c.48.nu.10.

8 *Acceſſerunt ad eũ Diſcipuli eius.* Immo & ſuper montem conſtitutus traxit ad ſe omnes gentes. Vnde Iſa. eleuabitur ſuper colles,& fluent ad eum omnes gentes. cap.2.n.6.*

9 *Et aperiens os ſuum docebat eos.* Erat enim legislator, & doctor, ſicut prædixerat Oſeas 10. Tẽpus autem requirendi Dominum cum venerit,qui docebit nos iuſtitiam. Pſalmo 83. Etenim benedictionem dabit legiſlator. Iob. 39. Non eſt ei ſimilis in legiſlatoribus. cap.9.nu.29.

10 *Docebat eos.* Sicut per Iſaiam dicitur: & docebit nos vias ſuas, &c. cap.2.nu.10.

11 *Docebat eos.* Chriſtus Dominus eſt Præceptor noſter, vias, ideſt, mandata, & ſemitas, ideſt, conſilia docens, de quo Iſai. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, &c. cap.30.nu.34.37.38.

12 *Docebat eos,dicens.* Sicut prædictum fuerat Iſaiæ 48. Ego Dominus docens te vtilia. cap. 9. num. 61. cap. 48. num.11. cap. 42. num. 9. in illa verba: legem eius inſulæ expectabunt.*

13 *Docebat eos,dicens,Beati pauperes.* Clamauit Pſalmiſta Pſal. 24. vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me, vias docuit Chriſtus cum dedit præcepta: ſemitas vero nunc docet, cum tradit conſilia, de quibus Prouerb. 3. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. cap. 9. num. 75.*

14 *Beati pauperes.* Illis enim competit illud Iſaiæ. 14. Et pauperes fiducialiter requieſcent. Et illud quod ibi ſubditur,quia Dominus fundauit Sion, & in ipſa ſperabunt pauperes populi eius. cap.14 nu.21.22.

15 *Beati pauperes ſpiritu.* De his pauperibus dicit Iſaias.Iudicabit in iuſtitia pauperes. cap.11.nu.8.

16 *Beati pauperes ſpiritu*, qui propter Deum ſunt pauperes: ſunt enim quidam pauperes Dei,de quibus Iſa. ait:Pauperum ſuorum miſerebitur; quidam verò diaboli. cap. 49. num.13.

17 *Beati pauperes.* Quales debeat habere conditiones iuſtus, vt regnum Dei poſſidere mereatur, explicatur. cap. 33. num. 12. 13. 14.*

18 *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Lex antiqua terrena ſuis ſectatoribus promiſit, quoniam pueris data eſt, qui rebus puerilibus delectantur, ſed in lege gratiæ hæc excutiũtur de manibus noſtris, ſicut pater quædam concedit filijs in pueritia, quæ tamen ab illis aufert in perfecta ætate. cap.1.nu 56.

19 *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Lex antiqua, terrena, lex gratiæ cæleſtia repromittit, ſed Patres antiqui non terrena, ſed cæleſtia perquirebant: nos autem cæleſtium repromiſſionum obliti, tota auiditate ad temporalia inhiamus. cap.1.nu 56.& 57.*

20 *Beati mites.* De quibus dicit Iſaias. Et arguet in æquitate pro manſuetis terræ. ca. 11.nu.8.& iterum,& addent mittes in Domino lætitiam. cap.29.nu.34.

21 *Ipſi poſſidebunt terram.* Ideſt beatitudinem, quę terra dicitur propter ſtabilitatem. De hac inquit Iſaias. Cernent terram de longe cap.33. nu. 14. Et iterum ait: Reſpice Sion Ciuitatem ſolemnitatis noſtræ, ibidem nu. 17. 18.

22 Beati

22 *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Lugentes conſolari venit Chriſtus, iuxta illud Iſaiæ, vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion: & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij proluctu, palium laudis, pro ſpiritu mœroris. cap 61. n.3.

23 *Ipſi Deum videbunt.* Non ſicut eum vidit Iſai. cum dixit. Vidimus eum, & non erat ei ſpecies: ſed in decore ſuo, iuxta illud. Regem in decore ſuo videbunt. cap. 33. n. 13.

24 *Quoniam ipſi Deum videbunt.* Iſai. ait. Hec eſt hereditas ſeruorum Domini, &c. & Pſal. 15. Dominus pars hæredltatis meæ, &c. cap. 54. num. 18.

25 *Gaudete, & exultate.* Gaudium electorum duplici ſimilitudine explicatur: videlicet, eorum qui lætantur in meſſe, & militum exultantium capta præda. cap. 9. nu 9 & 10.

26 *Quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Nomina prædeſtinatorum ſcripta in cælis dicuntur, ideſt, in libro vitæ, propter ſpecialem curam, quam Deus habet eorum. Vnde Iſaias: Sanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem. cap 4 nu. 9.*

27 *Quia merces veſtra copioſa eſt in cælo.* De gloria Beatorum, & gaudio, vide cap. 25. nu. 4. & ſeq. & cap. 26. à nu. 2. vſque ad 9. Pſalmiſta inquit nomine iuſtorum: Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei, &c. quia merces eorum Deus eſt. cap. 57. nu. 8.

28 *Merces veſtra.* Beatitudinis gloria ob immenſitatem ſuam, ſicut & perfectio Dei, potius per negationem, quàm per affirmationem exprimitur: ſed aliquando explicatur nomine gaudij, vt Iſai. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum. cap. 35. num. 16. *

## IN FESTO SANCTI Martini Epiſcopi, & Confeſſoris.

### *Euangelium Lucæ* 12.

1 SINT *lumbi veſtri præcincti, &c.* Vide in communi Confeſſorum.

## IN FESTO SANCTAE Catherinæ Martyris.

### *Euangelium. Matt.* 25.

1 SIMILE *eſt regnum cælorum, theſauro abſcondito in agro, &c.* Vide in communi Virginum, & feria quarta, & ſexta Cinerum. Vbi multa contra vanam gloriam, & hypocriſim notantur.

## IN COMMVNI APOSTOLORVM.

### *Euangelium. Ioan.* 15.

1 HOC *eſt præceptum meum, vt diligatis, &c.* Præceptum charitatis inditum eſt cum natura, ſed nunc dicitur præceptum Chriſti, quia illud renouauit, & ſuo exemplo ſpecialiter commendauit hominibus. cap. 24. nu. 7. Vide feria 6. poſt Cineres, in illa verba: diligite inimicos veſtros. Et feria 5. in cœna Domini, in illa verba. In finem dilexit eos.

2 *Hoc eſt præcepum meum, &c.* Præceptum charitatis antiquum eſt, & nouum, quia renouatum in noua lege, nouis vinculis ligat homines. cap. 24. nu. 7.

3 *Vt diligatis inuicem.* Dilectio iuſtos facit inſuperabiles, iuxta illud. Fortis eſt vt *Cant.* 8.
mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Ideo conferuntur adamanti, cap. 43. nu. 3.

4 *Quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Commendat antiquitatem doctrinæ. Non enim noua, ſed quæ accepit à Patre, docuit Chriſtus. noua ergo doctrina abijcienda eſt, & ſequenda antiqua. cap. 32. nu. 19. 20. Vide feria 3. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, nu. 3.

5 *Vt eatis, & fructum afferatis.* Diſcipulis ſuis dixit Chriſtus Dominus. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis, quia tempus legis antiquæ fuit tempus laborandi, & arandi, tempus autem legis Euangelicæ, eſt tempus metendi: & quia lex antiqua ceſſauit, lege gratiæ adueniente, ait Iſai. Numquid tota die arabit arans, &c. cap. 28. num. 36. Vide etiam num. 33. 34. 35.

6 *Vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo.* Vide Dominica quinta poſt Paſcha. num. 1. & 2. Et fer. 2. Rogationum.

### *Euangelium. Lucæ* 10.

1 DESIGNAVIT *Dominus & alios ſeptuaginta duos.* Primo elegit Apoſtolos, deinde ſeptuaginta duos diſcipulos deſignauit: quia maiores cauſæ per Principes, minores per inferiores miniſtros ſunt exequendæ. Vnde Iſai. Principes verò ea, quæ digna ſunt Principi cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit. cap. 32. nu. 8. & 9.*

2 *Quos & diſcipulos nominauit.* Hi ſeptuaginta duo dicuntur diſcipuli: & olim Chriſtiani vocabantur ſancti, iuxta illud Rom. 1. Dilectis Dei vocatis ſanctis, &c. cap. 4. nu. 8.

3 *In omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe*

ipſe



*ipſe venturus.* Volauit per vniuerſum mundum prædicatio Apoſtolorum, iuxta illud Iſaiæ Et volabunt in humeros philiſtijm per mare. cap. 11. num. 21. Vnde inferius idem Iſaias ad hoc ipſum deſignandum ait. Qui mittit in mare legatos in vaſis papyri, ſuper aquas. cap. 18. num. 3.

4 *In omnem locum.* Apoſtoli impleuerunt faciem orbis ſemine, iuxta illud Iſaiæ. Et impiebunt faciem orbis ſemine, ſcilicet, verbi diuini. cap, 27. nu. 9. Vnde Iſai. iterum ait. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, ideſt, ſuper omnes populos. cap. 32. n. 19. *

5 *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios.* Pauciſſimi inueniuntur, qui velint ire, & pro ſalute proximi periclitari. Vnde & Iſai. Dei vocem audiuit dicentis: quem mittam, aut quis ibit nobis? cap. 6. nu. 26.

6 *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Vide in Euangelio ſequenti.

7 *Pax huic domui.* ideſt Chriſtus, qui eſt Princeps pacis. cap. 9. nu 75. 76. cap. 2. n 13. 14 vbi agitur de pace, quæ tempore aduentus Chriſti fuit maxima. Non ergo armis, ſed pacifice annunciandum eſt Euangelium, eodem, cap. 2. num. 15.

8 *Pax huic domui.* Multi pacem prædicant, ſed diuitijs inſidiantur. Micheæ 3. qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem. cap, 1. num. 62. *

9 *Edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt.* Nam ſuſtentatio eſt diuino iure debita Eccleſiæ miniſtris cap. 23. nu. 12.

10 *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Vide Dominica in Septuageſima. num. 3. 4. 8.

### *Euangelium, Matth.* 10.

### *Ecce ego mitto vos.*

1 PRO introductione Euangelij eſt inſignis locus Iſaiæ 1. Et reſtituam Iudices tuos, vt fuerunt prius, cap. 1. nu 65. 66. 67.

2 *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio.* Apoſtoli nuncij ſunt, quibus per Iſaiam dicitur, Ite Angeli veloces ad gentem conculſam, & dilaceratam, &c. cap. 18. num. 3. 4. & 5. & Iſai, 18. Qui mittit in mare legatos. cap. 18. num 3.

4 *Ecce ego mitto vos.* Pater miſit Filium ſuum ad prædicandum Euangelium, & Filius diſcipulos, qui promptos ſe exhibuerunt huic miniſterio, ſicut ipſe Filius per Iſaiam ait. Ecce ego, & pueri mei, &c. cap. 8. nu. 29.

4 *Mitto vos.* Non ſignat locum quo eos mittit, quoniam parati eſſe debent Prædicatores, quocumque miſſi fuerint, ire. Vnde Iſaias. Ecce ego mitte me. cap. 6. num 30. & loquens de Apoſtolis ait. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. cap. 32. num. 19, & cap. 60. ait. qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, quia ſicut nubes, quo Spiritus ſanctus eos ducebat, diſſeminauerunt verbum Dei. cap. 60. nu 11. 12.

5 *Ecce ego mitto.* Apoſtoli miluis conferuntur, & ceruis. Miluis, quia cognouerunt tempus aduentus Domini. Hier. 8. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum. Ceruis, quia ad prædicandum Euangelium miſſi à Domino, cucurrerunt. cap. 34. nu, 11. in fin. *

6 *Ecce ego mitto.* Non prius debent currere Miniſtri ad Euangelium prædicandum, quàm mittantur à Deo. Vnde Iſaias. Ecce, inquit, ego mitte me. & Dominus. Ecce ego mitto vos. cap. 6. nu. 27. 28. 29. 30, 32. * Chriſtus venit prædicare à Patre miſſus, ſicut ipſe ait. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, euangelizare pauperibus miſit me, & peccatores volunt, ante quam mittantur, hoc munus aſſumere? cap. 61. nu. 1. *

7 *Sicut agnos inter lupos.* Valde commendabile eſt, quod quis inter peccatores habitans ſit innocens. cap. 6. nu. 20.

8 *Sicut agnos.* Non ergo armis, ſed pacifica prædicatione introducendum eſt Euangelium. cap. 2. nu. 15.

9 *Sicut agnos inter lupos.* Oues fœtæ ſunt Apoſtoli, quas inter lupos Chriſtus protegit, iuxta illud Iſai. fœtas ipſe portabit. cap. 40. num. 23.

10 *Sicut agnos inter lupos.* Cum omnia, quæ ſunt in vniuerſo ſub cælo, habeant contrarium, mirabiliter conſeruantur, iuxta illud Iſai. Præ multitudine fortitudinis, & roboris virtutiſque eius, nec vnum reliquum fuit. cap. 40. nu. 35. *

11 *Sicut agnos inter lupos.* Sed eis ſuam promittit protectionem per Iſaiam dicẽs. Cum tranſieris per aquas (ſcilicet tribulationum) tecum ero, &c. Cum tranſieris per ignem non combureris. Ideo ſæpe ab igne liberati ſunt Martyres. Qui tamen poſtea gladio ſunt occiſi, vt magis aſſimilarentur morti Redemptoris, ſanguinem pro illo fundendo. cap. 43. n 3.*

12 *Inter lupos.* Quia Eccleſia inter lupos habitat, dicitur comtemptibilis. cap. 49. n. 9.

13 *Sicut agnos inter lupos.* Dilacerandi ergo erunt. Vnde Iſai. pauperculam vocat Eccleſiam, & tempeſtate conuulſam. cap. 54. num. 14.

12 *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci.* Lex antqua fuit tempus arandi, lex autem gratiæ eſt tempus metendi. Vnde Iſai,

Nun-

Numquid tota die arabit arans, vt ſerat, &c. cap.28.nu.33.36. Vide feria 6. poſt 3. Dominicam Quadrageſimæ. nu.23,

15 *Nolite portare ſacculũ neq; peram.* Nam Prædicatores debent terrena contemnere, vt audientes inducant ad amandum cæleſtia. cap. 29.nu.37.

19 *Pax huic domui.* Pacem, quam Chriſtus attulit, annunciare debent Prædicatores Euangelij, de qua vide in Natiuitate Domini in primo Euangelio. nu.21.22,23. & Dominica in Albis, nu,2.3.4.5. Vide etiam in 1. Euang. Apoſtolorum. nu.7.8.9.

## *Euangelium. Matth. 19.*

ECCE *nos reliquimus omnia.* Qui omnia ꝑpter Deum reliquit, & propriã voluntatẽ abnegare debet. cap.29.nu.34.*

2 *Ecce nos reliquimus omnia.* Terrena quantumuis magna, electis parua videntur, quoniam ea aſpiciunt de lõge, iuxta illud Iſai. Cernent terram de longe. ideo illa contemnunt. cap.33.num.14.

3 *Ecce nos reliquimus omnia.* Omnia propter Chriſtum ſunt relinquenda, etiam cupiditas ipſa. cap.55 nu.2.

4 *Reliquimus omnia.* Electis, quia ſicut aquilæ ad cæleſtia eleuantur, parua videntur omnia temporalia; ideo ea deſpiciunt, vnde Iſai. ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, &c. cap.58 nu. 13.14 cap.33.n.11 *

5 *Et ſequuti ſumus te.* Vide in communi vnius Martyris, in illa verba, ſi quis vult poſt me venire.

6 *Cum ſederit filius hominis*, &c. Iuſti in hoc ſæculo videntur contẽptibiles, ſed in futuro excelſi erunt. Iob. 12. lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum. cap.24.nu.19.*

7 *Sedebitis & vos iudicantes.* Viri Apoſtolici, principes ſunt Eccleſiæ, de quibus Iſai. ait. Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & Pſal. 86 & principum horum qui facti ſunt in ea. cap.1.nu.65.66.

## IN COMMVNI VNIVS Martyris

### *Euangelium Locæ 9. Si quis vult.*

1 PRO Introductione Euangelij eſt inſignis locus Iſai. 30. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis, &c. cap.30.à nu.34. vſq; ad 38.

2 Martyres proprio ſanguine ſubſcribunt fidem, iuxta illud Iſai. Et hic ſcribet manu ſua Domino. Ita ſubſcripſit. S. Petrus Veronenſis. Credo in Deum, &c. cap.44.nu.4.*

3 *Si quis vult poſt me venire.* Chriſtus Dominus ſicut alter Gedeon milites ſuos hortatur, quodcumq; me videritis facere, facite. *Iudicũ 7.* cap.9. nu. 13. Vbi tota hiſtoria Gedeon applicatur Martyribus.*

4 *Si quis vult, &c.* Deus non cogit hominem ad bonum, ſed reliquit eum in manu conſilij ſui. Vnde per Iſai. ait. Si volueritis & audieritis me. cap.1.nu.nu 55. Deus tamen ſuo efficaci auxilio voluntatem mouet, vt ſequatur Dominum. cap.10.nu.11.12.

5 *Poſt me venire.* Iuſti retro Chriſtum Dominum ſe conſtituunt, vt audiant vocem poſt tergum monentis, hæc eſt via, ambulate in ea. cap.1.nu.22. cap.30.nu 34.35.36.

6 *Si quis vult poſt me venire.* Iſai. ait. Poſt te ambulabunt, vincti manicis pargent, &c. cap.45.nu.14. *

7 *Si quis vult, &c.* Ait, ſi quis, vt deſignet paucos eſſe qui perfectionem ſequuntur. Vnde Iſai. Nobiles eius non erunt ibi, &c. cap. 34.nu.9

8 *Abneget ſemetipſum.* Ideſt non ſolum alia, ſed & propriam voluntatem, & ſeipſum relinquat propter Deum. cap.29.nu.34.*

9 *Et ſequatur me.* Secura eſt via, per quam nos præcedit Chriſtus. Vnde Iſai. Non erit ibi leo, & mala beſtia, &c. Per hanc viã Angeli ſunt cuſtodes, qui ſocij erunt bertitudinis in patria. cap.35.nu.15.16.

10 *Et ſequatur me.* Sequi debent fideles Chriſtum, non eum præcedere. cap. 30. num. 35.*

11 *Qui perdiderit animã ſuam propter me, inueniet eam.* Vnde per Iſai. ad Martyres ſuos ait. Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus, ideſt. Ego ſum potens meliorem vitam retribuere, &c cap.43 nus11.* Vbi multa dicuntur de Martyrum conſtantia.. Vide eodem cap. nu.8.9.10.

## IN COMMVNI VNIVS Martyris.

### *Euangelium. Ioan. 12.*

### *Niſi granum frumenti, &c.*

NISI *granum frumenti*, ideſt, Chriſtus cadens in terram, hoc eſt ex Maria Viagine natus, mortum fuerit, ideſt cruci affixus, 1

Virgine natus, mortum fuerit, ideſt Cruci affixus, ipſum ſolum manet, ideſt, neminem ſaluabit. Quod Iſai. 1. dicitur. Niſi Dominus exercituũ reliquiſſet nobis ſemen, &c c.1.nu. 33.* Vbi oſtenditur cumulatiſſimus Chriſti paſſionis fructus.

2 *Niſi granum, &c.* Granum frumenti in terram cadens, Verbum eſt incarnatum, de quo Iſai. ait. Verbum miſit Dominus in Iaceb, & cecidit in Iſrael. cap.9 nu.81.

3 *Niſi granum, &c* Granum iſtud in terram cadens ſpinas & tribulos, quos propter peccatum primi parentis terra protulit, in benedictionem conuertit. cap.27.nu.12.

4 *Ipſum ſolum manet.* Tanta eſt Chriſti erga homines charitas, vt ſolum ſe eſſe aſſerat, niſi hominem ſaluet, & proſperitatem illius, ptópriam reputet. Vnde Iſai. poſtquam dixerat: Et ſicut deſcendit imber, aut nix de cælo, &c. Subdit, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumq; volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. cap. 55. nu.14.15.16r

5 S*i autẽ mortuum fuerit multum fructum affert.* Tyranni occidentes Martyres, non illis, ſed ſibi nocuerunt. Pſal.36. Gladius eorum intret in corda ipſorum, &c. cap.32.nu.6.

6 *Multum fructum affert.* Sicut Iſa ait Et quomodo deſcendit imber et nix, de cælo, &c. vſq; non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcũq; volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Vbi Deus proſperitatem noſtram ſuam reputat. cap.55.nu 15.*

7 *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Multum fructum attulit Chriſtus mortuus, iuxta illud Iſai. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. cap.53.nu.17.18.19.* Vnde loquens ad Eccleſiam, ait, lauda ſterilis quæ non paris, &c. cap. 54.nu.1.2.3.4.5.6. Et iterum ait Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. cap.60.nu.26.*

## IN COMMVNI PLVRIMORVM Martyrum.

### *Euangelium. Matth. 5.*

1 VIDENS *Ieſus turbas, aſcendit in montem.* Vide circa totum hoc Euangelium in feſto omnium Sanctorum..

### *Euangelium. Lucæ 12.*

2 *Attendite a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Vide Dominica 7. poſt Pentecoſten, in illa verba, Attendite à falſis Prophetis, &c.

3 *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus.* Pro introductione huius Euangelij eſt inſignis locus, apud Iſai. cap.18.nu.17 & 19. vbi agitur de conſtantia Martyrum, & qualiter vicerint tortores ſuos, & oſtenditur Martyrium coronam potius eſſe, quàm curſum.*

4 *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus.* Iſai. ait ad domum Dauid, quæ duos Reges valde timuerat. Noli timere, & cor tuum ne formidet a duabus caudis titionũ fumigãtium iſtorum. cap.7.nu.6 & 8 * & Iſai. 42. nu. 6 dicuntur Tyranni lignum fumigans.*

5 *Ne terreamini ab his, &c.* Multitudo populorum frementium aduerſus Eccleſiam multitudini aquarum confertur. Iſai. 17. Væ multitudini populorum multorum, &c. ſed Martyres cõferuntur inſulis, quæ fluctibus ſonantibus & ſtrepentibus non mouentur, ideſt, hæreticorum ictibus, qui ſunt fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, vt dicitur Iudæ.1. cap.17.n.9.*

6 *Ne terreamini ab his, &c.* Qui vitam perdiderit, vt teſtificetur veritatem, vitam meliorem inueniet. Vnde Iſa. Vos teſtes mei dicit Dominus, & ego Deus, &c. cap.43.nu.11. & cap 51.nu.14. dicitur, Vbi nunc eſt furor tribulantis? &c.

7 Ne *terreamini, &c.* Magnum malum eſt timere inimicos Chriſti. Ideo Pſalmiſta, Pſal. 63. ait. à timore inimici eripe animam meam, non dixit ab inimico, ſed à timore inimici. cap. 8. nu. 19. Vbi multa dicuntur de conſtantia Martyrum, qui dum victi videbantur, extiterunt victores.

8 *Timete eum.* Initium ſapientiæ eſt timor Domini. Ideo alia dona requieuiſſe ait Iſai. ſuper Chriſtum, ſed de dono timoris loquens, ait, Et replebit eum Spiritus timoris Domini, vt timorem filialem commendaret, de quo Pſal. 18. Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. cap.11.nu.6.

9 *Timete eum.* Milites ſuos timoratos eſſe vult Dominus: per illos enim vincit mundum, ſicut olim Madian. cap.7.nu.6. In timore Domini fortitudo Martyrum conſiſtit: vnde Iſai. Dominum exercituum ipſum ſanctificate Ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. cap 8. num. 22.*.

10 *Habet poteſtatem mittere in gehẽnam.* Puniet ergo in perpetuum tyrannes occidentes Martyres, qui Martyribus ſuis tormenta in menſura, & ſpiritum abſq; menſura tribuit. Vnde per Iſai. ait. In menſura contra menſuram

ram, cum abiecta fuerit, iudicabo eam. cap. 27. num.

11 *Omnis quicumq; confeſſus fuerit me coram hominibus.* Martyr idem ſignificat quod teſtis, qui proprio ſanguine veritatem confirmat Euangelicam. Vnde Iſai. Vos teſtes mei, dicit Dominus cap. 43. nu 8. 9. 10. 11.*

## *Euangelium Lucæ 21.*

1 CVM *audieritis prælia.* Vide circa hoc Euangelium Dominicæ 24. poſt Pentecoſten.

2 *Et terræmotus magni erunt.* Vide Dominica 1. Aduentus à nu. 1. vſq; 12.

3 *Ego dabo vobis os & ſapientiam.* Martyres ſpiritu Dei pleni ſapienter & conſtanter reſpondebant tyrannis. vnde Iſai. Vox clamantis in deſerto, clamantis, inquit, nam in ſuis clamat Chriſtus. cap. 40. nu. 11. vide cap. 49. nu. 3. cap. 59. nu. 16.

4 *Circa illud, non veni pacem mittere, ſed gladium.* Nota quod gladius iſte Chriſtus eſt, de quo Iſai ait. Gladius deuorabit vos. cap. 1. n. 60. ſeparat enim ſpirituales à carnalibus. Vnde Apoſtolus. Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, cap. 11. nu 9.

# IN COMMVNI CONFESSORVM

## *Euangelium. Matt. 5.*

1 VOS *eſtis ſal terræ.* Vide circa totum Euangelium in feſto ſancti Dominici Patris noſtri.

## *Euangelium. Lucæ. 12.*

SINT *lumbi veſtri præcincti.* Ideſt, eſtote fortes & parati. Vnde Iſai. 23. dicitur de Tyro, non eſt cingulum vltra tibi, ideſt, omni robore deſtituta es, & auxilio. cap. 23 nu. 5. cap. 22. nu. 18.

2 *Sint lumbi veſtri præcincti.* Homines præcincti eos ſignificant, qui in prælio aduerſus ſpiritales nequitias fortiter dimicant, de quibus. 3. Regum 20. dicitur. Non glorietur accinctus æque, vt diſcinctus. cap 45. nu. 3.*

2. Petr. 3. 3 *Quia ſi ſciret Paterfamilias.* Dies Domini, ſicut ait. Petrus, adueniet vt fur, ideo ſemper debemus eſſe parati, cap. 23. nu 9. cap. 38. nu. 2. & 15.

4 *Ideo & vos eſtote parati. &c.* Quibuſdam breue ſpatium pœnitendi, quibuſdam magis diuturnum conceditur. Moabitis tres anni, Iſraelitis, trecenti & nonaginta conceduntur Ezechiel. 4. cap. 16. nu. 13.

## *Pro alijs diuerſis Euangelijs Confeſſorum.*

1 FIDELIS *ſeruus & prudens.* Prædicatores, & Paſtores Eccleſiæ fideles ſunt, cum faciunt prius quæ docent, prudentes, cum iuxta qualitatem audientium diſtribuunt Verbum Dei. cap. 30. nu. 42. 43.*

2 *Vt det illis cibum in tempore.* Prædicatores Euangelij maxima prudentia ſint prædiri, vt ſciant, quando loqui, quando retinere debeant verbum Dei. cap. 50. nu 7.*

3 *Intra in gaudium Domini tui.* Quid ſimile dicitur per Iſai. Vade populus meus, intra cubicula tua. Et obſerua, quod non ait, gaudium intret in te, ſed, tu intra in gaudium, vt magnitudinem præmij deſignet. cap. 26. nu. 30. Matt. 25.

4 *Auferte ab illo mnam &c.* Vide Dominica 8. poſt Pentecoſten. num. 6. in illa verba, quia Dominus meus aufert à me villicationem.

5 *Nolite timere puſillus grex.* Idem dicit per Iſai. Noli timere vermis Iacob, &c. cap. 41. nu. 15.*

6 *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Peccatores bellum contra Deum gerunt, vt coronam Regni, quantum in ſe eſt, à Deo auferant. cap. 1. nu. 12. Luca 19.

8 *Nolumus, &c.* Peccatores ſunt Deo rebelles, & Deo dicenti, volo, libero ſuo arbitrio audacter reſpondent, nolumus. cap. 1. n. 58. Vide Dominica 2. & 19 poſt Pentecoſten in illa verba, & nolebant venire.

9 *Qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam.* Talem domum aquæ inundantes ſubuertent, iuxta illud Iſai. Et ſubuertet grando ſpem mendatij, & protectionem aquæ inundabunt. cap. 28. nu. 25. *

# IN COMMVNI VIRGINVM

## *Euangelium. Matt. 25.*

1 SIMILE *eſt Regnum Cœlorum decem Virginibus.* Virgines præferuntur coniugatis, ſi tamen vere Virgines ſint: vnde Iſai. Dabo eis (ſcilicet Eunuchis, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Dei), in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, &c. cap. 56. nu. 3. 4. 5. Quales debeant eſſe Virgines, & qualis earum modeſtia, & compoſitio, oſtenditur ex verbis Cypriani, & Ambroſij. cap. 3. nu. 28. vide ibidem nu. 27. & 29. & 30. contra ſuperbum ornatum, & luxum mulierum.

2 *Quinque erāt fatuæ, &c.* Peruerſi Chriſtiani Virginibus fatuis sūt ſimiles: quia nomē duntaxat retinent Chriſti, Iſaiæ 4 apprehendent ſeptem mulieres, &c. vſque tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos. cap. 4. num. 2. & 3.

3 *Quinque erant fatuæ.* Multi nomen duntaxat habent ſanctitatis, & virginitatis, qui non veram virtutem poſſident: contra quos dicit Iſai. Audite hæc domus Iacob, qui gloriamini nomine Iſrael. cap. 48. nu. 12.*

4 *Tunc ſurrexerunt omnes Virgines illæ.* Electorum animæ de nocte conſurgunt, & primo mane vigilant, vt ſe præparent ad ſponſum ſuum digne ſuſcipiendum, cum venerit. Vnde Iſaias. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. cap. 26. nu. 14. & 15.*

5 *Et clauſa eſt ianua.* Fatuis occluditur ianua cæleſtis, quæ prudentibus, ideſt, electis aperitur, de quibus Iſaias ait Aperite portas & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem. cap. 26. nu. 4. & 5.

6 *Neſcio vos.* Fatuis Virginibus accidet iudicium Babylonis, de quo Iſai. ait. Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylon, &c. cap. 47. per totum, præſertim nu. 3.

7 *Neſcio vos.* Qualis erit tunc confuſio Virginum inſipientum. confundentur, inquit Iſaias, ab idolis quibus ſacrificauerunt, &c. cap. 1. nu. 70. 71. 72.

8 *Neſcio vos.* Illi, qui non propter Deum, ſed propter homines virginitatem ſeruant, & bona operantur, in die retributionis nullam prorſus recipient mercedem, nec fructum colligent. Dicit enim Iſaias. In die plantationis tuæ labruſca, & mane ſemen tuum florebit: ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebunt grauiter. Vnde S. Iob ſcirpo comparat vitam hypocritæ, &c. cap. 17. nu. 8. *

9 *Vigilate itaq;, quia neſcitis diem, neq; horam.* Mortis hora incerta eſt, vt homo ſemper vigilet cap 38 nu 2. 15. Vide in communi Confeſſorum, in illa verba, quia ſi ſciret pater familias. Vide cap. 40. nu. 23.

## *Euangelium. Matt. 25.*

1 SIMILE *eſt Regnum Cælorum Theſauro abſcondito.* Theſaurus abſconditus inuentus abſconditur, nam bona ſpiritualia non ſunt manifeſtanda. cap. 24. nu. 16. cap. 39. nu. 3.

2 *Et emit agrum illum.* Iſai. ait. Emite abſque argento, & abſque vlla commutatione, &c. quia in comparatione illius omne aurum arena eſt exigua. cap. 55. numero 2. 3. *

3 *Simile eſt Regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mare.* Magnos piſces, ideſt, magnos peccatores ſagena Euangelicæ prædicationis comprehendit, de quibus Iob. 40. Numquid implebis ſagenas pelle eius? Quidam peccatores induuntur diabolo, illi videlicet, qui cadunt & reſurgunt, & moribus induuntur illius, & poſtea per pœnitentiam veſtem deponunt, &c. Quidam vero tamquam pelli diabolo adhærent, qui ſemper permanent in peccato, ſed dum eos conuertit, ſagenas ſuas implet Dominus pelle Behemoth, &c. cap. 19. nu. 10. circa finem.

4 *Ex omni genere piſcium congreganti.* Sicut Iſaias ait. Ad dexteram enim & ad læuam penetrabis. cap 54. num. 3. Boni quippe ſunt malis permixti in Eccleſia, ſicut triticum zizaniæ. cap. 54. num. 14. In patria autem omnes erunt iuſti, omnes ſancti, iuxta illud Iſaiæ. populus autem tuus omnes iuſti. cap. 60. num. 24. *

5 *Separabunt malos de medio iuſtorum.* Vide fer. 2. poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ in illud, ſeparauit eos ab inuicem.

6 *Ibi erit fletus.* De pœnis inferni, vide cap. 1. num. 69 ſuper illud. Et conteret ſceleſtos. Et cap. 24. nu. 23. vſque ad 27. & feria ſecunda poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

# PRO DEFVNCTIS.

1 SCRIBE: *Beati mortui.* Scribi præcipiuntur in Scriptura, quæ ſunt in memoria perpetuò retinenda. Iſai. 30. Nunc ergò ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, &c. cap. 30 num. 7. Mortis ergo & nouiſſimorum meditatio eſt valde vtilis cap. 47. nu. 5. Apoc. 14.

2 Generationes hominum aſſimilantur folijs arborum, & ſepulcra Principum folia areſacta, ideſt, corpora in puluerem redacta continet. cap. 28. nu. 1.

3 *Beati mortui.* Cum primus Parens pulſus fuit e Paradiſo, collocauit Dominus ante Gen. 3. Paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, &c, vt deſignaret per mortem electos peruenire poſſe ad Paradiſum cæleſtem. cap. 26. nu. 4. *Vide in die Apoſt. Phil. & Iacobi. nu. 10.

4 *Beati mortui.* Mors electorum morti cygni: reproborum autem Syrenæ confertur. Nam cygnus cantans moritur, ſyrena rabida

## *Elenchus.*


rabida morta perimitur. cup. 38. num. 4.

5 *Beati mortui.* Ante mortem Chriſti mors erat terribilis: poſtmodum verò facta eſt ſuauis.cap.38.nu.11.

6 *Vt requieſcant à laboribus ſuis.* Iuſtorum mortem deplorans Iſaias,ait. Iuſtus perit,& non eſt qui recogitet in corde ſuo. Multa enim mala eueniunt peccatoribus, quia de medio eorum tolluntur iuſti. Ipſi enim deplorandi non ſunt, quia in pace requieſcunt, vnde & ſubdit, veniat pax,requieſcat in cubili ſuo. cap.57.nu.1.2.3.4.5.


## *Finis Elenchi.*

### *EX LIBRO THRENORVM.*


cap. 1. Et lacrymæ eius in maxillis eius. cap. 38. num. 21.

Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.cap.51 nu 18.

Viæ Sion lugent,eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem.cap.33.nu.8.

Omnes portæ eius deſtructæ. cap.33.nu.8.

cap. 2. Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem cap.30 nu 24.

Non taceat pupilla oculi tui cap.38 nu 17.

Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. cap. 30 nu.16

cap. 3. Bonum eſt viro,cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.cap.30.nu 17.

Sedebit ſolitarius & tacebit. cap. 30. numero.15.

Dabit percutienti ſe maxillam : ſaturabitur opprobrijs. cap. 50. nu. 9.

Oppoſuiſti nubem,ne tranſeat oratio. cap. 44. nu.11.cap 45.nu.8.

Inundauerũt aquæ ſuper caput meum. cap.30. cap.num. 24.

Oculus meus deprædatus eſt animam meam. cap 33.nu.1.

Filij Sion inclyti, amicti auro primo, &c, 33. num 8.

Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, &c cap 49 nu 24. cap. 4

Paruuli petierunt panem,& non erat qui frangeret eis. cap.30.nu.29.

Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter,&c.cap.43 nu,14. cap. 5.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur cap.30. num 22.


*Hæc loca omiſſa ſunt ex incuria, in tabula locorum ſacræ Scripturæ; adiungantur ijs, quæ in libro Threnorum ſunt notata.*



# LIBER QVARTVS COMMENTARIORVM IN ISAIAM PROPHETAM.


*Auctore*

R. P. MAGISTRO. F. DIDACO ALVAREZ Metimnenſi, Prouinciæ Hiſpaniæ, Ord. Præd. Romæ in Collegio S. Thomæ ſuper Mineruam ſacræ Theologiæ profeſſore, & Regente.


## *DE QVATVOR COMMINATIONIBVS contra Gentis Iudaicæ quaſdam ſpeciales perſonas vaticinia Prophetarum illudentes.*

POSTQVAM in libro præcedenti denuntiauit Iſaias excidium totius vniuerſi: electorum gloriam,& damnatorum ſupplicium:conſequenter in hoc Libro Quarto, qui ſex continet capita, inuehitur contra Gentem Iudaicam, eo quod nec promiſſionibus, nec minis a peccatis ſuis potuerunt auerti.& loquitur ſpecialiter cõtra Principes, Sacerdotes, Scribas & Phariſæos vaticinia Prophetarum illudentes, & continet quatuor væ, ſiue quatuor comminationes. In primo væ, quod incipit cap. 28. *Væ coronæ ſuperbiæ &c.* comminatur Genti Iſraeliticæ,futurum excidium, & in eodem capite vertit ſe ad Chriſtum, quem principaliter reſpicit preſens prophetia; & ait: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretioſum &c.* In 2. væ quod incipit *Væ Ariel*,cap.29. comminatur etiam genti Iudaicæ, & vaticinatur euerſionem ciuitatis per Nabuchodonoſor & per Romanos factam, vbi de cæcitate Iudæorum, qui offenderunt in Chriſtum,ſermonem inſerit. In tertio væ, quod incipit, *Væ filij deſertores,*

Ex Petro Aureolo ĩ compẽdio Sacræ ſcripturæ.

cap. 30. vaticinatur contra reliquias populi, quæ poſt euerſionem ciuitatis contra præceptum Domini deſcendere voluerunt in Aegyptum, & auxilium petere ab homine impio, quaſi Deus non poſſet eos liberare. Continuatur eadem materia etiam in quarto væ, quod incipit 31. cap. *Væ qui deſcendunt in Aegyptum &c.* Sed in neutro capite obliuiſcitur Redẽptoris noſtri: multa enim inter aduerſa, quæ denuntiat populo duræ ceruicis, miſcet colloquia cum iuſtis, ad eorum conſolationem: & nonnulla explicat myſteria gratiæ, quæ in ſumma vniuſcuiuſque capitis tangentur. Vndè in capite 33. vaticinatur plura de aduentu Chriſti, & prædicatione Apoſtolorũ, nec non de aduẽtu Spiritusſancti, vt ſuo loco manifeſtum fiet.

## CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

1 VAE CORONAE ſuperbiæ, ebrijs Ephraim,
& flori decidenti, gloriæ exultationis eius,
qui erant in vertice vallis pinguiſsimæ, er-
rantes a vino. 2 Ecce validus & fortis Do
minus ſicut impetus grandinis: turbo con-
fringens, ſicut impetus aquarum multarum
inundantium, & emiſſarum ſuper terram
ſpatioſam. 3 Pedibus conculcabitur coro-
na ſuperbiæ ebriorum Ephraim. 4 Et erit
flos decidens gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem val-
lis pinguium, quaſi temporaneum ante maturitatẽ autumni: quod
cum aſpexerit videns, ſtatim vt manu tenuerit, deuorabit illud.
5.6 In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum
exultationis reſiduo populi ſui: & ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iu-
dicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam. 7 Verum
hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt: Sacer-
dos, & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt a vino, er-
rauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudiciũ.
Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumquè, ita vt non
eſſet vltra locus. 8 Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere
faciet auditum? 9 Ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus. 10 Quia
manda, remanda, manda, remãda, expecta, reexpecta, expecta, reex-
pecta, modicum ibi, modicum ibi. 11 In loquela enim labij. 12 &
1.Cor 14. d. lingua altera loquetur ad populum iſtum: 13 Cui dixit: Hæc eſt
requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium: & no-
luerunt audire. 14 Et erit eis verbum Dñi: Manda, remanda, man-





da, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi,
modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, &
illaqueentur, & capiantur. 15 Propter hoc audite verbum Domi-
ni viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in
Ieruſalem. Dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum
inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit, non
veniet ſuper nos: 16 Quia poſuimus mendacium ſpem noſtram,
& mendacio protecti ſumus. 17. 18. 19 Idcirco hæc dicit Domi-
nus Deus: 20 Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, la- Pſ. 117. d.
pidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum. Mat. 21. d. Act. 4. b.
21.22 Qui crediderit, non feſtinet. 23.24 Et ponam in pondere 1.Pet. 2. a.
iudicium, & iuſtitiam in menſura: 25 Et ſubuertet grando ſpem Rom. 9. g.
mendacij: & protectionem aquæ inundabunt. 26 Et delebitur
fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non
ſtabit: flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcatio-
nem. Quandocumque pertranſierit, tollet vos: quoniam mane di-
luculo pertranſibit in die & in nocte, & tantummodo ſola vexatio
intellectum dabit auditui. 27 Coanguſtatum eſt enim ſtratum,
ita vt alter decidat: & pallium breue vtrumque operire nõ poteſt.
28 Sicut enim in monte diuiſionum ſtabit Dominus: ſicut in valle, 2.Reg. 5. c. 1.Par. 14.
quæ eſt in Gabaon, iraſcetur: 29.30 Vt faciat opus ſuum, alienum a.
opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo. Ioſ. 10. c.
Et nunc nolite illudere, ne forte conſtringantur vincula veſtra.
32 Conſummationem enim & abbreuiationem audiui a Domino
Deo exercituum ſuper vniuerſam terram. 33 Auribus percipite,
& audite vocem meã, attendite, & audite eloquiũ meum. 36 Num-
quid tota die arabit arans vt ſerat, proſcindet & ſarriet humum
ſuam? Nonne cum adæquauerit faciem eius, ſeret gith, & cymi-
num ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & mi-
lium, & viciam in finibus ſuis? 34 Et erudiet illũ in iudicio: Deus
ſuus docebit illum. Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota
plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, &
cyminum in baculo. Panis autem comminuetur: 35 Verum
non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum
rota plauſtri, nec vngulis ſuis comminuet eum. 37 Et hoc a Do-
mino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium, &
magnificaret iuſtitiam.

## SVMMA CAPITIS.

INVEHITVR hoc capite Iſaias contra decem tribus, ſpecialiter contra illudentes vaticinia Prophetarum. Et in primis arguit eorum ebrietatem & luxum, qui Dei contemptum parit, iuxta illud. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

Exo.32. b.

*Secundo, euerſionem illius ciuitatis denuntiat, verſiculo,* Ecce validus & fortis.

*Tertio, incredulitatem duarum tribuum reprehendit, verſiculo,* Verum hi quoque præ vino neſcierunt.

*Quarto, illuſores Prophetarum puniendos fore denuntiat, verſiculo,* Quia manda remanda.

*Quinto, Iram ſuam Deus miſericordia temperat, & aduentum vnigeniti ſui repromittit, Verſiculo,* Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem.

*Sexto, duabus ſimilitudinibus vindictam explicat, quam contra illuſores ſumpturus eſt Dominus. Verſiculo,* Sicut enim in monte diuiſionum.

---

## COMMENTARIVM.

*VAE Coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidēti gloriæ exultationis eius, qui erāt in vertice vallis pinguiſſimæ errantes à vino:* Apta ſimilitudine comparat Propheta decorem, & gloriam Regni decem tribuum Iſrael coronæ floribus exornatæ, quam ebrius ſuper caput ſuum portat, quia in ludibrium potius, quàm in honorem cedit illi. Sicut enim ebrius facilè in lutum cadit, & coronam fœdat, atque deturpat, & ipſe ab omnibus irridetur: ità (inquit) continget Regno decem tribuum. Diſſipabitur enim quamprimùm, & eò, cùm ceciderit, confuſione perfundetur maiori, quò pulchrius antea videbatur floribus coronatum. Et ſicut flos calore tactus, aut ęſtu marceſcit, in terrā decidit, & à prętereuntibus conculcatur: ſic Regnum illud, quod ſublime apparebat, ac Regno Iudæ excelſius, breui corruet, & deſpicabile fiet. Dicitur autem Regnum illud eſſe in vertice vallis pinguiſsimæ, quia Samaria, quæ metropolis erat decem tribuum, in monte fuerat conſtituta, vt ex 3. lib. Reg. cap. 15. manifeſtè conſtat, iuxtà quem montem vallem habebat pinguiſsimam. Vbi obſerua, duplicem in ſacris litteris recenſeri coronam, humilitatis alteram, alterā ſuperbiæ. Illa Regnum Chriſti, hæc Regnum mundi deſignat. Illa nunquam decidit, nec flores eius marceſcunt; hæc *tanquam fœnum velociter areſcet, & ſicut olera herbarum citò decidet.* Nam Imperium Chriſti, & Regnū ſtabile eſt, & perpetuum: Regnum autem aliorū Principum volubile, & temporale. De illo

Gloria mūdi, flori decident cō fertur.

Chriſti regnū & corona ſpinea glorioſa.



illo namque ſcriptum eſt, quia *Regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione, & generationem.* Vndè & milites *plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput Ieſu*, vt ſcias, quia non ſolum ſpinis, ſed & clauis ſolidiſsimis fixa eſt ſuper caput Chriſti, quæ ab eo (vt dictum eſt ſupra) dimoueri non poterit. Reges autem huius ſæculi flori decidenti, & folijs areſcentibus conferuntur, quia nullus illorum in eodem ſtatu permanet, ſed quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. *Generatio præterit, generatio aduenit* (inquit Salomon) *Terra autem in æternum ſtat*. quæ verba expendens S. Auguſtinus ait. *Videtis generationes hominum ſic eſſe in terra tanquam in arbore folia, ſed in arbore oliuæ, vel lauri, vel cuiuſcumque alterius, quæ toto tempore fronde veſtita eſt, ſic tanquam folia genus humanum terra portat, plena eſt hominibus, ſed cum alijs morientibus alij naſcendo ſuccedunt; ſemper enim arbor illa veſte viridi ornata eſt. Sed ſubter attende, quàm multa calces arida folia. Ergo fuit generatio ſub Adam, tranſijt. Nati ſunt indè quidam futuri participes æternitatis Dei etiam illo tempore; Indè enim Abel, inde Seth, inde Enoch. Tranſijt illa generatio, venit diluuium, remanſit vna domus. Et illa generatio dedit aliquos, ipsū Noe, & tres filios eius, & tres nurus eius: in tota enim domo iſta octonaria ſolus vnus peccator inuentus eſt. Acceſſit numerus ſuperiori generationi. Deindè de tribus filijs Noe, tanquam de tribus menſuris farinæ impletus eſt orbis.* Hoc ipſum in Regibus terræ contemplari licebit. Aſcēdit flos de radice, Princeps de ſtirpe regia, & quamdiu in throno regni vixerit coronatus, viret, ſplendet, atque coruſcat, ſed tanquā folium poſtmodū velociter areſcit, & cadens in puluerem vertitur, & alius ſuccedit loco eius. Ingredere Principū ſepulchra, & videbis, quot flores, & folia, quæ de eadem radice egreſſa ſunt, iaceant proſtrata, atque à prætereuntibus cōculcentur, & intelliges, flori decidenti comparādos eſſe. Vnde & ſubditur. *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim.*

Dan. 3. g.
Ioan. 19
c. 9. nu. 76.
Iob. 10.
Eccl. 1.
Aug. ſuper pſ. 101. cōc. 2. poſt medi. tom. 8.
Generationes hominum aſſimilantur folijs arborum.
Gen. 4.
Gen. 9.
Sepulchra Principum qualia.

2 *Ecce validus, & fortis Dominus ſicut impetus grandinis, turbo confringens: ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam.* Solet grando magno impetu de cœlo cadens ramos virētes ſuccidere, & turbo conſurgens flores excutere de cacuminibus arborum, & in terram deijcere, & nonnunquam arbores cō fringere, radicitus euellere, ac ſecū rapere. Aquæ ſimiliter inundantes conſueuere omnia euertere, & terrā ipſam & terrę fructus vberrimos diſſipare. Cùm ergo Propheta in verbis præcedentibus regnum decem tribuum, & Principes eius flori decidēti contulerit: nunc his ſimilitudinibus in terram proijciendos fore denuntiat. Id, quod factum eſt, & adimpletum, quando Regnum illud debellatum fuit per Nabuchodonoſor, cuius exercitus potentiſsimus grandini comparatur, & turbini, ac multitudini aquarum inundantium, ſicut & exercitus Sennacheribus vt notauimus cap. 8. nu. 13. & cap. 17. num. 9.

Ira Dei ſimilis grādini, & aquæ inundanti.

3 *Pedibus conculcabitur Corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim.* Solent viliſsima, & quæ pro nihilo reputantur, pedibus conculcari, & ſimiliter ea, quæ in magno honore, & pretio prius habita fuere, conſueuerunt

runt ex ira, & amaritudine animi in terram proijci, vt ludibrio ſub omnium pedibus habeantur. Talis fuit corona, & gloria ebrioru͂ Ephraim. Cadauera enim Optimatum populi pedibus exercitus aduerſariorum co͂culcata ſunt, propter ebrietatem, & luxum, propter ſuperbiam, & impietatem, atq; alia vitia, quibus populus ille deditus erat. Ideo Principes Ephraim ebrios appellat: aut verò quia ſicut Rex ebrius ſceptrum non attendit, nec coronam, nec Regi debitam modeſtiam ſeruat, ſed cum ſui, & Regni dedecore huc ſe proijcit, atq; illuc: ità Principes illius populi coronam Regni confuſione dehoneſtabant conſimili.

Rex iniquus eſt ſicut ebrius

4 *Et erit flos decide͂s gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem vallis pinguiſſimæ quaſi te͂poraneu͂ ante maturitatem Autumni, quod cu͂ aſpexerit videns, ſtatim vt manu tenuerit, deuorabit illud.* Vtitur quadam ſimilitudine ſatis pulchra, atq; non infrequenti apud Prophetas, ad ſignificandum proſperum, & florentem illius Regni ſtatum non diuturnum fore, ſed breui ab hoſtibus proſternendum. Fructus præcoces non ſeruantur in poſterum; eos enim ſubitò deuorant aut mulieres grauidæ, aut Principes, aut etiam viri minus alioqui abundantes victu, aut alius, quicumq; primò illos viderit, idq; cum maxima auiditate, & delectatione: ſic (inquit) accidet Regno decem tribuum: na͂ ab hoſtibus ingruentibus deuorati ſunt cum auiditate, absq; pietate, & miſericordia, vt conſtat ex lib. 4. Reg. cap. 18. Quod hic exprimitur per illa verba, *quaſi temporaneum ante maturitatem autumni*, ſignificatur Hierem. 24. per ficus primi temporis, & Oſeæ 9. per prima poma, atq; Micheæ. 7. per ficus præcoces. Hinc diſcant impij iudicia Dei timere, atq; à peccatis auerti; multoties enim acceleratur contra illos Dei iudicium; atq; non expectato autumno, hoc eſt die mortis, in quo generaliter omnes colliguntur, experiri incipiunt, quæ in perpetuum poſtmodum patie͂tur. Præ oculis habeant peſſimum illum Anthiocum, atq; ſacrilegum, *quem ſubito apprehendit dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta*, vbi primùm animo deliberauit Hieroſolymam opprimere; cu͂ tamen poſtmodum æternis cruciatibus addictus fuerit. Hinc & dominus per Moyſen inquit. *Ignis ſucceuſus eſt in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouiſſima.* Quem locu͂ explicans beatus Greg. ait. *Quantum ad præſentem percuſſionem ſpectat, rectè dicitur: Ignis ſucceuſus eſt in furore meo. Quantum verò ad æternam damnationem aptè mox ſubditur: & ardebit vsq; ad inferni nouiſſima.* Hinc Hieremias ait. *Et duplici contritione contere eos.* Prima contritione conteruntur peccatores, du͂ in hoc ſæculo flagellantur. Secu͂da verò, dum in futuro æterno igni cruciandi traduntur. Propter quod & Iudas Apoſtolus de incredulis loquens, ait. *Ieſus populum de terra Aegipti ſaluans, ſecu͂do eos, qui non crediderunt, perdidit.* Secundo (inquit) vt ſcias, quia primo eos perdidit in hoc ſæculo, dum flagellis, atq; plaga inſanabili eos percuſſit, iuxta illud, quod ſcriptum eſt: *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.*

Fructus præcoces peſiderabiles.

Iudicium Dei acceleratur aliquando.

*2. Mach. 9. a.*

*Deut. 32. d.*

*Gre. 18. Moral. cap. 13.*

*Ierem. 7*

Peccatoru͂ contritio duplex.

*Iudæ 1.*

*Hiere͂. 30. b.*

5 *In die illa erit dominus exercituu͂ corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui, & ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium, & fortitudo reuerte͂tibus de bello ad portam.*



*portam*. Prædixerat mala, quæ decem tribus paſſæ ſunt, nunc recenſet bona, quibus inter tot calamitates gaudebunt aliæ duæ tribus, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, ac ſi apertuis dicat. Cum decem tribus mala ſuperius enumerata expertæ fuerint, duæ tribus, quas reſiduum appellat, nihil patientur mali, ſed magna potius fruentur pace. Nam plebi erit gloria, & exultatio: & Regi, qui ſedet in ſolio, ſpiritus Iudicij; reddet. n. ius ſuum vnicuiq;, & militibus erit victoria. Per fortitudinem namq; victoria intelligitur, quam reportabunt reuertentes de bello ad portam, id eſt, ad Ciuitatem, per ſynecdochen accipiendo partem pro toto: aut verò quia in porta Ciuitatis conſueuerunt victores cum magno honore excipi, & gloria. Obſerua, quòd non dixit, reſiduum populi habebit coronam gloriæ, & ſertum exultationis, & Rex ſpiritum Iudicij, & milites victoria͂, ſed ait. Erit dominus corona, ſertum, ſpiritus iudicij, & fortitudo, vt ſcias, quoniam electi in vno ſummo bono omnia poſſident. Omnia, quæ magnificari ſolent ab omnibus, & deſiderari, in illo inueniuntur vnita, de quo ſcriptum eſt. *Qui inuenerit me, inueniet vitam, & hauriet ſalute͂ à domino*, ideſt dominus erit ei promptuariu͂, ex quo accipiet homo quicquid ſibi placuerit. Si ſcientiam, & ſalutem deſiderat, in illo inueniet. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea.* ſi diuitias, & gloriam, *Lo͂gitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria.* ſi honorem, & poteſtatem; *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis co͂fortatus eſt principatus eorum.* ſi vniuerſale͂ aduerſus inimicos victoria͂; *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundu͂, fides noſtra.* Quæ omnia profundiſſima conſideratione tota nocte, in oratione eleuatus expendebat ſeraphicus Pater, cum diceret, ac ſepius repeteret: Deus meus, & omnia mea. Deus meus, & omnia mea. Hæc autem eſt filiorum hominum inſania, vt extra Deum, ideſt ſine ipſa beatitudine beati, & ſine gloria glorioſi, & ſine diuitijs diuites eſſe velint.

Electi abunda͂t bonis qua͂do reprobi imple͂tur malis.

In Deo omnia inueniu͂t electi.

*Prou. 8. d.*

*Pſal. 26*

*Prouer. 3. c.*

*Pſalm. 138. d.*

*1. Ioan. 5. a.*

6 *Erit Dominus Corona gloriæ.* Expendant Principes, & Reges, qui in diuitijs gloriantur, atq; in corona, & ſceptro regni ſui, hæc omnia, & ſi quæ ſunt ſimilia, eſſe pro nihilo habenda, & quaſi ſtercora reputanda, ſi cum illis Dominum non poſſideant. Non enim nobilitas ſanguinis, non domus eburneæ, non ſceptrum, & corona, ſed ſancta conuerſatio, vita pura, innocentia vitæ, integritas iuſtitiæ Regem honorant, & Dominum delectant. Audi Prophetam. *Mirrha* (inquit) *& gutta, & caſſia à veſtimentis ſuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* In honore tuo (ait) non in ſuo; ne quis glorietur, patrem ſe habere Abraham, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe Dominum. Nec enim Reges cenſendi ſunt, qui alijs præſunt, ſed qui affectibus ſuis dominantur, & carnem ſpiritui ſubijciunt, iſti ſunt, qui delectant Chriſtum. *Domos eburneas* (ait Auguſtinus) *qua͂uis domos magnas, quamuis domos regales dicat, quas ſi vis, elige, delectauerunt inde Chriſtum filiæ regum. Vis domos eburneas ſpiritualiter accipere? Magnas domos, & magna tabernacula Dei, corda ſunt ſanctorum. Ipſosq; Reges regentes carnem, ſubiugantes ſibi turbas humanarum affectionum, caſtigantes corpus, & ſeruituti ſubijcientes, accipe,*

Morale.

Nobilitas coniuncta virtuti, eſt laudabilis, ſine illa non placet Deo.

*Pſal. 44 c.*

*Hier. 9. g.*

*Aug. ſuper Pſ. 44. tom. 8.*

*cipe, quia inde delectauerunt eum filiæ regũ. Etenim omnes animæ, quæ illis prædicantibus, & euangelizantibus natæ ſunt, filiæ regum ſunt, & Eccleſiæ. filiæ Apoſtolorum, filiæ regum ſunt; Ille eſt enim rex regum.* 

[Mat. 19]

*Illi autem reges, de quibus dictũ eſt. Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, prædicauerunt verbum veritatis, & genuerunt Eccleſias, non ſibi, ſed illi.* Multi Patres, inter quos eſt Theodoretus, & Cirillus, præſentem locum ad Apoſtolos, & ad eos, qui crediderunt in Chriſtum, dicunt eſſe referendum. quos ſupra cap. 1. 4. & 10. reliquias dixit, & in præſenti cap. reſiduum. Illis enim Chriſtus eſt, & crux eius, honor, gloria, & corona, & ſertum eius ſpineum, ſertum exultationis, & mors illius victoria. Per Chriſtũ Apoſtoli, & ſucceſſores eius Principes Eccleſiæ facti ſunt, quibus Spiritum Sanctum de cœlo miſit, vt poteſtatem ligandi, atq; ſoluendi, quam ab eo acceperunt, debite exercerent, & ſic Spiritus Domini Spiritus iudicij eſt ſedenti ſuper iudiciũ. ideſt, ſpiritus, quo Iudices ab eo deputati ad ferendã ſentẽtiam in foro pœnitentiali, iudicium exercent, de quo plura dicta sũt cap. 1. nu. 65. 66.

[Spiritus ſanctus datur Apoſtolis vt ſint recti Iudices.]

7 *Verum hi quoq; præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos, & Propheta neſcierunt præ ebrietate; abſorpti ſunt à vino; errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt Iudicium.* Reprehendit etiam his verbis incredulitatem populi duarum tribuum, atq; alia peccata, propter quæ ſimul cum decem tribubus punitus eſt, præcipue ebrietatem, & luxum populi, Sacerdotum ignorantiam, & pſeudoprophetarum malitiam. Neſcierunt enim videntem, quia filium Dei in carne venientem ad liberandum eos agnoſcere noluerunt. Ille enim eſt videns, qui occulta cordium intuetur, atq; cogitationes mortalium agnoſcit. Ipſe eſt videns, ideſt ille Propheta magnus, de quo Moyſes prædixerat. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Oreb.* Deniq; ipſi ignorauerunt, immò & peruerterũt Iudicium, dum innocentẽ Chiſtum reum eſſe mortis iudicauerũt. Quòd ſi præſens locus ad Apoſtolos, & miniſtros legis Euangelicæ (ſicut vult Theodoretus) referatur, ſic eſt accipiẽdus, vt pronomen, hi, referat Iudã Iſcariotẽ, & eos, qui poſt ſuſceptam veritatem Euangelicam redierũt ad vomitum. refertur etiam ad falſos Prophetas, qui non gloriam Chriſti, ſed propriam quærunt, propriæ excellentiæ elati deſiderio. Multoties enim propter Sacerdotũ, & pſeudo prophetarum peccata punitur populus, iuxta illud Tren. 4. *propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates Sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius ſanguinem iuſtorum.* Sequitur. *Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiumq;, ita vt non eſſet vltra locus.* Tanta (inquit) eſt eorum ebrietas, & comeſſatio, vt antequam recedant de menſa, euomere incipiant, quæ manducauerunt. Quod etiam irrationalibus animantibus non contingit. Vide, quæ contra ebrietatem, & luxum diximus cap. 4. num. 15. & 16.

[Chriſtus dicitur videns qui occulta cordiũ intuetur.]
[Deu. 18.]
[Propter ſacerdotũ pec. punitur populus.]
[Tren. 4.]
[in comeſſationibus homines excedunt bruta.]

8 *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum?* Inferius conqueritur Propheta quod nullus ſit, qui reuelatis à Deo fideliter credat. *Domine* (inquit) *quis credidit auditui noſtro? Et brachiũ Do-*

[Iſa. 53.]

mini



*mini cui reuelatum eſt?* Vbi per auditum fidem intelligit, quæ eſt ex auditu, *auditus autem per verbũ Chriſti.* Non diſſimiliter in præſenti (inquit) quem docebit ſcientiam? ac ſi apertius dicat. Si decem tribus verba Dei, quæ loquus eſt per Prophetas, intelligere noluerunt, ſi duæ tribus ſcientiam Dei ignorauerunt, ſi Paſtores & Prophetę errauerunt in ebrietate, quos docebit Dominus veram ſcientiam? qui erunt illi, quos dominus aſſumet ad ſeipſum, & intelligere eos faciet verba ſua? Notandus eſt modus loquendi Scripturæ. Non enim ait, quis intelliget auditum? ſed, quem intelligere faciet auditum? vt ſcias Deum eſſe, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate: qui facit vt faciamus, & operatur vt operemur, ſicut in Concilio Arauſicano diffinitur. Ait enim, *Diuini eſt muneris cum recte cogitamus & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus. quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Accedit authoritas Sancti Patris Auguſtini: is enim loquens de gratia, qua Deus peccatores ad ſe conuertit, & facit vt credant, atque intelligant verba eius, ait. *Certum eſt enim nos mandata ſeruare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt vt tantum velimus quantum ſufficit, vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cum volumus; ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulo ante poſui, quod præparatur voluntas a Domino. De quo dictum eſt: a Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictũ eſt: Deus eſt qui operatur in nobis & velle & operari.* Ad cuius maiorem explicationem notandum

[Rom. 10]
[Phil. 2.]
[Concil. Arauſ. can. 9.]
[Aug. Lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16.]

eſt cum Sancto Thoma, *quod cauſa aliquid mouẽs multipliciter dicitur: quãdoque enim dicitur cauſa, id quod eſt diſponens, vel quod eſt conſilians, vel quod eſt præcipiens: quandoque vero dicitur cauſa id quod eſt perficiens. & hæc proprie & vere cauſa dicitur, quia cauſa eſt ad quam ſequitur effectus. Ad actionem autem perficientis ſtatim effectus ſequitur, non autem ad actionem diſponentis, vel conſulentis, vel imperantis. Suaſio enim non cogit inuitum, vt Auguſtinus dicit in libro. 83. quæſtionum.* Deus ergo non ſolum ſuadendo, ſed actiuè propriè perficiendo, atque volũtatem immutando de mala in bonam, facit vt liberum conſensũ Deo vocanti præbeamus. quod Sanctus Thomas ſępius docet, ſed præſertim ſecũda ſecundæ q. 6. art. 1. in corpore, vbi præter ſuaſionẽ, quæ pertinet ad motionem moralem, docet eſſe neceſſariam ad actũ fidei motionem Dei interiorem, per quã eleuetur intellectus ad aſſentiendum ijs quæ excedunt facultatem ſuæ naturæ, ſic enim ait. *Cum homo aſſentiendo, his quæ ſunt fidei, eleuetur ſupra naturam ſuam, oportet quod hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius mouente, quod eſt Deus: & ideo fides quantum ad aſſenſum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deo interius mouente per gratiam.* Et ſuper epiſtolam ad Hebræos explicãs illud, *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum*, ait. *Deus, quando immitit homini bonã voluntatem, aptat eum, ideſt facit ipſum aptum. Et ideo dicit, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, ideſt, faciat vos velle omne bonum. Dupliciter autem aptatur*

[S. Th. q. 3. de malo ar. 3. in corpore.]
[S. Tho.]
[Heb. 13. S. Thom. ibid. lect. 3.]

*homo*

*homo ad bene faciendum. Vno modo, exterius operando. & ſic vnus homo aptat alium perſuadendo, vel comminando. Alio modo, aliquid interius exhibendo, & ſic ſolus Deus aptat voluntatem, qui ſolus ipſam poteſt immutare. Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. Vnde dicitur: faciens in vobis. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Quid autem faciet? quod placitum eſt coram ſe, ideſt faciet vos velle quod placet ei. Hæc autem ſunt fides, & manſuetudo, & timor Domini.* Accedit ad hoc: nam Sacra Scriptura, & Concilia docet, Deum facere, vt faciamus; & operari, vt operemur: ſed qui aliquid operatur ſolùm ſuadendo, aut conſulendo, non dicitur proprie illud facere, vt ex Sancto Thoma ſuperius diximus, ergo non ſolum ſuadendo, ſed etiam actiuè propriè facit Deus, vt intelligamus auditū, & credamus. Nec per hoc læditur in aliquo noſtri libertas arbitrij, ſed potius perficitur & roboratur, vt cap. 10. num. 12. oſtenſum eſt.

*Prouer. 21.*

*Phil. 2.*

9 *Ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus.* Sicut ſupra reprobati ſunt, qui vacant voluptatibus ſæculi, & delicijs carnis indulgent: ita in præſenti renuntiantes ſæculo, cum delectationibus ſuis approbantur, & eliguntur, vt cæleſtis doctrinæ participes fiant. Sobrios enim, non ebrios animos: humiles, non ſuperbos quærit Chriſtus. Dicit enim Apoſtolus. *Omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt.* Per, lac, terrenas promiſſiones, & fluxas voluptates intellige, quibus paruuli, & inſipientes maximè adhærent; nam viri perfecti ſolido veſcuntur cibo, omnia propter Chriſtum arbitrãtes vt ſtercora. In cuius ſignum, cū creuiſſet puer Iſaac, *ablactatus eſt, fecitq; Abraham grande conuiuium,* in die ablactationis eius, vt ſcias quam magno gaudio celebranda ſit ſpiritualis ablactatio, atq; ſeparatio à voluptatibus ſæculi. Obſerua quòd non dixit ablactatos ab vbere, ſed auulſos, quod vim quandam, & violentiam ſignificat, vt deſignet, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Sed vim maximam ſibi inferunt electi, & renitente carne, ab eius delicijs auelluntur, vt ſpiritui deſeruiant. Vide cum quanta difficultate arborem, quæ magnas in terram miſit radices, auellant homines. Labore opus eſt, & induſtria, & vix tandem ſeparari poteſt, & extrahi à terra, in qua nata eſt, & nutrita; quomodo ergo in delicijs natus tam facilè poterit illis omnibus renuntiare? quantumuis caro contradicat, quantumuis mundana deſideria ligare contendant, ac detinere hominis mentem: non eſt recedendum à via ſalutis, nec carni acquieſcendum, aut ſanguini. *Si te lactauerint peccatores* (ait Sapiens) *ne acquieſcas eis.* Imitare animalia illa munda, vaccas videlicet, de quibus cum arcam Teſtamenti fœtæ portarent, & filios clauſos domi relinquerent, hæc dicit Scriptura: *Ibant autē in directum vaccæ per viā quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram.* Greg. hom. 37. in Euang. *Quid ergo vaccæ, niſi fideles quosq; in Eccleſia deſignāt, qui dum ſacri eloquij præcepta conſiderant, quaſi ſuperimpoſitam ſibi Domini arcam portant? De quibus hoc etiam eſt notandum, quod fuiſſe fœtæ memorantur, quia ſunt plerique, qui in via dei*

Spiritualibus delectationibus abundant qui renuntiant carnalibus.

*Heb. 5.*

Lac ſignificat aliquā do voluptates ſæculi.

*Gen. 21*

Spiritualium virorum ſeparatio à voluptatibus ſæculi eſt cum gaudio celebranda.

Caro ſpiritui reſiſtit

*prou. 1. b.*

*1. Reg. 6. c.*

*Greg.*

Præcepta Dei portant Iuſti ſicut vaccæ arcam teſtamēti.





*via dei intrinſecus poſiti, foris carnalibus affectibus ligantur; ſed non declinant à recto itinere, qui arcam Dei portant in mēte. Ecce enim vaccæ Bethſames pergūt, Bethſames quippe dicitur domus ſolis. Et Propheta ait. Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur ſol Iuſtitiæ. Si ergo ad æterni ſolis habitationē tendimus, dignum profecto eſt, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota. n. virtute penſandū eſt, quòd Vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ pergunt, & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere nō deflectunt greſſus,*

10 *Quia manda, remanda, manda remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Reddit rationem, propter quam nullus ferè reperiatur, quem Dominus intelligere faciat auditum, quia videlicet omnes ſunt deriſores, & increduli. Ad cuius intelligentiam notandū eſt, quòd Sacerdotes, & populus, cum viderēt promiſſiones, & promiſſa Domini nondum expleri, deridebant Prophetarum oracula, nullam fidem eis adhibentes, repetebantq; per irriſionē eorum verba, & promiſſa: propter quod clamabant ad Dominum ipſi Prophetæ, vt quæ promiſerat adimpleret, ne infideles, & mendaces à populo duræ ceruicis reputarentur. Da (inquit) *teſtimonium his, qui ab initio creaturæ ſunt, & ſuſcita prædicationes, quas locuti ſunt in nomine tuo prophetæ priores. Da mercedem ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur, & exaudi orationes ſeruorum tuorum.* Igitur dicente Domino per prophetas, *Mādabo nubibus meis, ne pluant ſuper eā. Ego mandaui ſanctificatis meis, &c.* populus irridendo minas Domini, & Prophetas ſubſannando, eorum verba repetebat. *Manda, remanda, manda, remanda.* Ac ſi apertius diceret. Pluries audiuimus verba iſta, & comminationes Domini auribus percepimus, ſed nihil hactenus impletum videmus. Putasne verbis ſicut pueros terrebit nos Dominus, ac minis fallacibus commouebit? Similiter etiam cum prophetæ clamarēt. *Apparebit Dominus in finem, & nō mentietur, ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & nō tardabit. Expecta me in die Reſurrectionis in futurum. Adhuc modicum & ego mouebo non ſolum cœlum, ſed etiam terram,* hæc verba, & alia conſimilia quaſi per riſum repetebant: *Expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Ac ſi apertius dicerent: Parum, aut nihil adimpletum cernimus eorum, quæ per vos, ò Prophetæ, repromiſit Dominus, non eſt cur deinceps veſtris comminationibus, aut pollicitationibus fidem adhibeamus. Interpretatio eſt Diui Hieronymi. Tranſlatio noua, quam multi interpretes ſequuntur, ſic habet. *Quandoquidem mandatum poſt mandatum, mandatum poſt mandatum, linea poſt lineam, modicum ibi, modicum ibi.* Iuxta quam trāſlationem ſenſus eſt. Adeò inſipientes ſunt, & ſtolidi, vt ſicut pueris oporteat eis tradere mādatum poſt mandatum, litteram poſt litteram, ac lineam poſt lineā, & nec ſic quidem aliquid addiſcent, quantumuis modicum. Sic interpretantur iſtum locum Vatablus, Iſidorus Clarius, Franciſcus Forerius, & alij, cōſonatq; tranſlatio Pagnini quæ ſic habet. *Nam eſt eis præceptū poſt præceptum; præceptum poſt præceptum: lineam poſt lineam; lineam poſt lineā: parum ibi, parum ibi.* ſed

*Eccl. 36*

*Iſa. 5.*

*Iſa. 13.*

*Abach. 3.*

*Soph. 3. b*

*Aggæl. 2 b.*

Reprobi rudes ſunt & tardi ad Dei legem addiſcendam.

prima interpretatio videtur textui magis conformis. Nam inferius in hoc cap. comminatur Dominus ipſis Iudæis pœnam condignam, propter temeritatem, & audaciam, qua Prophetarum oracula irridebant, vt patebit num. 14.

11 *In loquela. n. labij, & in lingua altera loquetur ad populũ iſtũ.* Aggrauat incredulitatem, & duritiẽ cordis eorum ex quodam ſingulariſſimo beneficio, quod eis exhibuit, vt ad fidem, & amorẽ ſui eos alliceret. Ipſe enim, qui multifarie, multiſque modis loquebatur olim Patribus in Prophetis, locutus eſt eis per filium, quem ſaluatorem, & redemptorem miſit, vt prædicaret pacem, ac recõciliationem. Sic enim locutus eſt in loquela labij, & in lingua altera Paulus Apoſtolus, cum ad recalcitrãtes, & incredulos Galatas loqueretur, ait. n. *Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis,* ſed ille ex eo cupiebat præſens eſſe apud Galatas, vt duriori correptione poſſet eos corrigere, & dolorem ſui pectoris oſtendere. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, venit ad nos, & mutauit vocem ſuam, quia non iam aſpera, ſicut olim, non furore plena verba protulit, ſed miſericordia, benignitate, & manſuetudine, ſicut ſolet nutrix ad paruulum prædilectum loqui, & cum balbutiente amoris magnitudine balbutire. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione Pagnini, quę ſic habet: Quia balbutientibus labijs, & lingua altera loquetur Propheta ad populum hunc. Conſonat & tranſlationi Vatabli. *Quoniã labijs bleſis, & lingua alia loquetur ad populum iſtum.* Nonne balbutire cœpit Altiſsimus, & quaſi bleſo ſermone loqui, cum natus de Virgine primam vocem ſimilem nobis emiſit plorans. *Noli fugere* (inquit Bernar.) *noli timere, non venit cum armis, non puniendum, ſed ſaluandum requirit, & ne fortè dicas etiã nunc: Vocem tuam audiui, & abſcõdi me, ecce infans eſt, & ſine voce. Nã vagientis vox magis miſeranda eſt, quàm tremenda. Aut ſi cui fortè terribilis, ſed non tibi. Paruulus factus eſt, tenera membra Virgo mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? vel in hoc ſcies, quia non venit perdere te, ſed ſaluare; eripere, & non ligare.* Sanctus Paulus hũc eundem locum Iſaiæ allegans, ait: *In lege enim ſcriptum eſt, quoniam in alijs linguis, & in labijs alijs loquar populo huic, & nec ſic exaudiet me, dicit Dominus.* Quibus verbis (vt gloſſa interlinealis aduertit) notat Apoſtolus, linguas eſſe datas in ſignũ infidelibus. Vnde ſtatim ſubdit. *Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Hinc & in die Pentecoſtes loquebantur varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei: vt hoc miraculum videntes increduli, atque infideles, relictis Idolis, ad Chriſtum humiliter cõuolarent. Et, vt Sãctus adnotauit Chryſoſtomus, ad hoc donum linguarum reſpicit præſens Iſaiæ prophetia. Hinc ergo conijcere poteris, qualis fuerit, & quãta illius populi incredulitas, cui varijs linguis oportuit loqui, & tamen adhuc velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, ita vt cum in parabolis myſteria Regni cœleſtis turbis tradiderit, quaſi bleſo ſermone fuerit eis viſus loqui, & balbutire.

Heb. 1. a.

Gal. 4.

Chriſtus Dominus in pſepio poſitus loquitur nobis quaſi balba lingua.

Bernard. ſerm. 1. Natalis Domini.

1. Cor. 14.

Spiritus ſanctus quare datus in linguis.

Chryſ. in demonſtr. quòd Xps ſit Deus. Tom. 5.

12 *In lingua altera.* Poſsũt hæc verba aliter explicari, ita videlicet, vt in lingua altera locutus ſit Dominus ad populum illum, quando flagellis eos corripuit. Prius enim verbis, ac minis, promiſsionibus, & pollicitationibus varijs eos per Prophetas à vitijs curauit retrahere. Sed quoniam eorum oracula irridebant, ad facta recurrit, tradens eos hoſtibus irridendos, conculcandos, & capiendos. Hæc eſt Dei lingua altera, vtpote ab eius benignitate, & miſericordia aliena. Cum enim bona retribuit, cum peccatoribus miſeretur, lingua propria, & connaturali ſibi loquitur; quia proprium eſt illi miſereri ſemper, & parcere: ſed cum immittit flagella, cum de peccatis ſumit vindictam, in lingua altera loquitur, quoniam alienũ eſt hoc opus eius ab eo, de quo plura diximus cap. 7. num. 34. in illa verba. *Radet Dominus in nouacula conducta.* Quid autem balbutientibus labijs, & in lingua altera loquutus fuerit Dominus ad populum illum, manifeſtat Propheta, cum ſubdit.



Tribulationib. corripit Domin⁹ quos beneficia non emendãt.

13 *Cui dixit. Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meũ refrigerium, & noluerunt audire.* Poſſet quiſpiam ſeipſum excuſare, & dicere. Sermones Domini ſublimes ſunt valde, & doctrina eleuata, nemo erit tãtæ eruditionis, qui poſſit eã intelligere. Sed huic obiectioni reſpondet, denuntians, maieſtatẽ Domini taliã in carne aſſumpta nobis proponere, quæ facile poſsẽt omnes percipere, & intelligere: quod Chriſtus Dominus opere adimpleuit, cum interrogatus, quod eſſet mãdatum magnum in lege, reſpondit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Hæc eſt requies Domini; hoc eius refrigerium, reficere laſſum, diligere miſericordiã, & pietatis opera omnibus exhibere: & nec ſic loquentem Dominum intelligere voluerunt.

Docuit Xps quæ oẽs poſsẽt facile intelligere.

Mat. 5. g.

14 *Et erit eis verbum hoc, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur,* id eſt, quoniam irridere non timuiſtis verba Domini, cum irriſione quoque puniemini: & non ſolum alij, ſed & Dominus ipſe irridebit vos, quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur. *Quia vocaui* (inquit) *& renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cũ vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quãdo venerit ſuper vos tribulatio, & anguſtia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam; manè conſurgent, & non inuenient me, eò quòd exoſã habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ.* Tale quid accidit Iudæis. Vocauit eos Dominus per vnigenitum ſuum, extendit ad eos manum ſuam, cum Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis, manum (inquam) qua cœlum, & terram fabricauit, quam, vt de ſinu patris ad nos deſcenderet, Propheta Regius deprecabatur, dicens. *Fiat manus tua, vt ſaluet me,* fiat caro, vt & caro, quæ corruperat viam ſuã, conſequatur ſalutem. Conſilia, & pręcepta eis tradidit, increpauit illos, eorum auaritiam, hypocriſim, & ſuperbiã redarguens. ſed ipſi nec aſpicere Dominum dignabantur, quin potius verba illius ſuauiſsima deridebant, præcepta pariter, & conſilia deſpi-

Prou. 1. e

Pſ. 118. i.

deſpicientes,atque increpantem eo-
rum ſcelera ſubſannãtes. Subſannãdi
ergo, & irridendi erunt; ex contem-
ptu enim verborum Domini ortum
habuit perditio Iudæorum. Ideò ce-
ciderunt retrorſum, contriti ſunt,
capti à Romanis, & illaqueati. Ideò
& nunc quaſi profugi, & vagi diſcur
runt per orbem, non habentes legẽ,
neque Regem, non Prophetam, non
Sacerdotem, non conſilium,nec pro-
Cadere retrorſum quid ſit. uidentiam. Cadere retrorſum om-
nium atrociſsimam pœnã deſignat,
qualis eſt eorum,qui traduntur in re
probum ſenſum. Cadunt iuſti, ſed in
*Nũ. 16.* faciem,non retrorſum. *Cecidit Moy*
*Ezech.2* *ſes in faciem.* Ezechiel ſimiliter. *Ce-*
*cidi* (inquit) *in faciem meam.* Tres
etiã Diſcipuli, cùm in Mõte Thabor
*Mat.17* paternam vocem audiſſent. *Hic eſt*
*filius meus dilectus, in quo mihi be-*
*ne complacui, ceciderunt in faciem*
*ſuam.* Iudæi autem,cùm Ieſum quæ-
rerent comprehendere, & vocem il-
lam Domini audiſſent: *ego ſum*, ce-
*Io.18.b.* ciderunt retrorſum. *Ait enim:vt er-*
*gò dixit eis. Ego ſum, abierunt re-*
*trorſum, & ceciderunt in terram.*
Qui cadit retrorſum, periculoſius
cadit, & difficiliùs reſurgit, quia
nec videt,vbi cadat, nec manibus ſi-
bi poteſt ſuccurrere, nè conteratur
caput, vel aliud quoduis graue dam
num patiatur. At qui cadit ſuper fa-
ciem ſuam, videt, quo cadat, ſuppo-
nitq́; facilè manum ſuam, ne vnquã
offendat ad lapidem, nõ dico caput,
ſed nec pedem ſuum, atque adeò fa-
cilè reſurgit. Ceciderunt Iudæi, &
contriti ſunt,quia ceciderunt retror
ſum: Ideò non adijciunt vt reſurgãt;
*Pſ.36.c.* iuſtus autem *cum ceciderit, non col-*
*lidetur,quia Dominus ſupponit ma-*
*num ſuam*, quia cadit in faciem,
quia infirmitatem ſuam agnoſcit.
*Prou.24* *Septies in die cadit Iuſtus* (ait ſa-
piens) *& reſurgit.* Ideò reſurgit, Cadere in die, eſt infirmitatẽ & peccatũ ſuũ agnoſcere.
quia cadit in die, quia caſum ſuum
videt, non ſicut illi, de quibus ſcri-
ptum eſt. *Via impiorum tenebroſa:*
*neſciunt vbi corruant.* Vndè & Ber-
nardus ait. *Denique ſepties cadit iu-* *Prou.4.c.*
*ſtus,& ſepties reſurgit,ſi tamen ca-*
*dit in die, vt ſe cadere uideat, & ce-* Bern. ſer. 17 in cãt. col.1.
*cidiſſe ſciat, & reſurgere cupiat, &*
*requirat manum adiuuantis, & di-*
*cat: Domine in uoluntate tua præ-* *Pſal.26.*
*ſtitiſti decori meo uirtutem, auerti-*
*ſti faciem tuam à me, & factus ſum*
*conturbatus.* His coniunge, quæ no-
taui cap.1.nu.21.& 22.in illa verba.
*Abalienati ſunt retrorſum*,& nu.69.
in illa verba. *Et conteret ſceleſtos, &* Iudæorum ruina grauiſsima.
*peccatores ſimul.* & cap.8.num.24 in
illa verba. *Et cadent, & conteren-*
*tur, & irretientur, & capientur*, &
ſcies,quàm grauis, & periculoſa fue
rit Iudæorum ruina.

15 *Propter hoc audite verbũ Do*
*mini viri illuſores, qui dominami-*
*ni ſuper populum meum, qui eſt in*
*Hieruſalem.* Non cum rudi plebe,
ac vulgo loquitur præſens prophe-
tia,ſed cum Scribis,& Phariſęis,cum
principibus, & Magnatibus, qui do-
minari populo,& eũ opprimere quę-
rebant, non regere, & gubernare.
Hos illuſores appellat, quia Prophe-
tarum oracula ſubſannabant, & ver-
ba Domini deridebant. Propter hoc
(inquit) id eſt, quia increduli fui-
ſtis, quia deriſores, & tyranni, *au-*
*dite verbum*, hoc eſt, ſententiam,
& iudicium Domini. *Dixiſtis enim:*
*percuſſimus fœdus cum morte, & cũ*
*inferno fecimus pactum.* Pagninus
transfert, *& cum ſepulcro fecimus*
*pactum.* Nemo ex illis hæc verbis di-
xerat, ſed factis. Ita enim erant ſe-
curi, mortem non timentes,neq; in-
fernum,ac ſi coniunctiſſimam cum il-
lis amicitiam haberẽt: vnde per pa-
ctum



ctum initum cum morte, & Inferno
Cum morte pactum inire dicuntur reprobi,quia ſecure viuunt. ſignificat, quòd impunitatem in
omnibus ſceleribus, & impietatibus
ſibi promittebant, atq; adeò indies
audaciores reddebantur, maiorem
ad peruersè agendum ſumentes li-
centiam, & contemnentes omnes mi
nas, omnia flagella, & iudicia Dei,
ſe extra omne diſcrimen poſitos eſſe
præſumebant. Igitur,quamuis incre-
duli hæc verba non proferant, rem
ipſam, reproborumq́; animos, non
verba ore prolata conſiderauit Pro-
pheta. Quiſquis enim ſibi, ſuiſq́;
vitijs applaudit, & occulta Dei iu-
dicia contemnit, profitetur factis ſe
cum morte pactum inijſſe: quam etſi
Dominus,qui verax eſt, immò & ve
ritas ipſa, denuntiat reprobis, ipſi ta
men minime reformidant. Ideò ſub-
ditur ex eorum perſona. *Flagellum*
*inundans cùm pertranſierit, non ve-*
*niet ſuper nos.* Vide eorum vecor-
Securitas impiorum quã vana. diam, & arrogantiam. Inundantia
flagella non timent. Quantumuis ad
modũ fluminis de vulua exeuntis ad
omnes alios pertingant, nos tamen
(inquiunt) illæſi ſemper,& ſecuri ma
nebimus. Quæ eſt, o rebelles, hæc fi-
ducia veſtra? numquid ſecuri eſtis,
quia obſeruaſtis in omnibus præce-
pta Domini? quia humiliaſtis ani-
mas veſtras in cõſpectu illius,& Deũ
ipſum protectorem habetis? Si in
hoc ſperatis, non erit vana confiden
tia veſtra. Scio enim quoniam *qui*
*Pſal.90* *habitat in adiutorio altiſſimi, in pro*
*tectione Dei cæli commorabitur: Di-*
*cet Domino, ſuſceptor meus es tu, &*
*refugium meũ, Deus meus, ſperabo*
*in eum.* Qui ergò Altiſsimi refugiũ
quærit, nõ eſt, cur timeat flagellum
inundans, ait.n. *Non accedet ad te*
*malum, & flagellum non appropin-*
*quabit tabernaculo tuo.* Sed non in
hoc ſperabant increduli, ſed in frau-
dibus, fallacijs, verſutijs, aſtutijs,&
dolis,quibus ſe euadere vniuerſa pu
tabant pericula. ſubditur enim.

16 *Quia poſuimus mendacium*
*ſpem noſtram, & mendacio protecti*
*ſumus.* Vatablus. *Poſuimus enim*
*mendacium refugium noſtrum, &*
*mendacio abſcondemur*, ideſt,hac fal-
ſa opinione, qua credebant, nullum
malum ſuper eos eſſe venturum. vel
per mendacium vanã intelligit con- Sacrificia antiqua ſpes mendacij dicũtur, quia nõ ſaluãt.
fidentiam, qua legis ſacrificijs cre
debant, Deum ità placari, vt ſecuri
eſſe poſſent omninò; ſed quam vana
fuerit hæc eorũ fiducia, ſatis diffusè
oſtenſum eſt cap.1.in illa verba, *Quo*
*mihi multitudinẽ victimarũ veſtra* *Sup.c.1. num.35.*
*rum? Plenus ſum.* Poteſt etiam per
mendacium, illud intelligi, quòd Iu-
dæi in ſuam defenſionem afferre con *Ioan. 8. d.*
ſueuerunt. *Semen Abrahæ ſumus, &*
*nemini ſeruiuimus vnquam.* Non
ergo inducet ſuper nos malum.
Sed profectò mentiti ſunt ſibi; non
enim eſt filius Abrahæ, niſi, qui fidẽ
eius,& dilectionem imitatur. *Si filij* *Ibidem*
*Abrahæ eſtis* (ait Dominus ad eos)
*opera Abrahæ facite.* Mendacio ergo
protegebantur, non iuſtitia, & veri-
tate. Hæc eſt ſpes, hæc fiducia im-
piorum. Audi, quid de illis dicat
Scriptura. *Protegunt vmbræ vmbrã* *Iob. 40.*
*eius, circundabunt eum ſalices torrẽ* Mendacium mendacijs defendunt reprobi.
*tis.* quia nimirum reprobi vnum mẽ
daciũ alio operire, & viriditate frõ
dium ſterilis ſalicis ignominiam ſuã
velare contendunt, vt cap. 26. n. 32.
latius diximus. Ità inquiunt modo
Iudæi. Nos ità tuebimur cauſam no-
ſtram; ſic operiemus,& palliabimus
malitiam noſtram, vt nullus valeat
eam detegere, nec propter illam ali-
quod malum poſsit nobis accidere.

17 *Idcircò hæc dicit Dominus*
*Deus: Ecce ego mittam in fundamẽ-*
*tis Sion lapidem probatum angula-*
*rem*

rem,pretioſum in fundamento fundatũ. Pagninus. *Ecce ego fundo in Sion lapidem,lapidem munitionis anguli pretioſi, fundamenti fundati*. Vatablus. *Ecce ego fundo in Sion lapidem, lapidem angularem, pretioſum, ſolidiſſimum fundamentum*. Attendenda eſt maximè in hoc loco connexio huius ſententiæ cum præcedentibus verbis. Præmiſerat enim verba aſpera contra Principes populi, ira, atq; indignatione plena, eos tanquam irriſores increpans, & veluti pœnam condignam inferre volens,& ait. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidẽ angularem*. Dicere(vt videtur)vtiq; debuiſſet: Ecce ego vos lapidibus obruam: ecce ego mittam in vos peſtem, ignem, aut gladium; tradam vos in manus hoſtium, qui veſtri neſciant miſereri. Talia enim ſperari poterant verba, & facta ex ira Domini iuſtè aduerſus rebelles, & incredulos concitata, & tamen non ità loquitur. Sed,mittam (inquit) lapidem probatũ. Cùm iraſcitur Dominus,occurrit ſtatim miſericordia eius,& iram temperat, & interrumpere facit, & quaſi obliuiſci,quæ cœperat verba proferre, ira, atq; indignatione plena: & illum nobis reddit placatum, beneficum, manſuetum, & pium. *Cùm iratus fueris* (inquit Propheta) *miſericordiæ recordaberis*, & iterum. *Quia calix in manu Domini vini meri, & plenus miſto, & inclinabit ex hoc in hoc.* Habet Dominus in manu ſua calicem iræ, habet & miſericordiæ. Illũ in ſiniſtra, iſtum in dextera tenet, E calice miſericordiæ mittit in calicem iræ, & ex iſto rurſus mittit in calicem miſericordiæ, vt in hoc ſæculo habeat ſemper in manu miſtũ calicem, & inclinet ex hoc in hoc, & ſic omnes experiantur miſericordiã pariter & iuſtitiam: atq; miſericordia ipſa iuſtitiam temperet, & iuſtitia miſericordiam. Conſequitur Paulus miſericordiam, & talem, qualis nulli alteri, aut paucis collata eſt. Cõuertit illum Dominus, cùm eſſet in fragrãti delicto, & *raptus eſt vſq; ad tertium cœlum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: & ſtatim manus Domini tangit illũ, & probat. Ait enim. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*, vt verax inueniatur, qui dixit: *Viſitas eum diluculò, & ſubitò probas illũ*. Iuſtitia ergo Domini miſericordiã temperat,& miſericordia Iuſtitiam. Vnde Sanctus Thom. pro comperto habet, in omnibus operibus Dei miſericordiam ſimul,& iuſtitiam reperiri; ità vt etiam in damnatis aſſocientur, dum eorum delicta punit citra condignum. Cui conſonat illud Prophetæ. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*. Quis poſſet iram Domini ſuſtinere,niſi ſociam haberet miſericordiam, & comitem? *Domine ne in furore tuo arguas me* (ait Pſalmiſta) *neq; in ira tua corripias me*, ac ſi dicat. Argue me Domine, ſed non in furore: corripe me, ſed non in ira, adijce & miſericordiam, *quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens*, temperet miſericordia Iudicium. *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum.* Inter alias plagas,quibus ira Domini Ægiptum conturbauit,hæc vna fuit, qua conuertit aquas fluminis in ſanguinẽ. *Et eleuans* (inquit) *virgam,percuſſit aquam fluminis corã Pharaone,& ſeruis eius,quæ verſa eſt in ſanguinẽ,& piſces,qui erant in flumine mortui ſunt, cõputruitq; fluuius,& non*

Miſericordia Dei iram temperat.

*Abac. 3.*
*Pſa. 74.*

Paulo miſericordia collata qualis.

*Act. 9.*
*2. Cor. 12.*
*Iob. 7.*
S. Tho. 1. par. q. 21. ar. 4.
*Pſal. 24*
In omnibus operibus Dei iuſtitia ſplẽdet,& miſericordia
*Pſa. 6. a.*
*Pſ. 142. a.*
*Exod. 8.*

non



*non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit sãguis in tota terra Ægypti*. Ecce populus afflictus ira Domini, aquam non habet ad bibendum. Sed ſuſtine parum, & videbis, qualiter miſericordia Domini iram temperet. Subditur enim. *Foderunt autem omnes Ægiptij per circumitũ fluminis, aquam vt biberent*. Quid eſt hoc? Conuertit ira Dei aquas fluminis in ſanguinem, & iuxta idem flumen dulces,& potabiles aquas inueniũt Ægyptij? vtiq; quoniam iuxta iram Domini inuenitur miſericordia. Excluditur poſt peccatum Adã de Paradiſo, ſed in hoc oſtẽdit ſimul cum flagello miſericordiam, vt notauit Chryſoſt. hom. 18. ſuper Gen. quia videlicet non in terras longinquas illum expulit, ſed habitare fecit è regione horti deliciarum,vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans, vnde exciderit, & in quem ſtatum ſe coniecerit, & dolens aſpectu continuo Paradiſi, munitior, & cautior eſſet in alij. vnde & Origenes ait. *Diſpoſuit inter ſupplicia, quibus peccatores punit clemens hominum amator Deus, etiam viſitationis ſuæ miſcere pietatem, nec immoderata pœna miſeros premere. Sẽper talis eſt Deus noſter; excruciat nocentes: ſed quaſi pius pater tormentis clementiam ſociat.* Non aliter in pręſenti, prius inuehitur furor Domini in incredulos, & mendaces, & ſtatim quaſi oblitus indignationis, quam iuſtè conceperat, ſummam miſericordiam illis exhibet, filium ſuũ vnigenitum repromittens, dum ait. *Ecce ego mittam lapidem &c*, ac ſi apertius dicat. Vos illuſores eſtis,& mendaces, ſed ego manſuetus ſum, & verax. vos indigni, quibus exhibeatur miſericordia: ego autem non ad vos, ſed ad me reſpiciens, miſericors ero. Vos mortem promereri veſtris delictis non timuiſtis: ego nõ renuam vitam mittere, filium videlicet vnigenitum meum, qui à damnatione æterna in ſe credentes eripiat: vt ex veſtra ingratitudine magnis,ac magis mea benignitas ſplendeat. Hac phraſi, & modo loquendi non infrequenter in ſacro eloquio Dei miſericordia commendatur, ſicut ſupra cap. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium*; id eſt, quia increduli eſtis, & indigni, quòd vobiſcum miſericorditer agã; ego miſericordiã, proprio filio meo non parcens, magnificabo. Eodem modo loquendi vtitur Oſeas, dũ ait. *Propter hoc, Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius: & canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.* Pręmiſerat Propheta ingratitudinẽ Synagogæ, quã verbis illis notauit. *Et ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur, dicit Dominus.* Et ſtatim ſubdit. *Propter hoc ecce ego lactabo eam*. O Dei miſericordiam, o benignitatẽ. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius*. Retributiones (inquit) quia dignis morte vitam mittit, & pro delictis ſuis beneficia retribuit innumera. Nos peccatis illum præuenimus: nam cùm de bonis agitur, *quis prior dedit illi; & retribuetur ei*: & ipſe miſericorditer reddit gratiã, vt verax inueniatur, qui dixit. *Suſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis.*

28 *Idcirco hæc dicit Dominus*. Poſſunt ſecundò hæc verba cum præcedentibus ità connecti, vt deſignẽt maximum Dei beneficium, quale eſt incarnatio Verbi, in maximam Iudæorum

*Chriſ*

Orig. ho. 1 in ezec. tom. 2.

Adã è regione paradiſi habitauit, vt vnde exciderat, memor eſſet.

Miſericordia magis ſplendet, cũ indignis benefacit.

*Iſai. 7.*
*Oſeæ. 2.*
*Pſal. 102.*
*Rom. 11 d*
*Iſai. 40.*



dæorum

dæorum ruinam, & excidium, eorum malitia eſſe vertendum, quod ſummum malorum eſſe dubitari non poteſt. Ex iuxta hanc explicationem ſenſus erit, *Idcircò*, ideſt, quia increduli eſtis, & illuſores, mittam filium meum, qui vobis erit lapis offenſionis, & petra ſcandali, in quem non credentes offendetis, & cadetis, & contereminì, traditi ob delicta vevestra in reprobum ſenſum. In illo ſatiabitur inuidia, & iracundia veſtra, & irriſiones veſtræ dirigentur ad illum. Non iam prophetarum vaticinia iuxta morẽ veſtrum, ſed & prophetarum dominum deridebitis, induentes eum purpura, & arundinem ponentes in manu eius, & coronam de ſpinis in capite illius, mouentes ſuper eum capita veſtra, & dicentes. *Vah, qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud. ſi filius Dei eſt deſcendat de cruce, & credimus ei. Dixit enim, quia filius Dei ſum*, & alia multa, & conſimilia iactantes in eum. Lapis erit angularis, electus, probatus, & pretioſus, ſed à vobis, vtpote reprobis reprobabitur: atq; adeò in lapidem electum, & ſanctum, & electos ſanctificantem, lapides profana manu mittere attentabitis aliquando. Hoc erit iudicium veſtrum, hæc pœna vltima, quam promeruiſtis. Hanc ergo iuſtè inferam vobis propter incredulitatem veſtram. Conſonat hęc explicatio cum multis Euangelij locis, ex quibus habetur, in condemnationem Iudæorum incarnationem Domini verſam eſſe. Ait enim. *Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*; & iterum. *In iudicium ego veni in mundum, vt qui non vidẽt, videãt, & qui vidãt cæci fiãt.* De niq; Pet. Apoſt. *Vobis igitur honor dentibus; non credentibus autem lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, bis, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & poſiti ſunt.*

Iudæis in petrã ſcandali & ſupliciũ fuit Chriſtus, eorum malitia.

Matt. 27. e.

Ioa. 15.

Ioan. 9.

1. Pet. 2.

19 Tertio poteſt textus coniungi, ità vt hęc verba: *Ecce ego mittam.* repodeant tacitæ obiectioni. Increpauerat enim in pręcedẽtibus optimates, & principes populi, eò quod ſpem ſuam conſtituerant in mendacijs, & verſutijs, quibus ſe protectos eſſe credebant, ne ad illos flagellum inundans pertingeret. Et quia poſſet quis dicere: Si ſpes in nobis, atq; in induſtria noſtra conſtituẽda non eſt, nec in legis varijs baptiſmatibus, in quo ergo, aut cuius virtute ſaluabimur? Reſpõdet. In virtute Chriſti, quem pater miſit, vt eſſet propitiatio pro peccatis noſtris, in ipſum ergo credite, in illo ſperate, ipſum diligite, & ſalui eritis. Hũc sensũ videtur ſequi Pet. Apoſtolus, cum adducit præſentem locũ Iſaiæ, & illum de Criſto Domino interpretatur, dicens. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes rationabiles, et ſine dolo lac cõcupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutẽ, ſi tamẽ guſtatis, quoniã dulcis eſt Deus. Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidẽ reprobatũ, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domos ſpirituales in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Propter quod continet Scriptura. Ecce ego ponam in Sion lapidem ſummum angularem, probatum, electum, pretioſum, & qui credide-*

Salus noſtra i Chriſto tantum conſtituta eſt.

1. Pet. 2.



*rediderit in eum, non confundetur.* Vbi expende, quomodò tacitè vanam Iudæorum præſumptionẽ, quã in præſenti Propheta notauit, ſapienter corripiat. Ille inquit: *Poſuiſtis mendacium ſpem veſtram, & mendacio protecti eſtis.* Petrus ait. *Deponentes omnem malitiam, & omnẽ dolum, & ſimulationem*, ac ſi dicat. Non malitia, & fraude, non dolo, & mendacio, non ſimulationibus, & aſtutijs veſtris protegemini, nec vacuis legis veteris cæremonijs ſaluabimini, ſed in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Expendamus iam ſingula verba Prophetæ.

20 *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem*, id eſt, non ædificabo Eccleſiam meam ſuper arenam, ſed ſuper lapidem, ideſt Chriſtum. Dicit enim Paulus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Probatum videlicet à Deo patre, qui de illo perhibuit teſtimonium, dicens. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Probatum in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in paſsione, & morte, &, vt Paulus ait) *tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato. Angularem*, quia duos parietes in vnum coniunxit, Iudaicum videlicet populum, & gentium, ſicut ipſe ait. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus paſtor.* Hic eſt lapis, de quo canit Pſalmiſta. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Reprobauerunt lapidem iſtum ædificantes, Sacerdotes videlicet, & principes populi, quos nunc Prophe-

1. Cor. 3.

Eccleſia ſupra Petrã firmiſſimã ideſt Chriſtũ fundata eſt.

Xp̃s probatus per omnia.

Hæb. 4. d.

Ioan. 10 c.

Pſ. 117.

Xp̃s lapis reprobatus ab hominibus, ſed a Deo elect.

ta illuſores appellat. Reiecerũt illũ, inutilem ad ædificium Eccleſiæ reputantes: & tamen conſtitutus eſt à Deo in caput anguli. Mirabile certè opus, & Dei maieſtate dignũ videri debet, hominem tam abiectum, tam contemptum, & humilem ad eã ſublimitatem perueniſſe, vt primatum in ædificio Sanctæ Ciuitatis teneat: ita vt ab illo tota domus Dei ſingulariter pendeat. Paulus Apoſtolus loquens de hoc ſpirituali ædificio, ait. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Ipſe eſt lapis angularis, ipſe eſt fundamentum Eccleſiæ, vtrũq; illi ſingulariter, vtrumque ineffabiliter competit. Fundamentum eſt primus lapis, ſuper quẽ cæteri ædificantur, totum ſuſtinens ædificium: lapis autem angularis eſt vltimus, & ſupereminens quo domus perficitur, & conſummatur. Chriſtus ergo eſt alpha, & omega, principiũ, & finis totius ſpiritualis ſtructuræ. Tanquam fundamentum portat omnia, & ſuſtinet verbo virtutis ſuæ, & vt lapis angularis vna oblatione cõſũmauit in æternũ ſanctificatos. *Pretioſum, quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* De quo ſcriptum eſt: *Neſcit homo pretium eius; volucres quoque cœli latet.* Conſueuerunt homines, cum magnificũ aliquod, & ſumptuoſum palatium ædificare incipiunt, ſub primo, & fundamentali lapide ingentes diuitias auri, & argenti reponere; quæ tamen non ſuſtinent ædificium, ſed ſolùm fundamentum, cui adhærent, exornant: at in Eccleſia Dei, ipſe lapis, ſuper quem ædificium conſtruitur, pretioſior eſt auro, & tan-

Eph. 2. d

Xp̃s fundamentũ, & lapis angularis Eccl.

Coloſ. 2. a.

Iob. 28. b.

quam lutum æſtimabitur argentum
in conſpectu illius; quia in ipſo inha
bitat omnis plenitudo diuinitatis
corporaliter. Non eſt theſaurus ex-
trinſecè illi appoſitus, ſed intus exi-
ſtit, intus latet, intus ſplendet, intus
coruſcat: &, vt verius dixerim, ipſe
eſt theſaurus, ſed abſconditus, ſed
inuiſus; de quo ſcriptum eſt. *Verè
tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael*
Iſaiæ. 45. c. *Saluator. In fundamento fundatum*,
id eſt firmiſsimum, qui nullis perſe-
cutionum ventis moueri poterit.

21 *Qui crediderit, non feſtinet.*
fidem in Chriſtum docet his verbis
Spes lõganimis eſſe debet & ſimiliter fides. * futuram longanimem, quæ videlicet
nihil ambigat, ſed certiſsimè teneat,
quæ prædixit eſſe ventura: videntur-
que verba hæc ſignificare, prophe-
tiam prædictam de Chriſto non ſta-
tim eſſe adimplendam, ſed poſt ali-
quod tempus tranſactum. Ideò ait,
*qui crediderit*, quod prædixi de lapi
de illo, videlicet Chriſto, *non feſti-
net*, ideſt, non arbitretur, ſtatim eſſe
futurum. Cõſonat huic explicationi
tranſlatio Pagnini. *Qui credit, non
feſtinet vt videat hoc*. Conſonat &
verſio Vatabli. *Fidens non feſtina-
bit: quaſi dicat, qui credit fore quod
dico, ne expectet impletionem prophe
tiæ huius tam cito, & breui futurá.*
Increduli autem, & infideles impa-
tientes ſunt, nec ſuſtinent Dominũ,
& nullam fidem adhibentes promiſ-
Iſaiæ. 5. ſionibus illius, dicunt, *feſtinet, & ci-
tò veniat opus eius*: nec attendunt
quod ſcriptum eſt; *Ecce apparebit
Abach. 2: a. Dominus, & non mentietur; ſi mo-
ram fecerit, expecta eum, quia ve-
niens veniet & non tardabit*. & ite-
Pſal. 26. d. rum: *Expecta Dominum viriliter,
agè, confortetur cor tuum, & ſuſtine
Dominum. Qui* ergo *crediderit, non
feſtinet*, non ſit impatiens, non dicat
Deo, feſtinet. Expectet, ſuſtineat,
nec velit ſtatim, feſtinanter, & intem
peſtiuè verba Domini impleta vide-
re. *Non tardat Dominus promiſſio-* 2. Pet. 3.
*nem ſuam, ſicut quidam ueſtrum exi
ſtimant*. Hinc & de electis, qui au-
diunt verbum Dei, ait Saluator. *Quo* Lucæ. 8.
*niam in corde bono, & optimo audiẽ-
tes verbum retinent, & fructum affe
runt in patientia*. In patientia (in-
quit) quia in longanimitate ſuſtinen
tes Dominum, & ſemetipſos, perfe-
runt fructus. Si agricola ſtatim vt ſe Simile.
men mittit in terram, vellet, vt ager
fructificaret, & quoniam feſtinanter
vna die non creuit herba, nec appa-
ret ſpica, deſperaret, & nullum ſub-
inde crederet fructum futurum, at-
que adeò diſsiparet terram, nec de-
inceps vellet amplius habere curam
illĩus, nonne ſtultus reputaretur, &
ſtolidus? Amice patientiam habe,
expecta, ne feſtines. Vade in domum
tuam, quieſce pauliſper, ſine, vt de-
ſcendat imber, aut nix de cœlo, &
inebriet terram, & infundat eam, &
germinare eam faciat. Reuertere
poſt aliquos dies, & videbis natum
ſemen, herbam virentem. Creſcet, &
ſtatuto tempore percipies fructum.
Hinc & Iacobus ait. *Patientes eſto-* Iac. 5.
*te fratres, ſperantes vſque ad aduen-
tũ Domini. Ecce agricola expectat
pretioſum fructum terræ, patienter
ferens, donec accipiat temporaneũ,
& ſerotinum*. Non ergo minus inſi-
piẽs reputari poterit, qui animo de-
ſpondet, ſi non illico experiatur in
ſemetipſo fructum, quem attulit ver
bum Domini. Hinc & in parabola il
la Euangelij, in qua de ficulnea, quæ
per tres annos continuos fructum
non fecerat, dicitur. *Domine dimit-* Luc. 13.
*te illam & hoc anno, vſque dum fo-
diam circa illam, & mittã ſtercora;
& ſi quidem fecerit fructum, ſin au
tem in futurum ſuccides eam*. Vbi
admo-



admonemur, non eſſe ſtatim de ſalu
te alicuius deſperandum, ſi primo
anno, vel ſecundo, aut etiam tertio
fructum non fecerit.

22 Septuaginta ſeniores ſic trãſ-
ferunt iſtum locum. *Qui crediderit,
non confundetur*. Eadem tranſlatio-
ne vtitur Sanctus Paulus ſub hoc te-
Rom. 9. nore verborum. *Ecce pono in Sion
lapidem offenſionis, & petram ſcan-
dali, & omnis, qui credit in eum, non
confundetur*. Similiter Sanctus Pe-
1. Pet. 2. trus iuxta eandem translationem,
eundem locum adducit, cum ait.
*Propter quod continet Scriptura:
Ecce ponam in Sion lapidem ſum-
mum angularem, probatum, electũ,
pretioſum, & qui credit in eum, non
confundetur*. Vbi aliqua verba con-
ſulto addunt, deſumpta ex alijs locis
Scripturæ, & ad maiorẽ explicatio-
nem appoſita. Etenim, vt adnotaui
cap. 6. num. 39. Apoſtoli, & Euange-
liſtæ in allegandis locis veteris teſta
Scripturæ loca allegant Apoſtoli, aliquando sẽſum retinendo, potius quàm verba. menti ſenſum multoties magis refe-
runt, quàm verba; ſemper tamen in
huiuſmodi allegationibus inconcuſ-
ſam veritatem ſeruant, vt in eodem
cap. num. 38. dictum eſt. Igitur Pau-
lus in prædicta authoritate addidit
illud verbum, *offenſionis, & petram
ſcandali*, quod deſumpſit ex capite
octauo huius prophetiæ, vbi de Ver-
Vide c. 8. num. 23. & 24. bo incarnato loquens ait: *Et erit vo
bis in ſanctificationem, in lapidem
autem offenſionis, & petram ſcanda-
li duabus domibus Iſrael, & in la-
queum, & in ruinam habitantibus
Hieruſalem. Et offendent ex eis plu-
rimi, & cadent, & conterentur; &
irretientur, & capientur*. Quibus
verbis conſonant, quæ repetit in hoc
capite dicens. *Vt uadant, & cadant
retrorſum, & conterantur, & illa-
queentur, & capiantur*. Petrus autẽ
Apoſtolus ſuperaddidit illud verbũ,
*ſummum*, & illud verbum, *electum*,
quæ ad maiorem deſeruiũt explica-
tionem. Vterque ſilent id, quod ſe-
quitur. *In fundamento fundatum*;
& pro, *non feſtinet*, ſeptuaginta in-
terpretes ſecuti ponunt. *Non confun* Sperãs in Chriſtum, nõ confundetur.
*detur*, & ſenſus eſt: Qui omnem ſpẽ
ſuam in Chriſto conſtituerit, qui fir-
miter crediderit verbis eius, non ce-
det ei in vanum, nec remanebit vn-
quam cõfuſus, aut deceptus, nec de-
fraudabitur à deſiderio ſuo. Dicit
enim Scriptura. *Omnes, qui ſuſtinẽt* Pſal. 24
*te, non confundentur*. Et iterum. Eccli. 2. b.
*Metuentes Dominum, ſuſtinete mi-
ſericordiam eius, & non deflectatis
ab illo, ne cadatis. Qui timetis Domi
num, credite illi, et non euacuabitur
merces veſtra. Qui timetis Dominũ,
ſperate in illum, & in oblectationẽ
veniet vobis miſericordia. Qui ti-
metis Dominum, diligite illum, &
illuminabuntur corda veſtra. Reſpi
cite filij nationes hominum, & ſcito-
te, quia nullus ſperauit in Domino,
& confuſus eſt*. Propter quod & Pau Rom. 5. a.
lus ait. *Spes autem non confundit*.
Vbi obſerua, quòd cum de Verbi in-
carnatione loquuntur Prophetæ, ſpẽ
erigunt, fiduciam excitant, animum
roborant: tum quoniam hoc myſte-
rium humana ratione comprehendi
non poteſt, ſed ſola fide cognoſcitur,
eſtque valdè arduum, quod non na-
tura, ſed ſola Dei omnipotentia po-
tuit operari: tum etiam, quoniam
hoc myſterio ſpes noſtra maxime
ſubleuatur; nam filius Dei carnem
aſſumens, *factus eſt nobis iuſtitia*, 1. Cor. 1. d.
*ſanctificatio, & redemptio*, quia
venit vt medicus, ſaluum facere, &
ſanare, quod perierat; præſentia
namque medici ſpem in infirmo ge-
nerat ſalutis. Denique ex hoc loco
admonemur, non eſſe diffidendum,
ſed ſperandum in Domino, etiamſi

 contra-

contraria promiſsionibus diuinis videantur accidere: quod elegantiſsimè ſequentibus verbis notauit Origenes.

Orig. Tō. 5. lib. 1. de prouidētia Dei.

*Intuere fidelis, Abraham cuiuſmodi pollicitationem acceperit, & qualia facere ſit iuſſus. Nam promiſſio quidem erat, ex Iſaac, implendum eſſe orbem vniuerſum; iuſſio autem, hunc ipſum Iſaac immolare vrgebat, ex quo orbis totus erat implēdus. Quid igitur? Iſtudne perturbauit iuſtum virum? minime verò; immò, cùm tanta diſſonantia, & repugnantia eſſet præcepti, & promiſſi, in nullo penitus turbatus eſt, nec hæſitauit, neque aliquid huiuſmodi locutus eſt. Quid eſt hoc? Alia promiſit mihi Deus, alia facere iubet? Ex puero iſto nepotum ingentem mihi multitudinem promiſerat, & hūc ipſum modo necare mihi præcepit? Quomodo igitur hoc erit, exciſa radice? Fefellit me igitur, atque deluſit? Nihil prorſus huiuſmodi locutus eſt, ſed ne cōgitauit quidē. & meritò ſanè. Cum enim Deus aliquid pollicitus fuerit, etiam ſi millia ſunt, quæ pollicitationē huiuſmodi obtundant, atque intercipiant, turbari minime conuenit, aut de fine dubitare. Hoc enim maxime Dei potentiam commēdat, dum in rebus ambiguis finem certum, atque exitum reperit.* In hoc ergo commendauit Apoſtolus fidem Abrahæ: quia contra ſpem naturæ, in ſpem credidit gratiæ. *Non ſolùm autem ipſe, verùm ipſius quoque pronepos Ioſeph, cùm per longū tempus, & varios caſus promiſſionē periclitari perſpiceret, rigidus, atque immobilis perſtitit; ſola enim promiſſa intuebatur, neque humanis cogitationibus motus, de fine deſperauit. nam & oſtenſa ſibi viſio, & fratrum, & patris adorationem pollicebatur; quæ verò illi cogitabant, non erant huiuſmodi, ſed ab his longiſſimè remota. Primùm enim illi ipſi fratres, quos ſe præuiderat adoraturos, in lacum illum proijciunt, ac barbaris hominibus venditum, in alienam, atque remotiſſimam regionem immittunt; atque adeò contraria promiſſis ea, quæ contingebant, videbantur, vt miſeri illi dicerent; ecce ſomniator venit, venite occidamus eum, dicemusq́; fera peſſima deuorauit eum. Poſteà verò hi, qui illum emerant, non ſaltem libero homini, ſed ſeruo illum regio vendunt. Neque hactenus aduerſa ſteterunt; ſed in petulantis Domini calumniam incidit, damnatusq́; carceres annos plurimos habitat, & fugientibus cæteris, ampliore illic tempore ipſe perdurat. Cumq́; tanta eſſent, quæ illius animum perturbare poſſent: conſtans tamen perſeuerat, atque immobilis.*

Gen. 13. Gen. 22.

Sperādū i Domino etiā ſi cōtraria promiſſionib. eius videātur accidere. *

Abrahæ fides expenditur.

Ioſeph fides mirabilis.

Gen. 37.

23 *Et ponam in pondere Iudicium, & iuſtitiam in menſura.* Nomine ponderis, & menſuræ in Sacro eloquio retributio deſignatur, ſicut Lucæ 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum: Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* & Apoc. 21. *Eadem erit menſura hominis, & Angeli.* Dicitur autem retributio menſura, quia iuxta qualitatem, & quantitatem meritorum confertur, ſicut Paulus ait. *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum proprium laborem.* Et iterum dicit Scriptura. *Iuxta menſuram delicti, erit & plagarum modus.* Ait ergo Dominus, ſe condignam retributionem redditurum Iudæis, & iuxta eorum demerita puniturum: quod in euerſione ciuitatis facta per Romanos impleuit. Id ipſum perficiet in

Lucæ 6. Retributio nomine ponderis deſignatur.

Apoc. 21

1. Cor. 3



in vniuerſali Iudicio, in quo reddet vnicuique iuxta opera ſua. Poſſunt etiam hæc verba referri ad reformationem legis antiquæ. Illam quippè lapis angularis Chriſtus à multis, quæ Iudæi peruersè introduxerant, (vt ſupra annotauimus) expurgauit. Docuit enim Dominus in Euangelio veram, perfectamque iuſtitiam, & Phariſæorum fictam reprobauit, dicens: *Niſi abundauerit Iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnū Cœlorum.* Chriſtum ergo antiquæ legis reformatorem, ille vir, qui apparuit Ezechieli, deſignauit, de quo ſcriptum eſt. *Et ecce vir, cuius erat ſpecies, quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus menſuræ in manu eius.* Quo poſteà menſus eſt lapides, parietes, & alia, quæ erant in ædificio templi. Hic vir (vt explicat. S. Hieronymus) eſt Chriſtus, de quo ſcriptum eſt. *Ecce vir, oriens nomen eius*, & iterum. *Nouum creauit Dominus ſuper terram, fœmina circundabit virum.* Species æris ſoliditatem doctrinæ, & ſonoram vocem deſignat illius. Hęc enim materia cunctis metallis vocalior eſt, & tinnitu ſuo longiùs reſonat. Stabat autem in porta, quia per ipſum ad Patrem ingredimur, & ſine ipſo Ciuitatem Dei intrare non poſſumus. ſtat vt dignos ſuſcipiat, indignos abijciat, *Ego* (inquit) *ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Funiculus quoque erat lineus, ſiue Cæmentariorum in manu eius: de quo in Zacharia ſcriptum eſt, quod funiculū habuerit geometricum, vt latitudinem, & longitudinem vrbis metiretur. Calamus menſuræ, quem habebat in manu, nouum deſignat teſtamentum, quo vniuerſæ hominum actiones menſurantur: ne declinent ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed regulæ diuinæ concordent. Tunc autem funiculum iſtum, & calamum menſuræ accepit in manu, cum cœpit facere, & docere, & vniuerſa, quę verbo alijs prædicauit, prius ipſe opere adimpleuit. Poſuit ergo Dominus in pondere Iudicium, cum Phariſæorum iuſtitiam reformauit, & legis imperfectionem per Euangelij prædicationem abſtulit.

Legē antiquā reformauit Chriſtus *

Cap. 1. nu. 64.

Mat. 5. c.

Ezech. 40.

Hier. li. 11 ſuper c. 40 Ezech.

Zach. 6. Hiere. 31

Chriſtus eſt vir habens funiculū menſuræ.

Ioa. 10. b.

Zach. 2.

Teſtamentum noui eſt calami mēſuræ, & quare. *

24 Conſonat hæc explicatio cū tranſlatione noua, quæ ſic habet: *Et ponam iudicium ad lineam, & iuſtitiam ad libramentum.* Pagninus vertit: *Et ponam iudicium lineæ, & Iuſtitiam menſuræ:* Vatablus. *Et iuſtitiam ad perpendiculum exigam, & Iuſtitiam ad trutinam.* Ac ſi dicat: Ego, qui artifex ſum, & fundator ædificij ſpiritualis Eccleſiæ; Euāgelij veritate, & regula, quaſi linea legis præcepta, & omnium facta mēſurabo, atque librabo veluti ſtatera ponderis: vt appareat, quis deficiat, quis verò ad amuſsim legem obſeruet. Proſequitur enim in hoc loco metaphoram, quam propoſuit. Dixerat quippè, Chriſtum Dominum angularem lapidem ædificij ſpiritualis eſſe futurum. Nunc autem in eadem ſimilitudine perſeuerans; *Ponā* (inquit) *in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura.* id eſt, iudicabo, & diſcernam, quis verè ſuper illum lapidem ſit fundatus, ſicut ædificantes, appoſito ad parietes, & muros funiculo, & regula, lapides prominentes deprehendunt, & ſuā induſtria, vel reducunt ad regulam, aut penitus reprobant, atque ab ædificio reijciunt, eorum loco alios ſubſtituētes. Sic detexit, & corripuit Ieſus Phariſæorum hypocriſim, dum à re-

Xps eſt mēſura qua lapides edificij regulantur.

ctitudine huis menſuræ eos eſſe longè, manifeſtè oſtendit, dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Et iterum: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Et quoniam regulæ conformari noluerunt, illos ab ædificio reiecit, & alios lapides elegit. Hinc & Paulus eodẽ funiculo, ac mẽſura vtẽs ait. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus fundamentum poſui. Alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſq; autem videat, quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentũ hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſq; opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Deniq; obſerua, quod non dixit: Ponam iudicium in ponderibus, neq; in menſuris, ſed in pondere, & menſura: quia *pondus, & pondus, menſura, & menſura vtrumq; abominabile Domino:* Deteſtatur enim duplicitatem, ſeu inæqualitatem ponderis, & iniuſtitiam menſuræ, quæ ſecundum diuerſitatem perſonæ variatur, ità vt vnũ pondus pro diuite, aliud ſtatuatur pro paupere.

*Iſ.29.d. — Mat.23 — 1.Cor.3.b. — Prouer.20.b.*

Pondera & menſuras variãtes reprehẽduntur.

25 *Et ſubuertet grando ſpem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt.* Ecce quòd Paulus dixit: *Vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit; Dies enim Domini declarabit.* Quid declarabit? Quid? electos lapides in fide, & dilectione Chriſti fundatos. quid vnuſquiſq, ſuper fundamẽtum à Deo poſitum in Sion ſuper ædificauerit: qualis fuerit ſpes, & fiducia, vaticinia Prophetarum irridentium: quàm vana, & mendax; quis ſuper arenam, quis ſuper ſolidam petram domum erexerit. Hoc inundantes aquæ oſtendunt, venti, & tempeſtates ingruentes. ait enim Dominus: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſupra petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſupra arenam, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Talis fuit ruina Iudæorum, ſpem habentium in mendacio: ceciderunt enim, cum ad modum fluminis hoſtes cruenti, ſiue exercitus Nabuchodonoſor, ſiue Romani, de quibus ſupra dixerat: Ecce adducet Dominus ſuper vos aquas fluminis multas, & fortes, innundauerunt ſuper eos. Nec mirum; fundati enim erant, non ſupra petram; ſpem in ſolo Deo conſtituentes; ſed ſuper arenam, in mẽdacijs videlicet, & aſtutijs, credentes, ſe per fraudes, & dolos euaſuros vniuerſa pericula.

Iudicij dies bonos a malis diſtinguet.

*Mat.7.*

Id ipſum



Id ipſum accidet in Iudicio omnibus reprobis, quorũ ruina verè erit magna; quia irreparabilis, quia nullum erit latibulum, quo ſe abſcondant, vt ſecuri maneant: quia peribunt in ęternum, nec rurſus reædificari poterunt. Ideò vocat excidium Ciuitatis, & diem Iudicij aquas Diluuij, ſeu fluminis inũdantes, vt oſtẽdat, nullum contra illas eſſe in terra ſecurum latibulum. Aquæ enim inundantes cauernas terræ, & omnia penetralia illius inuadunt, & implent, vt nullus alicui refugij locus in illa ſuperſit. Illi autem ſoli liberantur, qui alta cõſcendunt, & ſpem in adiutorio Altiſsimi conſtituunt. Scriptũ eſt enim. *Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione,* non mendacij, ſed *Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, Suſceptor meus tu es tu, & refugium meũ: Deus meus, ſperabo in eum. Quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero,* ab illo videlicet, quod contra reprobos inſultans dicet inimicus: *præualui aduerſus eum,* ab illo, quod contra eoſdem iratus proferet Iudex. *Ite maledicti in ignem æternum.* Vtrumq; verbum durum, vtrumq; aſperum, vtrumq; tremendum; atq; etiam ipſis electis, dum viuunt in hac peregrinatione, formidandum. *Quid enim tam pauendum* (ait Bern.) *quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſolicitudinis excogitari poteſt, quàm iudicandum aſtare illi tã terrifico Tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto Iudice ſententiam? Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Sed in tanto diſcrimine non ſolum ſecuri, ſed & beati erunt omnes, qui ſperant in Deo, Propheta dicente: *Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui ſperant in eo.* Ideſt, cùm vindicta venerit, *quæ impijs, & paccatoribus præparatur, non ſolum eos non attinget, qui confidunt in Domino, ſed etiam ad regnum illis inſtruendum, & ſublimandum proficiet.* Nõ enim dixit. *Cùm exarſerit in breui ira eius, ſecuri omnes, qui confidunt in eo: tanquam hoc ſolum inde habeant, quòd non puniuntur, ſed beati (dixit) vbi eſt omnium bonorum ſumma, & cumulus.*

Iudicij dies aquis inundantibus confertur.

*Pſ.90.a. — Pſ.12.b. — Mat.25 d.*

Ber. ſer. 8. ſuper pſal. Qui habitat.

*Heb.10. — Pſa.2.c.*

Aug. to. 8. ſuper eundem pſal.

In iudicio non ſolum ſecuri, ſed & beati erunt iuſti.

26 *Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit,* ideſt mors, & infernus nõ agent vobiſcum tanquàm cum amicis ſecum confœderatis, vt venerat vobis in mentem, ſed tãquã hoſtes contra vos inſurgẽt, & armabunt ſe, vt vindictam ſumant de peccatis veſtris. *Flagellum inundans cùm tranſierit,* non ſolùm veniet ſuper vos, ſed (quod deterius eſt) *eritis ei in conculcationem.* Semper enim maiora mala eueniunt impijs, quàm ipſi timeant. Illi dicebant: *Flagellum inundans cùm trãſierit, non veniet ſuper nos.* Sed rectus Iudex Dominus ait. *Flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem,* ideſt conculcabit vos, non pertranſibit, nec vos relinquet, ſed permanebit, & commorabitur in medio veſtrum, & conculcabit vos, nec corriget tanquam filios, ſed vt inimicos perdet in æternum. *Quandocumq; pertranſierit, tollet vos,* ideſt nullas vobis concedet inducias, nec vos relinquet ſuperſtites, ſed omninò tollet de medio terræ. *Quoniam manè diluculò pertranſibit,* id eſt, valde manè. Hoc enim deſignat illa aduerbij geminatio. Sicut etiam ſupra repetendo: *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* ſignificat, *faciet* magnam pacem. Sequitur. *In die, & in nocte,*

Impijs maiora ſẽper eueniunt mala, quã ipſi timeãt.

*Iſ.27.b.*

*in nocte*, ideſt omni tempore. Quaſi dicat. Hæc veſtra calamitas, hoc flagellum inundans non vna hora dũtaxat, aut vno die, ſed lõgo durabit tempore. Ex quo apparet, Prophetam loqui, non ſolum de flagello corporali, ſicùt eſt peſtis, vel gladius, aut etiam captiuitas temporalis, ſed multò magis de flagello ſpirituali, quo vsq; in hodierum diem cæcitate magna percutiuntur Iudęi, atq; animorum perplexitate, neſcientes, quid ſequantur, quid credant; vel cui adhæreant, cùm Regem non habeant, nec ſacerdotem, neq; Prophetam. Et qui gloriabantur, ſe filios Dei eſſe, & patrem habere Abraham, nunc in miſeram ſeruitutem redacti, in opprobium omnibus facti ſunt. In has anguſtias eos coniecit præſumptuoſa ſecuritas, & infidelitas deteſtanda; vt ſuis malis edocti diſcant flagellis attriti, quod in proſperitate agnoſcere noluerunt. Vnde & ſubditur. *Et tantũmodò ſola vexatio intellectum dabit auditui*. Vatablus. *Et fiet, vt dũtaxat vexatio faciat intelligere auſcultationẽ*. Accidet ergo, vt ipſa flagella inũdãtia faciãt vos credere, & contremiſcere: atq; intelligere, vera eſſe, quæ per Prophetas prædixi. Hactenus apud vos nihil exhortationibus meis profeci, nec minis: ſed iam nouam inueniam rationem, qua vos erudiam. Confugiam quippè ad plagas, & flagella, quibus vos doceam. Sic enim conſueuit pater alloqui rebellem filium: Cum meas admonitiones contemnas, te oportebit aliquando moneri à carnifice. & hoc eſt, quod ſupra dixerat. *In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum iſtum*. Sic locutus eſt ad illum, cum, *faciens quaſi flagellum de funiculis, omnes vendentes oues, & columbas, & nummularios ipſos eiecit de templo*. Quo facto mirabili deſignauit, Iudæos, ob ſuam auaritiam, & Idololatriã, longè à Deo proijciendos fore. Et fortaſſis illud propterea, non flagellum, ſed *quaſi flagellum* dixit, quoniam aliud flagellum verum, cuius in hoc capite fit mẽtio, vt ſupra diximus, deſignabat: illud videlicet, quo reprobi flagellabuntur in æternum. Hoc enim verum flagellum: alia quippe huius vitæ, quibus corripiuntur peccatores, quaſi flagella reputantur. Hinc habuit ortum illud commune proloquium, quod apud homines circumfertur. *Vexatio dat intellectum*. Per auditum verò prophetiam intelligit, ſicut etiam infrà, cum ait: *Domine quis credidit auditui noſtro?* Dicitur autem ipſa prophetia auditus, quoniam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*.

Iudæi flagello ſpirituali vsq; in hodiernũ diẽ flagellantur.

*Ioa. 8. e.*

Flagella erudiunt quos beneficia non corrigunt.

*Supra n. 11. 12.*

*Ioan. 2.*

Supra c. 9. num. 6.

Vexatio dat intellectum, vnde ortum habuit.

*Iſa. 53. a*

*Rom. 10. c.*

27 *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ità vt alter decidat, & pallium breue, vtrumq; operire nõ poteſt.* Illa cauſalis, *enim*, rationem reddit, propter quam Deus Iudæos non protexerit, ſed à ſe excluſerit; quia videlicet non verum Deum, ſed Idola colebant; quia, tanquam fornicarij, alteri, quam primo viro, cui per fidem à principio fuerant coniũcti, adhæſerunt. Dixerant ſupra: *Mendacio protecti ſumus*. Sed nunc Dominus ait ad illos: Veritas non proteget vos, nec operiet iniquitatem veſtram, non vos admittet, ſed reijciet, quia *non poteſtis calicem Domini bibere, & calicẽ Dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Idolorum. Quæ participatio iuſtitiæ cũ iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ cõiunctio Chriſti ad Belial? quis conſenſus templo Dei cum idolis?* Loquitur

*1. Cor. 10. c.*

*2. Cor. 6. c.*



quitur autem (vt inquit Hieronymus) *ſub metaphora mariti pudiciſſimi, qui adulteræ dicit vxori: Vnus lectus me, & adulterum capere non poteſt, & palium breue maritum, & mœchum cooperire non praualet. O Igitur Hieruſalem, ſi vis meis complexibus copulari, abijce Idola: ſi ſeruieris Idolis, me habere non poteris.* Abijce ergo & tu ò homo carnales concupiſcentias, & mundi delicias. Amor enim Dei, & mundi cohærere non valent. Hinc eſt, quòd Eccleſia ſponſum inuitãs, ait. *Lectulus noſter floridus, tigna domorũ noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Lectulum nominat, non lectum, quia anguſtum eſt ſtratum, in quo Deus, & anima quieſcunt. *Noſter*, quoniam non ſola requieſcit in illo, ſed ſocium habet Deum. Vndè Bernardus. *Quod ait, noſter, & noſtrarum, non vſurpationis eſt ſignũ, ſed dilectionis, quod nimiæ videlicet fiducia charitatis, nihil eius, quem valdè diligit, à ſe æſtimet alienum. Nec enim ſe ſponſi contubernio, aut quietis eius putat arcendam conſortio, quæ ſemper, non quæ ſua, ſed quæ illius ſunt, quærere conſueuit, & hæc eſt cauſa, cur ſibi, & ſponſo ſimul ſiuè lectulum, ſiuè domos auſa ſit pronuntiare communes. Dixit enim, lectulus noſter, & tigna domorum noſtrarum, & laquearia noſtra, audacter ſe in poſſeſſione aſſocians, cui iunctam non dubitat in amore. Non ità illa, quæ propriæ voluntati nondũ abrenuntiauit, ſed per ſe iacet, per ſe habitat: magis autem non per ſe, ſed cum meretricibus luxurioſè viuendo conuerſatur, concupiſcentias loquor carnis, cum quibus diſſipat bona ſua, & portionem ſubſtantiæ, quam ſibi diuidi poſtulauit.*

Hier. ſuper c. 28. Iſa. tom. 5.

*cant. 1. d*

Ber. ſer. 46 in can.

Deo oĩs habitatio eſt anguſta.

*Lu. 15. b*

28 *Sicut enim in monte diuiſionum ſtabit Dominus: ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon iraſcetur.* Explicat duobus appoſitiſſimis exemplis iram Domini, & vindictam, quam ſumpturus erat de Iudæis Prophetarum oracula irridentibus. Primũ habetur lib. 1. Paralipomenon cap. 14. vbi legitur, quod cum Philiſtęi aſcenderent in Baalpharaſim, vt debellarent Dauid, quem Dominus ſuper vniuerſum Iſrael vnxerat in Regem, *percuſſit eos ibi Dauid, & dixit. Diuiſit Deus inimicos meos per manum meã, ſicut diuiduntur aquæ, & idcirco vocatum eſt nomen illius loci Baalpharaſim*, quod ſignificat mons diuiſionum. Secundum exemplum habetur Ioſue 10. vbi contra Gabaonitas, & quinque Reges pugnauit Ioſue. Sic enim ait Scriptura. *Irruit itaque Ioſue ſuper eos repente, tota nocte aſcendens de Galgalis, & conturbauit eos Dominus à facie Iſrael, contriuitq; plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viã aſcenſus Bethoron, & percuſſit vſq; Azecha, & Maceda. Cumq; fugerẽt filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cœlo vſque ad Azecha, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Ita (inquit) Terribilis erit Dominus Iudæis, ſicut Philiſtæis fuit olim; nam quemadmodum Philiſtæos grandine, & lapidibus obruit, ità Iudæos incredulos grandine, atque inundantibus aquis de medio tollet, ſicut prædixerat ſupra: *Et ſubuertet grando ſpem mendacij*. Poſſunt etiam hæc verba ad diem Iudicij vniuerſalis referri, in quo *pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Tunc. n. diuidet hædos ab ouibus, & repro-

*1. paral. 14. c.*

*Ioſue. 10 b.*

Ira Dei cõtra Iud. & contra reprobos in die Iudicij.

*pſ. 10.*

reprobos ab electis, vt explicatum eſt cap. 1. num. 7. Quia vero non ex animo, ſed multitudine peccatorum compulſus hoc malum Iudæis inferre decreuerat. ideò ſubdit.

29 *Vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Opus Dei propriũ eſt, miſereri ſemper, & parcere; alienum autem opus, & peregrinum eſt, iraſci in homines, eos punire, atq; de medio delere, vt ex varijs locis Scripturę oſtendi cap. 1. num. 63. & cap. 7. num. 34. Non enim vult mortem peccatoris, ſed, vt magis conuertatur, & viuat. Nè igitur Deo, ſed ſibi imputent reprobi, quòd à Deo puniuntur, aduertit, hoc opus eſſe peregrinum ab eo, qui quaſi inuitus iram oſtendit in reprobos, *vt faciat opus ſuum*, ideſt vt in illis appareat eius iuſtitia, & ſic miſericordia eius magis, ac magis in electis ſplendeat. Hæc enim eſt ratio, hic finis potiſſimus, propter quem Deus quoſdam reprobat, & dilabi in quampſurima permittit peccata. Et, vt docet S. Tho. hanc cauſam aſſignat Apoſtolus ad Rom. 9. dicens. *Volens Deus oſtendere iram, & vindictam iuſtitiæ, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, ideſt permiſit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ pæparauit in gloriam,* quod alijs locis Scripturæ oſtendi ſupra cap. 25. num. 14. Conſonat hæc explicatio cum tanslatione ſeptuaginta Seniorum, quæ ſic habet. *Cum furore faciet opera ſua, amaritudinis opus, & furore eius alienè vtetur, & perditio eius aliena.* quibus verbis ſignificatur, quod quaſi cum dolore, & amaritudine animi perdit impios. Iuxta quod & ipſe ait. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis & vindicabor de inimicis meis.* de quo plura diximus cap. 1. num. 63.

Miſereri eſt opus Dei, puni re alienũ ab eo.

1. par. q. 23. ar. 5. ad 2.

Reprobationis finis eſt oſtenſio iuſtitiæ in reprobis, & miſericordiæ in electis.

Iſa. 1. f.

30 Secũdo poteſt intelligi præſẽs locus ità, vt referatur ad id, quod in hoc eodem cap. prædixerat: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem &c.* quo loco verbi incarnationem repromiſit. Sed ne in hoc lapide ſcandalizarentur infirmi, & Iudæi increduli offenderent, videntes, quæ in carne aſſumpta paſſurus erat ſupplicia: aduertit, hæc omnia ſuſtinere voluiſſe, *vt faciat opus ſuum*, ideſt, vt opus Redemptionis generis humani perficiat, quod eſt propriè opus ſuum, vtpotè ſaluatoris, & redemptoris, atq: mediatoris inter Deum, & homines, de quo ipſe morti iam proximus ad Patrem loquens, dixit. *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam.* Opus certè Dei clementia, atq; miſericordia dignum, opus Saluatoris, opus redẽptoris, quod nullus alius, niſi mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus cõſummare poterat, & perficere, ſed neq; incipere quidem: vt hoc (inquam) opus faciat, vt operetur hoc opus ſuum, alienum eſt opus eius ab eo, peregrinum eſt opus eius ab eo, id eſt, multa opera à Deò aliena, & peregrina operatus eſt. Peregrinum à Deo opus eſt, indui carne humana, in vtero vnius puellæ virginis concipi: peregrinum faſcijs indui, & inter duo animalia in præſepio reclinari: peregrinum lachrymas, ſicut alij infantes, effundere: peregrinum guttas lactis ab vberibus matris expectare: peregrinum in Ægyptum fugere: peregrinum baptizari à Ioanne cum peccatoribus, ac ſi eſſet vnus ex illis: peregrinum in Deſerto à Diabolo tentari: pere-

Dei opus eſt ſaluare alienum mortem pati.

Ioa. 17. a.

grinum



grinum tradi in mortem à Diſcipulo: peregrinum flagellari, ſpinis coronari, ac deniq; inter duos latrones ſuſpendi in patibulo: Et tamen hæc omnia operatus eſt Dominus in medio terræ, vt opus redemptionis noſtræ perficeret. Hanc explicationẽ ſequitur Beatus Gregorius. *Caro,* inquit, *factus eſt, vt nos ſpirituales faceret; benignè inclinatus eſt, vt leuaret; exijt, vt introduceret; viſibilis apparuit, vt inuiſibilia monſtraret; flagella pertulit, vt ſanaret; opprobria, & irriſiones ſuſtinuit, vt ab opprobrio æterno liberaret; mortuus eſt, vt viuificaret. Agamus ergo gratias viuificanti, & mortuo, & ideò amplius viuificanti, quia mortuo. Vnde bene ſalutem noſtram, & paſſionem illius Eſaias contẽplatus ait. Vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo. Opus etenim Dei eſt, animas, quas creauit, colligere, & ad æternæ lucis gaudia reuocare. Flagellari autem, atq; ſputis illiniri, crucifigi, mori, atq; ſepeliri, non hoc in ſua ſubſtantia opus Dei eſt, ſed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum; ſed peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Et qui in natura ſua ante ſemper incomprehenſibilis, in natura noſtra comprehendi dignatus eſt, ac flagellari. Niſi ea, quæ erant infirmitatis noſtræ, ſuſciperet, nunquam nos ad ſuæ fortitudinis potentiã ſubleuaret. Vndè ergo faciat opus ſuum? Alienum opus eius, & vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo: quia incarnatus Deus, vt nos ad ſuam iuſtitiam colligeret: dignatus eſt pro nobis tanquam peccator homo vapulare. Et alienum opus fecit, vt faceret proprium, quia per hoc, quòd infirmans malà noſtra ſuſtinuit, nos, qui creatura illius ſumus, ad fortitudinis ſuæ gloriã perduxit.* Paginus ſic transfert præſentem locum. *Vt faciat opus ſuum, extraneum eſt opus eius: faciet inquam opus ſuum, & erit res ſtupenda.* ſignificãs Verbi incarnationem, ob conſilij diuini altitudinem, in ſtuporem, & admirationem futuram eſſe vniuerſo mundo.

Gre. hom. 16. ſup. Ezech. in fine.

Eſa. 28.

31 *Et nunc nolite illudere, nẽ fortè conſtringantur vincula veſtra.* Pagninus: *Et nunc ne deludatis vos, ne forte fortificẽtur vincula veſtra.* Vatablus: *Nũc igitur ne vobis ipſis illudatis, ne forte validiora fiant vincula veſtra.* Illa copulatiua, &, idem valet quod, ergo. Infert enim ex dictis, ſolùm in Deo ſperandum eſſe, & illi adhærendum, ſiquidem in tot pericula incident, qui in mendacio ſpem conſtituunt. ac ſi dicat: Nolite ergò illudere verba Domini, nolite procraſtinando pœnitentiã differre. Hoc enim non erit Dominũ, ſed vosmetipſos deludere; nam conſtringentur vincula veſtra. Iuxta quod & Apoſtolus ait. *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionẽ.* Per vincula pœnas intelligit, atque afflictiones de cœlo miſſas, quibus à Deo tenentur peccatores, ne in maiora crimina dilabantur. Poſſunt etiam per vincula intelligi peccata. Dicit enim Sapiens. *Funibus peccatorum ſuorũ quiſque conſtringitur.* Et iterum ſcriptum eſt. *Funes peccatorum circũplexi ſunt me.* Hæc vincula, quãdiu peccator viuit in hoc ſæculo, diſſolui poſſunt per gratiam Dei, atque dirumpi, Propheta atteſtante. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo*

Galat. 6. b.

Tribulationes ſũt vincula quib⁹ Deus fugientes tenet peccatores.

Prob. 6. d.

Pſ. 118

Pſ. 115.

hoſtiam

*hoſtiã laudis, & nomen Domini inuocabo.* At ſi impœnitens quis vſque ad mortem perſeueret, tunc ita hæc vincula conſtringuntur: vt iterum diſſolui non valeant. S. Cirillus per vincula præcepta intelligit, atque cæremonias legis antiquæ: ità vt ſenſus ſit. Nolite o Iudæi illudere Chriſtum Dominum, nec eius verba, ne permittat vos Deus permanere concluſos in vinculis legis, atque graui iugo illius conſtringi. Sed quoniam illuſerunt Dominum, induentes eum purpura, & conſpuentes in faciem eius, & coronam de ſpinis conſtituentes in capite illius: vſque in hodiernum diem compedibus ferreis, atque graui iugo legis antiquæ manent concluſi. *Ne fortè conſtringantur uincula ueſtra.* Poſſunt etiam hæc verba cuilibet peccatori, qui imitatus Adam, peccata ſua excuſat, nec de illis pœnitet, adaptari. Sicut enim vulpes, aut auis, quæ in laqueum cadit, magis aſtringit nodum, atque implicatur, cùm ſeſe explicare voluerit: ſic impij tergiuerſando, magis ſe, ac magis inuoluunt. Qui ergò ſtat, videat, ne cadat, & caueat, ne in laqueum incidat Diaboli. Poteſt enim homo per naturales vires arbitrij laqueo peccati ſe ipſum implicare, ſed poſtquam ceciderit, non poteſt per vires naturæ laqueum conterere, aut nexum diſſoluere. Vndè & Salomon vnumquemque admonet, dicens: *Agnoſce, quòd in medio laqueorum tranſis, et ſuper propugnacula urbium ambulas.* Quæ verba exponens B. Chryſoſtomus ait: *Non dixit. Aſpice, quòd in medio laqueorum pertranſis, ſed agnoſce. & quare dixit, agnoſce? Obumbratus eſt (inquit) laqueus. quandoquidem non opertè mors apparet, neq; manifeſta clades, ſed vndiq; obtecta adiacet. Propterea dixit, agnoſce. Multa tibi opus eſt agnitione, & diligenti ſcrutatione. Sicut enim pueri terra laqueos: ſic Diabolus vitæ voluptatibus, peccata circumtexit. Sed agnoſce perſcrutans diligenter. Et ſi lucrum occurrerit, ne lucrum aſpicias ſolùm, ſed ſcrutare diligẽter, ne forte mors, & peccatum intra lucrum ſit abſconditum: & ſi videris, refuge. Rurſus, cùm delectatio, & voluptas occurrerit, ne voluptatum ſolam reſpicias, ſed ne fortè iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata ſit, diligenter conſidera, & ſi inueneris, reſili. Siue conſulat quiſpiam, ſiuè aduletur, ſiuè obſequatur, ſiuè bona res polliceatur, ſiuè quodcũq; aliud, omnia cum diligentia examinemus, & vndiq; conſideremus, ne fortè dãnum aliquod, ne fortè periculum aliquod ex conſilio, vel honore, vel obſequio nobis eueniat, & ne celeriter, & incõſideratè accurramus. Si enim vnus tantùm, & duo laquei forent, facilis eſſet cuſtodia: nunc autẽ ipſorum multitudinem oſtendere volens Salomon, quomodo dicit, audias. Agnoſce, quòd in medio laqueorum pertranſis. Non dixit, iuxta laqueos pertranſis, ſed in medio laqueorum. Vtrinq; nobis voragines, vtrinq; doli. Proceſſit quiſpiam in forum, vidit inimicum, exarſit ex aſpectu ſolo. Vidit amicum laudem conſequentem, inuidit; vidit pauperem, contempſit, & deſpexit; diuitem, & inuidit. Quempiam vidit infeſtantem, & indignatus eſt; vidit ſpecioſam mulierem, captus eſt. vidiſti quot laquei? Ideò dicit. Agnoſce, quòd in medio laqueorum tranſis. Et in domo laquei, & in concionibus laquei. Sæpius inconſiderate quis inter amicos confidens, loeutus eſt aliquod*

Peccatorũ excuſationes sũt vincula, quibus magis implicantur.

Eccl. 9.

Chryſ. ho. 15. ad pop. col 3. t. 5.

Laqueis plena eſt vita præſens.

quod



*quod verborum, quæ proferri non debet, & tale pertulit periculum, vt totam domum ſubuerteret. Vndique igitur res cum diligentia perſcrutemur. Et vxor ſæpè non aduertentibus laqueus eſt facta, ſæpè filij, ſæpè amici, vicini ſæpius. Et qua de re tot (inquit) laquei? ne deorſum volemus, ſed ſuperiora quæramus: Etenim volatilia, donec altum aerem ſecant, non facilè capiuntur: ità tu, donec ad ſuperiora reſpexeris, nec laqueo, nec vllis alijs facilè capieris inſidijs. Venator eſt Diabolus. Fias igitur ipſius thalamis ſublimior. In altum aſcendens, non amplius vllam rerum admirabitur humanarum. Sed ſicut poſtquam in mõtium verticem aſcẽderimus, parua nobis, & vrbs, & mœnia eſſe videntur, & formicarum more nobis viri ſuper terram ire videntur: ſic poſtquam ſupra celſam Philoſophiæ cogitationem aſcenderis, nihil te terrenorum præcellere poterit, ſed parua videbuntur omnia, & diuitiæ, & gloria, & potentia, & honor, & ſi quid aliud huiuſmodi, cum cœleſtia reſpicias: ſicut ſcilicet et Paulo parua omnia videbantur, & mortuis inutiliora, quæ in præſenti vita ſunt ſplendida. Propterea & clamabat, dicens: Mihi mundus crucifixus eſt. Propterea & nos admonet. Quæ ſurſum ſunt ſapite. Quæ ſurſum ſunt, qualia dicis? dic mihi. vbi ſol? vbi luna? Non, inquit? Sed vbi? Vbi Angeli? vbi Archangeli? vbi Cherubin, & Seraphin? Non, inquit. Sed vbi? vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Pareamus igitur, & illud cõtinuè ratiocinemur, quòd ſicut auiculæ laqueo captæ vtilitas nulla, ſed fruſtrà, & incaſſum alas concutit: ità tibi nulla ratiocinationum vtilitas, ſi ab improba penitus cupiditate captus ſis, ſed quantumcumque reſilieris captus es. Propterea alæ ſunt auiculis, vt effugiãt laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, vt peccata fugiant. Quam igitur veniã habebimus, quam verò defenſionem, cùm brutis ſimus dementiores? Auicula namq; ſemel capta laqueo, mox elapſa, & ceruus in rete decidens, & effugiens, ijſdem iterum difficilè capientur: nam cuique fit experientia cautelæ magiſtra. Nos ſæpius ijſdem capti, in eadem cadimus. Neque brutorum prouidentiam, & ſolicitudinẽ nos ratione decorati imitamur.* Placuit omnia hęc verba ſancti Chryſoſtomi in præſenti referre, quoniã digna ſunt obſeruatione maxima. deberentq; in omnium cordibus litteris aureis eſſe conſcripta. Quibus conſonat pulcher illæ Sacræ Scripturæ locus, quo ſanctus quidam inſignis quæſtionem alterius diſſoluit. Cum enim diceret: Pater Ecce omnia plena ſunt laqueis, & quis poterit effugere? tale fertur illi reſponſum dediſſe. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* ſignificans, nullum aliud ſupereſſe refugium, niſi terrena deſpicere, & volare ad cœleſtia. In translatione Vatabli & Pagnini expendatur illud. *Ne vobis ipſis illudatis*, Significat quippe, eos qui prophetarum irrident oracula, potius ſibi ipſis, quam Prophetis illudere, aut Domino Prophetarum Iuxta quod Apoſt. ait. *Nolite errare, Deus non irridetur.*

Gal. 6. d

Col. 3. a.

Laqueos euadit q alta conſcendit.

Prou. 1. b

Gal. 6. b

32 *Conſummationẽ enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terrã* Conſimilia verba habẽtur ſuprà cap. 10. quæ ibi num. 19. 20. & 21. explicatã ſunt; in præſenti vero talẽ vidẽtur habere ſenſum. Conſummabit Dominus id, quod promiſit, non multũ diferet vos punire. Sed abbreuiabit tempus,

tempus, & captiuitatem, cæteraq; ſupplicia, quæ comminatus eſt, breui inducet ſuper vniuerſam terram, ſcilicet Iudææ.Ità n. audiui, ità accepi à Domino Deo exercituum. AEquum ergo erit, vt imminentem iram eius pœnitentia præueniatis.

33 *Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum*. Cum Dominus in Euangelio ſub parabola Agricolæ, qui exit ad ſeminãdum ſemen ſuum, docuit turbas myſteria Regni Dei, exclamauit, dicens: *Qui habet aures audiendi audiat*. Non diſſimiliter in præſenti eadem parabola vtens Propheta, audientes præmonet, vt auribus cordis percipiant, & attendant, atque conſiderent, quod dicturus eſt: inſinuãs, ſe magnum aliquod, atque abſconditum myſterium eſſe locuturum. Eſt autem hæc parabola: *Nunquid tota die arabit arans, vt ſerat, proſcindet, & ſarriet humum ſuam? nonne cùm adæquauerit faciem ſuam, ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis?* Hactenus docuit, qualiter Deus corripiat illuſores, & reprobos: nunc iam oſtendit vſq; ad finem capitis, quomodo probet, & purget electos. Ipſi n. etiam à Deo affliguntur, ſed longe alia ratione, quàm impij, & peccatores. Iſti nãque arguuntur in furore, illi verò in miſericordia. Vndè & quibuſdam maiores, quibuſdam minores tribulationes immittit, prout quiſquè ad eas ferendas magis, vel minus eſt aptus. Dicit enim Paulus. *Fidelis Deus, qui non patietur, uos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Iudicia autem Dei comparantur ſtudijs, atque laboribus arantis agricolæ, ſerentis, ac triturantis. Proindè ſicut agricola non omni tempore arat, neque ſeminat in omni loco, nec ſemper triturat, ſed ſuum cuique labori tempus conſtituit, ità Pater cœleſtis, de quo filius ait. *Et Pater meus agricola eſt*, tempora diſtinguit, quibus in varijs laboribus electos exerceat. Arat quippe eorum corda, cum aliqua tribulatione ad ſe illos vocat, & aptos reddit ad audiendum, & ſuſcipiendum verbum Dei. Proſcindit, cum ad contritionem eos mouet. Serit gith, ſpargit cyminum, triticum, & hordeum, cum bona ſemina piarum cogitationum, atq; deſideria immittit varios, & diuerſos fructus perferendi, iſti martyrij, illi continentiæ perpetuæ, alteri religionis, quæ omnia ſpiritu Sancto inſpirante germinant (vt Ambroſius docet) & creſcũt in electorum cordibus. Eſt autem gith genus quoddam leguminis, vt notauit Plinius lib. .o. naturalis Hiſtoriæ c. .7. eſtq; ſimile cymino, &, vt docet Hieronymus, per gith, & cyminũ, gentes Idololatrę alegoricè deſignantur; per triticum autem populus Iudæorum, quos varijs afflictionibus Dominus erudiuit. Vndè & ſubditur.

Lucæ 8. a.

Aures præparãtur, vt Dei myſteria percipiant.

Electos Deus probat aliter quã reprobos.

2. Cori. d

Agricolæ confertur Deus

Ioan. 15 a.

Plin.

34 *Et erudiet illum Deus ſuus in iudicio docebit illum. Non enim in ſerris triturabitur gith, neque rota plauſtri ſuper cyminum circuibit. Sed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo: panis autem comminuetur*. Ecce quanta prudentia, & benignitate vtitur Dominus in expurgandis electis, quod explicat perſiſtendo in præaſſumpta ſimilitudine agricolæ; *Et erudiet* (inquit) *illum*, videlicet agricolam, vt ſciat, quomodò diſponenda, & tractanda ſint ſeminà, & quæ huic terræ, quæ verò illi, vt fructum proferant, ſint apta: ac denique quali tempore meſſis, & quibus inſtrumẽtis ſint fructus iuxta eorum diuerſitatem purgãdi. Hinc collige etiam artes non à nobis eſſe, ſed eas Deũ hominibus inſpiraſſe, quantumuis infimæ videantur, & viles. *Non enim in ſerris, &c.* Varię ſunt excutiendarum ſegetum rationes, & varia inſtrumenta, quibus ab agricola expurgantur, iuxta diuersã earum qualitatẽ, & diuerſum vſum regionum. Alicubi plauſtris, alibi equorum vngulis, & apud nos tribulis: cyminum autem, & gith non ſerris, non rota plauſtri, ſed virga excutitur, aut baculo. Sic ergo cœleſtis agricola nouit, quos plauſtris perſecutionum, quos aduerſariorum vngulis, & quos virga alicuius infirmitatis debeat emundare. Frumentũ, ex quo panis conficitur, atq; in hòrreum Dei eſt congregandũ, id eſt electi, triturantur grauioribus inſtrumentis, in plauſtrò, & in ſerris, quia fortiora pro Chriſto certamina ſuſtinent, vt puriores fiant. Inſurgunt cõtra illos equi, per quos filij tenebrarum deſignantur, plauſtris ſimiliter expurgantur, ſed *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, & dum hæc, atque alia quàmplurima incommoda patiuntur, panis ex eis mũdus efficitur, quo Deus reficitur, & cibatur. Vndè S. Ignatius Romam perductus, ac beſtijs expoſitus, ardore patiendi, cùm rugientes audiret Leones, ait. *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar*. Hinc & B. Sixtus ad Laurẽtium dixit. *Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum recipimus, te autem quaſi iuuenem manet glorioſior de Tyranno triumphus.*

Agricolà, in agricultura q obſeruare debet.

Artes ẽt minimæ a Deo ſunt.

Rom. 8. d.

Martyres Xp̃i panis efficiuntur tormẽtis,

S. Ignatij. conſtãtia. Ex Hieronimo lib. de viris Illuſtrib.

35 *Veruntamen non in perpetuam triturãs triturabit illum, neq; vexabit eum rota plauſtri, nec vngulis ſuis comminuet eum*. Ex hoc loco Iſaiæ quidam deſumpſerunt occaſionem errandi, qui, vt Sanctus refert Auguſtinus, *crediderunt, damnatorum pœnas non eſſe perpetuas*, eò quòd in præſenti dicitur: *Numquid tota die arabit arans, Et non in perpetuum triturans triturabit &c.* Quibus verbis confirmare videtur Propheta id, quod ſupra dixerat de damnatis: & poſt multos dies viſitabuntur. Sed hæc ſententia contradicit euidentiſsimis teſtimonijs Sacræ Scripturæ, tum ex veteri, tum ex nouo teſtamento deſumptis, quæ adduximus cap. 24. nu. 24. & ſequentibus, in quibus exprimitur, pœnas damnatorum eſſe in perpetuum duraturas. Neque in verbis inductis oppoſitum inſinuatur. Nam hæc parabola de iuſtis, & electis intelligẽda eſt, non de impijs, & reprobis: iſti enim ad zizaniam pertinent, non ad frumentum in horreum Dominicum congregandum: ideò non excutiuntur, vt purgentur, & panis mundus ex ipſis conficiatur: ſed congregantur in faſciculos ad comburendum. Soli autem electi triticũ ſunt, & hordeum inter paleas & zizaniam, in area Domini, hoc eſt in Eccleſia militante occultatum, ex quibus cibus conficitur, cuius meminit Saluator, cum ad diſcipulos dixit: *Ego alium cibum habeo manducare quem vos neſcitis*. Ideò excutiuntur, vt purgentur; affligũtur temporalibus perſecutionibus, & anguſtijs, vt à Zizania ſeparentur, & paleis; de quo plura dicta ſunt cap. 1. num. 23. 24. Quid autem ſignificauerit Propheta illis verbis: *Et poſt multos dies viſitabuntur*, explicatum eſt cap. 24. num. 27. Hæc autem, quæ maxima eſt, ſolis electis relinquitur conſolatio, quòd

Aug. 21. de ciu. Dei c. 17. Tom. 5.

Damnatorum pœnæ perpetuæ.

Triticum a zizania ſeparatur.

Ioan. 4. d

Tribulatio omnis iuſtorũ temporalis.

quod videlicet quantumuis vngulis ferreis proſcindantur eorum corpora,& virgis percutiãtur, aut baculo, atque alijs quàmplurimis, & exquiſitis tormentis à Tyrannis vexêtur: non tamen triturabuntur in perpetuum, vt latius proſecuti ſumus cap. 10.num.23.& cap.26.num.30.Ne verò quis arbitretur, hoc incertum eſſe, aut indignum, cui fides adhibeatur:ſubdit. *Et hoc à Domino &c.*

36 *Nunquid tota die arabit arans.*Poſſunt etiam hæc & ſubſequentia verba ſic explicari, vt deſignent, antiquam legem, tametſi adhuc ſub peccato Iudęos incredulos teneat cõcluſos, non in perpetuum à Deo ſuper humeros filiorum Iſrael, ſed vſq; ad tempus legis Euangelicæ impoſitã fuiſſe, Paulo atteſtante. *Solummodò in cibis,& in potibus,& in varijs baptiſmatibus,& iuſtitijs carnis vſque ad tẽpus correctionis impoſitis.* Ac ſi diceret.Non in perpetuum hęc durabunt. *Sed cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.* Fuit enim imperfecta lex antiqua, vtpotè lex paruulorum terrena repromittens, non cœleſtia, peccata prohibens, atque detegens, concupiſcentiam augens, ſed non emundans conſcientiam:atque adeò *nihil ad perfectum adduxit lex.* Venit Chriſtus, non ſoluere legem, ſed adimplere :quia quod illa promiſit, executus eſt. Prædicauit legem Euãgelicam,per quam omnes obſeruantias, & cęremonias antiquas eliminauit, & abſtulit iugum oneris à ceruicibus hominum. Illud antiquæ legis erat tempus arandi, hoc metendi;ideò,dum filij Iſrael ſub veteri teſtamento militabant, portabant iugum, & iugum grauiſſimum: quoniam veluti boues arabant terram, & laborabant, ut ad ſemen prædicationis Euangelicę ſuſcipiendum corda diſponerentur fidelium. Sed nũc ablatum eſt iugum duriſſimum,quia tempus meſsis aduenit,in quo, *lanceas ſuas in falces conflabunt* homines.*Alij laborauerunt*( ait Dominus ad diſcipulos ſuos) *& vos in labores eorum introiſtis:* alij portauerunt pondus diei,& æſtus, & nos prius denarium accepimus. Ait ergò: *numquid tota die arabit arans,* numquid totum cœleſtis agricolæ munus erit, terram aratro proſcindere, ſpinas exurere, herbas inutiles vellere? Nonne his præmiſsis ſemen illud, & granum frumenti, quod mortuum multum fructum afferet, mittet in terram? nonne meſſores conducet, qui in cœleſte horreum triticum cõgregent? faciet vtique. Scriptum eſt enim.*Lætabuntur coram te,ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda,quando diuidunt ſpolia. Iugum.n. oneris eius,& virgam humeri eius, & ſceptrũ exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Abſtulit iugum oneris,vt ſegetes colligerent, iuxta quod Princeps Apoſtolorum ait. *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?*Hæbręi expoſitores ſic interpretantur iſtum locum, vt populus Iſrael fuerit in AEgypto campus incultus,& ſentibus abundans.Deus autem velut agricola miſit Moyſen, & Aaron,qui ſignis, & miraculis induxerunt populum, vt Deum verum colerent,& ſacrificarent illi in deſerto: & tunc ſeminauit terram decem mandatis, & iudicijs ità, vt promitterent, ſe facturos omnia,quæ Dominus præcepiſſet. In Syna autem, non erant homines in æquali ordine conſtituti, ſed quidam propinquiores,



Hæb. 9. b.

Lex antiqua vſque ad tps legis g̃æ ẽ impoſita.

1.cor.13 c

Heb. 7. e.

Iſai.2.b

Ioan. 4. e.

Ioan.12 c.d.

Iſai.9.a.

Act. 15. b.



quidam remotiores à monte. Vnde (ſecundum illos) varietas ſeminum, & inſtrumentorum, quibus ſegetes ab agricola expurgantur, diuerſam capacitatem ſignificat auditorum: quæ omnia non multum diſtant ab his,quæ ſupra dicta ſunt. Sed multò magis conſonat Euangelio, ſi dicamus,quòd totum tempus legis antiquæ fuit tempus arandi, ſed ſtatus legis Euangelicæ eſt tempus fructus afferendi,& metendi,ſecũdum illud. *Ego miſi vos metere,quod vos non laboraſtis.* Et iterum ſcriptum eſt. *Meſſis quidem multa, operarij autẽ pauci. Rogate ergo dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuã.* Vnde ſtatus veteris teſtamenti comparatur hyemi,ſtatus verò Euangelij æſtati confertur Cant. 2. cum dicitur. *Surge propera amica mea, columba mea,formoſa mea, & ueni: iã enim hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, uox turturis audita eſt in terra noſtra,ficus protulit groſſos ſuos,uineæ florentes dederunt odorem ſuum:* Quia videlicet illud erat tẽpus arandi,iſtud verò eſt tempus metendi, & colligendi vberrimos fructus, quos fideles proferunt gratia Dei, & charitate, quæ *diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

37 *Et hoc à Domino exercitũ exiuit,ut mirabile faceret cõſilium, & magnificaret iuſtitiam.* Non ſolùm in ſupremis operibus,ſed etiam in minutiſsimis rebus oſtendit Deus ſuam maximam ſapientiam, & prouidentiam,ſub quibus abſcondit myſteria cœleſtia, dum *grano ſinapis, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus,* regnum cœlorum, ſimile dixit,dum *ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti* Eccleſiam militantem comparauit: vt ex his, quæ oculis cernimus, ad ea,quæ ſunt nobis inuiſa,oculos mẽtis erigamus: Quia ergo abſconditum erat à ſæculis præteritis crucis myſterium,& mirabile valde,nec poterant ſapientes huius ſæculi capere ea, quæ nobis in Euangelio reuelata ſunt, vt quòd filius Dei pro nobis paſſus eſt,& crucifixus, quòd electos ſuos in hoc mundo probat, cùm tamen reprobos abundare temporalibus permittat: ideò nequis hæc audiens offendat,& blaſphæmet, quaſi Deus iniuſtum aliquid, aut rectæ rationi contrarium operetur, aduertit Propheta,quæ prædixerat in hoc capite,non à ſe adinuẽta eſſe, aut ſomniata,ſed à Domino Deo, qui mentiri non poteſt,exiuiſſe. Addiditque *à Domino Deo exercituum*, vt ſciamus,quòd qui hæc promiſit, potens eſt & facere. *Vt mirabile faceret &c.&*. Ecce finem potiſsimum,propter quem Deus electos ſaluat, & à temporalibus calamitatibus eripit, reprobos verò,& peruerſos homines proficere in peius permittit, vt videlicet in illis appareat diuina miſericordia, & conſilium voluntatis ſuæ,quo nullis præcedentibus meritis,eos magnificare decreuit,in iſtis verò abũdantes diuitiæ iuſtitiæ ſuæ: (vt cap.25.num.14. & in hoc eodem cap.num.29. annotauimus)magnificè ſplendeant. Vatablus Sic vertit. *Et hoc a Domino exercituum proditum eſt,qui miro agit conſilio & magnifico inſtituto,* ideſt, nullus obmurmuret contra Dominum, quoniam nihil contra rationem, nihil quòd non ſit ſapientiſsimè diſpoſitum, operatur.

Legis antiquæ ſtatus fuit tps arãdi, tẽp' gratiæ eſt metiendi.

Ioan. 4. d

Lucæ 10 a

Cant. 2.

Rom. 5. a.

Lucæ 13 d.

Matt.13 f

Regnum cælorũ rebus minimis confertur,& quare.

Reprobantur aliqui vt manifeſtetur Iuſtitia Dei.

## CAPVT VIGESIMVM NONVM.

1.2.3 VAE Ariel.4.Ariel ciuitas, quam expu-
gnauit Dauid: 5.6. Additus eſt annus
ad annũ: ſollemnitates euolutæ ſunt.
7. Et circũuallabo Ariel, & erit tri-
ſtis & mœrens,8.9.Et erit mihi quaſi
Ariel. Et circumdabo quaſi ſphę-
ram in circuitu tuo, & iaciam cõtra te
aggerem, & munimenta ponam in ob
ſidionẽ tuam.10.11.Humiliaberis,de
terra loquèris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi
pythonis de terra vox tua,& de humo eloquium tuum muſſitabit.
12. Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te:& ſicut
fauilla pertranſiens multitudo eorum, qui contra te præualuerunt.
13. Eritque repente confeſtim. A Domino exercituum viſitabitur
in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tem-
peſtatis, & flammæ ignis deuorantis. Et erit ſicut ſomnium viſio-
nis nocturnæ multitudo omnium Gentium, quę dimicauerunt cõ-
tra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obſederunt, & præualue-
runt aduerſus eam. 14. Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum
autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat
ſitiens,& bibit,& poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit.
15.16.et anima eius vacua eſt:ſic erit multitudo omnium Gentiũ,
quæ dimicauerunt contra montem Sion.17. Obſtupeſcite,& admi-
ramini,fluctuate,& vacillate: inebriamini, & non a vino: mouemi-
ni, & non ab ebrietate. 18. 19. Quoniam miſcuit vobis Dominus
ſpiritum ſoporis. 20. claudet oculos veſtros, Prophetas & princi-
pes veſtros, qui vident viſiones,operiet. 21.22.Et erit vobis viſio
omnium ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litte-
ras,dicent: Lege iſtum:& reſpondebit: Non poſſum, ſignatus eſt.n.
*Matth.* Et dabitur liber neſcienti litteras, diceturque ei: Lege & reſpon-
*15.a* debit: Neſcio litteras. 23. Et dixit Dominus: Eo quòd appropin-
*Mar. 7.* quat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me. 24.25.26.
*b* cor autem eius longe eſt a me, & timuerunt me mandato homi-
num



num & doctrinis. 27. Ideò eccè ego addã vt admirationem faciam
populo huic miraculo grandi & ſtupendo. 28.Peribit enim ſapien- *1.cor.1.c*
tia a ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur. *Abdiæ 1*
29. Væ qui profundi eſtis corde, vt a Domino aſcondatis conſi- *c.*
lium: quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, &
quis nouit nos? 30. 31. Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi
lutum contra figulum cogitet,& dicat opus factori ſuo: Non feciſti
me: & figmentum dicat fictori ſuo: Non intelligis. 32. 33. Nonne
adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel, &
Charmel in ſaltum reputabitur?Et audient in die illa ſurdi verba
libri,& de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. 34. Et ad-
dent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto
Iſrael exultabunt. 35. Quoniam defecit qui præualebat, conſum-
matus eſt illuſor,& ſucciſi ſunt omnes qui vigilabant ſuper iniqui-
tatem: qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in
porta ſupplantabant,& declinauerunt fruſtra a iuſto. Propter hoc,
hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham: Non
modo confundetur Iacob,nec modo vultus eius erubeſcet. 37. Sed
cum viderit filios ſuos, opera manuum mearum in medio ſui ſan-
ctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, Deum
Iſrael prædicabunt,& ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſi-
tatores diſcent legem.

---

## SVMMA CAPITIS.

PROSEQVITVR Iſaias Vaticinium capitis præceden-
tis, et euerſionem ciuitatis Hieruſalem denuntiat atque
deſtructionem templi: quæ duo, Ariel, nomine ſignificat,
vt in commentario huius capitis manifeſtum fiet. Diuidi-
turq; hæc cõminatio in ſex partes. In prima, loquitur inge-
nerali contra ciuitatẽ, in principio cap. *Væ Ariel.* In ſecun-
da aduentũ exercitus Chaldæorum, aut etiam Romanorum denuntiat,
quorum opera vſus eſt Dominus,vt ciuitatem euerteret, & peccata Prin-
cipum, & Sacerdotum,Scribarum,& Phariſæorum puniret. Verſiculo.
*Et erit ſicut puluis tenuis &c.* In tertia, ad conſolationem Iudæorum,cõ-
uertitur & cõtra vaſtatores ciuitatis,quorũ prædicit interitũ, Verſiculo.
*Et ſicut ſomniat eſuriens &c.* In quarta iterum loquitur contra Iudæos
incredulos, qui falſo ſibi ſecuritatem inter tot pericula promittebant; &
eorum cæcitatem atque obdurationem aperit: nàm Prophetarum oracula
non intelligebãt. Verſiculo *obſtupeſcite*. In quinta ſimulatã religionẽ eo-

 rum

rum reprehendit,qui labijs & non corde appropinquabant Deo, Verſiculo.*Et dixit Dominus*,Eo *quod appropinquat populus iſte ore ſuo*. In ſexta ſcrutatores maieſtatis acriter reprehendit,eo quod temere iudiciorum Dei rationem inquirere præſumebant, Verſiculo, *Væ qui profundi eſtis corde*: Quorum pęnam condignam ſtatim ſubiungit: Verſiculo,*nonne adhuc in modico* &c. Vbi de reprobatione Iudeorum, & de vocatione Gentium,in qua Dei miſericordia & profunditas iudiciorum eius ſplendet maxime, ſermonem inſtituit. Denique conuerſionem Iudeorum ad Chriſtum futuram in fine ſæculi denuntiat,Verſiculo, *propter hoc,hæc dicit Dominus ad domum Iacob*. Quod proſequitur vſque ad finem capitis.

---

# COMMENTARIUM.

1 VAE *Ariel*. Iterum inuehitur Propheta aduerſus Ciuitatē Hieruſalem,& contra Sacerdotes, & Principes eius, quorum vaſtitatem ſæpius inculcat.Idq; duplici efficit ratione. Primò,vt per repetitionem, & reiterationem eiuſdem argumenti plures eiuſdem Ciuitatis euerſiones deſignaret. Nam, vt adnotauit Ioſephus, priuſquam à Romanis ſub Tito,& Veſpaſiano fuerit deuaſtata,quinquies ab alijs contra eam inſurgentibus euerſa eſt, & poſtmodum in Turcarum tyrannidem eſt redacta,ſub quorum poteſtate manet vſque in hodiernum diem. Secundo,vt, eiſdem comminationibus repetitis,homines rebelles à peccato deſiſterent: in quo maximè Dei miſericordia cōmendatur,qui iterū, atque iterum peccatores alloquitur, ſtans ad oſtium,& pulſans, ſi fortè cōuertantur, & viuant in æternum. Sic Sancti,Dei miſericordiā imitati,peccata populi arguere non deſiſtunt, donec ipſi vitam in melius commutauerint;nec requieſcunt, donec omnes emendatos videant. Vndè & Chryſoſtomus quibuſdam murmurātibus, & oblatrantibus, eo quòd de cupiditate quotidie miſceret ſermonem,auaros ſæpius increpans, & redarguens,reſpondit. *Vtinam & ſingulis noctibus liceret, vtinam in foro proſequi,& ad menſam,vtinam mulieres,amici,filij,ſerui,agricolæ, vicini, & ipſum pauimentum, & parietes ſemper hac voce clamare poſſent, vt vel ſaltem hoc pacto acquieſceremus. Vniuerſum.n.orbē hic morbus, & omnium animos comprehendit magna pecuniarum vis. A Chriſto redempti ſumus, & auro ſeruimus?* Et iterum,prauam conſuetudinem iurandi deteſtans,ait:*Nemo mihi dicat, quòd multi iam correcti non iurant, hoc non eſt, quod quæritur, ſed vt omnes; quouſque hoc non videro, reſpirare non poſſum. Paſtor ille centum oues habebat, & vna amiſſa, non ſenſit de nonaginta nouem ſalute delectationem, donec perditam inuenit, & gregi reſtituit. Ne igitur hoc dicas, quòd pauci quidam relicti ſunt, qui non ſunt correcti; ſed illud conſidera, quòd iſti pauci non correcti multos corrumpunt alios. Etenim & vnus erat apud Corinthios fornicatus,& tamē tantum gemebat Paulus,tanquam perdita ciuitate:& multum*

Ioſephus lib.7 de bello Iudaico c.18

Hieruſalē fuit ſexies deuaſtata.

Peccatores pluries argruūtur vt reſipiſcant.

Chryſoſt. hom.75.in Ioa. col.3. tom 3.

Auari taxantur.

Chryſoſt. hom.13.ad pop.

Matt.18

Iuramenta reprehēduntur.

1.Cor.5.





*tum congruè. Sciebat etenim quod illo non correcto,vitium procedens & omnes alios inuaderet.*

2 *Ariel*, vt ait Hieronymus,interpretatur Leo Dei, ſiuè leo fortis, & ſignificat in præſenti altare templi ſacrificijs, & oblationibus deputatū. In eadē acceptione ſumitur Ezech. 43. cum dicitur. *Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum,& ab Ariel vſq; ad ſurſum cornua quatuor, & Ariel duodecim cubitorum in longitudine.* Vocabatur autem illud altare Ariel, ſiuè leo Dei; Nam ſicut leoni mane, & veſpere datur in cibum vitulus, vel agnus:ità & in altari Hieroſolymitano manè, & veſpere agnus anniculus offerebatur. Dicitur etiam altare templi leo Dei, vt ſciamus, quòd fortitudo maxima,quā ad modum leonis habebat Ciuitas Sancta, & populus Iudaicus,ad omnes alias nationes debellandas, & ſubijciēdas, ortum habebat ex cultu vnius Dei,& ſingulari pietate, & religione erga illum,quam altare templi, & ſacrificia oblata in illo oſtendebāt.Etenim quamdiu ille populus à vero Dei cultu non receſſit, ſemper velut leo fortiſsimus, pauorem, & timorem alijs ciuitatibus incutiebat, quia Deum habebat protectorem, qui pugnabat pro illis,& ab alijs beſtijs agri defendebat.At cùm primū Idololatriæ fuit deditus, ſtatim fortitudinem omnē, & potentiam amiſit: quia videlicet Deus ipſe, in cuius virtute dimicabāt,receſsit ab eis. Vnde Hieremias, vt imbecillitatem populi Iſraelitici, qui ob Idololatriam tradendus erat hoſtibus,deſignaret, inquit. *Dereliquit Dominus quaſi leo tabernaculum ſuum:* quia videlicet recedente Deo,& populum ſuum deſerente,ſtatim ab ingruentibus hoſtibus, vt notauimus ſupra, ſuperatus eſt. Igitur in hoc loco per, Ariel,Ciuitas Hieruſalem, quæ alijs nationibus terribilis erat,deſignatur, accipiendo per ſynecdochen partem pro toto. Vbi obſeruandum,quòd ſicut Deus,propter ſuam maximam, & infinitam perfectionem,non vno dumtaxat,ſed quāplurimis in ſacris litteris ſignificatur nominibus, cuius immenſitatem his verbis Moyſes explicuit: *Dominator Domine Deus, miſericors, et clemēs, patiens,& multæ miſerationis,ac verax,qui cuſtodis miſericordiam in millia,qui aufers iniquitatem,& ſcelera,atque peccata,nulluſq; apud te per ſe innocens eſt Qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem:* ita Ciuitas ſancta ob quandā ſingularem excellentiam,quam habuit, pluribus ſignificatur nominibus. Dicitur.n. Vallis viſionis ſupra cap. 22. *onus vallis viſionis*. Appellatur Ciuitas Dei,pſal.86.*Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*. Vocatur Hieruſalem frequentiſsime in ſacris litteris, & nunc Ariel nūcupatur, vt ſciamus, quòd Iudicium Domini incipit non ſolùm (vt ait Petrus) à domo Dei, ſed etiam ab altari Dei, quod ſacrificijs, & oblationibus eſt dicatum. Et forſitan propterea altare Dei expreſsit Propheta, quoniam ſpecialiter contra Principes populi,& contra Sacerdotes,& miniſtros, qui,vt Deo deſeruirent in altari, conſecrati erāt, loquitur in hoc capite, eorum ruinā, & cæcitatem deplorans, qui alios debuerant ab infidelitate retrahere. Ideò clamat. Væ Ariel, Væ altari, væ ſacerdotibus,& miniſtris altari deſeruientibus, quoniam omnibus imminet tremendum iudicium. Aut verò ideo meminit altaris, vt atrocitatē cladis deſignaret, quæ nec templum reliquit intactum,nec altare.

*Ezech. 43.c*

Altare tēpli Ariel. i.leo Dei, dicitur.

*Exod. 29.*

Cultus Dei facit remp.inexpugnabilē.

*Hiere. 25.*

Cap.1.12. 21.

Hieruſalē dicitur Ariel.i.leo. quia alijs ciuitatib⁹ erat formidabilis.

*Exodi. 34.*

Hieruſalem pluribus nominibus ſignificatur,ob ſuā eminētiam.

1.*Pet.4.*

Sacerdotũ peccatis, altare deſpicabile redditur.

3 Hinc diſcant ſacerdotes,& miniſtri Eccleſiæ cum timore,& tremore, ac mentis puritate Deo in altari deſeruire: ne, propter eorũ peccata, altare ipſum,& miniſterium deſpicabile habeatur. Sanctum eſt altare, ſanctum miniſterium: ſit & miniſter ſanctus. *Non temerè dico* ( ait Chryſoſtomus) *ſed vt affectus ſum, ac ſentio. Non arbitror inter ſacerdotes multos eſſe, qui ſalui fiant, ſed multò plures, qui pereant. In cauſa eſt, Quoniam res excelſum requirit animum. Multas enim habet cauſas, quæ depellant ipſum à ſuis moribus, & innumeris oculis illi opus vndique.* Si Abimelech, cui panes laicales deficiebãt, non prius panem ſanctum propoſitionis ad edendum Regi, & pueris eius cõceſsit, quam interrogaret Dauid: Dic mihi, o Dauid, *Si mundi ſunt pueri maxime a mulieribus*? & cognouiſſet mundos eſſe ab heri & nudius tertius: quantò magis debent Sacerdotes ad venerandum altare,& ad ſanctum ſanctorum celebrandum, & ſumendum mundi accedere? * *Si ergo interrogauit ſacerdos, vtrum ſerui Dauid mundi eſſent propter panes propoſitionis accipiendos, quid facere nos debemus miſeri ſacerdotes propter corpus Domini accipiẽdum? O Fratres mei, ſic & ſacerdotes Paganorum, dum offerre debẽt Dijs ſuis incenſa, ab omni malo, vt poſſunt, abſtinent. Ego ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibuſdam ſeruis Chriſti ad Aethiopiam perrexi, vt eis ſanctum Chriſti Euangelium, prædicarem, & vidimus ibi multos homines, ac mulieres capita non habentes, ſed oculos groſſos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobis habentes: inter quos ſacerdotes eorum vidimus vxoratos, tantæ tamen abſtinentiæ erant, quòd licet vxores ſacerdotes omnes haberent, nunquam tamen niſi ſemel in anno eas tangere volebant, qua die ab omni ſacrificio abſtinebant. Vidimus & in inferioribus partibus* Aethiopiæ *homines vnum oculũ tantum in frõte habentes, quorum ſacerdotes à conuerſationibus hominum fugiebant, ab omni libidine carnis ſe abſtinebant, & in ſeptimana, in qua Dijs ſuis offerre debebant, ab omni labe carnis abſtinebant ſe, nihil ſumebant, niſi metretã aquæ per diem, & ſic contenti manentes, dignè ſacrificium ſuis Dijs offerebant. O grandis Chriſtianorum miſeria. Ecce Pagani doctores fidelium facti ſunt, & peccatores, & meretrices præceſſerunt fideles in regno Dei.*

1. Reg. 21. a.

Euchariſtia pura conſciẽtia ſumenda.

* Aug. ſer. 37. ad Fratres i Eremo, tomo 10.

Sacerdotes quanta puritate debeãt accedere ad altare,

ſacerdotes Barbarorũ quãta præparatione ſacrificarent idolis

Non prius Dominus daturus legem deſcendit, vidente populo, ſuper montem, quàm ſanctificaretur multitudo filiorum Iſrael. Dixit .n. ad Moyſem. *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodiè, & cras, lauentq; veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. In die .n. tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem* Synai. Si ergo p biduũ ſanctificabatur olim populus, vt coram eis die tertia deſcenderet Dominus ſuper montem; quantò magis debent ſacerdotes vna ſaltem die, vel ad minus vna hora prius ſanctificari, & emundari, quàm Dominus maieſtatis, non ad montem daturus legem, quæ iram operatur, ſed ad manus ipſius Sacerdotis in ſacro altaris ſacramento inuiſibiliter deſcendat, vt miſericordiam, & gratiam ipſi Sacerdoti, & populo exhibeat, ſe in alimentum eis tribuendo, & vt offeratur Patri in ſacrificium, & holocauſtum pro peccatis noſtris? Et ( vt verbis vtar Beati Ambroſij) *ſi in figura tanta obſeruantia, quãta in veritate? Diſce ſacerdos, quid ſit lauare veſtimenta tua, vt mundum*

Legẽ accepturus populus ſanctificatur prius.

*Exo, 19.*

Ambroſ. lib. 1. offic. ca. 50. to. 4

*corpus*



*corpus celebrandis exhibeas ſacramentis. Si populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum prohibebatur accedere ad hoſtiam ſuam, tu illotus mente pariter, & corpore audes pro alijs ſupplicare, audes pro alijs miniſtrare?* Lege Chryſoſtom. hom. 3. ſuper cap. 1. ad Epheſ. in expoſitione morali, hæc elegantiſsimis verbis proſequentem. Conqueritur Dominus per Prophetam de ſacerdotibus, ſacrum in altari indignè offerentibus, & ait. *Ad vos, o ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis. In quo deſpeximus nomen tuum?* Quibus reſpondet Dominus. *Offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis. In quo polluimus te?* ſignificãs ſacrum,& immaculatum Chriſti Corpus polluere, qui illud pollutis manibus, & ore polluto contingit. Vndè & ſanctus Hieronymus hunc eundem locum explicans ait. *Corripit ſermo diuinus Epiſcopos, & Præsbyteros, et Diaconos negligentes in eo, quod offerant ſuper altare Dei pollutum panem. Polluunt autem panem, id eſt corpus Chriſti, quando accedunt ad altare, & ſordidi mundum ſanguinẽ bibunt.* Si ergo Corpus Chriſti immundis manibus oblatum polluitur, quantò magis & altare? Non ergo mirum eſt, quòd Dominus contra ipſum altare iraſcatur, & dicat. *Væ Ariel*, Vę altari. Clamet ergo Propheta: *Altare, altare audi verbum Domini*. Scindatur altare, & templum Dei, quod erat in Hieruſalẽ, corruat, quoniam per iniquos Sacerdores pollutum eſt.

*Mala. 1.*

Hier. ſuper c. 1. Malac. tom. 6.

3. Reg. 13.

4 *Ariel Ciuitas, quam expugnauit Dauid.* Ex his verbis conſtat, per Ariel, Ciuitatem Hieruſalem in hoc capite deſignari: cui conſonat tranſlatio Vatabli. *Væ Arieli, Arieli ciuitati arci Dauidis.* Quamuis aliqui auctores, inter quos eſt Doctor quidã Louanienſis, nomine Adam Sasbout Delphius, qui Commentaria in Iſaiã conſcripſit, ſentiant, quòd illud nomẽ Ciuitas, poſsit eſſe genitiui caſus, vel etiã datiui, ità vt ſenſus ſit. *Væ Ariel*, ideſt altari Ciuitatis, quam expugnauit Dauid. Aſſeruntq; hanc explicationem textui Hebræo conſonam eſſe poſſe. Vnde & Chaldæus paraphraſt. interpretatur Ariel, altare. Tangit autem Propheta hiſtoriam, quę refertur lib. 1. Paralip. 11. & 2. lib. Reg. cap. 5. in quo duo conſideratione digna ſacra narrat hiſtoria, alterum eſt, quod *filius triginta annorum erat* Dauid *cùm regnare cœpiſſet.* Alterum verò, quod abſtulit cæcos,& claudos, odiẽtes animam eius, & eiecerat eos de Hieruſalem. *Idcirco dicitur in prouerbio: Cæcus, & claudus non intrabunt in templum.* In vtroque nos admonitos eſſe voluit, vt ad illum, qui eſt verus Dauid, reſpiciamus, videlicet ad Chriſtum Dominum, qui non vnam dumtaxat Ciuitatem, ſed vniuerſum orbem debellauit, dum principem huius mundi eiecit foras, & eleuatus a terra omnia traxit ad ſeipſum. Ipſe .n. velut alter Dauid triginta annorum erat, cùm regnare cœpiſſet. *Erat enim incipiens quaſi annorum triginta*, cum plenus ſpiritu ſancto, regreſſus eſt à Iordane, sãctificãs aquas, & conferens illis virtutem, vt tangendo corpus, animam abluerent, & emundarent. Anno trigeſimo cœpit prædicare regnum Dei, & populum fidelem ſibi acquirere. Ipſe etiam abſtulit,& eiecit de templo cæcos, & claudos, dum faciẽs *quaſi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Et his, qui columbas vẽdebant, dixit. Auferte iſta hinc, & nolite facere do-*

Adam Sasbout.

Dauid auferens cæcos & claudos, geſsit typũ Chriſti.

*Luca 3. e*

Chriſtus ãno trigeſimo cœpit prædicare.

*Ioan. 2. e.*

*mum*

Mat 15 e. *mum patris mei domum negotiationis.* Omnes. n. illi erant cæci, de quibus veritas dicit. *Sinite illos, cæci* Vide ſup. c 8. nu 7. *ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Illi claudi, de quibus dicit Propheta. *Filij alieni mentiti* Pſal. 17. *ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Et 3. Reg. 18.d. iterum ſcriptum eſt. *Vſquequò claudicatis in duas partes.* Claudicabant Claudicare quid ſit. enim, quia vno tantùm pede innitebantur, vetus teſtamentum admittentes, nouum autem abnegantes. Claudicabant, quia terrena ſolummodo perquirebãt, pro nihilo habentes cœleſtia. Et claudicabant in duas partes, quia modò verum Deum, modò Idola colebant. Vndè & ſtatim ſubditur. *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum.* Vnde & Procopius Gazeus ait *Prædicitur* Procopi' ſup. c. 29. Iſai. *hoc loco Chriſtus deleturus Iudæos cæcos, & claudos, id eſt, eos, qui recto pede ingredi nolebant, auerſabanturq; lumen Euangelij: cuius rei typus erat Dauid, cum obſidione cepit Hieroſolymam, & cæcos, & claudos iuſſit trucidari.*

5 *Additus eſt annus ad annum, ſolemnitates euolutæ ſunt.* Hic locus variè explicatur à Doctoribus. Prima explicatio eſt. Cauſa potiſsima euerſionis Ciuitatis veſtræ, atq; altaris Auaritia fuit cauſa euerſionis Iudæorum (o Iudæi) eſt Sacerdotum auaritia, & auiditas auri, & argenti, qua, additis annum ad annum, multiplicantes diuitias abſq; termino, & congregantes ea, quæ in vſus pauperum oportuiſſet ſpargere. Hanc cauſam etiam tetigit Propheta cap. 1. illis verbis. *Et repleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis Theſaurorum eius.* Leo. Caſt. Sic explicat Leo de Caſtro, cuius explicatio conſonat tranſlationi ſeptuaginta Seniorum, quæ ſic habet. *Congregate germina annũ ſuper annum: Comedetis enim cum Moab.* id eſt, Congregate fructus multorum annorum, lanam huius anni ſuper lanam alterius anni, triticum huius anni ſuper triticum alterius, &c. Et ſenſus eſt. Quia hæc omnia impiè congregaſtis, comedetis cum Moab. Addiderunt Septuaginta verba iſta ad maiorem explicationem, vt deſignarent execrationem illam, qua olim Moabitæ excluſi ſunt de templo, typum fuiſſe excluſionis Iudæorum ab Eccleſia. Moabitarum excluſio typus fuit excluſionis Iudæorum. Deut. 23. & li. Eſd. cap. vlt. In alijs autem verbis tangit aliam cauſam euerſionis Ciuitatis, quæ fuit vana Iudæorũ præſumptio, qua, Iudæi ſacrificijs, & oblationibus antiquis, & euolutis ſolemnitatibus Legis obſeruantiæ non ſanctificabant. templi, ſe credebant protegendos fore, & emundandos. Hanc etiam cauſam inſinuauit cap. 1. cum dixit. Quò mihi multitudinem victimarum ve- Iſaiæ 1. ſtrarum? vbi num. 35. & ſequentibus multa adduximus ex ſacris Doctoribus circa infirmitatem legalium. Ait ergò; *ſolemnitates euolutæ ſunt.* id eſt fruſtra euoluentur; nam quamuis annuatim veniatis ad ſolemnitatem, quamuis ſæpius iterentur ſacrificia, fruſtrà hæc obſequia exhibebitis, cũ intus pleni ſitis rapina, & dolo: & fide vera, atque dilectione vacui. Poteſt etiam illud verbum: *Euolutæ ſunt,* Lex antiqua terminanda. ſic explicari, vt ſignificet terminum, & finem illarum feſtiuitatum, ac ſi dicat. Solemnitates veſtræ annuales terminabuntur, & non erũt amplius. Nam veniet tempus, in quo nec templum ſit inter vos, neque altare, neq; lex, neque ſacerdos, neque ſacrificiũ; quod nunc adimpletum videmus. Secundò ſic explicatur. Ad annum culpæ additus eſt annus poenæ, vt iuxtà quantitatem delicti ſit & plagarum modus. Tertio ſic. *Additus eſt annus ad annum,* id eſt non longo poſt tempore,



pore, ſed inter annum, & annum, inter ſolemnitatem, & ſolemnitatem, intrà duos annos, hoc eſt intrà paucos, vaſtitas vobis eueniet, quam clamito. Anni duo ſignificãt paucos. Familiare eſt enim vt per duos annos pauci intelligantur, ſicut quando dicimus. Habeo tecum loqui duo verba, id eſt pauca. Sæpius Iſaias admonuit Iudæos, in proximo eſſe tribulationem eorum, & euerſionem Ciuitatis, ne vana ſecuritate corda occuparentur eorum, ſed reſipiſcerẽt, & Dei iuſtitiam poenitentia præuenirent. Iſai. 30. c. Ait. n. *Subitò dum non ſperatur veniet contritio eius.*

6 Quarto poterit ſic exponi. *Ad annum,* hoc eſt, ad tempus peccati *additus eſt annus,* nempe tempus pœnitendi. In quo maximè Dei miſericordia commendatur, qui non ſtatim, Pænitẽtiæ locum concedit De' peccatori. vt peccator delinquit, eum de medio tollit; ſed ſuam peccanti adijcit clementiam, tempus pœnitendi illi concedens. Immò & offenſus peccatorẽ rogat, & detinet, vt reſipiſcat, multa bona repromittens ei. Audi, Eze. 16. a. quid per Prophetam dicat. *Tranſiẽs autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo. Et dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo, viue. Dixi (inquam) tibi in ſanguine tuo, Viue.* Vide quomodo iterum, atque iterum rogat cõculcatam in ſanguine ſuo, ream pluri um mortalium criminum, vt conuertatur, & viuat, eam videns & prouocans ad pęnitentiam, quæ per peccatum Deo inuiſam eſſe meruerat. Et Eodem ca. a. b. iterum ait. *Et tranſiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium. Et expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiã tuam. Et iuraui tibi, & ingreſſus ſũ pactum tecum, ait Dominus Deus & facta es mihi. Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te. Et vnxi te, oleo, & veſtiui te diſcoloribus & calciaui te hyacintho. Et cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento. Et dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collũ tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuũ & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multi coloribus. Similam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis.* Quæ verba expendens Beatus Hieronymus ait. Hier. ſup. ezech. to. 5 *Quanta clementia. Non ſuffecerat ſemel vidiſſe eam conculcatam in ſanguine, & ad pœnitentiã prouocaſſe: ſed peccantem rurſum inuiſit. Et quia erat nuda, & confuſionis plena, rurſus venit, & viſitat. Et laui te (inquit) aqua.* Vide in quot benedictionibus dulcedinis præueniat peccatricem, quot ſpiritualia bona illi offerat, qualiter ornet tanquam ſponſam eam, quæ relicto viro ſuo priori tanquam adultera tranſierat ad alienos. Nec ſolum hæc exequitur officia, ſed ingratam etiam, & tanta dona ſpernentem prohibet, ne recedat, ne alios ſequatur amatores. Ego (inquit) *quaſi nutritius Ephraſim portabam eos in brachijs meis,* Oſee. 11. a. vel, vt transferunt ſeptuaginta. In terpretes. *Ego colligaui Ephraim, ſuſcepi eum ſuper brachium meum.* * *Ego clementiſſimus Dominus ligabã pedes Ephraim, ne à me longius fugeret. Hoc enim ſignificat, ligabam,* * Hieron. ibid. to. 6. vt ſuper eundem locum notauit Hieronymus, *& quaſi repugnantes vinculis meæ dilectionis adſtrinxi.* Vndè & peccatrici dicenti. *Vadam poſt* Oſeæ. 2. a. *amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas: lanam meam, & linũ meum, oleum meum & potum meum:* occurrit exaduerſo viam obſtruens Tribulationes trahũt peccatorẽ ad Deum. perditionis, & dicẽs: *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam*

*ſepiam eam maceria. Et ſemitas ſuas non inueniet, & dicet: Vadam, & reuertar ad uirum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis quàm nūc.*

Hier. ſuper cap. 5. Michææ. lib. 2.

*Animaduerte* (ait Hieronymus) *opus Domini profeciſſe. Adultera.n. non inueniens viā ſuam, nec valens pergere quo volebat, neceſſitate obſtricta, ad mariti reuertitur priorē, & confitetur, melius ſibi in domo viri eſſe prioris, quā quondam apud amatores ſuos fuerat.*

Gen. 3. c.

Obliuiſci vtiq; debuiſſet pomi quo ſuffocata fuerat, & cū poſteritate ſua morti addicta, & recordari ſpinarum, quas propter ipſius inobedientiam germinauit terra, ſed quoniam pomum ſuum nominauit, Dominus ex aduerſo opponit illi ſpinas, vt reſipiſcat. Ex quo apparet, quod prouidentia Dei ſæpè nobis accidant mala, ne habeamus ea, quæ cupimus, vt varijs calamitatibus, & miſerijs huiſ ſæculi ad Dei ſeruitutem redire cogamur. Iuxta illud, quod dicit Gregorius.

Greg.

*Mala, quæ nos premunt, ad Deum adire compellunt.* Vndè & Propheta Regius, qui per adulterium, & homicidium à Deo receſſerat, non in delicijs, non in proſperitate conuerſus eſt ad illum, ſed in ærumna, ipſo atteſtante.

Pſal. 31 a.

*Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Vide, quæ circa longanimitatem Dei, & patientiam ergà peccatores diximus cap. 1. num. 63. & cap. 9. num. 84.

Rom. 2. a.

Quia verò peccatores ingrati diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis ipſius contemnunt, ignorantes, quoniam benignitas Dei eos ad pœnitentiam adducit: quaſi coactus ad flagella recurrit. ſubdit enim.

7 *Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis, & mœrens, & erit mihi quaſi Ariel.* Et circundabo *quaſi ſphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam.* Deſcribit euerſionē Ciuitatis factam tum per Chaldæos, tum etiam per Romanos, qui poſt paſſionem Domini obſederunt Hieruſalem. Huius obſidionis meminit Chriſtus, cum *uidens Ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens.*

Lucæ 19 f.

*Quia ſi cognouiſſes & tu. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram poſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt. Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd nō cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

Theodoretus.

Et (vt notauit Theodoretus) quod in hoc loco Iſaiæ fuit prædictum, Sanctus Lucas in verbis inductis narrat impletum. Et quoniam antiquitus Iudæi non plenè intelligebant iſtam prophetiam, quam tamen poſteà rei euentus aperuit, ideò dixit Euangeliſta.

Lucæ 19 f.

*Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Vt autem conſtat ex his, quæ Ioſephus refert.

Ioſephus lib. 5. de bel. Iud c. 31

Exercitus Romanorum totam Hieroſolymam circumcinxit, ne quis ex Iudæis poſſet euadere, nec adeſſet via, qua alimenta ipſis ſubminiſtrari poſſent. Id ipſum etiam accidiſſe in euerſione facta per Chaldæos, notiſsimum eſt. Illa ergò repetitio & geminatio, *& erit triſtis, & mœrens*, magnitudinē deſignat, & varietatem moeroris. Ait autem. *Et circundabo, & iaciam contra te aggerem*, vt ſciamus, quòd licet hęc omnia Chaldæi fuerint, & Romani exequuti, non eorum nutu, aut potentia, ſed Dei fuerunt prouidentia peracta, atque eius fortitudine, & iuſſu perfecta.

Victoriam conſequitur exercitus tyrannorū virtute diuina.

Ipſe congregauit hoſtes aduerſus Ciuitatem, ipſe illos vocauit, & victoriam dedit illis, vt explicatum eſt cap. 5. num. 31. & c. 7. num. 33.



num. 33. & 34. & cap. 10. num. 10. 11. & 12. vbi Dominus Regem Aſſyriorum Senacherib, & exercitum eius ſecuri comparauit, & baculo, quia eorum miniſterio ad ſumendam vindictam de inimicis ſuis vſus eſt. Ideò ait, *circundabo, circumuallabo*, ac ſi dicat. Ego, ego ipſe Dominus exercituum id faciam, contra quem nullus poterit præualere.

8 *Et erit mihi quaſi Ariel*, id eſt tanta erit hominum occiſio, tanta interfectio Iudæorum, vt tota Ciuitas Hieroſolymitana ſit inundans ſanguine hominum, ſicut Ariel, hoc eſt, ſicut altare inundare conſueuerat ſanguine ſacrificiorum. Ipſa ergo Ciuitas (ait Dominus) erit quaſi altare deſeruiens mihi ad faciendā victimam, non hircorum, ſed hominum. Et iſte eſt ſenſus litteralis, & illum ſequitur gloſa interlinealis, cui conſonat illa imprecatio Hieremiæ in perſona Chriſti facta aduerſus Iudæos.

Hiere. 12. a.

Hieronymus.

*Congrega eos, quaſi gregem ad uictimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.* Sanctus Hieronymus ſic arbitratur verba hæc eſſe intelligenda, vt denuntient inſtaurationem templi, & altaris futuram, licet magnificentiam illam, & ornatum antiquum non ſit habitura. Ideò non ait ſimpliciter: Et erit mihi Ariel, ſed inquit, *& erit mihi quaſi Ariel*, quia non pertinget ad primā dignitatem, & gloriam, ſed eam vtcumque imitabitur. Quæ explicatio eſt valde conſona miſericordiæ diuinæ, quæ, vt ſupra diximus, læta triſtibus miſcet, & iram benignitate temperat: ne homines immoderata triſtitia abſorbeantur. Si autem hæc, quæ de altari, & templo Hieroſolymitano ait Propheta iuxta interpretationem Hieronymi, ad ſtatum Eccleſiæ Catholicæ referamus, apparebit, omnia, quæ in horis canonicis decantandis, in oblatione Corporis, & ſanguinis Chriſti, & in alijs miniſterijs altaris, & ſpiritualibus exercitijs his temporibus exhibent noui Teſtamenti miniſtri, non illam primitiuæ Eccleſiæ ſinceritatem, non illum ſplendorem retinent, non illū ſeruorem, & gloriam, ſed quaſi, idq; propter auaritiam: quæ multoties inter ſacrificia, & exercitia Sancta ſuccreſcit.

Fideles deficiunt a feruore primitiuæ eccleſiæ.

De quo plura diximus c. 3. nu. 10. Vndè & Sanctus Chryſoſt. locum illum explicans Euangelij.

Mat. 21 a.

*Et cùm intraſſet in templum, cœpit eijcere vendentes, & ementes de templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas ſubuertit*, ſic ait.

Chryſo. hom. 13. ex varijs in Mar. col. 2. tom. 2.

*Si hoc in Iudæis, quantò magis in nobis? ſi hoc in lege, quantò magis in Euangelio? Cœpit eijcere vendentes, & ementes. Et qui vēdit, & qui emit ſimiliter eijcitur. Non debet aliquis dicere. Ego, quod meum eſt, offero munera*, Sacerdotibus do ego, *ſicut Deus præcepit.*

Auaritia ſacerdotū taxatur.

Mar. 10 a.

*Legimus in alio loco ſcriptum: Gratis accepiſtis, gratis date. Gratia enim Dei non venditur, ſed donatur. Non tātùm ille in culpa eſt, qui vendit, ſed & qui emit.*

Act. 8. c.

*Denique Simon Magus nō quia vendidit, ſed quia emere voluit, damnatus eſt. Vſque hodiè in templo multi ſunt, qui vendunt, infelix eſt, qui vendit: infelix eſt, qui emit. Gratia enim Chriſti auro, & argento non poteſt comparari. Et menſas numulariorum. Menſas, vbi debebant eſſe panes propoſitionis, & gratiarum Dei, ibi auaritiæ victimæ ſunt. Et menſas numulariorum. Auaritia Sacerdotum altaria non ſunt altaria, ſed menſæ numulariorum. Et cathedras vendentium columbas ſubuertit. Columbæ non includuntur vtique in cathedris, ſed in caueis.*

Emere & vendere ſpūalia dānabile.

Altaria ſunt menſæ numulariorum ſacerdotū auaritia

*caueis. Nemo columbas in cathedris includit, ſed in caueis. Et quomodò nunc dicit, & cathedras uendentium columbas ſubuertit? Videte, quod dicit. Qui vendebant, in cathedris ſedebant. Super cathedrã* (inquit) *Moyſi ſederunt Scribæ, et Phariſæi. De iſtis Cathedris & pſalmus loquitur. Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Vera cathedra peſtilentiæ, quæ vendit columbas, vendit cathedram ſpiritus* Sancti. *Multæ cathedræ ſunt vſque hodie, quæ vendunt columbas. Qui vendit columbas, non ſtat, ſed ſedet: non eſt erectus, ſed contractus eſt. In eo. n. quòd vendit gratiam Dei, contractus eſt, & humilis eſt: ſed Dominus noſter, qui venit, vt ſaluaret, quod perierat, ſubuertit non eos, qui vendebant, ſed cathedras uẽdentium: authoritatem ſubuertit, ſaluabit autem homines.*

*Matth. 23. a.*

*Pſal. 1. a*

Catedra peſtilentiæ ẽ ſimonia.

9 *Et erit mihi quaſi* Ariel. Nonnulli Sancti Patres hunc locum explicant de Chriſto, cui populus Iudæorum effectus fuit quaſi Ariel, id eſt, quaſi leo. Nam qui Dei auxilio, ſicut leo, lacerabat omnes gentes, contra Deum ipſum poſtmodũ inſurrexit, dum circundederunt eum ſicut apes, & vt tauri pingues obſederunt eum, dum occiderunt Dominum, & fidelem populum perſecuti ſunt, ſanguinem ouium Chriſti ſitientes. Ariel enim & leo Dei, vel leo in Deum, interpretari poteſt, vt notauit Caſtro ſuper iſtum locum. Cõſonat hæc explicatio cum verbis illis, quæ in perſona Chriſti dicit Hieremias. *Dedi dilectam animam meã in manum inimicorum eius. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua: dedit contra me vocẽ: ideò odiui eam.* Quæ verba exponens Beatus Hieronymus ait. *Facta eſt hæreditas quondam Domini populus Iudæorum contra eum, quaſi leo in ſylua, quando pari aduerſus illum in paſſione voce clamauit. Et quia dedit contra eum vocem ſuam, ideò eam odio habuit, & abiecit, & quæ quondam fuit dilecta, atque chariſſima, nunc appellatur odioſa.* Nonne vocem leonis contra Chriſtum rugientis tibi videtur illam fuiſſe: Tolle, tolle, Crucifige eum? & illam, ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris? Aliàs quomodò Chriſtus contra frementem populum oraſſet ad Patrem: *Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à mes ad defenſionem meam conſpice: erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam: ſalua me ex ore leonis, & à cornibus Vnicornium vnicam meam?* Nonne Paulus Chriſti oues perquirebat, vt eas tanquã leo dilaniaret, dum *adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Hieruſalem?* Sed huius leonis ſæuitiam in manſuetudinem ouis cõuertit Chriſtus, dum clamans de cœlo ait ad illum. *Saule, Saule quid me perſequeris?* & tamen furorem Populi non mitigarunt toties repetita, & inculcata verba illa, quæ in perſona Chriſti ait Propheta. *Ego plantaui te vineam electã omne ſemen verum, quomodò ergo cõuerſa es mihi in prauũ, vinea aliena? Populie meus qđ feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi reſpõde mihi?*

Chriſto fuit Synagoga quaſi leo in ſilua

*Hier. 12*

Hieron ſuper cap 12 Hieremiæ

*Pſal. 21.*

Paulus vt leo Chriſti oues dilaniabat.

*Act. 9. a.*

*Ibid. a.*

*Hier. 2. e.*

*Mich. 6. a.*

10 ***Humiliaberis, de terra loqueris: & de humo audietur eloquium tuum, & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquiũ tuũ muſſitabit.*** Quod Chriſtus de euerſione Ciuitatis loquens prædixit:



dixit: *Et ad terram proſternam te,* his verbis exprimit Propheta, quibus maximam anguſtiam, & oppreſſionem illius populi depingit. Ac ſi dicat. Ita eris deiecta, o Ciuitas ſancta, & in terram proſtrata, ità extenuata eris, & depreſſa, vt cadens in terram ſub pedibus inimicorum tuorum, nec mutire audeas, nec valeas: Qùod ſi fortè aliquam vocem præ dolore emiſeris, erit quaſi pythonis ità exilis & tenuis, vt muſsitare potius qùam loqui videaris. Eorum vocem, qui prius ità elati, & feroces erant ſicut Leo, pythonum ſermoni comparat: qui cùm oracula ederent, è demiſſo quodam, & obſtruſo ſub terram loco, obſcurum, neſcio quod, murmur edebant. Suſurrabant enim potius, quàm articulate aliquid loquerentur. Hæc omnia quantum ad hiſtoriam acciderunt Ciuitati, tum in deſtructione facta per Chaldæos, tum etiam tempore Titi, & Veſpaſiani cum per Romanos fuit deuaſtata. Nam, vt refert Ioſephus, tunc Iudæi fame, & peſte per vias proſtrati, & præ timore inimicorum quaſi ſicci, & exanimes voce tenuiſsima iam moribundi lamentabantur, & nitebantur loqui, vt in tanta calamitate auxilium peterent: & ne vocem quidem emittere poterant.

Pythonis vox quid ſignificet.

Ioſeph. li. 5. de bel. Iud. ca. 27. & 32. & li. 6. cap. 28.

11 Vide fructus flagellorum Dei, quorum Primus eſt, vt humilientur homines, & de viribus ſuis omnino diffidant, & agnoſcant in tribulationibus, ſicut alter Anthiocus. æquum eſſe mortalem nõ paria Deo ſentire. Secũdus eſt, vt de profundis clamemus ad Dominum, auxilium ab eo requirentes, ſicut ille, qui ait. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.* Et rurſus, *ad Dominum cùm tribularer clamaui, & axaudiuit me.* Vbi obſerua cum Beato Hieronymo, quòd, *non dixit, da nobis auxilium de delicijs, ſed de tribulatione. Non dixit, cum eſſem in delicijs clamaui, aut dormiens clamaui, ſed cùm tribularer clamaui. vis exaudiri à Domino? eſto in tribulatione, clama, & exaudieris.* Ibat Paulus furijs inuectus, dirumq; toto pectore virus efflabat, & ſanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat, & iactabat contra Chriſtum Dominũ ſuperbas voces, & inſolenter, dum perditionis viam curreret, contra Deum tonabat. Sed audi, quid in via acciderit illi. *Subito circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram, audiuit vocem dicentem ſibi. Saule, Saule, quid me perſequeris?* Quid autem Saulus humiliatus de terra locutus fuerit, audiamus. *Quis es Domine? Domine, quid me vis facere?* Ecce qui aſcendens ſuper equum erecto collo contra Deum procedebat, cadens in terram, tremens, ac ſtupens, quaſi muſſitare cœpit. Et humiliatus ſe totum Deo ſubdidit. Anthiocus ille, cùm omnia proſpere cederent illi, *elatus in ira arbitrabatur, ſe iniuriam illorum, qui ſe fugerant, poſſe in Iudæos retorquere: ideoq; iuſsit agitari currum ſuum, ſine intermiſſione agens iter, cæleſti eum iudicio perurgente, eò quòd ità ſuperbè locutus eſt, ſe venturum Hieroſolymam, & côngeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum.* Ecce ſuperbiam Regis, qui de feneſtris, & tectis (vt aiũt) contra Deum, & ſanctos eloquio ſuperbo loquebatur. Sed vide, qualiter in terrã cadens muſsitare cœperit. Subditur enim: *Sed qui vniuerſa conſpicit Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum inſanabili, & inuiſibili plaga, & præcipiens accelerari negotium,*

Tribulatio nuũ vtilitates plures *

*2. mach. 9. b*

*Pſ. 59. c*

*Pſ. 119. a*

Hieronymus in illa verba pſa. 107. & non exibis Deus in virtutibus noſtris.

*act. 9. a*

Pauli conuerſio mirabilis.

*2. Mac. 9.*

*gotium, contigit illum impetu euntem, de curru cadere, & graui corporis colliſione membra vexari*. Cadens ergo in terram, & multo dolore, & fœtore vexatus ait. *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*. Hinc eſt il-

Pſa. 72.

lud, quod canit Pſalmiſta. *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierũt in affectum cordis. Cogitauerunt, & loquuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo loquuti ſunt. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terram*. Quot verba ſuperbiæ, & arrogantiæ proferunt in Deum homines, qui non flagellantur à Domino, quot crimina perficere audent, ſed verberati obmuteſcunt, & ſi loquuntur, voce demiſſa humilia verba proferunt. Antequàm Pharao immiſſis plagis fuiſſet afflictus, voce ſuperba dice-

Exo. 5. a

bat Moyſi. *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*, ſed verberatus mutauit ſententiã, *& vocauit Moy-*

Exod. 9.

*ſen, & Aaron, dicens ad eos. Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus, & ego, & populus meus impij. Orate Dominum, vt deſiſtãt tonitrua Dei, & grando, & dimittam vos, & nequaquam hic vltrà maneatis*. Quæ verba expendens Orig. ait. *Ecce Pharao duriſſimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum neſcit, verberatus ſupplicari pro ſe Dominum rogat. Diabolus dicit. Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. Sed vide in Euangelijs, quomodò verberatus emendet hanc*

Pharao verberatus ſupplicat, & reſipiſcere vult.

Orig. ho. 3. in Exod. tom. 1.

Mat. 8.

*vocem. Scriptum eſt enim. Quia clamauerunt Dæmones ad Dominũ, & dixerunt. Quid veniſti ante tempus torquere nos? ſcimus te quis ſis, tu es filius Dei viui. Vbi tormenta ſenſerunt, ſciunt Dominum. Ante flagella dicit, neſcio dominum, & Iſrael non dimitto, ſed poſtea Iſrael dimittit, & non ſolùm dimittit, ſed & ipſe perurgebat eum exire*. Sanctus etiam Auguſtinus, *quoties Pharaonem* (inquit) *Dei plaga percuſſit, afflictus pœnituit. At vbi ei remiſsio diuina indulgentiam dedit, iterum ſe in ſuperbiã elatus erexit. Hoc ergò credite fratres, quia quoties Dominus dixit, ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, niſi, Ego ſuſpendo plagas meas, & flagella; vnde eum per indulgentiam meam contra me indurare permitto*, Iraſcitur impius Hieroboan contra Prophetam, & *cùm audiſſet ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel: extendit manum ſuam dicens. Apprehendite eum*. Sed tactus de cœlo reſipiſcit, & humiliatur. Subditur. n.

Aug. ſerm. 88. de tempore tom. 10.

3. Reg. 13.

*Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit eam retrahere ad ſe. Altare quoq; ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, iuxta ſignũ, quod prædixerat vir Dei. Et ait Rex vt virũ Dei: Deprecare faciẽ Domini* Dei *tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi. Orauit vir Dei faciẽ Domini, et reuerſa eſt manus regis ad eũ, & facta eſt, ſicut prius fuerat*. Viri Niniuitę, quã-

Iona 4.

do ſecuritate fruebantur, voluptatibus indulgentes, itâ Deũ exacerbauerunt, vt minaretur, totam Ciuitatem ſe penitus euerſurum: Cum verò vnius Prophetæ voce ſubuerſionem Ciuitatis Dominus denũtiauit, commoti ſunt, & humiliati: veram pœnitendi normam in omnibus ſæculis futuris, atq; à Chriſto Domino prædicandam, in ſe ipſis oſtendentes.



dentes. Cùm de aduerſitatibus liberatus eſt Rex Ezechias, & in pro-

4. Reg. 20.

ſperitate maxima conſtitutus, in altum cor eius eleuatum eſt: quando verò in ægritudinem, ac morbum decidit, tunc humiliatus eſt, tunc proximus factus eſt Deo. Quid plura? Ipſe populus Hebræorum impinguatus à Deo Idololatriã ſequebatur: ſicut ſcriptum eſt. *Incraſſa-*

Deut. 32

*tus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo*: at ſerpentibus traditus, redijt ad Dominum,

Pſal. 77.

propheta dicente. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebãt ad eum*. Igitur anguſtiæ, flagella à Deo immiſſa, atq; hominum interfectiones, quædam ſpirituales ſunt medicinæ. Vn-

Hiere. 12.

de & Hieremias ait. *Congrega eos, quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis*. vbi (vt notauit Hieronymus) *tormenta ſanctificationem vocat eorum, qui torquentur. Sanctifica quippè eos (ait) in die interfectionis eorum, ideſt, per hoc, quòd interficis eos, ſanctifica eos. Quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Lege ſupradicta cap. 9. num. 89.

Hiero. ho. 8. in cap. 12. Hiere. tom. 2.

Hæb. 12 a

12 *Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te, & ſicut fauilla pertranſiẽs multitudo eorum, qui contra te præualuerunt*. Hęc verba duplicem habent ſenſum. Poſſunt enim primò ſic explicari, vt vaticiniũ quoddã aduerſus Sennacherib, & alios inimicos, qui præualuerunt aduerſus Ciuitatem ſanctam Hieruſalẽ contineat ad conſolationem Iudæorum: & in hac explicatione pulnis tenuis, & fauilla ad confuſionem refertur perſequentium Iſrael. Ac ſi dicat. Quamuis tanta, & tam terribilis ſit multitudo perſequentium te (ò Iſrael,) illi tamen tam facilè peribunt, & euaneſcent, ſicut puluis tenuiſſimus, & fauilla, quæ à vento rapitur, & diſſoluitur. Sic peribunt, & diſſoluentur Hæretici, qui contra Eccleſiam Chriſti pugnant, & eam ſubuertere conantur, ſedentes ſuper cathedram peſtilentię, de quibus ait Propheta. *Nõ ſic impij, nõ ſic, ſed tãquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*. Proijcientur enim non ſolùm à terra viuentium, quam deſiderabat Propheta, cùm diceret.

Hæretici peribunt, & proijcientur de Eccleſia vt puluis.

Pſalm. 1.

*Portio mea Domine ſit in terra viuentium*, ſed etiam a terra militantis Eccleſiæ per excommunicationis ſententiam ſeparabũtur ne modicũ fermentum totam maſſam corrumpat.

Pſ. 141. d

Apoc. 22

*Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium*. Expendendum eſt autem illud verbum, *ventilantium te*, quo deſignatur, hæreticos eſſe ventilatores Eccleſiæ, per quos Dominus probat electos ſuos: & ſanctã, atque catholicam doctrinam efficit clariorem. Nam dum inſurgunt, & aduerſus eam fremere incipiunt, veritas fidei, puritas illius, & ſinceritas magis eluceſcit: & aduerſantium ventilabro, ac perſecutionis vento triticum doctrinæ ſanę à paleis mittendis in ignem, hoc eſt ab infidelium erroribus ſeparatur.

Hæretici ſunt ventilatores Eccleſiæ, per quos probantur fideles *

1. Cor. 11. d

Iuxta quod & Paulus ait. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant*. Secundò poteſt hic locus explicari, ita vt non contra perſequentes ſanctam Ciuitatem, ſed aduerſus ipſos Iudęos loquatur, & explicet multitudinẽ maximam aduenientis exercitus, ac ſi dicat: ò Hieruſalem, exercitus, qui te circunda-

bit, adeò erit ingens, & copioſus, vt innumerabili puluerì, & fauillæ, per aera volanti non immeritò valeat comparari. Sic explicat ſanctus Hieronymus, cuius expoſitio conſonat trãſlationi ſeptuaginta Interpretum, quæ ſic habet. *Erunt ſicut puluis de rota diuitiæ impiorum, & ſicut lanugo, quæ rapitur, multitudo opprimentium te.* Vbi obſerua, quàm magna ſit virtus Dei, atq; omnipotentia illius, qui puluere minutiſsimo, & fauilla, ſeu lanugine, quæ debiliſsima ſunt, & infirma, Ciuitatem munitiſsimam, & quæ olim erat tamquam leo fortis, debellat, vt ſciant Iudæi, Deum eſſe, qui Ciuitatem oppugnabat, & dicant. *Digitus Dei eſt hic.* Dominus Deus exercituũ pugnat pro illis aduerſum nos. Nullum ergo relinquitur nobis effugium. vnde & ſubditur.

Hieron.

Dei fortitudo expẽditur.

Exod. 8. d

13 *Eritque repentè, confeſtim; à Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flamma ignis deuorantis.* Ecce quod ſupra dixerat. *Additus eſt annus ad annum.* Ecce quàm in proximo futura ſint, quæ Dominus aduerſus Ciuitatem comminatus fuerat. Ecce (inquit) venient *repentè, confeſtim*, ſicut tonitruum, ſicut cõmotio terræ. Nam in momento cõgregabit Dominus exercitum validum aduerſus te (o Hieruſalem) & dum ſecuri fuerint, capientur tui. Sic accidit Iudæis, etenim, vt refert Ioſephus, cùm ad celebrandum Paſcha confluxiſſent ex omnibus Vrbibus Iudeæ, præter ſpem circumuallati ſunt à Romanis. In tonitruo (inquit) viſitabitur. Hæc tonitrua edita ſunt, & ſimiliter hæc aeris commotio, & terræ motus in prædicta euerſione Ciuitatis, vt videre licebit apud Ioſephum lib. 6. de bello Iudaico cap. 31. Sequitur: *Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omniũ gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel: & omnes qui militauerũt, & obſederunt, & præualuerunt aduerſus eam.* Explicat quod dixerat ſupra. *Eritque repentè, confeſtim*, & ait, adeò repentè, & extemplo aduenturos hoſtes, cum Iudæi ſe tranquilla pace frui, & longè ab omni periculo exiſtimabant eſſe, vt ſomnium eſſe videatur. Sed quoniam partis victorijs fuerũt debellantes Iſrael in ſuperbiam erecti, arbitrantes, in fortitudine brachij ſui, & non Dei virtute Iudæos ſubiugaſſe, & eorum ſpoliis verè diuites factos fuiſſe, non attendentes omnia temporalia citò euaneſcere, nec ſatiare poſſe appetitum hominis, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt, ideò ſubditur.

Lib. 6. de bello Iud. cap. penultimo.

Ioſeph.

14 *Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius; & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquàm fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt. ſic erit multitudo omnium gẽtium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Senſus eſt. Obtinebunt quidem ò Iudæi, victoriæ palmam de vobis aduerſarij veſtri, Ciuitatem Sanctã debellantes, ſed ipſis etiam durum aliquando ſuperueniet iudicium, nec diuites, vt ipſi arbitrantur, euadent ſpoliis veſtris, quia vacui, & ſitibũdi, ac fameiici remanebunt, non ſecus atque ille, qui, dum eſurit, & ſitit, ſe comedere ſomniat, & bibere, manè autem facto, cùm fuerit excitatus à ſomno, famelicus inuenitur, & ſitiens, ſicut antea: Ita (inquit) eueniet illis, qui aduerſus vos dimicauerint. In hoc autem maximè ro-

Bona omnia temporalia conferuntur ſomnio.





boratur, & erigitur ſpes electorum, qui perſecutiones varias à tyrannis patiuntur: quia ſicut qui ſomnians in aliquo putat ſe eſſe periculo conſtitutum, valdè timet, & expaueſcit: at euigilans, ab omni prorſus anxietate liberatur, & iterũ gaudet, quia nullum reperit ſibi detrimẽtum accidiſſe: ità electi, quantumuis nunc vexentur ab impiis, eorum tamen exitium erit vt ſomnium; nam cùm euigilauerint, cùm nox præſentis vitæ terminata fuerit, ſe prorſus illæſos inuenient, & deridebunt perſecutores ſuos, videntes eorum ruinam, & conſiderantes, eorum gloriam, & potentiam vna nocte tanquam ſomnium euanuiſſe. Ad literã hoc ità contigit Sennacherib, cuius exercitus magna parturiens, vna nocte tanquam ſomnium periit. Idipſum quotidie experimur in diuitibus huius ſæculi. Audi quid acciderit illi, cuius ager vberes fructus attulit. *Cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit. Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Sed quoniam omnia bona, quæ poſſidebat ille, erant vt ſomnia; dictum eſt ei. *Stultè hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Somnias te habere multa bona repoſita in annos plurimos, ſomnias, te quieſcere, comedere, bibere, & epulari; ſed cùm euigilaueris, vacua erit anima tua, ſicut ſcriptum eſt. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus ſuis,* Eos, qui theſaurizant in hoc ſæculo,

Tribulationes præſentis vitæ ſunt velut ſomnium.

Lucæ 12 c

Pſ. 17. a

& non ſunt diuites in Deum, viros diuitiarum dixit, quia diuitijs tanquam illarum ſerui, ſunt ſubiecti, quia diuitiæ corda eorum poſſidẽt, & ſunt illis ſuperiores: cùm tamen homo, vtpotè ad ſimilitudinem Dei factus, præeſſe debuiſſet diuitijs. Neceſſe ergò erit, vt tandem ipſi cum diuitijs pereant. *Ecce ipſi peccatores* (ait Propheta) *& abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias.* Abundantes eos vocat, ſed in ſæculo, ſed in nocte præſentis vitæ, ſed inter ſomnia. Nam cùm euigilaſſent, pauperes, & miſeri inuenti ſunt. Vnde, & cũ quadam admiratione ſubdit. *Quomodo facti ſunt in deſolationem: ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium, Domine in Ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Quem locum exponens Beatus Auguſtinus ait. *Quomodo defecerũt? Quomodo deficit ſomnium exurgentis. Fac hominem videre in ſomnis ſe inueniſſe theſauros, diues eſt, ſed donec euigilet. Veluti ſomniũ exurgẽtis, ſic defecerunt, quomodo ſomnium euigilantis. Quæritur igitur, & non eſt, nihil in manibus, nihil in lecto. Pauper dormierat, diues in ſomnis factus fuerat. Si non euigilaſſet, diues eſſet. Euigilauit, inuenit ærumnam, quam dimiſerat dormiens. Et iſti non inuenient miſeriam, quam ſibi comparauerant? Cùm euigilauerint de hac vita, tranſit illud, quod quaſi ſomno tenebatur, veluti ſomnium exurgentis. Et ne diceretur: Quid ergò? Parua tibi videtur claritas eorum, parui tibi videntur tituli, imagines, ſtatuæ, laudes, cunei clientum. Domine (ait) in Ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.* In Ciuitate tua (inquit) ad nihilum redigetur eorum imago, in

Pſa. 72.

Aug. to. 8. ſuper eundem pſal.

illa videlicet Hieruſalem cœleſti. Nam in Ciuitate ſua magna videbatur, & ſplendida. Par igitur eſt ratio diuitum huius ſæculi, & eorum, qui diteſcunt in ſomno, immò & deterior; nam (vt obſeruauit Chryſoſtomus) qui per ſomnum diteſcit, caret quidem, quibus videbatur potiri, ſed ſurgens nihil mali ex ſomno illi accidit. Diues verò & caret pecunia, & vitijs, quę comitantur opes, abundat. Rurſum in ſomnis voluptas quædam eſt, hic autem extremam pœnam habent diuitiæ comitem, dū poſſeſſor earum mille perturbationibus, curis, anxietatibus, conuitijs, & tumultibus eſt expoſitus. Nec dubitandum, quin ſpiritus ſanctus propterea aquæ fluenti diuitias contulit, quia veluti aquæ fluminis dilabuntur. Ait.n. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*. Si affluant (inquit) ſi ad modum torrentis pertranſeant. *Admirare vocem* (ait Chryſoſtomus.) *Fluxa eſt diuitiarum natura, torrente citiùs præterlabitur habentes, alios alio modo apta mutare dominos. Quemadmodum fluuius, qui ab alto fertur, appropinquat quidem adſtantibus ripæ, ſimul verò vt contingit, ſtatim ſecedit; ſic etiam diuitiarum promptitudo celerrimum, ac lubricum habet acceſſum, alios ex alijs permutare ſolens. Hodie huius eſt ager, cras alterius.*

Ex Sanct. Chryſ. homil. 36. ſuper primā Epiſtolam ad Corin. col. vltima to. 2.

Pſal. 61.

Chryſ. ſuper eundē pſal. to. 1. Diuitiæ aquæ fluēti conferūtur.

15 *Sicut & anima eius vacua eſt.* Creauit Deus hominem de limo terræ, vt admoneret, illum terram eſſe & in cinerem reuertendum. Cū autem Deus cœlum perfectum, ſtellis ornatum, & abſolutum creauerit, terram tamen deformem condidit, inanem, & vacuam. Ait enim. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua*. Nec id temere factum eſt: ſed vt ſciamus, quoniam ſi terrena quærimus, & diligimus: inanes, & vacui, ſicut eſt terra, de qua ſumpti ſumus, efficimur. Si. n. qui amat terram (vt Auguſtinus ait) terra eſt, inanis etiā, & vacuus erit, ſicut & ipſa terra, quā amat, inanis, & vacua eſt. Hinc S. Chryſoſtomus nos admonet, vt cū ex terra, bona, quæ profert, temporalia ad ſuſtentationē vitæ ſuſcipimus: non illa telluris imputemus naturæ, ſed ei, qui terram ex nihilo creauit. Propterea namque inuiſibilis creata eſt, & inculta, inanis, & vacua. Hinc etiam Salomon ait. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, quia ſicut terra inanis erat, & vacua, ita omnia, quæ profert, quantumuis pulcherrima, & pretioſa videantur, vana ſunt, immò & vanitas vanitatum, niſi ad illum, qui fecit cœlum, & terram referantur. *In hac uanitate intimanda*, (vt Auguſtinus ait) *totum librum Eccleſiaſtes vir ſapientiſſimus deputauit, non vtique ob aliud, niſi vt eā vitam deſideremus, quæ vanitatem non habet ſub hoc ſole ſed veritasem ſub illo, qui hunc fecit ſolem.* Si autē noſſe deſideras rationē, propter quā omnia bona creata animam noſtram implere non poſſunt, nec appetitum illius ſatiare, ſed vacua ſemper remanet, & inanis, quoad vſque ſuo principio per viſionem beatam coniungatur, eam inuenies apud D. Thomam. Ait enim. *Poteſt voluntas moueri ſicut ab obiecto, à quocumque bono, non autem ſufficienter, & efficaciter, niſi à Deo; Non enim ſufficienter aliquid poteſt mouere aliquid mobile, niſi virtus actiua mouentis excedat, vel ſaltem adæquet virtutem paſſiuam mobilis. Virtus autem paſſiua voluntatis ſe extendit ad bonum in vniuerſali. eſt enim eius obiectum bonum vniuerſale, ſicut & intellectus obiectum*

Terra inanis & vacua creatur & quare. Gen. 1. a

Chryſ. ho. 2. in gen.

Eccleſ. 1

Aug. lib. 20. de ciu. Dei, cap. 3 tom. 5.

Bona temporalia nō poſſūt volūtatē creatam ſatiare, & quare.

S. Thom 1 par. q. 105. arb. 4 in corpore.



*ctum eſt ens vniuerſale. Quodlibet autem bonum creatum eſt quoddam particulare bonum: ſolus autem Deus eſt bonum vniuerſale. Vndè ipſe ſolus implet voluntatem, & ſufficienter eam mouet, vt obiectum.* Sicut ergo nulla forma rerum corruptibiliū, quantumuis in ſe ipſa ſit perfecta, explet appetitum materiæ, quia non adæquat potentiam, & capacitatem illius: ita nulla res creata ſatiare poteſt appetitum intellectualis naturæ, quia non adæquat potentiam, & capacitatem illius. Materia autem cœli ſatiatur forma, quam habet, neque appetit vniri alteri formæ, quoniam ſatiatur, & expletur omnis eius capacitas, & potentialitas per actum, quē habet. Hinc eſt illud, quod dicit ſapiens. *Non ſatiatur oculus viſu, neque auris auditu impletur*, quia videlicet bonum illud, quod replet in bonis deſiderium noſtrum, eſt ſuper omne viſibile, vel audibile: immò & ſuper omnia, quæ mens humana poteſt concipere, *ſicut ſcriptū eſt, Quòd oculus nō uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcēdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Sed Propheta Regius, *Satiabor* (inquit) *cùm apparuerit gloria tua*, innuens ſolùm illud, quod eſt omne bonum, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factum implere poſſe.

Eccl. 1. B.

1. Cor. 2. b.

Iſ. 64. b.

pſ. 16. d.

16 Vndè & ſponſus in Canticis dilectam ſuam admonet dicens. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuū, vt ſignaculum ſuper brachia tua.* Figuram, & imaginem, ceræ, vel alteri cuicunque materiæ ſigillo impreſſam nihil aliud ſatiare valet, neque adimplere, niſi ipſum ſigillum, cuius ſimilitudinem retinet. Quòd ſi aliud forſitā admoueris, nouam imprimet effigiem, & præexiſtentem delebit, aut deformabit. Cùm ergo ad imaginem Dei factus ſit homo, ſecundum illud, quod canit pſalmiſta. *Signatū eſt ſuper nos lumē vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* & ſimiliter Angelus, de quo dicit Scriptura: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delitijs Paradiſi Dei fuiſti*, quis poterit vtriuſque capacitatem implere, niſi ſolus Deus, qui imaginē ſuam, & ſimilitudinem impreſſit in illis? Ideò ait. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, ne, quem habes, decorem, & pulchritudinem amittas imaginis diuinæ. Superaddidit autē, *vt ſignaculum ſuper brachia tua*, quia non ſolùm intus in mente, ſed etiam exterius in operatione imaginem Dei oportet retinere. Vnde Bernardus *in corde* (inquit) *ſunt cogitationes, & in brachio operationes; ergo ſuper cor, & ſuper brachium ſponſæ dilectus in ſignaculum ponitur, quia in ſancta anima, quantum ab ea diligatur, & voluntate, & actione deſignatur: quia amor Dei nunquam eſt otioſus, ſi verè eſt amor, magna operatur;* Et S. Greg. ſuper cant. 5. idē & eiſdem verbis dicit, ſed ſubdit. *Signum quippe ſancta mens interius & exterius Chriſtum portat, quia dum in eius meditationibus aſſiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non ceſſat, quo eius dilectam eſſe dubitari non debeat. De quo ſigno ipſe ſponſus diſcipulis ſuis aiebat: In hoc cognoſcent omnes, quia vere mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Eſt & aliud in prædictis verbis myſterium reconditum, quod ille nobis adaperire dignetur, qui Apoſtolis ſuis aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas. Habet quidem ſignum ex impreſſione ſigilli in cera relictum partes, vacuas habet & plenas: & vtraſque in ſigillo ipſo

Cant. 8.

Volutatē hoīs solū Deū ſatiare poſſe explicatur exēplo ſigilli.

Pſal. 4. a.

Ezech. 28. c.

Bern. lib. q inſcribitur. Mod' benè viuēdi, ad ſororē, ſer. 51.

Greg. ſup. c. 8. cant.

Virtus intus & extra ſplendeat.

Ioan.

cernere licet, aliter tamen, & aliter. Nam partes vacuę ſigni impreſsi correſpondent plenis ipſius ſigilli; è conuerſo autem illæ, quæ in ſigillo ſunt vacuæ, in imagine expreſſa plenæ relinquuntur. Itaque plenum ſigilli eſt vacuum in cera ſigillata, & vacuum ſigilli eſt plenum in illa. Hæc in præſenti reperies, ſi attentè ſigillum, & imaginem eius conſideres. Sponſus,

Cãt.8.b.

qui dixit. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, eſt Deus, & homo. Si diuinitatem ſpectes, omnia ſunt plena in illo, omnia perfecta, de quo teſtimonium perhibet, qui dixit.

Ioã.1.a. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*

Ibid. B. *Verbum. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenũ*

Coloſ. 2. b. *gratiæ, & ueritatis.* Et rurſus: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Ex his plenis capacitas quædam relicta eſt in anima noſtra, vt ad cognitionem, & dilectionem Dei ſupernaturalẽ eleuari poſſit, & ad viſionem beatificam illius; quia impreſſum eſt ſigillum plenitudinis diuinitatis ſuper illam.

Incarnatũ verbũ cõparatur ſigillo, aĩa noſtra ceræ. *

Vndè & Auguſt. ait, *poſſe habere fidem naturæ eſt hominũ*, quia naturaliter ineſt illi quoddam vacuum reconditum, quod niſi viſione Dei clara impleri nequit. & in alio loco inquit. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniamus ad te*. Si verò humanitatem conſideres iam in illo reperies, vndè proueniat

Iſai. 53. a. plenitudo, & perfectio animæ tuæ. *Non eſt ſpecies ei, neque decor* (ait Propheta) *& uidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eũ, deſpectum, & nouiſſimum uirorum, uirum dolorum, & ſcietem infirmi-*

Phil. 2. a. *tatem*. Rurſus Apoſtolus ait. *Exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo.* Ecce quę videntur in ſigillo vacua, quæ apparent deſpecta, & infirma: ſed ex his oĩs noſtra plenitudo procedit. Dicit enim idem Apoſtolus.

1.Cor.1. d.

*Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Et iterum. *Deſcendit in inferiores partes terræ, vt adimpleret omnia*. Et qui vidit eum virum dolorũ, & ſcientem infirmitatem, teſtificatur, dicens. *Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum*, innuens ex meritis humanitatis, & humilitatis eius, animam iuſti, quæ templum eſt Dei, & ſedes ſapientiæ, immò & cœlum ipſum gloria repleri, de quo vide ſupra dicta cap. 6. nu. 7. 8.

1 Cor.1. d. Eph.4.b Iſa. 6.

Chriſti humilitas eſt plenitudo aĩæ noſtræ.

17 *Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino, mouemini, & non in ebrietate; quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* Conuertit ſermonem contra Iudæos incredulos, & ſpecialiter cõtra Principes, & Sacerdotes, qui verba Domini, & Prophetarum oracula deridebant, falsò ſibi inter tot pericula ſecuritatem promittentes: denuntiatque illis vltimam pęnam, quam in hac vita ob multiplicata delicta intulit eis Dominus, tradendo eos in reprobũ ſenſum. *Obſtupeſcite*, (inquit) id eſt obſtupeſcetis, ſeu ſtupore quodam manebitis inſenſibiles. *Admiramini*, id eſt, admirabimini, neſcientes cauſam, vndè ſtupor veſter prouenerit. *Fluctuate, & vacillate*, id eſt fluctuabitis, & vacillabitis tanquam homines ignari, & expertes conſilij, neſcientes, quo poſſitis animum flectere. Omnia enim verba iſta, vt c. 6, num. 34. ſuperius diximus, & ſimiliter ſubſequentia, quamuis imperatiua, & præſentis temporis videantur, ſenſum tamen habent indicatiuum, & propheticum cæcitatis, & obſtinationis

tionis



tionis Iudæorum, multò poſt tempore futuræ, de qua ipſe Dominus ait:

Mat.15 b. *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent.* Nonne fluctuare, & vacillare viſi ſunt, cum di-

Ioã.11.f. cerent: *Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eũ ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Vatablus, pro obſtupeſcite &c. transfert. *Facite vos ipſos tardos, & obſtupeſcite: oblinite vobis ipſis oculos*; quibus verbis ſignificatur, Iudæorum cæcitatẽ ex propria eorum volũtate malitioſè prodijſſe. Et quoniam cæcitas iſta & obduratio futura erat maxima, cũ tot miraculis, tot verbis, &, quod magis mirandum eſt, inculpabili vita, & cõuerſatione Chriſti toties fuerint admoniti, neque in eis hæc aliquid profuerint: ideò tot verborum apparatu eam explicat Propheta. Sed ſpecialiter expẽde diſſimilitudinem illam, qua in explicatione huius cæcitatis vtitur, videlicet, *inebriamini*, id eſt inebriabimini, & *non à vino: mouemini*, id eſt, mouebimini huc, atque illuc tanquam homines mente capti, *& non ab ebrietate*. Etenim vt obſeruauit Gregorius Nazianzenus, hac phraſi voluit ſignificare cæcitatem Iudæorum, multo tempore duraturam, donec videlicet plenitudo gentium intraret. ac ſi apertiùs diceret: Ebrietas veſtra, o Iudæi, nõ erit ſicut illa, quæ à vino, vel ſicera procedit; hæc enim paruo durat tempore, quamdiù videlicet vinum digeritur, quo mens obruitur, & occupatur; illa autem veſtra, non niſi cum Dominus ſua miſericordia voluerit auferre velamen de corde veſtro, terminabitur, durabitque per generationes multas. Quod ad literam adimpletum videmus;

Iudæorum cæcitas lõgo tẽpore durabit. * Greg. Naziãz. 1 ſer. de plaga grandinis.

nam (vt inquit Paulus) *Adhuc velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Eadẽ diſſimilitudine vſus eſt Sanctus Petrus Apoſtolus dũ ad explicandum, non ad tempus, ſed vt perpetuò maneret in Apoſtolis, & diſcipulis, quos confirmauit in gratia, aduenifſe de cęlis Spiritum Sanctum, ait. *Non ſicut vos æſtimatis hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetã Ioel: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus: effundã de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ ueſtræ, & iuuenes ueſtri uiſiones uidebunt, & ſeniores ueſtri ſomnia ſomniabunt*, ſignificans, ebrietatem illam non eſſe corporalem, quæ à vino procedit, & citò tranſit: ſed ſpiritualẽ, qua Dei gratia repleti, & adhærentes Deo, vnus ſpiritus efficiuntur cum eo.

2.Cor.3. d. Act.2.b.

Spiritu sãcto repleti quare dicãtur ebrij, ſed non à vino.

18 *Quoniam miſcuit uobis Dominus ſpiritum ſoporis.* Vatablus, *Quoniam miſcuit uobis Dominus ſpiritum alti ſoporis.* Pagninus. *Quoniam operuit vos Dominus ſpiritu ſoporis.* Septuaginta interpretes. *Quoniam potauit vos Dominus ſpiritu compunctionis.* Et iuxta hanc tranſlationem adducit Sanctus Paulus præſentem locum ad cæcitatem Iudæorum comprobãdam, cum ait.

Rõ.11.b. *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt, cæteri uerò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt. Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.* Quibus verbis alia ſuperaddidit ad maiorem explicationem deſumpta ex Iſaiæ cap. 6. Videlicet. *Oculos ut non uideant, & aures, ut nõ audiant uſque in hodiernum diem.* Igitur per ſpiritum ſoporis, ſomnum quendam mortalẽ intelligit, intellectum eorum, & voluntatem

Iudæorum ſopor quã grauis.

 tatem

ſatem oculos, & aures, cæteroſque ſenſus tam interiores, quàm exteriores occupantem, à quo nec vocibus diuerſis, quantumuis multiplicẽtur, nec plagis, nec varijs torturæ generibus potuerunt excitari. Talis fuit ebrietas,& ſopor Iudæorum. Clamauerũt Prophetæ, clamauit Chriſtus, clamauerunt Apoſtoli. Multa flagella venerunt ſuper eos, fames, peſtis, gladius, nec defuerunt exilia: & adhuc inſenſibiles remanent. *Percuſſiſti eos* (ait Hieremias) *& non doluerunt: Attriuiſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti*. In textu autẽ Hebræo habetur תַּרְעֵלָה, quod verbum, vt refert Leo de Caſtro, iuxta interpretationem Rabi Abraham ſignificat vinum claudens cor, & excæcans: & ſecundum Rabi Dauid deſignat vinũ venenatum, mortiferum, & tremoris, quia quando illud bibit homo, tremit moriturus, vi veneni concuſſus. Et (vt ſentit Rabi Selomoh) ſignificat vinum venenatum, operiẽs cor, auferens intellectum, & ſenſum. Et certè eſt mirabile, quod peritiſſimi inter ipſos Iudæos hæc ſcribant de ſpiritu illo ſoporis, quem in præſenti loco illis denuntiauit Iſaias: & tamen non intelligant, neque aduertant, ſe tali ſopore occupatos eſſe, & oppreſſos. Illud autem verbum *compunctionis*, quod pro ſopore tranſtulerunt Septuaginta, ſignificat habitũ quendam animi in malo fixam tenẽtem ipſam animam, ac ſi aliquis clauis trabalib⁹ affigeretur alicubi. Sic interpretatur Beatus Chryſoſtomus. *Compunctionem* (inquiens) *hic dicit habitum quendam animæ ad id, quod peius eſt, immedicabiliter, & immutabiliter ſe habentem. Quandoquidem & Dauid alibi dicit: Vt pſallat tibi gloria mea, & non compungar: hoc eſt, non immutabor, non deſiſtam. Quemadmodum enim is, qui in pietate compungitur, non facilè in aliud transfertur; ſic & qui in malitia compungitur, non facilè immutatur. Compungi ſiquidem nihil eſt aliud, quàm quaſi incuſſo clauo ad aliquid infigi, ſolideque compingi. Vt igitur immedicabilem mẽtis illorum morbum, immutabilemque ſignificanter exprimeret, ſpiritum ſoporis poſuit.* Eadem eſt interpretatio Oecumenij, & Theophilacti. Et, vt vnico verbo, quæ dixit Chryſoſtomus, comprehendam, ſpiritus compunctionis ſignificat animam, ſeu mentem pertinacem, obfirmatam, & fixam in malo. Lege quæ de cæcitate, & obduratione Iudæorum notaui c. 6. à num. 34. vſque ad numerum 48. Quod autem ait, *dedit eis*, non operationem quandam Dei, quæ propriè ſit cauſa excæcationis, & obſtinationis Iudæorum, ſed conceſſionem quandam, vt dicit Chryſoſtomus loco citato, ſeu permiſsionem, & ſubtractionem auxilij diuini ſignificat. Quam explicat optimè S. Tho. 1.2.q.79. ar.3. Et nos cap. 6. num. 48. 49. & 50. alias duas ex multis Doctoribus adduximus interpretationes, quæ ad plenam intelligentiam huius loci maximè conducunt.

Hierẽ. 5 a.

Chryſoſt. hõ. 21. ſup cap. 11. ad Rõ. col. 2.

*Pſal. 29 d.*

Oecumenius, Theophylactus.

19 Poteſt etiam non inconuenienter per ſpiritum compunctionis zelus inuidiæ intelligi, pungens tanquam aculeus Iudæorum corda, & viſcera eorum transfigens, atque dilacerans, dum vident gentes participes fieri ſpiritualium bonorum, quibus ipſi ob incredulitatem ſuam expoliati ſunt. Hanc inuidiæ compunctionem prædixit Oſeas, cum ait. *Voca nomen eius non populus meus, quia vos non populus meus, & ego*

Inuidiæ zelus compunctionis ſpũs dicitur quia pungit cor inuidi.

*Oſeæ. 1. d*

*non*



*non ero veſter Deus. Et erit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur. Et erit in loco, vbi dicetur eis, non populus meus vos: dicetur eis, filij Dei viuentis.* Et illius meminit Apoſtolus, cum ait. *Nunquid Iſrael non cognouit? Primus Moyſes dicit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem inſipientem, in iram vos mittã.* Eſaias autem audet, & dicit. *Inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui eis, qui me non interrogabant.* Ad Iſrael autem dicit. *Tota die expandi manus meas ad populũ non credentem, ſed & contradicentẽ mihi.* Quę verba exponens Beatus Ambroſius ait. *Aemulatio illis data eſt inuidentiæ, dum vident gentem, quæ prius, quia ſine Deo fuit, ſenſu bruta erat, Deum ſuum appellare, qui fuerat Iudæorum, & donum illis promiſſum aſſecutam, per quam zelum paſſi iracundia diſtenderentur, vt malitiæ, & incredulitatis ſuæ mercedem exſoluerent. Nulla enim res ſic conſumit hominem, niſi zelus, quem ideò Deus vltorem poſuit incredulitatis, quia graue peccatum eſt; nam ſemper in ira miſſi excruciantur, quando audiunt legem, & Prophetas ad nos pertinere, qui in Chriſtum credimus.* Hac ergo inuidia compuncti Iudæi receſſerunt à fide, & noluerunt Eccleſiam Catholicam cum populo gentili intrare, non ſecus atquę filius ille ſenior, qui indignatus, eo quòd pater eius in aduentu filij iunioris occidit vitulũ ſaginatum, & ſaluum illum recepit, appropinquauit domui, & nolebat introire. Conſimili zelo Iudæos vſq; in hodiernum diem Deus excruciat. Nec tamen intelligas, Deum zelum iſtum, & inuidiam interius immiſiſſe propriè in corda Iudæorum, ſed occaſio dumtaxat fuit illius, proponendo eis interiùs, & exterius innumerabilia beneficia miſericorditer gentibus collata, inductiua ſecundũ ſe ad bonum, quibus tamen ſua malitia Iudæi vſi ſunt ad malum vt explicatum eſt cap. 6. num. 50.

*Rom. 9. c.*

*Deuter. 32.*

*Eſa. 65.*

*Ibidem. a.*

Ambr. ſup c 9. Rom. tom. 2.

Iudæi noluerũt Eccleſiã intrare.

*Luc. 15.*

20 *Claudet oculos veſtros Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet*, id eſt, quoniã tanta eſt ebrietas veſtra, cæcitas, & obduratio, vt verba Prophetarum, immò & ipſius Domini in carne aſſumpta vobis loquentis nolueritis audire, nec intelligere myſteria Regni cœleſtis vobis propoſita, ac multis miraculis confirmata; faciet vos Deus verè ſtupidos, & cæcos, & cælabit vobis verba Prophetarum, ne intelligatis myſteria ab illis prædicta. Hoc fuit ad litteram adimpletũ, cum interrogãtibus diſcipulis, quare loqueretur turbis in parabolis, reſpondit. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant*, O Sors infœlix Iudæorum, o infęlicitas deploranda. Quando Sol Iuſtitiæ eſt ortus nobis, quando aperuit Apoſtolis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, quando liber inuolutus fuit alijs expanſus per mortem Chriſti, & explicatus, tunc obtuſi ſunt ſenſus, tunc excæcati ſunt oculi eorum, & ſcripturæ ſacræ illis magis clauſæ, & inuolutæ. Quando agnus occiſus eſt, aperuit librum, & ſoluit ſeptẽ ſignacula eius, quando illuminauit omnẽ hominem venientem in hunc mundum, ipſi in luce eius magis, ac magis obtenebrati ſunt. Sed non mirũ. Nam malitia eorum, & inuidia excæcauit eos. Nam inuidi in luce alięna obſcurantur, atque in beneficijs

Iudæis clauſæ ſũt ſcripturæ ſacræ quæ referantur gentibus.

*Mat. 13 b.*

*Luc. 8.*

alijs

aliȷs exhibitis duriores fiunt. Tales
fuerunt Iudęi, quos propterea San-
Greg. 18. ctus Iob (vt notauit Gregorius) lapi
moral. 18. dem caliginis, & vmbram mortis
appellauit; quia crudelitate, & inui
dia duri extiterunt, & infidelitate
nebuloſi, atque adeò diuiſi,& ſepara
ti à populo fideli,de quo Paulus ait.
2.Cor.5. b. *Quamdiù ſumus in hoc ſeculo,pere-
grinamur à Domino*. Vndè non im-
meritò poterit Scribis, & Phariſæis
adaptari illud, quod de viris ſtultis
Iob.5. c. ſcriptum eſt. *Per diem incurrent te-
nebras, & quaſi in nocte ſic palpa-
bunt in meridie*: Super quem locum
Gregor. 6. mor. 23. Beatus Gregorius, *Per diē* (inquit)
*tenebras incurrunt, quia in ipſa ve-
ritatis præsentia perfidiæ errore cæ-
Iudæi in meridie palpant. cati ſunt. Clarè quippè per diem
cernitur, per noctē vero noſtra acies
obſcuratur. Perſecutores igitur Re-
demptoris noſtri, dum diuinæ virtu-
tis miracula cernerent, & tamen de
eius diuinitate dubitarent, in die
tenebras paſſi ſunt, quia viſum in lu
ce perdiderunt. Hinc eſt, quòd eos ip-
Ioan. 12 ſa lux admonet, dicens. Ambulate,
dum lucem habetis, ne vos tenebræ
comprehendant. Hinc eſt, quòd de
Hier. 15 Iudæa dicitur: Occidit ei ſol, cum ad-
huc eſſet dies. Hinc eſt, quòd vocem
pœnitentium in ſe Propheta iterum
Iſa. 56. ſumit, dicens. Impegimus meridie,
quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi
Iſa. 21. mortui. Hinc iterum dicit: Cuſtos
quid de nocte, cuſtos quid de nocte?
Dixit cuſtos. Venit manè, & nox.
De nocte etenim cuſtos venit, quia
humani generis protector, & mani-
feſtus in carne apparuit, & tamen
hunc preſſa perfidiæ ſuæ tenebris Iu
dæa minimè cognouit. Vbi benè ex
voce cuſtodis additur: Venit manè,
& nox, quia per eius præſentiam
& noua lux mundo inclaruit; & ta-
men in corde infidelium vetuſta cæ-
citas remanſit. Benè autem dicitur:
Quaſi in nocte, ſic palpabunt in me-
ridie. Hoc quippè palpando exqui-
rimus, quod oculis non videmus. Iu-
dæi autem aperta eius miracula vi-
derant, & adhuc eum quaſi palpan-
tes quærebant, cùm dicerent. Quouſ- Ioan. 10
que animam noſtram tollis? Si tu es
Chriſtus, dic nobis palàm. Ecce mi-
raculorum lux ante oculos aderat,
& tamen in cordis ſui tenebras offen
dentes, adhuc requirendo palpabant.*
Applaudit huic explicationi verſio
Vatabli. *Et conſtrinxit oculos ve-
ſtros: prophetas veſtros & præcipuos
veſtros videntes obtexit*. quaſi dicat,
Principes veſtros, qui præuidere de-
bebant incommoda, obruit ignoran
tia ſumma, quā per conſtrictos ocu-
los deſignauit. Oculi namque clauſi
ſplendorem ſolis vtcunque ſentiunt,
quem, ſi conſtringantur, nullatenùs
perſentire valent. Vt autem explicet
accommodatiſſima ſimilitudine ob-
ſtinationem, & cæcitatem Iudæorū:
& qualiter libri Prophetarum clauſi
& operti illis remanſerint, ſubdit.

21 *Et erit vobis viſio omnium
ſicut verba libri ſignati, quem cùm
dederint ſcienti litteras, dicent; lege
iſtum, & reſpondebit: Non poſſum,
ſignatus eſt enim. Et dabitur liber ne
ſcienti litteras, diceturq; ei: Lege, &
reſpondebit. Neſcio literas*. Duo in
præſenti diſtinguit hominum gene-
ra, qui verba Dei, atque myſteria Re
gni cœleſtis in Scriptura Sacra reſe-
rata intelligere non valent. Alterum
eorum, qui ſciunt literas, & verborū
ſignificationem cognoſcunt: tamen
in manibus eorū ponitur liber clau-
ſus, & ſignatus, quem cùm ſoluere, & Iudæi ſcie
aperire non poſsint, ieiuni manent, bāt literas,
& ignari omnium eorum, quæ ſunt in ſed liber
libro conſcripta. His cōfert Iudæos, Scripturæ
& potiſsimè Principes, & Phariſæos, clauſus e-
erat eis.

atque



atque legis Doctores, qui quantum-
uis eruditi fuerint in lege, & ab in-
fantia ſacras literas didicerint, & li
brum veteris teſtamenti in manibus
habeant, & quotidie illum inſpiciāt,
& ſingulis ſabathis in ſynagogis eo-
rum proponatur: nihil tamen legere
poſſunt, neque intelligere omnium
eorum, quæ in libro cōtinentur, quo-
niam clauſus eſt illis, & obſignatus.
Librum quidem ſuper humeros por
tant, & obſtragulum, ſeu operimen
tum intuentur illius, atque eiuſdem
libri ornamenta exteriora, & figuras
depictas, ſed non datum eſt illis, nec
conceſſum, quę ſcripta ſunt in libro
perlegere. Aliud verò genus eſt ho-
minum, neſcientium literas, quibus
licet in conſpectu omnium detur li-
ber apertus, & reſeratus, & dicatur
illis: Legite, quæ ſcripta ſunt intus
in libro iſto, reſpōdebunt. Neſcimus
literas, neque earum ſignificationē
Pagani qa neſciunt li teras, librū apertum.i. Chriſtum non intelligunt. cognoſcimus. Iſti ſunt Pagani, atque
cæteri infideles, quibus Chriſtus cru
cifixus proponitur, & liber Scriptu-
ræ per mortem illius, vt cap. 8. nu. 5.
diximus reſeratum. Intuentur librū,
& lineamenta conſpiciunt, ſed quo-
niam ſcripturæ vim non intelligunt,
neque agnoſcunt, quid ſignificēt ea,
quæ oculorum ſenſu percipiūt, char
tam dumtaxat, & atramentum di-
ſcernunt. Hinc & Paulus ait. *Loqui-
1. Cor. 2 b. mur Dei ſapientiā in myſterio, quæ
abſcondita eſt, quam nemo Principū
huius ſæculi cognouit*. Nemo (in-
quit) cognouit Sapientiam, quam
prædicamus, Chriſtum videlicet cru
cifixum, qui virtus Dei eſt, & Dei ſa
Iob. 28. d. pientia. *Hæc enim* (vt inquit Iob)
*abſcondita eſt ab oculis omnium vi-
uentium*. Latet Iudæos, quoniam
liber, in quo ſcripta eſt, clauditur
illis. Latet Paganos, quia neſciunt li
teras. Ideò ſapientiam iſtam abſcon
ditam, myſterium eſſe dixit Apoſto-
lus; quoniam aliud quidem pręſefert
in manifeſto, & aliud reconditum
habet, & latens in occulto, vt ele-
gantiſsimè Beatus Chryſoſtomus ex
plicat, cuius verba adduximus c. 5.
nu. 4. His duobus generibus hoīum Apoſt. & fidelibus datū eſt noſſe myſteria regni cœleſtis.
tertium adiūxit Sanctus Paulus, eo-
rum quibus *datum eſt noſſe myſteria
regni cœleſtis*, & librum apertum, &
reſeratum nō ſolum videre, ſed etiā
euoluere, & quæ in illo conſcripta
ſunt, intelligere. Hi fuerunt Apoſto-
li, & Euangeliſtæ, & omnes fideles
ſacra vnda baptiſmatis perfuſi, de
quibus Paulus ait. *Nos autem præ-* 1.Cor.1.
*dicamus Chriſtum crucifixum, Iu-* c.
*dæis quidem ſcandalum, gentibus au
tem ſtultitiam; his autem, qui ſalui
fiunt, ideſt nobis, Chriſtum, Dei vir-
tutem, & Dei ſapientiam*; Et iterum: 1.Cor.2.
*Quod oculus non vidit, nec auris au-* c.
*diuit, neque in cor hominis aſcendit,
quæ præparauit Deus his, qui diligūt
illum, nobis autem reuelauit per Spi
ritum ſuum*. Et rurſus loquens de di
ſpenſatione, & gratia Dei. *Quod aliȷs* Epheſ. 3
*generationibus* (inquit) *non eſt agni* a.
*tum*, filiȷs hominum, ſicut nunc, *reue
latum eſt ſanctis Apoſtolis eius, &
Prophetis in Spiritu, gentes eſſe cohæ
redes, & concorporales, & compar-
ticipes promiſſionis eius in Chriſto
Ieſu per Euangelium*. Vndè & Chri
ſtus Dominus ad Patrem loquēs ait. Mat. 11
*Confiteor tibi pater Domine cœli, &
terræ, quoniam abſcondiſti hæc à ſa-
pientibus, & prudentibus, & reue-
laſti ea paruulis. Ita pater, quoniam
ſic placitum fuit ante te*; Ecce quæ
Iudæis inuoluta erant, quæ infideli-
bus ſunt clauſa, quæ principibus hu-
ius ſæculi ſūt incognita, nobis Deus
miſericorditer reuelauit. Hinc Hie-
remias ait. *In nouiſſimo die cognoſce* Hier. 23
*tis eum vos*. Quod adimpletum eſt, e.

cùm

Hebr. 1. a.

cum *nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis Deus in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quē fecit & ſæcula:* & ſpecialiter complebitur in fine ſæculi, quando à cordibus Iudæorum auferetur velamē, vt cognoſcant Dominum, quem neſcientes ſuſpenderunt in ligno. Hinc

Dan. 12 b.

& Danieli dictum eſt. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum, vſque ad tempus ſtatutum, Plurimi pertranſibūt, et multiplex erit ſcientia.* Et paucis interiectis. *Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad præfinitum tempus: eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porrò docti intelligent*, id eſt: Librum, in quo hæc, quæ tibi reuelata ſunt, ſcripſeris, tege ſigillis difficultatum, nec adeò apertè ſcribas, vt ab omnibus intelligantur. Claude librum, ne alij poſsint legere, & intelligere iſta myſteria vſque ad tēpus ſtatutum,

Senſū Scripturæ aperuit Xp̄s.

ideſt, vſque ad legem euangelicam, quando Chriſtus, quibus voluerit, manifeſtabit illa. Ipſe enim eſt, qui habet clauem Dauid, ad reſerādum arcana cœleſtia; ipſe aperit quibus vult, & nemo claudit; & ipſe claudit, quibus ſibi placuerit, & nemo aperit. In iudicium venit in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Pagninus, vbi nos legimus, ſicut verba libri ſignati, transfert, *Sicut verba epiſtolæ ſignatæ.* quibus verbis ſignificatur, totam Sacram ſcripturam eſſe epiſtolam, qua ſponſus ſponſam ſuam Eccleſiam in vallę lachrymarum degentem conſolatur.

Orig. hō. 13. ſuper 22. num.

22 *Viſio omnium.* Quid per viſionem omnium intelligat Iſaias, nō conuenit inter Patres antiquos. Origenes intelligit totam ipſam Prophetiam Iſaiæ, quam librum ſignatum dixit, eòquod ſubobſcura ſunt, quæ ſcripſit, ænigmatibus inuoluta, & figuris multis perplexa. Habet fundamentum hæc explicatio in eodem Propheta, qui ea, quæ ſcripſit, viſionem appellauit, dicens. *Viſio Iſaiæ filij Amos.* Dicitur autem viſio omnium, quia nihil ferè ſiue in alijs Prophetis, ſiue in lege reperitur conſcriptum, quod vnicus Iſaiæ liber non comprehendat. Vnde qui totam illius prophetiam penetrauerit, vniuerſam legem, & Prophetas alios intellexiſſe putandus eſt. Sanctus Auguſtinus, & Cyprianus, atq; Hilarius, & Cyrillus per uiſionem omnium, & per librum ſignatum vniuerſam intelligunt legem, & Prophetas, quorum finis Chriſtus eſt. & hæc explicatio eſt rationabilior, & communis inter ſanctos. Etenim non ſolùm illa, quæ Iſaias prædixit, fuerunt clauſa, & inuoluta Iudæis: ſed etiam quæ prædixerunt cæteri Prophetæ. Vndè per librū tota in præſenti intelligitur Sacra Scriptura, quæ (vt Cyrillus ait) vnus liber eſt, ab vno, eodemq; ſpiritu afflata, quamuis diuerſis calamis conſcripta, ſecundum illud, quod dicit Propheta. *Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.*

Iſaiæ prophetia eſt viſio oīum Iſa. 1. a.

Ibidem.

Aug. de altera Eccl. & ſynag. in fine.

Cypr libr. aduer. Iud. cap. 4.

Hilar. in prolo. ſup pſalm.

Scriptura ſacra vnus liber dicitur.

Pſal. 44.

23 *Et dixit Dominus. Eò quòd appropinquat*, videlicet ad me, *populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me; cor autem eius longè eſt à me: & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.* Iſtum locum adduxit Chriſtùs Dominus, ad impietatem Iudæorum, & hypocriſim arguendam. *Irritum* (inquiens) *feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hypocritæ bene prophetauit de vobis Iſaias dicens:*

Mat. 15

Populus



*Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et vſus eſt loco iſto iuxta tranſlationem Septuaginta virorum, quæ ſic habet. *Appropinquat mihi populus iſte ore ſuo, & in labijs ſuis honorant me: cor autem eorū longè abeſt à me, fruſtra autem colunt me, docentes hominum præcepta, atq; doctrinas.* Igitur in hoc loco cauſam aſsignat Propheta, propter quam Deus miſcuit Iudæis ſpiritum ſoporis, & clauſit eorum oculos, atq; Prophetarum oracula obſignauit: & tangit duplicem rationem. Altera eſt, quia omnis eorum religio erat ſimulata, labijs enim ſuis colentes Deum, & cultu exteriori accedentes ad eum, corde atque interioribus ſtudijs recedebāt

Remig. ſuper cap. 15. Matth.

ab illo. *Iudæorum populus*, vt Remigius ait, *Labijs, & ore Deo appropinquare & honorare eū videbatur, quia vnius Dei cultū ſe habere gloriabatur, ſed corde lōgè à Deo receſſit, quia viſis ſignis, atq; miraculis, nec diuinitatem eius cognoſcere, nec eum*

Beda ibid.

*ſuſcipere voluerunt.* Vel, vt ait Beda ſuper eumdem locum, *labijs eum honorabant, quando dicebant, Magiſter ſcimus, quia verax es: ſed cor eorum longè ab eo fuit, quando miſerunt inſidiatores, vt eum caperent in ſermone.* Igitur appropinquandum eſt Deo, corde carneo, non lapideo. Vult enim Dominus omnia opera noſtra eſſe charitate formata, alias non erunt accepta illi, ſicut ſacrificia Ephraim, de quib⁹ dicit Scri-

Gen. 4. ſecundū 70.

ptura. *Nonne ſi recte offeras, nō autem rectè diuidas, peccaſti?* Recte offerri dicūtur opera ſecundum ſpeciē bona, ſed nō recte diuidit, qui opus exterius Deo tribuit, cor autem diabolo; non recte diuidit, ſed impie, qui labijs appropinquat Deo, ſed mente atque ſpiritu recedit ab eo. *Spiritus eſt Deus. & eos, qui adorant Patrem, oportet adorare in Spiritu & veritate.* Hinc collige, quātū à Deo diſtet, qui nec labijs quidē colit illū: dicit enim Ambroſ. *Populus iſte nec labijs me honorat. Iudæus vel labijs, tu vero nec labijs. Si illius qui vel labijs honorat cor longe eſt a Deo, quomodo poteſt cor tuū prope eſſe, qui etiā labijs non honoras?* Et vt ſcias, quonam modo peccator à Deo recedat, cum tamen Deus ipſe vbiq; ſit præſens, dicente Propheta: *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcēdero ad infernum, ades;* audi Auguſtinum. *Non loco* (inquit) *quiſq; longe eſt à Deo, ſed diſſimilitudine. Quid eſt, diſſimilitudine? Mala vita, malis moribus. Si enim bonis moribus propinquatur Deo, malis moribus receditur à Deo. Vnus ergo, idemq; homo corpore ſtans vno loco, & amando Deum accedit ad Deum, & amando iniquitatem recedit à Deo; nuſquam pedes mouet, & tamē poteſt accedere. Pedes .n. noſtri in hoc itinere, affectus noſtri ſunt. Prout quiſq; affectū habuerit, prout quiſq; amorem habuerit, ita accedit, vel recedit ab eo. Nonne plerumq; dicimus, quando inuenimus aliqua diſſimilia, hoc longè eſt ab illo? Quando aliquos duos fortè homines comparamus, duos equos, duas veſtes, & dixerit aliquis ſimile: Hæc veſtis talis eſt, qualis illa, aut, iſte homo talis eſt, qualis ille, quid aliud dicit, qui contradicit? Abſit, longè eſt ab illo. Quid eſt longè eſt ab illo? Diſſimilis eſt illi. Et iuxta ſunt, & tamen iſte longè eſt ab illo. Duo verò iniqui pares vita, & moribus, ſi vnus ſit in Oriēte, alter in Occidēte, iuxta*

Ioā. 14. c

Ambr. ſer. 19. ſup. Pſ. 148. tom. 2

pſa. 138.

Aug. ſuper Pſ. 94. col. 1. tom. 8.

Peccator à Deo recedit: cū tamē Deus vbiq; ſit præſens *

inuicem

*inuicem ſunt. Et duo iuſti ſimiliter: alter ſit in Oriente, alter in Occidente, ſecum ſunt, quia in Deo ſunt.* Con*tra vnus iuſtus, alter iniquus, etiãſi vna catena ligentur, multum à ſe ſeparati ſunt.*

*Lucæ 18*

*Duo homines aſcenderunt in templũ, vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus.* Sed Phariſæus in templo exiſtens, longè erat à Deo, quia noluit Deum orare, ſed ſe laudare; Publicanus autem de longĩquo ſtabat, ſed per humilitatẽ cordis Deo appropinquabat. Iudæi ergo, ſicut Phariſæus ille, ſæpius aſcendebant in templum. plerumq; longas in angulis platearũ ſimulabant orationes, & tamẽ multa mala machinabantur in corde, ita, vt etiam Dei filium cogitarent occidere. Ideo à ſe Deus abiecit illos.

*Morale*

24 Hinc primò collige, quantũ Deo diſpliceat ſimulata religio, & mẽdax oſtẽtatio virtutis, quæ in operibus ſplendet, & tamen interius mẽs plena eſt ſpurcitia, & omni iniquitate. In cuius ſignũ præcipitur in lege.

Religio ſimulata Deo diſplicet.

*Deuter. 22.*

Non indues veſtẽ ex lana, linoq; cõtextam. *Per lanam quippe*, vt ait Gregorius. *ſimplicitas, per linũ verò ſubtilitas deſignatur. Et nimirũ veſtis, quæ ex lana, linoq; conficitur, linum interius celat, lanã in ſuperficie demõſtrat. Veſtem ergo ex lana, linoq; contextam induit, qui in locutione, vel actione, qua vtitur, intus ſubtilitatem malitiæ operit, & ſimplicitatem foris innocentiæ oſtendit. Quia enim ſub puritatis imagine deprehẽdi calliditas nõ valet, quaſi ſub lanæ graſſitudine linũ latet.* Sed quid eſt, quod Salomon laudi tribuit mulieri forti, quod lanam quæſierit, & linum?

Greg. 8. mor. 31.

Virtus nõ ſolũ exterius, ſed potiſſime interius eſt habenda.

*Prou. 31*

*Quæſiuit* (inquit) *lanam, & linũ, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderũt fuſum.* Si enim ex lana, linoq; contextã veſtem induere non licet, quomodo erit laudabile, lanã, & linum quærere? Sed obſerua, quod aliud eſt, eandẽ veſtem ex lana texere, & lino, aliud verò intus veſtem lineã, exterius autem laneam portare. Illud enim, vt dictum eſt, impium, iſtud verò neceſſarium reputatur. In ordine veſtimẽtorum interiora ſunt linea veſtimenta, lanea verò exteriora. Quia ergo mulier fortis non ſolùm exterius per bona opera, ſed etiam interius per charitatem, & feruorem ſpiritus ornatur; ideo lanam quærit, vt veſtem exteriorem, & linum, vt interiorem conficiat.

Lanam & linũ quærere quid ſit.

*Ibid.*

Ideo *omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*, interius videlicet & exterius, vt & duplicẽ ſtolam in patria ſuſcipiant, animæ ſcilicet, & corporis, ſicut ſcriptum eſt.

*Iſa. 61.*

*Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt.* Vtraq; veſtis laudabilis, vtraq; vtilis, vtraq; neceſſaria. Quod ſi altera forte deficiat, non veſtiri apud Deum inueniemur, ſed nudi. *Inuenis hominem* (ait Auguſtinus) *porrigentẽ manu eleemoſynas pauperi nec tamen de Deo ibi cogitantẽ, ſed hominibus placere cupientem, laneã veſtem, quæ videri poteſt, habet, interiorem lineam non habet. Inuenis alium dicentem tibi, ſufficit mihi cõſcientia mea, Deum colo, Deum adoro, quid mihi opus eſt ad Eccleſiam ire, aut viſibiliter Chriſtianis miſceri? lineam vult habere ſine tunica. Non nouit, neq; commendat talia opera mulier iſta. Inuenit hæc mulier lanam, & linum, & fecit vtile.* Vtroq; veſtimento veſtita eſt Eccleſia, in cuius laudem canit Pſalmiſta.

Aug. ſerm. 217. de tẽpore to. 10.

*Pſal. 44*

*Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Ab intus (inquit) quia veſtem lineã in mente circumamicta





varietatibus, quia veſtem laneam exterius portat in opere. Qui ergo induuntur veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, mentiuntur, & veritas in eis non eſt; nam aliud exterius, aliud verò profitentur interius.

*Mat. 7. c*

Quos ſimiles Beatus Baſilius eſſe dicit hiſtrionibus, qui in ſcena fabulas agunt, & vt Reges, ac Principes ſæpenumero ingrediuntur, cum neque Reges, neque Principes, & forſitan omnino neque liberi quidem exiſtant. Hos, & conſimiles ſic alloquitur S. Chryſoſtomus. *Dicito mihi, hypocrita, ſi bonum eſt eſſe bonum, vt quid non vis eſſe, quod vis apparere? Si verò malum eſt eſſe malum, vt quid vis eſſe, quod non vis apparere? Nã quod turpe eſt apparere, turpius eſt eſſe, quod autem formoſum eſt apparere, formoſius eſt eſſe. Ergo aut eſto, quod appares, aut appare, quod es.*

Baſil. hom. 24 ex var. tom. 1.

Hypocritę hiſtriones ſunt.

Chryſoſt. hom. 45. imperfecti in Matth. tom. 2.

25 Collige ſecundò, quanta mẽtis puritate pollere debeant, quanta reuerentia, & humilitate, qui ad orãdum Deum, & laudes diuinas decantandum intrant Eccleſiam, ne oratio noſtra vertatur in peccatum, & preces, quæ ad placandum Deum ſunt inſtitutæ, magis, ac magis illum ad iracundiam prouocent.

Orationes cum mentis puritate fundendæ.

*Diſcamus obſecro* (ait Chryſoſtomus) *quænam ea ſint, quibus turpiter homines fœdantur. Diſcamus, oro, & fugiamus: in nonnullis enim iam Eccleſiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi ſtudeant, quomodo manibus loti, candidis induti veſtimentis, in Eccleſiam ingrediantur, quomodo autem animam, atque mentem ſuam puram, atque defœcatam offerant Deo, nullam prorſus habent curam. Hæc dico, non quia lauare os, aut manus prohibeam: ſed quia non aqua ſolum lauare os velim, verum etiam, vt æquius eſt, omni virtutis numero. Sordeſcunt quippè manus homicidio, cæteriſq; operationibus prauis: os autem maledictione, blaſphemia, contumelia, verbis iracundis, atque obſcœnis, diſſoluto riſu, atque ſcurrilitate. Si ergo nullius horum tibi conſcius es, neque his maculis obſcœnus, ingenti accede fiducia: ſin autem millies his ſordibus te deturpaſti, cur incaſſum laboras? Cur aqua os, atque linguam diligenter lauas, pernicioſam verò, atque peſtiferam maculam ipſorum non abſtergis? Dic ſodes, ſi ſtercore manus, atque cœno illitas haberes, auderesne ita ſordidus orare? minimè, inquies. At qui hoc nullum tibi damnum afferet, illud omni peſte pernicioſius eſt. Quomodo igitur ea, quæ indifferentia ſunt, vereris, quæ autem certam perniciem habent, ex deſidia abijcis? Quid igitur? An non eſt orãdum? inquies. Orandum quidem tibi eſt, ſed non corde ſordido, neque ita deturpato; ſed ſi caſu lapſus fueris* (inquit) *quid faciendum cenſes eſſe? Deterge maculas tuas diligenter. Quo pacto? Largas effunde lacrymas, ingemiſce, miſericorditer pauperibus de tuis offeras, ſi iniuriatus cuipiam es, ſatisfacias abundè, reconcilia te illi, & ne magis oratione tua Deus irritetur, deterge linguam oraturus. Nam ſi quis pedes tuos ſtercore ſordidatis manibus ſupplicando tangeret, non modò non exaudires, verum calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? Nam qui orat, quaſi manu lingua vtitur, qua genua Dei ſupplicando attingit. Nolite igitur ipſam maculare, ne Deus ad vos dicat. Si multiplicaueritis deprecationem, non exaudiam vos.* Vide ſupradicta c. 1. n. 42. & 43. & c. 16. n. 11.

Chryſoſt hom. 52. in Matth. poſt med. tom. 2.

*Eſa. 1. d.*

26 Altera ratio, propter quam mala ſuperius commemorata Deus intulit Iudæis, fuit vana ſuperſtitio, impietas, & inobedientia, qua propter traditiones nouiter inductas, & propter mandata hominū, Dei præcepta contemnebant. *Et timuerunt me* (inquit) *mandato hominum*, & doctrinis, ideſt, propter quaſdam nouas doctrinas introductas, propter traditiones hominum nouiſſimas, præcepta mea tranſgrediuntur antiqua: nec attendunt, quid mihi placitum ſit, ſed quid hominibus acceptum. Quicquid faciunt, non ideo faciunt, quòd præceptum ſit à Deo, ſed quia ab hominibus traditum. Conqueritur ergo Deus, eo quòd nō ex corde, ſed exterius Iudæi præcepta eius ſeruabant, quaſi non intueretur occulta cordium. Hoc crimen inuaſerat Scribas, & Phariſæos. Dicebant enim ad Ieſum. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Seniorum? non enim lauant manus ſuas cum panem manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis. Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrē ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Vbi duo, inter alia, conſideratione digna reperies: alterum in Iudæorū callidiſsima interrogatione, alterum in reſponſione prudentiſsima Chriſti. Illi interrogando, de ſenioribus mentionem faciunt, vt ſi eos deſpicere Chriſtus videretur, quaſi victum iam, atque confuſum tenerent illum.

*Mat. 15 a*

Mandata Dei præferenda traditionibus hominum.

*Vide* (ait Chryſoſtomus) *qualiter & à ſua interrogatione capiuntur. Non enim dicunt. Quare tranſgrediuntur legem Moyſi, ſed traditionem ſeniorum; vnde manifeſtum eſt, quod multa noua inducebant Sacerdotes; quamuis Moyſes dixerit, Non adijcietis ad verbum, quod ego propono vobis hodie, & non auferetis ab eo: & quando oportebat eos ab obſeruationibus liberari, tunc amplioribus obſeruationibus ſe alligabant, timentes, ne aliquis eorum principatum auferret, terribiliores eſſe volentes, quaſi & ipſi eſſent legislatores.* Chriſtus autem reſpondens Phariſæis, nō dixit. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem ſeniorum*, ſed *propter traditionē veſtram*, ne antiquas traditiones damnare videretur, ſed illam dumtaxat, quæ ab iniquis hominibus contra legem Dei introducitur. Tales erant traditiones Iudæorum, talia præcepta Phariſaica circa oblationes templi, circa cibum, & potum, & circa baptiſmata manuū. Volebant enim hæc minima inuiolabiliter obſeruari, ſummam perfectionis in eis conſtituentes, non in puritate cordis, nec in charitate. Propter quod & Paulus ait. *Teſtimonium perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent: ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Iuſtitia Iudæorū erat lauare manus, cum manducatur panis, offerre munera Domino, & ſacrificare vitulos. Iuſtitia Dei eſt, cum munditia, & ſimplicitate cordis quærere Deū, & nihil diligere in hoc ſæculo præter eum. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc eſt. Viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Indicabo tibi, ò homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Sed illi veram iuſtitiam ignorabant, & Phariſaicam ſtatuere volentes, iuſtitiæ Dei ſubiecti non erant. Hoc ergo eſt timere Deum mandato hominum, & doctrinis. Conſonat cum his verbis Prophetæ, illud Apoſtoli: *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tamquam viuentes mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu, ſecundum præcepta, & doctrinas hominū, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori; non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.* Quod Iſaias dixit: *Et timuerunt me mandato hominum, & doctrinis*, hoc Paulus explicuit, dicens: *Secundum præcepta, & doctrinas hominum. Vide* (ait Chryſoſt.) *quomodo eos obiurgat. Ne contrectaris, ne tetigeris, ne guſtaris, tamquam ſi magna quædam tradatis, aut à magnis quibuſdam abſtineatis. Quæ omnia ipſo abuſu corruptioni patent. Inflationem, ac faſtum multorum deiecit, & ſubiunxit: Iuxta præcepta, & doctrinas hominum. Quid dicis? Etiamſi legem obijcias; ea tamen ipſa iam deinceps humana doctrina eſt, elapſo videlicet temporis ſui præſcripto. Aut hoc ideo dicit, quòd illam corrumpebant; aut traditiones Græcorum taxat: totum* (inquit) *humanum dogma eſt.* Ex quo apparet manifeſtè, hanc Prophetiam ad tempora Phariſæorum pertinere, & in illis fuiſſe ad literam impletam.

Chryſ. hō. 52. ſuper Matth.

Traditiones antiquæ venerandæ.

*Rom. 10 a*

*Iacobi. 1 d*

*Micheæ. 6. c*

*Col. 2.*

Chryſ. ho. 7. ad Coloſſ. col 2.

27 *Ideo ecce ego addam, & admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo.* Vatablus, *Ideo enim ipſe quoque addam, vt mirificè agam cum populo iſto, mira ſcilicet, & portentoſa.* Cum emphaſi ait: *Ecce ego*, vt omnes attendant, & timeant, quaſi dicat: Expendite hoc mirabile, quod ego ipſe, qui miſericors ſum, qui tot, & tanta beneficia ad ſalutem inuitantia hominibus exhibui, qui Iudæos eduxi de terra Ægypti, & in manu potenti in terram promiſſionis introduxi, ecce nunc tandem propter innumera peccata ſua eum affligere debeo, atque à me abijcere. *Ego addam*. Non explicat, quam pœnam velit illis infligere, nec dicit: Addam hoc, vel illud malum, ſed abſolutè inquit: *Ego addam*, vt quaſi ſuſpenſus maneat omnium intellectus, & ſciant ſummum malum eſſe illud, quod in præſenti Iudæis incredulis comminatur. Nec potuit aliud maius excogitari, quàm tradere in reprobum ſenſum, & à ſe proijcere populum antea prædilectum. Addam captiuitati obdurationem, ac mentis cæcitatem, addā pœnam pœnæ, & vulnus vulneri, ſicut vos peccata peccatis addidiſtis; & vi doloris oppreſſus dicet aliquādo populus duræ ceruicis: *Circundedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos, & non pepercit, & effudit in terra viſcera mea. Concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas.* Nō enim erit paruum malum, ſed tale, vt omnes meritò in admirationem adducat, &, ſi ſapiunt, & intelligunt, indè reſipiſcant, & nouiſsima prouideant. Quid mirabilius, quàm ſapientiſſimos

*Iob. 16. e*

mos inter mortales, & religioſiſſimos viros in re maximè neceſſaria ad ſalutem animæ, qualis fuit incarnatio Verbi, ſtultos fieri, & ſtupidos? Quid rarius, quàm filios Regni eijci foras, & mitti in tenebras exteriores; è contra verò ſtultas nationes diuina impleri ſapientia? &,

*Ioan. 9.*

ſicut Chriſtus ait: *Qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant?* Hoc eſt miraculum grande, & ſtupendum (ſicut explicat S. Cyrillus ſuper iſtum locum.) Septuag. Interpretes ſic trãsferunt ſententiam iſtã. *Ecce ego addam, vt commutem populum iſtum, & commutabo eos.* Et ſenſus eſt. Illi, qui erant ſapientes, fient ſtolidi; qui autem erant ſtolidi, ſapientia replebuntur. Populus dilectus odibilis fiet mihi, & quem auerſabar, gratus mihi erit.

*Iudæi ſapiẽtes fiũt inſipiẽtes, & gentiles ſapientes fiunt.*

De populo Iudæorum ſcriptum eſt: *Voca nomen eius non populus meus; quia vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus.* Sed de populo gentium: *Vocabo non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam, & non miſericordiã conſecutam miſericordiam conſecutam.* Ecce qualiter vtrumque populum commutauit Dominus. Audi Prophetam, eamdem commutationem intonantem. *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Et hoc eſt, quod inferius in hoc capite ſignificare voluit Iſaias, cum dicit. *Conuertetur Libanus in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur.*

*Oſeæ. 1. D*

*Rom. 9. c*

*Pſal. 17.*

28 *Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Vatablus, *peribit ſapientia ſapientum eius, & intelligentia prudentium eius ſeſe abſcondet.* Sic & Pagninus transfert. Hoc dupliciter explicatur. Primò ita vt ad Scribas, & Phariſæos referatur, & ſit ſenſus: Omnis ſapientia veſtra, quam ex ſcripturis ſacris habetis, excidet à mente veſtra, neque aliquid proderit vobis. Siquidem cum præſentem haberetis Saluatorem in lege promiſſum, & videretis eius miracula, & doctrinam cœleſtem ſæpius audiretis, non cognouiſtis eum. Nec debet hoc miraculum vulgare reputari, ſed maximum, & ſtupendum, ſicut in admirationem adducerentur omnes, ſi virum peritiſſimum viderent repentè inſipientiſſimum fieri. Et obſerua, quòd non dixit: *Peribit ſapientia à ſapientibus*, abſolutè, neque ab omnibus ſapientibus, ſed addidit *eius*, quoniam in Apoſtolis, atque in Eccleſia Chriſti, & Doctoribus eius permanſit vera intelligentia Scripturarum, quæ ablata eſt à Scribis, & Phariſæis.

*ſcripturarũ intelligentia excidit à Phariſæis, præſẽte Chriſto.*

Secundò, poteſt intelligi locus iſte vniuerſaliter, ſicut interpretantur illum Clemens Alexandrinus, & Euſebius Cæſarienſi,ſde ſapientia, & prudentia humana, qualis fuit ſapiẽtia Græcorũ, & de ſapientia carnis, quæ per Chriſtum victa eſt, & deſtructa. Oportet autem ad ſalutem hanc ſapientiam perire, & cruci affigi, captiuando intellectum in obſequium fidei. *Quoniam animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei.* Quis enim perſuadebit alteri ratione naturali, ex nihilo aliquid fieri, vel eſſe reſurrectionem mortuorum, aut Virginem intactam peperiſſe? Irridebit hæc ſapientia humana, niſi reuelationi ſubijciatur diuinæ. Ait autem: *Intellectus prudentium abſcondetur*, & non dixit,

*Clem. Ale. 1. ſtrom. Euſeb. lib. 12. de præpar. Euang. cap. de huma. ſapi.*

*ſapiẽtia humana deſtruitur p Euangelium.*



---



xit, deſtruetur, vt ſciamus, quoniam lumen fidei non contrariatur lumini naturali intellectus, nec deſtruit illud, ſed potius ipſum intellectum perficit, & roborat, atque ad ea cognoſcendum eleuat, ad quæ ratio naturalis non pertingit.

*Fides non contrariatur lumini noſtri intellectus.*

Et ſicut luna in præſentia ſolis retrahit, & abſcondit lumen ſuum, cedens maiori, atque ſuperiori luci, ita intellectus noſter omnes ſuas rationes naturales ſubijcere debet fidei, tamquam lumini ſuperioris ordinis: & in præſentia illius ſeipſum quaſi abſcondere, & obmuteſcere, *quoniam* (vt ait Gregorius) *fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.*

*Fidei cedat ratio naturalis.*

*Gregor.*

In hac ſecunda explicatione adducit Paulus præſentem locum Iſaiæ, cum ait. *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: ijs autem, qui ſalui fiunt, ideſt nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapiẽtium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi Scriba? vbi inquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Quibus verbis humanam ſuperbiam contundit, & prudentiæ huius ſæculi arrogãtiam, erigentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Hanc perdit Deus, & reprobat, quia medium ſeruare neſcit, nec modum, ſed ſicut *ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ;* ita *filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Prudentiores (inquit) non prudentes; quoniam terminos, & leges tranſgrediuntur prudentiæ diuinæ, quæ ſola vera prudentia eſt. Deus ergo comprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & diſſipat ſerpentinam eorum prudentiam. In cuius ſignum *tulit Aaron virgam coram*

*1. Cor. 1. c*

*Gen. 3.*

*Lucæ 16 b*

*Prudentia humana diuinæ contraria.*

*Exod. 7. b*

*Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Aegyptiacas, & arcana quædam ſimiliter. Proieceruntq; ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones. Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum*, vt ſcias, quod ſicut ſerpens Moyſi deuorauit omnes ſerpentes Magorum, ſic amor diuinus, & ſapientia Dei, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, abſorbet omnem ſæculi prudentiam, & omnes carnales affectiones, & delectationes noſtras, & conſolationes, ita vt de labore requiem, de tribulatione lætitiam, & de contumelia gloriam habeamus, ſicut explicat Bernardus Serm. 3. Aſcenſionis Domini.

*Amor Dei conſumit concupiſcẽtias carnales.*

*Bern.*

Quod ſi forſitan ſerpens Pharaonis, hoc eſt prudentia carnis, non fuerit à ſerpente Moyſi; hoc eſt à prudentia ſpiritus deuoratus, neceſſe erit, vt tamdem à diabolo comprehẽſus interficiatur. quod his verbis S. Auguſtinus manifeſtat: *Prima* (inquit) *ſerpentis aſtutia eſt, quòd totius corporis venenum in gutture colligit, & ibi prudenter, docente natura, ſeruare ſtudet, vt ſi aliquando ſibi neceſſe fuerit, in prõptu habeat, vnde ſe defendere poſſit. Sed in hac parte ſerpens quandoque decipitur. Muſtella enim ſemper ſerpenti aduerſatur, & ante foramen cauernæ ſerpentis ſe ponit, & eũ prouocãdo tamdiu vmbra caudæ ſuæ ſolerter illudit, donec ipſum egredientẽ agnoſcit. Tunc verò muſtella deſuper aſcẽdit, inſidias tendens, vt, cum ſerpentis caput viderit, capitalem vindictam ſumat de hoſte, quem numquam diligere potuit. Prouocatus itaq; ſerpens, extra cauernæ foramen*

*Aug. ſerm. 4. ad fratres in Eremo. tõ. 10.*

*Serpentis aſtutia.*

*Muſtella ſerpentem necat.*

caput emittit, & cum nihil deorſum videat, verſo gutture reſpicit ſurſū; ſed muſtella cernēs tempus optatum, dentes imprimit circa venenum, ſic abſque periculo inimicum occidit. Hæc eſt prima ſerpentis aſtutia, in qua mundi ſapientes notantur, quorum prudentia non in cœleſtibus, ſed in terrenis tota verſatur, quibus diabolus in vmbra mutabilium rerum alludit, alludendo decipit, decipiendo occidit. Et ne fortè valeant aſpirare in ipſis terrenis cupiditatibus, ſæpe eos cogit exſpirare. Tale quid eueniet Hæreticis, qui, vt decipiant rectos corde, & ſuos defendant errores, venenum in gutture ſapientiæ humanæ, tamquam ſerpentes reponunt. Tale accidit Scribis, & Phariſæis, qui, vt ſuam defendant perfidiam, multa contra Deum loqui auſi ſunt, & quotidie audent, de quibus ſubditur.

Hæretici ſerpentib⁹ ſimiles.

29 *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt. Quis videt nos? & quis nouit nos?* Profundos corde appellat ſcrutatores maieſtatis Dei, qui cōtra illud Domini præceptum: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ingredi audent profundum abyſsi iudiciorum Dei, & quærere rationem eorum, quæ facit, ac ſi eſſent doctiores & ſapiētiores Deo, & profundius penetrarēt, quæ eſſent facienda, & laterent Deum conſilia, quæ machinantur in corde ſuo. Væ vobis (inquit) qui conamini ſecreta Dei diſcutere, & ea, quæ ipſe occulta eſſe voluit, rimari quæritis: & tam profundè deſcenditis, aut vos deſcēdere arbitramini; vt altiſsimus vos non inueniat: atque ita procuratis conſilia veſtra, & peruerſa opera abſcondere ab illo, ac ſi non intueretur corda veſtra. *Quis videbit nos* (inquiunt) aut *quis nouit nos*? Non aiunt, quis hominum, aut quis Angelorum, ſed *quis*? vt etiam Deum ipſum comprehendant. Vel ideo inquiunt, *quis videt nos*? vt inſinuēt tanta ſecuritate, & libertate ſe in peccando vti, ac ſi nullus poſſet eorū opera deprehēdere. O ſtulti, & cæci, numq̄ audiſtis Prophetā veſtrum dicentē: *Qui plātauit aurē, non audiet, aut qui finxit oculū, non conſiderat? Qui corripit gētes, nō arguet, qui docet hominē ſcientiā? Dominus ſcit cogitationes hominū, quoniā vanæ ſūt?* Non legiſtis illud, quod multò antea de veſtra curioſitate, & temeritate prædixit? *Narrauerunt, vt abſcōderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos? Scrutati ſunt iniquitates, defecerūt ſcrutātes ſcrutinio:* & iterum. *Et dixerūt. Non videbit Dominus, neq; intelliget Deus Iacob.* Adeò ſtupidi eſtis, & cæcutientes, vt in aquis limpidiſsimis Scripturarū veſtris oculis obiectis, pericula non præuideatis vobis imminentia? & quotidiè Prophetarum volumina verſantes, non legatis, neque intelligatis in illis conſcriptas machinationes veſtras? Talia nè cogitant in corde ſuo legis periti, qui aliorū doctores eſſe gloriantur? Quis, niſi inſipiens, ſicut ille, qui dixit in corde ſuo: *Non eſt Deus*, poterat ſimilia verba proferre, *quis videt nos, & quis nouit nos?*

Scrutatores maieſtatis profundi corde dicūtur.

Pſ. 93. b

Pſal. 63.

Pſa. 23.

Pſal. 13. a

30 *Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet: & dicat opus factori ſuo: Non feciſti me, & figmentum dicat fictori ſuo: Non intelligis.* Vatablus pro *figmētū* transfert *& figulinū*, diminutiuè. Cū Propheta in reſiduo huius capitis ſermonem eſſet facturus de reprobatione Iudæorū, & electione gentium, præuidēs, multorum

torum



torum animos in hac prophetia eſſe turbandos, & curioſos, atque ſuperbos homines, inquiſituros rationem, propter quam Deus ex eadem maſſa iſtum trahat, illum non trahat; eligat iſtum, reprobet illum, aduertit has, & conſimiles cogitationes, & curioſas inueſtigationes vanas eſſe, immò & pernicioſas, cum nos ſapiēs admoneat. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Non ſecus atque ille, qui in profundum maris ingredi audet, multitudine aquarum obruitur, & qui fixis oculis lumen ſolis intuetur, magnitudine luminis excæcatur. Vbi obſerua cum Beato Bernardo, quod non dixit: Qui ſcrutator ē volūtatis, ſed maieſtatis: quoniā voluntas diuina ſcrutāda eſt, & inquirēda, vt præcepta eius impleamus. Scriptū eſt enim. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Maieſtas autem non ſcrutāda eſt, ſed admiranda, ita vt cum Paulo dicamus. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Non enim eſt noſtrum de creatore conqueri, quod ſic, vel ſic nos fecerit, ſed ſimpliciter debemus præceptis eius obedire, & voluntati illius noſtram ſubijcere, ſcientes, quoniam non eſt iniquitas apud Deum, & quod omnia iudicia illius iuſta ſunt. Nec eſt inquirenda ex parte noſtra aliqua ratio, propter quam iſtum trahat, & illum non trahat, iſtum eligat, & illum reprobet, ſed ſufficit voluntas illius, *qui cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat.* Hinc & Auguſtinus clamat. *Quare iſtum trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare.* Et rurſus. *Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, vt perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum, & numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat, ne inueniat præſumptiores.* Et iterum. *Sit igitur hoc fixum, atque immobile in mente ſobria pietate, atque ſtabili fide, quod nulla eſt iniquitas ad Deum: atque ita tenaciſſime, firmiſsimeq; credatur id ipſum, quod Deus, cuius vult, miſeretur, & quem vult obdurat: hoc eſt, cuius vult miſeretur, & cuius vult non miſeretur, alicuius occultæ, atque ab humano modulo inueſtigabilis æquitatis.* Et paucis interiectis: *Quare tamen & huic ita, & huic nō ita? Homo tu quis es? debitum ſi non reddis, habes quod gratuleris: ſi reddis, non habes quod queraris.* Et de bono perſeuerantiæ. *Itaque miſericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus: neque inſcrutabilia ſcrutari, neque inueſtigabilia veſtigare conemur.* Et paucis interiectis. *Dando quibuſdam, quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur, oſtendit. Bonus in beneficio certorum, iuſtus in ſupplicio cæterorum, & bonus in omnibus, quoniam bonum eſt, cum debitum redditur, & iuſtus in omnibus, quoniam iuſtum eſt, cum debitum ſine cuiuſquam fraude donatur.* Hinc Sanctus Iob, *Ipſe* (inquit) *ſolus eſt, & nemo auertere poteſt cogitationem eius, & anima eius quodcumque voluit, hoc fecit. Cumque expleuerit in me voluntatem ſuam, & alia multa*

Prædeſtinationis & reprobationis nulla datur cauſa ex parte noſtra.

Prouer. 25. d.

Bern. ſer. 62. in cāt.

Scrutāda eſt volūtas Dei: ſed non maieſtas.

Pſ. 118.

Rom. 11

Aug. lib. de ſpiritu, & litera c. 34. tom. 3.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2. poſt med. tom. 4.

Eadem q. circa fin.

De bono perſe. ca. 11.

Eod. lib. cap. 12.

Iob 23. c.

Iob humilitas.

*multa ſimilia præſtò ſunt ei.* Hinc & Propheta Regius: *Si inuenero* (inquit) *gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi arcam, & tabernaculum tuum. Si autem dixerit mihi. Non places: præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* Vide qualiter nullus obmurmurat contra voluntatem Domini, nullus reclamat, ſed humiliter ſe illi ſubijciunt.

2. Reg. 15.

Dauid humilitas.

31 Sed quoniam ſuperbi non quieſcunt, eorum audaciam comprimit Apoſtolus. *Dicis itaq; mihi* (ait) *quid adhuc quæritur? volũtati enim eius quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ecce ſuperbam querimoniam. *Quid* (inquit) *adhuc quæritur,* ideſt, quid ab hominibus exigitur, vt faciant bonũ, & vitent malum? fruſtra enim requiritur ab aliquo, quod non eſt in eius poteſtate. Nihil autem in hominis poteſtate eſſe videtur, ſi omnia diuinæ voluntati, cui reſiſti non poteſt, adſcribantur. Vel ſic; *quid adhuc quæritur,* ideſt conqueritur Deus de hominibus, quando peccant. Non enim videtur querimonia rationabilis; nam ex voluntate eius, cui nullus poteſt reſiſtere, totum procedit. Sed quid reſpondet Apoſtolus? Non ait: O homo, falſum eſt: quod dicis, propter iſtam rationem, aut illam, ſed ſtatim impudentiam quæſtionis ita retundit: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Vnde ſufficis ad reſpondendum ei, ſi voluerit tecum iudicio contendere? Scriptũ eſt enim, *Si voluerit contẽdere iudicio cũ illo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille.* Neſcis, quid acciderit Iob ſapientiſsimo, atque ſanctiſsimo. Scire volẽs, & inueſtigare rationem iudiciorum Dei, propter quam innocentes ſæpius puniat, & peccatoribus abundantiam temporalium concedat, dixit aliquando. *Diſputare cum Deo cupio.* Et iterum. *Quis mihi tribuat, vt cognoſcam, & inueniam illum, & veniam vſque ad ſolium eius? Ponam coram eo iudiciũ, & os meum replebo increpationibus, vt ſciam verba, quæ mihi reſpondeat, & intelligam, quid loquatur mihi.* Deus autem, vt omnem curioſitatẽ illius cõprimeret, multas alias quæſtiones minus difficiles ex rebus naturalibus propoſuit, vt deprehendẽs ſe ad nullam illarum reſpõdere poſſe, non amplius inquireret eorum rationem, quæ Deus ſecreta eſſe voluit, & occulta. *Vbi eras* (inquit) *quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem eius.* Et rurſus. *Numquid conſideraſti latitudines terræ? indica mihi, ſi noſti omnia. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit?* Et in hunc modum alia multa intellectu difficilia, vt reſponderet, propoſuit. At cum ille obmutuiſſet *adiecit Dominus, & locutus eſt ad Iob. Numquid qui contendit cum Deo, tam facilè conquieſcit? vtique qui arguit Deum, debet reſpondere ei. Reſpondens autem Iob Domino, dixit. Qui leuiter locutus ſum, reſpondere quid poſſum? manum meam ponam ſuper os meum. Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem,* videlicet, *Diſputare cum Deo cupio:* & alterum ſcilicet. *Non peccaui,* &, *Neque enim reprehẽdit me cor meum in omni vita mea) quibus vltra non addam.* Si Iob ſanctus, & innocens tacet, ſi nihil reſpondet: *O homo* fragilis, & ignorãs, & tenebris peccatorum obuolutus *tu quis es, qui reſpõdeas Deo? Si difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ in cœlis ſunt autem, quis inueſtigabit? Quis enim hominum poterit ſcire cõſilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Numquid dicit figmentũ, &c.* Senſus eſt, ſicut irrationabiliter omnino, & abſque vlla cauſa diceret vas fictori ſuo. Quare me feciſti vas in contumeliã, & non in honorem? etenim pro ſua dumtaxat voluntate poteſt figulus ex eadem maſſa luti ſumere partem, & facere vas in honorem, & aliam partem facere vas in contumeliam: ita nullus poterit rationabiliter de Deo conqueri, ſi ex eadem maſſa naturæ corruptæ quoſdam homines præparare in gloriam ſtatuerit, quoſdã verò in maſſa perditionis relinquere, vt ſint vas in cõtumeliam. Quæ enim iniuria in hoc irrogatur alicui? Nos ſumus lutum, & fictor noſter eſt Deus. Scriptum eſt enim. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos domus Iſrael in manu mea:* Et iterum. *Et nunc Domine pater noſter es tu, nos verò lutum, & fictor noſter tu, & opera manuũ tuarum omnes nos.* Sicut ergo figulus abſque alicuius iniuria poteſt ex eadem maſſa vili facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliã; quia ita voluit, ſic Deus liberam habet poteſtatem, ex eadem corrupta materia humani generis quoſdam miſericorditer eligere ad gloriam, quoſdam verò in ſua perditione relinquere, quia ſic placitum fuit ante illum. Hoc ipſum docere intendit Iſaias in ſimilitudine, quam affert luti, & figuli, & ſenſus eſt. Sicut eſſet peruerſum, quòd lutum inſurgeret contra figulum, & diceret: Non feciſti me, vel non me intelligis, aut, non nouiſti me, aut, quare me feciſti ſic? ita peruerſa omnino eſt cogitatio veſtra, dum arbitramini, quæ vos facitis in tenebris opera abſcondita eſſe à Deo. *Qui enim plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Igitur per verba Pauli inducta debet præſens locus Iſaiæ explicari, quoniam, vt notauit Ambroſius, ex hoc loco deſumpſit id, quod quaſi proprium poſuit, vt oſtẽderet, contra auctorem ſuum opus eius conqueri non poſſe.

Rõ. 9. d.

S. Tho. ad Rom. 9. lect. 4.

Iob. 9.

Iob. 9.

Iob. 13. a.

Iob curioſitas à Deo arguitur.

Iob. 38.

Iob. 39.

Iob duo locut⁹ eſt de quibus pœnitet, & q̃ ſint illa.

Sap. 9. d

Hier. 18 a

Iſai. 64. d

De⁹ fictori & homines luto conferuntur.

Pſ. 93. b

Ambr. ſup. cap. 9. ad Rom.

32 *Nonne adhuc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur?* Vatablus. *An non adhuc breuiſſimo tempore, Libanus redigetur in agrum planum, & ager planus in ſyluam.* Vt docet Cyrillus, Libanus mons eſt Phœniciæ, cuius homines ſuperſtitioſi erant, & idolatriæ dediti, & quia incultus erat locus, & infructuoſus, receptaculum reputabatur ferarum: Carmel autem mons eſt Iudæę delicioſiſſimus, atque arboribus fructiferis conſitus, vbi vites vberrimos afferebãt fructus. Vnde S. Hier: in cap. 16. Iſaiæ, *Idioma* (inquit) *Scripturarum eſt, vt montem Carmelum fertilitati comparet.* Senſus ergo eſt. Poſt modicum, & breue tempus eueniet, vt gentes idolatræ, & nullum fructum bonorum operum afferentes, conuertantur, atque commutentur in Carmel, hoc eſt, in homines fideles, & ſanctos vberem fru-

Libanus, & mons Phœniciæ.

Hieron.

Iudæis reprobatis, eligũtur gẽtes.

fructum ſicut ager cultus perferentes; & Iudæi, qui prius erant, vt Carmel fructiferi, vertantur in ſaltum, & in receptaculum omnium ferarum, & fiant homines ſyluestres, duri corde, & totius diſciplinæ hoſtes, & inimici. Sic explicat Vatablus. *Mutabuntur* (inquit) *breui omnia in aliam faciem: ſuperbi deprimentur, vbi venerit Chriſtus, & humiles prouehentur*. Vnde ad maiorem explicationẽ ſubditur. *Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorũ videbũt.* Quæ verba ſic interpretatur Theod. Cæci, qui neſciebãt litteras, gentiles, qui prophetias intelligere non poterant, poſtmodum fide ſuſcepta, omnium prophetarum oracula pleniſſimè cognoſcent; cum tamen habentes oculos, & illi, qui litteras didicerant, in ipſo lumine cæci facti fuerint. Hæc eſt commutatio, cuius meminit ſupra: hoc miraculũ grande, & ſtupendum, quod omnes in admirationem adduxit. Vnde multa alia mirabilia, quæ huius prodigij ſigna extiterunt, præceſſerunt in lege. *Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quod eſſet ſterilis. Qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ: ſed collidebantur in vtero eius paruuli. Quæ ait. Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere*. Quid eſt hoc? *Portabat Rebecca* (inquit Chryſoſtomus) *geminos in vtero fratres, ante ortus principia bellatores: certantes filios ante mater ſentit, quam nouit: ante patitur, quam videt: ante ſuſtinet, quam agnoſcit. Licuit filiorum bella ſentire, quos nondum licuit generare. Certamẽ inter fratres in vtero geritur: bellum inter natos committitur. Materna viſcera quatiuntur; nec ad ortus principia properatur; ſed ante principia noua certamina celebrãtur. Velim cauſas tanti certaminis noſſe, velim iſtius pugnæ negotia tractare. Quid interceſſerat, quid factum fuerat, quæ pugnandi ratio, quæ cauſa vincendi, quo ſpectatore id geritur, quo iudice celebratur quid victori permittitur, quid victo è contrario denegatur? quis certare docuerat? quis pugnare monſtrarat? ſed notum eſt cunctis, iſtorum certamine fratrum cauſas duorum exprimi populorum. Vult enim Deus ante oſtendere futura, quam veniant, ante ventura monſtrare, quã fiant.* Sed vide, quo tendat tam grande miraculum. *Perrexitque* Rebecca, *vt conſuleret Dominum. Qui reſpondens, ait. Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſq; populũ ſuperabit, & maior ſeruiet minori*. Maior natu erat populus Iudæorum, Propheta atteſtante. *Filius meus primogenitus Iſrael*, de quo iuxta interpretationem Auguſtini ſub nomine Ruben dictum eſt. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio*. Fuit ille populus primogenitus, cui iure natiuitatis Sacerdotium, & regnum debebatur: prior in donis, quia credita ſunt illis eloquia Dei, quia legem in Monte Synai acceperunt à Domino. Maior in imperio, quoniam cæteris nationibus dominabatur. Sed populus gentium fuit frater minor, qui poſtmodum in fide natus eſt. Frater ergo maior iam ſeruit minori, quoniam Iudæi tamquam ſerui diſperſi ſunt per orbem, & ſacerdotium amiſerũt; & regnum; gentes autem hæredes bonorum cœleſtium factæ ſunt. Sic etiam interpretatur iſtum locum Sãctus Auguſt. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 35. Et Sermone 78. de tempore, vbi ait. *Quod autem dictum eſt: Populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori, ſecundum litteram in Eſau, vel in Iacob nõ videmus impletum. Non enim corporaliter beato Iacob Eſau ſeruiſſe commemorat Scriptura. Quomodo ergo hoc oporteat intelligi, aut qualiter maior populus minori ſeruiat, ſpiritaliter debemus intelligere. Niſi enim fieret, non hoc ſancta ſcriptura commemoraret. Quomodo ergo populus maior ſeruiat minori, hoc qui diligenter attendit, in Chriſtianis, vel in Iudæis agnoſcit. Maior enim, & ſenior populus Iudæorum, iuniori, ideſt, populo Chriſtiano ſeruire probatur, dum per totum mundum libros diuinæ legis ad inſtructionem omnium gentium portare cognoſcitur. Ideò enim per omnem terram Iudæi diſperſi ſunt, vt cum aliquem Paganum ad fidem Chriſti volumus inuitare, & ab omnibus Prophetis ipſum Chriſtũ eſſe annuntiatum teſtamur, & ille reſiſtens dixerit, à nobis potius, quam à Spiritu Sancto libros diuinæ legis eſſe conſcriptos, nos habem⁹ vnde eũ redarguere certa ratione poſſumus, dicẽtes ei: Si de meis libris tibi dubitatio naſcitur, ecce Iudæorum libros, vtiq; inimicorum noſtrorum, quos certum eſt, ſi ego conſcribere vellem, mutare non potui, ipſos relege, & cum in ipſis hoc, quod in meis libris inueneris, noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Hoc ordine maior populus minori ſeruire cognoſcitur, dum etiam per illorum libros ad credendum in Chriſto gentium populus inuitatur*. Multa Iſaac de Iacob filio ſuo prædixerat, quem tamen præſentem non agnouit. *Expauit Iſaac ſtupore vehementi, & vltra quam credi poteſt admirans, ait: Quis igitur ille eſt, qui dudum captã venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus, priuſquam tu venires? Benedixiq; ei, & erit benedictus.* Quid eſt hoc, niſi quoddam præſagium populi Iudæorum, *qui* (vt inquit Gregorius) *& caligans oculis, & prophetans in præſenti filium non vidit, cui tamen multa in poſterum præuidit. Quia nimirum Iudaicus populus prophetiæ ſpiritu plenus, & cæcus, eum de quo multa in futurum prædixit, in præſenti poſitum non agnouit*. Vbi obſerua, quod Iſaac non retractauit, ſed potius confirmauit benedictionẽ Iacob, cum cognouit illum non eſſe Eſau, quem ſe benedicere credebat. Ait enim. *Benedixiq; ei, & erit benedictus*, ſed id fecit admirans, vltra quam credi poteſt; quia tunc reuelatum eſt illi myſterium, quo ſecũdum Dei diſpoſitionem, & voluntatem benedictio erat in fratrem minorem, hoc eſt in populum gentilicũ transferenda. Vnde S. Aug. ait. Quod habẽt Latini codices, *Expauit autẽ Iſaac pauore magno valde*, Græci habent, ἐξέςη δ' Ἰσαὰκ ἔκςασιν μεγάλην σφόδρα vbi tanta cõmutatio intelligitur, vt quædã mẽtis alienatio ſequeretur. Ipſa .n. propriè dicitur exſtaſis. Et quia ſolet in magnarũ rerum reuelationibus fieri, in hac intelligendum eſt, factam eſſe ſpiritalem admonitionem, vt confirmaret benedictionem ſuã filio minori, cui potius iraſcendum fuit, quod fefellerit patrem. Sic & de Adam, cum prophetatur hoc Sacramentum magnum, quod dicit Apoſtolus: in Chriſto, & in Eccleſia erunt duo in carne vna, dicitur, quod exſtaſis præceſſerit. Hactenus Aug.

33 *Tulit Ioſeph duos filios ſuos de gremio patris, & poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, ideſt ad ſiniſtram*

[Margin notes, left page: Vatab. — Theodo-ret. — Gen. 25. f. — Chryſ. hõ. de Iacob, & Eſau, in princ. to. 1 — Electio gẽtium, & Iudæorũ reprobatio præfigurata fuit in lege. — Geneſ. 25. c. — Exodi 4 c — Gen. 49. a. — Aug. lib de benedictionibus Iacob in princ to. 3 — Iudæi fuerũt frater maior, gentes, minor cui ſeruit maior.]

[Margin notes, right page: Gen. 27. a. — Greg. ho. 10. ſuper Euang. — Gentium benedictio in benedictione Iacob figuratur. — Aug. q. 80 ſuper Gẽ. tom. 4. — Exſtaſis quid ſit. — Iudæorũ popul⁹ per Manaſſẽ & gentiũ per Ephraĩ deſignatur.]

Gen. 48. *ſtram Iſrael, Manaſſen verò in ſiniſtra ſua, ad dexteram ſcilicet patris, applicuitq. ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim iunioris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus. Benedixitq. Iacob filijs Ioſeph. Videns autem Ioſeph, quòd poſuiſſet pater ſuus dexteram manum ſuper caput Ephraim: grauiter accepit. Et apprehenſam manum patris leuare conatus eſt de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe. Dixitq. ad patrē. Non ita conuenit pater, quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* Quid tanta ſollicitudo, & conſtantia patris benedicentis filium minorem deſignat? Quid illa manuum commutatio indicat, niſi commutationem populorū, quos ſupra diximus, inter ſe in vtero matris colluctari? Dicit enim Auguſti-
Aug. q. 166 ſup. Gē. to. 4. nus. *Quod ita benedicit nepotes ſuos Iſrael, vt dexteram manum minori imponat, maiori autem ſiniſtram: & hoc filio ſuo Ioſeph volenti corrigere, quaſi errantem, atque neſcientem, ita reſpondit: Scio fili mi, ſcio, & hic erit in populum, & hic exaltabitur, ſed frater eius iunior maior illo erit, & ſemen eius erit in multitudine gentium. Hactenus de Chriſto accipiendum eſt, quatenus etiam de ipſo Iacob, & fratre eius dictum eſt, quia maior ſeruiet minori. Secundum hoc enim ſignificauit aliquid prophetice, hoc faciendo Iſrael, quod populus poſterior per Chriſtum futurus regeneratione ſpiritali ſuperaturus erat populum priorem, de carnali patrum generatione gloriantem.*
Pſ 77 Aug. ibid. tō. 8. Et ſuper Pſal. 77. de populo Iudæorum explicans illud: *Filij Ephren intendentes, & mittentes arcum conuerſi ſunt in die belli*, & in eius elucidationem adducens prædictum locum Gen. ait. *Satis intelligamus, quod etiam tunc ex verbis Patriarchæ Iacob longè aliud figurabatur, quàm prudentia carnis expectat. Figurabatur enim, quod futuri eſſent nouiſſimi, qui erant primi, & primi futuri eſſent, qui erant nouiſſimi per Saluatoris aduentum, de quo dictum eſt, qui poſt me venit, ante me factus eſt. Sic Abel iuſtus maiori prælatus eſt fratri: ſic Iſmaeli Iſaac: ſic Eſau congemino ſuo, ſed tamen prius nato, ipſe Iacob: ſic Phares & ipſe congemino ſuo, qui prius manum ex vtero miſerat, & cœperat naſci, & iam naſcendo præceſſit. Sic Dauid maioribus prælatus eſt fratribus: & propter quod iſtæ omnes, atque aliæ ſimilitudines non ſolum dictorum, ſed etiam factorum parabolæ præceſſerunt. Sic populo Iudæorum prælatus eſt populus Chriſtianus, pro quo redimendo quemadmodum Abel à Cain, ſic à Iudæis occiſus eſt Chriſtus. Hoc præfiguratum eſt enim etiā cum Iacob decuſſatim porrectis manibus, dextera tetigit Ephren ad ſiniſtram conſtitutū, eumq; præpoſuit Manaſſæ ad dexteram conſtituto, quem ſiniſtra ipſe tangebat. Nam ſecundum carnem filij Ephren intendentes, & mittentes arcus, conuerſi ſunt in die belli. Quid ſit autē, quod ait, conuerſi ſunt in die belli, conſequentia docent, quibus id apertiſſimè expoſuit. Non cuſtodierunt (inquit) teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Ecce quid eſt, Conuerſi ſunt in die belli: non obſeruauerunt teſtamentum Dei. Vbi arcus tendentes, & mittentes, etiam promiſſionis verba promptiſſimè protulerunt, dicentes. quæcumq; locutus eſt Dominus Deus noſter, audie-*

*mus.*

Fratres maiores in Scriptura præferuntur minoribus. Mat. 20. Ioan. 1. Gē. 4. & 21. & 25. b. Gen. 38. 1. Reg. 16. Gen. 4. Gen. 48. Pſal. 77. Exo. 19. I.



*mus, & faciemus. Conuerſi ſunt in die belli, quia promiſſionem obedientiæ non auditio, ſed tentatio probat.*
Iud. 6. b. Vellus Gedeonis qd ſignificet. Ponitur in area vellus lanæ à Gedeone, & fuit ros in ſolo vellere, in omni autem terra ſiccitas, ita vt *nocte conſurgens, expreſſo vellere concam rore impleuerit*. Commutantur vices, & poſtmodum ſolum vellus ſiccum fuit, & omnis terra rore madens. Et fuit (inquit) ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra. Ecce miraculum grande, requiramus myſterium. Et, vt verbis vtar Auguſtini.
Aug. lib. 12. contra Fauſt. cap. 32. tom. 6. *Qui vellus complutum area ſicca, & poſteà compluta area ſicco vellere, niſi primo vna gens Hebræorum, habens occultè in ſanctis myſterium Dei, quod eſt Chriſtus, quo myſterio totus orbis vacuus erat, nūc autem in manifeſtatione totus orbis id habet, illa vacuata eſt.* Idem docet tom. 3. lib. de mirabilibus ſacræ ſcript. cap. 5. & tom. 8. ſuper pſ. 71. Hæc omnia ſimul Sanctus Iob obum-
Iob. 12. brauit, cum dixit. *Commutans labia veracium, & doctrinam ſenum auferens. Effudit deſpectionem ſuper principes, & eos, qui oppreſſi fuerant, releuat. Quod* (vt inquit Gre-
Greg. 11. Mor. ca. 9. Labia veraciū qualiter Deus cōmuttet. gorius) *de Iudæis poteſt intelligi, qui ante incarnationem Domini veraces fuerunt, quia hunc venturum eſſe crediderunt, atque nuntiauerūt; ſed poſtquam in carne apparuit, hūc eſſe negauerunt. Labium itaque veracium mutatum eſt, quia quem venturum dixerant, negauerūt præſentem, & doctrina ſenum ablata eſt; quia nequaquā ea credēdo ſecuti ſunt, quæ Patres ſuos prædixiſſe me-*
Mat. 4. *minerunt. Vnde etiam Helia veniente promittitur, quòd reducat corda filiorum ad patres eorum, vt doctrina ſenum, quæ nunc à Iudæorum corde ablata eſt, tunc miſerante Domino, redeat, quando hoc intelligere de Domino cœperint filij, quod prædicauerunt Patres. Sin verò ſenes eoſdem quoque Iudæos accipimus, qui ſuadēte perfidia, veritatis verbo contraire conati ſunt, doctrina ablata eſt, poſtquam hanc Eccleſia ex gentibus videlicet iuuencula accepit, quæ per Pſalmiſtam dicit. Super ſeniores intellexi.* Pſa. 118 *Quam quia operando tenuit, qualiter ſuper ſeniores intellexerit, oſtendit dicens. Quia mandata tua exquiſiui. Quia enim ſtuduit operando implere, quod didicit, accepit intelligere, quod doceret. Vnde adhuc apte ſubditur. Effundit deſpectionem ſuper principes, & eos, qui oppreſſi fuerant, releuat. Cum enim Iudæorum populus in legis mandato permaneret, & cuncta gentilitas nulla Dei præcepta cognoſceret, & illi per fidem principari videbantur, & iſti in profundo preſſi iacuerunt per infidelitatem. Sed cum incarnationis dominicæ myſterium Iudæa negauit, gentilitas credidit, & principes in deſpectionem ceciderunt, & ij, qui oppreſſi in culpa perfidiæ fuerant, in veræ fidei libertatem leuati ſunt.* Ex quibus omnibus conſtat, hanc Iſaiæ prophetiam tempore aduentus Chriſti fuiſſe ad literam impletam, quando Apoſtoli, relictis Iudæis cæcis, & obduratis, conuerſi ſunt ad gentes, & plures Eccleſias per totum orbem Chriſto Domino erexerunt, & prædicauerūt Euangelium omni creaturæ, & Chriſti fidē, quę vſq; nūc in cordibus fideliū vberrimos fruct⁹ per charitatē operatur. Nec te moueat, quod dicit Propheta *adhuc in modico, & in breui*, ideſt, poſt breue tempus erit hæc prophetia adimplenda; quoniam licet à tēpore Iſaiæ, vſque ad aduentum Do-

mini

mini fuerint pluſquam ſeptingenti anni tranſacti, vt cap. 1. nu. 6. obſeruauimus; tamen mille anni ante oculos Dei ſunt tamquam dies heſterna, quæ præterijt. *Pſ. 89. a* Vnde id, quod ſpiritu prophetico quaſi iam adimpletum viderat, breui tempore poſt futurum eſſe aſſerit. Vel dicendum, quod multò ante aduentum Chriſti cœperunt multitudine peccatorum excæcari, & obdurari Iudæi, quamuis tempore aduentus Chriſti conſummata fuerit, & expleta eorum malitia. Vnde & Propheta regius *Pſal. 94.* eos admonuit dicens. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto. Vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerũt, & viderunt opera mea. Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi ſemper hi errant corde. Et iſti non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Vbi Au- Aug to. 8. ſup eundẽ Pſal. guſtinus ait. *Quadraginta annis viderũt opera mea, quadraginta annis exacerbauerunt me. Ante illos miracula in manu Moyſi faciebam, & ipſi magis, magiſq; corda obdurabant. Quadraginta annis proximus fui generationi huic. Quid eſt proximus fui? Præſentaui me in ſignis, & virtutibus meis. Non vno die, non duobus, ſed quadraginta annis proximus fui generationi huic. Et dixi ſemper iſti errant corde. Hoc ſignificauerunt quadraginta anni, quod eſt ſemper.* Iſtam incredulitatem, & duritiam cordis imitati ſunt ſemper eorum filij. Iuxta quod Stephanus, Iudæis continentibus aures ſuas, & impetum facientibus vnanimiter in eum, dixit. *Act. 7.* *Vos ſpiritui Sãcto ſemper reſtitiſtis. Semper* (inquit) non vna die vel duobus, non vno menſe, vel anno, non in vna generatione, vel altera, ſed quadraginta annis. Semper: Quia ſemper proficiebant in peius. Vnde & Chriſtus Dominus, Scribis, & Phariſæis, *Mat. 23 d* dicentibus. *Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum,* reſpondit: *Itaq; teſtimonio eſtis vobiſmetipſis: quia filij eſtis eorũ, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram Patrum veſtrorũ. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Quia ergo malitiam, & obſtinationem patrum ſuorum vſque ad ſummũ perduxerunt, occidentes Chriſtum; ideo genimina viperarum dicuntur, ideſt, patribus ſuis deteriores. Deleti ergo ſunt, & deſtructi, atque de regno eiecti, quando impleta eſt eorum malitia. Etenim aduertendum cum Diuo Thoma, *quòd omnia, quæ eueniunt ex certo Dei iudicio, non ſtatim ſoluitur pœna, donec totaliter exaggeretur, &* S. Tho. ſup. c. 23. Matt. Iudæorum malitia impleta eſt in morte Xpi. *veniat ad cumulum: Vnde quantũ ad iudiciũ Dei, non adhuc erat impleta culpa eorum, vnde interfecerunt Prophetas, & nõ eſt adhuc impleta culpa, ſed in Chriſto complebitur. Ideo ait, implete.* Quod (vt Chryſoſt. hom. 75. ſup Matt. notauit Chryſoſtomus) *non hoc dicit, quaſi iniungens, ſed quaſi prædicens quod futurum erat.*

34 *Et addent mites in Domino lætitiã, & pauperes homines in Sancto Iſrael exultabunt.* Loquitur de eiſdem gentibus, conuerſis ad fidem, quos mites appellat, quia in mãſuetudine ſuſceperunt inſitum verbum Dei; quia ſecuti ſunt illum qui ait. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* *Matt. 11 d* Iſti (inquit) cum ad Chriſtum conuolauerint, cum, relictis idolis, adorauerint verum Deũ,

non



non ſolum ipſi lætabuntur ſpe fœlicitatis æternæ, quam illis Dominus re- *Mat. 5. a* promiſit, dicens: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, ſed etiam addent lætitiam alijs, videlicet, Apoſtolis, & reliquijs Iſrael, quæ ſecundum electionem ſaluæ factæ ſunt. Hoc adimpletum eſt, cum, prædicante gentibus Petro, & alijs Apoſtolis diſſeminantibus verbum *Act. 3. f* Dei per vniuerſam regionem, *diſcipuli replebantur gaudio, & ſpiritu ſancto*. Quod & Pſalmiſta multò antea ſpiritu prophetico præuiderat. *Pſ. 106.* *Statuit* (inquit) *procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt, quia ſiluerunt.* Quid Gentiliũ corda per fluctus maris deſignãtur. enim per fluctus maris, niſi corda gentilium deſignantur, quæ, vento ſuperbiæ flante, aduerſus nauiculam Eccleſiæ inſurrexerũt, de quibus ſcri- *Pſal. 92.* ptum eſt: *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam. Eleuauerunt flumina fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris.* Si enim cor impij eſt quaſi mare fer- *Iſa. 57. d.* uens, quod quieſcere nõ poteſt, quomodo corda infidelium quieſcent? At quoniam teſtimonia Dei illis credibilia facta ſunt nimis, quoniã im- *Marci. 4. d* perauit ventis, & mari, dicens illi, tace, obmuteſce, quoniam ſuperbiã gentium in manſuetudinem conuertit, ſiluerunt fluctus eius. & quia ſiluerunt, lætati ſunt Angeli in cœlo, *Lucæ 15. b* quia, *gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Gaudent Apoſtoli, de quibus dictum eſt *Iſaiæ 9.* ſupra: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* Exultant omnes fideles, quia iucundum eſt cum mitibus, & ſimplicibus conuerſari. *Addentes lætitiã*: Lætificant Deum, qui vnda baptiſmatis regenerati, offerunt Deo munera: ſed addunt lætitiam, cum omnino ſæculo renuntiant, & ſe ipſos conſecrant Chriſto, Seculo renũtiantes addunt lætitiam. ac ſolemni voto Religionis adſtringũt. In cuius ſignum Abraham fecit *Gen. 21. a* grande conuiuium in die ablactationis pueri, vt lætitiam, quam addunt Deo, & Eccleſiæ, illi, qui cupiditatibus ſęculi renuntiant, deſignaret. Vndè & ſubditur: *Et pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt*, illi videlicet, qui omnia reliquerunt, & ſemetipſos propter Deum: de quibus Petrus: *Ecce nos reliquimus* *Mat. 19 d* *omnia, & ſecuti ſumus te.* Omnia (inquit) nihil reſeruans, etiam propriam voluntatem. *Nec inutilis cõ-* Bern. i declamat. ſup Euang. Ecce nos reliquim⁹ col. 1. *mutatio* (ait Bernardus) *pro eo, qui ſuper omnia eſt, omnia reliquiſſe. Nam & ſimul cum eo donantur omnia, & vbi apprehenderis eum, erit vnus ipſe omnia in omnibus, qui pro ipſo omnia reliquerunt. Omnia ſanè dixerim, non tantum poſſeſſiones, ſed etiam cupiditates, & eas maximè. Plus enim concupiſcentia mundi, quam ſubſtantia nocet. Et hæc fugiendarum cauſa diuitiarum præcipua eſt, quod aut vix, aut nunquam ſine amore valeant poſſideri. Limoſa ſiquidem, & glutinoſa nimis non modo exterior, verum etiam interior ſubſtantia noſtra videtur, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Age ergo, qui relinquere vniuerſa diſponis, te quo-* Relinquẽs omnia, relinquat ſe ipſum. *que inter relinquenda numerare memento. Immò vero maximè, & principaliter abnega temetipſum, ſi deliberas ſequi eum, qui exinaniuit ſe propter temetipſum.* Aequum autem eſt, vt qui nullam in hoc ſæculo conſolationem habent, neque lætantur in delitijs tranſitorijs, exultent in Deo. Si enim (vt Gregorius inquit) *tanto quiſque à ſuperno amore disiungitur, quanto inferius delectatur,* Gregor.

vtique

vtique è contrario, tanto delectabitur in Domino, quanto ab amore rerum corruptibilium ſeparatur.

35 *Quoniam defecit, qui præualebat, cõſummatus eſt illuſor, & ſuccisi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem, qui peccare faciebãt homines in verbo, & arguentem in porta ſupplantabant, & declinauerunt fruſtrà à iuſto*. Aſſignat rationem, propter quam mites, & pauperes exultabunt; nam futurum eſt aliquando, vt Tyrannus, qui perſequebatur illos, deficiat, & illuſor cõfuſus maneat. Hoc autem eueniet, quando regnum Cœlorũ illis repromiſſum adepti fuerint. Tunc enim perfectiſſima perfruentur pace. Diabolus, atque illius miniſtri ſunt, qui præualebant aduerſus pauperes, & mites, non quidem animas, ſed corpora dumtaxat eorum occidendo. Iſti vigilant ſuper iniquitatem, quia iniquis fauent, & peccatoribus, Hi peccare faciunt alios, ſuaſione, atque exemplo, dum magiſtri iniquitatis fiunt. *Et arguentem in porta*, ideſt, Chriſtum, qui publice reprehendebat eorum delicta, ſupplantare conabantur. Vel ex eò Chriſtus dicitur arguens in porta, quoniam in die Iudicij omnium arguet crimina. Reliqua verba: *Et declinauerunt fruſtra à iuſto*, poſſunt dupliciter explicari. Primo, vt ille ablatiuus, *à iuſto*, ſit in genere neutro. Et tunc ſenſus eſt. *Declinauerũt à iuſto*, id eſt, ab eo, quod iuſtum eſt, & hoc fruſtra, id eſt, abſque vlla cauſa: &, vt inquit Propheta, *propter puſillum hordei, & fragmen panis*. Secundò poteſt intelligi ita, vt ille ablatiuus *à iuſto*, ſit maſculini generis, & tunc ſenſus eſt. *Declinauerunt à iuſto*, hoc eſt à Deo, qui per eſſentiam iuſtus eſt. Declinauerunt

[Margin: Chriſtus dicitur arguens in porta. ideſt in iudicio.]

[Margin: *Ezech. 13. d*]

à Chriſto. Quia dixerunt: *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Et iterum: *Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſrael*. Sed ij fruſtrà conabantur à Deo declinare: quoniam, vt ſæpè docet Sanctus Thomas, peccatores, dum fugiunt vnum ordinem diuinæ prouidentiæ, incidunt in alium. Subſtrahunt ſe ab ordine diuinæ miſericordię, & in ordinem incidunt iuſtitiæ. Scriptum eſt enim: *Fugient arma ferrea, & incident in arcum æreum*. Vatablus, vbi nos legimus: *& ſuccisi ſunt omnes qui vigilabant ſuper iniquitatem*, vertit: *Excidenturque omnes qui inuigilant, ideſt qui perſeuerant in iniquitate*, vt transfert Pagninus.

[Margin: *Iob. 21. b.* *Iſa. 30. c* *Iob. 20. d*]

36 *Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob: qui redemit Abraham. Non modo confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubeſcet, ſed, cum viderit filios ſuos, opera manuum mearum, in medio ſui ſanctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt. Et ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem*. Quidam doctores omnia iſta verba interpretantur de gentilitate, annectentes illa verbis præcedentibus, ità vt ſenſus ſit: *Propter hoc*, ideſt, ne aliquis decipiatur, credens ſtatim fore adimplendum, quod ſupra dixi, *Et audient ſurdi verba libri*, hæc dicit Dominus: *Non modo confundetur Iacob*, ideſt, confuſio, & abiectio Iudæorum non erit modo, nec ſimiliter vocatio gentium, ſed quando viderint filios ſuos, videlicet Apoſtolos ſanctificãtes nomen meum, quando repleti ſpiritu ſancto loquentur magnalia Dei. Sic interpretatur iſtum locum

Nicolaus



[Margin: Lyra.]

Nicolaus de Lyra, & gloſſa interlinealis. Sed Sanctus Cyrillus, Sanctus Thomas, & multi alij Doctores hæc verba interpretantur de Iudæis, qui tandem conuertentur ad Chriſtum in fine ſæculi, quando à corde illorum auferetur velamen. Et iuxta hanc explicationem ſenſus eſt. Dominus, qui redemit Abraham, hæc dicit ad domum Iacob: ſic enim cõſtruenda eſt littera. Confundetur aliquando Iacob confuſione illa, de qua ſcriptum eſt: *Eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam*. Erubeſcet vultus eius, quia peccauit, Dei filium morti tradens, reſipiſcet, & pœnitentiam aget. Hoc tamen non eueniet modo, ſed cum plenitudo gentium intrauerit, cum viderint filios ſuos, hoc eſt, Apoſtolos, & prædicatores Euangelij, gentes Idololatras ad Deum conuertiſſe, atque adimpletum, quod dictum eſt ſupra. *Conuertetur Libanus in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur*. Tunc errantes ſpiritu, ideſt Iudæi, de quibꝰ dictum eſt, *Inebriamini, & non à vino*, ſcient intellectum, id eſt vere intelligent Scripturas, & librum clauſum. Et muſſitatores, de quibus ſupra dixerat: *Et de humo eloquium tuum muſſitabit*, diſcent legem Euãgelij, & Chriſti præcepta obſeruabunt. Hinc ſanctus Iob: *Immanibus* (inquit) *abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſus adueniat*. *Quod* (vt Gregorius ait) *intelligi ſpecialiter de Iudæis poteſt, qui idcirco Redemptori noſtro in carne venienti contradicere auſi ſunt, quia apud ſemetipſos immanes extiterunt, ſed his immanibus lux abſconſa eſt: quia ſuperbi lumen veritatis, dum perſequuntur, amiſerunt. Sed quia in fine mundi ad fidem recipiẽdi ſunt, rectè ſubiungitur*: Et præcipit ei, vt

[Margin: *Eccl. 4. c* Iudæorum conuerſio quando futura.*]

[Margin: *Iob. 26.*]

[Margin: Greg. 27. Mor. 7.]

*rurſus adueniat*. Vnde etiam per Eſaiam dicitur. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, reliquiæ ſaluæ fient*. Tunc quippè ad eos lux reuertitur, cum ipſi ad cõfitendam Redemptoris noſtri potentiam reuertuntur. Si autem, in manibus, nequaquam per datiuum caſum vnum nomen, ſed duas partes orationis accipimus, poteſt intelligi, quia in manibus lux abſconditur, cum apud rectum Iudicem iniqui quique in ſuis operibus cæcãtur. Cui tamen præcipitur, vt rurſus adueniat: quia, dum peccatores ſe ſuis viribus ſaluari non poſſe cognouerint, gratiæ lumen accipiunt, & protectionis intimæ radijs illuſtrantur, vt maiore ardore poſtmodum cœleſtem patriam diligant, quam prius in terrena delectatione flagrabant.] Et in alio loco idem Sanctus Iob in perſona Chriſti loquens, ait. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, deſignans, Dominum non in perpetuum à ſynagoga receſſurũ, ſed in fine ſæculi tamdem reuerſurum ad illam, vt Iudæos ad ſe conuertat, & ſibi obſequentes faciat. *Redemptoris mater* (inquit Gregorius) *iuxta carnem ſynagoga extitit, ex qua ad nos per corpus viſibilis proceſſit. Sed hunc intra ſe tegmine literæ adopertum tenuit, dum ad ſpiritalem eius intelligentiam mentis oculos aperire neglexit. Hũc, quia in carne humani corporis latẽtem videre Deum noluit, quaſi in diuinitate nudum conſpicere cõtẽpſit. Sed nudus de vtero matris exijt: quia à Synagogæ carne prodiens, conſpicuus ad gentes venit. Quod bene Ioſeph relicto pallio fugiente ſignatum eſt. Dum enim mulier adultera malè illo vti voluiſſet, relicto pallio, fugit.*

[Margin: *Iſa. 10.*]

[Margin: *Iob. 1. d* Chriſtus à ſynagoga exijt nudꝰ.]

[Margin: Gregor. 2. Mor. 23.]

[Margin: *Gen. 29.*]

Ioſeph fugiẽs à Domĩna ſua, Chriſtũ fugiẽtẽ à Synagoga deſignat.

*git foras; quia dum Synagoga Dominum purum hominem credens, quaſi adulterino complexu conſtringere voluit: ipſe tegmen literæ eius oculis reliquit, & ad cognoſcendam diuinitatis ſuæ potentiam, conſpicuum ſe gentibus præbuit. Vnde & Paulus*
2.Cor.8. *dixit: Vſq; hodiè dum legitur Moyſes, velamen eſt poſitum ſuper cor eorum, quia videlicet adultera mulier apud ſemetipſam pallium retinuit, & quem malè tenebat, nudum amiſit. Quia ergo à Synagoga veniens, fidei gentium conſpicuus apparuit, ex vtero matris nudus exijt. Sed nũquid hanc omninò deſeruit? Et vbi*
Eſai.10. *eſt, quod per Prophetam dicitur. Si fuerit numerus filiorum Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ ſaluæ fient?*
Rom.11 Vbi eſt, quod ſcriptum eſt: *Donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret?* Erit ergo quandoque conſpicuus, vt etiam Synagogæ appareat. Erit in fine mundi proculdubiò, quando gentis ſuæ reliquijs ſemetipſum, ſicut eſt Dominus, innoteſcet. Lege ſupradicta cap. 9. num. 8. in illa verba. *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam.*

37 *Sed cum viderit filios ſuos, &c.* Expende quantam vim habeat, & energiam ad commouendos animos infidelium, vt fidem ſuſcipiant, vita irreprehenſibilis miniſtrorum Euangelij, & omnium rerum temporalium contemptus. Non enim ait, Iudæos in fine ſæculi eſſe ad Chriſtum venturos, cum audierint filios ſuos, ſed cum viderint filios ſuos, opera manuum mearum in medio ſui, ſanctificantes nomen meum; quoniam ipſa prædicatorum ſanctitas maximè attrahit obduratos ad fidem. Duodecim homines totam ferè mundi machinam inſtruxerunt in fide, & modicum fermentum tantam molem farinæ vniuerſi fermentauit, ſecundum illud, quod dicitur in Euangelio, *Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermantatum eſt totum.* & ecce modò prędicatores innumeri gẽtium reliquias conuertere non poſſunt. Sed dices, illos Apoſtolos fuiſſe. *Quid ad rem* (ait Chriſoſtomus) *Nonne tecum eiuſdem naturæ fuerunt? An forſan credis illos angelos natura, aut de cœlo lapſos fuiſſe? Mũdum conuerterunt, non propter miracula, quæ fecerunt, ſed quia in ipſis erat verus gloriæ, atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam ſæcularium harum rerũ curam habebant. Nam niſi hoc habuiſſent, ſi paſſionibus, veluti nos, ſeruiſſent, etiam ſi de morte innumeros homines ſuſcitaſſent, non ſolum nihil vtilitatis feciſſent, verum etiam ſeductorũ, atque deceptorum nomen nõ effugiſſent. Viuendi ergo diſciplina eſt, quæ vbique fulget, quæ ſpiritus etiã gratiam attrahit. Quod enim ſignũ Ioannes fecit, qui tot, tantaſque ciuitates erudiuit? Nam nihil miraculosè ipſum egiſſe, teſtatur Euangeliſta, dicens: Ioannes quidem nullum ſignum fecit. Vnde autem Helias mirabilis factus? Nonne quia Regem liberè alloquebatur? Nonne, quia nihil poſſidebat, clarius, quam per ſigna quoque perfecit? Iob autem illum quibus ſignis Diabolus admiratus eſt? Certè ſigno quidem nullo, vitæ autem mirabili diſciplina, & robore animi excelſo, atque inuicto,* Hinc dominus ipſe mittens Apoſtolos ad prædicandum, dixit illis: *Nolite portare ſacculum neque peram, neque calceamenta,* vt videlicet per contemptum terrenorum, audientium animos inflãmarent, ad exquirendum regnum cœlorum. Et iterum

Moral.

Prædicatorum vita inculpabilis pl⁹ mouet; quàm verba *

Mat.13 e

Chryſoſt. hom. 47. ſup Matt. to. 2.

Io. 10. g

3. Reg. 18. c

Iob.1.& 2.

Luca 10 a





Mat. 5. rum ait. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Non inquit, vt audiãt verba veſtra, ſed, vt videãt opera veſtra bona. His enim prouocantur auditores ad glorificandũ Deum, & ad ſuſcipiendum, & venerandum legem, quæ tales nutrit miniſtros. Qui autem Chriſtum prædicant, ſed factis negant, ad blaſphemandum potius nomen Domini gentes prouocant, ſicut ſcriptum eſt: *Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Lege ſuperius notata cap. 1. nu. 50. & cap. 6. nu. 28.

# CAPVT XXX.

1. VAE filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum. 2. 3. Vt adderetis peccatum ſuper peccatum: qui ambulatis vt deſcendatis in Aegyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciã in vmbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. 4. Erant enim in Taphnis principes tui, & nũcij tui vſque ad Hanes peruenerunt. Omnes confuſi ſunt ſuper populo, qui eis prodeſſe non potuit: non fuerunt in auxilium & in aliquam vtilitatem, ſed in confuſionem & in opprobrium. 5. Onus iumentorum Auſtri. In terra tribulationis & anguſtiæ leæna, & leo ex eis, vipera & regulus volans portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum, qui eis prodeſſe non poterit. Aegyptus enim fruſtra & vane auxiliabitur. 6. Ideo clamaui ſuper hoc: Superbia tantum eſt, quieſce. 7. Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud. 8. Et erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum. 9. Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre: & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: 10. 11. loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, de-

clinate à me ſemitam , ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael . 12.
Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael : Pro eo quòd reprobaſtis ver-
bum hoc, & ſperaſtis in calumnia & in tumultu , & innixi eſtis
ſuper eo: 13. Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interru-
ptio cadens , & requiſita in muro excelſo , quoniam ſubito ,
dum non ſperatur, veniet contritio eius . 14. Et comminuetur
ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida : & non inuenie-
tur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio,
aut hauriatur parum aquæ de fouea. 15. Quia hæc dicit Dominus
Deus ſanctus Iſrael : Si reuertamini & quieſcatis,ſalui eritis : 16. 17.
18. In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. 19. Et noluiſtis: & di-
xiſtis : Nequaquam, ſed ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et ſu-
per veloces aſcendemus: ideo velociores erunt, qui perſequentur
vos.20.Mille homines à facie terroris vnius : & à facie terroris quin-
que fugietis, donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice mon-
tis, & quaſi ſignum ſuper collem. 21.22. Propterea expectat Domi-
nus vt miſereatur veſtri:& ideo exaltabitur parcens vobis:quia Deus
iudicij Dominus : beati omnes qui expectant eum.23. Populus enim
Sion habitabit in Ieruſalem : plorans nequaquam plorabis, miſerans
miſerebitur tui : 24.25.26.27.28. Ad vocem clamoris tui ſtatim vt
audierit, reſpondebit tibi . 29. 30. 31. 32. Et dabit vobis Dominus
panem arctum,& aquam breuem : 33. & non faciet auolare à te vltra
doctorem tuum : 34. & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.
Et aures tuæ audient 35. 36. verbum poſt tergum monentis : 37.
Hæc eſt via, ambulate in ea : 38. Et non declinetis neque ad dexte-
ram, neque ad ſiniſtram . 39. Et contaminabis laminam ſculptilium
argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut
immunditiam menſtruatæ. Egredere, dices ei: 40. Et dabitur plu-
uia ſemini tuo, vbicumque ſeminaueris in terra : 41. & panis frugũ
terræ erit vberrimus, & pinguis. 42. 43. Paſcetur in poſſeſſione tua
in die illo agnus ſpatioſe: & tauri tui, & pulli aſinorum , qui ope-
rantur terram, 44. 45. commixtum migma comedent ſicut in area
ventilatum eſt. 46. Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſu-
per omnem collem eleuatum riui currentium aquarum in die inter-
fectionis multorum cum ceciderint turres . 47. 48. Et erit lux lunæ
ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum
in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſuram
plagæ eius ſanauerit. 49. Ecce nomen Domini venit de longinquo,
ardens furor eius, & grauis ad portandum : labia eius repleta ſunt





indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans. Spiritus eius ve-
lut torrens inundans vſque ad medium colli ad perdendas gentes in
nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum. 50.
Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia
cordis ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in monte Domini ad for-
tem Iſrael. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terro-
rem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis
deuorantis : allidet in turbine, & in lapide grandinis. A voce enim
Domini pauebit Aſſur virga percuſſus. Et erit tranſitus virgæ funda-
tus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum in tympanis & ci-
tharis;& in bellis præcipuis expugnabit eos. 51.Præparata eſt enim
ab heri Topheth, à Rege præparata, profunda, & dilatata. 52. Nu-
trimenta eius, ignis & ligna multa : 53. flatus Domini ſicut torrens
ſulphuris ſuccendens eam.

## SVMMA CAPITIS.

V*T conſtat ex libro quarto Regum cap.17.decem Tribus auxilium poſtulantes ab Aegyptijs, captæ ſunt ab Aſſyrijs, atque in Ciuitatem Medorum tranſlatæ. ſimiliter etiam duas Tribus, adhuc Iſaia viuente, fiduciam habuiſſe in Aegyptijs, cognoſcimus ex illis verbis cap. 20. huius prophetiæ.* Et timebunt, & confundentur ab Aethyopia ſpe ſua, & ab Aegypto gloria ſua. *Tempore etiam Hieremiæ, qui 150. annis poſt Iſaiam prophetauit, ad Aegyptum confugerunt contra præceptum Domini, reliquiæ captiuitatis Babylonis, vt ex cap. 42. 43: & 46. eiuſdem colligitur. Igitur nonnulli arbitrantur huius cap. prophetiam loqui contra decem Tribus, quarum lib.4.Reg. fit mentio. alij contra duas Tribus, de quibus cap. 20. ſermonem fecit Iſaias: ſed D. Hieronymus, Theodoretus, & alij expoſitores communiter ſentiunt, iſtam prophetiam contra eos dirigi, qui tempore Hieremiæ auxilium ab Aegyptijs contra præceptum Domini poſtularunt. Hæc explicatio eſt multò magis conformis contextui huius capitis, vt patebit, ſi littera illius cum his, quæ vbi ſupra dicit Hieremias, conferatur.*

*Igitur caput præſens in ſeptem diuiditur partes. Primò comminatur excidium reliquijs populi, quæ poſt deſtructionem Hieruſalem in Aegyptum deſcenderunt, oſtendens, nullum ex Aegyptijs auxilium reportare potuiſſe, ſed potius confuſionem & laborem, de quo agit à principio capitis, vſque ad verſiculum:* Nunc ergo ingreſſus, &c.

*Secundo, oſtendit condignam eſſe, & iuſtam pœnam, quam Dominus inferre illi populo ſtatuerat, eo quod verba Domini irridebat. De quo ab illo verſiculo:* Populus enim ad iracundiam, &c. *vbi diffidentiam, & incredulitatem eius arguit.*

*Tertiò grauitatem pœnæ deſcribit, eam conferens interruptioni cadentis muri excelſi, atque lagenæ figuli confractæ, verſiculo*: Propterea erit vobis iniquitas hæc, &c.

*Quartò, hortatur populum, vt ſuis malis edoctus ad Deum per pœnitentiā reuertatur, promittens illis non modicam quietē, & certiores eos faciens de miſericordia Dei, qui ad ſe clamantibus reſpondere non differt, verſiculo*: Si reuertamini & quieſcatis, &c.

*Quintò, vt eos magis ac magis alliciat, promittit eis legem Euangelicam, quam, panem arctum, & aquam breuem dixit, eo quod in vno dilectionis præcepto penè innumera legis mandata perſtrinxit. verſiculo*: Et dabit vobis Dominus panem arctum, &c. *Et occaſione huius agit de aduentu Chriſti, qui tanquam doctor, & magiſter legem docuit Euangelicam. verſiculo*: Et non faciet auolare à te vltra doctorem tuum.

*Sextò, agit de effectibus prædicationis Euangelicæ. Et inter alios, quos enumerat, primus eſt exterminatio idololatriæ, atque idolorum excluſio, de qua agit verſiculo*: Et contaminabis laminas ſculptilium, &c. *Secundus eſt abundantia doctrinæ ſanæ, atque vbertas bonorum operum, de quibus agit ab illo verſiculo*: Et dabitur pluuia ſemini tuo. *Sed quoniam multi increduli abuſi ſunt miſericordia Dei, quam in primo oſtendit aduentu, ideo in ſeptima, & vltima parte huius capitis, agit de aduentu Domini ad iudicium; deſcribitq. indignationem iudicis. verſiculo*: Ecce nomen Domini venit de longinquo. *Vbi conſequenter agit de gloria & lætitia beatorum. verſiculo*: Cāticum erit vobis. *Ac demū de gehenna diabolo, atq; omnibus reprobis præparata. verſiculo*: Præparata eſt .n. ab heri Tophet, &c. *vſque ad finē capitis.*

# COMMENTARIVM.

V*AE filij deſertores dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & nō ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum*. Inter cætera præcepta Domini hoc vnū erat Iudæis impoſitum, ne commiſcerentur gentibus, neque auxilium peterent ab illis, ſed in Deo ſolo ſperarent. Voluit populū ſuum à cōmercijs Aegyptiorū ſeparare, tū vt cauerēt à ſuperſtitione illius gētis, atq; ab idololatria: cōſortio .n. infideliū imbibuntur mores eorū peſſimi: tum etiā, quoniam petētes auxiliū ab Aegyptijs obliuiſcebantur Dei Creatoris ſui, atq; oīum beneficiorū eius: tū deniq, quoniā egerrimè fert Altiſſim⁹, quòd ab alio, quàm ab ipſo pendeamus, nec patitur nos recurſū ad creaturas habere, dū ſumus in neceſsitate cōſtituti. Tantum .n. detrahimus à fiducia, quam in Deo collocare debemus, quantum in humanis auxilijs confidimus. Iudæi autē, contempto Domini mādato, cum Aegyptijs fœdus inierunt; à quibus tamen ſępiſsimè fuerunt deluſi. Hæc .n. inter ſe conſiliantes dicebant. Ecce magna eſt potentia Aegyptiorum, inexpugnabilis eorum exercitus, & ſapientia ſingularis, quorum amicitiam in periculis ſpernere, eſſet Deū tentare, & in quàmplurima pericula incidere. Securi ergo erimus, ſi eorum protegamur auxilio, nec audebit aliquis contra nos inſurgere. Citò obliti ſunt operum Dei, & mirabilium eius, quæ fecit, dum eos eduxit de terra Aegypti. Ideò non à Domino, ſed ab Aegyptijs requirunt auxilium. Septuag. Interpretes pro, *Væ filij deſertores*, transferunt, *Væ filij Apoſtatæ*, ideſt filij rebelles, impij, ſcelerati, recedentes à Domino, deſerentes vitam, vt ad vmbram Aegypti confugiatis. Vatablus vertit: *Væ filijs defectoribus, ideſt, rebellibus*: nam per rebellionem à via veritatis, atque à ſalute ſibi repromiſſa deficere voluerunt. Pagninus transfert: *Væ filijs declinantibus, ideſt, à Deo recedentibus, & confugientibus ad Aegyptum. Vt faceretis conſilium*. Obſerua, quod non ait: vt ſtatueretis legem, vt ſtabiliretis decretum firmū, ſed, *vt faceretis conſilium*. Etenim in his, quæ ſunt illicita, non ſolùm vult Dominus, quòd homines nullum ſtatuant decretum, ſed etiam cauet, ne aliquid attentēt, vel ſuper tali re conſilium habeant. Nam in talibus cōſilium habere, ſtatutis conſtat derogare diuinis, quæ violari cenſentur, etiam ſolo conſilio. Vndè & Iacob morti proximus ait: *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea*. Non dixit, in decretum, non dixit, in electionem, quæ ſequitur poſt conſilium, non ait, in factum eorum peſsimum, qui morti tradiderunt Chriſtum, ſed, in conſilium; in illud videlicet, quod tractauerunt, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*. Quia non ſolùm factum, non ſolum Chriſtum occidere, ſed etiam conſiliari de hoc, erat deteſtandum. Hinc & in laudem iuſti canit Pſalmiſta: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum*. Si autem turpe non eſſet ad peccandum inire conſilia, non vtique laudaretur iuſtus, qui nō abijt in conſilio impiorum. Illud autem, quod ſubditur, *& ordiremini telam*, idem ſignificat, quod facere conſilium. Vndè illa geminatio ad maiorem ponitur explicationem, vt ſciamus, quòd auxilium quærere ab hominibus, vel in ipſis ſperare, nihil aliud eſt quam texere telas aranearum; quæ non ſubſiſtunt.

Peccatum non ſolum non eſt patrandum: ſed nec ineundū cōſilium, vt fiat.*

Gen. 49.

Ioā. 11.

Pſal. 1.

2 *Vt adderetis peccatum ſuper peccatum. Qui ambulatis, vt deſcendatis in Aegyptum, & os meum non interrogaſtis*. Illa dictio, *vt*, non eſt accipienda cauſaliter, ſed conſecutiuè, & importat rei euentum, quaſi dicat. Ineuntes prædictum conſilium, peccatum peccatō addidiſtis. Peccauerunt Iudæi, amittentes fiduciam, & ſpem, quam in Deo conſtituere debebant, ſed addiderunt peccatum, cum Aegyptiorum requiſiuerunt auxilium. *Qui ambulatis* (inquit,) *vt deſcendatis in Aegyptum*. Vide hominum dementiam. In Aegypto afflicti fuerant duris operibus luti, & lateris, & ab Aegypto auxilium requirunt? Cum educeret eos Dominus de terra Aegypti, & in terram duceret, lacte, & melle manantem, murmurabant, aſperitatem itineris non ſuſtinentes, nec laborem vaſtæ ſolitudinis, & tamen cum ad Aegyptum confugiunt, laboribus itineris non parcunt, nec ſumptibus, vt ſatisfaciant inſano deſiderio ſuo. Non interrogant Dominum, neque conſulunt Prophetas illius, ſed omnium obliti, ad alienos confugiunt.

Spē in homine conſtituere eſt addere peccatum peccato.

Sperantes i homine, in vmbra ſperant.

Sequitur: *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti.* Vbi fortitudinem Pharaonis vmbrã appellat, quoniam omnis potentia humana

Iob. 14. a

*fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Succiditur arbor, vel areſcunt, & decidunt folia illius, & deficit vmbra protegens eos, qui ſub illo requieſcunt.

Ionæ 4.

Sic accidit Ionæ. *Fecit ſibimet vmbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in vmbra, donec videret, quid accideret Ciuitati. Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ: vt eſſet vmbra ſuper caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) & lætatus eſt Ionas ſuper hedera lætitia magna, Et parauit Deus vermẽ aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit: & cum ortus fuiſſet ſol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti, & percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat.* Sic etiam accidit Iudæis. Subditur enim: *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.*

Ioſeph detinetur in carcere qa ſperauit i homine.

3 Hinc collige, quantũ Deo diſpliceant, qui, Dei obliti, humanum in ſuis tribulationibus requirũt auxilium, & quàm vanum ſit ſpem in alio, quàm in Deo conſtituere. Non ob aliam cauſam Sanctus Ioſeph Patriarcha (vt notauit Chryſoſtomus) permiſſus eſt longiori tempore in carcere commorari, niſi quia ſpem in homine conſtituit. *Memento mei* (inquit) *cum tibi bene fuerit, & facies mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere; quia furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.* Quod & Sanctus Ambroſius obſeruauit, dicens.

Chryſoſt. hom. 6. in Epiſt. ad Tit. in fine, tom. 4.

Gen. 40. a

Ambr. ſer. 82. de tẽpore to. 10

Pſa. 117

*Quia nondum ſcriptum erat: Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in homine, cum in omnibus Dei gratiã meruiſſet, ſurreptum eſt illi, vt ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sũt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tanquam diceret ei Deus: Ego tibi oſtendo, vt magis à me, quam ab homine debeas auxilium poſtulare. Sine vlla enim dubitatione credendũ eſt, quod pro caſtigatione ſancti Ioſeph non permiſit Deus magiſtrum pincernarum, vt in mente haberet, quod ei Sanctus Ioſeph, quando de carcere dimiſſus eſt, ſupplicauerat.* Hinc & Propheta Regius nos admonet dicens.

Pſ. 146.

Sperantes in homine reprehenduntur.

*Nolite confidere in principibus, in filÿs hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius: ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Vide, qualiter ſpem noſtram retrahit à principibus, & in ſolo Deo conſtituit. Illi deficiuut, & multoties ſibi auxilio eſſe non poſſunt: quomodo ergo alios poterunt adiuuare?

Ierem. 17. a

*Maledictus* ergo, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Carnem (inquit) quæ oſſibus indiget, vt ſuſtentetur; carnem, quæ non prodeſt quicquam; carnem debilem; atque expoſitam corruptioni; & relinquit brachium æreum virtutis Dei, qui paratus eſt nobis auxiliari.

Bern. ſer. 9 ſupra pſal. Qui habitat.

Sperandũ in Deo.

*Vt quid cunctamur* (ait Bernardus) *abÿcere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic vni tam ſolidæ, tam beatæ ſpei tota deuotione animi inhæreret? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt; quære aliud,*



*aliud, in quo ſperes. Sed verbo omnia poteſt. Quid facilius dictu? An verò de facilitate iam non dubitas, ſed ipſa tibi eſt ſuſpecta voluntas? Quando in ſe ſperãti deſit illa maieſtas, quæ tam ſtudioſe monet, in ſe ſperari? Plane non derelinquit ſperantes in ſe.*

Pſal. 36.

*Adiuuabit eos (ait) & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos. Quare? Quibus meritis? Quia ſperauerunt in eo. Dulcis cauſa, attamẽ efficax, & irrefragabilis. Quis ſperauit in eo, & confuſus eſt? Sed quod dicit, Tu es Domine ſpes mea, fortè amplius aliquid ſonat, & ſublimius, quod videlicet non modo in eo ſperet, ſed eum. Conuenientius ſiquidem ſpes noſtra dicitur, quod ſperamus, quam in quo ſperamus. Sunt autem fortè nonnulli, qui à Domino obtinere temporalia, ſeu ſpiritualia quælibet concupiſcunt; ſed perfecta charitas ſolum ſitit quod ſummum eſt, tota deſiderÿ vehementia clamat:*

ſpei noſtræ obiectum eſt Deus.

Pſa. 72.

*Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terrã? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Beatus Iob inter alia crimina, quæ à ſe aliena fuiſſe teſtatur, hoc

Iob. 31.

vnum enumerat, dicens. *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea*, oſtendens, in nulla re temporali, quantumuis ſtabilis, & pretioſa videatur, ſpem eſſe conſtituendam. Si in auro, & obrizo non eſt fidendum, quantò magis inſanum erit, & turpe in aquis volubilibus, & defluentibus pedem figere? Aquæ multæ, populi multi, ſecundum illud, quod ſcriptum eſt.

Apoc. 17

*Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & gentes, & linguæ.* Et rurſus,

2. Reg. 14.

*Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram.* Qui ergo in principibus, atque in regnis mundi figit pedem, quomodò ſubſiſtere poterit? Vnde & Gregorius ait:

Greg. 22. Mor. ca. 2.

*Quaſi in aquis defluentibus fundamentum ponere eſt, in rebus labentibus ſpei fiduciam velle ſolidare. Stante enim in perpetuum Deo, tranſeunt omnia. Quid ergo ab ſtante fugere eſt, niſi tranſeuntibus rebus inhærere? Quis namque vmquam decurrentium fluminũ tumidis vorticibus raptus, manere ipſe fixus potuit, deorſum vnda defluente? Quiſquis ergo defluere deuitat, ſupereſt, vt quod defluit fugiat, ne per hoc, quod amat, in hoc cogatur peruenire, quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illo videlicet trahitur. Prius itaque curandum eſt, ne quis temporalia diligat, ac deinde in eiſdem temporalibus, quæ non ad delectationem ſibi, ſed ad vſum retinet, fiduciam ponat. Quoniam coniunctus decurrentibus, mox ſtatum ſuum animus perdit: nam valdè demens eſt, qui in vnda voluitur, & plantam figere conatur.* Hæc autem magis explicat verbis ſequentibus.

Sperans i homine pedem figit i aquis defluentib.

4 *Erant enim in Taphnis principes tui, & nũcÿ tui vſque ad Thanes peruenerunt: omnes confuſi ſunt ſuper populo, qui eis prodeſſe non poterat. Non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, ſed in confuſionem, & in opprobium.* Taphnis præcipua Ciuitas eſt Aegypti, vbi domus Pharaonis ędificata erat. Cuius Ciuitatis fit mentio in pſalmo 77. cum dicitur. *Qui fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Thaneos.* Pſ. 77. b

Similiter etiam Thanes eſt alia Ciuitas Aegypti, in vltima parte illius, verſus Aethyopes conſtituta. Cum ergo ad tam opulentas, & munitas Ciuitates nuncÿ filiorum Iſrael peruenissent, & ferè totam Aegypti terram perluſtraſſent, vt auxilium peterent cõtra hoſtes ſuos,

nullũ prorſus inuenire potuerunt, ſed confuſi reuerſi ſunt, cum nullus eſſet auxiliator. Bene ergo vmbrã ſuperiorum protectionem dixit, quoniam fugit, cum eam quis perſequitur, nec manibus valet apprehendi. Et vt ſciamus, quoniam non ſolùm vanum, ſed etiam pernicioſum eſt, & noxium, auxilium ab Aegyptijs petere, ſubdit.

5 *Onus iumentorum auſtri. In terra tribulationis, & anguſtiæ, leena, & leo ex eis; vipera, & regulus volans portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum qui eis prodeſſe non poterit. Aegyptus enim fruſtra, & vane auxiliabitur.* Pagninus, pro, *Onus Iumentorum*, Vertit, *Prophetia animalium Aegypti, quæ eſt ad meridiẽ Iſrael*. Mulier illa, cuius memi-

*Luc. 8. f* nit Sãctus Lucas, *quæ in medicos erogauerat ſubſtantiã ſuam, nec ab vllo potuit curari*, ſolò tactu ſimplici fimbriæ Domini ſanata eſt. Quo miraculo admonemur, eos prodigos eſſe, atque in vanum inſumere omnem ſubſtantiam ſuam, cum à creaturis auxilium quærunt. Sic accidit Iſraelitis. Onerabant aſinos, & camelos auro, & argento, atque alijs muneribus pretioſis: ea deferebant ad Aegyptios, ad conciliandum eorũ animos, vt in tribulationibus imminentibus eos protegerent, & de-

Auxilium humanum difficile ĩuenitur, & nihil prodeſt.

fenderent. periclitabantur in itinere, multas patiebantur difficultates, labores plurimos ſuſtinebant, & tandem nullum poterant auxilium inuenire. Deſcendebant hi, qui in Auſtro, ideſt in terra Iuda, viciniores erant Aegypto, per viam deſertam, quam vocat viam tribulationis, & anguſtiæ, in camelis, & aſinis, & inibi impetebantur à leonibus; & ab alijs beſtijs. Et tamen, cum his omnibus exponerentur periculis, vt auxilium quærerẽt ab Aegyptijs, nihil aliud in illis inuenire potuerunt, niſi laborem, & dolorem, & afflictionem ſpiritus. *Leo, & leena ex eis*, ideſt ex regione tribulationis, & anguſtiæ, per quam tranſibãt in Aegyptum. Ita Vatablus, cuius tranſlatio ſic habet. *Baiulauerunt iumenta onus per viam auſtralem, per terrã diſcriminis & anguſtiæ, plenam e quibus prodeunt leones & leenæ, regulus, & præſter vrens, ac volitans. Baiulauerunt inquam in humeris pulli facultates illorum: & in gibbis cameli theſauros eorum, ad populum qui prodeſſe non poterit.* Non ergo ab hominibus, ſed à Deo eſt in tribulationibus auxilium requirendum. vnde & ſubditur.

6 *Ideo clamaui ſuper hoc. Superbia tantum eſt, quieſce.* Ideſt. Quoniam omnis potentia humana, vires corporis, atque ingenij induſtria, abſque auxilio Dei nihil proſunt, ideò requirendum eſt adiutorium diuinum. Ideò clamaui, ſi fortè audiant, & ſuis malis, & periculis edocti reſipiſcant, & intelligant, quod ſuperbia tantum eſt. ſupple, omnis potentia Aegyptiorum, ſicut de Moabitis dictum eſt ſupra: *Superbia eius, & arrogantia eius pluſquam fortitudo eius*. *Iſa. 16. b* Poſſunt etiam hæc verba referri ad pertinaciam Iudæorum, ita vt ſenſus ſit. Nihil aliud eſt, quàm ſuperbia, & pertinacia intolerabilis, velle, ſicut vultis, recurrere ad Aegyptios, contempto Deo, qui vos in brachio extento de captiuitate Aegypti & ſeruitute Pharaonis liberauit. Quieſcite ergo, ſilete, & ſperate in Domino



Auxilium Dei facile inuenitur

Domino, & nullus aduerſarius præualebit. *Quieſce* (inquit) vt ſciamus faciliori via, magis ſuaui, ac nullis periculis expoſita, nos poſſe verùm auxilium inuenire, quiete videlicet, atque animi requie, ſi à peccatis noſtris quieſcamus, ſecundum illud,

*Iſai. 1.* quod dictum eſt ſupra: *Quieſcite agere peruerſè*, & in operibus virtutis occupemur. Tunc enim deſuper erit auxilium noſtrum, quo ab inimicis omnibus protegamur. Hinc collige, quam graue iugum ſit, & onus importabile, relicto Deo, ſpem in ſæculo conſtituere. Quot tribulationes, quot anguſtias patiuntur, in quot pericula animæ, & corporis incidunt, qui à Deo recedunt, & fluxis ſæculi voluptatibus inhærere cõtendunt, & auxilium quærere à rebus perituris. *Confuſa eſt* (ait Prophe-

*Oſeæ. 2. a* ta) *quæ concepit eos, quia dixit. vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, & lanam meam, & linum meum, & oleũ meum, & potum meum. Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria. Et ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos; & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet.* Quærebat delicias, & inuenit ſpinas; fugiebat arma ferrea, & incidit in arcum æreum. Ideo in præſenti aduerſus Iudæos loquens non ait, onus Iudæorum, ſed, *onus iumentorum auſtri*, vt deſignet, duplici onere eos prægrauari, qui iuxta carnis prudentiam, ſui, ſuarumq. rerum videntur habere rationem. Primò enim tamquam iumenta pondere diuitiarum ſuarum grauantur, curis, & anxietatibus, & ſollicitudinibus multis, dum in cumulandis diuitijs, & honore huius ſæculi occupantur. Deinde vero alia onera grauiſſima ſunt eis parata, de quibus ſubditur.

Spem in creaturis conſtituere onus iumẽtorũ eſt

7 *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud. Et erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum.* Vatablus. *Nunc ergo vade, & ſcribe eam rem eis in tabulam, atque in librum concipe eam, vt duret ad dies poſteros, & vſque in ſempiternum*, Pagninus. *Et nunc ingredere, ſcribe in tabula eis, & in libro ſcribe illud. Et erit in die nouiſſimo in teſtimoniũ vſque in ſæculum.* Omnes norunt, conſuetudinem eſſe Scripturarum, vt illa præcipiant, vel deſiderent ſcribi, quæ in perpetua hominum memoria volunt permanere. vnde & Ioannes: *Audiui* (in- *Apoc. 14 c* quit) *vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Opera enim illorum ſequuntur illos.* Iuſſum eſt illi, vt prædicta verba conſcriberet, quoniam memoria reſurrectionis, & retributionis iuſtorum in corde erat conſeruãda.

Scribi præcipiũt quæ ſunt in mẽte perpetuo retinenda. *

Iuxta quod & Paulus ad Timotheum ſcribens, ait: *Memor eſto, Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ſecundum Euangelium meum.* *2. Thim. 2. a* Et vt memoria eiuſdem reſurrectionis imprimeretur in omnibus, hæc, de illa loquens, ait ſanctus Iob. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarẽtur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celtè ſculpantur in ſilice?* *Iob. 19.* Quid autem ſcribendum deſideret, audiamus. *Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea. Et in carne mea videbo Deũ. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei*

*mei conſpecturi ſunt, & non alius.*
*Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu*
Greg. 14. Mor. 25. *meo*: vbi obſerua cum Beato Gre-
gorio, quòd quia ea, quæ ſcribuntur
in plumbo, ipſa metalli mollitie de-
lentur citius, in ſilice etiam, à quo
difficillimè auferuntur literæ, ſtylo
ferreo exaratæ, optabat, quæ prædi-
xit, verba conſcribi, vt in perpetua
Iſa. 8. memoria remanerent. *Fac tibi li-
brum grandem, & ſcribe in eo ſtylo
hominis* (ait Dominus ad Iſaiam)
quoniam de Verbo incarnato, quod
à mentibus hominum nunquam de-
bet excidere, ſermonem erat factu-
rus. Denique vt ſciret populus Iuda,
peccata illius in Dei memoria eſſe
indelebiliter ſcripta, vt in die iudi-
cij fierent omnibus conſpicua, ſic ait
Hiere. 17. Hieremias: *Peccatum Iudæ ſcriptũ
eſt ſtylo ferreo in vngue adamanti-
no*. Ideo ait *in vnguine*, vt ſciamus
in diem vltionis, ſiuè in diem vlti-
mum iudicij, qui per vnguẽ, eo quòd
finis eſt corporis, deſignatur, eſſe ſer-
uatum. *Adamantino*, quia in per-
petuum ſic erit manifeſtum, ac ſi in
adamantino lapide, qui duriſsimus
eſt, ſtylo ferreo fuiſſet exaratum. In
præſenti ergo, quia Dominus om-
nibus nationibus voluit illius populi
duritiam, ingratitudinem, ac pœnã,
quàm iuſtè promeruit, eſſe conſpi-
cuã, præcipit Iſaiæ, vt eam ſcribat ſu
per buxum, qui lignum eſt imputri-
bile, & valdè aptum, vt in illo perfe-
ctiſsimè formentur litteræ. Sed quia
lignum non ſufficeret, vt hæc omnia
ſcriberentur in eo, addidit: *& in li-
bro* (qui plura continet folia) *dili-
genter exara illud* ad perpetuam rei
memoriam, vt omnibus manifeſtum
fiat, quàm iuſtè puniat Dominus eo-
rum delicta. Hoc enim denotant
verba illa, *Scribe ei*, ideſt in teſti-
monium euidentiſſimum contra po-
pulum illum ingratum, deriſorem, &
incredulum. Vndè & ſubditur.

8 *Et erit in die nouiſſimo in te-
ſtimonium vſque in æternum*. Per
diem nouiſsimum tempus intelligit — Euangelij tempus eſt dies nouiſſimus.
aduentus Chriſti, & prædicationis
Euangelicæ. de quo ſcriptum eſt:
*Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt* Heb. 1.
*nobis in filio*. Et iterum: *Nos ſumus* 1. Cor. 10
*in quos fines ſæculorum deuenerunt*. 1. Ioã. 2.
Et rurſus: *Chariſsimi nouiſsima hora
eſt*, Tunc (inquit) erit præſens Pro- — Scriptura ſacra teſtis eſt contra peccatores
phetia conteſtatio perpetua contra
omnes contemptores Prophetarum,
quando impleta viderint, quæ tot
antea ſæculis prædixi. Tunc Iudæi
increduli derelinquentur à Deo,
quando oportuerat ad eum accede-
re. Tunc fient cæci, quando dece-
bat ambulare in lumine. Tunc deniq;
obſtinati erunt, quãdo tot beneficijs
à Deo vocati, tot miraculis excitati
ac tantis auxilijs gratiæ præuẽti de-
buerant reſipiſcere. Tunc hæc, quæ
ſcribo, erunt in teſtimonium Domi-
no, Apoſtolis, & Euangeliſtis, vt
vtantur illo ad conuertendas gẽtes.
Vbi expende patientiam Dei, & lon-
ganimitatem, quæ ferè per octingẽ-
tos annos à tempore huius prophe-
tiæ ſuſtinuit populum rebellem, con-
cedens illi ſpatium pœnitendi: ipſe
autem diuitias bonitatis eius, & ſa-
pientiæ, & longanimitatis contem-
pſit, ignorans, quoniam benignitas Rom. 2.
Dei ad pœnitentiam adducebat illũ.
Poteſt etiam per diem nouiſsimum
iudicij dies vniuerſalis intelligi, de — Iudicij dies ẽ dies nouiſſim'.
quo ait ſapiens. *Omnia in futurum
reſeruantur incerta*, iuxta quod & Eccleſ. 9 a
Paulus ait. *Itaque nolite ante tem-
pus iudicare, quoadusque veniat Do-* 1. Cor. 4. a
*minus, qui & illuminabit abſcon-
dita tenebrarum, & manifeſtabit
conſilia cordium*. Tunc (inquit)
confundentur in verbis meis, quæ
prius



prius irridebant, tunc omnes per-
uerſi, velint nolint, cognoſcent abſq;
vllo fructu, quæ in præſenti cũ emo-
lumento maximo intelligere potue-
runt. Vnde & Sanctus Iob, de re-
Iob. 21. d probo loquens, ait. *Quia in diem
perditionis ſeruatur malus, & ad
diem furoris ducetur*. Præmiſerat
autem: *Interrogate quemlibet de
viatoribus, & hæc eadem illum in-
telligere cognoſcetis. Hoc enim*, ſicut
Gregor. 15 Mor. 35. ait Gregor., *non niſi qui eſt viator,
intelligit: quoniam qui cor in præ-
ſentibus fixit, quæ iniquo ſeruan-
tur, ſupplicia non deprehendit. De
quo adhuc ſubditur. Quis arguet
coram eo viam eius? Sæpe namque
malus indignationem conditoris ſui,
quam in æternum paßurus eſt, &
in hac quoque vita poſitus experitur,
dum proſperitatem, quam amat,
amittit, & aduerſitatem, quam
formidat, inuenit. Et quamuis in-
crepari de ſuis prauitatibus à iuſto-
rum lingua etiam in proſperis va-
leat: ſcimus tamen, quòd cum facta
ſua peruerſum quemq. deijciunt, iu-
ſtorum increpatio conualeſcit*. Tale
quid accidit Iſaiæ cum populo du-
ræ ceruicis. Sæpè increpauit eum,
ſæpè arguit viam eius peruerſam,
ſæpè admonuit illum, & nihil pro-
fuerunt verba eius; ſed tandem ali-
quando increpatio eius conualeſcet,
videlicet in die iudicij, quando pro-
ſtrati fuerint deriſores, quorum ma-
lignitatem verbis ſequentibus ex-
plicat.

9 *Populus enim ad iracundiam
prouocans eſt, & filij mendaces, filij
nolentes audire legem Domini*. Va-
tablus: *Quod populus iſte contumax
eſt, filij mendaces, filij qui nolunt au
dire legem Domini*. Denuntiaturus
pœnam, prius delicta populi comme-
morat, vt omnibus appareat, iuſtam
eſſe, & condignam. Contradicto-
res Prophetarum, & verborum Do — Iudæorum duritia.
mini irriſores non ſolum inter malos
computat, atque peruerſos, ſed in-
ter eos, qui Deum ad iracundiam
prouocant, & non ſolùm non faciũt
legem, ſed nec legis mentionem au-
dire poſſunt, nec eos ſuſtinere, qui
eam prædicant. Tales fuerunt Iu-
dæi, qui legem Euangelicam, quam
prædicauerunt Apoſtoli, audire nò-
luerunt: ſed *vocantes eos denun-* Act. 4. d
*tiauerunt, ne omnino loquerentur in
nomine Ieſu*. & cum Stephanus Ie-
ſum ſtantem à dextris virtutis Dei
annũtiaret, *continuerunt aures ſuas,*
*& impetũ fecerunt vnanimiter in eũ*. Act. 7. g
Similiter etiam ſuſtinere non pote-
rant Prophetas, illis denuntiantes,
ne deſcenderent in Aegyptum, vt
auxilium quærerent à Pharaone, &
futuram captiuitatem comminãtes.
Vnde & Hieremias ait: *Factum eſt* Hier. 43 a
*autem cum compleſſet Hieremias lo-
quens ad populum vniuerſos ſermo-
nes Domini Dei eorum, pro quibus
miſerat eum Dominus Deus eorum
ad illos: omnia verba hæc dixit Aza-
rias filius Oſaiæ, & Iohannan filius
Careæ, & omnes viri ſuperbi, dicen-
tes ad Hieremiam. Mendacium tu
loqueris: non miſit te Dominus Deus
noſter dicens. Ne ingrediamini in
Aegyptum, vt habitetis illic*. Et rur- Hier. 11
ſus dicebant: *Non prophetabis in
nomine Domini, & non morieris in
manibus noſtris*. Et iterum: *Non* Amos. 7.
*prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtil-
labis ſuper domum Idoli*. Et in alio Amos. 2.
loco: *Et propinabatis Nazareis vi-
num, & Prophetis mandabatis di-
centes. Ne prophetetis*. Hos filios
mẽdaces appellat, quia non veritatẽ
diligebant, ſed mendaciũ; quia Deo
mentiebantur, cultu exteriori eum
colentes, & animo, atque ſtudio re-
ceden-

cedentes ab eo, ſecũdum illud, quod Pſal. 17. ait Pſalmiſta. *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt,* Cap. 1. nu. 1. *& claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Sequitur. *Qui dicunt videntibus,* id eſt, prophetis, qui, vt ſupra notauimus, videntes in ſacris literis dicuntur; *nolite videre. & aſpicientibus: Nolite nobis aſpicere ea, quæ recta ſunt.* Nolite nobis vaticinari, quæ diſplicent nobis, nolite interdicere viam Aegypti, nec præcipere, ne ad auxilium Pharaonis confugiamus. Nolite legem Euangelicam prædicare, non Chriſtum, non ſacramenta illius: nec eius reſurrectionem annũtietis. hæc enim non placent nobis. Vndè & cum quidam de militibus cuſtodientibus ſepulchrũ narraſſent principibus Sacerdotum, quę circa reſurrectionem Domini acciderant, illi Mat. 28 c mendacium diligentes, *& congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.*

10 *Loquimini nobis placentia: videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me ſemitam: ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael.* In quibus verbis obſeruandum primo, quod non dixit: loquimini oĩbus, ſed, nobis. nec ait, auferte ab oĩbus viam, ſed auferte à me viã: nã peruerſi ſibi tantũ parci volunt, non curantes, etiã ſi cæteri arguantur; aut vero id di- Verbũ dei ligari non poteſt. xit, vt deſignaret, quod Iudæi impedire quidem potuerunt, ne ſibi prædicarent Apoſtoli legem Euangelij, non tamen alligare valuerunt verbum Dei, ne gentibus annuntiaretur. Vnde & Paulus, Apoſtolus, & Barnabas Iudæis contradicentibus Euangelicæ prædicationi, & blaſphæmantibus, conſtanter dixerunt. *Vobis* Act. 13. g *oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertitur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus. Poſui te* Eſa. 49. b *in lucem gentibus, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Obſeruandum ſecundo, quomodo mali homines, 2. Tim. 3. d & ſeductores proficiant in peius, errantes, & in errorẽ mittentes. Peccatores proficiunt in peius. Prius enim viam, deinde ſemitam à ſe poſtulant auferri: quoniam qui viam mandatorum Dei ſuperba contentione declinant, nequaquam quæ perfectiora ſunt, & magis arcta, conſilia obſeruant. De quibus Iob 24. ſcriptum eſt. *Ipſi fuerunt* Iob. 24. *rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas illius.* Vbi Gregor. Greg 16. mor. 24. *Anguſtior eſt* (inquit) *ſemita quam via. Qui autem bona manifeſtiora agere contemnunt, nequaquam ad ſubtiliora intelligenda perueniunt. Expectauit autem omnipotens Deus, vt per eius ſemitas pergerent: ſed vtinam per eas vel reuerti voluiſſent, vt vitæ itinera quæ noluerunt per innocentiã, ſaltem per pœnitentiam tenerent.* E contra vero de illis qui ſequuntur Chriſtum, ſcriptum eſt ſupra: *Et docebit nos vias* Iſa. 2. *ſuas, et ambulabimus in ſemitis eius.* Qui enim viam mandatorum Dei perambulant, ſtatim & conſilia ſeruare contendunt. Illud autem: *Ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael,* idẽ ſignificat, quod auferatur à nobis Iudæi Xpi preſẽtiã ſuſtinere nõ potuerũt. ſanctus Iſrael, id eſt Chriſtus ſanctificans Iſrael. Vnde & præſentiam illius non ſuſtinentes, dixerunt. *Tolle,* Mat. 27 e *tolle, Crucifige eum.* Et rurſus. Sap. 2. *Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis*



*nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit, ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis ad videndum: quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs noſtris, tanquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur, patrem ſe habere Deum.* Ecce rationem, propter quam populus incredulus Chriſtum Dominum ſuſtinere non poterat, nec verba illius audire; quia videlicet patrem ſuum dicebat Deum. Ideo volebant Ioã. 10. f illum lapidare. Dicebant enim: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu, homo cum ſis, facis teipſum Deum.* Melius vtique dixiſſent, quia, Deus cum ſis, hominem teipſum feciſti. Ideo enim pro nobis paſſus eſt, quia naturam humanam aſſumpſit, & pro peccatis noſtris ſeipſum debitorem conſtituit. Septuagin. Interpretes vbi nos legi- A Iudæis ablatum ẽ verbũ Dei. mus, *Ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael,* transferunt: *Auferte à nobis eloquium Iſrael;* ac ſi dicerent: Auferte à nobis Euangelium, quod ex ore Chriſti prodiuit. Ipſe eſt enim verus Iſrael. Iſrael enim interpretatur videns Deum. Et quis adhuc viuens in carne mortali per modum permanentis vidit Deum, niſi ſolus ille, qui, cum eſſet Deus, pro nobis homo factus eſt? Ille ſolus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus. Huius ergo eloquium ablatum eſt à facie Iudæorum, quando, illis relictis, Apoſtoli conuerſi ſunt ad gentes. cõſonat huic explicationi trãſlatio Pagnini: *Loquimini nobis blanda. Videte illuſiones, recedite de via, declinate de ſemita: ceſſare facite à facie noſtra ſanctum Iſrael.* Eadem ferè eſt translatio Vatabli. Vbi illud, *Videte nobis illuſiones,* ad eos videtur referri, qui pecunijs corruperunt milites, vt dicerent, *quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* Matt. 28. Quid enim aliud fuit hoc, quam dicere cuſtodibus: *Videte illuſiones, narrate ſomnia?*

11 Nec ſolum Iudæos, ſed etiam Morale. in illis multos Chriſtianos carpit locus iſte, qui remiſſè, ac delicatè viuentes auſteros ferre nolunt prædi- Prædicatores arguẽtes crimina multi non ſuſtinent. catores, acriter arguentes eorũ crimina: ſed potius diligunt adulatores, ſecuritatem illis promittentes. Quos multò antea quaſi digito notauit Apoſtolus, cum dixit: *Erit enim* 2. Cor. 4. *tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Iſti ergo, licet non verbis, factis tamen, & operibus dicunt: Nolite videre nobis quæ recta ſunt, non prædicetis pœnitentiam, non vitam aſperam, non gehennam, legis tranſgreſſoribus paratam, annuntiate, quæ nobis placent; vitam delicioſam concedite nobis; ſpiritũ cum carne concordate. Vt quid vociferamini. hæc dicit Dominus: *Con-* Ioel. 2. c *uertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu?* Ceſſet à facie noſtra verbum iſtud. Hi ſunt, de quibus ſcriptum eſt: *Dixe-* Iob. 21. *runt Deo. Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Quæ verba exponens Beatus Gregorius ait: Greg. 15. Mor. 25. *Hæc verba dicere vel ſtulti minime præſumunt, ſed tamen peruerſi omnes Deo, recede, non verbis, ſed moribus dicunt. Qui enim illa agunt,*

quæ

*quæ Deus omnipotens prohibet, quid aliud faciunt, quàm ſuum animum contra omnipotentem claudunt? Sicut enim eius præcepta cogitare, eum ad ſe introducere eſt, ita eius mandatis obſiſtere, eum à cordis inhabitatione repellere eſt. Dicunt ergo: Recede à nobis, qui ei ad ſe aditum præbere recuſant, eumq; prauis actibus impugnant: etiamſi verbis laudare videantur. Dicunt etiam: ſcientiã viarum tuarum nolumus: eo ipſo, quo eius ſcientiam apprehendere cõtemnunt. Sunt namque nonnulli, qui ex eo, quod veritas dicit: Seruus, qui non cognouit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit paucis, & ſeruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens iuxta eam, vapulabit multis: nolunt ſcire, quod faciant, & quaſi minus ſe vapulaturos exiſtimant, ſi neſciant, quid operari debuerunt. Sed aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiße. Neſcit namque, qui apprehendere vult, & non valet. Qui autem, vt neſciat, aurem à voce veritatis auertit, iſte non neſciens, ſed contemptor dicitur. Via autem Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia eſt. Sed quia hæc omnia iniqui deſpiciunt, dicunt: Scientiam viarum tuarũ nolumus. Dum enim in præſenti vita ſuperbiunt: dum honoribus inſlantur, dũ etiam, ſi non habent, appetunt, vias Dei in ſua cogitatione contemnunt; Quia enim via Dei in hac vita humilitas fuit: ipſe hic Deus Dominus Redemptor noſter ad probra, ad contumelias, ad paſsionem venit, & aduerſa huius mũdi æquanimiter pertulit, proſpera fortiter vitauit: vt & proſpera doceret æternæ vitæ appeti, & aduerſa præſentis vitæ non formidari. Sed quia iniqui gloriam vitæ præſentis appetunt, ignominiam fugiunt, dicere memorantur: Scientiam viarum tuarum nolumus. Scire quippe nolunt, quod facere contẽnunt.* Vnde & Hieremias ait: *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia.* Vide, qualiter verba ſua Spiritus ſanctus agnoſcat. Quod enim Iſaias dixit: *Videte nobis errores,* hoc Hieremias quaſi adimpletum illis verbis denuntiat: *Prophetæ prophetabant mendacium.* & quod Iſaias tetigit, *loquimini,* inquiens, *nobis placentia,* hoc Hieremias commemorat, dum ait: *Et populus meus dilexit talia.*

*Luc. 12.*

Ignorãtia affectata reprehenditur.

*Hiere. 5.g*

12 *Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael: Pro eo, quod reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumniam, & in tumultum, & innixi eſtis ſuper eo.* Septuaginta: *Propter hoc hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael. Quia non obediſtis, vel crediſtis verbis iſtis, & quia murmuraſti, & confiſus fuiſti ſuper verbo iſto.* Iterum magis exprimit conditionẽ peccati, propter quod in tantas anguſtias inciderunt. Illud autem fuit incredulitas, & diffidentia. Incredulitas quidem, quoniam reprobauerunt prophetarum oracula prohibẽtium, ne in Aegyptum deſcenderent, & ſimiliter Euangelium, atque Chriſtum, ſecundum illud, quod ait Petrus: *Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus.* Spem autẽ, quam in Ægypto conſtituerant, appellat calumniam, & tumultum, quia in hominibus calumniatoribus, tumultuantibus, & ſuperbis erat conſtituta. De illis namq; dicitur infra. *In Aegyptũ deſcendit populus meus in principio, vt colonus eſſet ibi, & Aßur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum.* In hoc autem verſutias hæreticorum voluit detegere, qui dũ ſcripturis ſacris vincere nõ poſſunt, nec auctoritatibus Patrum ſe munire, ad calumnias confugiunt, & clamores, & quos ratione ſuperare non poſſunt, tumultibus conantur euincere. Hi ſunt, qui videntibus dicũt, ſcripturis, & ſcriptoribus ſacris, illis videlicet, de quibus ſcriptum eſt: *Effundam ſpiritum meũ ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.* His (inquam) dicunt; *Videte nobis errores.* Subminiſtrate nobis teſtimonia, quibus noſtros errores cõfirmemus, & blaſphema quadam contentione, non ſolum volunt, quæ docent, defendere, ſed eadem in ſacris litteris cauſantur eſſe tradita: mille calumnias inferentes veritati. Hanc aſtutiam pater mendacij ſuis ſectatoribus docuit: Ille fuit primus, qui eiuſmodi iniuriam ſacris litteris intulit: dum in ſecunda tentatione, decipere volẽs primam veritatem, dixit. Si *filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim. Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuũ.* Vide antiqui Draconis temeritatẽ. Suadere nititur Chriſto Domino, vt de tẽpli pinnaculo ſe mittat deorſum, & ad hoc comprobandum teſtimonio vtitur ſcripturæ ſacræ, perũersè intellecto, & corrupto, dicens. Scriptum eſt: *Quoniam angelis ſuis mãdauit de te, & in manibus tollent te. Quid ſcriptũ eſt maligne* (ait Bernardus,) *quid ſcriptum eſt? Angelis ſuis mandauit de te. Quid mandauit? Animaduertite, & videte, quoniã ſubticuit malignus, & fraudulentus: quòd malignitatis ſuæ cõmenta diſſolueret. Quid enim mandauit? Nempe, quod in pſalmo ſequitur. Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Nunquid in præcipitijs. Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? Non eſt via hæc, ſed ruina, & ſi via, tua eſt, non illius. Fruſtra in tentationem capitis intorſiſti, quod ſcriptum eſt ad corporis conſolationem. Huic enim neceſſe eſt cuſtodiri, cui timendum ne offendat ad lapidem pedem ſuum. Non eſt quod cuſtodiatur, cui non eſt quod timeatur. quid verò taces & illud, quod ſequitur:* Super aſpidem, *& baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem? Te enim hæc parabola tangit. Monſtruoſa malignitas monſtruoſis appellationibus conculcanda ſignatur. Nec modò ab ipſo capite, ſed etiam à corpore vniuerſo.* Sic deprauant Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem, indocti, & inſtabiles homines, de quibus per Ezechielem dicitur ſub nomine Pharaonis: *Et ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum.* Super quem locum Beatus Hieron: *Non vult* (inquit) *aquas ſiloe bibere, quæ vadunt cum ſilentio, ſed aquas Aegypti turbidas, atque cænoſas, quæ antequam pedibus conculcarentur Draconis, puræ erant, & ſuo fluentes ordine. Poſtquam autem pedibus illius conturbatæ ſunt, curſus ſui ordinem perdiderunt. Neque enim vtuntur hæretici teſtimonijs ſcripturarum ſibi cohærentibus, ſed conturbant omnia.* Et rurſus per eundem Prophetam paſtores arguens, qui cum à Deo accepiſſent limpidiſſimam aquam doctrinæ, illam turbidam ouibus propinabant, inquit. *Inſuper, & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcabatis pedibus veſtris, & cum puriſſi-*

*Act. 4 b*

*Iſai. 52.*



Hæreticorum verſutiæ.

*Iohel. 2. g*

Hæretici multis locis Scripturæ peruersè vtuntur ad ſuos cõfirmandos errores.

*Matt. 4. a*

*Pſal. 90.*

Bernard. ſerm. 14. ſuper eundẽ Pſalm.

Sacris lr̃is puerſe vtit̃ diabolus.

*2. Pet. 3. d.*

*Ezech. 32. a*

Hier. lib. 10 in Ezech.

*Ezech. 34. e*

*Ibid.*

*riſsimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis. Et oues meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant*. Hos reſpiciunt verba illa. *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel*

Abac. 2. c

*ſuum, & inebrians, vt aſpiciant nuditatem eius*. vbi Hieronymus: *Væ* (inquit) *tibi hæreticorum dogma peruerſum, qui doctrinis tuis, & potione turbida inebrias populum deceptorum, & ſubuertis priorem fidem, dans eis potionem, non de Syloe, non de Iordane, non de fontibus Iſrael, ſed de flumine Aegypti, de quo Hie-*

Hiere. 2

*remias dicit: Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam Geon, ſeu turbidam, atque cœnoſam? Quamuis enim de Paradiſo Scripturarum flumina Aepypti exire credantur: tamen quia conculcantur pedibus Pharaonis, perdiderunt ſplendorem ſuum, & violata luto Aegyptio, verſa ſunt in torrentes, de quibus ſanctus quòd euaſerit, gratulatur. Tor-*

Pſ. 123.

*rentem pertranſiuit anima noſtra.*

Vinc. Lyren.

Vincentius quoque Lyrenenſis ſcribens aduerſus profanas omnium hæreſeon nouationes, inquit. *Hic fortaſſe aliquis interroget, an & hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimonijs vtantur? Vtuntur planè, & vehementer quidem; nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina: per Moyſi, per regnorum libros, per pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per propheias. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue libris, ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis, nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiā Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samozateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumq. peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non noui, aut veteris Teſtamenti ſententijs fucata, & colorata ſit. Sed tanto magis cauendi, & pertimeſcēdi ſunt, quanto occultius ſub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi, & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cœleſti eloquio, velut quodam aromate aſpergunt, vt ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè cōtemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, vt incauta ætas cum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod & ijs curæ eſt, qui mala gramina, & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant: vt nemo ferè, vbi ſuprascriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenū*. Sed de his infra redibit ſermo. Pagninus ſic vertit præſentem locum: *Pro eo quod ſpreuiſtis verbum hoc & ſperaſtis in diuitijs ex rapina congregatis, & peruerſitate, & innixi eſtis ei*. In quibus verbis tangere videtur eorum auaritiam, qui ne gentem ſuam & regnū ammitterent, cogitauerunt Dominum vitæ morti tradere.

Hæretici colorant ſcripturis ſacris ſuos errores.

13 *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dū non ſperatur, veniet contritio eius*. Pagninus: *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut ædificium cadens, locus tumens in muro excelſo, cuius mox repente veniet cōtritio*. Expoſita culpa, ſubiungit condignam pœnam eorum, qui prophetarum oraculis, atque Apoſtolorum prædicationi reſtiterunt. Op-





primentur (inquit) & conquaſſabuntur, ſicut illi, qui ab excelſo muro extemplò cadente obruuntur. Illi habebant fiduciam in muris validiſſimis Ciuitatis, ſed quia ſpem in rebus terrenis conſtituerant, muri excelſi, eorum ruina facti ſunt. Quod ad literam contigit Iudæis; nam, vt

Ioſephus lib. 6. de bell. Iud. ca. 4.

refert Ioſephus, muri Ciuitatis Hieruſalem abſque bellicis inſtrumentis diuinitùs ceciderunt. Ideò additur nomen illud, *requiſita*, Quoniam Iudæi videntes muros validiſsimos repentè cadere, ſtatim inſperatæ ruinæ cauſam requirebant, nec inueniri poterant, quia incredulitatem ſuam, propter quam muri corruerunt, non agnoſcebant. Vbi expende, quàm præter ſpem, quàm repentè iudicium Dei occupet reprobos; eo quòd ſemper ſunt imparati, nec recogitant vnquam nouiſsima ſua, ſed ita ſecurè viuunt in delicijs ſuis, ac ſi nullum poſtmodum iudicium expectarent. Vnde eorum ruinam inopinatam conſiderans Beatus Iob, inquit. *Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt*. Vbi ſanctus Gregorius: *Ecce* (inquit) *Beate vir, eorum gaudia diù narraueras, quomodo nunc aſſeris, quòd in puncto ad Inferna deſcendant, niſi, quòd omnis longitudo temporis vitæ præſentis punctus eſſe cognoſcitur, cum fine terminatur? Cum enim ad extremum quiſque perducitur, de præterito iam nil tenet, quia tempora cuncta delapſa ſunt; in futuro nil habet, quia vnius horæ momenta non reſtant. Vita ergo, quæ ſic anguſtari potuit, punctus ſuit. Vt enim prædiximus, in puncto ſtylum ponimus, & leuamus. Quaſi ergo in puncto vitam tetigit, qui hanc accepit, & amiſit. Poteſt in puncto hoc quoque intelligi, quòd ſæpe hi, qui diu in iniquitate tolerati ſunt, ſubita morte rapiantur, vt nec flere ante mortem liceat, quæ peccauerunt*. Qualis autem futura ſit Iudæorum ruina, qui ab Aegyptijs requirebant auxilium, aptiſsima explicat ſimilitudine, dum ſubdit,

Iudicium Dei ſemp repente occupat reprobos.

Iob. 21.

Greg. 15. Mor. 24.

Tēpus vitæ præſentis puncto cōfertur.

14 *Et comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione prævalida, & non inuenietur de fragmētis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea*. Senſus eſt: Ita deſolabimini, o Iudæi, adeo grauis, & irreparabilis erit ruina veſtra, vt merito comparari poſsit contritioni, & comminutioni lagenæ, cuius nec parua teſta vtilis remanet ad hauriendum aquam de fouea, vel portandum ignitum carbonem de incendio. Conſonant hæc verba cum illis Pſalmiſtæ. *Reges eos in virga ferrea*, hoc eſt in iuſtitia inflexibili, *& tanquam vas figuli confringes eos*, ideſt, totaliter deſtrues. Et notandum, quod titulus illius Pſalmi contra inimicos verbi inſcriptus eſt: Contra illos videlicet, qui ſuperba voce dixerunt: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Demus operam, vt non nos alliget, neque imponatur nobis Chriſtiana religio*, ſicut explicat Auguſtinus ſuper eundem Pſalmum. Talis ergo fuit contritio Iudæorum, tam magna, & irreparabilis: de qua plura diximus cap. 1. num. 69. in illa verba. *Et conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul*. Quòd ſi hæc verba ad ſpiritualem, & interiorem Phariſæorum ruinam referantur,

In iudicio conterētur & comminuētur peccatores.

Pſal. 2. b

Ibid. a

Iudæorum ruina.

inuenies, multò maiorem fuiſſe deſo-
lationem animæ, quàm corporis.
Ita enim conquaſſati ſunt, vt nec
vnum vas inueniatur inter eos, quod
capiat ignem amoris de incendio
dilectionis Chriſti, cuius ignis eſt
in Sion, & caminus ignis in Hieru-
ſalem, vel quo parum aquæ diuinæ
ſapiẽtiæ de fontibus Saluatoris hau-
riatur. *Omnes declinauerunt ſimul*
*Pſ.13.a* *& inutiles facti ſunt, non eſt, qui*
*faciat bonum, non eſt vſque ad*
*vnum.*

15 *Quia hæc dicit Dominus*
*Deus ſanctus Iſrael. Si reuertami-*
*ni, & quieſcatis, ſalui eritis. In*
*ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.*
Pagninus. *In quiete, & requie*
*ſalui eritis. In quiete, & ſpe erit*
*fortitudo veſtra.* Vatablus: *Seden-*
*do, & quieſcendo ſeruabimini, in*
*vocando & fidendo erit robur ve-*
*ſtrum*, quæ verba alludere viden-
tur ad illud quod dicit Hieremias
*Thren.3 d* ſanct. *Sedebit ſolitarius & tacebit,*
*quia leuauit ſe ſupra ſe*, & ſimul
indicant orationis virtutem & effi-
caciã, quæ debiles quoſque roborat
atque confirmat. Septuaginta In-
terpretes ſic transferunt. *Hoc dicit*
*Dominus Deus ſanctus Iſrael: cum*
*conuerſus ingemueris, ſaluus eris.*
Pœnitẽtia ẽ vera qes peccatoris Detecta populi malitia, eum ad pœ-
nitentiam prouocat, & ad quietem,
& verum Sabbatiſmum. Hac faci-
liori via, & magis plana ſalutem
affuturam denuntiat. Veram pœni-
tentiam, qua auertimur à creaturis,
& ad Deum conuertimur, quietem
appellat, iuxta illud, quod dixerat
*Iſai.1.* ſupra: *Quieſcete agere peruersè:*
quoniam nulla in rebus perituris,
ſed in ſolo Deo inueniri poteſt ve-
ra requies. Quod ergo in præſenti
breuioribus verbis perſtringit Iſa-
ias, videlicet: *Cum conuerſus inge-*
*mueris, ſaluus eris.* hoc Ioel mul- *Ioel.2.*
to clarioribus teſtatur, dicens: *Con-*
*uertimini ad me in toto corde veſtro,*
*in ieiunio, & fletu, & planctu: &*
*ſcindite corda veſtra, & non veſti-*
*menta veſtra: & conuertimini ad*
*Dominum Deum veſtrum, quia*
*benignus, & miſericors eſt, patiens,*
*& multæ miſericordiæ, & præſta-*
*bilis ſuper malitia.* Vnde & Cæle- Cæleſt.1. Epiſt.2. ad Epiſ.Gall. cap.2.
ſtinus primus, hunc eundem Iſaiæ
locum explicans: *Vera* (inquit) *ad*
*Deum cõuerſio mente potius eſt æſti-*
*manda, quàm corpore, iuxta illud:*
*Cum conuerſus ingemueris, ſaluus*
*eris.* Eandem explicationẽ ſequun-
tur Gregorius Naziãzenus, Ambro- Gregor. Naz.1 oro-ne ad Rep. Naziãzeni Amb.lib.1. de pœnit. cap.4. Aug.lib.de fide ad Petr.
ſius, & Auguſtinus, qui ex hoc loco
Iſaię colligunt, quæcumque peccata,
etiam grauiſsima, poſſe in hac vita
per pœnitentiam legitimam deleri.
de quo plura diximus cap.1.nu.44.&
ſequẽtibus potiſsimè nu.52.53.&54.

16 *In ſilentio, & in ſpe erit for-*
*titudo veſtra.* Familiare eſt apud
Iſaiam, ad ſilentium inducere eos,
qui in afflictione maxima, & pericu-
lo ſunt conſtituti. Vnde cum Acaz
à duobus regibus infeſtaretur, ait ad
eum. *Vide, vt ſileas, noli timere,* *Iſ*
*& cor tuum ne formidet*: oſtendẽs
non eſſe recurrendum ad Aegyptio-
rum tumultum, ſed ad ſolum Deum,
apud quem humile ſilentium, oratio
quædam eſt perfectiſsima. Vnde &
Hieremias ait: *Bonum eſt præſtola-* *Thren.3 c*
*ri cum ſilentio ſalutare Dei.* Hoc Silentium ſpem firmã deſignat.
autem ſilentium patientiam perſe-
uerantem, & longanimitatem deſi-
gnat eorum, qui omnem ſpem ſuam
in ſolo Deo conſtituunt. Licèt enim
videant promiſſa Domini retarda-
ri, aut contraria his, quæ Deus re-
promiſit, accidere: non tamen pro-
pterea obmurmurant, nec conque-
runtur de Deo, ſed patienter ſuſti-
nent,



nent, ſcientes, quoniam ipſe eſt au-
xiliator in tempore opportuno. Ideo
in præſenti *in ſilentio, & in ſpe* ait
Iudæorum fortitudinem eſſe conſti-
tutam. Ac ſi diceret. Tunc verè
fortes eritis, & inexpugnabiles, cum
quieti fueritis, & abſque vllo pecca-
to, quod internam pacem pertur-
bat, dum cor veſtrum non repre-
henderit vos, nec vermis conſcien-
tiæ arguerit; dum collocaueritis fi-
duciam veſtram in Domino: tunc
enim ipſe pugnabit pro vobis, &
omnes inimicos veſtros ſuperabit.
Hoc eſt quod trepidabat Achior
Dux omnium filiorum Ammon,
dum loquens ad Holofernem, filios
Iſrael expugnare volentem, dixit:
*Iudith.5.e* *Vbicumque ingreſſi ſunt ſine arcu,*
*& ſagitta, & abſque ſcuto, & gla-*
In p̃lio fortiſſimi sũt colentes Deum. *dio Deus eorum pugnauit pro eis, &*
*vicit. Et non fuit, qui inſultaret*
*populo iſti, niſi quando receſſit à cul-*
*tu Domini Dei ſui. Quotieſcumque*
*autem, præter ipſum Deum ſuum, al-*
*terum coluerunt, dati ſunt in præ-*
*dam, & in gladium, & in oppro-*
*brium. Quotieſcumque autem pœ-*
*nituerunt, ſe receſſiſſe à cultura*
*Dei ſui: dedit eis Deus cœli virtutem*
*reſiſtendi.* Hinc eſt, quòd in ſacro
eloquio grauiter arguuntur, qui ſi-
lentium prædictum abijcientes, con-
tra Dominum in aduerſis murmu-
rare auſi ſunt, aut de miſericordia
ipſius dubitare. Cum Ozias promi-
ſiſſet, quòd, tranſacto quintò die, tra-
deret ciuitatem Aſsyrijs, ſi Domi-
nus intra hoc tempus non miſiſſet
*Iudith.8.b* auxilium, dixit Iudith: *Quod eſt*
*hoc verbum, in quo conſenſit Ozias,*
Spei nõ eſt termin[9] ſtatuend[9], ſed lõganimis fit. *ut tradat ciuitatem Aſſyrijs; ſi in-*
*tra quinque dies non venerit vobis*
*adiutorium? Et qui eſtis vos, qui*
*tentatis Dominum? Non eſt iſte ſer-*
*mo, qui miſericordiam prouocet, ſed*
*potius, qui iram excitet, & furorem*
*accendat. Poſuiſtis vos tempus mi-*
*ſerationis Domini, & in arbitrium*
*veſtrum diem conſtituiſtis ei.* Et poſt
pauca: *Expectemus humiles conſo-*
*lationem eius, & exquiret ſanguinẽ*
*noſtrum de afflictionibus inimico-*
*rum noſtrorum, & humiliabit om-*
*nes gentes, quæcumque inſurgunt*
*contra nos: & faciet illas ſine hono-*
*re Dominus Deus noſter.* Hinc & per
Prophetam dicitur: *Non credide-* *Pſ.105.*
*runt verbo eius, & murmurauerunt*
*in tabernaculis ſuis: non exaudie-*
*runt vocem Domini. Et eleuauit*
*manum ſuam ſuper eos, vt proſterne-*
*ret eos in deſerto. Et vt deijceret ſe-*
*men eorum in nationibus, & diſper-*
*deret eos in regionibus.* Hinc deniq;
prædicator gentium nos admonet,
dicens: *Neque tentemus Chriſtum,* *1.Cor.10*
*ſicut quidam eorum tentauerunt, &* *b*
*à ſerpentibus perierunt: neque mur-* *Rom.21*
*muraueritis, ſicut quidam eorum* *b*
*murmurauerunt, & perierunt ab*
*exterminatore.* Hæc quantum ad
literam.

17 Vt autem cum Apoſtolis, & Morale.
Chriſti diſcipulis ſpicas manibus cõ
fricantes, ſpiritualem ſenſum ad no-
ſtram ædificationem perquiramus,
obſeruandum, quòd triplex ſilentiũ Silentium
in ſacro eloquio commendatur. Pri- triplex.
mum eſt, quo ratio naturalis fidei re-
uelatæ ſubijcitur, dum in obſequium
ipſius captiuatur intellectus. De hoc
enim ſilentio loquebatur, qui dixit:
*Dominus autẽ in templo ſancto ſuo,* *Abac.2.*
*ſileat à facie eius omnis terra.* Domi- *d*
nus, qui per Prophetã dixit: *Cœlum* Fidei non
*ſedes mea, terra autem ſcabellum pe-* obmurmu-
*dum meorum*, in vterũ Virginis in- ret ratio
troiuit indutus carne humana: in ip- naturalis.
ſo nouem menſibus, tãquam in tem-
plo habitauit. Poſtmodũ verò tran-
ſiturus de hoc mundo ad Patrẽ, cor-

pus ſuum, & ſanguinem ſub ſpecie-
bus panis, & vini ſponſæ ſuæ Eccleſiæ
dereliquit, vt in Sacramento mirabi-
li nobiſcũ habitaret in templo, vſque
ad conſummationẽ ſæculi. Quia er-
go hæc, & alia conſimilia ſupra ſen-
ſum noſtrum oſtenſa ſunt nobis, quæ
humana ratione, haud poſſunt com-
prehendi, ideo ſileat à facie eius om-
nis terra: non obmurmuret contra
veritatẽ humana philoſophia, ſileat,
obmuteſcat, cedat ſuperiori lumini,
ſilentio ſupernaturalia myſteria ve-
neretur, quia *in ſilentio, & ſpe erit*
Aug. lib. de bono pſeu. ca. 14. to. 7. *fortitudo noſtra*. Vnde & Auguſti-
nus ait: *Numquid ideo negandũ eſt,
quod apertum eſt, quia comprehendi
non poteſt, quod occultum eſt? Num-
quid (inquam) propterea dicturi ſu-
mus, quod ita eſſe perſpicimus, non
ita eſſe, quoniam cur ita ſit non poſ-
ſumus inuenire*? Hinc & Hieremias
Propheta in laudem illius, qui ab
adoleſcentia ſua iugum Euangelij,
quod eſt iugum ſuaue, & onus leue
ſuper humeros ſuos portat, inquit,
Thren. 3 c *Bonum eſt viro, cum portauerit iu-
gum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſo-
litarius, & tacebit, quia leuauit ſe
ſuper ſe*. Ideo tacebit, quia innite-
tur lumini, quod ſupra ipſum eſt: nec
attendet, quid ratio naturalis dictet,
Apoc. 8. a ſed quid fides doceat. Eſt & aliud
ſilentium, quod factum eſt in Cœlo,
Caro ſilet cũ ſpiritui non cõtradicit. quaſi dimidia hora. Nec enim lon-
go durat tempore, ſed ad dimidiam
horam vix conceditur, dũ caro, quæ
concupiſcit aduerſus ſpiritum, illi
ſubijcitur, nec audet contra eum le-
uare calcaneum ſuum, ſed ſilet, & ta-
Pſa. 106. e cet, ſicut ſcriptum eſt: *Et ſiluerunt
fluctus eius, & lætati ſunt, quia ſi-
luerunt*. Ex corde namque, quod
Iſa. 57. d eſt quaſi mare feruens, eleuantur di-
uerſarum paſsionum tumentes flu-
ctus: & flantibus ventis infernarum
poteſtatum, conturbatur anima. Sed
Dominus præcipit mari, vt taceat, Marci. 4. d
& obmuteſcat, & voce virtutis ſuæ
refrænat omnes motus carnis ratio-
ni aduerſos, *& ſiluerũt fluctus eius*.
Cum quanta putas electorum læti-
tia, cum quanto Angelorum gaudio?
*& lætati ſunt* (inquit) *quia ſilue-
runt. Eſt enim ſilentium irrepre-
henſibile* (ait Bernardus) *& lau-* Bernar. in ſerm. Natiu. B. Mariæ poſt med.
*dabile magis. Eſt & ſermo non bo-
nus. Alioquin non diceret Prophe-
ta, bonum eſſe homini præſtolari cum
ſilentio ſalutare Dei. Bonum ſilentiũ* Thren. 3 c
*à iactantia, bonũ à blaſphemia, bonũ
à murmure, & detractione. Alius .n.* Silentium bonũ quale ſit.
*ob laboris magnitudinem, & pondus
diei exaſperatus, animo murmurat,
dijudicat eos, qui pro anima ſua per-
uigilant, tanquã reddituri vtiq; ra-
tionẽ. Clamor eſt, ſed ſupra omne ſilẽ-
tiũ clamor iſte animi obdurati ſilere
facit (quã audiri non patitur) vocem
Verbi. Alius puſillanimitate ſpiritus
in expectatione deficit, peſſimũq; hoc,
verbũ blaſphemiæ eſt, quod nec in hoc ſæ-
culo remittitur, nec in futuro. Terti⁹
in magnis ambulat, & in mirabilib⁹
ſuper ſe dicẽs: Manus noſtra excelſa,
putans, ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit.
Quid loqueretur hic, qui loquitur pa-
cẽ? Dicit .n. quia diues ſum, & nullius
egeo. Porro veritatis ſentẽtia eſt: Væ
vobis diuitibus, quia habetis hic cõſo-* Luc. 6. d
*lationem veſtrã. Contra vero, Beati* Mat. 5. a
*(inquit) qui lugẽt, quoniam ipſi cõſo-
labuntur. Sileat ergo in nobis lingua
maledica, lingua blaſphema, lingua
magniloqua: quoniã bonum eſt in hoc
triplici ſilẽtio ſalutare Domini præ-
ſtolari, vt dicas. Loquere Domine,* 1. Reg. 3. b
*quia audit ſeruus tu⁹. Eiuſmodi quip-
pe voces non ad eũ ſunt, ſed aduerſus
eum, ſicut legiſlator murmurãtibus
ait. Non enim cõtra nos eſt murmur* Exo. 16. b
*noſtrum, ſed contra Dominum.*





Silentium clauſtraliũ quã neceſſarium. 18 Eſt denique ſilentium clau-
ſtralium, quo regularis vita illuſtra-
tur valdè, & interior deuotio con-
ſeruatur, & fortitudo aduerſus ae-
reas poteſtates roboratur. Tunc in
monaſterijs, & viris religioſis ſplen-
dent virtutes, quando ſilentium ſtri-
Iacob. 1. d. ctiſſimè cuſtoditur. *Si quis autem
putat, ſe religioſum eſſe, non refre-
nans linguam ſuam, ſed ſeducens cor
ſuum, huius vana eſt religio*. Vnde
Iſa. 32. d & inferius Iſaias ait: *Et cultus iu-
ſtitiæ ſilentium*. Benè dixiſſet cul-
tus: per ſilentium enim iuſtitia cu-
ſtoditur, & pax interior conſcientiæ
Simile. conſeruatur. Et ſicut odor vnguen-
ti pretioſi, aut aquæ odoriferæ,
quamdiù in vaſe operto reponitur,
ſuauitas illius ſeruatur; cum autem
vas diſcoopertum fuerit, ſtatim eua-
neſcit, & omnem fragrantiam amit-
tit; ſic dulcedo ſpiritualis in cordi-
bus eorum, ſuum multo tempore ſer-
uat odorem, qui ſilere norunt, nec
loqui audent, niſi quando grauis ne-
ceſsitas vrget, aut fraterna charitas
ad id cogit, Quòd ſi forſitan os per
vanam locutionem diſſoluatur, perit
deuotio, perit & interna perfectio.
Vas immũdũ quod ſit. In cuius ſignum vas, quòd non ha-
Nũ. 19. c buerit operculum, nec ligaturam de-
ſuper, immundum reputatur in lege;
Gregor 23 Mor. c. 4. quia, vt interpretatur S. Gregorius,
*tunc cor hominis ſine operculo, & li-
gatura polluitur, quando per ſtudiũ
oſtentationis patens, nullo velami-
ne taciturnitatis operitur*. Hinc &
in laudem mulieris fortis ſcriptum
Prou. 31 eſt. *Os ſuum aperuit ſapientiæ, &
lex clementiæ in lingua eius*, vt ſcia-
mus, non mediocrem animæ forti-
tudinem eſſe, tunc tantùm os aperi-
re, cum neceſſe fuerit ad docendam
ſapientiam, aut ad ea, quæ volunta-
tis Dei ſunt, loquendum. *Ad exem-
plum ſilentij* (ait quidam ſpiritualis
Doctor) *præpone tibi ſerue Dei ſepè* Thom. de Kẽpis ſer. 7. de bono ſilentij.
*facta antiquorum Patrum: perge, ſi
vis, perge mente ad tabernacula illo-
rum, ſi fortè inuenire poſſis Abbatẽ
Agathonem, qui iam tribus annis la-
pidem in ore pro rigore ſilentij por-
tauit. Et magnum illum Arſenium
ſi inueneris, illo tacente, loqui forſitã
non audebis. Et alios quàm multos
ſi quæſieris in cubiculis, & in ſpe-
luncis terræ ſolitarios, & ſilentio de-
ditos potius reperies, quàm foris va-
gantes. Propterea non illud ſegni-
ter debes tenere, vnde tam pretioſa
religionis ſtudia poſſunt tibi oriri.
Quia per ſolitudinem, & ſilentium
multi ſanctorum ad quietem cordis
perducti ſunt, & inibi multoties di-
dicerunt, quicquid alijs ſalubriter
tandem prædicauerunt. Sic Anto-
nius primo latuit: poſt vero glorio-
ſus, & magnus Monachorum pater
apparuit. Sic Benedictus Abbas, ſic
fecit in Monaſterio ſuo ſanctus Gre-
gorius, ita & conſequenter deuotiſ-
ſimus Bernardus, cum multis alijs
viris perfectis*. Sciebant omnes an-
tiqui Religionum fundatores, ſilen-
tium eſſe validiſsimum murum re-
gularis diſciplinæ, quo proſtrato,
neceſſe eſt innumeris periculis expo-
ſitam eſſe. Vndè & ſcriptum eſt. Prou. 24
*Sicut vrbs patens, & abſque muro-
rum ambitu, ita vir, qui non poteſt
in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Gregor. 7. Mor. 17.
*Quia enim murum ſilentij non ha-
bet, patet inimici iaculis Ciuitas mẽ-
tis: & cum ſe per verba extra ſemet
ipſam eijcit, apertam ſe aduerſario
oſtendit, quam tanto ille ſine labore
ſuperat, quanto & hæc eadẽ, quæ vin-
citur, contra ſemetipſam per multilo-
quiũ pugnat*. Sicut ergo in muris va-
lidiſsimis fortitudo Ciuitatis conſi-
ſtit: ita & in ſilentio fortitudo ſita eſt
obſeruantiæ regularis. *In ſilentio,*

Aug. ſerm. 3. ad fratres in Eremo.

*& ſpe erit fortitudo veſtra*. Lege Beatum Auguſtinum ſerm. 3. ad Fratres in Eremo, vbi de ſilentio clauſtralium mirabiliter loquitur: Et quæ de oris cuſtodia dixi cap. 6. num. 18.

19 *Et noluiſtis, & dixiſtis. Nequaquam, ſed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus: ideo velociores erunt, qui perſequentur vos.* Vide creati arbitrij libertatem. Expende audaciam illius. Hortatur Dominus filios Iſrael, ne deſcendãt in Aegyptum, ſed quieſcant, & ſileant, atque ſupernum expectent auxilium, & homines, contra factorem ſuum libero pugnantes arbitrio, nolunt obedire, ſed impudenter reſpondent. *Nequaquam*. Non ità erit ſicut Deus præcipit: nõ illius voluntatem ſequemur, ſed noſtram. Non auxilium Dei nobis repromiſſum; ſed equos Aegypti requiremus, vt in illorum fortitudine liberemur: & ſuper veloces aſcendemus. At quia humanum auxilium non poteſt eos liberare, quos Deus tradiderit hoſtibus debellandos, *ideò* inquit, *velociores erunt, qui perſequentur vos*, vt ſciatis, quia nihil vobis proderit ſuper veloces aſcendere; nam contra iram Dei nulla fuga velox, nulla armatura fortis. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis*

Ionæ 1. a

*à facie Domini*. ſed ſtatim incidit in manus illius. Iuxta quod dicit

Pſ. 138.

Propheta. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* Qui ergo confidunt in equis, ſe breui deluſos inuenient. Scriptum eſt enim.

Ab ira Dei nullus ſe poteſt abſcondere.

Pſ. 19. b

*Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus*. Et rurſus.

Pſ. 146.

*Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitũ erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant in miſericordia eius*. quaſi dicat: Nõ qui ad equos confugiunt, ſed qui ad Deum recurrunt, ſalui erunt. Qui timent illum, auxilium ab eo requirunt. Mira res.

Sperandũ in Deo, qui ſimul timẽdus eſt.

*Si times latronem* (ait Auguſtinus) *ab alio ſperas auxilium, & non ab eo, quem times. Si hic times, poſcis auxilium ab eo, quem non times aduerſus eum, quem times. Si ſic times Deum, & ideo times Deum, quia peccator es, à quo accepturus es auxilium aduerſus Deũ? Quo iturus es? Quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipſum fuge. Vis fugere ab irato? fuge ad placatum. Placabis enim eum, ſi ſperes in miſericordia ipſius*.

Aug. ſup. pſal. 146. tom. 8.

20 *Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem*. Senſus eſt. Si vnus tantum ex hoſtibus quos ego mittam contra vos, non dico percuſſerit, aut viſus fuerit, ſed auditus dumtaxat, vos, etiam ſi mille ſitis, fugietis à facie eius: & ſi paruus numerus hoſtium inſonuerit, qualis eſt numerus quinque militum, ad ſolam eorum præſentiam vos omnes ſimul fugietis. Tantus erit metus veſter, tanta infirmitas, & tenuitas, vt mille ex vobis vni cedant, & omnes bellatores veſtri non poſſint militibus quinque reſiſtere. Nam Dominus animum veſtrum franget, & mittet in pinguibus Iſrael tenuitatem. Ex quo tria poſſumus colligere. Primum eſt, tantam in vnoquoque eſſe fortitudinem, atque animi firmitatem, quantam Dominus illi miſericorditer conceſſerit: nam protinus debiles efficimur,

Fortitudinem tantã habet homo, quãtã Deus illi largitur.





nisi ille ſua nos virtute contineat. Secundum eſt, iuſto Dei iudicio effici, vt à debiliſſimis terreamur hominibus, cum nec promiſſionibus, neque minis impetrare potuerit à nobis, vt ipſum timeamus. Tertium, non magno apparatu belli, aut militum multitudine Domino opus eſſe, vt nos deijciat, atque caſtiget. Nam, eo volente, quinque ſufficiunt, ad expugnandam innumerabilẽ hominum multitudinem, etiam ſi fortiſsimi videantur. Propter quod ſuperius:

Iſai. 7.

*Sibilauit* (inquit) *Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Aegypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur*. Vt ſcias, quoniam debiliſsimis muſcis, & apibus potẽs eſt Deus proſtrare fortiſsimos; ſicut infeſtauit Pharaonem, mittendo contra eum cyniphes, de quibus Magi Pharaonis dixerunt:

Exo. 8.

*Digitus Dei eſt hic*. Cum enim huiuſmodi inſtrumentis, quantumuis aliàs ſint debiliſsima, ad vindictam noſtram vtitur Dominus, ira eius, & potentia in illis ſplendens pertimeſcenda eſt.

21 *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur, parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes, qui expectant eum*. Pollicitus fuerat ſalutem quieſcentibus à peccatis, & ſperantibus in eum. Ipſi autem nequaquam acquieſcere voluerunt. Propter quod cum grauem pœnam demeruiſſent, longanimis tamen, & miſericors Dominus ſuam patientiam, & benignitatem volens oſtendere, adhuc expectauit eos, vt conuerterentur, & pœnitentiam agerent, & ſic vinciret humanitas, quos non correxit iuſtitia. *Propterea* (inquit) *expectat Dominus*. Quod vt amplius explicet, ſubdit. *Exaltabitur parcens*. Idem eſt enim, Deum exaltari, & expectare, ac ſi quis manum exaltet, & eleuet in altum in ſimilitudinem percuſſuri, & eam ſuſpendat, atque à percutiendo retrahat, vt ille, qui percutiendus eſt, locum habeat fugiendi ab ira eius. Non aliter Deus exaltat manum ſuam, quaſi percuſſurus peccatores, vt interim nos humiliati effugiamus iram eius. Dicitur autem Deus iudicij, vt interpretatur gloſſa interlinealis, quia *pater non iudicat quẽquam, ſed omne iudicium dedit filio*. Aut verò id refert ad paſsionem Chriſti, per quam iudicatus eſt princeps huius mundi, ſecundum illud, quod per Ioannem ait: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*. Vide qualiter inter ſe Propheta, & Euangeliſta conueniant. Ille ait: *Exaltabitur parcens*, ideſt, vt parcat vobis. iſte vero: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, &c.* Ille inquit: *Deus iudicij Dominus*: iſte. *Nunc iudicium eſt mundi*. Pagninus pro, *exaltabitur*, vertit, *exaltabit ſe*, Chriſtus enim nullo compellente, ſed propria voluntate aſcendit patibulum, & vt Paulus ait: *propter nimiã charitatem, qua dilexit nos*.

Miſericordia exaltat Deum.

Ioã. 5. d

Ioã. 12. e

Ioã. 12. e

Epheſ. 2. a

22 *Expectat*. Quidam ex recẽtioribus ex hoc loco inferunt, Deum expectare noſtrum liberum conſenſum, vt purgari velimus. Et cum in contrarium adducitur illa diffinitio Arauſicani Concilij. *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionẽ, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti. Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſa-*

Suarez lib. 3. de auxil. c. 13. nu. 12. c. 15. n. 11. 12. & in breu reſol. num. 43.

Cõc. Arauſic. 2. can. 4

Phil. 2.

*lubriter prædicanti. Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, reſpondent. quòd quando Concilium diffinit, Deum non expectare voluntatem noſtram, intelligitur, quòd non eam expectat ante primam vocationem, eo quòd ſolus Deus eſt, qui peccatorem vocat, neque in hac vocatione aliquas partes habet noſtrum liberum arbitrium: nihilominus poſt vocationem expectat Deus, vt homo aperiat, & liberè conſentiat vocationi. Sed hæc explicatio non videtur ad mentem Concilij. Nam diffiniuit contra ſententiam Maſsilienſium, qui affirmabant, quòd poſtquam Deus vocat peccatores ad pœnitentiam, & quamcumque aliam piam operationem, poſt ſuſceptam fidem expectabat hominis voluntatem, vt ipſe, ſi vellet, conſentiret vocanti, non autem efficiebat, vt homo efficaciter, & infallibiliter præberet aſſenſum. Id quod manifeſtè patet ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum: & ex eodem Auguſtino libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 1. vbi referens eorum ſententiã, ſic ait: *Peruenerunt etiam vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant*. Ex quibus verbis conſtat, Maſsilienſes conſtituiſſe, tanquam neceſſariam ad iuſtificationem, vocationem ſupernaturalem Dei præuenientem, & tempore antecedentem infuſionem gratiæ iuſtificantis. Sed præter iſtam, quæ communis eſt tàm prædeſtinatis, quàm non prædeſtinatis, contendit S. Auguſtinus, eſſe conſtituendam aliam vocationem ſpecialem, propriam prædeſtinatorum,

Expectare Deũ nrum liberũ conſenſũ dicũt aliqui.

Aug. lib. de prædeſt. ſanc. cap. 1. Maſſilienſiũ ſententia contra neceſſitatẽ gratiæ.

Aug. eodẽ lib. cap. 16.

ſeu illorum, qui actu conuertuntur, de qua Apoſtolus ait: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori*. Quẽ locum ibi expendens Auguſtinus, ait: *Nunquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente? Prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo, ſed ex vocante, non quacumque vocatione, ſed qua vocatione fit credens.* Ex illo autem fundamẽto, quod Maſsilienſes ſtatuerant, videlicet, poſt vocationem ſufficientem, qua Deus præuenit humanas voluntates, expectat liberum hominis conſenſum, inferebant, adiutorium gratiæ ſubdi noſtro libero arbitrio. E contra vero ſanctus Proſper perſiſtebat contra Maſsilienſes, ipſam gratiam ſibi ſubijcere humanam voluntatem, eam humilem, & obedientem efficiendo, atque obſequentem vocationi Dei. Quod & S. Auguſtinus confirmauit dicens: *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio*. Vnde & in eodem Concilio, can. 6. ſic diffinitur. *Si quis ſine gratia Dei credẽtibus, volẽtibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis, miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus; vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes, & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe con-*

Rom. 9.

Aug. eodẽ lib. cap. 6.

Cõc. Arauſican.

*tendit*



1. Cor. 4.

Ibid. 15.

*tendit reſiſtit Apoſtolo dicenti. Quid habes, quod non accepiſti? &, Gratia Dei ſum id, quod ſum*, Ergo ſecũdum mentem Concilij non ſolum non expectat Deus humanam voluntatem, quantum ad primam vocationem, ſed nec etiam quantum ad liberum conſenſum, quo Deo vocanti aſſentimur. Præterea nam Concilium non dicit, quod Deus non expectat voluntatem noſtram, vt ipſe vocet nos; ſed ait, quod non eam expectat, vt purgari velimus, atque adeo intellexit, quod non expectat liberum conſenſum, quo à peccatis purgari volumus, Et ratio, propter quam non expectat huiuſmodi conſenſum, aſſignatur in eodem Concilio, quoniam fit in nobis per ſpiritus ſancti infuſionem, & operationem, quæ videlicet efficit, quod nos liberè, & infallibiliter cõſentiamus Deo vocanti. Igitur quando dicit Iſaias: *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri. Expectaui, vt faceret vuas*, & ſimilia, non eſt ſenſus, quod Deus expectet à peccatore liberum cõſenſum, quem prius non acceperit ex dono gratiæ efficaciter præmouentis voluntatem, ſed per hæc verba deſignauit liberam cooperationem hominis, quam Deus exigit à peccatore, vt eum iuſtificet. Vnde quemadmodum Concilium Tridentinum ait: In ſacris litteris cum dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur cum reſpondemus. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur*. Ita proportionabiliter nos dicimus, quod cum in ſacris litteris habetur: *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri*, libertatis noſtræ admonemur: cum autem Propheta reſpondet. *Expecta Dominum, vi-*

Nõ expectat Deus voluntatẽ noſtram vt purgari velimus.

Can 4. Citato.

Cõc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. de Iuſtific.

Zach. 1.

Thren. 5

Pſ. 26. d

*riliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*, gratia nos Dei præueniri fatetur. Vnde Iſaias, vt in eodem contextu hanc interpretationem inſinuaret, poſtquam dixerat: *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri*, ne quis ſibi piam operationem, & conſenſum tribueret, ſed agnoſceret, à quo non ſolum poſſe bonum, ſed & ipſum bonum velle acceperit, ſubdit. *Beati omnes, qui expectant eum*, vt ſciamus, quoniam ſi expectat Dominus, vt miſereatur noſtri, profectò expectat dona ſua, & beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, ſicut de præſcientia dicit Auguſtinus. Expectat tempus, in quo prædiffiniuit ſua liberali voluntate peccatoribus miſericordiam præſtare. Expectat ordinem à ſua diuina prouidentia ſtatutum, ſecundum quem, ea, quæ prædeſtinauit, impleuit. Exigit Deus à nobis, vt vocati conſentiamus, ſed hoc ipſum conſentire nobis miſericorditer ille tribuit. Præcipit, vt credamus, ſed ipſum credere nobis largitur, vt verax inueniatur, qui dixit. *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Meum quidem eſt velle credere, ſed hoc meum non erit meũ, niſi ille dederit. Meum eſt conſentire, ſed numquam conſentiam, niſi conſenſum ipſum expectem à Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum. Propter quod ait Propheta. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi*. Et iterum. *Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate*. Audi Auguſt. defenſorem gratiæ. *Sed cum dicitur* (inquit) *ſi credideris, ſaluus eris, vnum horum exigitur, alterum of-*

Expectare Deum noſtrã voluntatẽ i quo ſenſu ſit verum.

1. Paral. 29. d

Rom. 11 d

Expectat homo Deũ non econtra.

Pſ. 39. a

Aug. lib. de pdeſt. ſanctor. ca. 10. tom. 7.

*fertur*

*fertur. Quod exigitur, in hominis, quod offertur, in Dei eſt poteſtate. Cur non vtrūq; in Dei eſt, & quod iubet, & quod offertur? Rogatur enim vt det, quod iubet, rogant credentes, vt ſibi augeatur fides, rogant pro non credentibus, vt eis donętur fides, vt & in ſuis incrementis, & in ſuis initijs Dei donum ſit fides.* Sic *autem dicitur.* Si *credideris: ſaluus eris, quemadmodum dicitur, ſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis: viuetis. Nam & hic ex his duobus vnū exigitur, alterum offertur. Si Spiritu (inquit) facta carnis mortificaueritis: viuetis. Vt ergo Spiritu facta mortificemus, exigitur; vt autem viuamus, offertur. Num igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei eſſe dicamus, neque id donum Dei eſſe fateamur; quoniā exigi audiuimus à nobis, præmio vitæ, ſi hoc fecerimus, oblato? Abſit, ut hoc placeat participibus, & defenſoribus gratiæ. Pelagianorum eſt error iſte damnabilis: quorum mox Apoſtolus ora obſtruxit, adiungens. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei, ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, ſed per noſtrum Spiritum crederemus. De quo Dei Spiritu etiam ibi loquebatur, vbi ait, omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult.*

De⁹ donat quæ à nobis exigit.

*Rom. 8.*

*1. Cor. 12*

23 *Populus enim Sion habitabit in Hieruſalem. Plorans nequaquam plorabis; miſerans miſerebitur tui.* Hebræi, & nonnulli alij expoſitores Catholici interpretantur hæc verba, & ſequentia vſque ad finem cap. de reliquijs captiuitatis, videlicet de domo Ezechiæ, & de quibuſdā alijs habitantibus in Sion, qui ſpem ſuā non in Aegypto, neque in fortitudine Pharaonis collocarūt, ſed in ſolo Deo. Propterea inquiūt, omnium rerum fœlicitas eis promittitur, ſicut reductio in propriam patriam, videlicet in ciuitatem ſanctam Hieruſalem, gaudium, & lætitia in vtroque homine, & Dei miſericordia, qua ſtatim exaudit ſuorum preces, ſana doctrina, & Doctor irreprehenſibilis, qui viam ſalutis eos doceat. Sed quoniam omnia in figura contingebant illis, ſub typo illius populi principaliter reſpicit hæc prophetia Chriſtianum populum, & Eccleſiam Catholicam, quam Apoſtolus Paulus ad Hebræos ſcribens, appellat Sion, dicens. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.* Et ideo ad vtrumque flectendi ſunt oculi: ad typum videlicet, & ad rem ſignificatam per typum. Senſus ergo eſt. Populus Sion, ideſt, Chriſtianus quondam captiuus, & ſub poteſtate peccati conſtitutus, ſed iam nunc Chriſti ſanguine redemptus, habitabit in Hieruſalem, non quidem in illa terrena Ciuitate, antiquis Patribus repromiſſa, ſed in Hieruſalem cœleſti, & ſpirituali, ideſt, Eccleſia Chriſti. Habitabit, inquam, & gubernabitur ab vno Paſtore, videlicet, à Romano Pontifice, qui Redemptoris noſtri vices gerit. Hic ergo populus non plorabit plorans, venundatus ſub peccato. Plorabit quidem, ſed gaudens ſpe retributionis æternæ, ſecundum illud, quod per Ioannem ait. *Amen, Amen dico uobis, quia plorabitis, & flebitis uos: mundus autem gaudebit, uos autem contriſtabimini, ſed triſti-*

*Heb. 11. f*

Pontifex Romanus ſuprem⁹ ē paſtor Eccleſiæ.

Lachrymę iuſtorū plenæ ſūt gaudio.

*Ioan. 16 d*



*triſtitia veſtra vertetur in gaudiū. Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

24 *Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.* Vide miſericordiam Dei, agnoſce charitatem illius, qui vbi primum audierit, nos exaudit. *Statim* (inquit) *reſpondebit*, quoniam non differt humilis orationis exaudire clamorem. *Domine Deus meus clamaui ad te* (ait Propheta) *& ſanaſti me.* Quem locum expendens Beatus Baſilius ait, *Vox hæc, Domine Deus meus clamaui ad te, plena eſt fiduciæ affectu, & iuſtorum vox, quorum Dominus ſpecialiter dicitur Deus. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Clamaui ad te, & ſanaſti me; nihil medium, nullumque interuallum fuit inter meam vocem, & tuam gratiam, ſed ſimul atque clamaui, & ſanitas prodijt. Etiam te adhuc loquente dicam. Ecce adſum.* Vnde & Hieremias ait. *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum, Dixi, perij. Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouiſſimo. Vocem meam audiſti, ne auertas aurem tuam à ſingultu meo, & clamoribus. Appropinquaſti in die quādo inuocaui te: dixiſti Ne timeas.* In die (inquit) qua vocaui te, exaudiſti me, quia ſtatim vt audierit; reſpondet, nec vnius diei moras patitur. Parum eſt, ſtatim reſpondebit. parum eſt, eadem die: præuenit enim miſericordia Dei ſuorum orationes, & antequam clament, exaudit eos; ſicut ſcriptum eſt. *Eritq; antequam clament, ego exaudiam. adhuc illis loquentibus, ego audiam. Ita ergo nunc*, ait Bernardus, *non vocatus affuit, & delectatus verbis, præuenit preces. Arbitror, quod interdum nec verba expectat, ſed ſolis cogitationibus aduocetur. Denique ait homo, qui inuentus eſt ſecundum cor Dei: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quid eſt exaudire deſiderium, quid præparationes cordis audire, niſi, quod antequā ore clament, iam exaudiuit Dominus clamorem cordis, atque interna deſideria percepit? Alias non oraſſet Propheta, dicens: *Intellige clamorem meum.* Non enim ait. Exaudi, ſed *intellige*, vt ſcias ſpiritualem eſſe clamorem cordis, qui intellectu cognoſcitur, non corporalem, qui corporeis auribus percipitur. Vnde Aug: *Dicens: intellige clamorem meum, bene oſtēdit, quis ſit iſte clamor, qui interiori de cordis cubili, ſine ſtrepitu corporis perueniat ad Deum. Quandoquidem vox corporalis auditur, Spiritualis autē intelligitur. Intende voci obſecrationis meæ, ideſt illi voci, quam vt Deus intelligat, petit.* Vox ſanguinis Abel abſque verborum ſtrepitu clamabat ad Deum de terra, petens aduerſus fratricidam iuſtitiam, & vox cordis humiliantis ſe, abſque exteriori ſonitu clamat miſericordiam obtinēs. Iſte eſt clamor, de quo ait Apoſtolus. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus abba pater.* Vnde & Hieremas ait. *Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctē, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Vbi Hieron. *Vi-*

*dete,*

Orationes iuſtorū ſtatī exaudit Deus *

*Pſal. 29.*

Baſil. hō. 7. ſup. eūdem pſal. tom. 1.

*Tren. 3. f*

Orationes prius exaudit Deus quā effundantur *

*Iſa. 65. d*

Bern. ſer. 9. in Cantic.

*Pſal. 9.*

*Pſal. 5.*

Aug. ſuper eund. pſal. to. 8.

*Gen. 4.*

*Rom. 8. c*

*Thren. 2*

Hier. ſup. pſal. 5. to. 8. dete (inquit) quid dicat, non taceat pupilla oculi, clamat ad Deum, vtiq; ſi clamat, lingua clamat, non pupilla oculi, ſed quomodo clamamus in cordibus noſtris, quando cum gemitu Dominum deprecamur, ſic quando lachrymas ad Deum fundimus, eo tempore pupilla oculi noſtri clamat ad Dominum. Orat Moyſes cum ſilentio. Intus in corde pro populo Deum deprecatur: nullum verbum ore protulerat, & ait illi Dominus,
Exo. 14. Quid clamas ad me? Clamabat affe-
Ambr. ſer. 19 ſuper pſal. 118. in illa verba clamaui in toto corde ctu pio, ait Ambroſius, & ſenſu profũdo, & perſonabat in cœlo. Vrgebat Pharao Hebræos. Hi querela miſerabili ſtrepebant, querela nihil præſidij ferens, plurimũ offenſæ afferens. Stabat Moyſes mœſtus, ſollicitus, anxius populi & periculis, & querelis, expectans fidem cœleſtium promiſſorum, & tacitus ſecum ipſe voluebat, qua tandem Dominus ope iniuriæ immemor, memor gratiæ ſubueniret. Dicit ad eum Dominus. Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocem eius agnoſco, ſilentium eius lego. clamorem eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur, tacebat. Moyſes, & audiebatur. Non populo dictum eſt, Quid clamas ad me? ſed Moyſi id dictum eſt. Tu ſolus ad me clamas, qui de me ſperas, tu ſolus ad me clamas, qui virtutẽ meã excitas. Talem clamorem audit Dominus, in quo manus, & cor illi loquuntur.

25 Quod ſi multoties differt nobis donare quod petimus, aut ſperamus, ſemper cum lucro differt.
Daniel 10. a Audi, quid contigerit Danieli. Ego (inquit) Daniel lugebam, trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum. Clamabat ad Dominum,

Orationes noſtræque re multoties nõ audiatur à Deo.

& multis lachrymis deprecatus eſt eum tribus cõtinuis hebdomadibus, & poſtmodum apparuit illi vir vnus veſtitus lineis, & dixit ei. Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo Ibid. e
poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. Quærit Hieronymus, ſi ſtatim exauditus eſt, Hieron.
cur non ſtatim ad eũ miſſus eſt Angelus? Et reſpondet: Data eſt ei per moram occaſio amplius Deum deprecandi, vt ex eo, quod plus deſiderat, per laborem plus audiri mereatur. Idipſum accidit Chananææ. Clama- Mat. 15 c
uit dicens. Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à demonio vexatur. Diſſimulat Ieſus, & non reſpondet ei verbum. Intercedunt pro ea Diſcipuli, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos, & adhuc differt concedere, quod poſtulabat. Accedit illa, adorans eum, & dicens. Domine adiuua me. Cui reſpondit Dominus. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Tandem dum illa in oratione perſeueraret, reſpondens Ieſus ait illi. O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. Vt quid enim diſtulit miſericors Dominus, tot multiplicatos clamores huius mulieris exaudire, niſi vt creſceret fides, augeretur deuotio, & oſtenderetur patientia, & humilitas Chananææ, & perſeuerantia illius fieret omnibus conſpicua, & ſic efficeretur capacior, ac plus quàm poſtulabat acciperet? Vnde Auguſtinus ait: quod deſideras, nondum vides, ſed deſiderando capax efficeris, vt, cum venerit quod videas, implearis. Sicut enim ſi velles implere aliquem ſinum, & noſti, quàm magnum eſt quod dabitur, extendis ſinum

Chananææ miſericorditer diſtulit Deꝰ cõcedere q petebat.

Aug. tra. 4. ſup 1. Epiſ. Ioan. to. 9.



ſinum vel ſacci, vel vtris, vel alterius rei, & extendendo facis capaciorem, ſic Deus differendo extendit deſiderium, deſiderando extendit animum, extendẽdo facit capaciorem. Deſideremus ergo fratres, quia implendi ſumus. Videte Paulum extendentem ſinum, vt poſſit capere
Philip. 3 quod venturum eſt, ait. Non quod iam acceperim, aut iã perfectus ſim, fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Quid ergo agis in hac vita, ſi nondum apprehendiſti? Vnum autem, quæ retro oblitus, in ea, quæ ante ſunt, extentus, ſecundum intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis. Extentum ſe dixit, & ſecundum intentionem ſequi ſe dixit, minorem ſe ſentiebat, ad ca-
2. Cor. 2. piẽdum, quod oculus non vidit, nec in
Greg 26. mor. 15. cor hominis aſcendit. Et ſanctus Gregorius. Deſideria (inquit) noſtra dilatione extenduntur, vt proficiãt, proficiunt, vt ad hoc, quod perceptura ſunt, conualeſcant: exercitantur in certamine, vt maioribus cumulentur præmijs in retributione: labor protrahitur pugnæ, vt creſcat corona victoriæ. Suos ergo Dominus cum velociter non exaudit, quo repellere creditur, trahit. Internus quippe eſt medicus, & peccatorum in nobis contagia, quæ ineſſe medullitus reprobat, ſecat, abſcindit virus putredinis ferro tribulationis; & quo voces ægri audire diſſimulat, eo ægritudinis finem procurat. Hinc enim Propheta
Pſal. 21. ait. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi ac ſi diceret. Nequaquam mihi ad inſipientiam proficit, quod die, ac nocte clamantem me continuo non exaudis: quia vnde me in temporali tribulatione quaſi deſeris, inde ad æternam ſapientiam plus erudis.

26 Eſt & alia ratio, propter quã Deus prouida diſpenſatione differt exaudire clamorem noſtrum, & conferre nobis, quod petimus, ne videlicet donum illius cito datum vileſcat, & vt magis, ac magis infirmitatem noſtrã agnoſcamus, & ſciamus; quia nihil poſſumus, niſi auxilio diuino adiuuemur. Cum autem humiliauerit homo animam ſuam coram Deo, & paupertatem ſuam, atque indigentiam agnouerit, clamet ad Dominum, & ſtatim exaudiet vocẽ eius. Scriptum eſt enim: Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Non ait Pſa. 33. b
Iſte diues clamauit, & Dominus exaudiuit eum, ſed iſte pauper, quia non exaudit Omnipotens ſuperborũ clamorem, nec eorum, qui arbitrantur, ſibi ſufficere, ſed clamorem pauperum. Vnde & Auguſtinus ait. Ideo Aug. to. 8. ſuper eundem pſal.
non exaudiris, quia diues es, forte clamaueras, & non exaudiebaris. Inops clamat, & Dominus exaudit eum. Et Quomodo clamabo inops? Vt, etſi habes aliquid, non inde præſumas de viribus tuis, vt intelligas te indigẽtem, vt intelligas te tamdiù eſſe pauperem, quamdiù non habes illum, qui facit te diuitem. Nõ clamauit vt pauper, ſed tamquã diues ſuperbus ille Phariſæus, qui aſcendẽs in templũ, & ſtans hæc apud ſe orabat. Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo. Ideo non eſt exauditus, quia non vt pauper clamauit, ſed vt diues omnium ſpiritualium bonorum abundantiã oſtentans. Vnde Bernardus. Propterea Bern. ſer. 4 adu. Dñi.
dico vobis chariſſimi, vtile eſt abſcondere magis, quam oſtentare, ſi quid

Deꝰ differt dare q petimus, ne vileſcat cito datũ, & vt magis humilietur homo.

Luc. 18. c

Oro Phariſæi & Publicani.

*quid habemus boni, ſicut & mendici, cum eleemoſynas petunt, non pretioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra, aut vlcera, ſi habuerint, vt citius ad miſericordiam vidētis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille ſeruauit multò melius Phariſæo, & ideo deſcendit iuſtificatus ab illo, ideſt præ illo*. Cananæa ſtatim vt cognouit, ſe canem eſſe, & non filiam, audire meruit. *Fiat tibi ſicut vis*. Illa exiſtimabat Iudæos canes, ſeipſam reputans filiam, audiuit Dominum dicentem: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Ipſa reſpondet: Vtique Domine ego ſum canis, Iudæi ſunt Domini, ſed *& catelli edūt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Igitur vt ſuam indignitatem agnouit, ſtatim quod optabat, accepit. Denique ex eo credimus, tot clamores Sanctorum Patrum, tot ſuſpiria, tot lachrymas, tā crebra deſideria expectantium Saluatoris aduentum fuiſſe per quinque millia annorum dilati, vt illi, qui medico cœleſti indigebant, infirmitatem ſuam prius agnoſcerent, & multitudine peccatorum proſtrati, indigere ſe liberatore longa experietia deprehenderent. Dicit enim gloſſa. *Magno Dei conſilio factum eſt, vt poſt hominis caſum non illicò Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt ſic vires naturæ ſuæ cognoſceret, vbi cum deficeret, legem accepit, qua data, inualuit morbus, non legis, ſed naturæ vitio, vt ita cognita ſua infirmitate, clamaret ad medicū, & gratiæ quæreret auxilium*. Hanc rationem aſſignat inter alias S. Thomas, ad probandum, nōn fuiſſe conueniens, Deū ab initio mundi incarnari.

Oret homo Deum ſicut paup eleemoſynam petit.

*Mat. 15. c*

Patrū clamores, & petitiones diſtulit Deus, & quare.

Gloſ. in illud ad Galat. 3. ordinata p Angelos.

S. Th. 3. p. q. 1. art. 5. corp.

27 Tertia ratio, propter quam electorum clamores multoties differuntur, eſt, quoniam non modicum delectat Deum, ſuos videre pendentes ab ore eius, quotidie clamare, atque in preſſuris omnibus ad eum recurerre: ſicut pater dare vult, quod filius petit, & tamen differt datum, gaudens filium conſpicere importunè, quod deſiderat, poſtulantem. Expende miſericordiam Dei, qui libentiſsimè audit multiplicatas preces, & delectatur, non quidem in perditionibus, ſed in petitionibus noſtris, nec tædet, niſi fortè tacueris. Vnde Chryſoſtomus: *Accedamus* (inquit) *importunè, immò hoc nūquam eſt importunè accedere. Sicut enim reſpirare importunè omnino numquam eſt, ita etiam non quidem petere, ſed non petere potius importunum eſt. Sicut enim reſpirare hoc iugiter indigemus, ita etiam eo, quod à Deo præſtatur auxilio. Quod ſi voluerimus, facile illud ad nos poterimus inflectere. Et hoc profectò declarans, atque oſtendens, Deum promptū eſſe ſemper ad beneficia largienda, dicebat, ſicut diluculum paratum inueniemus eum. Quotieſcumque enim venire, & ad illum voluerimus accedere, expectatas ab illo eſſe preces noſtras continuo ſentiemus. Si verò nihil de redundante illo fonte bonitatis haurimus, noſtra eſt omnis culpa, nō fontis. Hoc etiam Iudæis imputando dicebat. Miſericordia vt nubes matutina, & ſicut ros diluculò cadens. Quod vero dicit, huiuſmodi eſt: Ego quidem, quæ à me petenda erant, cuncta largitus ſum. Vos verò quaſi quidam ventus vrēs aduerſus nebulam, roremq; contenditis, & idcircò retrahitur à vobis: ita præ nimia malignitate veſtra facitis immenſæ liberalitatis Dei dona cohiberi,*

Orationes nſæ Deum delectant, ideo differt dare q petim⁹.

Chryſoſt. hom. 23. ſup Matt. colum. vlt. to. 2.

*Oſea. 6. b & 13. a*



*ri, quod tamē ipſum diſpenſatio prouidentiæ eſt. Cum enim nos viderit non mereri, digniſſimè proculdubio beneficia ſua continet, ne vos vtique deſides faciat, non dignè inquirentibus largiendo. Si verò paululum in meliora mutemur, & vel tantillum quidem, vt nos ſaltem peccaſſe doleamus, ſupra quàm omnes fontes ſubito ebullit, copioſius quàm omne prorſus pelagus effunditur. Quantoq; amplius acceperis, tātò ille plus gaudet, & hoc ipſo ad dandum plura conſurget: diuitias enim ſuas noſtrā eſſe ducit ſalutem, & ipſam dandi petentibus largitatem: quod certè dicebat Paulus: Qui diues eſt in omnibus, qui inuocant illum. Non enim niſi quando non poſtulamus, iraſcitur: tunc etiam nos ſolum, quando nō poſcimus, auerſatur. Propterea enim & pauper factus eſt, vt nos diuites faceret, & illa omnia ſuſtinuit, vt nos ad petendum plenius incitaret.* Nec dubitandum, hanc ob cauſam cœlum filijs Iſrael in deſerto nō ſubminiſtraſſe panem, niſi quantum ſufficiebat pro ſingulis ad vnius diei victum, vna dumtaxat excepta die ſexta, in qua collegerūt cibos duplices, vt eos conſtringeret ſingulis diebus ad Deum recurrere, panem quotidianum poſtulando, & ſcirent illud, quod ſcriptum eſt: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcā illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Hinc & S. Iob conſiderans gaudium, quod Deus concipit ex aſsiduis clamoribus iuſtorum, ait: *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat*. Vbi per riſum Dei, lætitiam illius deſignat, qua de afflictorum petitionibus gaudet. Dicit enim Gregorius: *De innocentum pœnis Dominus ridere dicitur, quia quo à nobis ardentius quæritur, eo de nobis ſuauius lætatur. Quaſi quoddam quippe ei ex pœna gaudium facimus, cum per ſancta deſideria pro eius nos amore caſtigamus. Hinc Pſalmiſta ait: Conſtituite diem ſolennem in confrequentationibus, vſque ad cornu altaris. Solennem namq; Domino diem in confrequentationibus conſtituit, quiſquis ſe aſſidue in eius deſiderio affligit. Qui nimirum ſolennitatis dies vſque ad altaris cornu tendi præcipitur: quia tamdiù neceſſe eſt, vt quiſque ſe afficiat, quouſque ad ſuperni ſacrificij altitudinē, ideſt ad æterna gaudia pertingat. Iuſtus igitur vir, quia impleri deſiderium ſuum appetit, non differri, humiliter dicit: Non de pœnis innocentium rideat. Ac ſi diceret: Vota noſtra libenter accipiens, vltra non differat, ſed oſtendendo exhibeat eum, qui nos in ſua expectatione caſtigat.*

*Rom. 10*

*2. Cor. 8.*

*Exo. 16. e*

*Pſ. 144.*

Manna quare pro vna tātum die dabat.

*Iob. 9. c*

Gregor. 9. Mor. 25.

Innocētū pœnis gaudet Deus.

*Pſ. 117.*

28 Vltima ratio eſt, quoniam etſi dare deſiderat, quod petimus, differt tamen, vt tempore opportuno ſubueniat. Eſt enim adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Poſtulat obnixè infirmus à dilecto patre calicem aquæ frigidæ in febris incremento, lachrymatur, affligitur æſtuans ſuccreſcente calore. Pater audit clamores filij, ſed miſericorditer denegat, quod petit, non quia inuidus ſit, aut auarus, ſed quoniam opportuno tempore ſubuenire vult neceſsitatem patienti: ita Deus, etſi multiplicemus clamores, tacet, nihil reſpondet: videtur, quod poſcimus, denegare: dabit autem cum expediens fuerit animæ tuæ. Rogauit Ioſeph pincernam Pharaonis, poſtquā interpretatus eſt ſomnium illius, & dixit: *Tantum memento mei, cum tibi benè fuerit, & facies mecum miſeri-*

Orationes exaudit Deus tpe opportuno

Simile.

*Geneſ. 40. c.*

*ſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere: quia furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.* Et tamen permiſit Deus, quod per duos annos oblitus eſſet pincerna interpretis ſui, & interim Ioſeph toto illo tempore affligeretur in carcere, vt cum maiori ſplendore, & gloria opportuno tempore educeretur ex illo. Vnde Chryſoſtomus. *Conſidera* (inquit) *quomodo poſt reſtitutionem illius duo anni præterierint. Oportebat enim expectari tẽpus opportunum, vt maiori cum gloria indè educeretur. Si quidem præfectus pincernarũ ante ſomnia Pharaonis recordatus fuiſſet, fortaſſis authoritate ſua eum liberaſſet, & non tam perſpicua fuiſſet alijs eius virtus. Nunc autem omnipotens, & ſapiens Deus ſciens ſicut optimus artifex, quanto tempore in igne aurum debeat teneri, & iterum inde reduci, permittit ad tempus duorum annorum præfectum pincernarũ illius obliuiſci, vt & tempus ſomniorum Pharaonis veniat, & compellente neceſſitate ipſa, iuſtus ille in toto Regno Pharaonis notus fiat.*

Ioſeph quare per duos annos detẽtus in carcere.

Chryſoſt. hom. 63. in Gen. col. 3.

29 *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* Omiſſis varijs explicationibus, quæ non videntur antecedentibus verbis, & ſubſequentibus congruere, duas proſequar, magis communiter receptas inter Doctores. Prima eſt ſancti Cyrilli, ſancti Hieronymi, & Procopij, qui per panem arctum, & aquam breuem legem intelligunt Euangelicam, quæ vno dilectionis præcepto multiplices obſeruantias, & præcepta legis quamplurima compilauit, ſecundum illud, quod dicit Apoſtolus. *Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatũ, in hoc verbo inſtauratur,* ideſt, recapitulatur & reſumitur, & veluti in compendium redigitur: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Alludit autem ad id, quod dixerat ſupra: *Conſummationem, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ,* vbi, per conſummationem, & abbreuiationem, legem intelligit Euangelicam, vt cap. 10. num. 21. dictum eſt. Vnde panis arctus idem eſt, quod panis abbreuiatus, ſeu verbum abbreuiatum: & ſimiliter aqua breuis nihil eſt aliud, quàm ſapientia omnibus antiquis oraculis correſpondens. Iã ergo, poſtquam Dominus hunc panẽ, & aquam ſuæ reliquit Eccleſiæ, non dicetur vltra: *Mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini: Et commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem circuibunt, quærentes verbum Domini, & non inuenient.* Ecce enim in Eccleſijs quotidie prædicatur, ecce *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ecce Dominus *emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius.* Non audietur amplius vox illa: *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Scriptum eſt enim: *Et erit in die illa exibunt aquæ viuæ de Hieruſalem. Medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum, in æſtate, & in hyeme erunt,* quia, vt ait Hieronymus, ita *erunt aquæ iſtæ, vt nec gelu conſtringantur hyemis, nec æſtatis nimio calore ſiccentur. Aqua, quæ egreditur de Hieruſalem, hoc eſt, de Eccleſia*

Cyrillus. Hieron. Procopius.

Rõ. 13.

Lex Euangelica eſt panis arct⁹ & aqua breuis.

Iſa. 10.

Amos. 8. e

Pſal. 18.

Pſ. 147.

Thren. 4

Zach. 14 b

Hieron.

Eſai. 2.



*Eccleſiã, doctrinam indicat Saluatoris. De Sion enim exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem,* iuxta illud, quod alibi ſcriptum eſt: *Repleta ſunt omnia ſcientia Domini, ſicut aqua multa operiens mare. Iſtæ aquæ viuentes Eccleſiæ, & in pace, & in perſecutione manare non ceſſant. In quo perpetuitas, & ſtabilitas Eccleſiæ intelligenda eſt.* Dicuntur autem verba Dei panis, & aqua, ſacro eloquio atteſtante: *Cibauit eum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum.* Panis eſt in obſcurioribus locis, quorum intellectus, vt obſeruauimus ſupra, multo labore aperitur, aqua in locis clarioribus, quæ intelliguntur facilius. Panis eſt quia confortat cor hominis, & ſpirituale robur illi tribuit. *Et panis cor hominis confirmet.* Aqua, quoniam refrigerat animam, & carnis concupiſcentias extinguit. In cuius ſignũ manna, quod, vt notauit Origenes, & Chryſoſtomus, typum verbi Dei gerebat, miſſum eſt in ſimilitudinem pruinæ, vt ſciamus, verbo Dei carnis ardorem ſuperari. Aqua cum effunditur, aut rigat, aut abluit: ita & verbum Dei, vt obſeruat Sanctus Bernar. ſer. 22. in Cant. dũ diffunditur in cordibus noſtris, ea reddit foecunda, & à peccatorum ſordibus lauat. Scriptum eſt enim: *Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti; ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.* Et iterum: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Vnde S. Hier. ait: Verbum Dei eſſe herbã Borith, conducens ad ſordes animæ abluendas, de qua per Hieremiam dicitur. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me.* Septu. Interpretes ſic transferunt iſtum locũ. *Dabit Dominus vobis panem tribulationis, & aquam anguſtam.* Et conſonat cum hac tranſlatione id, quod in noſtra Vulgata habetur. *Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ.* Etenim in textu Hebraico habentur eadẽ verba in vtroque loco. Et quod interpres Latinus tranſtulit in lib. 3. Reg. illis verbis. Pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, hic vertit, panem arctum, & aquam breuem. Nec mirum, quod panis, & aqua diuinæ ſapientiæ ſit panis tribulationis, & aqua anguſtiæ, & amaritudinis. Quamuis enim verba Dei ſint electis ſuauiſsima, *& dulciora ſuper mel, et fauum;* reprobis tamẽ, qui ea opere adimplere cõtemnunt, amara fiunt (vt obſeruauimus ſupra) anguſtia; & tribulatione plena. Legitur de manna, quod talẽ ſaporem in ore vniuſcuiuſque reddebat, qualẽ appetebat ipſe manducans. Scriptũ eſt enim, *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, et paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, et omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantiã enim tuam, et dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas: et deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Sed vbi filij Iſrael contra præceptum Domini abſconderunt illud, & reſeruauerũt vſque mane, *ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.* Tale quid in verbo Dei cernere licet. Habet in ſe omne delectamentũ, & omnis ſaporis ſuauitatẽ in illo reperies, ſi humiliter illud ſuſcipias, & comedas,

Eſa. 11.

Eccleſ. 15.

Script. ſac. eſt panis, & aqua.

Tom. 1. in præfat. nu. 3. & 4.

Pſ. 103.

Orig. hõ. 7 in Exod. to. 1. Chry.

Verbũ Dei eſt manna.

Ber. ſer. 22. in Cant. col 1.

Iſa. 55. e

Ioã. 15. a

Hier. hom. 13. in ca. 2. Hierem.

Hiere. 2

Verbũ Dei eſt herba Borijt, q̃ lauat animam.

2. Reg. 22. d

Pſ. 18. c

Cap. 1. nu. 59.

Sap. 16. c

Exo. 16.

Verbũ Dei habet oĩs ſaporis ſuauitatem.

das,ſi ſtatim exequaris quæ præcipit adimplenda. Si autem verbum Dei ſeruaueris vſque mane,ſi illud abſcō dasvelut alter ſeruus infidelis,qui in ſudario repoſuit pecuniā Domini ſui, ſi poſt ſuſceptumDei ſermonem,eius mandata contempſeris,ipſum verbū tibi vermis efficitur, qui tuam ſemper conſcientiam fodiat, & arcana

*Iſa. 66.* pectoris rodat,nec morietur ille vermis in æternum. quæ omnia ſequentibus verbis declarat Origenes. *Tu ſi verbum* Dei, *quod in Eccleſia prædicatur, tota die, tota deuotione ſuſcipias,fiet tibi ipſum verbum quodcumquè deſideras. Verbi gratia, ſi tribularis, conſolatur te,dicens. Cor contritum, et humiliatum Deus non ſpernit. Si lætaris pro ſpe futura,cumulat tibi gaudia dicens. Lætamini in* Domino,*& exultate iuſti. Si iracundus es,mitigat te, dicens. Deſine ab ira,et derelinque furorem. Si in doloribus, ſanat te, dicens. Dominus ſanat omnes languores tuos. Si paupertate conſumeris, conſolatur te dicens. Dominus ſuſcitat de terra inopem, et de ſtercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo ſaporem quemcumque volueris. Hoc tamen ſiquis infideliter ſuſcipiat, et non comedat,ſed abſcōdat, vermes ex eo ebulliunt.Sicut enim de Chriſto Domino,qui vermis dicitur, ſcriptum eſt,quòd factus eſt in ruinā et reſurrectionem multorum: ita et ipſe eſt, qui nunc in manna fidelibus quidē dulcedo mellis, infidelibus autem vermis efficitur. Ipſe eſt enim ſermo Dei,qui iniquorum mentes arguit, et correptionum ſpiculis peccatorum conſcientias terebrat.* Idem ferè eiſdē verbis dicit Aug. & multa addit,quę maximè deſeruiūt ad plenam eiuſdem loci intelligentiam, & inter alia,duo aduertit.Alterum eſt,

Orig.hō.7 in Exod. tom.1.

VerbūDei vermis efficitur non ſeruātibus illud.

*Lucæ 2.*

Aug.ſerm. 91.de tempore.

quòd in die Sabbati ex eo non pluebat Iudæis manna de cœlo,quia eorū ſabbata gratia cœleſti non fœcūdabantur,ſicut fœcūdantur ſabbata noſtra. *Illud,ait,aduertite fratres,quòd Iudæorum ſabbato de manna numquam omnino pluerit, nec meruerūt Iudæi, vt eorum ſabbato gratia illis de cœlo deſcenderet. In noſtra autem dominica die non ſolum ſemper venit manna, ſed etiam ab ipſo die veniēdi initium fuit. Semper ergo nobis* Do*minus pluit manna de cœlo. Cœleſtia namq; ſunt eloquia iſta,quæ nobis dicta ſunt, & ideo nos,qui tale manna ſuſcipimus, ſemper nobis manna datur de cœlo.Vnde infœlices Iudæi dolendi, & lugendi ſunt, quia manna ſicut Patres ipſorum non merentur accipere,illi numquam manna manducant.Non enim poſſunt manducare illud,quod eſt minutum ſicut ſemē coriandri,& candidum ſicut pruina. Nihil enim in verbo Dei minutum, nihil ſubtile,nihil infœlices Iudæi ſētiunt ſpiritale,ſed totum pingue,totū craſſum. Incraſſatū enim eſt cor populi huius.* Alterum verò eſt, quod illud manna,quod pro die ſabbati reponebatur,non eſt corruptum,neque vermes ebullierunt in eo,ſed permāſit integrum, in ſignum, quòd in hac vita debemus colligere cibum, quo in die ſabbati,hoc eſt in futuro ſæculo ſaturemur. Ideo præcipitur,vt in die ſexta duplum colligatur in repoſitionem quantum ſufficiat etiā ſabbato. *Hoc*(ait Aug.)*ſecundum noſtrā intelligentiam non ocioſi, nec ſecuri præterire debem⁹,ſed per eleemoſynas recondere,quantū ſufficiat, & in futuro die.Si quid.n.hic boni operis acquiras,ſi quid iuſtitiæ, miſericordiæ, & pietatis recōdas,hoc tibi in futuro ſæculo erit cibus. Deniq; hoc & Apoſtolus admonet,dicēs.Quæ.n.ſemina-*

*uerit*

Mānaquare in die ſabbati nō pluebat cœlū Iudæis.

In manna nihil ſpirituale ſentiebāt Iudæi.



*uerit homo, hæc & metet. Quid ergo agimus nos,qui magis illud recondere volumus, quod corrumpatur, non quod permaneat, & perduret in craſtinum,ideſt in futuro ſæculo? Diuites auari, & cupidi hæc recondunt, quæ in hoc ſæculo, immò cum ſæculo corrumpantur. Qui autem bona opera recondunt, illa permanent vſque in craſtinum.*

30 Hinc eſt, quod verbum Dei aduerſarius noſter dicitur in Scriptura,quia ſemper nobis, cum male agimus,aduerſatur.ſemper reprehēdit peccatores, & tanquam vermis mordet eorū ſine intermiſſione conſcientiam.Ait.n. Dominus.*Eſto conſentiēs aduerſario tuo citò dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro,& in carcerē mittaris.* Quem locum exponens S. Aug. ait. *Quæramus iſtum aduerſarium, & cōſentiamus illi. Si peccas, aduerſarius tuus ſermo Dei eſt. Verbi cauſa,delectat te inebriari,dicit tibi,noli: delectat te nugari, adulterari, dicit tibi, noli: in quibuſcumq; peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi noli:aduerſarius eſt volūtatis tuæ, o quàm bonus,& quàm vtilis aduerſarius: non quærit noſtram voluntatem, ſed vtilitatem. Aduerſarius eſt nobis, quamdiu ſumus & ipſi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes ſermonē Dei: eſto tibi amicus,& cōcordas cum illo. Non homicidiū feceris,audi,& concordaſti, etc. In his omnibus cum tuo aduerſario concordaſti,dic mihi,quid perdidiſti? Non ſolum nihil perdidiſti, ſed & te ipſum,qui perieras,inueniſti.Via,uita iſta eſt. Si concordauerimus cum illo,ſi cōſenſerimus illi,finita eſt via, non timebimus iudicē,miniſtrū,carcerē. Quia neſcimus, quando via finiēda eſt,ſemper cū aduerſario noſtro debemus concordare. Si cōcordaueris in via, ſeruās aduerſario bonam voluntatem, pro iudice inuenies patrē, pro miniſtro ſæuo angelum ducentē in ſinum Abrahæ, pro carcere paradiſum, quàm cito in via cuncta mutaſti,quia tuo aduerſario conſenſiſti.*

Verbū Dei aduerſari⁹ noſter dr.

*Mat.5.d*

Aug.ſerm. 1 de verbis Dñi to.10.

Igitur verbum Dei eſt panis arctus, & aqua breuis,quibus, dum per fidē ambulant,cibantur fideles, atque legis diſciplina coarctantur, & cōſtringuntur. Quod ſatis aperte declarat tranſlatio Vatabli,quæ ſic habet.*Dabit quidem Dominus uobis panē anguſtiæ & aquas moleſtiæ*, & verſio Pagnini.*Dabit quidē uobis Dominus panem anguſtiæ,& aquam oppreſſionis* Qua ratione quippe aduerſarius noſter dicitur verbum Dei,eadē panis anguſtiæ & moleſtiæ nūcupatur, quia moleſtum eſt carni, & eius cōcupiſcentijs aduerſatur. Sed iam alium panem, & aquam ſub eiſdem verbis Iſaiæ recondita inquiramus.

31 *Et dabit vobis Dominus panem arctum,& aquam breuē.*Secunda explicatio huius loci eſt, quā tradit B.Baſilius,& alij Doctores, qui p panem arctum, & aquam breuem ſacroſanctū intelligūt Euchariſtiæ ſacram. in quo ſub ſpeciebus panis, & vini realiter continetur Corpus, & ſanguis D.N. Ieſu Chriſti, qui de ſe ipſo loquens ait.*Ego ſum panis vitæ, qui uenit ad me nō eſuriet,& qui credit in me non ſitiet in æternū.* Et rurſus.*Caro mea uere eſt cibus,& ſāguis meus uerè eſt potus:qui māducat meā carnē,& bibit meum ſanguinē,in me manet,& ego in illo.* Et iterum:*Non Moyſes dedit uobis panē de cœlo, ſed pater meus dat uobis panē de cœlo uerū.* Panis.n.verus eſt,qui de cœlo deſcendit,& dat vitam mundo.*Manna illud è coelo*(ait Ambr.)*hoc ſupra coe-*

Baſil.ſuper pſal.28.

*Ioā.6.d*

Euchariſtia eſt panis arctus, & aqua breuis*

H 2 *lum.*

Ambr. lib. de his, qui initiantur myſterijs c.9. tom.4.

*dũ. Illud cœli, hoc Domini cœlorũ. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diẽ alterum ſeruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumq; religioſe guſtauerit, corruptionẽ ſentire non poterit.* Et quamuis ſub ſpecie vini Chriſtus Dominus fidelibus ſanguinem ſuum tribuat in potum, aquã tamen repromittit, quoniam animã lauat, & purificat ſãguis Chriſti, ſicut

Gen. 49.

ſcriptũ eſt. *Lauabit in vino ſtolã ſuã, & in ſanguine vuæ palliũ ſuum. Lauabit* (inquit) & *in vino*, quia tãquam vinũ lætificat cor hominis, & vt aqua puriſſima illud lauat. Dicit. n. Origenes.

Orig. hõ. 17. in Gẽ. tom. 1.

*Stola Chriſti, quæ lauatur in vino, merito eius intelligitur Eccleſia, quã ipſe mundauit ſanguine ſuo, non habentem maculam, aut rugam. Non enim (inquit Apoſtolus) argento, vel auro redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine vnigeniti à Deo. In huius enim ſanguinis vino à Chriſto lauatur Eccleſia.* Et S. Chryſ.

Chryſ. ſt. hom 45. in Ioan. to 3

*Hic ſãguis* (inquit) *noſtrarum animarum ſalus eſt, hoc lauatur anima, hoc ornatur, hoc incẽditur, hic igne, & ſole clariorem animam noſtrã reddit. Admiranda ſanè Eccleſiæ myſteria, admirabile ſacrariũ. Ex Paradiſo fons ſcaturijt, à quo ſenſibiles fluuij emanarent. A menſa hac prodijt fons qui fluuios ſpirituales diffundit. Iuxta hunc fontem non ſteriles ſalices germinãt, ſed quercus cœlum ipſum attingẽtes, quæ fructus tẽpeſtiuos, & ſolidos ſemper producunt. Si quis æſtuat, ad hunc fontem ſe cõferat, & recreabitur. Mũdat ſqualorẽ, & ſordes, æſtus mitigat, non ſolares, ſed quos ignitæ ſagittæ imprimũt. Multi huius fontis riui, quos paracletus diffundit.* Ideo ex latere Chriſti dormiẽtis in Cruce exiuit ſanguis,

Ioã. 19. f.

& aqua, vt ſcias, quoniam cruor illius in potum ſimul, & lauacrũ exhibetur nobis. Vnde B. Ambr.

Amb. lib. 5. de ſacram. c. 1. to. 4.

*Tẽpore* (inquit) *Dominicæ paſſionis vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit, & ſanguis. Quare aqua? quare ſanguis? aqua vt emẽdaret, ſanguis vt redimeret. quare de latere? quia unde culpa, inde gratia, culpa per fœminam, gratia per Chriſtũ.*

Aqua miſcetur vino in Euchariſtia propter myſterium.

In cuius rei ſignũ Sacerdos in calice conſecrando parum aquæ miſcet vino, vt ſingularem prærogatiuam ſacramenti explicet Euchariſtiæ, atque ſacrificij, quod in Cruce obtulit Chriſtus Dominus, in cuius memoriam quotidie in Eccleſia ſub ſpeciebus panis, & vini offertur, & ſumitur. Fuit quidem ſacerdotium Melchiſedech figura quædam ſacerdotij Chriſti, vt teſtatur Paulus ad Hebręos ſcribens: ſed ille, vt notauit Ambr. ſolũ obtulit

Ambr. vbi ſupra.

panem, & vinum, nec aquam legimus miſcuiſſe, quia ſacrificium illius vim non habebat animã abluendi, nec ex-

Melchiſedech non obtulit aquam vino miſtã.

tinguendi ſpiritualem ſitim; erant. n. vacua, & egena elementa omnia antiqua ſacramẽta & ſacrificia, tam legis naturæ quàm ſcriptæ. At ſacroſanctum myſteriũ Euchariſtiæ, quod ſacramentum eſt, & ſacrificium, vitã dignè ſumẽtibus tribuit, animam lauat, explet ſitim, & omnium ſpiritualium bonorũ eſt origo, atq; in corde credentium fit fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Ideo ergo vino miſcet

S. Iacobus. S. Clem li. 8. Conſtit. cap. 11. Cypr. lib. 2. epiſt. 3. alias 63. Aug 4. lib. de Trinit. cap. 21. Iren. lib 4. c. 57. & l. 5 ca. 2. Conc. Cartag. 3. c 24 Prou. 9.

Sacerdos aquam, quæ ſymbolum eſt ſpeciale horum effectuum: Et eandẽ creditur Chriſtum Dominũ, cum hoc ſacramentum inſtituit, miſcuiſſe, vt docent B. Iacobus in Liturgia, S. Clemens, Cyprian. quẽ refert Aug. Iren. & Conc. Carthaginenſe 3. Et colligitur ex illo. *Sapiẽtia ædificauit ſibi domũ, excidit colũnas ſeptẽ, immolauit victimas ſuas, miſcuit uinũ, & propoſuit mẽſam ſuã.* Et ad illã nos inuitãs ait: *Venite, comedite panem meum, & bibite uinum, quod miſcui uobis.*





Hieron. de quæſt. Hebraicis circa primũ lib. Paral. 11. Cyprian. epiſt. 63.

Quem locum de ſacramento Euchariſtiæ interpretatur Hieronymus, & Cyprianus, & Nicolaus de Lyra, qui explicans verbum, *miſcui*, illud refert ad calicem conſecratum, in quo aqua admiſcetur vino. Conſentiunt aliqui ex Hebræis, inter quos eſt Rabi Samuel opuſculo de Aduẽtu Meſſiæ cap. 20. & habetur in tomo 5. Bibliothecæ. Et forſitan hoc ipſum reſpexit Iſaias in præſenti, cum aquam breuem nominauit, deſignans, aquã illam, quæ in calice dominico miſcenda erat vino, in modica quantitate apponendam eſſe.

32 Denique circa hanc explicationem obſeruanda ſunt duo, alterũ eſt, quòd dicendo, *Dominus dabit*, admonitos nos eſſe voluit, ſola Dei virtute ſupernaturali totam ſubſtantiam panis, & vini in ſubſtantiã corporis, & ſanguinis Chriſti tranſire, remanentibus dumtaxat ſpeciebus ſacramentalibus. Vt enim obſeruauimus ſupra cap. 7. num. 22. ſupremus omnium artifex quędam operatur vt Deus, quædam vt Dominus. Cum in ſua operatione ſeruat naturæ leges, quas ipſe ſtatuit, operatur vt Deus: Cum autem efficit aliquid, quod totius naturæ excedit virtutẽ, operatur vt Dominus abſolutus, in cuius poteſtate eſt conſtitutum, inclinationem naturalem, quam naturæ contulit, immutare, & illa vti ad quoſcumque effectus. Quia ergo ſacramentalis conuerſio, quam optima ratione Concilium Tridentinũ tranſubſtantiationem vocat, non fit actiuitate alicuius agentis naturalis, ſed omnipotentis Dei virtute, cuius voluntati nihil poteſt reſiſtere: ideò ait. *Dabit vobis Dominus.* Alterum verò eſt, quòd ſacramẽtum Euchariſtiæ dicitur panis arct⁹, & aqua

Sup. cap. 6. nu. 12.

breuis; quoniam, vt notauimus ſupra, in illo ſe quodammodo coarctauit, & abbreuiauit verbum abbreuiatũ, diuinitatem, & humanitatem ſub ſpeciebus ſacramentalibus velando: aut verò quoniam illud ſacramentũ tempore maioris preſſuræ, & anguſtiæ nobis reliquit Chriſtus Dominus. Nam (vt ait Apoſtolus)

1. Cor. 11 e

*in qua nocte tradebatur, accepit panem. & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Poteſt etiam dici panis arctus, & aqua breuis; ſiue (vt transferunt Septuaginta) panis tribulationis, & aqua anguſta, vel anguſtiæ, quoniam memoriale quoddam, & commemoratio eſt paſſionis Dominicæ, ſecundum illud. *Hoc facite*, ideſt, ſacrificate *in meam commemorationem*.

Ibid.

Euchariſtia eſt memoriale Eccleſiæ

Hoc eſt ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mẽs impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Hoc eſt memoriale, de quo per Oſeam dicitur. *Viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea. Memoriale eius ſicut vinum Libani*, Vbi Hieronymus: *vinum Libani* (inquit)

Oſeæ. 14. c

*poſſumus appellare miſtum, & conditum tymiamate, vt odorem ſuauiſſimum habeat.* Per quod ſacramentum Euchariſtiæ intelligitur, quo multiplicantur fideles, & viuunt, iuxta illud. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Ioan. 6.

Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione Septuaginta virorum, qui pro, *viuent tritico*, transferunt, *confirmabuntur tritico*, ideſt pane cœleſti, & ſacramento, cuius materia ex tritico perficitur. Iſte panis eſt memoriale eius, quod in memoriam ſuam reliquit Eccleſiæ, ſecundum illud, quod canit Pſalmiſta. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, &*

Pſ. 110.

*miſerator Dominus, eſcam dedit ti-*
*mentibus ſe*, ac ſi dicat; talem panẽ
tribuit ſe timentibus, in quo omniũ
mirabilium ſuorũ recolitur memo-
In Clemẽtina ſi Dñm, de reliqjs, & veneratione Sanctorum. ria. Vnde & Clemens V. *Tranſitu-*
*rus* (inquit) *de hoc mundo ad patrem*
*Saluator noſter Dominus Ieſus Chri*
*ſtus, cum tempus ſuæ paſſionis inſta-*
*ret, ſumpta cœna, in memoriam mor-*
*tis ſuæ inſtituit ſummum, & ma-*
*gnificum ſui corporis, & ſanguinis*
*ſacramentum, corpus in cibum, &*
*ſanguinem in poculum tribuendo:*
*Nam quoties hunc panem mandu-*
*camus, & calicem bibimus, mortem*
*Domini annuntiamus. In inſtitu-*
*tione quidem huius ſacramenti di-*
1.Cor.11 c *xit ipſe Apoſtolis. Hoc facite in*
*meam commemorationem, vt præci-*
*puũ, & inſigne memoriale ſui amo-*
*ris eximij, quo nos dilexit, eſſet no-*
*bis hoc præcelſum, & venerabile ſa-*
*cramentum; memoriale (inquam)*
*mirabile, ac ſtupendum, delectabile,*
*ſuaue, tutiſſimum, ac ſuper omnia*
*pretioſum, in quo innouata ſunt ſi-*
Eccli. 36.a *gna, & mirabilia immutata, in quo*
*habetur omne delectamentum, & om*
*nis ſaporis ſuauitas, ipſaq. dulcedo*
*Domini deguſtatur, in quo vtique*
*vitæ ſuffragium conſequimur, &*
*ſalutis. Hoc eſt memoriale dulciſſi-*
*mum, memoriale ſacratiſſimum, me-*
*moriale ſaluificum, in quo gratam*
*redemptionis noſtræ recenſemus me-*
*moriam, in quo à malo retrahimur,*
*& in bono confortamur, & ad vir-*
*tutum, & gratiarum proficimus in-*
*crementa, in quo profectò proficimus*
*ipſius corporali præſentia Saluatoris.*
Et paucis interiectis, ſic concludit.
*O adorandum, venerandum, colen-*
*dum; glorificandum, præcipuis ma-*
*gnificandum laudibus, dignis præco-*
*nijs exaltandum, cunctis honorandũ*
*ſtudijs, deuotis proſequendum obſe-*
*quijs, & ſinceris mentibus retinen-*
*dum. O memoriale nobiliſſimum,*
*intimis commendandum præconijs,*
*firmiter animo alligandum, diligen-*
*ter obſeruandum in cordis vtero, &*
*meditatione, ac celebratione ſedula*
*recenſendum. Huius memorialis*
*continuam debemus celebrare me-*
*moriam, vt illius, cuius ipſum fore*
*memoriale cognoſcimus, ſemper me-*
*mores exiſtamus, quia cuius donum,*
*vel munus frequentius aſpicitur, hu-*
*ius memoria ſtrictiùs retinetur.*

33 *Et non faciet auolare à te*
*vltra doctorem tuum.* Vatablus: *Et*
*non auolabit vltra doctor tuus.* Pa-
gninus: *At non elongabitur vltra*
*doctor tuus.* Doctor noſter Chriſtus
eſt, qui præcepta ſalutis nobis tradi-
dit, qui legem Euangelicã inſtituit,
prædicauit, & docuit, cuius excel-
lentiam commendauit, qui dixit:
*Nullus ſimilis ei in legislatoribus:* Iob.39.
de quo ipſe pater teſtimonium per-
hibet dicens: *Hic eſt filius meus di-* Mat.17
*lectus, in quo mihi bene complacui,*
*ipſum audite.* Et iterum: *Ecce te-* Iſa.55.b
*ſtem populis dedi eum, ducem, &*
*præceptorem gentibus.* Teſtis, vt
Auguſtinus ait, eſt idem, quod mar- Aug. i illa verba Pſ.
tyr. Eſt ergo Chriſtus teſtis, & præ- 118. Nã & teſtimonia
ceptor, quia nouum teſtamentum tua meditatio mea eſt.
quod ſponſæ ſuæ Eccleſiæ reliquit, &
veritatẽ, quam vt præceptor docuit,
poſtmodum tãquam teſtis ſanguinis Chriſtus
effuſione firmauit. *Vbi enim teſta-* doctor, &
*mentum eſt, mors neceſſe eſt interce-* teſtis.
*dat teſtatoris. Teſtamentum enim* Heb.9.c
*in mortuis confirmatũ eſt; alioquin*
*nondum valet, dum viuit qui teſta-*
*tus eſt.* Fuit quidem Moyſes præ-
ceptor, & magiſter, qui legem digi-
to Dei ſcriptam in tabulis lapideis
populo duræ ceruicis promulgauit;
fuerunt præceptores Apoſtoli, quos
ſecuti ſunt ſancti Doctores, Auguſti-

nus,



nus, Hieronymus, Ambroſius, Gre-
gorius Magnus, & cæteri, qui in Ec-
cleſia Dei admirabili doctrina cla-
ruerunt: ſed ſolus Chriſtus per ex-
cellentiam præceptor noſter extitit,
à quo alij omnes in lumine, quo ful-
gent, pendent, ſicut ſidera à ſole. Vn-
de ipſe ad diſcipulos loquens, ait.
Mat.23 b *Vos autem nolite vocari Rabi:*
*Vnus eſt enim magiſter veſter; om-*
*nes autem vos fratres eſtis. Et pa-*
*trem nolite vocare vobis ſuper terrã;*
*vnus eſt enim pater veſter, qui in*
*cœlis eſt. Nec vocemini magiſtri,*
*quia magiſter veſter vnus eſt Chri-*
*ſtus.* Sicut ergo ſolus Deus eſt per
excellentiam pater noſter, ex quo
omnis paternitas in cœlo, & in terra
nominatur, ita ſolus Chriſtus eſt ma-
giſter noſter, de cuius plenitudine
acceperunt alij. Lætare ergo pia
mater Eccleſia, quoniam accepiſti,
& vidiſti præceptorem tuum à Pa-
triarchis expectatum, à Prophetis
prænuntiatum, deſideratum cunctis
Iobel. 2. gentibus. *Et filiæ Sion exultate,*
*& lætamini in Domino Deo veſtro,*
*quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ.*
qui cum poteſtate doceat, qui legem
præſcribat, qui indicet, quid agen-
dum ſit, quid vitandum. Et non fa-
ciet eum vltra auolare à vobis, quia
vobiſcum erit, ſemper vos docebit,
non vos deſeret, neque derelinquet:
Mat.28 ipſe promiſit: *Ecce ego vobiſcum ſum*
*omnibus diebus vſque ad conſumma-*
*tionem ſæculi.* Verax eſt, immò &
veritas ipſa, negare ſeipſum non po-
Ioã.14.d teſt, ipſe mittet vobis de cœlis Spiri-
tum ſanctum paraclitum, ille vos
docebit omnia, & ſuggeret vobis
omnia, quæ prædixit vobis. Acce-
pit Synagoga Moyſen Prophetam, &
præceptorem, ſed ille mortuus eſt,
& auolauit, nec viderunt amplius fi-
lij Iſrael corpus eius: accepimus &
nos ſanctos doctores, Cyprianum,
Baſilium, Chryſoſtomum, Athana-
ſium, Gregorium Nazianzenum, Au-
guſtinum, Ambroſium, Hieronymũ,
Gregorium Magnum, Thomam An-
gelicum; ſed inimica mors Docto-
res iſtos de medio ſuſtulit, auolaue-
runt à nobis. At præceptor tuus, ò
Eccleſia Chriſtiana, non auolabit à
te. Mortuus quidem eſt ex infirmi- 2.Cor.13
tate, ſed reſurrexit ex virtute Dei. b
Aſcendit in cœlum, ſed tecum ſimul
permanebit ſacro velamine indutus,
& coopertus, quoadusque ſine vela-
mine facie ad faciem in patria illum
videas. Ecce adimpletum, quod Iſai.6.a
beata Seraphin, dum ſtarent, & vo-
larent, obumbrabant, Chriſtum vi-
delicet tranſiturum de hoc mundo
ad patrem, & ſimul in ſacro altaris
myſterio tecum ſecundum realem
præſentiam permanſurum. Vnde &
Hieremias, poſtquam deſcripſit ter-
ræ ſanctæ diuiſionem, ſubdit. *Et no-* Hier.48
*men Ciuitatis ex illa die Dominus* Eccleſiæ
*ibidem*: quem locum etiam Hebræi nomẽ Do-
explicant de ſacramẽto Euchariſtiæ, minus ibidem.
ſub cuius ſpeciebus Dominus maie-
ſtatis habitat in Eccleſia, & iuge ſa-
crificium offertur Deo. Conſentit
Hieronymus, dicẽs: Nomen quoque Hier.lib 14
ipſius ciuitatis nequaquam erit vt ſup ca. 48:
prius, Hieroſolyma, quæ interpreta- Ezech.
tur viſio pacis, ſed Adonaiſama,
quod in Latinum ſermonem vertitur
Dominus ibidem: qui recedat num-
quam ab ea, vt à priori populo ante
diſceſſit, dicens ad diſcipulos: *Sur-*
*gite, eamus hinc.* Et ad Iudæos.
*Relinquetur vobis domus veſtra de-* Ioan.14
*ſerta:* ſed æternam habeat poſſeſſio- d
nem, & ſit ei ipſe poſſeſſio, ijſdem di-
ſcipulis repromittens. *Ecce ego vo-* Mat.28
*biſcum ſum vſque ad conſummatio-*
*nem ſæculi*: hactenus Hieronymus.

34 *Et erunt oculi tui videntes*

*præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis.* ac ſi dicat. Vobis, ò Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti, competet illud: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.*

*Lucæ 10 d*

Videbitis enim proprijs oculis, & auribus veſtris audietis verba eius, vt oculati poſtmodũ teſtes ſitis omnium eorum, quæ fecit, & docuit, prædicantes Euãgelium per vniuerſum mundum, dicentes: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt: & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis.* Et rurſus: *Non indoctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſcientiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* Obſerua, quod prius dixit: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum:* Et poſtea ſubdit: *Et aures tuæ audient verbum,* quoniam Chriſtus prius cœpit facere, quàm docere, prius viderunt Apoſtoli irreprehenſibilem vitam Chriſti, paupertatem, humilitatem, manſuetudinem, & charitatem, atque omniũ virtutum exemplar: & poſtmodum audierunt præcepta, & conſilia eius. Quo admonẽtur prædicatores Euãgelici, vt prius ipſi perficiant, quæ alijs perſuadere conantur. *Qui enim fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Multum commouet audientium animos, videre optimos Oratoris affectus, ac

Apoſtoli teſtes Xpi oculares.

*1. Ioã. 1. a*

*2. Pet. 1. e*

Prædicatoris vita bona ẽ priꝰ videnda, & poſt audiendus *.

*Matt. 5.*

motus manuum illius, & diſpoſitionẽ totius corporis intueri: Eſt enim vox quaſi mortua, dum concionator auditur, & non videtur. Gladius acutus eſt verbum Dei, ſecundum illud, quod dicit Apoſtolus. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Et, vt ait Aug. *ipſe eſt gladius de quo Dominus dicit. Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium. Filius vult ſeruire Deo, Pater nõ vult: venit gladius, venit ſermo Dei, & ſeparat filium à Patre: veniat gladius bis acutus, afferat promiſſionem vitæ præſentis & futuræ, conſolationẽ temporalium, æternorum fruitionẽ. Quidquid temporaliter nobis promiſſum eſt, ad vnam partem gladij pertinet: quidquid in ſempiternũ, ad alteram partem gladij pertinet. Pater, mater, ſoror, vxor ſit, amicus ſit, non te retrahant, & vtilis tibi erit gladius bis acutus, vtiliter te ille ſeparat, male te tu conglutinas.* Sed quid obſecro efficiet gladius iſte, niſi manibus prædicatoris moueatur, & digitis apprehẽdatur illius? Quomodo feriet inimicos, quomodo ſuperabit hoſtes, qualiter peccatores ſubijciet, niſi ipſe opere adimpleat, quæ alijs perſuadere conatur? Audi quid dicat Propheta de ijs, qui verbo Dei tanquam gladio vniuerſum orbem debellarunt: *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Quem locum ſanctus Auguſt. explicans,

*Heb. 4. c*

Aug. ſuper pſal. 149. to. 8.

Mat. 10 Verbũ Dei gladius.

*Pſ. 149.*

*gladij*



*gladij* (inquit) *in manibus, & non in linguis. In manibus dixit, in poteſtate. Acceperunt enim ſermonem Dei poteſtate, vt vbi vellent dicerẽt, cui vellent dicerent, non timerent poteſtatem, non contemnerent paupertatem. In manibus enim habebant gladium, qua volebant vibrabant, verſabant, percutiebant; & hoc totum erat in poteſtate prædicantium: Nam ſi non eſt in manibus ſermo, ne forte aliquis dicat. Quomodo ſermo eſt gladius bis acutus, & quomodo in manibus? Si ergo ſermo non eſt in manibus, quare ſcriptum eſt: Factus eſt ſermo Domini in manu Aggei Prophetæ? Numquid fratres ſermonem ſuum Deus in digitis ipſius fecit? Quid eſt in manu ipſius factus eſt? In poteſtate illi datum eſt prædicare ſermonem Domini. Poſtremo poſſumus etiam has manus aliter intelligere: nam qui loquuti ſunt, in lingua habuerunt ſermonem Dei, qui ſcripſerunt, in manibus, & frameæ bis acutæ in manibus eorum.* Hinc eſt illud, quod in laudem Prædicatorum dicit ſponſa. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael. omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, Quia,* vt inquit Gregorius, *dum verbum Dei opere complent, quod corde ſciunt, magis, ac magis ſemper docti hoſtem ſuum, dæmonem ſcilicet, ſapientia, & fortitudine vincunt. Per gladium enim verbum Dei deſignatur, per manus autem, quibus gladium tenent, ipſa opera figurantur, de quibus bene ſubditur. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuũ propter timores nocturnos. Quid per enſem, niſi rigorem conuerſationis, & quid per femur, niſi carnis appetitum accipimus? Electi ergo, quique, qui iam ad perfectionem vitæ*

Aug ſuper eundẽ pſal. to. 8.

*Aggei 2.*

Verbũ Dei fieri in manu Prophetæ qd ſit.

*Cant. 3.*

Ibi Greg.

Prædicatores portãt enſem ſuper femur.

*prouecti ſunt, ſemper enſem ſuper femur ſuum ferunt, quia rigore conuerſationis appetitum carnis aſſiduè frangunt, ne hoſtis, quem in nocte huius mundi timent, repente veniẽs, mollem aditum inueniat, & per voluptatis molitiem eo facilius, quo voluptuoſiores inuenerit, ad grauiora peccata perducat.* Hinc & Bernardus ait: *Illius doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moueat. Vere turturem exhibes, ſi gemere doceas. Et ſi perſuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando ſtudeas, oportebit. Exemplum ſane tum in alijs multis, tum vel maxime hoc in negotio verbo efficacius eſt. Dabit voci tuæ vocem virtus, ſi quod ſuades, prius tibi illud cognoſceris perſuaſiſſe. Validior operis, quàm oris vox. Fac vt loqueris, & non ſolum me facilius emendas, ſed te quoque non leui liberas probro. Non iam pertinebit ad te, ſi quis dicat. Alligant onera grauia, & importabilia, & imponũt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouẽre. Sed neque illud verearis oportet: Tu, qui alios doces, te ipſum non doces?* Lege ſupradicta cap. 29. num. 37.

Bern. ſer. 59. ſuper Cant. col. 1

Prædicatoris vita plꝰ mouet q̃ verba.

*Mat. 23 a*

*Rom. 1. e*

35 *Verbum poſt tergum monentis.* Præcedit nos Chriſtus ſiue per viam mandatorum, ſiue per ſemitã conſiliorum ambulemus: nos autem ſicut Petrus ſequimur eum à longe, quia ille innocens eſt, nos autem in multis offendimus omnes. Ille pro peccatis alienis paſſus eſt, nos autẽ pro delictis proprijs. Vnde & Auguſtinus ait. *Quod ad paſſionẽ euntem Dominum à longe ſequebatur Petrus, ſignificat Eccleſiam ſecuturam quidem, hoc eſt imitaturam paſſionem Domini; ſed longe differenter: Eccleſia enim pro ſe patitur, at ille*

*Mat. 26*

Aug. lib. 1. quæſt. Euãgelicarum q. 46. to. 4. Chriſtũ ſequimur à longe *.

*pro*

*pro Eccleſia*. Sequimur à longe: 
nam quantumvis ſimus ſpiritu fer-
uentes,quaſi in infinitũ ab illius per-
fectione diſtamus. Nec tamen pro-
pterea debemus deficere, aut de ſa-
lute noſtra deſperare. Dicit enim 
Apoſtolus: *Imitatores mei eſtote,ſi-
cut & ego Chriſti*. Sicut enim ego 
Chriſtum ſequor, & tamen ad perfe-
ctionem illius non pertingo; ita & 
vos me ſequimini, tametſi longe ſi-
tis à meritorum cumulo,quæ per me 
operatus eſt Dominus. Vnde & Au-
Aug ſuper pſal.39.to.8. guſtinus ait. *In Eccleſia iſte eſt or-
do, alij præcedunt, alij ſequuntur: 
Et qui præcedunt,exemplum ſe præ-
bent ſequentibus, & qui ſequuntur, 
imitantur præcedentes. Sed & illi 
qui ſe exemplum præbent ſequenti-
bus, numquid neminem ſequuntur? 
Sequuntur Chriſtum meliores qui-
que in Eccleſia, quibus non reman-
ſit iam homo, quem imitentur, quia 
omnes proficiendo ſuperauerunt; ip-
ſe Chriſtus eis remanet, quem vſque 
ad finem ſequantur. Et cernitis or-
dinatos gradus per Paulum dicen-
tem: Imitatores mei eſtote, ſicut & 
ego Chriſti. Ergo qui iam directos 
1.Cor.1. greſſus habent in petra, forma ſint 
fidelibus. Sed forma (inquit) eſtote 
1.Tim.4 fidelibus. Ipſi fideles ſunt iuſti, qui 
attendentes eos,qui ſe in bono præce-
dunt, imitando ſequuntur*. Poſt 
Sequi debent fideles Xp̃um non eum præcedere. tergum monentis vocem audient, 
quia non monet Chriſtus eos,qui vo-
lunt illum præcedere, ſed potius cõ-
tra eos iraſcitur; nec ouium nomine 
mulcet, ſed Sathanæ vocabulo ter-
ret. Vnde ad Patrem loquens ait. 
Pſal.34. *Auertantur retrorſum, & confun-
dantur cogitantes mihi mala*; & rur-
Pſal.39. ſus: *Conuertantur retrorſum & re-
uereantur,qui volunt mihi mala*. Ac 
ſi diceret: *Non præcedant ſed ſe-
Aug.ſuper pſal.34 cõ.1.to.8. quantur, non dent conſilium, ſed ac-
cipiant. Nam Petrus præcedere vo-
luit Dominum, quando Dominus de 
paſſione ſua futura diceret, conſiliũ 
illi quaſi ſalutis voluit dare, conſi-
lium ſalutis æger Saluatori. Et quid 
ait Domino de illa ſua futura paſ-
ſione confirmanti? Abſit à te Do- Mat.16
mine,propitius tibi eſto,nõ fiet iſtud: 
Præcedere volebat vt Dominus ſe-
queretur. Et ille inquit. Vade re-
tro ſatana. Præcedendo ſatanas es, 
ſequendo diſcipulus eris. Ideo inquit* Aug.ſuper pſal.39.
*ſatana, quia vis antecedere eum, quẽ 
debes ſequi, ſi enim retro fueris, & 
ſequutus fueris, iam non eris ſata-
nas*. Cogitabat mala Domino. Sed 
quomodo mala cogitabat,qui eum à 
morte auertere volebat? Si nimiam 
charitatem expendiſſet illius,qui di-
xit: *Baptiſmo autem habeo baptiza-* Luc.12
*ri, & quomodo coarctor vſque dum* e
*perficiatur?* deprehendiſſet vtique 
non modicum malum Chriſtum re-
putaſſe,mortem,quam optabat,eua-
dere. Electi ergo poſt tergum Chri-
ſti ambulant, quoniam ſequuntur il-
lum quocumque ierit,& ſemper eum 
præ oculis habent: qui reprobis eſt 
grauis etiam ad videndum. Vnde 
& per Salomonem dicitur: *Oculi ſa-* Eccl.2.
*pientis in capite eius, quia videlicet*, 
(vt Greg. ait) *ſapiens quiſque illum* Greg. 17. Mor.5. & hom. 2. ſup Ezech. circa finẽ.
*tota intentione conſiderat, cuius ſe 
membrũ eſſe per fidem penſat. Tunc 
enim in capite oculos habemus, cum 
vitam redemptoris noſtri tacita co-
gitatione conſpicimus,cum omnis no-
ſtra intentio in eius imitationem ſe 
erigit, ne ſi vias lucis aſpicere ocu-* Sapientis oculi in capite eius.i. in Xp̃o.
*lus mentis neglexerit, ſtatim clau-
ſus in tenebris erroris cadat. Ad hu-
ius ſimilitudinem hominis ſurgere 
feſtinabat Propheta,cum diceret. In 
mandatis tuis exercebor, & conſide-* Pſ.118.
*rabo vias tuas. Qui enim vias Do-
mini tacite in mente conſiderat, quid*

aliud



*aliud in ſemetipſo,niſi imaginem no-
ui hominis reformat?* Hinc & de 
Ezech.1 ſanctis animalibus dicitur: *Simili-
tudo hominis in eis*, quia videlicet, 
dum Chriſtum imitantur, ſimilitu-
dinem exprimunt illius: Ecõtra ve-
Prou.17 ro de ſtultis ſcriptum eſt: *Oculi ſtul-
torum in finibus terræ*, quia dum ad 
ſancta ſui redemptoris itinera leua-
re oculos recuſant,tota cordis inten-
tione conſpiciunt,per quod ad finem 
terreni deſiderij perducantur.

36 Denique ſequũtur electi poſt 
tergum Chriſtum, quia illam bene-
dictionem tota auiditate obtinere 
deſiderant, quæ illum ſequentibus 
reſeruatur, Propheta atteſtante. 
Ioel. 2.c *Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat: 
Sequentes Xp̃ũ obtinẽt benedictionem illius. & relinquat poſt ſe benedictionem*. 
Vnde Moyſes, cum benedictionem 
illam, quæ omnem ſuperat non ſolũ 
ſenſum, ſed etiam intellectum,exop-
Exo.33. taret, ac peteret, dicens: *Si inueni 
e gratiam in conſpectu tuo: oſtende 
mihi faciem tuam*, non ſtatim faciẽ 
Dei videre potuit, ſed dictum eſt il-
li: *Facies mea præcedet te, & requiẽ 
dabo tibi*. Et iterum, *non poteris vi-
dere faciem meam, non enim videbit 
me homo, & viuet*. Et rurſus: *Vi-
debis poſteriora mea, faciem autem 
meam videre non poteris*. Tu faciem 
videre deſideras, ſed poſteriora mea 
te prius oportet videre. Vis me an-
tecedere, neceſſe eſt, quòd facies 
mea,hoc eſt,filius meus, in quem de-
ſiderant Angeli proſpicere, præce-
dat te. Tu ſequere prius veſtigia 
eius, & teipſum conſtitue poſt tergũ 
illius; nam relinquet poſt ſe benedi-
ctionem. Vnde Bernardus ait: *Olim 
Bern. ſer. 34. in Cãt. colum. 1. ſanctus Moyſes, quoniam multum 
præſumebat de gratia, & familiari-
tate, quam inuenerat apud Deum, 
aſpirabat ad quandam viſionẽ ma-
gnam; ita vt diceret Deo: Si inueni 
gratiam in oculis tuis: oſtende mihi 
te ipſum. Accepit autem pro ea, vi-
ſionem longe inferiorem, ex qua ta-
men ad ipſam, quam volebat, poſſet* Et ſer. 61. in Cant. col vlt.
*aliquando peruenire*. Et in alio lo-
co inquit. *Habent etiam aliquid 
& poſteriora Domini, quod videre 
delectet. Quis ſcit ſi conuertatur, & 
ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe* Pſa.79. b
*benedictionem. Erit cum oſtendet 
faciem ſuam, & ſalui erimus. Sed* Pſal.29. a
*interim præueniat nos in benedictio-
nibus dulcedinis, illis vtique, quas 
poſt ſe relinquere conſueuit. Nunc 
dignationis ſuæ poſteriora demõſtret, 
aliàs in gloria dignitatis faciem ſuã 
demonſtraturus. Sublimis in regno,* Paſſio Xp̃i nos ducit ad gloriã.
*ſed ſuauis in Cruce. In hac me vi-
ſione præueniat, in illa adimpleat. 
Adimplebis me,ait, lætitia cum vul-* Pſ.15.a.
*tu tuo. Vtraq; viſio ſalutaris,vtra-
que ſuauis, ſed illa in ſublimitate, 
iſta in humilitate. Illa in ſplendore, 
hæc in pallore eſt. Denique (inquit)* Pſ.67.c.
*& poſteriora dorſi eius in pallore au-
ri. Quomodo non in morte palleſcat? 
Sed melius pallens aurum, quàm 
fulgens aurichalcum, & quod ſtul-
tum eſt Dei, ſapientius eſt homini-
bus. Aurum verbum, aurum ſa-
pientia eſt. Hoc aurum ſemetipſum 
decolorauit,abſcondens formam Dei, 
& formam ſerui prætendens. De-
colorauit & Eccleſiam,quæ ait. No-
lite me conſiderare, quod fuſca ſim,* Cant. 1. 
*quia decolorauit me ſol. Ergo &* c
*poſteriora ipſius in pallore auri, quæ 
fuſcum non erubuit Crucis,vſtionem 
paſſionis non exhorruit, liuorẽ vul-
nerum non refugit. Et iam compla-
cet ſibi in illis, & optat, nouiſſima 
ſua fore horum ſimilia*. Hinc eſt 
etiam,quod ſponſæ quærenti. *Indi-
ca mihi,quem diligit anima mea, vbi* Ibid.
*paſcas, vbi cubes in meridie*, tale 
ſponſus dedit reſponſum: *Murenu-*

lus

*las aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. vt eam doceret, per auditum, hoc eſt per obedientiam, & ſequelam paſſionis eius, peruenturã eſſe ad meridiem claritatis æternæ. Vide ſupradicta cap.7.num.13.

37 *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Loquens Dominus per Hieremiam Prophetam filijs Iſrael, ait: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigeriũ animabus veſtris*. (*Hiere. 6.d*) Quem autem interrogare debeant, non explicat, vt eos ſolicitos redderet, & cupidos inquirendi præceptorẽ illum, olim repromiſſum in lege, & ſcirent, de cœlo expectandũ eſſe. Vnde Ioannes ait: (*Ioã. 3.d*) *Qui enim eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur, qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt; & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur*. Ne verò alium requirant Doctorem, eos admonet Iſaias, & ait. Præceptor ille, quem vos videbitis, & audietis, tanquam paſtor præcedet vos, & admonebit, vt ſequamini veſtigia eius. Ille viã ſternet, ille prius ambulabit in ea, vt opere ipſo oſtendat, planam eſſe, atque ſecuram, & ſequentibus ſe dicet. (Præceptor noſter Xps eſt, viam & ſemitas docens antiquas.) Hæc eſt via ducens ad vitam. Nec ſolum viam, ſed & ſemitas antiquorum docebit. Hoc ad literam adimpleuit Chriſtus, cum *videns turbas* (*Mat.5.a*) *aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius: & aperiens os ſuum docebat eos, dicens. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum:* Vias docuit, dum adoleſcenti interroganti; (*Mat 19. c*) *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Reſpondit. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Hæc eſt via ducens ad vitam, & non eſt alia, qua ad illam peruenias. Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices. Honora Patrem tuum, & matrem, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Semitas oſtendit, dum reſpondenti, *omnia hæc cuſtodiui a iuuentute mea, quid adhuc mihi deeſt?* ſubiunxit. *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me*. Iſtæ ſunt ſemitæ antiquæ, quas ſequuti ſũt Patres noſtri, Benedictus, Auguſtinus, Hieronymus, Bernardus, Seraphicus Franciſcus, & Beatus Pater noſter Dominicus, poſt tergum Chriſti ambulantes, videlicet, paupertas voluntaria, obedientia, caſtitas, humilitas, pœnitentia, vita aſpera. (Religioni fundatores quas ſemitas ſequuti fuerint.) atque omnium abnegatio propter Chriſtum crucifixum, propter quem Paulus Apoſtolus, omnia detrimentum fecit, & arbitratus eſt vt ſtercora. Per illas ingreſsi ſunt quotquot ad perfectionis culmen peruenerunt, vocem audientes Chriſti poſt tergum monentis, *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam*. (*Mat.16 d*) Ecce adimpletum quod de Chriſto prædixerat ſupra. *Et docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius*. (*Iſai.2.a*) Ecce tempus adeſt acceptabile, tempus illud, de quo ait Oſeas. *Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iuſtitiam*, qui dicet, *hæc eſt via, ambulate in ea. Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos cõprehendant*. (*Oſea.10. a*; *Ioã.12.f*) Quod autem addit. *Et non declinetis &c.* Significat virtutes

tutes



tutes morales, per quas gradimur, in medio conſiſtere, atque adeo extrema vtpote vitioſa, eſſe maxime cauenda. (Virtutes morales i medio cõſiſtunt, non aũt Theologicæ.) Dicit enim Ariſtot. quod virtus moralis eſt habitus electiuus in mediocritate exiſtens. (Ariſt. 2. Ethic. 6. poſt med. tom. 5.) Solum virtutes Theologicæ non conſiſtunt in medio, quia vt ait S. Thomas. (S. Th. 12. q. 64. art. 4. c) *Nunquam poteſt homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere, aut ſperare in ipſum, quantum debet, vnde multo minus poteſt ibi eſſe exceſſus, & ſic bonum talis virtutis non conſiſtit in medio, ſed tanto eſt melius, quanto magis acceditur ad ſummum. Dicit enim Eccleſiaſt. Benedicentes Deum exaltate illum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude*. (*Eccli. 43.*) Modus ergo ſeruandus in dilectione Dei eſt, diligere illum ſine modo, quia cum ſit infinite diligibilis, nunquam ad ſummum dilectionis debitæ peruenitur.

38 *Et non declinetis ad dexteram neque ad ſiniſtram*. Poſſunt etiam per dexteram intelligi proſpera, & per ſiniſtram aduerſa, & tũc locus iſte nos admonet, vt recta ſemper gradiamur via, nec eleuemur proſperis, nec frangamur aduerſis; (Iuſtus nec eleuatur proſperis, nec frãgitur aduerſis*.) Multi in aduerſis deficiunt, ſed multo plures cadunt in proſperis. Scriptum eſt enim. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*. (*Pſa. 90.*) *Vtrunque nobis latus* (ait Bernardus) *tegendum eſt; ſi meminiſtis, & Apoſtolus ipſe per arma (inquit) iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris*. (Bernard. ibid. ſer. 7.) In vtroque metuebat cadere qui dixit. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria; ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam; quis eſt Dominus? aut egetate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei*. (*Prou. 30 b*) Sed ſpecialiter latus dextrum, in quo decem millia cadunt, cuſtodiendum eſt Propheta dicente. *Prouidebam Dominum in cõſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear*. (*Pſalm. 15. b*) & iterum: *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam*. (*Pſ. 120. a*) Super dexteram, inquit, non ſuper ſiniſtram; ſciebat enim, multo maiora pericula in dextera eſſe, quàm in ſiniſtra.

39 *Et cõtaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiã menſtruatæ: Egredere & dices ei*. Inter alia ſigna aduentus Chriſti, hoc vnum prędictum eſt à Prophetis, quod videlicet præſentia eius omnia Idola ſubuertenda erant, (Chriſti præſentia omnia deſtruuntur Idola*) iuxta illud quod dictum eſt ſupra. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum: & cõmouebuntur ſimulachra Aegypti à facie eius*. (*Iſai. 19. a*) In cuius ſignum, cum arca Domini introducta eſſet in templum Dagon, ſtatim Idolũ illud in terram cecidit. Scriptum eſt enim: *Tuleruntq; Philiſtiim arcam Dei, & intulerunt eam in tẽplum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini. Caput autem Dagon & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo*; (*1. Reg. 5.a*) non enim vult Deus alienum imperij ſui habere cõſortẽ, nec patitur quod honor ſibi debitus alteri tribuatur; *gloriam* (inquit) *meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*. (*Iſa.42.b*) Cum ergo Chriſti aduentum prędixiſſet, qui in præceptorem gentibus datus eſt, conſequenter, Idola omnia abijcienda

abijcienda

abijcienda eſſe denunciat. *Et contaminabis* (inquit) ideſt contaminata reputabis, & illa à te longe abijcies, tamquam rem abominabilem, & immundam, qualis eſt immunditia menſtruatæ, cuius odorem corruptum nullus eſt qui valeat ſuſtinere; atque adeo dices Idolo: *Egredere*, recede a me, quia immũdus es: ne polluatur in te anima mea. Vocat autem Idola, laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui; vt dementiam eorum arguat, qui argentum ſuum, & aurum ſuum tanquam Deum colunt: nec recogitant illud quod per Prophetam dicitur: *Simulachra gentium argentum & aurum: opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo*. Mira res. Ex eodem auro ſeparat partem artifex, & facit calicem, quo in menſa vtitur ad bibendum: & partem aliam conflabit in Idolum? Ex eodem ligno ſumit medietatem, & mittit in ignẽ, & calefactus eſt, & ex alia parte ſimulacrum faciet, & adorabit illud? Hac ratione vtitur infra, ad hominũ inſaniam confundendam, qui inſenſibiles Deos venerantur. *Artifex lignarius* (inquit) *extendit normam, formauit illud in runcina, fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginẽ viri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltus. Plantauit pinum, quam pluuia nutriuit, & facta eſt hominibus in focum, ſumpſit ex eis & calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes, de reliquo autem operatus eſt Deum & adorauit: fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud. Medium eius combuſſit igne, & de medio eius carnes comedit, coxit pulmentum, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit: Vah calefactus ſum, vidi focum, reliquum autem eius Deum fecit, & ſculptile ſibi. Curuatur ante illud & adorat illud, & obſecrat dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. Neſcierunt, neque intellexerunt: obliti ſunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant in corde ſuo. Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt vt dicant: Medietatem eius combuſſi igni, & coxi ſuper carbones eius panes, & coxi carnes & comedi: & de reliquo eius Idolum faciam, ante truncum ligni procidam?* Per Idolorum culturam, intellige omnem cultum impium, omnia adulterina dogmata: quæ omnia polluta eſſe declarare conuenit verbo Dei, & Eccleſiaſticis doctrinis, vt appareat omnibus, vanitatem eſſe, & abominationem, quidquid Deo præfertur.

[Margin: Idola abijcienda. — Pſ. 113. — Iſa. 44. c]

40 *Et dabitur pluuia ſemini tuo vbicumque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis*. Prius abijciuntur Idola, & poſtmodum pluuia cœleſtis doctrinæ repromittitur, quia niſi illa primitus abijciãtur, nullus locus relinquitur pluuiæ voluntariæ, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ. In cuius ſignum, non prius data eſt pluuia terræ Iſrael, quam ab Elia interfecti fuiſſent pſeudoprophetæ: *Ita & in præſenti loco* (ait Hieron.) *non prius dabitur pluuia ſemini ſpirituali, & panis terræ vberrimus, atque pinguiſſimus, niſi idola deargentata, & deaurata fuerint comminuta: & reputata in ſterquilinium*.

[Margin: Idola prius abijcienda ſunt, vt in nobis fructificet verbum Dei. — Hier. ſup. ca. 30. Iſai. — 3. Reg. 18.]

Per



Per panem vberrimũ intelligit verbum Dei, quod ſeminatum in corde fidelium vberrimos affert, & pacatiſſimos iuſtitiæ fructus. *aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum*. Ideo Dominus, in Euangelio, ſemini comparauit verbũ Dei in cuius virtute continentur fruges. Et Apoſtolus, efficaciam illius explicans, ait: *Non erubeſco Euangeliũ, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti*. Et iterum: *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbũ Dei, qui operatur in vobis, qui crediſtis*. Quid operatur? ſalutem, multiplicationem fidelium, bonorũ operum abundantiam; quoniam fides eſt quæ per dilectionem operatur. *fides* vero eſt *ex auditu, auditus autẽ per verbum Chriſti*. Sed obſerua, quod ſicut ſemen cadens in terram, atque pluuia coeleſti irrigatum, germinat, creſcit, & fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumẽtum in ſpica, & cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim homo mittit falcem, quoniã adeſt meſſis, ita & verbum Dei in corde bono & optimo tanquam in terra iactatum, præueniente gratia Dei, cõſimili gradu ad perferendos fructus procedit. Dicit enim *Apoſtolus: Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in coelis, quam audiſtis in uerbo ueritatis Euãgelij, quod peruenit ad uos, ſicut et in vniuerſo mundo eſt, et fructificat, et creſcit, ſicut et in uobis, ex ea die qua audiſtis, et cognouiſtis gratiã Dei in ueritate*.

[Margin: Mat. 13 a — Luc. 8. — Rom. 1 — 1. Theſ. 2. c — Verbũ Dei multa bona operatur in homine. — Marc. 4 e — Colloſſ. 1.]

Et ſi noſſe deſideras qualiter verbũ Dei creſcat in nobis, & fructificet; audi Gregorium. *Herbam* (inquit) *producere eſt inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad ſpicam vero herba peruenit, cum ſe virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in ſpica fructificat, quãdo iam intantum virtus proficit, vt eſſe robuſti, & perfecti operis poſſit. Sed cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt tempus meſſis. Omnipotens enim Deus producto fructu, falcem mittit, & meſſem ſuam deſecat, quia cum vnumquemq; ad opera perfecta perduxerit, eius temporalem vitam per emiſſã ſententiam incidit, vt granũ ſuũ ad cœleſtia horrea perducat. Cum igitur deſideria bona concipimus, ſemen in terrã mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba ſumus. Cumque in eiuſdem operationis perfectione conſolidamur, iam plenum frumentum in ſpica proferimus. Herba enim Petrus fuerat, qui paſſionis tempore per amorem Dominum ſequens, hunc confiteri ante ancillæ vocem timebat. Erat enim iam uiriditas in mente, quia credebat omnium redemptorem, ſed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Iam in ſpicam ſurrexerat, quando eum, quem moriturum confiteri timuerat, nuntiante Angelo in Galilæa viuentem uidebat. Sed ad plenum granum in ſpica peruenerat, quando veniente deſuper ſpiritu, & ſuam mentem in illius amore roborante ità ſolidatus eſt, vt vires perſequentium cæſus deſpiceret, & redemptorem ſuum libere inter flagella prædicaret. Nullus itaque, qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe cõſpicitur,*

[Margin: Greg. ho. 15. in Ezech. col. 2. — Verbũ Dei herbã, ſpicã, & granũ pfectũ generat in corde. — Luc. 22. Mat. 26 Mar. 14 Ioan. 18]

ſpicitur, deſpiciatur, quia frumentum Dei in herba incipit, vt granum fiat. Sic ergo panis frugum terræ fit vberrimus, & pinguis; quia non areſcit in viriditate herbæ, non deficit, dum eſt in ſpica, ſed ſolidum frumentum efficitur in horreum dominicum congregandum. Non ſic impij, non ſic, in quorum cordibus verbum Dei, cum primum germinare incipit, areſcit, de quibus

Luc. 8. b Mat. 13 Saluator ait. *Qui ſupra petram, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiũt verbum. Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.*

Diuitiæ ſpinæ ſunt quæ ſuffocant verbũ.

Contra iſtos loquebatur, qui

Pſ. 128. dixit: *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit. De quo non implebit manum ſuam qui metet: & ſinum ſuum qui manipulos colliget. Foenum tectorum,* (ait Auguſtinus) *herba eſt, quæ naſcitur in tectis, in ſolario integulato: in alto videtur, & radicem non habet; quanto melius humilius naſceretur, & lætius vireſceret. Modo naſcitur altius ad celeriorem ariditatem, nondum euulſum eſt, & aruit. Nondum finiti ſunt in iudicio Dei, & ita non habent ſuccum viriditatis. Attendite opera ipſorum, & videte, quia exaruerunt, & hic ſunt, nondum ergo auulſi ſunt. Aruerunt, ſed nondum auulſi ſunt. Facti ſunt ſicut fœnum tectorum, quod priuſquã euellatur, exaruit. Et venient meſſores, ſed non de illis implẽt manipulos meſſores venturi ſunt, & collecturi ſunt triticum in horreum, & zizania alligabunt, & mittent in ignem: ſic & fœnum tectorũ expurgatur, & quicquid inde euellitur, in ignem mittitur, quia & priuſquã euelleretur, aruit, non inde implet meſſor manus: ſequitur enim & dicit: Non replebit manum ſuam meſſor, & ſinum ſuum, qui manipulos colliget. Meſſores autem angeli ſunt, dicit* Dominus. *Et non dixerunt tranſeuntes vitam. Benedictio* Domini *ſuper vos, benediximus vobis in nomine* Domini. *Noſtis enim fratres, quando tranſitur per operãtes, eſt conſuetudo ut dicatur. Benedictio* Domini *ſuper uos: Et magis iſta conſuetudo erat in gente Iudæorum. Nemo tranſibat, & videbat aliquos facere aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in meſſe, vel aliquid eiuſmodi, non licebat tranſire ſine benedictione. Alij ſunt, qui manipulos colligunt, alij ſunt tranſeuntes vitam. Qui manipulos colligunt, non de illis replent manus, quia non colligitur ad horreum foenum tectorum. Qui ſunt, qui manipulos colligunt? Meſſores. Qui ſunt meſſores? Dominus dixit, Meſſores autem angeli ſunt. Qui ſunt tranſeuntes? Illi, qui iam per uiam iſtam, ideſt, per uitam iſtam tranſierunt hinc ad patriam. Apoſtoli tranſeũtes erãt in iſta vita, Prophetæ tranſeũtes erant, quos benedixerunt Prophetæ, & Apoſtoli? Illos, in quibus radicem charitatis uiderunt. Quos autem inuenerunt in tectis eminere, & ſuperbire in ceruices ſcuti ſui, dixerũt contra illos, quod futuri erant, benedictionem autẽ Domini ſuper eos non dederunt. Ergo iſtos omnes malos, quos portat Eccleſia, qui legitis in ſcripturis, inuenitis maledictos deſignatos ad Antichriſtum pertinere, ad diabolum pertinere, ad paleam pertinere, ad zizaniam pertinere. Et multa innumerabilia per ſimilitudi-*

Aug. to. 8. ſup. eundẽ pſal.

Fœnũ tectorum ſuperbos deſignat.

Agrorum fructus colligẽtes benedicebãtur a tranſeuntibus.

Mat. 13



*tudinem dicuntur de illis. Quia non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Nullam inuenis Scripturam, quæ de illis benè loquatur, quia tranſeuntes viam, non illos benedixerunt. Tranſeuntes Prophetæ omnia mala de illis dixerunt. Ecce & iſte, quem portamus, Dauid tranſiit viã: audiſtis, quid de illis dicat? Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum, confundantur, & auertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion.* Hi profectò plangendi ſunt, ſed multo magis deplorandi ſunt alij, qui, dum in eorum cordibus proſperatum fuerit verbum Dei, & profecerit, & creuerit ſemen vſque ad ſpicam, quaſi in exitu ipſo triticum perit, & nebula quadam inanis gloriæ marceſcit, nec ſolidum profert fructum, & pinguẽ, ſed vanum. Hi ſunt, qui non propter Deum, ſed, vt videantur ab hominibus, recta operantur. Quos nimirũ ſcirpo Beatus Iob comparauit, dicẽs:

Iob. 8. *Nunquid virere poteſt ſcirpus abſque humore, aut creſcere charectum ſine aqua? Cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit. Sciendum eſt, quod*

Gregor. 8. Mor. 24. *iuſtorum bona, quia ex corde incipiunt, vſque ad præſentis vitæ terminum creſcunt. Hypocritarum verò opera, quæ nequaquam ſunt in occulto radicata, ſæpè ante deficiũt, quàm præſens vita finiatur. Nam plerumque ſtudio ſacræ eruditionis inſiſtũt, & quia hanc non præparandis meritis, ſed promerendis fauoribus inquirunt, ſtatim vt iudicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gratiam tranſitorij profectus aſſequuntur, tota mente ſecularibus curis inſeruiũt, atque à ſacra funditus eruditione vacuantur, & agendo poſt indicant, quantum temporalia diligant, qui ſola prius æterna prædicabant. Plerumque autem aſſumptæ ſpeciem maturitatis oſtendunt, quiete ſilentij, longanimitate patientiæ, continentiæ virtute decorantur. Sed cum per hæc quæſiti culmen honoris attigerint, cumq; ſibi iam reuerentia à cunctis impenditur, protinus ſe in laſciuiam voluptatis fundunt, & bona ſe non ex corde tenuiſſe, ipſi ſibi teſtes ſunt, qui hæc cito dimiſerunt. Nonnunquã vero aliqui, quæ poſſident, tribuunt, atque indigentibus cuncta largiuntur, ſed tamen ante vitæ terminum, auaritiæ prurigine accenſi, aliena appetunt, qui ſua largiri videbantur, & pertinaci poſt crudelitate ambiũt; quod ficta prius pietate reliquerunt.* Lege, quæ ſuperius cap. 17. num. 8. ex eodem Gregor. adduximus circa iſtum locum.

Hypocritę ſuo ſcirpi nomine deſignantur.

41 *Et panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis.* Poteſt etiam per panem vberrimum, & pinguem ſacramentum Euchariſtiæ deſignari, quod ex fructibus terræ, hoc eſt ex pane triticeo conficitur. Hic eſt panis, ad quem reſpiciebat qui dixit:

Gen. 49. *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus.* Per Aſer, qui interpretatur Beatus, poteſt (vt ait gloſſa) ſignificari Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui non ſolum eſt beatus, ſed etiam beatitudo ſanctorum alio-rum obiectiua. eius panis eſt pinguis, ideſt Sacramentum Euchariſtiæ, in quo datur nobis Chriſtus in nutrimentum ſpiritualis vitæ ſecundum

Glossa Lyrani.

Euchariſtia eſt panis pĩguis.

Ioã. 6. e illud: *Ego ſum panis viuus, qui de coelo deſcendi.* Præbet autem hic panis delicias regibus, quia eos ſatiat, qui cum Deo regnant in æternum: & illos qui in hac vita ſeipſos regere norunt, & affectionibus ſuis dominari, ſpiritualem quandam tribuit dulcedinem, & inſu-

inſuperabilem fortitudinem : ſcri-
Iob. 36. ptum eſt enim: *Requies autem men-
ſæ tuæ erit plena pinguedine . Re-*
Greg.26. *quies menſæ* ( ait Greg. ) *eſt refectio*
Mor.24. *ſatietatis æternæ : quæ pinguedine
plena dicitur : quia in æternæ volu-
ptatis delectatione præparatur . Hu-
ius menſæ epulas eſuriebat Prophe-*
Pſ. 16. *ta,cum diceret :* Satiabor,*dum mani-
feſtabitur gloria tua . Huius men-*
Pſ. 41. *ſæ pocula ſitiebat,dicens: Sitiuit ani-
ma mea ad Deum viuum ; quando
veniam, & apparebo ante faciẽ Dei ?*
Iſa.25. *Hoc eſt conuiuium pinguium , pin-
guium medullatorum* , quod iterum
repromiſerat ſupra : & quamuis ſub
velamine corporalium accidentium,
eodem in Eccleſia militante ſatiãtur
fideles . Propter quod Dauid pro-
pheta , ad Dei laudes concinendas ,
inuitat Eccleſiam . *Lauda*(inquiens)
Pſ.147. *Hieruſalem Dominum,lauda Deum
tuum Sion* . Quoniam non iam pa-
nibus hordeaceis , ſicut antiquitus
Synagogam,non aſperitate legis , nõ
cibis & legalibus potibus , ſed *adipe*
Pſal.62. *frumenti ſatiat te* , hoc eſt , pane illo
qui de coelo deſcẽdit, quo velut adi-
pe & pĩguedine repletur anima iuſti,
vt & labijs exultationis laudet os ei⁹.

42 *Paſcetur in poſſeßione tua
in die illa agnus ſpatiosè , & tauri
tui, & pulli aſinorum qui operantur
terram , commixtum migma come-
dent ſicut in area ventilatum eſt .*
Iſa. 5. Superius dixerat : *Et paſcentur agni
iuxta ordinem ſuum , & deſerta in
vberiatem verſa aduenæ comedent :*
Num. modo ait , *& paſcetur agnus &c.* vt
21. vnitatem fidelium , quæ eadem do-
ctrina Euangelica,& eodem pane cę-
leſti paſcuntur, deſignaret . Quam-
Vnitas fidelium. uis enim ſint plures fideles , & ex di-
uerſis nationibus congregati, vnum
tamẽ corpus myſticum efficiunt,cu-
ius caput eſt Chriſtus:ita vt,cum om
nes cibentur,vnus tantum agnus pa-
ſci videatur. & verè ſic eſt:nam Chri-
ſtus cum ſuis vnus eſt agnus . Illud
autem aduerbium, *ſpatiosè*,ſignificat
agnos Chriſti, ideſt fideles latiſſima
in Eccleſia paſcua habituros , ſecun-
dum illud quod dicit Saluator . *Per
me ſi quis introierit , ſaluabitur , &* Ioã. 10.
*egredietur & ingredietur,& paſcua
inueniet* . Igitur in præſenti non eſt
principaliter ſermo, de foelicitate &
abundantia temporali,quæ ouibus &
iumentis communis eſt, ſicut volunt
Hebræi; *Nunquid enim de bobus cu-* 1.Cor.9.
*ra eſt Deo ? an propter nos hæc ſcri-
pta ſunt* ? ſed loquitur Propheta de
abundantia ſpirituali coeleſtis do-
ctrinæ, qua omnes fideles paſcuntur,
ſiue paſtores ſint,ſiue ſubditi . Vnde
per tauros doctores intelligit,quibus
incũbit ſua eruditione terrã colere ,
illam videlicet de qua inquit Apoſt.
*Dei agricultura eſtis* , & aratro ver-
bi Dei corda peccatorũ proſcindere. Tauri ſignificant doctores.
Ait.n. *Non alligabis os boui triturã-
ti* . Per pullos aſinorum intelligit au- 1.Cor.9.
ditores ſimpliciores . Hos diſtinxit
Propheta: *Homines*(inquiens)*& iu-
menta ſaluabis Domine, quemadmo-* Pſal.35.
*dum multiplicaſti miſericordiã tuã
Deus:* Alius eſt cibus doctorum,alius
ſimpliciorum . Illis datum eſt ſacras
ſcrutari ſcripturas , abſcondita my-
ſteria pandere,occulta prouerbiorũ
exquirere, & in abſconditis parabo- Eccleſ.
larum conuerſari; iſtis verò commu- 39.
nia fidei fundamenta cognoſcere, &
ea ſcire,quæ tenentur facere ; nec.n.
eadem omnibus congruunt, nec om-
nia omnibus ſunt prædicanda . *Quis
putas eſt fidelis diſpenſator, & pru-* Lucæ 12
*dens , quem conſtituit Dominus ſu-* e
*per familiam ſuam; vt det illis in tẽ-
pore tritici menſurã?* Fidelẽ requirit Prædicator debet eſſe fidelis & prudens.
& prudentẽ miniſtrum . Fidelem qui
Deũ timeat,& mãdata eius obſeruet.
Pru-



Prudentem, vt pro diuerſitate audi-
torum, & pro varietate temporum
menſuram diſpenſet Verbi diuini . Si
diſpenſatores quęras myſteriorum
Dei timentes illum,non multos inue-
nies:ſi prudẽtes quæras,inuenies ali-
quos;fidelis autem & prudẽs difficile
inuenitur , et quo rarior,eo beatior.
Chryſ.hõ. 51.impfecti in Mat. col.4.to.2. *Fidelis quæritur* (inquit Chryſoſt. )
*vt faciat priuſquam dicat , prudens
autem , vt poſtquam fecerit,dicat : &
dicat intelligens, cui,qualis doctrina
conueniat, & quando . Idem fidelis
quæritur, vt memor ſit pauperum ſi-
cut Paulus; Prudens autem vt intel-*
Rõ.15.f *ligat, cui, & quomodo debeat diſpen-
ſare . Et hoc eſt quod dicit dare ci-
bos in tempore,& ſpirituales, & cor-
porales . Spirituales quidem anima-
bus,corporales autem corporibus . Vt
det cibos in tempore, ideſt in tempore
opportuno.Quid eſt in tempore oppor
tuno? quaſi ſit aliquod tempus quan-
do nõ ſit opportunum docere, cum di-*
Eccli. 22.a *cat Salomon : Doctrina & flagella
in omni tempore . Sed puto hoc intel-
ligendum tempus opportunũ doctri-*
Iſai.49. e *næ,quomodo dicit & Propheta: Tem-
pore acceptabili exaudiui te, et in die
ſalutis adiuui te. Quando miſericor-
dia Dei non eſt acceptabilis? ſed præ-
cipuè tunc eſt acceptabilis , quando*
Prædicatoris doctrina ſemper opportuna. *neceßitatis & anguſtiæ tempus eſt :
ſicut & pluuia ſemper bona eſt ; ma-
xime tamen grata eſt tempore ſicci-
tatis : & viſitatio amicorum ſemper
ſuauis eſt,multo tamen ſuauior in
tempore luctus : ſic doctrina & con-
ſolatio Sacerdotum ſemper opportu-
na eſt , maxime autem in tempore
perſecutionis* . Et poſt pauca . *In
tempore opportuno , vt in perſecutio-
ne magis inſtanter de veritate fidei
doceamus,quam de iuſtitia conuerſa-
tionis: in pace autem magis aßiduè
de iuſtitia conuerſationis , quam de
veritate fidei . Quoniam in perſecu-
tionibus quidem plus neceſſaria eſt
doctrina fidei, quàm conuerſationis:
in pace autem plus neceſſaria eſt do-
ctrina conuerſationis , quàm fidei.
Quoniam in perſecutionibus, nõ pro-
pter conuerſationem ſuam bonam ,
aut malam veniunt Chriſtiani in pe-
riculum,ſed propter fidei confeßionẽ;
in pace autẽ non propter fidem ſuam
veram , ſed propter conuerſationem ;
quoniam in perſecutione fides Chri-
ſtianorum periclitatur , in pace au-
tem iuſtitia .*

43 Hinc beatus Gregorius Pa-
ſtoribus & prædicatoribus Eccleſiæ
tradit regulas,quibus, auditorum ra-
tione habita, ſingulos ad ædificatio-
nẽ hortari poſsint. *Aliter*,inquit,*ad-
monendi ſunt viri , aliter fœminæ :* Greg. 3.p. paſtoralis curæ, admonitione 1. & ſeq.
*quia illis grauia: iſtis uero iniungen-
da ſunt leuiora . Aliter admonendi
ſunt iuuenes , aliter ſenes : quia illos
plerunque ſeueritas admonitionis ad
profectum dirigit ; illos vero ad me-
liora opera deprecatio blanda compo-
nit . Scriptum quippe eſt . Seniorem* 1.Tim.5
*ne increpaueris,ſed obſecra vt Patrẽ.* a
*Aliter admonendi ſunt inopes,atque
aliter locupletes . Illis namq; offer-
re conſolationis ſolatium contra tri-
bulationem, iſtis verò inferre metum
contra elationem debemus. Aliter ad-
monendi ſunt læti, aliter triſtes . Læ-
tis videlicet inferenda ſunt triſtia ,
quæ ſequuntur ex ſupplicio; triſtibus
vero inferẽda ſunt læta, quæ promit-
tuntur ex regno . Aliter admonendi
ſunt ſubditi,atque aliter prælati . Il-
los,ne ſubiectio cõterat, iſtos,ne locus
ſuperior extollat* . Sic Sanctus Pon-
tifex diſcurrit per ſingulos hominũ
ſtatus, & velut prudentiſsimus & fi-
deliſsimus medicus animarũ, diuer-
ſis morbis peccatorum aptas appli-
cat medicinas . Quod ſi forſitam
I 2 Eccleſia-

Eccleſiaſtici doctores verbis Dei accommodatis ad commouendũ animum hominis pacifici,increpauerint iracundum,contra ſeipſos excitabũt odium, & Verbum Dei irriſioni patebit: Vnde Saluator noſter eos admonet,dicens: *Nolite ſanctum dare canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi dirumpant vos.* Sanctum eſt Verbum Dei, quod ſanctos efficit, & mundos humiles auditores, & vt ait Auguſt. *Sanctum eſt, quod violare atque corrumpere nefas eſt.* Margaritæ ſunt ſpiritualia myſteria ſub cortice literæ recondita, quia in abdito latent, & veluti de profundo eruuntur, & in allegoriarũ integumẽtis quaſi apertis conchis inueniuntur. Vna ergo, & eadem res ſanctum, & margarita dicitur: ſanctum, ex eo quod non debet corrumpi; margarita,ex eo quòd non debet contemni. Vnde ſicut duobus vocabulis dignitatem verbi Dei explicuit, ita & duobus nominibus notauit impugnatorũ illius peruerſitatẽ, canes eos appellãdo & porcos. Canes,quoniã inſiliunt ad dilacerandum ſanctum Dei verbum, & corrũpendum quod violare non licet: & quantum in ipſis eſt,ſi fieri poſſet,conantur perimere veritatem. Porci, quoniam margaritã pretioſam eiuſdem veritatis, quam infringere non valent, conculcant atque contemnunt. Ideo vtrumq; animal immundũ reputatur in lege, & canis & porcus,quia nõ ruminat, & ſimiliter immundi ſunt oppugnatores verborum Dei,quia non ruminãt, & ſitiunt, ſed ſtomachantur,& faſtidiunt veritatẽ. *Cauendum eſt ergo* (ait Aug.) *ne quid aperiatur ei qui non capit: melius .n. quærit quod clauſum eſt, quã id quod apertũ eſt, aut infeſtat, aut negligit.*

Matt. 7.

Verbũ Dei eſt ſanctũ non dandũ canibus.

Aug. lib. 2. de ſer. Dñi in mont. c. 31. to. 4.

Verbũ Dei ſanctum,& margarita dicitur, & quare.

Hæretici canes, & porci dicũt

Auguſt. vbi ſup. ca. 32.

*Neque vero alia cauſa reperitur, cur ea quæ manifeſta & magna ſunt, nõ accipiantur; præter odium & contẽptum, quorum propter vnum canes, propter aliud porci nominati ſunt. Nolite ſanctũ dare canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Obſeruãdum eſt autem cum eodem Aug. quod non dixit, ne forte canes conuerſi dirumpãt ſanctum,aut dilacerent pretioſas margaritas, ſed ait. Ne canes conuerſi dirũpant vos,quoniã quantumuis nitantur contra veritatem,coculcare eã poterunt,& occultare ad tẽpus,ſed non infringere: dilacerare poterunt prædicatores,& defenſores illius, & occidere; ipſa tñ veritas illæſa ſemper, & inuiolabilis permanebit in Eccleſia, quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eã.

Hæretici cõtra fideles inſurgunt, ſed fidem infringere nõ valent.

44 *Commixtũ migma comedent ſicut in area ventilatum eſt. Migma* Græca vox eſt à miſcendo dicta,& ſimiliter vox Hebræa *balal*, miſcere ſignificat. Hinc trahit originẽ *belil*, q vocabulũ hoc loco ponitur, & vt notauit Rabbi Dauid, ſignificat pabulũ quodlibet mixtum ex diuerſarũ ſpecierum granis, ſicut eſt triticum, & hordeum; dum tamen à palea ſeparatũ ſit. Significat ergo Propheta in præſenti, Apoſtolos,& Apoſtolicos viros ſuauiſſimè reficiẽdos fore,cũ videbũt ad prædicationẽ ſuam conuerti gentium populũ, & multos ex Iudæis ad fidem Chriſti, quorũ ſalus erit eis tã gratus cibus, ſicut ſolet eſſe iumentis mundum migma à paleis purgatum. Hanc explicationem ſequitur S. Hier. Lyranus, Adam Sasbout Louanienſis,& multi alij interpretes,& eſt magis conformis literæ,quàm expoſitio Gloſſæ interlinealis,quæ per *commixtum migma* intelligit hordeum cum palea, cui vidẽtur obſtare verba ſubſequentia, *ſicut in area ventilatũ eſt.*

Rabi Dauid in lib. radicum.

Prædicatorum cibus eſt conuerſio animarum:

Migma quid.





Etenim hordeum ventilatum in area atque purgatum, non eſt paleis permixtum, ſed potius ab illis ſeparatũ; igitur ſecundum Hieronymum ſenſus eſt. Mundum cibum comedent ſicut eſt in area ventilatum,nec in illo erit palea vel aliquid terrenũ admixtum. Conſonat huic explicationi tranſlatio Pagnini, videlicet: *Et boues, & pulli operantes terram migma mundum comedent quod ventilatur pala, & ventilabro,* & ſimiliter tranſlatio Vatabli. *Tauri tui, & pulli qui terram colunt, farraginem ſapidiſſimam comedent, quæ vento, & vanno ventilata eſt.* Poteſt etiam per *commixtum migma* ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum intelligi, de quo ſuperius mentionem fecerat. Nam ſub ſpeciebus ſacramentalibus non ſolum Chriſti corpus & ſanguis, ſed etiam verbum ipſum diuinum fidelibus in cibum tribuitur. *Tria opera* (inquit Bernardus) *tres mixturas fecit omnipotens illa maieſtas, in aſſumptione noſtræ carnis ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, vt talia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram. Coniuncta quippe ſunt adinuicem Deus & homo; Mater & Virgo; fides & cor humanum. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuerſa, tamque diuiſa abinuicem, inuicem potuerint coniugi.* Sed in inſtitutione huius ſacramenti mirabilis, has tres mixturas concluſit, & quartam inſuper addidit. Eſt enim in illo Deus & homo, diuinitas & humanitas eodem nexu coniuncta, quo in myſterio incarnationis vnita fuerant in Verbo. Adeſt Mater, & Virgo, ſancta videlicet Eccleſia. Virgo caſta vni viro, ideſt Chriſto Domino deſponſata, cui ipſe ſponſus ſuæ dile-

Euchariſtia ẽ migma cõmixtum *.

Bern ſer. 3 in Vigil. Nat. Dñi à medio.

Mixturæ tres, in incarnatione & Euchariſtia.

ctionis memoriale reliquit. Hæc .n. ſacro fonte baptiſmatis, plures filios quotidie abſque ſui corruptione generat Deo. Fides autem, & cor humanum ita coniunguntur in hoc myſterio, vt vbi deficiunt ſenſus, & humana ratio non ſufficit, fides ſuppleat, atque ita firmet intellectum & ſubijciat ſibi,vt, ſicut ait Bernardus, *Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus elegerint potius mille mortibus mori, quam vel ad momentum ab iſta fide deficere. Et hæc quidem mixtura excellens, ſed excellentior ſecunda, tertia vero excellentiſſima eſt.* Tu verò accipe quartam, qua Deus & homo, Chriſtus Ieſus, ſacramẽtaliter vnitur corporalibus ſignis tam admirabili nexu, vt totus ſit realiter ſub tota hoſtia conſecrata,& totus ſub qualibet parte. Si contraxit ſe diuina maieſtas cum *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis,* multo magis ſe coarctaſſe credendum eſt, cum ipſum Verbum caro factum in cibum datum eſt nobis. Propter has ergo mixturas non incõuenienter dicitur *commixtum migma* Euchariſtiæ ſacramentum. Illud autem: *Sicut in area ventilatum eſt,* ſignificat,hoc ſacramentum etiã eſſe ſacrificium, idemq. ſecundum ſubſtantiam cum illo,quod Chriſtus obtulit Deo Patri, quando ventilabro crucis in area eleuatus eſt, ſola ratione offerendi diuerſum.

Bern. ibid.

Ioã. 1.

Euchariſtia ſacrm. eſt,& ſacrificium.

45 *Commixtum migma comedent, &c.* Tertio, explicatur hic locus,de doctrina fidei,qua maiores & minores paſcuntur in Eccleſia. Sicut enim *migma* eſt quoddam boum, atque iumentorum pabulum ſelectiſsimum,ex diuerſorum generum granis commixtum atque confectum, ſeparatum à paleis & purgatum: ita & doctrina Catholica, quæ fidelibus cre-

Fidei doctrina ẽ cõmixtũ migma,quo paſcuntur fideles.

denda proponitur, ex puriſsimis, &
varijs teſtimonijs vtriuſque teſtamẽ-
ti colligitur, & corroboratur. V. g.
prædicatur in Eccleſia Catholica,
contra Iudæorum perfidiam, Chriſtũ
Dominum de Virgine eſſe natum: &
ſtatim hanc veritatem confirmãt di-
uerſorum prophetarum oracula, ſi-
Iſai. 7. c cut eſt illud. *Ecce Virgo concipiet,*
Ezech. *& pariet filium.* & illud: *Porta hæc*
44. a *clauſa erit, & non aperietur, & vir*
*non tranſibit per eam, quia Dominus*
*Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam:*
*eritq; clauſa principi.* quod & ſacra
Euangelij narrat hiſtoria, dicens: *Cũ*
Mat. 1. c *eſſet deſpõſata mater Ieſu Maria Io-*
*ſeph: antequam conuenirent, inuen-*
*ta eſt in vtero habens de ſpiritu ſan-*
*cto.* Annuntiatur, Chriſtum non ſo-
lum eſſe hominem, ſed etiam verum
Deum: vide ex quibus fontibus veri-
Iſaia 9. tas hæc hauriatur. *Et vocabitur no-*
c *men eius admirabilis, conſiliarius,*
Micheæ *Deus fortis, &c. Et egreſſus eius ab*
5. a *initio, à diebus æternitatis. Ipſe in-*
Pſ. 88. d *uocabit me Pater meus es tu.* Quibus
conſonãt teſtimonia Euangelica. *Et*
Ioan. 1. *verbum caro factum eſt, & habita-*
*uit in nobis, & vidimus gloriã eius,*
Mat. 17 *gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Hic*
a *eſt filius meus dilectus in quo mihi*
Heb. 1. *bene complacui. Qui cum ſit ſplen-*
*dor Patris & figura ſubſtantiæ eius,*
*non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe*
*æqualem Deo.* Ecce qualiter ad con-
ficiendum hoc migma Eccleſiaſticæ
doctrinæ diuerſa grana paleis imper-
mixta conueniant, atque iudicio
ſedis Apoſtolicæ ventilata, diſcuſſa,
& approbata. Sed peruerſi hæretici,
vt ex ſacris literis ſuos confirmẽt er-
rores, paleas execrandæ doctrinæ,
æterno igne cum diabolo exuren-
das, granis ſolidis diuinarum ſcrip-
turarum miſcere conantur, aut in
peruerſos ſenſus detorquere: vt cum
pabulo ſalutis, deglutiant fideles ve-
nenum mortiferum ſuarũ hæreſum.
Dicit enim Tertullianus. *Iſta hæ-* Tertull. li.
*reſis non recipit quaſdam ſcripturas:* de pſcript.
*& ſi quas recipit, adiectionibus, &* hære. c. 17
*detractionibus, ad diſpoſitionem in-*
*ſtituti ſui, interuertit; & ſi recipit*
*non recipit integras: & ſi aliquate-*
*nus integras præſtat, nihilominus*
*diuerſas expoſitiones commentata*
*conuertit. Tantum veritati obſtre-*
*pit adulter ſenſus, quantum & cor-*
*ruptor ſtylus.* Quibus verbis intelli- Hæretici
gitur, hæreticos quatuor modis abu- quatuor
ti diuinis ſcripturis. Primò, negan- modis diui-
do quaſdam prout ipſis libet, afferẽ- nis abutũt
doq; non eſſe canonicas. Secundò, ſcripturis.
addendo aliquid ſcripturis, quas re-
cipiunt. Tertiò, detrahendo. Quar-
tò, adulterinos ſenſus, & à communi
intelligentia Eccleſiæ alienos com-
mentãdo: & iſte abuſus eſt inter illos
frequentior. Ideo & Saluator clama-
bat. *Attẽdite vobis à pſeudoprophetis,* Matt. 7.
*qui veniũt ad vos in veſtimẽtis ouiũ,*
*intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.*
Quæ verba expendẽs Vinc. Lyrin. ait:
*Quid eſt veſtitus ouium niſi prophe-* Vinc. Lyr.
*tarum, & Apoſtolorum proloquia:* lib. aduerſ'
*quæ ijdem ouili quadam ſinceritate* profanas
*agno illi immaculato, qui tollit pecca-* hæreſeon
*tum mundi, tanquam vellera quædã* nouatio-
*texuerũt? Qui ſunt lupi rapaces niſi* nes.
*ſenſus hæreticorũ ficti & rabidi, qui*
*caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, &*
*gregem Chriſti quàquà poſſunt, di-*
*lacerant? Sed vt fallacius incautis*
*ouibus obrepant: manente luporum* Hæretici
*ferocia, deponunt lupinam ſpeciem,* ſub verbis
*& ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut* Scripturæ
*quibuſdã velleribus obuoluunt: vt cũ* abſcondũt
*quis lanarum mollitiem præſenſerit,* callidè ſu-
*nequaquam aculeos dentiũ pertime-* os errores.
*ſcat. Sed quid ait Saluator? A fructi-*
*bus eorũ cognoſcetis eos. Ideſt cũ cœpe-*
*rit illas voces non iã proferre tantũ;*
ſed



*ſed etiam exponere: nec adhuc iacta-*
*re ſolum, ſed etiam interpretari:*
*tunc amaritudo illa, tunc acerbitas,*
*tunc rabies intelligitur, tunc noui-*
*tium virus exhalatur, tunc profa-*
*næ nouitates aperiuntur, tunc pri-*
*mum ſcindi ſepem videas, tunc trãſ-*
*ferri Patrum terminos, tunc Catho-*
*licam fidem cædi, tunc Eccleſiaſti-*
*cum dogma lacerari.* Tales erant hi
quos percutit Apoſtolus Paulus dicẽs:
2. Cor. 11 *Nam eiuſmodi (inquit) Pſeudoapo-*
c *ſtoli, operarij ſubdoli transfigurant*
*ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt trãſ-*
*figurantes ſe in Apoſtolos Chriſti?*
*Proferebant Apoſtoli diuinæ legis*
*exempla: proferebant & illi. Pro-*
*ferebant Apoſtoli pſalmorum aucto-*
*ritates: proferebant & illi. Pro-*
*ferebant Apoſtoli ſententias prophe-*
*tarum; & illi nihilominus profe-*
*rebant. Sed cum ea quæ ſimiliter*
*protulerant, interpretari non ſimili-*
*ter cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdo-*
*lis, tunc infucati à fucatis, tunc recti*
*à peruerſis, tunc demũ veri Apoſtoli*
*à falſis Apoſtolis diſcernebantur. Et*
*non mirũ (inquit) ipſe enim Satanas*
*transfigurat ſe in Angelũ lucis: non*
*eſt ergo magnũ, ſi miniſtri eius trãſ-*
*figurantur ſicut miniſtri iuſtitiæ.*
*Ergo ſecundum Apoſtoli Pauli ma-*
*giſterium, quotieſcunque vel pſeudo*
*apoſtoli, vel pſeudoprophetæ, vel pſeu-*
*dodoctores diuinæ legis ſentẽtias pro-*
*ferunt, quibus male interpretatis er-*
*rores ſuos adſtruere conentur: non*
*dubium eſt quin auctoris ſui callida*
*machinamenta ſectentur, quæ ille*
*nunquam profecto comminiſceretur,*
*niſi ſciret omnino nullam eſſe ad fal-*
*lendum faciliorẽ viam, quàm vt vbi*
*nefarij erroris ſubinducitur frau-*
*dulentia, ibi diuinorum verborum*
*prætendatur auctoritas.* Hi nimirum
non comedunt migma comixtum
ſicut in area Eccleſiæ Catholicæ vẽ-
tilatum eſt. ventilandi ergo erunt ab
illo cuius ventilabrum in manu ſua,
vt emundet aream ſuam. & arcendi
ab Eccleſia, ne modicum fermen-
tum totam maſſam corrumpat. Vi-
de ſupradicta hoc eodem cap. nu 12.
46 *Et erunt ſuper omnem mon-*
*tem excelſum, & ſuper omnem col-*
*lem eleuatum riui currentiũ aqua-*
*rum in die interfectionis multorum,*
*cum ceciderint turres.* Hæc verba
ſicut & præcedentia ſunt per meta-
phoram intelligenda: nec enim au-
diẽdi ſunt Iudæi increduli, quia car-
nales cum ſint, omnia carnaliter ex-
ponunt, & vt materialiter ſonant,
accipi volunt in ſenſu litterali, ne-
ſcientes illud Apoſtoli: *Littera oc-* 2. Cor. 3.
*cidit, ſpiritus autem viuificat.* Igitur b
per *montem excelſum*, & per *collem*
*eleuatũ*, Apoſtolos intelligit, & Apo- Apoſtoli
ſtolicos viros, cæteroſque doctores montes &
Eccleſiæ, qui corpore habitantes in colles.
terra, cogitatione & auiditate in illa
æterna patria conuerſantur, & velu-
ti montes, vitæ perfectione cæteros
antecellunt. Per riuos aquarum cur-
rẽtium, diuinam intelligit ſapientiã,
& abundãtem Spiritus ſancti gratiã,
quæ in corde credentiũ fit fons aquæ
ſalientis in vitam æternam. Dies in-
terfectionis multorum, tempus de-
ſignat prædicationis Euangelicæ, in
quo interfecti ſunt impij gladio an-
cipiti verbi diuini, ſecundum illud
quod prædixerat ſupra. *Et percutiet* Iſa. 11. a
*terram virga oris ſui, & ſpiritu la-*
*biorum ſuorum interficiet impium:*
aut vero diem illũ, quo quadragin-
ta annis poſt paſſionem Domini Iu-
dæi a Romanis capti ſunt & occiſi.
Quẽ propterea, diem occiſionis ap-
pellauit Hieremias: *congrega eos* (in- Hiere.
quiens) *quaſi gregem ad victimam,* 12. a
*& ſanctifica eos in die occiſionis.* Per

 turres

turres, Principes intelligit & poteſtates huius ſeculi, Idola gentium & eorum ſuperbiam, aut etiam Scribas & Phariſæos vt Auguſt. explicat, quæ omnia ad prædicationem Euangelij ceciderunt.

Aug. queſt. 105. vet. & nou. teſtamenti. to 4

Senſus ergo eſt: Adueniente Chriſto, & Spiritu ſancto poſt mortem & aſcenſionem eius miſſo de cęlo, riui aquarum cœleſtis ſapientię decurrēt ſuper Apoſtolos & Apoſtolicos viros, in tanta abundantia; vt vniuerſam poſsint irrigare, & foecundare terram: & ad eorum prædicationem deficient impij & conuertentur ad Dominum, & omnis arrogantia humanæ ſapientiæ extollentis ſe aduerſus ſcientiam Dei deprimetur. Sic explicant iſtum locū S. Hieronymus, & Cyrillus, & Beatus Auguſtinus vbi ſupra. Obſeruandum eſt autem, hanc eſſe differentiam inter terram planam, ſicut ſunt valles, & terram montuoſam. Illa enim terrenis fontibus irrigatur: hæc vero pluuiam à Deo expectat de cœlo. Quia ergo carnales homines, qui de terra ſunt, & terrena ſapiunt, rebus temporalibus inhærent, & fluentibus delitijs huius ſeculi delectantur, non ſitiunt ſpiritualem illam pluuiam voluntariam, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ, ſed potius eam faſtidiunt, atque adeo non veniunt ſuper eos riui currentium aquarū, de quibus hic loquitur Iſaias. Montes autem & colles, hoc eſt, Apoſtolici viri, & illi, qui, relictis omnibus, Chriſtum humilem ſequuntur & pauperem: quia nullam ſæculi voluptatem requirunt, pluuiam qua ſatientur, expectant de cœlis. Dicit enim Propheta:

Pſ. 103.

*Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ: Potabunt omnes beſtiæ agri, expectabunt onagri in ſiti ſua: Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

Contentes terræ, imbribus irrigātur cæleſtibus.

Ecce diſtinxit montes a conuallibus, & animalia quæ habitant ſuper montes, ab illis quæ cōmorantur in vallibus. Aperit Dominus manum ſuam, & emittit fontes bonorum temporalium, quæ ſingulis annis terra producit. ſed emittit hæc in conuallibus, diffundit iſta ſuper illos, quorum benedictio eſt in pinguedine terræ. Trāſeunt aquę iſtæ inter medium montium, vt bibant ex eis omnes beſtiæ agri, & ſatientur onagri in ſiti ſua, peccatores videlicet ſuperbi, qui iugum legis diuinæ a ſeipſis conantur excutere. Montes autem aqua iſta non irrigantur, nec eam guſtant volucres coeli.

Ex Aug. ſup eundē pſal. tom. 8.

Spirituales animæ volatilia cœli dicūtur.

Sunt quædā volatilia, quę non habitant niſi ſuper montes, ſpirituales videlicet quædā animæ, ſpiritualia corda, quæ aere libero perfruuntur & gaudent ſerenitate cœli, & ne à ventis tollantur, in montibus requieſcunt, in Apoſtolis, in Prophetis, quia in montibus petras inueniunt eloquiorum Dei, ac promiſsionum cœleſtium. Sicut enim vna illa petra Chriſtus, eſt verbum Dei, ita & multa verba Dei multæ petræ ſunt, inter quas ſpiritualis anima concluſa, & ſitiens ad Deū fontem viuum clamat, emittēs ex intimis precordijs frequentes voces & ſuſpiria, dicens cum Propheta.

Pſ. 141

*Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*, & iterum:

Pſ. 62. a

*Sitiuit in te anima mea, quā multipliciter tibi caro mea.*

Ex Aug. ibi.

Anima & caro ſitiūt Deu

Alius deſiderat argentum, alius deſiderat poſſeſsiones, alius deſiderat hæreditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnā, alius vxorem, alius honores, alius filios, ſed iſti non ſitiunt hæc in te, ſed in ſæculo. Ego autem non, quæ cum

ſæculo



ſæculo tranſeunt, ſed te ſitio, ideo ſitiuit in te anima mea. Nec ſolum anima mea, ſed & caro mea ſitiuit in te quāmmultipliciter. Sitiuit anima, quoniam illi repromiſſa eſt beatitudo,

Pſal. 35.

quoniam *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* Sitiuit & caro, quoniam illi repromiſſa eſt reſurrectio. Ideo non quæro terrenam fęlicitatē, quam plerumque habent & latrones, & ſcelerati, ſed tuis promiſsionibus innixa,

Pſal. 41

*quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Sic ergo electi de medio petrarum dabunt voces. Et quid ſequitur ſtatim? *Rigans mōtes de ſuperioribus ſuis.* Currunt ſuper montes riui aquarum, deſcendunt ſuper corda fidelium chariſmata gratiarum, quibus non ſolum montes irrigentur & colles, ſed etiam per eos ſatietur terra. Subditur enim: *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra:* Sic accidit Apoſtolis & diſcipulis Domini. Poſt aſcenſionem Saluatoris *reuerſi ſunt*

Act. 1. b

*Hieroſolymam, & cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebat Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphei & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione, & obſecratione, cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius.*

Spiritu ſācto replent Apoſtoli, & irrigant de ſuperioribus *.

Aſcenderunt, inquit, & erāt perſeuerantes vnanimiter in oratione, expectantes Spiritus ſancti aduentum, qui montes de ſuperioribus ſuis irrigaret. De medio petrarum dabant voces, & petræ ipſæ diuinarum ſcripturarum reddebant voces eorum, & reoſonabant. Et quid clamabant?

Pſ. 103. d

*Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* orabat Eccleſia paruula, ſed ſponſata Chriſto:

Pſal. 50.

*Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Dum filius tuus aſcendit in cœlum, corda noſtra ſecum rapuit; abſtulit à cordibus diſcipulorum ſuorum lætitiā, & gaudiū, quo in eius præſentia fruebantur. Ipſe nobis repromiſit Spiritum tuum, dicens:

Ioan. 14 b

*Ego rogabo Patrē & alium paracletum dabit vobis.* Redde quod ille promiſit, redde, donando Spiritum ſanctum, lætitiam, quam abſtulit, præſentiam ſuam corporalem ſubtrahendo.

Sap. 9. c

*Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia, & erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè. Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore: quæ in cœlis ſunt autem quis inueſtigabit? ſenſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?*

Spiritus S. aduentum implorant Apoſtoli.

Repetebāt ſępius diſcipuli ad dilectū magiſtrum, veluti antiquitus Eliſæus ad Eliam, petitionem illam.

4. Reg. 2

*Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Ad iſtas voces volucrum cęli de medio petrarum clamantium,

Pſ. 101.

*proſpexit de excelſo ſancto ſuo; Dominus de coelo in terram aſpexit. Vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptorum: Vt annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hieruſalem.* Et, vt qui propter metum Iudæorum concluſi erāt in cœnaculo, induerentur virtute ex

te ex

te ex alto, qua, abſq; vlla trepidatione, prædicarent Chriſtum crucifixũ: *Factus eſt repente de cœlo ſonus tãquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totã domum vbi erant ſedentes. Sonus multæ pluuiæ auditus eſt, & facta eſt pluuia grandis.* Irrigati ſunt mõtes de ſuperioribus, vt & illi poſtmodum irrigarent, & fęcundarent cœleſti doctrina vniuerſam terram.

*Act. 2. a*

*3. Reg. 18.*

47 *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Sanctus Hieronymus, Nicolaus de Lyra, & nonnulli alij Patres hæc verba referunt ad ſecundũ Chriſti aduentum, in quo cadent turres, & *non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Tunc enim innouabuntur omnia, & nouo ſplendore renouabuntur cœli, ſecundum illud quod dicitur infra: *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Quæ verba non ita intelligenda ſunt, vt, deſtructis his cœlis, nouos creandos eſſe credamus, ſed de purgatione elementorum eſt ibi ſermo, quibus innouatis & purgatis, cœli nouo ſplendore fulgebunt. Et iuxta hanc explicationem ſenſus eſt: In die iudicij lux lunæ erit ſicut lux ſolis, quia non erunt in illa mutationes, quæ ſecundum decrementum, & augmentum ſingulis menſibus modo ex diuerſo aſpectu ſolis apparẽt in illa, ſed plena ſemper erit & fulgida, eo quod talis mutatio non erit amplius ad generationes, & corruptiones rerum inferiorum neceſſaria: & lux ſolis erit tanta, ac ſi lumen ſeptem dierum in vnum conueniret. & videntur hæc dicta per hyperbolem.

*Mat. 24 a*

*Iſa. 65. c*

Elementorũ purgatio fiet in die iudicij.

Solis & lunæ ſplẽdor in die iudicij.

Hanc explicationem ſequitur Vatablus, cuius tranſlatio videtur huius loci commentarius. Sic enim habet: *Sed & lux lunæ erit ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſepties clarior erit: vt tanta ſit quanta eſt lux ſeptem dierum.* Dicitur autem tempus iudicij, dies, in quo Dominus alligabit vulnus populi ſui, quia in reſurrectione terminabitur omnis corruptio & penalitas electorum. Alligare enim vulnera idem ſignificat quod ſanare. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum:* Procopius Gazeus, & multi alij explicant hunc locum de primo Chriſti aduentu, in quo verè alligauit vulnus populi ſui, ideſt curauit & abſtulit peccata mundi, & ſanauit proprio ſanguine plagam eius, ſecundum illud quod dicitur infra: *& liuore eius ſanati ſumus.* Ipſum enim, vt notauit Auguſt. deſignauit Samaritanus ille, qui iter faciens venit ſecus hominem, qui deſcendens ab Hieruſalem in Hiericò incidit in latrones, *& videns eum, miſericordia motus eſt: & appropians alligauit vulnera eius.* Quis eſt homo ille, qui incidit in latrones, niſi Adam, qui per inobedientiam in manus incidit diaboli & angelorum eius, qui iuſtitia originali exſpoliauerunt illum, & multis plagis diuerſorum criminum in tota poſteritate eius impoſitis, abierunt, eodem ſemiuiuo relicto. Relictus eſt autem ſemiuiuus, *quia* (vt Auguſtinus ait) *ex parte qua poteſt intelligere, & cognoſcere Deum, viuus eſt homo; ex parte vero qua peccatis contabeſcit, & premitur, mortuus eſt.* Semiuiuus relictus eſt, quoniam liberum arbitrium, quod eſt principium vitalis motus, manſit in illo, ſed vulneratum, ſed infirmum, ſed inordinatum,

*Pſ. 147.*

Secunda explicatio.

*Iſai. 53.*

Aug. lib. 3. Hypognoſticon.

*Lucæ 10*

Aug. ibid.

Peccata ſunt latrones in quos incidit homo.





vel, ſecundũ Theodoretum, relictus eſt ſemiuiuus, quia ſecundum animã immortalis eſt, ſecundũ corpus morti obnoxius remanſit. Secus iſtũ hominem venit Chriſtus, quando filius Dei ad nos deſcendit in ſimilitudinẽ carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum. Appropinquauit illi, quia quaſi vnus ex nobis factus eſt, & vt ait Paulus: *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Alligauit autẽ vulnera eius, cum pro peccatis noſtris tot vulnera pertulit in carne ſua. Iam non erit deinceps, cur Dominus conqueratur de populo ſuo, dicens: *vulnus & liuor, & plaga tumens. Nõ eſt circumligata nec curata medicamine, nec fota oleo.* Ecce enim Saluator alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum deſuper. Deſcendente ergo ad nos Dei filio in carne paſſibili: lux lunæ, ideſt Eccleſiæ, quam luna ſignificat, ſecundum illud quod de illa in Canticis dicitur: *Pulchra vt Luna.* eo quod omnem ſuam claritatem, omnem ſplendorem & virtutẽ a Chriſto accipit, velut luna à ſole, *erit ſicut lux ſolis*, quia videlicet Saluatoris ſplendorem, vitæ normam, & paſſionis tolerantiam imitabitur. *Et lux ſolis*, ideſt Chriſti, qui verus eſt ſol iuſtitię, & lux vera, *quæ illuminat omnem hominem veniente in hunc mũdum.* erit ſepties, ideſt multo maior in infinitũ, quam ſit lux ſeptẽ dierũ, ſi conueniret in vnum, ponitur enim hic numerus finitus pro infinito, ſicut: *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Ideſt toties quoties, vt Aug. explicat: *Audeo dicere* (inquies) *& omnino quoties peccauerit, ignoſcas; & ſi centies: & omnino quoties peccauerit ignoſce. Si enim Chriſtus millia peccatorũ inuenit, & tamen omnia donauit, noli*

*Heb. 4. d*

*Iſai. 1.*

Chriſt' eſt Samaritanus hominẽ ſanans.

Eccleſia vt luna pulchra.

*Ioan. 1.*

Numerus finitus pro infinito.

*Mat. 18 c*

Aug. ſerm. 15. de verbis Dom.

*ſubducere miſericordiam.* Ait enim Apoſtolus: *Donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Deus in Chriſto donauit nobis.* Nonne ſeptempliciter maior quàm ſit claritas ſolis fuit lux illa: de qua dicit Euangeliſta: *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: & erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Hæc eſt lux & claritas Dei, quæ circumfulſit paſtores vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Hæc lux de cœlo circumfulſit Paulum, & mentem eius illuminauit. Denique lux noſtra Chriſtus Ieſus aſſumens ſecum *Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Quid ni tanquã ſol ſplendeat, qui ſolem ipſum creauit, & claritatem, qua fulget contulit illi? Quomodo non erũt alba eius veſtimẽta ſicut nix, qui niui tribuit candorem? Quod ſi in reſurrectione futura, quam expectamus, *Iuſti fulgebant ſicut ſol in regno patris eorum*, mirum eſt, ſi Dominus ipſe, cuius eſt regnum, fulgeat ſeptempliciter ſicut lumen ſeptem dierum?

*Coloſ. 3. c*

*Ioã. 1. a*

*Luc. 2. b*

*Act. 9. a*

*Mat. 17*

Trãsfiguratio Chriſti.

*Mat. 13.*

48 *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis.* Legimus, in vtroque Domini aduentu, & maxime in ſecũdo, ſolem & lunã obtenebrandos eſſe. Loquens enim propheta Ioel de die illa, in qua Saluator veniet vt iudex viuos & mortuos iudicare, inquit: *A facie eius cõtremuit terra, moti ſunt cœli; ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* & poſt pauca: *ſol conuertetur in tenebras*

*Ioel. 2. c*

Ante Iudicium erũt ſigna in ſole & luna.

*bras; & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Cui conſonat illud Euangelij: *Statim autem poſt tribulatione m dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadet de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* In tẽpore etiã illo, quo in primo aduentu per paſsionem & mortem ſuam ſalutem noſtram operatus eſt Dominus in medio terræ, *obſcuratus eſt ſol.* Si ergo in vtroque aduentu, quo liberatio populi adimpleta eſt, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumẽ ſuum, quomodo ſtare poterunt quæ hic docet Iſaias, lucem videlicet lunæ futuram tunc eſſe ſicut lux eſt ſolis, & lucem ſolis ſeptempliciter ſicut lumen ſeptem dierum? Hãc quæſtionem mouet & diſſoluit S. Pater Aug. Et quidem, ſi iuxta ſecundam explicationem ſuperius traditam verba hęc de primo Chriſti aduentu intelligãtur, facilis eſt ſolutio. Dicendum eſt enim, quod ex parte adimpleta eſt tunc hæc prophetia etiam in ſole materiali. Nam, vt refert S. Thomas, cum natus eſt Chriſtus, *Romæ fluxit oleum, & in Hiſpania apparuerunt tres ſoles paulatim in vnum coeuntes.* Sed potiſsime adimpleta eſt in fidelibus, qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis, & quaſi ſol refulgens, ſic effulſerunt in tẽplo Dei: Si autem iuxta primam explicationem, de aduentu ad iudicium intelligatur, etiã eſt ſenſus ſatis planus. Licet enim ante aduentum iudicis ſol & luna obſcurari debeant, interitum vniuerſi, & potiſsime ipſius hominis, propter quẽ ſunt condita, quaſi plangendo; poſtmodum vero, elementis per ignem conflagrationis purgatis, multo maiori luce fulgebunt, quàm antea. Sanctus tamen Aug. altiorem ſenſum in his verbis & magis reconditum inuenit. Supponit enim ex ſcripturis ſacris, ſanctos, mundi luminaria dici; & eorũ opera luci conferri. Dicit enim Apoſtolus. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* & rurſus Saluator loquens ad diſcipulos ait. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Hi ergo* (inquit) *qui omnibus ſuis relictis dominum ſequuntur, iuſtitiæ & ſanctitatis cauſa, ſoli & lunæ comparantur, ſepties honorati, ſicut dicit Dominus. nemo eſt qui relinquat domum, aut vxorem, aut filios, aut agros, qui non recipiet ſepties tantum in hoc ſeculo. Qui ergo ad præſens ſepties honorantur, poteſt intelligi, qui etiam in futuro ſeptẽ partibus clariores cæteris futuri credantur, vt reſurrectio eorum ſoli comparetur ac lunæ, cæterorum vero ſicut ſtellæ ſint. Claritas ergo ſanctorum, quæ hic ſepties honoratur, in reſurrectione aliud ſepties conſequitur, vt qui hic claritatẽ lunæ habet, in futuro ſolis accipiat claritatem, & qui hic ſoli comparatur, ſepties tantum futurus credatur accipere. Propheta ergo Eſaias ſolis & lunæ comparatione ſanctorum merita augeri prædixit, nec immerito. Si enim ipſe Dominus ſol iuſtitiæ dictus eſt, ſancti autem ſimiles ei erunt, Ioanne Apoſtolo dicente: Cum enim apparuerit, ſimiles ei erimus, conuenienter ſanctos in ſole eſſe ſignificatos, ſeptem tamen partibus maiorem ſolem quàm lunam propheta ſupradictus oſtendit: quando enim lunam ſicut lumen ſolis futuram oſtendit, ſolem autem ſepties tãtum, ad modum vtique ſolis ſepties lunam augeri ſignificat, vt talis ſit*

tunc

[Margin notes, p. 140: Mat. 24 c — Luc. 23. f — Aug. q. 105. ex vtroque teſt. to. 4. — S. Th. 3. p. q. 36. ar 3 ad. 3. — Natiuitate Domini die Romæ fluxit oleũ, & in Hiſpania apparuerunt tres ſoles. — Aug. — Philip. 2 b — Matt. 5. — Aug. q. 105 citata. — Luca. 18 — Claritas beatorum — 1. Ioã. 3.]



*tunc luna, qualis nunc eſt ſol, quãuis ſanctorum ratio hic vertatur, ſub hac tamen cauſa luminarium ex parte prodidit quantitatem, vt poſt crementum ſolis & lunæ tantum iterum maior ſit, quantum eſt ſol, & quantum in præſenti diſtat ſanctus à ſancto, tantum diſtet in futuro poſt remunerationem?* Alij ſic exponunt. Sicut lumen ſeptem dierum, ideſt ſicut ſol fulſit ab initio, dum conderetur mundus. Alij autem referunt iſtum ſeptenarium numerum ad ſeptem dies dedicationis domus Domini tẽpore Salomonis, eo quod Iſraeli nunquam ſimiles acciderunt dies, quaſi dicat: gloria & lætitia iuſtorũ in aduentu Domini erit ſicut in diebus illis ſeptem, ideſt erit maxima qualis non fuit ab initio mundi. Et quoniam nulla ſimilitudo eam adæquare poteſt, ideo ad illam explicandam pluribus vtitur Scriptura: confertur enim meſſoribus ſupra, *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe*, confertur lætitiæ eorum, qui de inimicis fortiſsimis obtinuerunt victoriam: ſicut exultant victores capta præda, quando diuidũt ſpolia, confertur illis qui ſecuri peruenerũt ad portum. *Hinnient de mari:* confertur denique lætitiæ omnium. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.*

49 *Ecce nomen Domini venit de longinquo: ardens furor eius & grauis ad portandum: labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans.* Iſte locus expoſitus eſt ex parte ſuperius. In præſenti autem, quædam ſunt obſeruanda ad maiorem illius intelligentiam. Fecerat Propheta mẽtionem in præcedentibus aduentus Domini ad iudicium: nunc explicat quàm terribilis futurus ſit reprobis aduentus eius. Illud verbum, Ecce, rem quandam nouam deſignat & inſperatam, quoniam dies iudicij inopinate adueniet reprobis. Illi dum viuerent blaſphemabãt Deum, quaſi eſſet procul, & non poſſet ſuos iuuare, ideo loquitur iuxta mentem eorum, ac ſi dicat. Ecce ille qui hactenus habitus fuit à vobis quaſi eſſet procul, & in longinquo habitaret, nec haberet prouidentiam eorum, quæ fiunt in terra. Ecce adeſt. Non enim perambulat circa cardines cœli (vt vos dicebatis aliquando) ſed veſtra cõſiderat, & reddet vobis iuxta opera veſtra. *Ecce nomen*, ideſt, virtus Dñi & potentia illius. Nomen. n. virtutem ſignificat in ſacris literis, ſicut cũ dicitur: *Nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus*, ideſt, in virtute. *Et ſtabit & paſcet eos in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis*, ideſt, virtutis *Domini Dei ſui. Pater ſerua eos in nomine tuo*, ideſt, in potentia & fortitudine tua. Depingit autem iram iudicis ſub ſpecie hominis iracũdi, in cuius facie apparet ardor quidam, & ex oculis videntur ſcintillæ ignis prodire, tantumquè terrorem in omnibus cauſat, vt quaſi onus quoddam intolerabile videatur. Vnde Pagninus, vbi nos legimus, *& grauis ad portandum*, vertit, *& grauitas oneris*. Nomina enim abſtracta habent magnã energiam, ad ſignificandam rei magnitudinem. Vatablus, pro, *labia eius repleta ſunt indignatione, transfert, labia eius plena ſunt fremitu*. Lingua autem eius igni deuoranti aſſimilatur, quoniam illam terribilem ſententiam proferens: *Ite maledicti in ignem æternum*, omnes reprobos mittet in gehennam. Sequitur: *Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli, ad pen-*

*dendas*

[Margin notes, p. 141: Dedicationis templi dies feſtiui quales. — Sanctorum lætitia in reſurrectione. — Iſaiæ 9. — Num. — Iſai. 24. nu. 13. — Pſa. 86. — Sup. cap. 2 nu. 26. cap. 3. num. 18. cap. 5. nu. 29. — Iudicij dies reprobis veniet inopinate. — Iob. 22. b — Pſal. 19 — Micheæ. 5. — Dei nomẽ ẽ virt° eius — Ioan. 17 — Iudicis ira deſcribitur — Mat. 15 d]

*dendas gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum*. Sicut qui in rapido flumine

Simile.

aquis cooperitur vſque ad collum, ſuſtinere non poteſt, ſed abſque vlla reſiſtentia ab vndis rapitur, & ſubmergitur: ita (inquit) eueniet peccatoribus in die iudicij, cum aduerſus illos cõcitata fuerit ira Domini: non enim poterũt reſiſtere iræ eius, quoniam erit in frænũ populis, non

Frænum erroris quid ſit.*

quidem in frænum correctionis, quo à malo retrahantur in bonum, ſed in frænum erroris, quo eant in præceps, & pereant etiam nolentes, iuxta voluntatem Domini. Vnde & per Pro-

Pſa. 31. c

phetam dicitur: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus. In chamo & fræno maxillas eorum conſtrige, qui non approximãt ad te.* Conſonat hæc explicatio tranſlationi Pagnini, & Vatabli. Nam Pagninus, vbi nos legimus, *& frænum erroris &c.* vertit, *& frænum errare facies in maxillis populorum.* Vatablus transfert, *& vt frænum errare faciat in maxillis populorum.* Equus & mulus sũt reprobi, qui erecta ceruice contra Deũ recalcitrant, nec imitantur animalia illa de qui-

Iſa. 1.

Peccatores equus dicũtur & mulus.

bus dictum eſt ſupra: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*; ſed receſſerunt a Deo, & auerſi ſunt ab illo auerſione contentioſa: ideo conſtringetur os eorum & maxillæ in fræno & chamo, vt trahantur ſecundum voluntatem iudicis ad pœnam, qui voluntarie venire noluerunt ad eius miſericordiam. Vnde & ſubditur. *Multa flagella peccatoris*. Sicut enim adhibito correctionis fræno electi reuertuntur ad Dominum, & obtinent miſericordiã eius: ita & reprobi conſtricti fræno erroris ſeparabuntur in perpetuum ab eo, & incident in iuſtitiam illius.

Comparat autem iram Domini (vt notauit Forerius) inundationi torrentis, quæ violentior eſſe ſolet, & eo plus nocere, quo minus præuidetur. Poſſunt ſecundo, per *frænum erroris*, intelligi illi, qui non ſolum errauerũt

Peccatores frænum dicuntur erroris, quia alios trahũt ad culpam.

à via veritatis, ſed etiam alios errare fecerunt trahẽtes ſimplices veluti in chamo ad perditionem: hi nimirum eo maiori pœna torquebũtur, quo ex maiori malitia prodijt eorum culpa. Non autem ita ventilandæ ſunt gentes, vt in nihilum redigantur. Deſiderabunt enim mortẽ, & fugiet ab eis, nam, vt inquit Auguſt. *prima mors animam nolentem pelit à corpore, ſecunda mors animam nolentem tenet in corpore*. ſed in nihilum redigi dicuntur, quoniam amplius nocere non poterunt, nec vllam ſperare ſalutem.

Auguſt. 21. de ciuitate Dei ca. 3.

Mors ſecunda animã nolentẽ tenet in corpore.

In nihilum, quoniam *ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*. Et propter eandem rationem dæmones, licet in ſe ſubſiſtant, non eſſe tamen dicuntur, quia iã Deo perierunt.

Pſa. 14.

Demones dicũtur nõ eſſe.

Dicit enim Propheta. *Adorant incenſum ſuper laterem dæmonibus, qui non ſunt*. Quem locum explicans B. Hieronymus ait. *Dicuntur dæmonia non ſubſiſtere, quia iam à Deo, qui vere eſt, exciderunt*.

Iſa. 65. iuxta 70 Interp.

Vnde & Heſter loquitur ad Dominum: *Ne tradas hæreditatẽ tuam his qui non ſunt. Et Sanctus precatur in pſalmo: Remitte mihi, vt refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero. Qui enim, dum in hoc viuit corpore, veniam peccatorum non fuerit conſequutus, & ſic de vita exceſſerit, Deo perit, & illi eſſe deſiſtit, licet ſibi ſubſiſtat in pœnis*. Et quoniam in tanta preſſura malorum, maxima conſolatio reſeruata eſt iuſtis, ideo propheta ad eos conſolandos conuertitur, dicens.

Heſter. 14.

Pſal. 38.

30 *Canticũ erit vobis, ſicut vox ſancti-*



*ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis, ſicut qui pergit cum tybia, vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael*. Vatablus, *& erit vobis canticum quemadmodum in nocte, cum ſe ad diẽ feſtum ſanctificãt: & lætitia cordis, vt eius qui ad tybiã incedit, vt veniat ad montem Domini ad petram Iſraelis.* Vt notauimus ſupra, in die iudicij ſors reproborum commutabitur, & ſimiliter ſors electorum, vnde ſicut premebantur electi & erant triſtes, quando via impiorum proſperabatur in hoc ſæculo, ita è conuerſo, cum in die iudicij præmẽtur impij, maxima lætitia exultabunt iuſti. & eam comparat lætitiæ, quam conſueuerunt Hebræi in noctibus præcipuarum feſtiuitatum habere. Vbi obſerua, quod canticum eſt in ore, lætitia verò in corde. Vtrumque ergo erit in electis; quoniam interius, & exterius gaudebunt, corde lætantes, & ore laudantes fortem Iſrael, qui in extinguendis hoſtibus ſeipſum manifeſtauit fortiſsimum.

Sup. cap. 2. num. 23. & ca. 3. nu. 18.

In Iudicio cõmutabitur ſors reproborũ & electorũ.

Electorum lætitia.

Non enim ſibi, ſed Deo tribuẽt illam victoriam, qua ſuperatis hoſtibus cõſequuti ſunt palmã. Ideo *in montem Domini* (hoc eſt) in cœleſtem illam Hieruſalem ingredientur cum tybia, & laudãtes Deum, qui dedit illis victoriam. In cuius ſignum de bellatoribus illis, qui ſub Ioſue extiterunt victores, dicit Scriptura. *Et reuerſus eſt vniuerſus populus ad Ioſue incolumis, & non mutiuit quiſquam de filijs Iſrael in lingua ſua*. *Qui enim ſub Ieſu militat* (inquit Origenes) *incolumis debet redire de prælio, non in corde pollui, non in cogitatione maculari, non per cupiditatem, non per iram dæmoniacis vulneribus locum dare. Quod addidit, quia nullus mutiuit in lingua ſua, hoc oſtendit, quod de victoria nemo ſe iactet, nemo ſuæ virtuti, quia ſuperauit, aſcribat, ſcientes quia Ieſus eſt, qui victoriam tribuit, ipſi in lingua ſua non mutiũt.* Quod bene intelligẽs Paulus dicit. *Non ego ſed gratia Dei mecũ: & illud Euangelij huc tendit, Cum feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus*.

Victoria Electorum Deo tribuenda.*

Ioſuæ 10. d

Orig. hom. 12. in Ioſuæ.

1. Cor. 15

Luc. 17.

Commendatur in hoc loco gratitudo: vult enim Dominus beneficia precibus impetrari, impetrata gratiarum actione multiplicari, & conſeruari: nam, vt notauimus ſupra, multoties euaneſcunt propter illam ingratitudinem, dum homo ſibi tribuit quod a Deo accepit. Sequitur.

Gratitudo cõmendatur.

Sup. cap. 1. num. 11. & 14.

*Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, et terrorẽ brachij ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis: allidet in turbine & in lapide grandinis.* Exponit quãta vi, & fortitudine percuſſur' ſit reprobos in die iudicij. Primũ terrebuntur ad vocem Dñi clamantis per Angelũ, ſurgite mortui, venite ad iudiciũ. Pauebunt ad ſonitum tubæ, de qua dicit Apoſtolus: *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archãgeli, & in tuba* Dei *deſcendet de cœlo.* Areſcẽt prę timore ſonitus maris & fluctuum: in quibus omnibus iudicis maieſtas & virtus apparebit. Deinde videbũt impij quomodo habeat Deus manum eleuatam vt percutiat, & brachium fortiſſimum vt eos perdat in ęternum. Denique omnia illa, furor videlicet, flãma ignis, alliſio, turbo grandinis, ſeueritatem declarant diuinæ iuſtitiæ, & terribilem ſententiã, quam inimici Dei euadere non valebunt.

Reproborũ terror ĩ die Iudicij.

1. Theſ. 4. d

49 *A voce enim Domini pauebit Aſſur virga percuſſus, & erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet* Dominus *ſuper eũ in tympanis, & cymbaris & in bellis præcipuis.*

In iudicij die pauebunt reprobi.

*puis expugnabit eos*. Repetit ſupradicta, ſed clarius explicat, quæ prædixerat, & quamuis ad Regem Aſſyriorum conuertat ſermonem, ſecundum conſuetudinem prophetarum, qua multoties, dum loquuntur de re figurata, ad figuram ipſam reuertuntur; tamen potiſſime loquitur de vltimo reproborum excidio, quod per ruinam Regis Aſſyriorum nocte factam per Angelum deſignatur. Primo ergo ponit pauorem Regis Aſſyriorum, & ſub illo cuiuſcumque reprobi: nam licet antea Aſſur fuerit virga qua percuſſit Dominus Iſraelem, ſecundum illud quod dictum eſt ſupra: *Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt*. Poſtmodum tamen percutietur ipſe, & confringetur. Secundo explicat quam grauiter percutiendus ſit: non enim erit leuis plaga, & citò tranſiens, ſed grauiſsima & permanens in æternum. Et cum percuſſerit, non leuabit virgam ſuam nec more cædentium cito tranſiet, ſed tranſitus erit fundatus, ideſt, virga inſidebit, & infigetur ſuper carnes, eius, vt fiat plaga fundata, ſūpta ſimilitudine a percutientibus validè, quorum flagellū adhæret corpori, & penetrat vſque ad oſſa, nec facilè dimouetur: In quo perpetuam forè & irreparabilē deſignat damnatorum pœnam, atque inſanabilem eorum fracturam, ſcriptum eſt enim. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem ſicut veſtimētum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſsibus eius, fiat ei ſicut veſtimētum, quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur*. Intus & foris maledictio reprobum occupat, vt notauit Aug. *Foris ſicut veſtimentum, intus ſicut aqua, quoniam in eius incidit iudicium, qui poteſt & corpus & animās occidere in gehennam. Corpus fori & animam intus*. Intus intrat ſicut oleum, foris perſtringit ſicut zona corporis membra. *Et ſicut zona qua ſemper præcingitur*, quoniam nunquam ſoluentur dolores inferni, nec remittentur cruciatus corporis & animæ, vt latius ſupra dictum eſt. Illud vero quod ſequitur, *in tympanis & cytharis*, ſignificat, non in armis hominum, aut inſtrumentis bellicis, aut quovis alio auxilio humano vētilaturum Dominum inimicos ſuos: ſed in fortitudine brachij ſui. Poſſunt etiam accipi illa verba, ita vt ſignificent gaudium ſpeciale, quo exultabunt electi in punitione impiorum, ſecūdum illud quod dicit Pſalmiſta. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*.

*Iſa. 10.*

Pœna inferni æterna.

*Pſa. 108*

Aug. ſup. pſal. 108. tom. 8.

Sup. cap. 24 num. 24. & ſequētibus

Reproborū dānatio erit electorum gaudium.

*Pſal. 57. b*

51 *Præparata eſt enim ab heri Tophet, à Rege præparata, profunda, & dilatata. Tophet*, eſt nomen Hæbraicum, ſignificans idem, quod latine gehenna. Habetur huius nominis ſignificatio lib. 4. Reg. cap. 23. vbi dicitur. *Contaminabit quoque Tophet, quod eſt in conualle filij Ennon, vt nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch*. Ex quo patet, locum illum infamem fuiſſe, & vilem, ac omni ſpurcitia infectum, cum ibi conſueuiſsent Iudæi filios ſuos, & filias per ignem Idolo Moloch ſacrificare: quam impietatem redarguit Propheta: *Immolauerunt* (inquiens) *filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs*. Et rurſus. *Effuderunt ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum*.

Tophet ſig. gehennam.

*4. Reg. 23.*

*Pſ. 105. f*





Ab iſto ergo loco nomen accepit infernus damnatorum, vt Tophet, & gehenna dicatur: & neſcio, an alibi expreſsius in veteri teſtamento deſcribantur qualitates illius. Primum enim gehenna *præparata* dicitur *ab heri*, ideſt à præterito tempore, videlicet, ab initio mundi. Multoties enim in ſacris literis aduerbium, *heri*, ſignificat æternitatem à parte ante, aut durationem continuam à principio temporis, ſicut Hebræorum 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie ipſe, & in ſæcula*. Dixit autem *ab heri*, & non ab origine mundi, vt ſcias, gehennam illam nulla temporis antiquitate ſeneſcere, aut intermitti, ſed ita eſſe validum ignē eius, & immenſum, ac ſi heri ſuccenſus fuiſſet. Vel ideo dixit *ab heri*, vt deſignet, *quoniam mille anni ante oculos Domini tanquam dies heſterna, quæ præterijt*. Rabbi Salomon *ab heri*, ait, idem ſignificare quod à die ſecundo poſt creationē mundi; & vt ex magnitudine illius, à quo gehenna eſt præparata, eius qualitatem conijcias, ait. *A Rege præparata eſt*, ideſt à Deo qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium*. In textu Hebræo præponitur nota datiui caſus, vnde Hebræi ſic legunt: *Regi præparata eſt*. Vt Vatablus vertit: *Hæc enim pro Rege præparata eſt*. Eodem modo vertit Pagninus: *Etiā ipſi regi præparata eſt*. Et iuxta iſtam lectionem ſenſus eſt, *Tophet*, ideſt, gehenna, regi præparata eſt, videlicet diabolo. *Ipſe enim eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*. Conſonat hæc explicatio cum verbis illis Euangelij. *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & Angelis eius*. Secundò deſcribitur, quod ſit *profunda, & dilatata*, quoniam profundus nimis eſt infernus, & latus; quo multitudinem damnandorum ſignificat. *Propterea* (inquit) *dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino*. Profundus locus eſt gehenna, quoniam eos excipiet, de quibus prædixerat ſupra. *Væ qui profundi eſtis corde*. Profundus, quoniā habitatores eius maxime elongati ſunt à Deo, qui habitat in cœlis, & ab Angelorum conſortio ſeparati. Profundus, quoniam nullo lumine illuſtratur, ſed ſicut centrum terræ tenebris perpetuis obuoluitur. Propter quod Beatus Iob appellat carcerem illum teterrimum, *terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Quæ verba expendens B Gregorius ait. *Quid terræ tenebroſæ nomine, niſi tetra tartari clauſtra ſignantur, quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosq; in perpetuū à vitæ luce diſiungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicumq; ab eo capti fuerint, ſtabiliter tenentur. Recte igitur inferni clauſtra tenebroſa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna tranſitoria, vel phantaſtica imaginatione cruciant, ſed vltione ſolida perpetuæ damnationis ſeruāt. Quæ aliquando etiam laci appellatione ſignantur, Propheta atteſtante, qui ait. Portauerunt ignominiam ſuam cum his, qui deſcendunt in lacum. Infernus ergo, & terra nominatur, quia ſuſceptos ſtabiliter tenet, & lacus dicitur, quia hos, quos ſemel ceperit, ſemper fluctuantes, & trepidos tormentis circumfluentibus abſorbet. Loca autem illa dicuntur miſeriæ, & tenebrarum. Miſeria ad dolorem pertinet, tenebræ*

Gehennæ pœna grauiſſima.

*Heb. 13.*

Gehenna diabolo pparata eſt.

*Iob. 4.*

*Mat. 25 d*

*Iſa. 5. d*

*Iſa. 29. c*

*Iob. 10.*

Gregor. 9. Mor. 38.

Infernus ē locus tenebroſus.

*Ezech. 16.*

*ad cæcitatem, quia foris dolor cruciat, quos diuiſos à vero lumine intus cæcitas obſcurat, vbi vmbra mortis, & nullus ordo. Vmbra mortis eſt obſcuritas diuiſionis, quia damnatus quiſque, cum æterno igne ſuccenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura ignis eſt, vt ex ſe ipſo & lucem exhibeat, & concremationem. Sed vltrix illa flamma, vitiorum concremationem habet, & lumen non*
Mat.22 *habet. Vnde tenebræ exteriores vocantur. Vnde Pſalmiſta ait: Super eos cecidit ignis, & non viderunt ſo-*
Pſal.57. *lem. Ignis enim ſuper impios cadit, ſed ſol igne cadente nõ cernitur, quia illos, quos gehennæ flamma deuorat, à viſione veri luminis cæcat, vt & foris eos dolor combuſtionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obſcuret, vt ſimul corde, & corpore puniantur, & vtrobique pœnas ſentiant, qui dum hic viuerent, prauis ſuis delectationibus ex vtroque ſeruiebant.*

52 *Nutrimenta eius ignis, & ligna multa.* Tertiò denuntiat habitaculum illud igneum eſſe, cuius nutrimenta erunt ignis, & ligna multa. Apud nos ignis numquam alio igne nutritur, ſed materia extranea, lignis videlicet, & combuſtibilibus alijs: Ignẽ enim ignem comburere non docuit vnquam Ariſtoteles, nec Philoſophia naturalis: at in loco illo, ignis ignem nutriet, ignis carnalis concupiſcentiæ, ignis ſuperbiæ, & inuidiæ, ignis voluntatis peruerſæ, ignem ſulphureum, atque tartareum fouebit. *Tolle propriam voluntatem* (ait Bernardus,) *& infernus non erit.* Hæc ſunt ligna multa, multa videlicet peccata, & peccatores ipſi, qui vt Iudas Apoſtolus dixit, *ſunt*
Iudæ. d *arbores autumnales bis mortuæ, eradicatæ.* quibus nutritur ignis ille.

Inferni ignis quibus lignis nutriatur.

Bern.

Hi ſunt, qui, velut quercus Baſſan, defluentibus folijs, in incendium reſeruantur æternum. Cupiditates enim peruerſæ, & inordinatæ voluptates, quas pœnitentia ſalutaris in præſenti ſæculo non purgauit, in futuro erunt vice lignorum, & carbonum idem incendium fouentium. *Iſti fumus erunt in furore meo*, ait Propheta: *ignis ardens tota die*. Su- Iſa.65.a
per quem locum B. Hieronymus. *Eritis* (inquit) *fumus, ignis ardens, qui de meo furore ſuccenſus eſt Furorem autem obliuionem, iram, pœnitudinem ita in Deo debemus accipere, quomodo pedes, manus, oculos, aures, & cætera membra, quæ habere dicitur incorporalis, & inuiſibilis Deus. Non quòd his pateat perturbationibus, qui eas dono gratiæ ſuæ extinguit in nobis, ſed quòd per noſtra verba, Dei erga nos intelligamus affectum. Neque enim ira, quæ eſt vltionis libido, ita definitur in Deo, vt in hominibus, quæ materiam habet in noſtris vitijs, non in Domini voluntate: qui theſaurizamus no-* Rom.2. a
*bis iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei: vt tribulos noſtros, & ſpinas, & zizania, quæ pro ſemine Dei attulimus, ligna quoque, fœnum, & ſtipulam, quæ ſuper fundamentum Pauli ædificauimus, ſapiens flamma conſumat.* 1.Cor.3. c
*De hoc igne perpetuo, & in Moyſi cantico legimus. Ignis accenſus eſt* Deut.32. c
*de furore meo, & ardebit vſque ad infernum deorſum.* Deuorabit *terram, & genimina eius, comburet fundamenta montium, & ſagittæ meæ conſument eos. Cuius teſtimonij ſenſus eſt, quod ignis Dei, atque vindicta ſemper ardeat peccatoribus, & eos vſque ad inferos perſequatur. Qualis erat & diues ille in* Luca.16 c
*Euangelio purpuratus, qui, requie-*

Dei furor quid ſignificet.



*ſcente Lazaro in ſinu Abraham, æternis torquebatur ardoribus. Terram quoque, ideſt carnem noſtram, & genimina eius, ideſt, carnis deſideria eadem flamma comburet, & fundamenta montium, quæ ſe eleuãt contra ſcientiam Dei.* Vides qualiter ipſi damnati, atque eorum crimina ſint fumus, & ignis nutriens, & fouens ignem gehennæ: nec deficiet flatus ſuccendens illum. ſubditur enim.

53 *Flatus* Domini *ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*, ſcilicet gehennam; nam voluntas Domini ad inſtar follis ignem illum tartareum ſuccendet, & inextinguibilem faciet. In quo æternitatem pœnarum deſignat, quæ nullam remiſſionẽ admittent. Quandocunque follibus, aut flatu hominis ignis ſuccenditur, cum quadam intermiſsione ſuccreſcit, eo quod flatus ignem fouens, non poteſt eſſe continuus, neceſſe eſt enim ſpiritum attrahere, quo ignis excitetur vt ardeat: flatus autem Domini reſpiratione non indiget, ideo inſpiratione continua abſque vlla intermiſſione gehennam ſuccendet. Vnde Innocentius 3. *Ignis gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu ſuccenditur, ſed à Deo creatus eſt inextinguibilis ab origine mundi. Scriptum eſt enim. Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur. Creditur autem eſſe ſub terris, ſecundum illud Iſaiæ: Infer-* Iſai.14.
*nus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui. Sed & omnis locus reprobis eſt pœnalis, qui ſemper ſecum defert cruciatum, & vbique contra ſe tormentum incurrit. Producam, inquit, ignem de medio tui* Ezech.
*qui comedet te. Ignis autem inferni* 28.
*ſemper ardebit, & nunquam lucebit; ſemper vret, & nunquam conſumet: ſemper afficiet, & nunquam deficiet.* Lege quæ de acerbitate, & diuerſitate pœnarum illius gehennæ, docet idem Innocentius eodem lib. cap. 4. Et ſanctus Bonauentura in lib. dietæ ſalutis, titulo 10. cap. 1. ſanctus Bernard. lib. meditationum cap. 3. ſiue lib. 1. de anima ad Hugonem. Et ſer. 8. ſuper pſal. *Qui habitat.* De quibus redibit ſermo cap. 66.

Innoc 3. lib 1. de cõtẽptu mũdi cap. 6.

# CAPVT XXXI.

1. VAE qui deſcendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multæ ſunt: & ſuper equitibus, quia præualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt. 2. Ipſe autem ſapiens adduxit malum, & verba ſua non abſtulit: & conſurget contra domum peſſimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. 3. Aegyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro,

& non ſpiritus : & Dominus inclinabit manum ſuam , & corruet auxiliator , & cadet cui præſtatur auxilium , ſimulq. omnes conſumentur. 4. Quia hæc dicit Dominus ad me : Quomodo ſi rugiat leo , & catulus leonis ſuper prædam ſuam , & cum occurrerit ei multitudo paſtorum , à voce eorum non formidabit , & à multitudine eorum non pauebit : ſic deſcendet Dominus exercituum vt prælietur ſuper montem Sion , & ſuper collem eius. 5. Sicut aues volantes , ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem , protegens & liberans, tranſiens & ſaluans. 6. Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. In die enim illa abijciet vir idola argenti ſui , & idola auri ſui , quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum. 7. Et cadet Aſſur in gladio non viri , & gladius non hominis vorabit eum , & fugiet non à facie gladij : & iuuenes eius vectigales erunt : & fortitudo eius à terrore tranſibit , & pauebunt fugientes principes eius : dixit Dominus : cuius ignis eſt in Sion , & caminus eius in Hieruſalem.

## SVMMA CAPITIS.

PROSEQVITVR *in hoc capite materiam capitis præcedentis , & vehementer arguit impietatem , & præſumptionem filiorum Iſrael , qui auxilium Domini reſpuentes , omnem ſpem ſuam conſtituerunt in Aegypto , in equis & equitibus eius . Diuiditurq; præſens caput in tres partes.*

*In prima comminatur condignam pœnam huius criminis , in principio capitis.*

*Secundò oſtendit infirmitatem eorum , in quibus ſpem ſuam conſtituerunt reliquiæ Iſrael. Verſiculo ,* Aegyptus homo & non Deus.

*Tertiò , vt eos alliciat ad ſpem in Deum , oſtendit , qualiter Deus ſuos protegat atque defendat ; eorum aduerſarios ſubijciendo . Verſiculo :* quia hæc dicit Dominus ad me , *vbi vaticinatur excidium regis Aſſiriorum. Verſiculo ;* & cadet Aſſur in gladio. *De quo latius pertractat , cap. 37. fere per totum , vt ibi amplius patebit.*

COM-



## COMMENTARIVM.

1 *VAE qui deſcendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis ſperantes , & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multæ ſunt : & ſuper equitibus , quia praualidi nimis : & non ſunt confiſi ſuper ſanctũ Iſrael, & Dominum non requiſierunt.* Proſequitur propheta, id quod in capite præcedenti cęperat denuntiare , videlicet decem tribus deuaſtãdas fore, eo quod in periculis imminentibus non requiſierunt à Deo auxilium, ſed ad Aegyptios confugerunt. Illa ergo interiectio, *Væ* , exclamantis eſt, & etiam irridentis, ac ſi dicat, ò quam ſtultam rem egerũt, qui relicta Dei protectione , ſub qua ſecuri eſſe poterant & fortes ad debellandum omnes inimicos ſuos, ad Aegyptios deſcenderunt , & , relicta ſpe in Deum viuum , in multitudine equorum, & quadrigarum confidũt. Nominat autem ſanctum Iſrael, vt Iudæos confundat, qui ſanctificatorem neglexerunt, neſcientes quoniam qui à poteſtate principis tenebrarum , & à peccatorum tyrannide liberat in ſe ſperantes, potens eſt eos à minoribus malis, & periculis, qualia ſunt ea quæ corpus reſpiciunt , liberare.

2 *Ipſe autem ſapiens adduxit malum , & verba ſua non abſtulit : & conſurget contra domum peſſimorum , & contra auxilium operantiũ iniquitatem .* Senſus eſt , ſicut vos conamini veſtra prudentia Dei iudicium effugere , & videmini in oculis veſtris ſapientes : ita Deus quoque ſuo conſilio vos diſperdet. Comprehendit enim ſapientes in ſua aſtutia. Verba ſua non abſtulit : nam implebit quæ per prophetas ſuos prędixit, *Iota vnũ aut vnus apex non præteribit à lege , donec omnia fiant.* Matt. 5. *Conſurget*, vt percutiat fortiùs *cõtra domum peſſimorum* , ideſt cõtra ingratum populum, & deriſorem, idololatram, & contemptorem Dei ſui, quem propterea domum peſſimorum appellat. Fuit enim malus cum Deum offendit , peior cum perſeuerauit in malo, peſſimus cum Deum contempſit, & ab alienis quæſiuit auxilium. Et ne Aegyptus ſit illis in ſcandalũ , etiam euertet eum , vt nullum deinceps Iudæi operantes iniquitatem in illo inuenire poſſint auxilium .

3 *Aegyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non ſpiritus :* Videtur omnino ſuperfluum, quod Propheta tanta ſolicitudine illum populum admoneat , Aegyptum eſſe hominem, & non Deum; atque equos Aegypti carnem eſſe , & nõ ſpiritum, cum id ſit omnibus per ſe notum , & quotidiana experientia compertum. Sed in hoc nos voluit admonere, euenire multoties, quod, cũ homines cognitione Dei, atque humana ſapiẽtia pollentes deſideria cordis ſui ſequũtur: hebetes fiũt prorſus, & ſtolidi, nõ aduertentes ad ea, quæ prius tenere & ſcire videbantur . Superbi ergo, & inflati talia ac tanta ſibi promittunt, & tribuunt, vt iã ſe homines eſſe non putent , nec recogitent , in ſolo Deo ſperandum eſſe. Scit abſque dubio auarus, diuitias perituras huiꝰ ſæculi terram eſſe, ac de terra prodire: at cũ in illo creuerit immoderatus amor

 numi,

numi, aurum tanquam Deum ſuum colit, & omnem ſpem in illo conſtituit. Propter quod de auaritia dicit Epheſ.5. a Apoſtolus: *Quod eſt idolorum ſeruitus*. Cum ergo hanc in hominibus ſuperbiam, & arrogantiã videamus: non eſt quod miremur Prophetam clamantẽ, Aegyptios non eſſe Deum, ſed homines: ne Iudæi tribuerent illis, quod ſoli Deo tribuendum erat. Nemo poteſt à malis liberari, niſi adiuuante Domino, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Ioã.6.g *Spiritus viuificat: caro autem non prodeſt quicquam*: Si ergo Aegyptus caro eſt, fragilis, & infirma, ſi equi illius carnei ſunt, quid nitimini, ò Iudæi, in tam debili fundamento? Hier.17 a *Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Deo recedit cor eius*, Neque enim Redemptor mundi in ſe ſperantes ſaluaſſet, ſi homo eſſet & non Deus. In nullo ergo alio ſperandum eſt niſi in Deo. Nomine equorum, quicquid ſtabile & forte in Aegypto reperiebatur, intelligit: omne robur humanum caro eſt, & non ſpiritus, ſola Dei potentia eſt inſuperabilis. Vnde & ſubditur. *Et Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimulque omnes conſumentur*. Quaſi dicat; Non erit opus quòd defatigetur plurimũ Dominus in vtroque perdẽdo, Aegypto videlicet auxiliatore, & populo qui confidebat in illo: ad ſolam enim extenſionem vnius manus rem conficiet, & nutu ſuo vtrumq; pariter conſumet: Pſ.145. *Nolite* ergo *confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus*.

4 *Quia hæc dicit Dominus ad me. Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam, & cum occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & a multitudine eorum non pauebit: ſic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius*. Prædixerat ſupra, in ſolo Deo ſperandum eſſe: nunc autem, vt omnes ad huiuſmodi ſpem inducat, oſtendit, qualiter Dominus miſericorditer liberet, in ſe ſperantes, ab inimicis. Comparat autem ipſum Deum leoni, & catulo eius deuoranti prædam, & aui volanti ſuper pullos ſuos, vt eos defendat. Confertur leoni, propter robur & animoſitatem inuictam; contemnit enim inimicos; nec terretur, ſiue occurrant ei pauci paſtores, ſiue plures, vt de ore eius prædam auferant. Catulo autem aſſimilatur, qui morſibus ludit. Sic ergo (ait) deludet Dominus vniuerſus, qui pugnauerunt contra Iſrael. Et loquitur contra Aſſyrios, vt arbitratur Vatablus, qui, vbi nos legimus, *vt prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius*, transfert. *Ad propugnandum pro monte Sion, & pro colle eius*, videlicet contra Aſſyrios, quorum interitus infra cap. 37. ab Iſaia deſcribitur. Hæc quantum ad literam. Ex qua poteris conijcere, qualiter Chriſtus Dominus pro electis ſuis pugnauerit contra principes, & poteſtates tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitię in cęleſtibus, quãdo opere adimpleuit id, quod ſpiritu prophetico prædixit Iacob. Gen.49. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, vt catulus leonis requieſcens accubuiſti*. Aſcendit enim in crucem, vt dormiens, atque in aera eleuatus aereas debellaret poteſtates. Vnde Origenes. Orig. ho. 17. ſup. ca. 49. Geneſ. tom. 1. *Iſte catulus de Virgine natus eſt. Dormiſſe autem dicitur, quando mortuus eſt in paſſione*,



*paſſione: dormiuit autem vt leo, quia mors Chriſti, oppreſſio, & triumphus dæmonum fuit, omnem namque prædam, quam leo ille contrarius inuaſerat, proſtrato homine, & deiecto, hic leo interripuit, deſtruxit omnia, deſtruens eum, qui habebat mortis imperium*. Rugijt vt leo, cum *emiſſa voce magna exſpirauit*. Marci. 15.d Ingreſſus eſt intrepidus locũ, in quo electos mors tenebat captiuos, & deprædatus eſt prædam à Principe tenebrarum, nec multitudo dæmonũ potuit eam eripere de manibus eius.

5 *Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem, protegens, & liberans, tranſiens, & ſaluans*. Ideſt, vt aues illæ, quæ magna cura tutantur pullos ſuos: ſic Dominus exercituum proteget populum ſuum: Superius rex Aſſyriorum minatus fuerat, nidos cum auibus ſe perditurum, *& inuenit* (inquiens) Iſai.10. c *quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur oua, quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui:* Nunc autem Dominus promittit ſe defenſurum ſuos, vt auis ſolet nidum ſuum. Ita Vatablus. Hoc autem ad literam impletum eſt, cum *egreſſus eſt Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia*. Iſa.37.g Sed multo perfectius id executus eſt Chriſtus Dominus, cum ſicut aquila prouocauit ad volandum pullos ſuos ſuper eos volitans, cum à poteſtate Principis tenebrarum ſuos eripuit. Hinc Mat.23 ad Hieruſalem. *Quoties* (inquit) *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* de quo vide ſupra dicta cap. 3. num. 11. Et cum ait, *protegens*, innuit Chriſtum Dominum, vt pro nobis ſatisfaceret, ſe obieciſſe tanquam ſcutũ ictibus iræ Dei, & noſtras ſuper ſe iniquitates portaſſe. Et cum ſubdit, *tranſiens, & ſaluãs*, alludere videtur ad Angelum illum, qui trãſiuit percutiens Ægyptios, & ignoſcẽs filijs Iſrael, Chriſtum ſignificans, qui tranſiuit ex hoc mundo ad Patrem, & tranſiens ſaluos nos fecit, atque aduerſarios noſtros debellauit.

6 *Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael*. Conuerſio ad Deum qualis. Interponit admonitionem, volens nos ad Deum redire, dum adhuc pœnitentiæ tempus eſt, dum protegere & ſaluare vult Dominus ſperantes in eo, antequam diſperdat omnes operantes iniquitatem, & adducat malum, quod denuntiauerat ſupra. In profundum deſcendimus per peccata, quæ ſuo pondere demergunt homines in lacum: per pœnitentiam autem & verum dolorem reuertimur ad Dominũ, & ad illum cõuertimur. Tanta ergo ſolicitudine vult, vt peccatores conuertantur per pœnitentiam ad Dominum, quanta per diuerſa peccata receſſerunt ab eo: de quo ſuperius plura diximus. Sup.cap.1. num.49 & cap 9. nu. 10. Et vt modum conuerſionis explicet, ſubdit ſtatim. *In die enim illa abjciet vir idola argenti ſui, & Idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum*. Vt ſciant, qui per veram pœnitentiam conuertuntur, nihil eſſe Deo præferendum, quantumuis pretioſum, & magnum videatur: nec ſolum abjcienda eſſe Idola argenti & auri, ſed etiam quidquid legi diuinæ contrariatur. Idolũ ſuũ facit creaturã, q peccat mortaliter. Si enim propter aliquam creaturam præcepta Dei tranſgredimur, Idolum noſtrum eam facimus, dum peccando, à Deo auertimur, & in illa finem vltimum conſtituimus. Expendantur illa verba *argenti ſui, & auri*

*ſui*, non enim dixit abijciet vir Idola argenti, ſed addidit, *ſui*, vt confundat eos, qui, cum debuiſſent domini eſſe argēti ſui, & omnium aliarum diuitiarum, de quibus dicit Propheta: *omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi*, earum tamen per inordinatam concupiſcētiam & vſum efficiuntur ſerui: ita vt non iā homo ſit Dominus auri, & argenti, ſed aurum ipſum & argentum dominetur homini, eodem Propheta dicente: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*. Sicut ergo apparet homo effœminatus & vilis, quando cor illius poſſidetur a diuitijs, atque ſubijcitur eis: ita oſtendit ſe ipſum verè hominem & virum, cum omnia tenet ſubiecta, ſub pedibus ſuis, & à ſe ipſo abijcit quæ ſunt illi in ſcandalum, & opere adimplet illud Domini præceptum. *Si autē manus tua vel pes tuus ſcandalizat te: abſcinde eū & proijce abs te. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum eſt tibi vnum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. Vir ergo abijcit Idola argenti ſui & auri ſui, qui tanquam fœmina, vel puer illa ſibi fecerat in peccatum. Vatablus, pro, *quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum*. Vertit, *quæ fecerant vobis ſceleratæ manus veſtræ*, innuens immane ſcelus eſſe argentum Dei & aurum, in cultum conuertere Idolorum.

*Pſal.8.b*

Homo efficitur ſeruus ſuarū rerum per inordinatum vſum earum.

*Pſ.75.a*

*Mat.18 a*

7 *Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non a facie gladij*: Iam ſupra adnotauimus, quod vbicumque Prophetæ ſub aliquo typo, quæ futura ſunt in ſtatu legis Euangelicæ, aut in vltimis temporibus denunciant, ad vtrumque flectendi ſunt oculi, videlicet & ad ipſum typum, & ad rem, quam obumbrat: multoties enim ab vno tranſeunt ad aliud. Cum ergo per excidium Regis Aſſyriorum, tanquam per typum, vltimam reproborū vaſtitatem deſignet, explicat iā Propheta, qualiter Rex ipſe Aſſyriorū, & exercitus eius repente ceciderit. Non enim in armis bellicis, non in humano robore, vel auxilio (quæ omnia gladium viri appellare licet) peribit ille hoſtis populi Iſraelitici: ſed diuina potentia atque inuiſibili gladio, quo, vt ſacra narrat hiſtoria, vna nocte a deuaſtāte Angelo centum octoginta quinque millia virorum ceciderunt. Ideo ergo inquit. *Cadet gladio non viri*, quia gladio Angeli corruit exercitus eius. Vatablus, vbi nos legimus, *& fugiet a facie gladij*, transfert. *Et fugam ſibi conſulet a gladio, ideſt, ab extento enſe Angeli*. Si vero verba hæc ad Chriſtum referantur, qui gladio ſpiritus, hoc eſt prædicatione Euangelica, nationes Deo patri ſubegit, tunc ſenſus eſt: Cadent gentes, & ſubijcientur Euangelio homines ſuperbi, conuicti non gladio materiali, non armorum ſtrepitu, quia ſicut dictum eſt ſupra: *non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium*, ſed efficacia verbi diuini, *Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Sequitur. *Et iuuenes eius vectigales erunt*. Pagninus. *Et iuuenes eius diſſoluti erunt*. Vatablus. *Et electi eius vectigales erunt, ideſt,*

*4. Reg. 19.f*

Verbi diuini efficacia.

*Iſaiæ 2.*

*Heb. 4.*

iuuenes



*iuuenes eius in liquefactionem erūt, vel animis deſtituentur*. Pro, vectigales, habetur, Chald. *occiſi*. Et apud Septuag. *victi*. Hoc referunt multi expoſitores ad iuuenes, ideſt, ad fortiſſimos Iſrael, qui primū capti à Chaldæis, deinde à Medis, & Perſis, qui Regnū Chaldæorū expugnarunt, vectigalia illis ſeu tributa ſoluebant, & ad eos, qui imminēte captiuitate perierunt. Poſſunt etiam ad eos referri, qui, Euāgelica fide ſuſcepta, Chriſto ſubiecti ſunt, & Apoſtolis. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione Septu. virorum, quæ ſic habet. *Et iuuenes erunt victi, ſeu præda*. Nam Chriſtus Dominus, de quo prædixerat ſupra: *Voca nomen eius accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari*, prædā, quam iniuſte princeps huius ſæculi tenebat captiuam, tanquam fortiſſimus præliator deprædat⁹ eſt. de quo plura dicta ſunt cap. 8. num. 6. & cap. 9. num. 10. Vbi obſerua, quod, vt notauit Greg. *Scriptura ſacra ſæpe adoleſcentiam pro nouitate vitæ ponere conſueuit. Vnde venienti Sponſo dicitur. Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis, ideſt electorum animæ gratia baptiſmatis renouatæ, quæ non in vitæ veteris vſu deficiūt, ſed noui hominis conuerſatione decorantur. Senectutem quippe veteris hominis inter vitia tabeſcentem deflebat ille, qui ait: Inueteraui inter omnes inimicos meos. Ecōtrario alios gaudere in virtutibus admonet dicens. Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Ac ſi diceret, fortis quiſque gaudeat in renouatione ſua, ideſt, lætitiam ſuam non in vitæ veteris voluptate, ſed in conuerſationis nouæ virtute conſtituat*. Qui ergo ſpirituale robur acceperint, Deo per gratitudinem tributa ſoluent, dicentes. *Tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*. ſequitur.

*Iſai.8.a*

Greg. 24. moral. 4.

*Cant. 1.*

*Pſal.6.b*

*Eccleſ. 11.c*

*1.Paralip.29.d*

8 *Et fortitudo eius à terrore trāſibit, & pauebunt fugientes*. Pagninus. *Et ad arcem ſuam præ timore tranſibit*. Sic etiam vertit Vatablus. Senſus eſt quod inimici Domini quantumuis fortiſsimi, attoniti & territi ad munitiſsimas petras confugient, tanta trepidatione commoti, quanta ſi eos perſequerentur hoſtium agmina: Hoc autem fuit adimpletum, cum per Angelum debellauit Dominus Aſſyriorum exercitum. Cum enim multi præ timore fugere attentarent, decem tantum viros, ſicut tradunt Hebræi, ex tam numeroſo exercitu euaſiſſe creditur. Quod ſi hæc referas ad diem illum, in qua Dominus armabit creaturam ad vltionem inimicorum, inuenies, ex tam innumerabili hominum multitudine pauciſsimos, ideſt electos, vix ſaluari. Impij ergo & peccatores vbi parebunt? Et ne quis exiſtimet minus vera eſſe, quæ prædixit, ſubdit, Dominum, qui non mentitur, denunciaſſe illa. Ait enim: *Dixit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Hieruſalem*, obſignans prophetiam auctoritate Domini, qui fallere nequit, nec falli. Quidam autem per ignem intelligunt altare holocauſtorum, eo quod in illo cremabantur ſacrificia. Alij hæc referūt ad poteſtatem Eccleſiæ, quæ relapſos conſueuit tradere igni, vt ſciant Hæretici, non ſolum eſſe in Eccleſia ſpiritualem gladium, quo per ſententiam excommunicationis membra putrida præſcindantur, ſed etiam ignem, quo, ſi oportuerit, reſoluantur. Poteſt etiam per ignem intelligi iudicium Eccleſiæ, in quo tanquam aurum in fornace probatur

Angelus omnes milites Aſſyriorum occidit, decē exceptis.

Hæretici relapſi igne comburuntur.

vera

vera & Catholica doctrina, atque adulterina dogmata, velut paleæ conſumuntur. Eſt enim Summus Pontifex, cui iure diuino competit diſcernere inter lepram & lepram, atque ab auro ſanæ doctrinę, ſcoriam & ſtannum errorum ſeparare, ſecundum illud quod ſuperius prædixerat. *Et excoquam ad purum ſcoriam tuam: auferam omne ſtannum tuum.* Vnde ad Romanum Pontificem recurrere tenentur omnes fideles in dubijs, quæ circa fidem occurrunt, vt ab eo diſcant quid tenendum, quid vero reijciendum ſit, vt ex multis locis Scripturæ oſtenſum eſt. cap. 19. num. 20. Conſonat hæc explicatio tranſlationi Vatabli, qui ſic vertit: *Dicit Dominus cui lucerna fouetur in Sion, & caminus in Hieruſalem.* Septuaginta vero ſic tranſterunt: *Beatus qui habet in Sion ſemen, & domeſticos in Hieruſalem.* Quod referri poteſt ad eos, qui in Eccleſia triumphanti notos habent ſanctos ſibi olim domeſticos, & cognatos: eorum namque orationibus adiuti ad ipſorum peruenient ſocietatem, ſi tamen perſeuerauerint vſque in finem.

*Iſai. 1.*

Pontifex Romanus dubia reſoluit fidei.

# CAPVT XXXII.

1 ECCE in iuſtitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt. 2. Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento, & celat ſe à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerta. 3. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. 4. Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane. 5. Non vocabitur vltra is, qui inſipiens eſt, princeps: neque fraudulentus appellabitur maior: 6. 7. ſtultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat. Fraudulenti vaſa peſſima ſunt: ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in ſermone mendaci, cum loqueretur pauper iudicium. 8. 9. Princeps vero ea, quæ digna ſunt principe, cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit. 10. Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum. Poſt dies enim, & annum vos conturbabimini confidentes: conſummata eſt enim vindemia, collectio vltra non veniet. Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, & confundimini, accingite lumbos veſtros. Super vbera plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili. 11. 12. Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent: quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis? 13. Domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt, tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas vſque in æternum. Gaudium onagrorum paſcua gregum, 14. donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo: 15. & erit deſertum in charmel, & charmel in ſaltum reputabitur. Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in charmel ſedebit. 16. Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium & ſecuritas vſque in ſempiternum. 17. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. 18. Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabitur ciuitas. 19. 20. 21. 22. Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bouis & aſini.



## SVMMA CAPITIS.

*VT iam pluries in ſuperioribus obſeruauimus, ſcopus potiſſimus Iſaiæ, eſt Chriſti myſteria, atque Eccleſiæ Catholicæ denuntiare. Vnde cum ad alia vaticinanda ſe transfert, ſtatim reuertitur ad Chriſtum, & ſermonem eius inſerit. Cum ergo in præcedentibus mala prædixerit euentura Iudæis diffidentibus, atque ad auxilium confugientibus Aegypti: conſequenter in hoc capite, ad electorum ſolatium verbum facit de aduentu Chriſti, ac de regno eius, necnon de Apoſtolorum prædicatione.*

*Circa quod; Primò multa prædicit de regno Chriſti, in principio capitis. Occaſione cuius quatuor conſtituit proprietates veri principis, oſtendens eas in Chriſto Domino maximè ſplenduiſſe.*

*Secundò, denuntiat Apoſtolos, licet alioqui balbutientes, & ignaros cæleſti ſcientia atque doctrina, Spiritu ſancto adueniente, imbuendos eſſe. Verſiculo;* Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam.

*Tertiò, contraponit Apoſtolis impios & ſtultos, eorum deſcribens proprietates, qui Euangelicæ prædicationi obſtiterunt. Verſiculo.* Stultus enim fatua loquitur.

*Quartò, declarat in quibus negotijs debeat princeps occupari, oſtenditque non decere principem, quod relictis maioribus regni negotijs, in minimis occupetur. Verſiculo.* Princeps vero ea quæ digna ſunt principe cogitabit.

*Hinc*

*Hinc quintò loco ſe transfert ad duram quandam prophetiam, contra mulieres opulentas populi Iſraelitici, quas in captiuitatem ducendas fere denuntiat. Verſiculo.* Mulieres opulentæ ſurgite. *Et occaſione huius mirificè deſcribit vaſtam ſolitudinem, in quam vertendæ erant poſt captiuitatem, ciuitates opulentæ, vineæ, & pomaria fructifera & delitioſa. Verſiculo.* Super humum populi mei ſpinæ: *Et Verſiculo.* Domus enim dimiſſa eſt.

*Sextò, reuertitur ad nuntiandum læta, & tangit conuerſionem futuram Iudæorum in fine ſæculi. Verſiculo.* Et erit deſertum in Charmel. *Vbi conſequenter agit de præmio electis reſeruato in die iudicij. Verſiculo.* Et erit opus iuſtitiæ pax. *Ac de vltimo ſupplicio, quo afficientur reprobi. Verſiculo.* Grando autem in deſcenſione ſaltus.

*In vltima parte huius cap. Quoniam ſermonem fecerat de Apoſtolis, ac de eorum prædicatione: aſſignat modum, quem in prædicatione Euangelij Apoſtoli obſeruauerunt, quem & ſeruare debent viri Apoſtolici. Verſiculo.* Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas.

---

## COMMENTARIVM.

1 ECCE *in iuſtitia regnabit Rex: & principes in iudicio præerunt.* Hebræi, quæ in hoc cap. dicũtur, tribuunt Ezechiæ, quo regnante deſtructus eſt Sennacherib, & exercitus eius: ac filij Iſrael vixerunt pacificè. Veruntamen, ſi diligenter inſpiciatur litera, apparebit, hæc non fuiſſe plenè ſub Ezechia impleta, niſi hyperbolicè exponantur multa. Nam quæ iuſtitia? quæ pax? quæ veritas illa fuit Ezechiæ, ſi ad iuſtitiam, pacem, & veritatem Chriſti, qui in pectoribus fidelium ſuorum regnat, & tranquillas reddit conſcientias eorum, conferatur? Sicut ergo in pſalmo, ſub nomine Salomonis deſcribitur Regnum Chriſti, & ſtatus Eccleſiæ Catholicæ: ita in præſenti Spiritus ſanctus alludens ad hiſtoriam regni Ezechiæ, regnum Chriſti Domini deſcribit, & conſtituit quatuor proprietates veri principis, quæ in Chriſto Domino ſplendent maximè. Prima eſt quod Rex ipſe iuſtus ſit, & iuſtitiæ amator, & iuxta regulas iuſtitiæ ius ſuum vnicuique reddat: Chriſtus autem non ſolum iuſtus eſt, ſed & iuſtitia ipſa, ſecundum illud quod dicit Apoſtol. *Factus eſt nobis iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Hinc & Hieremias iuſtitiam eius commendans ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Et poſt pauca: *Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Ipſe eſt, de quo prædictum eſt ſupra: *Et iudicabit in iuſtitia pauperes: & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* Secunda conditio eſt, quod iuſtus Rex habeat & ſubditos principes iuſtè iudicantes, abſque munerum ac perſonarũ acceptione: quales Chriſtus habuit Apoſtolos, quibus dedit,

*Pſal. 71*

Principis quatuor cõditiones

*1. Cor. 1. d*

*Hiere. 23. a*

Xps Rex iuſtus.

*Ibid. b*

*Iſai. 11. nu. 7. & 8.*





poteſtatem ligandi atque ſoluendi. Præſint ergo in iudicio Principes in perſona propria, nec velint omnia per delegatos iudices exercere. Agnoſcant ergo Epiſcopi vultum pecoris ſui, & velut Principes fideles propriũ munus per ſe ipſos exerceant, gregem ſuum docendo, admonendo, viſitando, & iuſte iudicando. Imitentur Apoſtolum, qui cũ lacrymis filios ſuos monebat; exequantur illud quod ſcribens ad Timotheũ præcipit, dicens. *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Qui enim volunt ſibi honorem, & onera relinquunt alijs, non veri principes & paſtores, ſed mercenarij ſunt. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione Pagnini. *Ecce ad iuſtitiam faciendam regnabit rex.* Ideſt, non debet rex hoc fine regnare, vt ſuam perquirat excellentiam, ſed vt ſeruet iuſtitiam, & ſubditos in virtute contineat. Tertiam conditionem Regis ſtatuit, quod videlicet in aduerſitate ſit refugium & protector omnium ſubditorum, vnde & ſubdit.

Epiſcopi per ſeipſos ſua munia exerceant.

*2. Tim. 4 a*

2 *Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento, & celat ſe à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerta.* Per ventum, tempeſtatem, ſitim, & terram deſertam, varias aduerſitates intelligit, & tribulationes populi. Vrgetur à vento, qui iniuſtè perſecutionẽ patitur ab alio: à tẽpeſtate obruitur, qui præ timore tabeſcit: ſiti perit, & æſtu, qui immoderatis laboribus affligitur. In his ergo & conſimilibus malis debet Rex ſanctus ſeipſum exhibere populo in abſconſionem & latibulum, in adiutorium & refrigerium, ſicut ſunt riui aquarũ ſitiẽti, & vmbra petræ prominentis æſtuanti in terra deſerta. Talis fuit Chriſtus Dominus verus Rex & Sacerdos. Nã ſicut dictũ eſt ſupra dilectis ſuis eſt *in vmbraculũ diei ab æſtu, & in ſecuritatẽ & abſconſionẽ à turbine & à pluuia:* ipſe eſt de quo dicit Propheta. *Expectabam eum, qui ſaluũ me fecit a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate,* ipſe eſt, qui verbo virtutis ſuæ tempeſtatem maris ſedat, ipſe eſt fons aquarum, ad quem cerui ſitiũt, hoc eſt ſpirituales viri, qui curſu velociſsimo vniuerſas creaturas tranſcurrunt, & in ſolum Deum oculos mentis infigunt: ipſe deniq; eſt petra eminẽs in Eccleſia, ſub cuius vmbra requieſcit ſponſa, ſecundum illud Canticorum, *Sub vmbra illius quem deſiderauerā ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et rurſus per Prophetam dicitur: *Scapulis ſuis obumbrauit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.* Vtrumque enim ſperant electi, à Domino, & fructus, & vmbrã, qua defendatur ab æſtu cõcupiſcentiæ carnalis, quia petra prominens eſt, quã lapis ille ſignabat, quẽ tollens ſanctus Patriarcha Iacob erexit in titulum, vt ſpiritualem petram in cruce erectam & eleuatã conſideres, & ad ipſam in æſtu cuiuſcumque tentationis confugias. Et quoniã petra iſta prominens non eſt ſterilis, ſed fœcunda, fructus etiã ab ipſa percipiũtur, vt verax inuenia tur qui dixit: *Vt ſugeret mel de petra: oleumq; de ſaxo duriſſimo.* Hinc collige, quanta ſecuritate gaudeant qui ad Chriſtum confugiunt, & ſacra myſteria redemptionis contemplantur: Sicut enim quieſcens ſub tecto tempore hyemis aut tempeſtatis in nullo læditur: ita etiam qui proteguntur à Domino, non offendentur à diabolo: & ſicut viatores longo itinere fatigati, cum ad fontem peruenerint, ſitim extingunt, &

Chriſt' refugium noſtrũ in omni aduerſitate *

*Iſa. 4. a*

*Pſ. 54. b*

*Cant. 2. a*

*Pſ. 90. a*

*Gen. 28. & 31.*

*Deut. 32. b*

Simile.

ſolatium inueniunt, ita electi omniũ ſpiritualium bonorum ſuauitatem degustãt in Chriſto, tanquam in fonte peremni. Conſonat hæc explicatio tranſlationi Pagnini, videlicet. *Et erit vir ille ſicut latibulum à vẽto, & ſicut latibulum à turbine, ſicut riui aquarũ in deſerto.* Et tranſl. Vatablus. *Et erit vir ille vice latibuli à vento, & vice receptus à nimbo.* Vbi relatiuum *ille* habet emphaſim, & deſignat Chriſtum, qui per antonomaſiam eſt vir: quoniam robuſtus & fortiſſimus, vt ab omni periculo ſuos defendat.

4. cõditio.

Principis ſapientia qualis *

3 *Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligẽter auſcultabunt.* Conſtituit quartam conditionem Regis: debet enim eſſe tanta prudentia & ſapientia præditus, vt omnes ſubditi pendeant ab ore eius, & libentiſsime audiant illum. Sic audiebant Iob loquentem omnes habitatores terræ ſuæ. Ait enim. *In platea parabant cathedram mihi, videbant iuuenes, & abſcondebantur: & ſenes aſſurgentes ſtabant, Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo: vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat, auris audiens beatificabat me, & oculus videns, teſtimonium reddebat mihi.* In laudem quoque Regis Salomonis, videns omnem ſapientiam eius, hæc dixit ſtupefacta Regina Saba. *Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit; maior eſt ſapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audiui, Beati viri tui & Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam.* Nõ admiratur diuitias eius, non magnitudinem regni eius, ſed ſapientiam, & prudentiam, quæ ad rectè iudicãdum eſt in Principe maxime neceſſaria. Vnde & Dominus ad Moyſen loquens, ait. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, & duces eos ad oſtiũ tabernaculi fœderis, faciesq; ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecũ onus populi, & non tu ſolus graueris.* In *quibus vtique ſenioribus quid aliud* (vt ait Gregorius) *quam ſenectus cordis requiritur, cum tales iubentur eligi, qui ſenes eſſe ſciantur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, à tantis ſciri poterant, à quantis videri. Dum vero dicitur: Quos tu noſti quod ſenes populi ſunt, profecto liquet, quia ſenectus mentis non corporis eligenda nunciatur.* Videlicet vitæ integritas, ſapiẽtia, & prudentia, quæ propter longam experientiam in ſenioribus eſſe conſueuit Spiritu ſancto atteſtante: *quoniam in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Talis fuit Chriſtus Regum omnium ſapientiſsimus & in iudicijs ferẽdis prudẽtiſsimus. Talem ſe exhibuit, dum acceſſerũt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Omnes pendebant ab ore eius. Admirabantur omnes in doctrina & reſponſis eius. Tales & diſcipulos habuit, qui tanquam oues

Iob. 29. b

3. Reg. 10. a

Num. 11. a

Greg. 19. moral. cap. 11.

Senectus, mentis non corporis attendenda.

Iob. 12. d

Mat. 5. a



oues vocem paſtoris ſui agnouerunt, & ſequebantur eum, nec potuerunt etiam metu mortis ab illo ſeparari, nec mirum. Habebat enim verba vitæ. Vnde ipſo dicente ad diſcipulos. *Nunquid & vos vultis abire? reſpõdit Petrus. Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Non ergo caligauerunt oculi eorum, qui ſecuti ſunt Dominum, non fuerunt cęci, non velamine legis operti, ſed reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eius imaginem transformati ſunt. Vatablus vertit. *Non allucinabantur oculi videntium* ideſt, non erunt ſicut Iudæi increduli, qui in lumine excæcati ſunt, & in ipſa veritate allucinati: ſed vere cognoſcent Dominum, ſubditur enim.

Ioan. 6. g

4 *Et cor ſtultorũ intelliget ſciẽtiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane.* Pagninus. *Et lingua balborum feſtinabit loqui nitida.* Vatablus. *Et lingua balborum feſtinabit loqui candida.* Quidquid dicant Iudęi, & pertinaciter Iudaizãtes, hæc non poſſunt intelligi de regno Ezechiæ, nec de ſubiectis imperio illius. Quis enim ſignare poterit ſtultos illius ætatis, qui ſcientiam intellexerint; aut balbos, qui velociter loquuti fuerint, & plane? intelligenda ergo ſunt ad literã de Apoſtolis, ac de Chriſti fidelibus, de quibus prę dixerat ſupra. *Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.* Elegit Dominus quę ſtulta ſũt huius mundi, vt confundat philoſophorum ſapientiam: vocauit piſcatores, & pauperes, de quibus dicit Apoſtolus. *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem ſapientes in Chriſto.* & poſt pauca: *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium perypſema vſque adhuc.* His ergo datum eſt intelligere ſcientiam, quando repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, qui docuit eos omnem veritatem, quando cęperũt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Ideo in ſtuporẽ adducebãtur omnes nationes audiẽtes ignaros homines, & balbos linguis ſuis velociter loqui & plane. Vnde & dicebant. *Nonne ecce omnes iſti, qui loquũtur, Galilæi ſunt, & quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtrã in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes, quid nam vult hoc eſſe? Alij autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti.* Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione 70. ſeniorum, qui præſentem locum ſic vertunt. *Et cor infirmorum attendet audire, & linguæ balbutientium cito diſcent loqui pacem.* Infirmi erant Apoſtoli, & cæteri diſcipuli, cum, foribus clauſis, erant congregati propter metum Iudæorum. infirmum ſe eſſe oſtendit Petrus Apoſtolus, cum ad vocem vnius mulierculæ, Chriſtum cum iuramento negauit: ſimiliter & Ioannes, & cæteri, antequam induerentur virtute ex alto, neſciebant loqui magnalia Dei, quoniam non intelligebant, quæ dicebantur. Prædixit illis Dominus patẽter & clare paſsionem ſuam, mortẽ, & reſurrectionem, *Ecce* (inquiens) *aſcendimus Ieroſolymã, & conſummabũtur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis,*

Iſai. 29. e

Spiritu sãcto repleti ſimplices Apoſtoli loquebãt diſerte.

1. Cor. 4. b

Act. 2. a

Ioan. 20 e

Mat. 18 f

*hominis, tradetur enim gentibus & illudetur & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebãtur.* At cum *factus eſt de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis*, repente etiam adimpleuit intellectu Spiritus ſanctus corda eorum, & accipiẽtes à Deo donum linguarum inuiſibile, ſub viſibilibus linguis igneis, cito didicerunt loqui varijs linguis pacem, & Chriſtũ, qui eſt pax noſtra, conſtanter prædicare.

*Act. 2.*

Spiritus sãctus docuit Apoſtolos.

Vbi obſerua, quod prius cor Apoſtolorum attendit audire, & poſtea eorum linguæ loquebantur pacem, vt ſciamus quod prius in ſilentio atque in ſecreto cordis debemus diſcere attente, & audire, quæ poſtmodum alijs in publico loqui volumus.

Prædicator diſcat priuſquam alios doceat.

Expendatur illud aduerbium, *plane*, quo etiam admonentur prædicatores Euangelij, vt planè & ſine ambagibus annuncient veritatem, & verbis apertis confiteantur Chriſtum etiam cũ periculo mortis, ac deniq; patenter & conſtanti animo publica & ſcandaloſa arguant peccata, imitantes præcurſorem Domini, qui clare ac manifeſte dixit Herodi. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

*Marc. 6 e*

Velociter & plane loquebantur pacem, & Chriſtum regem confitebantur Magi illi inuictiſſimi, qui omni propulſata trepidatione, *ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorũ? vidimus enim ſtellam eius in Oriẽte & venimus adorare eum.* Vide quã velociter loquantur de Chriſto, quã intrepide fateantur ipſum regem eſſe Iudæorum, & qualiter confundant incredulitatem eorum, & duritiem, qui dixerunt Pilato. *Noli ſcribere rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit. Rex ſum Iudæorum.*

Magi velociter & plane confeſſi ſunt Chriſtum *Matt. 2.*

*Ioã. 19. d*

5 *Non vocabitur vltra is, qui inſipiens eſt, Princeps, neque fraudulentus appellabitur maior.* Vocari, in ſacris literis multoties idem ſignificat quod, eligi, aut etiam in dignitate aliqua collocari: ſicut ad Hebreos 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorẽ, ſed qui vocatur à Deo tanquã Aarõ.* & apud Iſaiam, *vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius.*

Vocari est eligi.

*Heb. 5. a*

*Iſa. 22. f*

Illud autẽ nomen, *maior*, non accipitur in præſenti generaliter, vt ſignificat maiorem comparatiue ad minorem, ſed ſpecialiter, vt eſt nomen dignitatis, ſecundum quod apud nonnullos & potiſsime apud Camaldulenſes, qui præeſt alijs ſpeciali vocabulo officij dicitur Maior; ſicut in ordine noſtro prælatus conuentus dicitur Prior.

Maior est nomen officij.

Tales ergo, inquit, conſtituet Dominus ſuper Eccleſiam Principes, tales & paſtores eliget, atque doctores, qui ſapientes ſint, & prudentes, atque vitæ claritate conſpicui. Magnificabat olim Synagoga Scribas, & Phariſæos, & in magno pretio habebantur: appellabantur maiores & magiſtri, ſedebant ſuper cathedram Moyſi, cum tamen inſipientes eſſent, atque omni iniquitate repleti: at in regno Chriſti, & in Eccleſia Catholica pro nihilo reputabuntur, qui eiuſmodi ſunt, nec erunt Principes, nec appellabuntur maiores. Scriptum eſt enim. *Qui ſoluerit vnum de mãdatis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Conſonat

Prælati Eccleſiæ ſapiẽtes erũt

*Mat. 5. e*

ſonat



ſonat hęc explicatio cum translatione 70. interpretum, quæ ſic habet. *Et non vltra dicent ſtulto, vt princeps ſit: & non vltra dicent miniſtri tui, tace*, ideſt, non eligetur vltra, neque creabitur ſtultus in principem: non dicetur illi, eſto princeps noſter, neque miniſtri principis dicent alicui per iniuriam, tace. Videtur Propheta his verbis tacite reprehendere audaciam ſacrilegam illius, de quo dicitur Ioan. 18. *Vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, ſic reſpondes Pontifici?* tales enim põtifices tales habuerunt miniſtros, qui regem ſuum auderent collaphizare, & dicere illi, tace. Sic reſpondes? In textu Hebraico, vbi nos habemus inſipiens, ſcribitur vox *Nabal*, & vbi nos legimus fraudulentus ponitur vox *Nadib*. Nabal autem ſignificat non qualẽcumque ſtultum aut inſipientem, ſed talem in quo ſimul ſtultitia cum impietate coniũgitur.

Nabal ſignificat ſtultũ impium.

Sic accipitur Deuteronomij 32 Cum dicitur, *hæccine reddis domino popule ſtulte, & inſipiens?* & paulo inferius. *In gente ſtulta irritabo eos:* & Iob. *Quaſi vna de ſtultis loquuta es*, & pſal. 12 *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* In quibus locis habetur in Hebræo prædicta vox, *Nabal*,. Vox autem, *Nadib*, proprie ſignificat voluntarium & liberalem. Deſignatque liberalitatem & magnificentiam voluntariam maxime cõgruere principibus, id quod in Chriſto Domino ſplẽdet maxime, qui pro nobis ſeipſum tradidit, qui Spiritum ſanctum ſuum de cœlo miſit, qui ſectatoribus ſuis cœleſtia, & æterna repromiſit. Vt autem explicet qualitates inſipiẽtium, ſubdit.

*Deut. 32. a*

*Ibid. b*

*Iob. 2. c*

*Pſ. 13. a*

Chriſti liberalitas.

6 *Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat.* Deſcribit his verbis impiorum mores, ac ſtultorum proprietates: primũ enim fatua loquũtur atque indigna homine mentis compote. Dicit enim Sapiens. *Os fatuorum ebullit ſtultitiam.* Quia, cum ſit cor impij quaſi mare feruẽs, quod quieſcere non poteſt, neceſſe eſt, vt ſtultitiam, quam intus habet, per os ebulliat, & fatua verba depromat.

Impiorum & ſtultorũ proprietates.

*Prou. 15*

Talia loquebantur Phariſæi, & Scribæ, quos ſpecialiter tangit præſens prophetia. Dicebant enim Creatori ſuo. *Demonium habes.* Et iterum, *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non põt ſaluum facere.* & rurſus. *Ecce homo vorax & potator vini, Publicanorũ & peccatorum amicus.*

*Mat. 27 e*

*Mat. 11*

Secundo mala cogitant in cordibus ſuis, & cum exterius appareant rudes, & ſimplices, atque ad mala perpetrandum inepti, intus pleni ſunt malitia, & dolo. Hi nimirum, cum mel habeãt in ore, fel tamen, & venenum aſpidum nutriunt in corde: de quibus dicit Propheta. *Qui loquuntur pacem cũ proximo ſuo, mala autem in cordib. eorum.* Nec illis ſufficit, alios homines ſimulate decipere, ſed contra Deum ipſum fraudes machinãtur audacter.

*Pſal. 27. l*

Tales fuerunt Phariſæi, atque eorum diſcipuli, qui abeuntes *conſilium inierunt, vt caperẽt Ieſum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cũ Herodianis, dicẽtes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: nõ enim reſpicis perſonam hominum. Dic nobis, quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus nequitia eorum, ait. Quid me tentatis hypocritæ?* Vide quam fraudulenter loquebantur ad Dominum, ſimplici-

Phariſæorum fraudes.

*Mat. 22 b*

L tatem

tatem ſimulantes exterius, & deſiderium addiſcendi veritatem: & tamen diſcere nolebant, ſed Chriſtum capere in ſermone, propter quod eos multoties arguebat Dominus, dicẽs *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et vt oſtenderet ſe tanquam verum Deum ſcire cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt, ad ea quæ moliebantur in corde, potius, quam ad verba exteriora reſpõdebat.

Xp̃s potius cogitationib⁹ reſpõdebat quã verbis.

His ſimiles ſunt hæretici, qui omnibus dolis & malignitatibus, aduerſus Eccleſiam & fidem Catholicã inſurgunt: venientes exterius *in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*: & cum fatua loquantur & ſtulta, tumultibus volunt & fraudibus ea ſimplicioribus perſuadere. Quibus illud competit Pſalmiſtæ. *Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuũ, vt deÿciant pauperem, & inopem: vt trucident rectos corde*, ideſt vt fidem diuidant, & vnitatem Eccleſiæ ſcindant.

Mat. 7. c

Hæreticorũ fraudes, & doli.

Pſ. 36. b

Sed gladius eorum intrabit in corda ipſorum, quoniam perſecutores Eccleſiæ, corpus electorum occidere poſſunt, ſed non ſpiritum, & trucidantes aliorum corpora, ſuam ipſi perimunt animam. intrat gladius in corpus Martyrum, ſed corda perſecutorum transfigit. Vnde Auguſtinus ait: *Deſipiunt, contra ſe ſæuiunt, inſaniunt, non ſe vident, tanquam ſi vellet aliquis per corpus ſuũ ferrum traÿcere, vt concideret tunicam alterius. Attendis qua perueniſti, & non attendis qua traieciſti. Illius concidiſti veſtem, tuam carnẽ. Conſtat ergo plus eſſe quod ſe lædunt, & quod ſibi nocent, quam quod ſibi videntur nocere illis, quos oderunt. Framea ergo eorum intret in cor ipſorum. Sententia Domini eſt, aliter fieri non poteſt. Arcus eorum conteratur. Quid eſt arcus eorum conteratur?* Inſidiæ eorum fruſtrentur. *Superius enim dixerat, gladium eduxerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum. Gladÿ eductionem, intelligi voluit apertam oppugnationem: arcus autem intenſionem, occultas inſidias intelligi voluit. Ecce gladius eius peremit eum & diſpoſitio inſidiarum eius fruſtatur. Quid eſt fruſtratur? Nihil nocet iuſto. Quomodo ergo nihil ei nocuit, verbi gratia, quem ſic exſpoliauit, cui tollendo res ſuas, ad anguſtias perduxit? Habet quod cantet. Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Sed potentes, inquit, & multa faciunt, & ſuppetit eis rerum effectus, agendi celeritas, iuſſionum obedientia ſequitur. Numquid ſemper ſic? Quoniam brachia peccatorum conterentur. Brachia ergo eorum, potentia eorum. Quid facturus eſt in gehenna? An quod fecit ille diues, qui apud ſuperos epulabatur, apud inferos torquebatur? Brachia ergo eorum conterentur. Confirmat autem iuſtos Dominus.*

Aug. concione 2. ſuper eunde pſal.

Hæreticorũ iacula in corda eorum vertuntur.

Martyrib⁹ nihil nocuerunt perſecutores.

Quod ergo vnus propheta explicuit illis verbis: *Vt decipiant pauperem, & inopẽ, & trucident rectos corde*: Hoc alius deſignauit cum dixit. *Vt vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat.* Eſt enim quædam fames & eſt quædam ſitis: non fames panis nec ſitis aquæ, ſed audiendi verbum Dei, & cognoſcendi veritatem. Qui ergo pro doctrina Catholica, falſa dogmata ſupponit inquirenti veritatem, animam eius vacuam efficit, & ſitienti potum aquæ cœleſtis doctrinæ aufert. Sicut explicat gloſſa interlinealis. Poſſunt etiã hæc verba ſic interpretari, vt ſignificent famem & ſitim, quam Chriſtus habuit ſalu-

Xp̃i fames & ſitis ſalutis nr̃æ.





tis noſtræ, ſecundum illud quod dixit diſcipulis. *Ego cibum habeo manducare, quẽ vos neſcitis. Meus cibus eſt vt faciã voluntatẽ eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Quem locum explicans B. Chryſoſtomus. ait. *Hominum ſalutem hic cibum vocauit, oſtendens quantum deſideriũ habet noſtræ ſalutis. ſicut enim nobis concupiſcibile eſt comedere, ita ei ſaluare nos.* Addidit autem, *quem vos neſcitis*, vt admoneret eos non de corporali cibo ſe loqui; ſed de ſpirituali: ſicut etiam de ſpirituali aqua ſermonem fecerat cum muliere, & tamen illi hunc cibum non cognouerunt. Dicebant enim ad inuicem. *Numquid aliquis attulit ei manducare? Quid mirum* (Ait Aug.) *ſi mulier illa non intelligat aquam? Ecce diſcipuli nõ intelligunt eſcam.*

Ioã. 4. d

Chriſoſt. hom. 33. in Ioa. to. 2.

Luc. 4. d

Aug. trac. 15. in Io. tom. 9.

Qui ergo ſeducit populum ne credat in Chriſtum, qui auertit cor ſimplicium, ne adimpleat præcepta eius, vacuam quantum in ſe eſt efficit quodammodo animam Saluatoris, & potum deſiderabilem eidem aufert ſitienti. Ex quibus collige, quanta ſit erga nos Dei benignitas, quanta, miſericordia & dilectio, qua nos diligit anima Verbi incarnati, cum ſe reputet vacuam eſſe, niſi ſalute hominum proſperetur. Non reuertetur (inquit) ad me vacuum, ſed faciet quęcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. De quo ſupra plura dicta ſunt. Poteſt denique hic locus referri ad Chriſtum Dominum pendentem in cruce, cui dicenti, *ſitio*, Iudæi immiſericordes abſtulerunt potum, qui ſitim eius extingueret, & obtulerunt ei per irriſionem ad ignominiam eius *myrrhatum vinum*.

Iſa. 55. d

Sup. ca. 30. nu. 28.

7 *Fraudulẽti vaſa peſſima ſunt, ipſe enim cogitationes cõcinnauit ad perdendos mites in ſermone mendaci, cum loqueretur pauper iudicium.*

Explicat amplius, his verbis, id quod de ſtultis & inſipiẽtibus prædixerat, & amplificat immanitatem ſceleris eorum, ex qualitate perſonæ, contra quam inſurgunt. Indignius enim eſt, & atrocius circumuenire ſimplices, qui ſibi cauere non poſſunt, quã aſtutos & veteranos. Deinde opponuntur pauperi, cuius inopiæ potius ſuccurrendum erat. Tertio aduerſantur illi ĩ iudicio. Hoc enim eſt multo magis iniquũ, quam ſiquis hominẽ aperta vi adoriatur. Iudicium debet eſſe aſillum pauperi, & tamen inſipientium principum malitia accidit multoties, quod latrocinium, aut expoliatorium illius fiat ineuitabile: nam viæ à latronibus obſeſſæ atque inſidiæ ab ipſis paratæ aliqua ratione vitari poſſunt: at iudiciorum fraudes nullo modo. Notandæ ergo ſunt in hoc loco omnes iſtæ circumſtantiæ, nam maxime declarant Phariſæorum malitiam. Per *vaſa* intelligit conſilia, quibus impij contendunt ſimplices perdere. Gloſſa interlinealis explicat hoc de Phariſæis, & Sacerdotibus, qui cogitauerunt Chriſtum mitem, & pauperem occidere. Et conſonat hæc explicatio cum verbis illis Geneſis 49. *Simeon &, Leui, fratres: vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniet anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Quem locum latius explicuimus ſupra capitulo 3. numero 17. & capitulo 5. numero 6. Cum Chriſtus pauper loqueretur iudicium, cum prædiceret, *Nunc iudicium eſt mũdi, nunc princeps huius mundi*

Gen. 49. a

Ioan. 12

Ioan. 12

*eÿcietur foras, & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipsū.* Cum denuntiaret ſe iudicem eſſe viuorum, & mortuorum, cum dixiſſet in iudicio, Caipha pro tribunali ſedente: *ammodo videbitis filium hominis ſedentē a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*: tunc cogitabant quomodo eum damnarent, tunc *principes Sacerdotum, & omne cōcilium quærebant falſum teſtimonium contra Ipſum, vt eum morti traderent*, tunc clamabāt *reus eſt mortis, crucifigatur, crucifigatur*: & rurſus. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Vide quot calumnijs, & mendacijs, quot dolis & fraudibus conabantur circumuenire Chriſtum, & innocentem ad mortem condemnare. Explicatis autem fraudulentijs principum infidelium, & peruerſis eorum iudicijs, atque alijs operibus indignis regio diademate, denuntiat in quibus veri principes debeant occupari: Subditur enim.

Mat. 26 f

Mat. 27 c

Ioā. 19. b

8 *Princeps vero ea quæ digna ſunt principe cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit*, ideſt, ſe exercebit in illis miniſterijs, quę decēt principem, & continebit in pace duces ſibi inferiores, qui rempublicam gubernant. Nō enim expedit quod reges & principes & ſuperiores Eccleſiæ prælati ſe occupent in rebus minimis, quæ cōmode per inferiores miniſtros prouideri poſſunt, & expediri: quoniā per hæc impediuntur, ne alias grauiores cauſas, quæ vniuerſale bonum reſpiciunt, decidere valeant: Vnde & Apoſtoli *conuocantes multitudinem diſcipulorum dixerunt. Non eſt æquū nos derelinquere verbum* Dei *& miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Sedit *Moyſes, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam. Quod cum vidiſſet cognatus eius, omnia ſcilicet, quæ agebat in populo, ait: Quid eſt hoc quod facis in plebe? Cur ſolus ſedes & omnis populus præſtolatur de mane vſque ad veſperam? Cui reſpondit Moyſes, Venit ad me populus quærens ſententiam Dei. Cum acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges eius. At ille nō bonā, inquit, rem facis: ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte qui tecum eſt: Vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecū. Eſto tu populo in bis quæ ad Deū pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum; oſtendaſque populo cæremonias & ritum colēdi, viamquè per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & ceuturiones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicēt populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantūmodo iudicent, leuiuſque ſit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris ſuſtentare: & omnis bic populus reuertetur ad loca ſua cum pace. Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ illi ſuggeſſerat. Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & cēturiones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.* Ecce Moyſes, qui, vt ſcriptura inquit omnium hominū erat mitiſſimus, amicuſque Deo, & in externa philoſophia benè inſtitutus, & non minus ſpiritualium intelligentia inſignis, potens in verbo, & opere, alijſque virtutibus. Iethro autem ſocer eius homo erat alioquin barbarus & inſipiens, quique in ſolitudine vitam agebat. Vbi videt Moyſen quædam præter dignitatem facere, optimum præbet illi conſilium. Quod Moyſes cōſiderans, omni cum manſuetudine audiuit illum conſulentem, ac dicentem ſibi. *Fac tibi tribunos, centenarios, quinquagenarios; decanos, & ſi res aliqua grauior fuerit, referant ad te, ſin leuior, iudicent ipſi*: & tamen principes & ſuperiores prælati, qui nec in ſapientia, & prudentia, nec in ſanctitate vitæ & alijs virtutibus Moyſen imitantur, tam ſalutare conſilium ſuſcipere renuunt, & vana quadam curioſitate, ac labore ſtulto conſumuntur, dum in rebus minimis, quæ inferioribus miniſtris committi debuiſſent, tota die occupantur, & abſque vlla cauſa impedimentum præſtant ſibi ipſis, ne grauiora negotia expedire valeant. *Fili ne in multis ſint actus tui* (inquit Sapiens) quibus verbis, (vt notauit Aug.) admonentur homines, & præcipue principes, & prælati, ne mens eorum in multis diuidatur, nā vt inquit Gregorius, *impar quiſque inuenitur ad ſingula, dum confuſa mente diuiditur ad multa.*

Prælati ſuperiores res minimas committant inferioribus

Actor. 6 a

Exo. 16. a

Summo Pontifici reſeruantur grauiores Eccleſiæ cauſæ.





Ex Chryſoſt. hom. de ferēdis reprehenſionibus & cōuerſione Pauli. columna 3. tomo 3.

Nu. 12. a

Conſilium bonū etiā à barbaris recipiendum. *

Eccleſ. 11. d

Auguſt. li. 2. queſt. in Exod. tomo 4.

Gregorius in paſtorali.

9 Sicut ergo Moyſes prouidit de omni plebe viros potentes & timentes Deum, & conſtituit ex eis Tribunos, & Cēturiones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicarent communes cauſas populi, alias verò grauiores reſeruauit ſibi, ita Romanus Pontifex, qui eſt caput vniuerſalis Eccleſiæ Catholicæ, cum per ſe ipſum non poſſit omnia fidelium negotia expedire, prouidet viros potētes & timentes Deum, qui ament veritatem, & odio habeant auaritiam, & ex illis creat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales digniſsimos, ſimul etiam Epiſcopos ſuper diuerſas totius Orbis ciuitates, & alios inferiores prælatos, & miniſtros conſtituit, per quos iudicat minores Eccleſiæ cauſas, & præcipit illis, vt res grauiores referant ſibi: decernit autem per ſemetipſum dogmata fidei, iuxta poteſtatem quam accepit à Chriſto, & inſignis Sanctitatis viros iam defunctos cathalogo Sanctorum adſcribit, ſtatuit Canones, & præcepta quæ ad bonam gubernationem vniuerſalis Eccleſię conducunt, ac denique quædā alia grauiora negotia reſeruat ſibi. Inuigilat ſemper, & ſtat velut architectonicus ſuper Reges, & principes, vt ipſi proprium munus fideliter exequantur. In ſuo etiam ordine Reges, & principes habēt ſibi ſubiectos Duces, Comites, Marchiones, Barones, & alios quamplures diuerſis titulis decoratos, per quos diuerſa negotia pertractant, comittētes illis vt iudicēt inferiores cauſas, & ad Senatum regium tranſmittant grauiores. Si quis voluerit originem ſcire vniuſcuiuſque tituli ex predictis, conſulat fratrem Tadæum Peruſinum Auguſtinianum in calce commentarij ſuper caput 32. Iſaiæ.

Sūmi Pōtificis adiutores qui. & quales. *

Reges qd p ſeipſos, qd p alios exercere debeant.

10 *Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.* Præparat hoc verſu animos auditorum ad ſequentem prophetiam: & loquitur ad ciuitates Iudeæ,

vt interpretatur Cyrillus, & Hieronymus, tanquam ad mulieres opulẽtas, eo quod illis temporibus abundabant diuitijs, & muliebribus affectionibus occupabantur: eaſdem etiã ciuitates filias confidentes appellat, quoniam gloriabantur in pulchritudine ſua, & in abundantia rerum tẽporalium confidebant. Per quandã allegoriam poſſunt etiã quæ ſequuntur, ad faſtum referri mulierum, quæ his tẽporibus intortis crinibus ſeipſas ornant, in purpura & byſſo, atque aureis veſtimentis. Has omnes hortatur, vt ad audiendam Domini ſententiam ſurgant, vt attentius percipiant illam. Melius enim audimus ſtantes, quàm ſedentes, eo quod ſedẽtes facilime præoccupantur ſomno. Quid autem denunciare velit, audiamus. *Poſt dies* (inquit) *& annum vos conturbabimini confidentes, conſummata eſt n. vindemia, collectio vltra non veniet*. Senſus eſt, nõ ſolum per diem vnum, aut annum, ſed *poſt dies & annum*, hoc eſt, per multum tempus periclitabimini: & agri veſtri, & vineæ deuaſtabuntur: atque aduerſarij veſtri deprædabuntur diuitias veſtras, in quibus confiditis, & tãdem migrabitis captiuæ in exiliũ: non erit collectio fructuum in terra veſtra, quia nullus veſtrum remanebit, qui eos colligat. Quod ſi aliquis ſuperſtes fuerit, nihil inueniet. Vnde illa verba, *poſt dies, & annum*, ſignificant calamitatem fore diuturnam, & intolerabilem. Nec enim leue ſolatium eſt in aduerſis, cum ſtatim prætereunt ea, quæ nobis ſuſtinenda ſunt, at cum nullus eſt, aut tardus finis, nulla dolorum alleuiatio, nulla cõſolatio remanet patiẽti. Sic explicat Pagninus, qui ita vertit. *Annum cum anno pauebitis, confidẽtes; ideſt pluſquam per annum expaueſcetis vos, nũc confidentes. Vnius enim anni penuriam parum præ opulentia ſolebant timere*. Sic & Vatablus, *Diebus aliquot ſupra annum turbabimini, o ſecuræ, quia deficiet vindemia, collector frugum vacuus redibit, ideſt congregatio non veniet, collectio fructuum ſiue meßis nõ fiet.* Alij vero ſic explicant, *poſt dies & annum*, ideſt, non poſt multum temporis. Et, vt magis declaret calamitatem futuram, quam denunciat, ſubdit: *Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos, & cõfundimini, accingite lumbos veſtros; ſuper vbera plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili*. Diuites erant ciuitates Iudææ, & confidebãt, nihil mali poſſe ſibi accidere: verum pro diuitijs ſumma illis contigit paupertas, & pro veſtimentis pretioſis, viles panni, quibus nuditatem ſuam vix poſſent operire. Vnde illud verbum, *obſtupeſcite, conturbamini, exuite, & confundimini*, non deprecationem importat, aut exhortationem oratoriam, ſed prophetiã, ideſt obſtupeſcetis, conturbabimini, exuemini veſtimẽtis veſtris pretioſis, & confundemini in nuditate veſtra, atque in deprædatione ornamẽtorum veſtrorum, quã mulieres ægrius ferre cõſueuerunt. Nudatio enim & expoliatio ſimilis, mulieribus nobilibus & pudicis moleſtiſſima eſt, & oneroſa, & maxime lacrymabilis. Nec terminabitur in ijs malis ſors miſerabilis veſtra, ſed poſt deuaſtatos agros, & vineas; poſt prædam omnium deſiderabilium veſtrorum, præparata eſt vobis captiuitas diuturna, ac quædam ſeruitus, quam illis verbis, *accingite lumbos veſtros*, deſignauit. Hæc autem omnia ſunt ad literam impleta in euerſione ciuitatũ Iudæ facta per Chaldæos, ſicut

Mulierum ornatus ſuperfluus reprehenditur.

Malorum diuturnitas in tolerabilis.

Nudatio calamitatẽ magnã deſignat.





explicat gloſa Lyrani: aut vero in deſtructione facta per Romanos, quadraginta annis poſt paſsionem Domini, ſicut alij explicant, & hæc interpretatio conſonat maxime cum verbis illis, quæ Chriſtus Dominus conuerſus ad mulieres, quæ plangebant & lamentabantur eum, dixit. *Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus; Cadite ſuper nos, & collibus, operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vbi Chriſtus Dominus, quod propheta denũtiauit illis verbis: *ſuper vbera plangite*, explicuit, dicens: *ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*. Illud autem quod ſubdit: *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* tacite declarat immanitatẽ vaſtitatis per Romanos futuræ: quaſi dicat Iudæis, Si ergo in me lignum fructiferum iugiter virens, taliter ſæuierunt Romani, quid non attentabunt erga populum, quaſi lignum, aridum, priuatum viuificante virtute, nec vllum fructum ferentem?

Hieruſalẽ deſtructio.

Lucæ 23 d

11 *Super humũ populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent: quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?* Senſus planus eſt. Si ſuper agros & vineas, & ſuper pomeria populi mei, hoc eſt, ſuper terram ciuitatis ſanctæ Hieruſalem, quæ fortiſsima eſt, & fructifera, quam dixit Dominus, eſſe terram lacte & melle manantem, captiuitate imminente, aſcendent ſpinæ, & vepres, nec ex illa percipientur alij fructus, deficientibus hominibus, qui terrã colant & ſerant; quanto magis aſcendent ſuper domos gaudij, ideſt ſuper terram aliarum ciuitatũ Iudææ, quæ deputata erat choreis, & tripudijs, & ebrietatibus? Et eſt argumentum a fortiori: ſi enim tunc in locis cãpeſtribus, in quibus ſunt homines ſimplices, & terram excolentes, naſcuntur ſpinæ, & vepres, propter captiuitatem imminentẽ, multo magis multiplicabuntur in terra, in qua tãtum congregantur homines otioſi, ac voluptatibus dediti. Vt notauit Lyranus, in Hebræo ſic habetur: *ſuper humum populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent, & etiam ſuper omnes domos &c.* quaſi dicat. Tam deſolatæ manebunt ciuitates Iudææ, & ſolitariæ, ductis in captiuitatem habitatoribus eius, vt non ſolum humus repleatur vepribus & ſpinis, ſed etiam domus altiſsimæ, & ſumptuoſa palatia. Iuſto autem iudicio Dei factum eſt, vt ſuper terram, & ſuper domos, & palatia eorum aſcẽderent vepres & ſpinæ, qui auſi ſunt coronã ſpineam ſuper caput Domini ſui imponere: vt per quæ quis peccat, per hæc & puniatur. Vatablus ſic vertit. *Super tellurem populi ſpinæ & vepres excreſcẽt: quia in omnibus domibus lætitia eſt, & in vrbibus petulãs exultatio.* Quibus verbis ſignificatur, propter ebrietatem & luxum, necnon propter otioſitatem ac corruptos mores, ciuitatem illam depredandam fore.

Lyranus.

Coronã ſpineã plectẽtes Chriſto ſpinis puniuntur.

12 S. Gregorius in ſenſu morali ſic explicat iſtum locum. *Humum* (inquit) *populi ſui Dominus electorum omnium mentem vocat, ſuper quam ſpinas ac vepres aſcẽdere perhibet; quia nec ipſam quoque eſſe abſque punctionibus vitiorum videt. Domus vero gaudij ciuitatis exultantis, eſt mens prauorum, quæ, dum ventura ſupplicia conſpicere negligit,*

Greg. 17. moral. cap. 10.

Caro tam in iuſtis q̃ ĩ reprobis ſpinas ꝓfert cõtra ſpiritũ, in pœnam inobedientiæ Adæ *

*in carnis voluptate ſe deſerens, inaniter hilareſcit: ait ergo: Super humũ populi mei ſpinæ & vepres aſcendẽt: quanto magis ſuper omnem domum gaudij ciuitatis exultãtis? ac ſi aperte dicat: ſi & illorum mentem vitia deprimunt. qui ſe pro cœleſtis patriæ deſiderio affligũt: quibus culpis ſubſtrati ſunt, qui ſine vlla formidine ſe in carnis voluptate derelinquunt?* Sicut ergo ante peccatum terra homini vltro producebat fructus, ſed poſtmodum in pœnam inobedientiæ Adæ illam incurrit maledictionem:

Geneſ 3.

*Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cũctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbã terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terrã de qua ſumptus es:* Ita & caro noſtra in ſtatu illo feliciſsimo, in quo fuit à Deo creata, non germinabat ſpinas, & tribulos, ſed fructus ſuauiſsimos, vtpote in omnibus ſpiritui ſubiecta, at poſt præuaricationẽ Adæ nihil aliud profert ſponte, niſi vepres, & ſpinas, animã lacerantes, paſſiones videlicet, & motus inordinatos repugnantes rationi.

Gal. 5. c

*Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem*, nec ſolum in illis, qui maculantur peccatis, ſed etiam in regeneratis per gratiam. Non tantum aſcendunt ſpinæ & vepres ſuper domos gaudij ciuitatis exultantis, hoc eſt ſuper infideles, & peccatores,

Phil. 3. d

*quorum Deus venter eſt*, ſed etiam ſuper humum Domini eius ſanguine irrigatã, & aratro verbi diuini excultam, ſuper fideles & iuſtos.

Sancti patiuntur ſtimulos carnis *

Sanctus erat Paulus, qui raptus eſt vſque ad tertium cœlum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, & tamen ſæpius patiebatur ſtimulos pungentes carnis ſuæ. Ait enim,

2. Cor. 12. a

*Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ: Angelus ſathanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet a me, & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Et iterum:

ad Rom. 7. d

*video autem aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Lucæ. 23 c

*Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* ſi adhuc igniculus viuit, & cor electorum rore cœleſtis gratiæ irrigatum inuadere audet, quanto magis exardeſcet in cordibus eorũ, qui incẽdijs reſeruantur ęternis? Sed dicet aliquis. Si propter peccatum dictũ eſt homini. *maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi*, quare & poſt remiſſionẽ peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aſpera parit etiam terra & caro fidelium? Hanc quæſtionẽ tangit S. Auguſt. ſcribens contra Pelagiũ, & eã diſſoluit,

Aug. lib. 2. de pec. merit. & rem. cap. 33. tom. 7.

*Reſpõdemus* (inqt) *ante remiſſionẽ eſſe illa ſupplicia peccatorũ, poſt remiſsionẽ autem certamina exercitationeſq; iuſtorũ. ita & illis, quos de morte corporis ſimiliter monet, reſpondere debemus, vt eam & peccato accidiſſe fateamur, & poſt peccatorum remiſsionem, vt magnus timor eius a proficientibus ſuperetur, ad certamen nobis relictã eſſe, non dedignemur.* Nec tamen propterea exiſtimandum eſt, terram non ante, ſed poſt peccatum tantum ſpinas & tribulos germinaſſe, cum à principio dixerit Dominus,

Gen. 1.

*Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen.* Germinauit ergo ante peccatum terra ipſa ſpinas, & tribulos, non quidem in pænam delicti,

licti,



licti, quod nondum erat, ſed in cibũ conuenientẽ aliquibus animalibus, vel ad ipſorum hominum aliquos vſus. Poſt peccatum autem cœpit terra iſta producere ad maiorem hominis erumnam, qui cœpit in terra laborare. Vnde Auguſtinus ait.

Aug. lib. 3. de Gen ad liter. to. 3.

*Ante peccatum, & poſtea, in eiſdem locis germinauit terra ſpinas & tribulos; prius tamen non homini, poſt autem homini, vt hoc ſignificetur quod additum eſt, tibi, quia non eſt dictum, ſpinas & tribulos pariet, ſed pariet tibi. Ideſt ut tibi iam iſta naſci ad laborem incipiant, quæ ad paſtum tantummodo alijs animalibus antea naſcebantur.*

Spinas & tribulos germinauit terra ante peccatum.

Ex quibus colligitur, quod quamuis iuſti, & peccatores, electi, & reprobi ſentiant in cordibus ſuis huiuſmodi ſpinas ſuboriri, tamen eſt maximum inter eos diſcrimen: nam iuſti ſentiunt ſpinas inſurgentis carnis aduerſus ſpiritũ, ſed non eis conſentiunt, ſed viriliter reſiſtunt; atque adeò maiorem poſtmodum reportant coronam, & illuſtriores fiunt ex pugna, atque clariores, ita vt, in laudem fidelis animæ fortiter pugnantis decantet ſponſus: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Lilium candens, cum a circũſtantibus ſpinis pungitur, maiorem ex ſe odorem emittit, ita & iuſti cum tentantur, intus latentem fragrantiam diffundunt, & magis ac magis in vita ſpirituali proficiunt. Dicit enim Apoſtolus.

1. Cor. 10. c

*Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Peccatores autem non ſolum ſentiunt ſpinas quas germinat caro, ſed etiam eis libenter conſentiunt, atque adeò ſpiritus inter ipſas ſpinas ſuffocatur, & ipſi tandem cum ſpinis ſuis mittentur in gehennam ignis, & ardebunt. Sed quia de his plura alias diximus, redeamus ad contextum literæ.

13 *Domus enim dimiſſa eſt, multitudo urbis relicta eſt: tenebræ, & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas in æternum, gaudium onagrorum paſcua gregum.*

Solitudo ciuitatũ Iudæ.

Explicat amplius, quod ſupra dixerat de captiuitate futura: Et ait, relinquendas eſſe ab habitatoribus ſuis Ciuitates Iudęæ opulentas. Id quod & Saluator denuntiauit eis in Euangelio:

Mat. 23 d

*Relinquetur*, inquiens, *Domus ueſtra deſerta*, quia videlicet in captiuitatẽ ducendi erant. Quod ſi aliqui ex eis relicti ſunt, hi præ timore aduerſariorum ingredientur in ſpeluncas, in quibus palpabiles tenebræ poſſidebunt eos, vſque in æternum, ideſt, longo tempore. Remanebitque terra adeò deſolata & inculta, atque ſpinis, & vepribns plena, vt locus qui gregum paſcua eſſe conſueuerat, ſit onagrorum paſcua, in quibus gaudeant, & delectentur beſtiæ agri. Quod etiam iterum denuntiauerat ſupra, loquens contra Babylonem.

Iſai. 13. d

*Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi, ſed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtrutiones, & piloſi ſaltabunt ibi.* & eadem phraſi loquẽdi vtitur infra cũ dicit:

Infra cap. 34.

*Et orietur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & paſcua ſtrutionum &c.* quę locutiones videtur hyperbolicæ, ad explicandã maximam vaſtitatẽ; aut figuratiuę, ita vt per cõmemoratas feras, deſignẽtur homines moribus corrupti, qui recedentes à Deo, comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſunt illis. Vt autem explicet tempus, quo imponetur ter-

tur ter-

tur terminus calamitati prædictæ, ſubdit.

14 *Donec effundatur ſuper nos Spiritus de excelſo.* Hebræi ſic exponunt iſtum locum. Tamdiu durabit hæc tribulatio, quamdiu Dominus voluerit. Quando Dei miſericordia occurrerit iuſtitiæ illius, tunc finem habebunt hæc mala. Ac ſi dicat: Non eſt noſtrum præſcribere tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, nec determinare horam in qua miſericordia Dei ſuccurrat nobis, hoc enim eſſet Deum tentare, & magis prouocare irã eius. Vnde Iudith, Oziæ, qui ſtatuerat tradere Bethuliam, ſi intra quinque dies non habuiſſent auxilium, ſapienter
*Judith. 8.b* reſpondit. *Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Legitima tamen explicatio eſt. Tamdiu durabit deſolatio prædicta ciuitatum Iudææ, tamdiu terra illa erit deſerta, & habitaculũ onagrorum, donec Spiritus ſanctus diffundatur ſuper vos ò Iudæi, & auferatur velamen de cordibus veſtris. Hoc autem fiet circa finem mundi, in quo perfidia Iudaica conuertetur ad Chriſtum. Dicit enim Apoſtolus:
*Rõ. 11. d* *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium*
Iudæi conuertentur in fine mũdi*. *intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impie-*
*Iſa. 59.d* *tatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum: cum abſtulero peccata eorum.* Vbi (vt adnotauit S. Tho-
S. Tho. ibi. lect. 4. mas,) illud aduerbium, *donec*, terminum deſignat cæcitatis Iudæorũ. Et ſenſus eſt. *Vſque tunc cæcitas Iudæorum durabit, quouſque plenitudo gentium ad fidem intrabit: & huic concordat quod infra ſubdit de futuro remedio Iudæorum, cum dicit. Et tunc, ſcilicet cum plenitudo gentium intrauerit, omnis Iſrael ſaluus fiet, non particulariter ſicut modo, ſed vniuerſaliter omnes.* Tunc ergo dabit illis Dominus nouũ teſtamentũ. Nunc pertinaciter adhærent literæ, quæ occidit, ſed tunc dabit illis Dominus ſpiritum viuificantem. Nunc cum legitur Moyſes, velamen poſitũ eſt ſuper cor eorum, ne Chriſtum, quem Moyſes annuntiauit, agnoſcãt, ſed tunc auferetur velamen à cordibus eorum. Et ſicut in die Pentecoſtes effuſus eſt Spiritus ſanctus de excelſo ſuper Apoſtolos, & intellectu adimpleuit corda eorum, ita & in fine ſæculi diffundetur ſuper Iudæos, & dabit legem ſuam in medio eorũ, vt ex terra deſerta ſpinis & vepribus plena, fiant terra fructifera, & ex habitaculo dæmonum, Spiritus ſancti templum fiant. Vnde ſubditur.

15 *Et erit deſertum in charmel, & charmel in ſaltum reputabitur.* Verba iſta explicata ſunt ſupra c. 29. Quod enim ibi per Libanum deſignauit, hic ſignificat per *deſertum*. Et ſenſus eſt: Quando in fine mundi ex carnali facta fuerit Synagoga ſpiritualis, quando diffuſus fuerit ſuper eam ſpiritus Domini, tunc *deſertum*, ideſt Iudæa, quæ deuaſtata fuerat, & deſerta, erit *in charmel*, ideſt terra multis arboribus fructiferis conſita, per quas intelligit viros sãctos proferentes fructus ſpirituales. *Et charmel in ſaltum reputabitur*, quia ex eis multi erunt maioris ſanctitatis, ſicut ligna ſaltus ſunt alijs maiora. Sequitur: *Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in charmel ſedebit.* Per *iudicium, & iuſtitiam* legem intelligit Euangelicam, per cuius ſacramenta ſanctificantur homines, & efficiuntur iuſti: & ſimili-

Iudæorum ſanctitas circa finẽ mundi.

ter



*1. Cor. 1 d* ter fidem Ieſu Chriſti, *qui factus eſt nobis ſanctificatio, iuſtitia, & redemptio:* Hæc (inquit) *habitabit* ſimul *in ſolitudine*, ideſt, in gentilitate, & *in charmel*, ideſt in populo Iudæorũ: cum circa finem mundi fuerit conuerſus ad Dominum, vt vna & eadẽ Eccleſia vtrumque populum cõplectatur, ſecundum illud quod ſalua-
*Ioan. 10 c* tor prædixerat. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Expendatur illud verbum, *ſedebit*, ſignificat enim quandam firmitatem, & ſtabilitatẽ fidei, & charitatis, quæ erit in cordibus credentiũ adeò radicata & fundata, vt multis perſecutionibus etiam Antichriſti ab ea dimoueri non poſsint, Apoſtolo
*Rom. 8. f* dicente, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt. quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.*

Pax regni Chriſti qualis.

16 *Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum.* Sicut Chriſtus Dominus eſt Rex pacificus, ita & regnum eius eſt regnum pacis, & ſecuritatis ſummæ. Dicit .n. Apoſt.
*Rom. 14* *Non eſt Regnum Dei eſca & potus,*
*1. Cor. 14. g* *ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto:* & iterum. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſancto-*
*1. Theſ. 5. d* *rum doceo.* & rurſus: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet uos per omnia* Hæc autem pax non erit ciuilis, aut temporalis, quæ tantũmodo conſiſtit in exterioribus, ſed erit pax illa ſpiritualis, de qua Paulus dicit.
*Philip. 4 b* *Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligẽtias veſtras in Chriſto Ieſu. Pax Dei*, inquit, *quæ exuperat omnem ſenſum*, quoniam non eſt corporalis pax, quæ ſenſu percipitur ſed ſpiritualis, quæ percipitur intellectu fidelium, & pax Dei, quam Chriſtus Dominus reliquit Apoſtolis, dicens. *Pacẽ relinquo uobis, pacem meã do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis.* Quia pax mundi eſt tantum apparens, ſimulata, & imperfecta: pax aũt Chriſti perfecta eſt exterius cũ proximo, & interius cũ Deo, quam definiẽs Auguſt. ait. *Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animæ, ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortium charitatis:* Et de hac pace ait Iſaias, quod, *erit opus*, ideſt effectus iuſtitiæ, quia ſolum iuſti, qui legem Dei cuſtodiunt, fruuntur hac pace. Scriptum eſt enim. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*, & iterum, *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax &c.* nam de impijs ſcriptũ eſt, *Non eſt pax impijs, dicit Dominus:* pax enim, vt oſtendit S. Tho. eſt proprius effectus charitatis. Et ſiquis obijciat, nam Iſaias in iſtis verbis videtur aſſerere pacem eſſe proprium effectum iuſtitiæ: Reſpondet S. Tho. *quod pax eſt opus iuſtitiæ indirecte, inquantum ſcilicet remouet prohibens: ſed eſt opus charitatis directe, quia ſecundum propriam rationem charitas pacẽ cauſat. Eſt enim amor vis vnitiua, vt Dionyſius dicit, pax autem eſt vnio appetitiuarum inclinationum.* Sed notandum cum eodem ſancto Thoma, quod *iuſti hanc pacem habent & habebunt in futuro, ſed hic quidem imperfecte, quia nec ad nos, nec ad Deum, nec ad proximum pacem ſine perturbatione aliqua poſſunt habere. Sed in futu-*

Pax mũdi ſimulata*.

Aug. lib. de verbis Domini.

*Pſa. 118*

*Galat. 5. a*

*Iſai. 59.*

S. Tho. 22 q. 29. art. 3

Vbi ſup. ad. 3.

Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus.

S. Th. lect. 7. ſup. cap. 14. Ioan.

ro ha-

Pax Sanctorum qua is.

ro habebimus eam perfecte, quando ſine hoſte regnabimus, vbi nunquam poterimus diſſentire. Pacem autem perfectam habebunt in patria, ſecũdum illud Iſaiæ. *Declinabo ſuper eam*, ſcilicet Hieruſalem cæleſtem, *quaſi flumen pacis*. Vnde & pſalmiſta de illa ciuitate loquens, ait. *Qui poſuit fines tuos pacem*, quem locum explicans B. Aug. ait. *Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi enim plenius laudabimus, vbi eã plenius habebimus. Inchoatã in vobis ſi ſic amamus, perfectã quomodo laudabimus? Hieruſalem viſio pacis eſt, & omnes qui habent & amant pacem, benedicuntur in ea, & ipſi intrant, cum clauduntur portæ, & firmantur vectes. Hanc quam nominatã ſic amatis, ipſam ſectamini, ipſam deſiderate, ipſam in domo, ipſam in negotio, ipſam in vxoribus, in filijs, in ſeruis, in amicis & inimicis diligite*. Alia autem verba quæ ſequuntur, videlicet. *Et cultus iuſtitiæ ſilentium, &c.* idem explicant, quod verba præcedentia. Nam verbum Hebraicum pro quo interpres Latinus tranſtulit *cultus*, vtrumque ſignificat, & cultum, & opus, & ſenſus eſt: Sicut iuſtitiæ effectus eſt pax, ita & ſilentium, & quies atque ſecuritas conſcientiæ. Qui enim obediẽs fuerit Deo, & omnem iuſtitiam adimpleuerit, ſpiritus eius ſuauiter requieſcet in Chriſto, & in ſilẽtio fruetur dulcedine illius. de quo ſilentio plura diximus cap. 30. num. 17. & 18. in illa verba, *in ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra*.

Iſaiæ 66

Pſ. 147. a

Aug. ſup. eund. pſal. tom. 8.

Hieruſalẽ viſio pacis

17 *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Hæc promiſsio pleniſsime, (vt diximus) implebitur in patria, ſed ex parte etiam contingit iuſtis in via. Pax Sanctorum in patria erit pulcherrima, ſuauiſsima, & modis omnibus abſoluta: quia nihil erit ibi, quod poſsit eam perturbare. Sed in via pax eſt multis perturbationibus, & periculis expoſita. Sedebunt nihilominus *in pulchritudine pacis*, quia nihil eſt pulchrius, nihil delectabilius, quàm animum quietum & pacatum habere: requieſcent in tabernaculis fiduciæ, quia tabernacula in habitabunt, de quibus dicit pſalmiſta; *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*. Sunt hæc tabernacula *fiduciæ*, quoniam eos protegũt, qui per fidem ambulant & non per ſpeciem, qui reformationẽ exſpectant huius mortalis corporis, ſecundum illud quod dicit Apoſt. *Saluatorem exſpectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformauit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. In his tabernaculis fiduciæ habẽt electi requiem opulentam, quoniam in ſacro altaris myſterio omnium ſpiritualium bonorum abundantiam (in qua quieſcunt) inueniunt, Propheta dicente. *Requies autem menſa tuæ erit plena pinguedine*. Lege quæ diximus cap. 4. num. 13. & 14. circa ſecuritatem quam habent quieſcentes in tabernaculo Eccleſiæ.

Pax Sanctorum in patria.

Pſal. 83.

Iob. 36. b

18 *Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabitur ciuitas*. Septuaginta interpretes ſic transferunt iſtum locum. *At grando ſi deſcenderit, non ſuper vos veniet*. Quaſi dicat, etiam ſi quid aduerſitatis acciderit, in nihilo tanget iuſtos, qui in Eccleſiæ tabernaculis quieſcunt, ſed diuertet ab eis, & ſuper peccatores irruet, veluti ſi grãdo de Cœlo pluens non cadat ſuper

Ira Dei non tãget electos.

ſegetem



ſegetem agri, ſed decidat in ſaltũ, vbi ſunt ligna infructifera, nullum damnum ſegetibus infert, ita tribulatio, quã nomine grãdinis intelligit, nihil mali electis inferet, quoniã diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Sed conquaſſabit ligna ſaltus: videlicet ſuperbos, & erectos peccatores, nullum fructum iuſtitiæ proferentes. Dicit enim Pſalmiſta, *Iudicabit in nationibus implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum*, quia videlicet grando iræ Dei non cadet ſuper terram electorum, qui præ paucitate numerari poſſunt, ſed ſuper terram ſtultorum, quorum infinitus eſt numerus, ideo conquaſſabit eorum capita. Et iterum ait. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum, pars calicis eorũ*. Hæc ergo eſt humilitas, hæc deiectio, qua humiliabitur ciuitas eorum, qui vocauerunt nomina ſua in terris ſuis, & per amorem ſui vſque ad contemptum Dei ædificant ciuitatem Babylonis: & de hac ciuitate loquitur Iſaias in præſenti. Poteſt ſecundo hic accipi *ciuitas* in bonam partem, ita vt ſenſus ſit. *Ciuitas*, ideſt Eccleſia ex Iudæis & gẽtibus congregata, non vltra habitabit in montibus, quæ ſunt loca deputata ſiluis, & hominibus incultis, atque indomitis animalibus, ſed humilitate humiliabitur & ædificabitur in humilibus locis, & campeſtribus, vt homines ſint Dei agricultura pluuia cœleſti irrigata. Sic interpretantur iſtum locum Cyrillus, & Theodoretus. Et conſonat explicatio hæc cum tranſlatione ſeptuaginta interpretum, qui ſic vertunt iſtum locum. *Et erunt habitantes in ſiluis ſicut qui in campeſtri*, ideſt, homines, qui antea erant inculti, & ſilueſtres, erunt humiles, atque aratro Euangelij exculti, ſicut colitur terra, quæ eſt in loco campeſtri. Vnde ſubditur.

Pſ. 109.

Ibid.

Eccleſia vbique ędificanda.

19 *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedes bouis, & aſini*. Aquæ, in Sacris literis diuerſos populos ſignificant, Secundum illud Apocalypſis, *Aquæ quas vidiſti populi ſunt, & gentes, & linguæ*. de quibus etiam ſcriptum eſt. *Omnes morimur & quaſi aquæ dilabimur in terram*: Seminantes ſunt Apoſtoli & cæteri Euangelij miniſtri. *Semen* autem *eſt verbum Dei*. Iſaias ergo ſpiritu prophetico præuidens vberrimum fructum prædicationis Euangelij, quæ facta eſt per Apoſtolos, & alios doctores & paſtores Eccleſiæ in vniuerſo mundo, conuertitur ad illos per Apoſtrophẽ, & ait. Beati eſtis ò Apoſtoli, Beati Epiſcopi & prælati, Beati Doctores Eccleſiæ, qui doctrinam Euangelicã diſſeminaſtis ſuper omnes populos, *immittentes pedem bouis, & aſini*, ideſt introducentes ad cognitionem Euangelij populum Iudaicum, qui per bouem deſignatur, eo quod iugũ legis portabat: & populum gentilicũ figuratum per aſinum, quod animal magis brutum, & ſtolidum, eſt ac voluptatibus deditum. Hanc explicationem ſequitur B. Greg. dicens. *Super omnes aquas ſeminare, eſt cunctis populis fructuoſa vitæ verba prædicare, pedem vero bouis & aſini immittere, eſt vias Iſraelitici, & gentilis populi per præceptorum cœleſtium vincula religare*. Expendatur illud verbum, *ſuper omnes aquas*, quo admonentur Euangelij miniſtri, ne ſint acceptores perſonarum in prædicatione verbi diuini, & ſacramentorum adminiſtratione. Qui enim diuitibus tantum, aut nobilibus hæc exhibent miniſteria, paupe-

Apoc. 17. d

2. Reg. 14. c

Apoſtoli omnibus populis p̃dicauerũt Chriſtum.

Greg. 35. mor. ca. 11

Act. 10.

res &

res,& ignobiles à ſe abijciendo,& remittendo ad alios, non ſeminant ſuper omnes aquas: Et cū Petrus Apoſtolus dicat, *In veritate cōperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*: Ipſi accipientes perſonas non ex omni gente ad ſe venientes ſuſcipiunt. De quo lege cap. 6. nu. 3. Poteſt etiam hoc ita intelligi, vt pedem bouis & aſini immittere, ſit ſuper ſe ipſum portare, atque opere adimplere, quæ alijs prædicantur ſeruanda.

Predicator non ſit perſonarū acceptor.

*Mat. 23 a*

Sunt enim qui *alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere*. Item etiam in boue & aſino præfiguratur maxima patientia, qua prædicator Euangelij ſuſtinere debet imperfectiones populi increduli, vt per manſuetudinem ad fidem Chriſti rebelles conuertat.

*Pſal. 91*

Scriptum eſt enim. *Bene patientes erunt vt annuntient*. Immo & charitate Chriſti vrgēte, pro conuerſione infideliū multos labores ſuſtinentes. Vnde & de Beato patre noſtro Dominico hæc eius narrat hiſtoria.

S. Dominicus quæ ptulerit pro animarum ſalute.

*Tanto autē charitatis igne erga proximos, tāque ardēti ſiti ſalutis eorū Beatus pater* Dominicus *æſtuabat, vt nulli labori, nulli incōmodo parcens, die noctuque, opportune, & importune nēpe à B.* Apoſtolo *edoctus, arguēdo, obſecrando, & increpando, cum omni patientia, & doctrina, in vinea Domini laboraret: ita vt ſemel pro cōuerſione paucarum mulierum ab Hæreticis ſeductarum, apud quas hoſpitabatur, totam quadrageſimā ſolo pane & aqua contentus ieiunarit, & membra defeſſa nunquam niſi ſuper nudam tabulam quieſcere permiſerit, quo illæ exemplo motæ ad veram catholicam fidem reuerſæ ſunt*. Vide quot labores gentium Apoſtolus pro Euangelij prædicatione & conuerſione infidelium pertulerit. Ait enim. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modū, in mortibus frequenter à* Iud*æis quinquies quadragenas, vna minus, accepi. Ter uirgis cæſus ſū, ſemel lapidatus ſū, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum*.

*2. Cor. 11 e*

20 Tertio *pedem bouis, & aſini immittere*, eſt in via regia & conſueta pedem figere, docendo cōmunem doctrinam, quam tradiderunt patres antiqui. Qui enim nouam viam aperire contendunt, non in tuto, ſed in precipitio pedē figūt. Vnde & ſapiēs tale omnib. doctorib. præbet cōſiliū. *Ne trāſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui*. De illis autem qui faſtidientes vetera, & communiter ab antiquis recepta, varijs doctrinis & peregrinis delectantur, dicit Propheta: *Alij terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos: Alij quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum, vigilanteſquè ad prædam, præparāt panem liberis*. Quæ verba exponens B. Greg. ait. *Quos aliorum nomine, niſi hæreticos deſignat, qui à ſanctæ Eccleſiæ gremio extranei exiſtūt? Ipſi enim terminos transferunt, quia conſtitutiones patrum præuaricando tranſcendunt*.

Doctrina antiqua ſequirenda.

*Prob. 22 d*

*Iob. 24. a*

Grego. 16. Mor. 21.

Hæretici dicūtur terminos trāſcendere.



*De quibus nimirum conſtitutionibus ſcriptū eſt. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Qui greges diripiunt & paſcunt: quia imperitos quoſque peruerſis ad ſe perſuaſionibus trahunt, & doctrinis peſtiferis ad interficiendum nutriunt. Nam quod gregum nomine imperiti populi deſignentur, ſponſi verba teſtantur, qui ſponſam ſuam alloquitur dicens. Niſi cognoueris te ò pulchra inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, ideſt, niſi honorem tuum, quo ad ſimilitudinē Dei es condita, bene viuendo cognoueris, à conſpectu meæ contēplationis egredere, & imperitorum vitam imitare populorum. Alij quaſi Onagri, &c. Onager agreſtis eſt aſinus. Et recte in hoc loco onagris comparantur Hæretici: quia in ſuis voluptatibus dimiſſi, à vinculis ſunt fidei & rationis alieni. Vnde ſcriptum eſt: Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui. Onager quippe in ſolitudine aſſuetus eſt: quia dum terram cordis ſui diſciplinæ virtute non excolit, ibi habitat, vbi fructus non eſt. Qui in deſiderio animæ ſuæ ventum amoris ſui attrahit: quia ea, quæ ex deſiderio ſcientiæ in mente concipit, inflare præualent, non ædificare. Contra quos dicitur, Scientia inflat, charitas vero ædificat. Vnde hic quoque congrue infertur. Egrediuntur ad opus ſuum. Non enim Dei, ſed ſuum opus peragunt, dum non recta dogmata, ſed propria deſideria ſequūtur. Scriptum quippe eſt: Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Qui ergo non in via immaculata ambulat, ſibi magis quam Domino miniſtrat. Sequitur: Vigilantes ad prædam præparant panem liberis. Ad prædam vigilant, qui verba iuſtorum ad ſenſum proprium ſemper rapere conantur, vt per hæc peruerſis filijs panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonē verbis mulieris prauitatis hæreticæ typum gerentis, dicitur: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior*: Sed poſtea amara erit potio bibentibus eam, & panis eius conuertetur in fel aſpidum in vtero illius. Dicit enim ſapiens. *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber*. Sepem ſcindunt, & diſſipant, qui legem Domini diripere conātur, & verba illius corrumpere; quibus intra vineam Domini continentur fideles; ſepem ſcindunt, qui tranſgrediuntur terminos, quos poſuerūt patres antiqui; & ſuper iudicantes ſe iudicant, qui creditum ſibi Dei verbum tanquam infideles adminiſtratores diſſeminant, non ſalutem animarum, & Dei gloriam quærētes, ſed propriam. Et vt omnes cognoſcerēt, ad aliorum vtilitatem, & nō propter propriā excellentiam eſſe prædicandum Dei verbum, ait Apoſtolus ſcribens ad Timotheum. *O Timothee depoſitum cuſtodi*. Vbi Vincentius Lyrinenſis, *Exclamatio* (inquit) *iſta & præſcientiæ eſt pariter, & charitatis; præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat, errores. Quis eſt hodie Timotheus, niſi vel vniuerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus præpoſitum, qui integram diuini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel alijs infundere? quid eſt depoſitū cuſtodi? Cuſtodi, inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormiētibus hominibus ſuperſeminēt zizaniā ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminauerat filius hominis in agro ſuo. Depoſitū, inquit, cuſtodi, quid eſt depoſi-*

*Prou 22 d*

*Cant. 1 c*

Hæretici onagris cōferuntur.

Greg. vbi ſup. ca. 22.

*Hier. 2.*

*Pſ. 100.*

Hæretici ad prædā vigilant.

*Prou. 9.*

*Eccleſ. 10. b*

*1. Thim. 6 d.*

Vincentius Lyrinen.

Doctrina ſana depoſitum dicitur.

*depoſitum? ideſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ; non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis, rem ad te perductam, nō à te prolatam, in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. depoſitum, inquit, cuſtodi, catholicæ fidei talentum inuiolatum illibatumquē conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur; Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia ſubijcias. Nolo pro auro, aut imprudenter plūbum, aut fraudulenter ærамēta ſupponas, nolo auri ſpeciem, ſed naturam plane. O Timothee, ò ſacerdos, ò doctor, ſi te diuinum munus idoneū fecerit ingenio, exercitatione, doctrina; eſto ſpiritualis tabernaculi Beſeleel, pretioſas diuini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem, intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectū venerabatur; eadem tamen quæ didiciſti, ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.*

Doctor ſit vt Beſeleel

Illi ergo ſeminãt, *ſuper omnes aquas immittentes pedem bouis, & aſini,* qui in explicandis diuinis Scripturis viam antiquā & communem ſequuntur, per quam ambulare conſueuerunt boues, & aſini. Conſonat hæc explicatio cū tranſlatione 70. interpretum, quæ ſic habet. *Beati ſeminātes ſuper omnem aquam vbi bos, & aſinus calcat.* Et hoc eſt quod Iſaias prædixerat ſupra. *Paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſe: & tauri tui, & pulli aſinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent ſicut in area ventilatum eſt.*

Septuaginta interpretes.

Iſa. 30. e

21 *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, &c.* In ſenſu morali poſſunt hæc verba eis adaptari, qui in neceſſitatibus omnibus pro ſua poſſibilitate ſuccurrunt pauperibus, miſericordiam illis exhibentes. Seminare enim in ſacris literis, eſt pietatis & miſericordiæ opera exercere; ſunt enim hæc quaſi ſemina, quibus cumulatus fructus in alia vita reſpondet. Scriptum eſt enim. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Et iterum. *Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et poſt pauca. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit.* Et ſtatim ſubditur, *& multiplicabit ſemen veſtrū & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Vnde & B. Ambr. *Eſto* (inquit) *ſpiritalis agricola ſere quæ tibi pro ſūt, ſi terra tibi reddit fructus vberiores quam accepit, quanto magis miſericordiæ remuneratio reddet multiplicata quæ dederis?* Hinc & Chryſoſtomus ait. *Si agricolæ penu ſuum euacuant, & ſemina terræ concredunt, idque cum voluptate faciūt, ſpe maiora recipiendi ſe ſolantes: & quamuis ſciant quod aeris intemperies nōnumquam, & terræ ſterilitas, & alia multa accidentia, vt locuſtarum exercitus, & rubiginis inſidiæ, à ſpe excidere faciāt, attamē bona ſpe ſeſe alentes, ea, quæ in promptuarijs habent collecta terræ concredūt, multo magis nos, quæ abſque vſu recondita ſunt, diſpergere in pauperū vſus & educationem conuenit. Hic nunquam ſpes eluditur, neque timenda aliqua terræ ſterilitas.* Dicit enim. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Breui tēpore diſtribuit, et perpetuo ſæculo iuſtitia eius permanet. Quid hoc beatius vnquam fuerit? & idcircò oro, vt iuſtitiam, quæ ex eleemoſyna eſt, arripiamus: vt & de nobis dicatur. Diſperſit dedit pauperibus: nam poſtquam dixit, diſperſit dedit pauperibus, vt ne putes diſperſa perire, ideò ſtatim ſubdit. Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, Illis, inquit, diſperſis, iuſtitia eius manet in ſæcula & in omne ſæculum ſe extendit.*

Morale.

Seminare eſt miſericorde eſſe *

Pſ. 111.

2. Cor. 6. b

Ibid.

Amb. lib. de Naboth, Iezrhaelita cap. 7. tom. 1.

Chriſho. 55 in Gē. circa finē tom. 11

Hinc eſt etiam quod ſapiens hoc ſalutare cuicunque diuiti præbet conſilium. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum. Da partem ſeptem necnon & octo, quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.* Quę verba ſi rectè expendantur, maximè conſonant huic loco Iſaiæ. Et in primis cum dicit, *mitte*, oſtendit prompto animo bona temporalia eſſe in vſus pauperum eroganda, tanquā ad hoc accepta, vt ea ſuper inopes diffundamus, & mittamus, non vt nobis reſeruemus ſuperflua, quæ congregata putreſcunt, & diſſeminata multiplicātur. Hæc eſt illa promptitudo de qua Paulus ait. *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo; nō ex triſtitia aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et quorundam liberalitatem & prōptitudinem laudans: *Altiſſima* (inquit) *paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt.* & S. Auguſtinus ait: *Fratres chariſſimi nūquam recordor me legiſſe, mala morte perijſſe illum qui libenter in hac vita opera charitatis vel pietatis voluit exercere, habet enim multos interceſſores pius homo, & ille qui opera charitatis exercet hilariter.*

Eccleſ. 11. a

Eleemoſyna prōpte & hilariter tribuēda. *

2. Cor. 9 b

2. Cor. 8. a

Aug. ſerm. 44. ad frat. in eremo i princ. to. 10

Miſericordes nō peribunt.

22 Expendatur verbum, *mitte*: mittere enim panem, aut triticum, ſeminare eſt. in qua acceptione ſumitur in Pſalmo. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.* Vndè mittere panem *ſuper tranſeuntes aquas*, eſt ſeminare, quæ tempore ſuo colligenda ſunt. Cum autem dicit, panem tuum, oſtendit, eleemoſynam non ex ære alieno, ſed ex proprio faciendam eſſe: nam *qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Per *aquas* vero *tranſeuntes*, intelligit pauperes, quia non habent domicilium certum in hac vita, ſed ad inſtar aquarum decurrentium tranſeunt velut peregrini, non habentes hic manentem ciuitatem. Sāctus Hieronymus, per tranſeuntes aquas, intelligit terram irriguam, quę, dum ſeminatur, conſueuit agricolis vberrimos fructus reddere. Sic & pauperes, dum eleemoſynæ perceperint ſemen, cū magno cumulo poſtmodū reddunt illud, vt oſtendimus ſupra ex varijs locis Scripturæ. Præterea nomine tranſeuntium aquarum, ſuper quas ſeminare iubentur diuites, admonemur, vt ea bona temporalia quæ ſuperfluunt, & diù nobiſcum in hoc ſæculo perdurare non poſſunt, ad noſtram patriā cœleſtem per manus pauperū tranſmittamus, ſumpta metaphora à negotiatoribus, qui peregrinas merces ad ſuam patriam, per mare in nauibus tranſportare conſueuerunt. Vndè & in laudē fidelis animæ dicitur. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Monet ergo, vt per pauperes ad portum beatitudinis transferamus, quæ in exilio huius vitæ poſſidemus. Ipſi

Pſ. 125. a

Eccli. 34. d

Eleemoſyna non eſt ex ære alieno facienda.

Supra cap. 23. nu. 13.

Diuites per manus pauperū trāſmittunt ſuas diuitias in cælum.

Prou. 31

enim pauperes ſunt velut naues, ſecundum illud quod B.Laurentius, ad impijſsimum Tyrannum dixit: *facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt*. Quamquam ergò aquæ huius maris inſtabiles videantur & incertæ, ac naues fragiles, merces tamen ſine periculo tranſmittuntur, quia dominus ipſe, in cuius nomine tribuuntur pauperibus, ſuper ſe ſuſcipit earum periculum, vnde & in eius perſona dicitur, *& poſt multum temporis inuenies illum*. Hæc omnia complectitur his verbis Chryſoſtomus. *Non adhortor vt omnia veſtra abijciatis. Fruere omni proſperitate, & cũ ſatisfeceris tuo vſui, quæ ſuperuacua tibi, & otioſa iacẽt, neceſſariaque ſunt alijs, diſtribue fame laborantibus, & gelu rigeſcentibus, & per illorum manus in tuam patriam tranſmitte, in quam propediem tibi pergendum, vt ibi accipias. Illi enim plurimum tibi prodeſſe poterunt ad tranſuehendas illuc opes: vt quando abieris, omnia illic inuenias benè diſpoſita, maiorique illic fruaris abundantia, videns ea à trãſuehentibus, immò à miſericordia Dei ità multiplicata. Nullum laborem habet id negotij, nullam curam, nullam ſolicitudinem, ad hæc tranſuehenda nullo tibi opus eſt iumento, non cuſtode, neque vllo alio. Nullus enim latro, vel fur hac via vadit, vt nocere queat ijs, quæ à te mittũtur illuc. Sed ea quæ repoſueris in egenorũ manus, illa in ſecurum promptuarium, nempè manũ* Dei *repoſita erũt: quæ inuiolata, & cuſtodita præbebit, cũ redieris in patriam; quin illis redditis etiam prædicabit laudes tuas, & coronabit, & te in latitudine conſtituens, ſecurum & felicem faciet. Effundamus ergo, præcor, repoſita in pauperum ventres, & ſeminemus dum tempus eſt, vt opportuno tempore & metamus, & ne tranſmiſſa temporis commoditate poſt hac fruſtrà pœniteamus. Haccine de cauſa miſericors Deus plura tibi largitus eſt, vt in tuum ſolius vſum impendas quæ dedit, & reliqua in arculis, & promptuarijs recondas; non ea de cauſa ſed, vt iuxtà Apoſtolicam admonitionem abundantia tua aliorum inopiam ſuppleat.*

Chryſoſt. homil. 20. ſuper gen. colum. vlt. tom. 1.

Galat. 6

2. Cor. 8.

*Finis Libri Quarti.*

LIBER

179

# LIBER QVINTVS COMMENTARIORVM IN ISAIAM PROPHETAM.

*Auctore.*

R. P. MAGISTRO F. DIDACO ALVAREZ Metimnenſi, Prouinciæ Hiſpaniæ, Ord. Præd. Romæ in Collegio S. Thomæ ſuper Mineruam ſacræ Theologiæ profeſſore, & Regente.

## *PROPHETIA CONTRA SENNACHERIB Regem Aſſyriorum, & Ezechiam Regem Iuda.*

IN hoc quinto libro, qui partem quintam, & vltimam comminationem continet, iuxta diſtributionem ſuperius à nobis factam, aduerſus duos potētiſsimos Reges ſuam dirigit prophetiam, videlicet contra Sēnacherib Regem Aſſyriorum, cuius excidiū vaticinatur cap. 33. 36. & 37. & contra Ezechiam Regem Iuda cui mortem futuram annuntiat. cap. 38. & 39. Punito populo ob ſcelera impiorum conſueuit Dominus capita diſsipare; quoniam ex eorum incuria populus paulatim in quamplurima incidit crimina. Ratio autem ſpecialis, propter quam contra hos duos Reges inuehitur Propheta, fuit ſuperbia eorum & arrogantia. Quod enim Sēnacherib in hoc vitium inciderit, ſatis conſtat ex dictis cap. 10. Ezechiam autem non fuiſſe omnino ab hoc crimine immunem, manifeſtum fiet cap. 33. & 39. Vbi ad oſtentationem gloriæ ſuæ, nuntijs miſsis à Rege Babylonis omnes, quos poſsidebat, theſauros oſtendit. Inter hæc autē aduerſa, multa de aduentu Chriſti, & prædicatione legis Euangelicæ, ad cōſolationem electorū, prædicit myſteria, præſertim c. 35. de quibus ſuo loco dicendū erit.

Tom. 1 in obſeruationibus introductorijs nu. 22. pag. 11. & 12.

# CAPVT XXXIII.

1 VAE qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?
& qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cum
conſummaueris deprædationem, prædaberis:
cum fatigatus deſieris contemnere,
contemneris. 2. Domine miſerere noſtri: te
enim expectauimus: eſto brachium noſtrum
in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.
3. A voce Angeli fugerunt populi,&
ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes. Et
congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus, velut cum foſ-
ſæ plenæ fuerint de eo. 4. Magnificatus eſt Dominus, quoniam ha-
bitauit in excelſo: impleuit Sion iudicio & iuſtitia. Et erit fides in
temporibus tuis: diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: 5. timor Do-
mini ipſe eſt theſaurus eius. 6. Ecce videntes clamabunt foris, 7. an-
geli pacis amare flebunt. 8. Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per
ſemitam, irritum factum eſt pactum, proiecit ciuitates, non reputa-
uit homines. Luxit, & elanguit terra: confuſus eſt Libanus, & ob-
ſorduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum: & concuſſa eſt Baſan, &
Carmelus. 9. Nunc conſurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc
ſubleuabor. Concipietis ardorem, parietis ſtipulam: ſpiritus veſter
vt ignis vorabit vos. Et erunt populi quaſi de incendio cinis. 10.
ſpinæ congregatæ igni comburentur. 11. Audite qui longe eſtis, quæ
fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam. Conterriti ſunt
in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas. quis poterit habita-
re de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardo-
Pſ. 14.a ribus ſempiternis? 12. Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem,
qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni
munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit
oculos ſuos ne videat malum. 13. Iſte in excelſis habitabit,
munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ
eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius,
14. cernent terram de longe. 15. Cor tuum meditabitur timo-
rem:





rem: vbi eſt litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor
paruulorum? 16. Populum imprudentem non videbis, populum al-
ti ſermonis: ita vt non poſſis intelligere diſertudinem linguæ eius,
in quo nulla eſt ſapientia. 17. Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis
noſtræ: 18. oculi tui videbunt Ieruſalem, habitationem opulentam,
tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur
claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur:
19. quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter: locus flu-
uiorum riui latiſsimi & patentes: non tranſibit per eum nauis remi-
gum, neque trieris magna tranſgredietur eum. 20. Dominus enim
iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: ipſe ſal-
uabit nos. 21. Laxati ſunt funiculi tui, & non præualebunt: ſic erit
malus tuus vt dilatare ſignum non queas. 22. Tunc diuidentur ſpo-
lia prædarum multarum: claudi diripient rapinam. Nec dicet vici-
nus: Elangui: populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

## SVMMA CAPITIS.

*DVRAM prophetiam contra Sēnacherib regem Aſſyriorum continet hoc caput.*

*Circa quam primò, comminatur talem pœnam Sēnacherib, qualem ipſe intulit alijs. Verſiculo.* Væ qui prædaris, &c.

*Secundò, mentem eleuat ad ea, quæ ſub poteſtate principis tenebrarum fidelis populus patiebatur, & quaſi per Apoſtrophem conuertitur ad Dominum, humiliter eius petens auxilium. Verſiculo.* Domine miſerere noſtri, &c.

*Tertiò, reuertitur ad explicandum excidium exercitus regis Aſſyriorum, qui per Angelum debellatus eſt. Verſiculo.* A voce Angeli fugerunt populi; *Vbi conſequenter ad Dei timorem omnes inducit. Verſiculo.* Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.

*Quartò, vt magis appareat* Dei *potentia in deſtructione hoſtis potentiſſimi, deſcribit furorem, & fortitudinem regis, in cuius præſentia omnes trepidabant. Verſiculo.* Ecce videntes clamabunt foris, &c.

*Quintò, oſtendit, tempore opportuno, quādo nullū videtur adeſſe refugium, Deum ſuos eripere ab hoſtibus ingruentibus. Verſiculo.* Nunc conſurgam.

*Sextò, conditiones deſcribit eorum, qui iram Dei effugere, & cum ipſo in perpetuum regnare digni erunt. Verſiculo.* Qui ambulat in iuſtitijs. *Et occaſione huius mentem eleuat ad ciuitatem illam cœleſtem, fideles exhortās, vt oculos mentis fixos habeant in illa. Verſiculo.* Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ. *Vbi multa dicit de pace, tranquillitate, & ſanctitate ciuium eiuſdem ciuitatis, ab eodem verſiculo vſque ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1 *VAE qui prædaris, nõne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cum cõſummaueris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Varios affectus admiſcet prophetijs, nunc aduerſarium increpando, nunc electos conſolãdo, interdum pro illis Deum deprecando, aliquando etiam pro beneficijs acceptis gratias agendo. Familiare namque eſt in Prophetis ab vno diuertere ad aliud, ſecundum quod mens eorum & lingua rapiebatur à Spiritu ſancto. In hoc ergo verſu inſultat hoſti populum Dei perſequenti. Et ad literam loquitur contra Sennacherib regẽ Aſſyriorum, vt fatentur communiter expoſitores. Frãciſcus Forerius ſentit, quod multo verius de diaboli imperio intelligatur, quàm de rege Aſſyriorum. Nam quæ hic dicuntur, multo magis verificãtur de imperio principis tenebrarum: quod tunc cecidit, quando ad ſummum impietatis homines pertraxit, eorum animas deprędando. Alij explicant hunc locum de Antichriſto. Alij verò de Sobna, & aduerſarijs Ezechię, qui nullam ei ſeruauerunt fidem. Nos autem proſequemur primam explicationẽ, quia eſt magis communis inter doctores, quam, vt magis literalem, ſequitur S. Thomas. Illa ergo interiectio, væ, comminantis eſt, aut etiam inſultantis, ac ſi dicat. O crudelis, & impie deprædator, nemo te damno affecit,

Sennacherib excidiũ prædicit.

nemo obſtitit impietati tuæ, & tu deprædatus es, & deuaſtaſti totam Iudæam, primum decẽ tribus, poſtmodum alias duas præter ciuitatem ſanctam Hieruſalem: age iam, iuſto Dei iudicio, nam vbi finem tyrannidis feceris, deuaſtaberis; & cum deſieris ſpernere tam homines quam Deum, contra quem ſuperbus extitiſti, ſperneris & ipſe à filijs tuis, ab ipſis enim occidendus es. Peccata tua reſpondebunt tibi, & eadem mẽſura remetietur tibi Deus, qua dimenſus es alijs. Idem iudicium eueniet omnibus impijs: ſcriptum eſt enim. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*: Et iterum, *qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. Et rurſus, *qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur*. Ex quibus collige, Dei prouidentia accidere, quod reprobi obtineant in hoc ſæculo magnam proſperitatem, & abundantiam bonorum temporalium, & multoties permittit quod opprimendo pauperes illa obtineant, quoniam ſtatutum eſt tempus, in quo non ad horam, ſed in perpetuum deuaſtentur & ipſi. Dicit enim Propheta: *Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum intuens. Quia non eſt declinatio in a morte eorum, & firmamentum in flagello eorum. In laboribus hominum non ſunt: & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo obtinuit eos ſuperbia, circumamicti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Iam intellexi*, ait Auguſt., *quare, illi habent*

Matth. Apoc. 13 Prouer. 21. b

Reprobi proſperantur in hoc ſæculo.

Pſal. 72. iux. 70.



Aug. ſup. eundẽ pſa. tom. 8. f

*habent pacem & florent in terra, quia morti eorum non eſt declinatio, id eſt, quia certa mors & æterna eis manet, quæ nec declinat ab eis, nec ipſi declinare ab ea poſſunt. Quia non eſt declinatio mortis eorum, & firmamentum in flagello eorum. Non eſt enim temporale flagellum eorum, ſed firmum in ſempiternum. Propter hæc ergo mala, quæ illis æterna futura ſunt, modo quid? In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Nunquid & ipſe diabolus cum hominibus non flagellabitur, cui tamen æternum ſupplicium præparatur? propterea quid hinc iſti, dum non flagellantur, dum non laborant cum hominibus? Ideo (inquit) obtinuit eos ſuperbia. Attende, illos ſuperbos indiſciplinatos, attende taurum deuotum victimæ permiſſum errare libere, & vaſtare quæ poteſt, vſque ad diem occiſionis. Iam bonum eſt fratres, in ipſius Prophetæ verbis audiamus hunc quaſi taurum, de quo dixit, ſic enim illum & alibi Scriptura commemorat. Ducit eos tanquam ad victimam præparatos: & parcit eis ad malam libertatem, ideo dixit, obtinuit eos ſuperbia. Quid eſt obtinuit eos ſuperbia? Circumamicti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Non dixit tecti, ſed circumamicti, vndique cooperti impietate ſua.* ideo dimittuntur ſecũdum deſideria cordis eorum, vt vadant & inuoluantur in adinuentionibus ſuis. Et, vt notauit Greg. ſicut deſperatis ægris medici quidquid popoſcerint dari præcipiunt; eis vero quos reduci poſſe ad ſalutem præuident, quæ inordinate appetunt, dari contradicunt: ita Deus bona temporalia a iuſtis ſubtrahit, quæ largo munere tanquã deſperatis tribuit iniuſtis. Ideo

Reprobor flagellum quale?

Prou. 7.

Greg. 16. Mor. 9.

Reprobis tanquã deſperatis cõcedit Deus quę inordinate appetunt.

bona temporalia vocantur diuitiæ, & gloria manus ſiniſtræ, iuxta illud Prouerb. 3. *longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria*, quoniam reprobis conceduntur ad ſiniſtram collocandis in die iudicij. ſic explicat iſtum locum Aug. ſuper pſal. 143. in illa verba, *& dextera eorum dextera iniquitatis*. Sed videbitur alicui parum eſſe, quod poſtmodum deprędentur in futuro ſæculo, qui in iſto deprædantur pauperes; non enim fit ſatis iuſtitiæ vindicatiuæ, ſi ſolum auferantur à latrone, quæ per vim ipſe ab alijs abſtulit. Cui ſimilis cogitatio occurrerit, aduertat, nomine deprædationis, æternam damnationem intelligi in præſenti, in qua deſtituitur peccator & priuatur omni ſupernaturali auxilio, atque omni ſpe redeũdi ad priſtinum ſtatum, in quo poterat ad Deum conuerti, & diabolus tanquam leo rugiens deprædantis animam deprædatur. Multoties enim nomine deprædationis ſignificatur in Scriptura ſummum malum quod homo poteſt incurrere, ſicut Thren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, ideſt omnia bona ſpiritualia à me abſtulit, & in ſummum malum coniecit, & in extremã miſeriam, cuius typũ gerebat homo ille, *qui deſcendens ab Hieruſalem in Hierico incidit in latrones, qui & exſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto.*

Prou. 3.

Deprædatio ſignificat æternã damnationem.

Thren. 3 f

Luc. 10. f

2 *Domine miſerere noſtri: te enim expectauimus: eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.* Interſerit Propheta orationem ad Deum, vt doceat quanta ſit hoſtiũ potentia, quãta etiam ſit imbecillitas eorum, qui deprædantur, vt in tempore tribulationis

tionis ad diuinum confugiant auxilium: & loquitur in perſona populi, qui erat in Hieruſalē. *Domine miſerere noſtri*: quaſi dicat. Iam de noſtris viribus plane diffidimus, iam omni humano auxilio deſtituimur, ad tuum Domine humiliter recurrimus,& in te ſolo ſperamus, miſerere noſtri. *Te expectauimus*, ideſt, patienter ſuſtinuimus: expectare enim ſuſtinere eſt,& ſperare in Deum patiēter, nec aduerſitatibus imminētibus frangi. *Eſto ergo brachium noſtrum*, ideſt, fortitudo & potentia noſtra, quæ maxime in brachio oſtenditur: Eſto auxilium noſtrum in mane, ideſt, in principio cuiuſcunque negotij, *vt cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat, & per te coepta finiatur*. *Mane* ergo ſignificat primum initiū rectæ operationis, quod Deo, atque actuali auxilio efficaci præuenienti,& non humano arbitrio tribuendum eſt. Licet enim voluntas humana libere velit, & currat,& piam operationem cooperetur, ſolus tamen Deus eſt, qui incipit tanquam prima cauſa ſimpliciter noſtram piā operationem: Dicit enim Apoſtolus. *Deus eſt qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona volūtate*. Et iterū. *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis. Quæ verba* (vt ait S. Th.) *non ſic ſunt intelligēda, quaſi homo non velit, & non currat libero arbitrio: ſed quia liberū arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens, niſi moueatur & iuuetur à Deo*. & ſanctus Auguſtinus vtrumque locum explicans ait. *Cum proculdubio ſi homo eius ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec peruenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei, niſi voluntate cucurrerit, quomodo ergo non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quia & ipſa voluntas (ſicut ſcriptum eſt,) à Deo præparatur? Alioquin ſi propterea dictum eſt, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex vtroque fit, ideſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei. vt ſic dictum accipiamus, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: tanquam diceretur: non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiā miſericordia Dei, non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis, ac per hoc ſi recte dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet, cur non & è cōtrario recte dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola nō implet? Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolus apertiſſimè cōtradicat: reſtat, vt propterea recte dictum intelligatur, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam*. Hac ratione ſancti patres totum bonum quod in noſtris operationibus reperitur, Deo tribuunt, nō Deo ex parte, & homini ex parte, quia etſi liber. arbi. recte operetur & piè, ſolus tamen Deus eſt, qui ſuo auxilio operante efficit, quod liberum arbitriū piè operetur; & ſolus Deus eſt qui primo incipit piam operationem, vnde Auguſtinus de bono perſeuerantiæ, *recte* (inquit) *viuimus ſi totum Deo demus, non illi ex parte & nobis ex parte*. & ſanctus Hieronymus, explicans illud, *ecce ſicut lutum in manu figuli &c.* poſtquam dixerat, gratiam ſaluari & liberum arbitrium in pijs operationibus, ſubdit.

Bonioperis initium & cōſūmatio eſt à Deo*

Phil. 2.

Rom. 9.

S. Tho. p. p. q 83. ar. 1. ad 2.

Aug. in enchirid. ad Laurētium cap. 32. to. 3.

Deo totū tribuendū.

Aug. de bono perſ. c.

Hier. ſup. c. 18. Hiere. columna 4.



dit: Nec ſtatim totum erit hominis quod eueniet, ſed eius gratiæ qua cuncta largitus eſt: ita enim libertas arbitrij reſeruanda eſt, vt in omnibus excellat gratia largitoris, iuxta illud propheticum: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatē, in vanum vigilabit, qui cuſtodit eam. Non enim volentis neque currētis, ſed miſerentis eſt Dei*. S. Gregorius Nazianzenus explicans eundem locum ad Rom. 9. ait. *Quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, iure optimo totum Deo aſſignauit*. S. Damaſcenus inquit. *Qui plus virtutis habebat, totum Dei gratiæ aſcribebat*: & S. Cyprian. inquit. *Deo totum debemus, quod viuimus, quod mouemur, quod ſumus*, & S. Anſelmus. *Totum*, inquit *imputandum eſt gratiæ, quia nec volentis eſt quod vult, nec currentis quod currit ſed miſerentis eſt Dei*. Similiter etiam S. Bernardus in tractatu de gratia, & libero arbitrio. *Verba* (inquit) *ſunt non mea, ſed Apoſtoli, qui omne quod boni eſſe poteſt, ideſt cogitare, & velle. & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non ſuo arbitrio*, & poſt pauca *Ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum, ſanat, cum immutat affectum, roborat, cum perducit ad actum, ſeruat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur: vt mixtim, non ſigillatim, ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operetur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa*. Denique S. Tho. tractans illam quæſtionem, Vtrum gratia conuenienter diuidatur per operantem & cooperantem, cum obieciſſet in ſecundo argumento: S*i gratia aliquid operatur in nobis, maxime operatur in nobis iuſtificationem: ſed hoc non ſola gratia operatur in nobis. Dicit enim Auguſtinus. Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te, ergo nulla gratia debet dici ſimpliciter operans*. Reſpondet, *quod Deus non ſine nobis nos iuſtificat, quia per motum liberi arbitrij, dum iuſtificamur*, Dei *iuſtitiæ conſentimus. Ille tamen motus non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus, vnde tota operatio pertinet ad gratiam*. Qui ergo hæc agnoſcunt, humiles fiunt, & manè auxilium à Deo petunt, ideſt, ſtatim in ipſo initio boni operis clamantes. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina*: non expectant meridiem, aut veſperum, vt eis ſuccurratur, vere ſciēres, quod non ſolum in medio, aut in fine operis indigent Dei adiutorio: ſed etiā in ipſius initio, ſacro atteſtante Concilio. *Ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur*. Obſeruandum eſt autem, quod non ſolum petit à Deo, quod ſit brachiū, ſed etiā ſalus eorū. Differunt enim brachiū, & ſalus: nam brachiū accipitur pro virtute, qua electi in iuſtitia cōſeruātur; ſalus vero in tēpore tribulationis ſumitur pro redēptione, qua liberantur à peccato. Nulla .n. maior tribulatio homini poteſt accidere, quam cū per

mortale

Pſ. 126.

S Gre. Nazianz. ho. in dictum. Matth 19 poſt med.

S. Damaſcenus in hiſtoria de Balaam & Ioſaphat viris illuſtribus.

Cypr. ſer. de ieiunio & tent.

Anſel. lib de concordia prædeſtinationis & lib. arbi. colum. 3.

Ber. tract. de gra. & lib. arbit. circa finē.

Gratia & lib. arb, nō ſunt cauſæ partiales.

S. Tho. 12, q. 111. ar. 2.

Aug tract. 72. in Ioā. poſt med. to. 9. & de verbis Apoſt. ſer. 15.

Pſal. 69 a

Conc. Tr. ſeſſ. 6. cap. 16. de iuſtificatione.

mortale peccatum ſeparatur à Deo.

3 *Eſto brachium noſtrum in mane.* Tota vita præſens dicitur dies in ſacris literis, eo quod in illa poteſt homo operari opera meritoria vitæ æternæ. Ait enim Saluator. *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. venit nox, quando nemo poteſt operari.* Vbi vt notauit Chryſoſtomus, *Per diem totam intelligit vitam præſentem: cum enim homo miſſus fuerit in tenebras exteriores, nullum poterit meritum comparare.* Huius diei *mane* eſt tempus illud, in quo lumen rationis incipit eluceſcere: veſpertinum tempus eſt illud, in quo incipit ſeneſcere. Petit ergo, vt vniuerſis peruenientibus ad vſum rationis, ſit Dominus auxiliator, & eos adiuuet, vt ſecundum rectam rationem vitam inſtituant, & ad Deum conuertantur. Tunc enim maximè indigent auxilio diuino, ne paruus error in principio, magnus fiat in fine. Vel per *mane* intelligit initium cuiuſcumque diei, in quo, antequam aliud agere incipiat, debet homo ad Deum recurrere, & petere auxilium ab eo, vt omnes actiones ſuas dirigat. Sunt enim orationes factæ primo mane valde acceptæ Deo, & libenter exaudiuntur ab illo, Propheta atteſtante: *Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. Mane aſtabo tibi & videbo. Mane*, inquit, *aſtabo tibi:* non alijs, quoniam illa prima diei particula ſoli Deo conſecrari debet, vt ipſe ſolus noſtri temporis primitias accipiat. *Mane aſtabo tibi*, vt poſtmodũ ſtare poſſim, cum in expediẽdis alijs negotijs occupat' fuero. Sequitur. *A voce Angeli fugerũt populi, & ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes. Et congregabũtur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus, velut cum foſſæ plenæ fuerint de eo.*

[Margin: Vita nr̃a dr̃ dies. — Ioan. 9. a — Chryſ hõ. 55. ſuper Ioan. — Mane, & veſpere vitæ noſtræ quid. — Orões matutinæ ſunt Deo acceptæ. — Pſal. 5.]

Interpoſita oratione redit ad id, quod inſultãdo dixerat aduerſus Sẽnacherib Regem Aſſyriorum, videlicet ſpoliandum eſſe, ſicut ipſe expoliator extiterat. Oſtendit autem quàm facilè ſit à Deo tàm crudelis hoſtis deijciendus, videlicet vnius Angeli voce, & eleuatione manus ſuæ. Et ſenſus eſt: Fremat dumtaxat Deus contra hoſtes ſuos, vel manum exaltet, vt percutiat eos, & ſtatim fugient timore perterriti, & diſpergentur qui antea aduerſus Dei populum congregati erant; ac tanta facilitate capientur, & colligentur eorum ſpolia, *ſicut colligitur bruchus*, quando fuerit congregatus in foſſis. Sic accidit ad literam Regi Sẽnacherib, & exercitui illius potentiſſimo: nam *à voce*, ideſt à virtute *Angeli*, qui vna nocte occidit centũ octuagintaquinque millia in exercitu Sẽnacherib, fugerunt populi relicti, & remanſerunt ſtupefacti in tam grandi miraculo: & cum Deus eleuauit manum, vt eos percuteret, diſperſi ſunt, qui aduerſus Hieruſalem obſidionem parabant: non enim indiget Dominus multis militibus, aut viris bellatoribus, neque inſtrumentis bellicis, vt ſuos deijciat inimicos, ſed ſolo nutu voluntatis ſuæ, aut extenſione manus eos diſperdere poteſt: propheta dicente. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Vide quàm facile eos diſſipet, & diſperdat. Exurgendo, in fugam eos conuertit. Vide quàm facili negotio fumus in aera eleuatus deficiat: ſic diſſipabuntur impij à facie Dei, ideſt ſolo aſpectu. Scriptum eſt enim: *Aſpexit, & diſſol-*

[Margin: Sennacherib excidium. — Deus facile deijcit aduerſarios ſuos. — Pſ. 67. a]



*diſſoluit gentes, & contriti ſunt mõtes ſæculi.* Surrexit à mortuis Chriſtus Dominus glorioſus, & immortalis, & maximo ſplendore coruſcans: & *præ timore eius perterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui*, & diſſipati ſunt omnes, qui quæſierunt animam eius. Defecerunt ſicut fumus. *Extulerunt enim ſe ab ignibus odiorum ſuorum in ſuperbiæ typum, & ponentes in cœlum os ſuum, atque clamantes, crucifige, crucifige, captum illuſerunt, pendentem irriſerunt: & vnde victoria tumuerunt, mox victi euanuerunt.* Sic euanuit ſuperbia Regis Aſſyriorum, ſic diſperſus eſt illius exercitus. Extulit ſe tanquam fumus, cum aſcendens in Hieruſalem, vt eam debellaret, & caperet Regem Ezechiam, dixit: *In multitudine curruum meorum aſcendi excelſa mõtium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius, & ingreſſus ſum vſque ad terminos eius, & ſaltum Carmeli eius ego ſuccidi, & bibi aquas alienas, & ſiccaui veſtigijs pedum meorum omnes aquas clauſas.* Sed ſtatim ſicut fumus euanuit. Subditur enim: *Hæc dicit* Dominus de rege Aſſyriorum: *Non ingredietur vrbẽ hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam, qua veniet, reuertetur: & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamq. vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruũ meum. Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octuagintaquinque millia. Cumque diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abijt, & reuerſus eſt Sẽnacherib Rex Aſſyriorum, & manſit in Niniue.*

[Margin: Abach. 3 — Mat. 27 — Aug. in pſ. 67. co. 8. — 4. Reg. 19. e]

Comparat autem Propheta exercitũ Regis Aſſyriorum brucho, & deſolationem illius collectioni bruchi in foueis congregati. Hæc enim ſimilitudo maximè explicat ſtatum illius exercitus, tàm ante, quàm poſtquam percuſſus eſt ab Angelo. Ad cuius intelligentiam conſiderandũ eſt, quod, (vt notauit Adamus Sasbout Delphius, doctor Louanienſis) bruchus eſt quoddam genus vermis diuerſum à genere locuſtarum, non multum tamen diſsimile, maximam calamitatem afferens frugibus; vnde nomen accepit: dicitur enim *bruchus* à quodam verbo Græco, quod Latine ſignificat *comedo*: naſcitur enim tanta multitudine, vt cogantur exire ruſtici, & colligere, eo quod omnia vaſtent; collectum verò in foueis reponunt, ac colligunt. Abulenſis autem inquit quod bruchus vineas conſumit, vniuerſa comedens, & deuaſtans. ſanctus vero Auguſtinus ſentit, vnam plagam eſſe locuſtã, & bruchum, quoniam altera eſt parens, & alter eſt foetus. Huius animalis fit mentio in pſalmo: *Dixit: & venit locuſta & bruchus, cuius non erat numerus: & comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum.* Et Naum. 3. *Deuorabit te vt bruchus, congregare vt bruchus, multiplicare vt locuſta.* Fuit ergo rex Aſſyriorũ ſicut bruchus, cũ Iudęã deuaſtauit, quia exercitus eius oĩbus ciuitatibus fuit infenſus. At ꝑcuſſus ab Angelo, decidit in foueã, & filij Iſrael in tãta multitudine collegerũt aduerſariorũ ſpolia, in quãta colligere conſueuit bruchos cõgregatos in fouea ruſticus populus. Et quoniã ex deiectione regis ſuperbi maxime ſplẽduit potẽtia Dei, & miſericordia, quã ꝑtegit in ſe ſperãtes, ſubdit ſtatĩ

[Margin: Adamus Louanienſis ſuper cap. 33. Iſaiæ. — Bruchus quid. — ſup. ca. 28. Deut. q. 5. col. 3. — ſup. pſ. 104. — Pſ. 104. c — Naum. 3. d — Sennacherib fuit vt bruchus viuẽs & moriens.]

4 Ma-

4 *Magnificatus eſt Dominus, quoniam habitauit in excelſo: impleuit Sion iudicio, & iuſtitia.* Quaſi dicat: non alteri, quam ipſi Deo aſcribenda eſt hæc victoria.

Victoria Deo attribuenda.

Nunc enim manifeſtata eſt gloria eius, qui prius blaſphemabatur à rege Aſſyriorum, quaſi non eſſet Deus. Et qui longe abeſſe credebatur à populo ſuo, ita vt nullam curam haberet ciuitatis Hieruſalem, opere oſtendit, ſe habitare in excelſo, ideſt, in ciuitate ſancta, quæ in loco eminente conſtructa eſt, & protectorem eſſe, atque defenſorem illius. Ideo, *impleuit Sion iudicio, & iuſtitia*, illam vindicando ab hoſtibus ſuis. Et quoniã *Sion* fuit typus Eccleſiæ Chriſtianæ, hęc omnia multo excellentius adimpleta ſunt in aduentu Domini, qui ſanguinẽ ſuum pro peccatis noſtris abundanter effundens, ex iuſtitia nos redemit à peccatis noſtris, & principem tenebrarum, qui deuaſtauerat vniuerſum orbem, eiecit foras.

Eccleſiam redemit Chriſtus ex iuſtitia.

Tunc ergo vere impleuit Dominus *Sion*, ideſt Eccleſiam, *iudicio, & iuſtitia*, ideſt, vera religione, & ſanctitate. *Iudicio*, inquam, illo, *& iuſtitia*, de quibus prædixerat ſupra.

Iſai. 35. e

*Et habitabit in ſolitudine iudicium & iuſtitia in Carmel ſedebit.* Et iterum.

Iſai. 1. f

*Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia.* Vnde per apoſtrophen conuerſus ad Eccleſiã ſubdit. *Et erit fides in tẽporibus tuis: diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus eius*,

Iſai. 1. f

ideſt. *tunc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* Quia in te regnabit veritas, fortitudo, ſapientia, & ſcientia, & prudẽtia, timor Domini ac reliqua dona Spiritus ſancti. deſignans per hæc verba plenitudinẽ gratiæ, & donorum ſpiritualiũ, & cœleſtiũ ſuper Eccleſiam effundẽdam eſſe, quod ad literam impletum eſt in die Pentecoſtes, in quo omnibus ſpiritualibus diuitijs, atque theſauris impleta eſt Eccleſia. Obſeruandum eſt autem, quod non dixit, ſapientia, vel ſcientia Domini eſt theſaurus eius, ſed inquit, *timor Domini ipſe eſt theſaurus eius:* quoniam, *initium ſapientiæ timor* Domini. Et *timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi*, non timor pœnę, ſeu timor ſeruilis, quem perfecta charitas mittit foras, ſed timor filialis & reuerentialis maieſtatis diuinæ. Lege quæ de his donis Spiritus ſancti, & ſpecialiter de timore, diximus ſuperius.

Pſ. 111.
Pſal. 18.
Timor filialis eſt theſaurus animæ *
Sup. cap. 8. num. 22. & cap. 11. n. 3. & ſeq.

5 *Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.* Vt notauit S. Thom. *Theſaurus*, eſt diuitiæ congregatæ: nam effuſæ & ſparſæ in diuerſis, non dicuntur theſaurus, ſed quæ in vno ſunt. Vnde quia in ſapientia diuina reperiuntur ſimul omnia bona, quæ in creaturis diuiſa ſunt, ideo dicitur *theſaurus*; Sap. 7. *Infinitus .n. theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ* Dei.

S. Tom. ad coloſſ. 2. lect. 1. in medio.
Theſaurus quid ſit.
Sap. 7.

Quia ergo in timore Dei multa bona ſpiritualia reperiuntur vnita in homine iuſto, ideo ipſe *timor* eſt theſaurus eius. Primo. n. timor Domini animã fixam tenet in bono, ſicut profundæ radices tenent arborem, ne à vento tentationum commoueri poſſit. Dicit enim Chryſoſtomus. *Quemadmodum quercus altius dimiſſis radicibus, nullius venti viribus ſternitur, ita animam diuino confixam timore, nullus tentationis ventus euellet: idcirco iniquit Propheta. Confige timore tuo carnes meas.* Hoc timore confixus erat, & immobilis Ioannes Baptiſta, quem aura illa popularis, & tentatio terribilis mutare non potuit, nec diuertere à veritate; ſed volentibus illum tãquam verũ Meſ-

Timor q̃ bona cauſet.
Chryſoſt. hom. 53. in Ioan. to. 3.
Ioannis Baptiſtæ conſtantia *

ſiam



ſiam recipere, conſtanter reſpondit *quia non ſum ego Chriſtus.* Propter quod in laudem ipſius dixit Saluator ad turbas. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* quaſi diceret, non eſt Ioannes arundo leuis, & vacua, & abſque profunda radice, vt declinet quocumque agitat eo vẽtus. Talis enim eſſe videretur, vt notauit Cyrillus, ſi quæ cognouit, ex leuitate ſe ignorare fateretur.

Ioan. 1. c
Mat. 11.
Cyrillus.

Vnde timor Dei comparatur tignis imputribilibus, & ſolidis, quibus domus ſpiritualis ſuſtinetur, ne vacillet, ne cadat, ait enim: *Tigna domorum noſtrarum cedrina.* vbi Bernardus: *Curate* (inquit) *fratres ſpirituali huic ædificio (quod eſtis vos) ne forte, cum in ſuperiora proficere cœperit, vacillet, & corruat ſi tignis fortibus non fuerit ſubnixũ, & colligatum. Curate inquam illi tigna dare imputribilia, & immobilia, timorem videlicet* Domini *illum caſtum, qui permanet in ſæculum ſæculi.*

Timor Dei comparatur tignis. *
Cant. 1.
Bern. ſer. 46. in cãt.

Hinc & ſapiens ait. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Et iterum. *Si nõ in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubertetur domus tua.* * *Omne namque virtutum ædificium illico vergit in præcipitiũ, ſi huius gratiæ amiſerit præſidium.* Vnde Salomon ait. *In timore Domini eſto quotidie, quia habebis ſpem in nouiſſimo, præſtolatio tua non auferetur.* Hinc & Apoſtolus. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini:* ſed quid plura? Connexa ſunt timor & religio, nec manere poteſt alterum abſque altero. Vnde Cornelius vir religioſus fuit ac timens Deum, & Simeon iuſtus & timoratus. Hinc Salomon: *Deum* (inquit) *time, & mandata eius obſerua.* Et, vt omnia vnico verbo percurram. Si delectationẽ quæris, & gaudium, aut longam vitã, *timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiã, & gaudiũ, & longitudinem dierum.* Si gloriam; *timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.* Si beatitudinẽ, *Beati oẽs qui timent Dominum.* Denique timor Dei *ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*, vt ſciamus ſub ſe omnia bona ſpiritualia tãquam theſaurum cõtinere, *quia nihil deeſt timentibus eum.*

Prou. 14 d
Eccli. 27. a
*Ber. ĩ ſer. de. 7. donis Spirit. ſancti ca. 1.
Phil. 2. a
Act. 10. e
Luc. 2. d
Eccleſ. 12. d
Eccli. 1. b
Ibid.
Pſa. 127.
Eccli. 25. b

6 *Ecce videntes clamabũt foris: Angeli pacis amarè flebunt.* Vatablus, & Pagninus vertunt. *Ecce nuncij clamabunt foris.* Reuertitur Iſaias ad Regem Sennacherib, & deſcribit potentiam exercitus eius, & vim maximam, qua Ezechiam & vniuerſam Iudæam opprimere contendebat, vt in deſtructione exercitus eius magis appareat potentia Dei, & ſplendeat miſericordia eius, qua protegit in ſe ſperantes.

Sennacherib. potentia.

Et in primis declarat timorem & triſtitiam, qua premebantur Iudæi, vidẽtes potentiam exercitus Aſſyriorum, quam explicat illis verbis. *Ecce videntes clamabunt foris*, ideſt, Iudæi habitantes in ſuburbanis, *clamabunt* fugientes ad ciuitatem, & auxilium petentes. *& Angeli pacis*, ideſt, nuncij miſſi ab Ezechia, vt pacem obtinerent à Rege Aſſyriorum, remittentur vacui, & ſine honore, vt habetur infra: atq; adeò reuertentes ad Ezechiam *flebunt amarè:* nam propter malorum magnitudinem, præ dolore & triſtitia, lingua eorum adhęrebat palato, & lachymis atque ſuſpirijs ſuperbiam Regis Aſſyriorum, & ruinam imminentem Iudæorum prodebant. Et hæc eſt explicatio literalis, quam ſequitur S. Thomas, & plerique alij expoſitores. Quia verò per Regem Aſſyriorum deſignantur tyranni, qui Eccleſiam Chriſti perſe-

Infr. cap. 36.

perſe-

perſequuntur, & per legatos miſſos ab Ezechia, myſtice intelliguntur Apoſtoli,& viri Apoſtolici,qui miſſi ſunt à Chriſto, vt pacem, quam moriendo nobis obtinuit, prædicarent in vniuerſo mundo: ideo in ſenſu allegorico præſens locus explicatur à multis ſanctis Doctoribus de prædicatione Euangelij: & iuxta hanc explicationem ſenſus eſt. *Ecce videntes*,ideſt Apoſtoli, qui (vt dicit Haymo) antonomaſtice dicuntur *videntes*, quia prædicauerunt, quæ viderũt proprijs oculis, & manibus contrectauerũt,Ioanne atteſtante. *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam,quæ erat apud patrem,& apparuit nobis, quod vidimus,& audiuimus,anunciamus vobis.* De quibus etiã Saluator ait. *Beati oculi, qui vident,quæ vos videtis:dico enim vobis quod multi Prophetæ, & Reges voluerũt videre quæ vos videtis,&non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Hi ergo videntes Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, & omnia, quæ in lege promiſſa ſunt, eſſe adimpleta, *clamabunt foris* prædicantes Chriſtum non in angulo,non in occulto,non in abſcondito, non in penetralibus, ſed in publico, vbi omnes conueniunt, in plateis, vt omnes audiant verbum veritatis. Scriptum eſt enim. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba ſua, dicens. Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea.* Vnde & Chriſtus Dominus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, de ſua doctrina teſtimonium perhibens,ait. *Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi cõueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Similiter etiam & Apoſtoli erant *in templo ſtantes & docentes populum.* Sciebant enim ad illos dictum eſſe, *vos eſtis lux mũdi*, ideſt, vos eſtis lux publica vniuerſi,ſicut ſol illuminat totum mundum. è contrario verò, illi qui prædicant falſam doctrinam, non clamant foris,ſed muſſitant in occulto. non veniunt ad lucem, vt non arguantur opera eorũ, diligunt tenebras, quia fures ſunt, & rapere volunt, non paſcere Chriſti oues. Vincentius Lyrinenſis, aduerſus Hæreticos loquens latibula perquirentes, *Audias* (inquit) *quoſdam, ipſorum dicere: Venite ò inſipientes & miſeri, qui vulgo Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram,quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper vero reuelata & oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atque ſecretim,delectabit enim vos. Et item:cum didiceritis,latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat: paucis namque conceſſum eſt, tanti myſterij capere ſecretum. Nõne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud Salomonis prouerbia vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum: Qui eſt,inquit, veſtrum inſipientiſſimus, diuertat ad me. Inopes autem ſenſu exhortatur dicens: panes occultos libẽter attingite,& aquam dulcem furtim bibite.* Hos notauit Chriſtus Dominus, cum dixit. *Et multi Pſeudo-prophe-*

Apoſtoli videntes antonomaſtice dicuntur: 1. Ioan. 1. a — Mat. 13 b — Apoſtolorũ prædicatio palã facta * — Prou. 1. c — Ioã. 18. — Actor. 5 e — Mat. 5. — Hæretici non in publico ſed occulte ſuas hæreſes docẽt. — Vincentĳ Lyrinẽſis aduerſus Hæreticos poſt mediũ libri. — Prou. 9. — Mat. 24 b



*prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* & poſt pauca. *Tunc ſi quis vobis dixerit:Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna,& prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere.* Quaſi dicat: nolite credere illis,qui in deſerto Chriſtum prædicant,aut in penetralibus, quoniam veritas in Eccleſia,vbi omnes conueniunt, inquirenda eſt, & prædicanda.

7 *Angeli pacis amarè flebunt.* Vt docet S. Gregorius. *Angeli pacis* ſunt Apoſtoli & prædicatores Euangelij, atque paſtores Eccleſiæ, eo quod gloriam patriæ cæleſtis annunciant. Angelus enim non eſt nomen naturæ, ſed officij; & ſignificat nunciũ.vnde Ioannes in Apocalypſi, ſeptem Eccleſijs ſcribẽs,earum Epiſcopos & prædicatores Angelos vocat. Et rurſum per Malachiam dicitur. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*,ideſt nuncius. Vnde & Hieronymus ait. *Angelus autem, ideſt nuncius,ſacerdos Dei veriſſime dicitur, quia Dei & hominum ſequeſter eſt, eiuſque ad populum nunciat voluntatem.* Et idcirco *in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina,& veritas ponitur,vt diſcamus, ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Dominicæ veritatis.* Denique ſanctus Paulus, Angelos appellauit Apoſtolos & prędicatores Euangelij, cum ſcribens ad Timotheum ait. *Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentũ, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus*, vbi inter Angelos, & prædicationem Euãgelij, nihil medium conſtituit, vt ſciamus,illum per Angelos intelligere prædicatores ſanctos, ideſt, veritatis nuncios. Hi ergo *Angeli* qui prædicauerunt pacem,*amarè flebũt*, videntes tyrannos Eccleſiam Dei impugnare,& perditos homines poſt deſideria cordis ſui ambulare. *flebunt amarè*,commiſerationis affectu peccata populi plangentes, & cum lachrymis rebelles adhortantes, vt reconcilientur Deo, ac ſimul pro illis miſericordiam Dei implorantes. Scriptum eſt enim. *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes.* Vnde & Paulus cum lachrymis populum ſibi commiſſum hortabatur, vt conuerteretur ad Dominum. Clamabat enim. *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* & iterum. *Vigilate,memoria retinentes, quoniam per triennium nocte,& die, non ceſſaui cum lachrymis monere vnumquemque veſtrum.* Cum autem Iudæi nec verbis Pauli, nec lachrymis frangerentur, ſed in ſua obſtinatione perſiſterent, triſtitia maxima afficiebatur, dolens de eorum perditione, & ad deprecandum Deum pro illorũ ſalute ſeipſum conuertens. Ait enim, *Veritatem dico in Chriſto Ieſu,nõ mẽtior,teſtimoniũ mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ.* Et ite-

Greg. 34. mor. 7. — Apoſtoli ſunt Angeli pacis * — Apoc. 2. & 3. — Malac. 2. b — Hier. ſup. cap. 2. Malachiæ. — Exo. 28 — Sacerdos doctrina polleat. — 1. Tim. 3. d — Prædicatores Euang. plorantes peccata populi prædicabũt Chriſtum * — Ioelis 2. d — 2. Cor. 5. — Act. 20. — Pauli charitas erga Iudæos. — Rõ. 9.

Rom.10 a

& iterum: *fratres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum ſit pro illis in ſalutē.* Talis debet eſſe affectus prædicatorum erga fideles, vt eorum infirmitates ſuper ſeipſos ſuſcipiant, & eorum ruinam tanquam propriā deplorent; & pietatis affectu dicant.

2.Cor.11 g

*Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* de quo vide ſupra dicta.

Sup.tom.1 in prol. ad lectorem.

Vt autem Iſaias explicet cauſam, propter quam *Angeli pacis amarè flebunt*, ſubdit.

8 *Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitam, irritum factum eſt pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.* Refert verba legatorum, qui miſſi fuerant ab Ezechia, narrantium quæ viderant & audierant. & ſenſus eſt. Omnia itinera diſſipata ſunt, & deſerta, nec reperitur aliquis, qui per eam tranſeat. Pactum etiam, quod Sennacherib inierat cum Ezechia, irritum factum eſt. Cōtempſit ciuitates Iuda, & à ſe proiecit, cum peterēt pacem, & homines eius pro nihilo reputauit. Hoc eſt quod amaro animo deflebat Hieremias.

Thren.1 a

*Viæ Sion lugent, eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem.* Et iterum.

Thren.4 a

*Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quo modo reputati ſūt in vaſa teſtea opus manuum figuli.* Hanc eandem calamitatem magis explicat Iſaias, cū ſubdit.

Iudææ deſolatio.

*Luxit & elanguit terra, confuſus eſt Libanus, & obſorduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum, & concuſſa eſt Baſan & Carmelus.* Quaſi dicat: tota terra deuaſtata eſt, & quoquo te verteris, nihil videbis niſi meram deſolationem, non ſolum in principio, & in medio, ſed etiā in omnibus finibus terræ Iudeæ. Vnde quatuor terminos Iudææ nominauit, in quibus vberes fructus producebat terra, videlicet Libanum ad Septemptrionem, de cuius loci amœnitate & vbertate plura prædixerat ſupra. Saron ad Occidentem, & eſt regio in qua latiſsimi campi tenduntur, & fertiles.

Saron terra fertilis eſt.

Baſan ad Orientem trans Iordanem, & eſt regio quam duæ Tribus & dimidia poſſederunt. Carmelum ad Meridiē. Quod ſi extremas partes Iudeę hoſtis non reliquit intactas, nec locis montuoſis pepercit, quid ſperandum erit de ciuitatibus Iudeæ, & de vineis atque hortis propinquis? hæc ſecundum literam.

Morale

Si autem oculos ad ſenſum ſpiritualem flectamus, in quo Rex Sennacherib typum geſsit diaboli, & Antichriſti, hæc quam diximus, perſequutio Aſſyriorum, deſolationem populi Chriſtiani deſignat, quam diabolus attentat & Antichriſtus ſuo tempore facere conabitur, & modo eam exequūtur illius miniſtri. Videmus enim vias mandatorum Dei diſsipatas, in quibus ambulant iuſti, & ſemitam conſiliorum, ac vitæ perfectæ ſolitariam atque inuiam.

Traſgreſſores mandatorum quā plurimi.

Olim impleta erant deſerta viris excellentiſsimæ ſanctitatis, qui ſæculo renunciantes & carni, conſilia Euangelica ſequebantur; modo autem pauci reperiuntur qui per eam tranſire velint.

Perfecti homines quā pauci.

Pſalm. 13. a

*Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Irritum factum eſt pactum, quod cū Deo fecerunt homines in ſancto baptiſmate, abrenuntiando diabolo & pompis eius.

Iſai.24 a

*Quia trangreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum,* & tantus languor ſpiritualis totam terram occupauit, vt montes firmiſſimi, ideſt, illi qui in virtute ſunt ſtabiles, concuſſi videātur, ita vt in ianuis ſit

Vide ca. 3. num. 10.

tempus



tempus illud deplorandum, de quo multo ante prædixit Saluator.

Mat.24 b

*Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebūt inuicem, & multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Et poſt pauca.

Ibid. c

*Et dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Inter hæc autem mala quid facient *Angeli pacis*, paſtores videlicet Eccleſiæ, & prædicatores Euangelij, niſi flere *amare*, cum non poſſint prædicatione ſua imminentes calamitates ſuperare?

Auguſtini mors.

Vnde & de S. Auguſt. hæc eius narrat Hiſtoria. *Anno Domini 440. cum Vuandali totam Africæ prouinciam occupaſſent, vaſtantes omnia, nec parcentes ſexui, ordini, vel ætati, poſt hoc autem ad Hypponenſem ciuitatem peruenientes ipſam manu valida obſediſſent: ſub hac tribulatione Auguſtinus, præ cæteris, ſuæ ſenectutis amariſſimam & lugubrem duxit vitam. Fueruntq; ſibi lachrymæ eius panes die, ac nocte, cum alios videret occiſos, alios effugatos, Eccleſias ſacerdotibus viduatas, ciuitates cum acolis diſſipatas.* Conſimili amaritudine plorabant Sacerdotes antiqui vaſtitatem ciuitatis Sanctæ Hieruſalem, ſicut Hieremias ait.

Thren.1 a

*Omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gementes, virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine.* Audiſti periculum maximum, in quo erat conſtitutus rex Ezechias, & vniuerſus populus Iuda, audi nunc Dei conſolationem, & miſericordiam eis exhibitam, quæ tanto ſolet eſſe gratior, quanto poſt maius periculum ſequitur.

9 *Nunc conſurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc ſubleuabor.* Pagninus. *Nunc ſurgam, dicit Dominus. Nunc exaltabo me, nunc eleuabo me.* Vatablus, *pro, ſubleuabor*, vertit. *Nunc ſublimis ero.* Humiliato ergo & deiecto populo meo (ait Dominus) quando nullum videbatur illi ſupereſſe refugium, quādo nullum credebatur adeſſe remedium: tunc miſerebor illius. *Nunc conſurgam*, quando me dormire cogitabant Aſſyrij, & nullam curam populi mei habere: *nunc exaltabor*, quando exaltati fuerant hoſtes mei, & in ſuperbiam erecti: *nunc* ſublimabor ſuper illos, vt eos deijciam, ſic enim exaltari conſueuerunt aquilæ & ſubleuari: cū prædam inter vngues capere appetunt: eleuantur in aera, vt maiori impetu ſuper prædam deſcendant.

Simile.

In vanum cedent vobis ò Aſſyrij cogitationes veſtræ, nec ſolum erunt vanæ, ſed & vobiſmetipſis non modicum inferent nocumentum. Vnde & ſubditur. *Concipietis ardorem, parietis ſtipulam.* Cogitatio in Scripturis conceptio dicitur, partus vero, opus. Sic accipitur ſupra. *Concepimus & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.*

Iſa.26.d nu. 25. & 26.

Vt explicuimus eodem loco, cogitabant Aſſyrij capere ciuitatem Hieruſalem, & Ezechiam ducere in captiuitatem, ſed eorum cogitatio, quantumuis feruēs eſſet, ſiue ardore odij, & inuidiæ plena, peperit tamen vanum opus, & inane, vnde dicuntur grauidi eſſe ſtipula.

Impiorum cogitationes ſtipulæ aſſimilantur.

Vbi obſerua, cogitationes impias, ſtipulas eſſe: & ſimiliter opera bona, quæ ex odio procedunt, quoniam vana ſunt. Scriptum eſt enim.

Pſal.2.a

*Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania.* Et iterum, *Dominus nouit cogita-*

Sennacherib excidiũ, & exercitus eius. Sup. ca. 30. nu. 51. 52. 53.

*gitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*. Item etiam dicuntur ſtipulæ, quoniam (vt latius oſtendimus ſupra) fomentum ſunt iræ Dei, & cibus, quo nutritur ignis gehennæ. Vnde & ſubditur. *Spiritus veſter vt ignis vorabit vos*, (ideſt) cogitatio veſtra ipſa erit ignis, qui vos conſumet: nam propter illam mittet Dominus Angelum de cœlo, qui vos perdat. Sequitur. *Et erunt populi quaſi de incendio cinis*. Exercitus Regis Aſſyriorum, & milites eius terribiles erant, atque inſuperabiles. ſicut lapides, qui duriſſimi ſunt, antequam in fornacem calcis mittantur, igni autem decocti in calcem conuertuntur, & in aquam miſsi reſoluuntur in cineres, ita (inquit) continget aduerſarijs populi Iſraelitici, nam virtus eorum prorſus elangueſcet, & vertetur in puluerem, cum ignis iræ Dei eos decoxerit. Conſonat hæc explicatio cum translatione Pagnini, quæ ſic habet. *Et erunt populi vt incendia calcis*. Conſonat etiam translationi Vatabli, qui ſic vertit. *Et reddentur populi exuſti ſicut calx*. Vbi expende, quam ſit contemptibilis hoſtis, mox vt in auxilium venerit Dominus, & ſuos protexerit: nam aduerſarius quantumuis alias fortiſsimus, & omnes eius machinationes comparantur ſtramini, & ſtipulæ, & Dei ira & fortitudo confertur igni. Nam ſicut ſtramen aut ſtipula non valent igni reſiſtere, ita neque aduerſarij Deo. Et hac ſimilitudine vſus eſt etiam ſupra cap. 5. cum dixit, *ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet*. Denique illos comparat ſpinis, cum ſubdit: *Spinæ congregatæ igni comburentur*. Illi velut ſpinæ populis Iuda infeſtiſsimi fuerunt, & moleſti, cum circuierunt terram illam, ſed poſtmodum ſpinæ iſtæ congregatæ tradentur igni inextinguibili, iuxta illud quod dictum eſt ſupra. *Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum*. In lacum, inquam, vbi non eſt aqua, ſed ignis ardens tota die. Conſonat hæc explicatio cum translatione 70. virorum, qui vbi nos legimus, *concipietis ardorem &c.* transferunt. *Vana erit fortitudo ſpiritus veſtri, ignis vos deuorabit, erunt gentes combuſtæ ſicut ſpinæ in agro proiectæ, atque combuſtæ*. Vbi obſerua quod ſpinæ, quando creſcunt in agro inter triticum, maximum nocumentum inferunt ſemini, quia ſicut dicitur Matthæi 13. ſuffocant illud, ne proferat fructum tempore ſuo, cæterum ſi eradicentur ſpinæ, ſi congregentur in agro, & tradantur igni, & conuertantur in cineres, faciunt terram vberius fructificare. Non aliter Rex Aſſyriorum & exercitus eius, cum diſcurrebant per vniuerſam Iudæam, opprimebant tanquam ſpinæ filios Iſrael, iſtos pungentes, illos lacerantes, & conijcientes alios in deſperationis periculum, ſed cum ab Angelo occiſi ſunt, & eorum cadauera in agro congregata, vtiles eſſe coeperunt terræ, quia videntes quæ fecerat Dominus in hoſtibus ſuis, timebant & glorificabant illum; Vnde & ſubditur.

Reprobi cõferuntur ſpinis.*

Iſai. 24. d

Mat. 13 c

11 *Audite qui longe eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam*. Miracula ſua Deus



Ad verbũ Dei audiẽdum hortantur oẽs

Deus omnibus vult eſſe nota, & propinquis, & diſtantibus, ideſt, fidelibus, & infidelibus, Iudæis, & gentibus, (vt explicat Beatus Cyrillus.) Et ad eundem modum loquendi alluſiſſe videtur Apoſtolus, cum dixit ad Epheſios 2. *Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem ijs, qui prope*. Longinquorum autem eſt audire, propinquorum vero cognoſcere, & videre, & manibus contrectare Dei mirabilia. Omnes inuitat, & hortatur, vt cognoſcant & admirentur fortitudinem eius, ne alteri cuipiam adſcribatur victoria, niſi ſoli virtuti illius. Duo autem conſideratione digna proponit: alterum eſt repentina contritio Regis Aſſyriorum, quam proſequitur ſequenti capite: Alterum vero eſt timor, qui inuaſit omnes audientes ruinam exercitus eius. & de hoc agit in verſu ſequenti; ſubditur enim. *Conterriti ſunt in Sion peccatores: poſſedit timor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Ad claram intelligentiam huius loci, conſiderandum eſt, quod cum populus Iuda, & habitantes Hieruſalem vidiſſent inopinatam, & inſperatam Aſſyriorum vindictam, præſertim Doctores, & Scribæ, atque Sacerdotes, qui ad humana confugiebant auxilia, ſalutem ab hominibus, & non a Deo ſperantes, non ad laudandum Deum, & illum colendum excitati ſunt: ſed ſicut gentes idololatræ obſtupuerunt, & erga Deum, qui ſic punire poteſt, quaſi male affecti, dicebant ad inuicem. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* Quaſi dicerent: quis poterit ſuſtinere Deum tam terribilem & fortem? quis illæſus poterit eſſe iuxta illum? Talem ſtuporem, & timorem conceperunt idololatræ, & in conſimilia verba proruperunt, cum vidiſſent cadauera mortuorum, quos occidit arca Domini. Ait enim Scriptura. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo Septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percuſiſſet plebem plaga magna. Et dixerunt viri Bethſamitæ: Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? Et ad quem aſcendet a nobis? Miſeruntque nuncios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: reduxerunt Philiſthijm arcam Domini, deſcendite & reducite eam ad vos*. Vide hominum peſſimorum affectum. Cum viderent miraculum factum, debuiſſent ad Deum conuerti, & credere in eum, & ex toto corde diligere; inſuper & arcam teſtamenti venerari: & tamen in ſtuporem conuerſi, eam à ſe proijcere ſtuduerunt. Non diſſimili affectu Iudæi increduli videntes mirabilia, quæ per Angelum operatus eſt Dominus in Aſſyriorum exercitu, dicebant ſtupefacti, & conterriti, *quis poterit ſtare in conſpectu Dei, quis cum igne deuorante* poterit commorari? Vide ſtoliditatem. Ab eo fugere conantur, qui de hoſte potentiſsimo illos eripuit: Quaſi exoſam habentes Dei miſericordiam, illum ignem deuorantem appellant, & ardoribus conferunt ſempiternis. Videtur autem Propheta, appellando eos hypocritas, reſpexiſſe ad Scribas, & Phariſæos,

1. Reg. 6. d

Reprobi duriores fiunt miraculis Dei viſis*

Scribæ & Phariſæi adhærere Xpo nō potuerunt.

riſæos, qui non magis potuerunt ſanctitati Chriſti Redemptoris noſtri, & doctrinæ illius aſſociari, quam igni deuoranti, vel ardoribus ſempiternis. Vnde & illum à ſe abijcere curarunt, & tradere in manus peccatorum.

Bern. de modo bene viuendi ad ſororē cap. 61.

12 *Qui ambulat in iuſtitijs: & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videant malum.* Reſpondet interrogationi propoſitæ, tacite increpans hypocritas illos, & arguens de peccatis, propter quæ ipſi non poterant habitare cum igne deuorante, & familiares Deo eſſe: & conſtituit quatuor conditiones ſeu qualitates eorum, qui abſque vlla formidine coniunguntur Deo. Prima eſt, quod ſit iuſtus. *Impius enim fugit, nemine perſequente.* Hanc tangit illis verbis, *qui ambulat in iuſtitijs*. Secunda eſt, quod ſit verax in omnibus verbis ſuis. Cum enim Deus ſit prima veritas, neceſſe eſt, vt perdat omnes qui loquuntur mendacium. Tertia, quod non ſit auarus, ſed à ſe proijciat pecuniam *ex calumnia*, ideſt, quæ colligitur ex calumnijs, & oppreſſionibus pauperum: & excutiat manus ſuas, ne accipiat munera, quæ conſueuerunt corrumpere iudicium. Vnde Pſalmiſta loquens de impijs, qui à cœleſtium participatione excluſi ſunt, ait. *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* ac ſi diceret, quamuis opera eorum videantur bona, tamen plus lætantur in muneribus, quàm in bonis operibus; magis volunt ab hominibus accipere dona, quàm à Chriſto æterna bona, vt Bernardus dicit. Sanctus etiam Hieronymus ait. *Dulces litteras, & ſudariola, & crebra munuſcula ſanctus amor non habet*, & Sanctus Iſidorus inquit. *Non poteſt oculus mentis alta videre, quem puluis claudit.* Ex quibus conſtat, quàm periculoſum ſit diligere munera, & humanas inſequi retributiones. Vatablus vertit. *Excutiens manus ſuas, ne munus contrectent.* munera enim, quibus iuſtitia corrumpitur, non ſolum accipienda non ſunt, ſed nec tangenda quidem, aut contrectanda. Quarta, quod non ſit iudex crudelis, admittens facile delatores, cupientes hominum ſanguinem effundere; neque etiam ſit nimis remiſſus, facile indulgens peccatoribus, & diſſimulans eorum peccata: ſed ita odio proſequatur illa, vt etiam claudat oculos *ne videant malum*, ideſt, ita auerſetur impietatem, vt etiam videre eam non ſuſtineat: & hanc tangit ab illis verbis *qui obturat aures ſuas, &c.* Senſus ergo eſt. Vos ò Iudæi hypocritæ non poteritis cum Deo habitare, quoniam iniuſti eſtis, & mendaces: auari & crudeles, qui non ſolum non obturaſtis aures veſtras ne audiretis falſum eorum teſtimonium, qui ſitiebant ſanguinem Chriſti, ſed etiam clamaſtis *tolle tolle crucifige eum*, & impia contentione dixiſtis. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* & ita diſſimulabatis iniquitates populi, vt ſocij furum efficeremini. Quæ ergo ſocietas poterit eſſe inter vos & Deum? aut quæ ſocietas Chriſti ad Belial? Qui autem omnibus prædictis conditionibus præditus fuerit, iſte

Prou. 18 a

Deo fruētur q quatuor habuerint conditiones *

Munera excutiēda ſunt.

Pſal. 25

Hier. epiſt. 2. ad Nepotianum. to. 1. & in reg. monach. ad Paulam c. 20.

Iudicis qualitates.

Marci 15. b Mat. 27 c

non



non ſolum poterit habitare cum Deo in hoc ſæculo, ſed etiam in perpetuū regnare cum illo. Conſonat hic locus cum verbis Pſalmiſtæ. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Ecce quæſtionem quam in ſuperioribus verbis propoſuerāt Scribæ, & Phariſæi; eadem enim eſt hæc interrogatio, ac ſi diceret, Domine quis habitabit *cum igne deuorante*, aut commorari ſimul *cum ardoribus ſempiternis*? ideſt, in eodem tabernaculo quieſcere cum Deo, qui ignis conſumens eſt? Sed audi reſponſionem. *Qui ingreditur*, inquit, *ſine macula, & operatur iuſtitiam. qui loquitur veritatem in corde ſuo. qui non egit dolum in lingua ſua: nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium nō accepit aduerſus proximos ſuos. qui iurat proximo ſuo & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Expende omnia iſta verba, & videbis continere omnes conditiones & virtutes, quas exigit Iſaias in hoc loco, vt quis poſſit ſecurè cum Deo habitare. Sicut ergo Propheta regius poſt prædicta verba concludit: *qui facit hæc non commouebitur in æternum*, ideſt, in æternum erit ſtabilis ante Deum, & pacificè fruetur eius præſentia: ita & Iſaias conſimilem infert concluſionem; ſubditur enim.

Pſal. 14. a

Cœlū aſcēſurus quas debeat habere conditiones.

Ibidē. a

Ibid.

13 *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.* Excelſa habitare, eſt confidenter viuere, & quaſi in altis turribus, aut montibus, in quibus, ſaxis ipſis muniuntur homines, ne ab hoſtibus aliquid patiantur mali. Illi autem qui in turribus munitiſsimis habitant, non aliter ſuperari poſſunt, aut capi, niſi fame aut ſiti compellantur ſe ipſos hoſtibus tradere. Sed hoc periculum non illis cōtinget, qui habitauerint in excelſis. Habent enim panem peremnem, quo ſatientur, & aquas fideles, hoc eſt indeficiētes, vt ſitim extinguant. Nomine panis & aquæ, abundantiam omnium bonorū intelligit, & ſenſus eſt: Nihil illis deerit, qui habitauerint in excelſis. S. Greg. ſic explicat hæc & præcedentia verba. *Quid eſt* (inquit) *obturare aures ſuas, ne audiat ſanguinem, niſi peccatis ſuadentibus, quæ de ſanguine, & carne naſcuntur, non præbere conſenſum? Et quid eſt, ne malum videat, oculos claudere: niſi omne quod rectitudini aduerſum eſt, non approbare? Iſte in excelſis habitabit, quia quamuis eum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem iā in ſublimibus fixit. Munimenta ſaxorum ſublimitas eius: quia qui obiecta deſideria terrenæ conſeruationis calcat, ad ſupernam patriam per præcedentium Patrum exempla ſe ſubleuat. Et quia per contemplationis donum gratia ſpiritali ſatiatur, apte ſubiungitur. Panis ei datus eſt, ideſt refectionem ſpiritalis gratiæ percipit: quia ſe à bonis infimis, cœleſtia ſperando, ſuſpendit. Hinc etiam de ſancta Eccleſia per David Dominus dicit. Pauperes eius ſaturabo panibus: quia in illa mentes humilium poſitæ, ſpiritalium implentur refectione donorum.* Sequitur. *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius.* Nōnulli referūt hæc verba ad Regem Ezechiam, quem tempore obſidionis viderunt Iudæi abiectum præ triſtitia, & inuolutum ſacco; ſed poſtquam Dominus miſericorditer illum eripuit de manu Regis Aſſyriorum, & tranquillitas reddita eſt & ſecuritas ciuitatibus Iudæ,

Securitas ſanctorum

S. Greg. 23 moral. 17.

 vide-

viderunt eum in maieſtate ſua, & decore. At quoniam Ezechias typũ Saluatoris noſtri geſsit, illum potius hæc verba reſpiciunt. Et ſenſus eſt. Viderunt quidem proprijs oculis Chriſtum Dominum in cruce deſpectum & contemptum, ſicut dicitur infra: *Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: Deſpectum & nouiſſimum virorum, virũ dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eũ.* at poſtquam per mortẽ ſuam de poteſtate principis tenebrarum victor euaſit, poſtquam glorioſus ſurrexit à mortuis, viderunt eum in decore ſuo. Vnde & præ magnitudine gaudij clamabant adinuicem, *vidimus Dominum*. Videbunt inſuper illum in decore ſuo, cum venerit cum poteſtate magna, & maieſtate. Sic explicat iſtum locum B. Proſper, & Cyprianus. Expendatur illud verbum *in decore ſuo*. Quo ſignificatur, decorem & gloriam, fulgorem & ſplendorem, in quo aliquando videbitur, proprium eſſe ſuum, & ſibi debitum, non autem acceptum ab alio gratuita donatione. Dicit enim Apoſtolus: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem* Deo. Et rurſus: *qui cum ſit ſplendor patris & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, ſedet ad dexterã maieſtatis Dei in excelſis*. Ex alieno apparuit inter nos deſpectus, & nouiſsimus virorum, ſed ex proprio apparebit glorioſus. Non enim mutuatum, ſed ſibi proprium habet decorem: nos autem, qui natura ſumus filij iræ, ex acceptis ab eo per gratuitam donationẽ decoramur. Scriptum eſt enim: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Quid accepimus? niſi gratiam, fortitudinem, ſplendorem omnium virtutum, & decorem? Vnde & de muliere forti per quam Eccleſia, & fidelis anima deſignantur, inquit Sapiens. *Fortitudo & decor indumentum eius. Indumentum* (inquit) quoniam extrinſecus aduenit omnis decor eius, ab alio donatur, non eſt innatus, nec debitus naturæ, ſed ex gratia acceptus. Hinc & Hieremias, vt inſinuaret omnem decorem, quem habent iuſti, ex Deo eſſe, inquit, *Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam: rugiens rugiet ſuper decorem ſuum*. Omnis namque ſplendor, & decor, quo ſuper cæteras nationes fulgebant Hebræi, non erat proprius ipſorum, ſed Dei, & à Deo acceptus.

Iſaiæ 53

Reſurrectionis Xp̃i ſplendor & gloria.

Ioa. 20.

Proſper de prædictionibus Dei parte 3. promiſs. 2. Cypr. lib 2. aduerſus Iudæos. 28

Philip. 2 a

Heb. 1. a

Chriſtus ex alieno apparuit deſpectus, ſed ex pro prio glorioſus.

Ioan. 1.

Homo nihil boni ex ſe habet.

Prou. 31

Hier. 25 f

14 *Cernent terram de longe.* Hæc verba poſſunt dupliciter explicari. Primo ita vt terra accipiatur pro terra viuentiũ, de qua dicit Pſalmiſta, loquens cum Deo. *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.* Dicitur Beatitudo illa cœleſtis, terra, propter ſtabilitatem & immobilitatem quia videlicet in perpetuum ſtat. hanc enim immobilitatem habet terra, Salomone dicente: *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat.* Et tunc ſenſus eſt. Illi, qui habitauerint cum Deo, adhuc viuentes in carne mortali cernent, & à longe ſalutabunt patriam illam coeleſtem, quoniam peregrini & hoſpites erũt ſuper terram, quoniam non habebunt hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirent: vnde & in laudem ſanctorum Confeſſorum canit Eccleſia. *In hoc corpore conſtituti, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuerſati ſunt*. De longe cernebat patriam illam coeleſtem qui dixit: *Si*

Pſ. 141. d

Beatitudo terra dicitur propter ſtabilitatẽ.

Eccls. 1. a

Patriæ cœleſtis continuã memoriã habẽt electi.

*oblitus*



*oblitus fuero hic Hieruſalem, obliuioni detur dexera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis ſi non meminero tui. Si non propoſuero tui Hieruſalẽ in principio lætitiæ meæ.* Quid enim delectare poterit oculos eorum, qui peregrinantur à Domino ambulantes per fidem, & non per ſpeciem, niſi patriæ prædilectæ continua meditatio? Non demiſſo capite, ſicut cætera animantia, ſed erecto creatus eſt homo, vt ipſa corporis diſpoſitio doceret eum non terrena aſpicere, ſed cœleſtia. Vnde non homines, ſed iumenta inſipientiſſima reputandi ſunt illi, qui *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. Si vero terra accipiatur pro rebus terrenis, tunc ſenſus eſt. Ille qui in excelſis habitauerit, à longe aſpiciet omnia, quæ in hoc mundo tranſeunt, nec reputabit ea magna, ſed parua. Sicut qui in cacumine montium cõſtitutus, reſpicit ea, quæ ſunt inferius, & ſi magna ſint, parua illa reputat, & exigua, vnde & Chryſoſtomus ait. *In altum aſcendentes, non amplius vllam rerũ admirabimur humanarum, ſed ſicut poſtquam in montium verticẽ aſcenderimus, parua nobis & vrbs & moenia eſſe videntur, & formicarum more nobis viri ſuper terram ire videntur: ſic poſtquam ſupra celſam philoſophiæ cogitationem aſcenderis, nihil te terrenorũ percellere poterit, ſed parua videbuntur omnia, & diuitiæ & gloria, & potentia & honor, & ſi quid aliud huiuſmodi, cum cœleſtia reſpicias, ſicut & Paulo parua omnia videbantur, & mortuis inutiliora, quæ in hac vita ſunt ſplendida. Propterea & clamabat dicens. Mihi mundus crucifixus eſt. Propterea & nos admonet dicens. Quæ ſurſum ſunt ſapite. Quæ ſurſũ ſunt. Qualia dicis? dic mihi: vbi ſol? vbi luna? non inquit. Sed vbi? vbi Angeli, vbi Archangeli? vbi Cherubin & Seraphin? non, inquit. ſed vbi? vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*. Qui ergo in tam ſublimi loco habitauerit, terram cernet de lõge, & omnia terrena quaſi nihilum reputabit.

Pſ. 136.

Pſa. 16. e

Terrena parua vidẽ tur electis quia à lon ge aſpiciũt illa. *

Chriſ. ho. 15. ad pop. col. 4. to. 5.

Galat. 6 d

Coloſ. 3. a

15 *Cor tuum meditabitur timorem, vbi eſt literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?* Paulus Apoſtolus eos, qui ex gentibus conuerſi fuerant admonet dicens. *Qui ſtat videat ne cadat*. Et iterum ait. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Quia quantũuis aliquis meritis eximijs polleat, ſemper tamen, dum viuit in hoc corpore, multis periculis eſt expoſitus Habemus enim theſaurũ iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ex Deo ſit, & non ex nobis. Cum ergo Iſaias ſermonem feciſſet de his qui terrena deſpicientes, cœleſtia ſolum præ oculis habent, ne ſecuritate nimia deſides efficiantur, hortatur eos ad timorem. Vbi obſerua, quod non dixit, cor tuum timeat, vel, timebit, *ſed cor tuum meditabitur timorem,* ideſt, cauſas timoris. Sicut qui in ſpecula diligenter conſiderat, qua via poſſunt hoſtes impetere ciuitatem, & cũ videt aliquos de longe venientes, meditatur, & diſcutit, vtrum amici ſint vel inimici, ſemperq; eſt pauidus, quouſq; veritatem comprehendat. Simili timore occupatur cor iuſti, ſciẽs quoniã ſuo libero arbitrio poteſt amittere theſaurum gratiæ, & eſſe quamplurimos ſpirituales hoſtes, qui illũ deprædari contendunt. Vnde & per Salomonem dicitur. *Beatus homo qui ſẽper eſt pauidus.* Et vt ad huiuſmodi timorem eos inducat, propo-

1. Cor. 10. e

Phil. 2. b

Timor iuſtis neceſſarius.

Timorem meditari eſt cauſas timoris ex pendere.

Prou. 28 c



nit

nit exemplum eorum, qui videbãtur eſſe ſapientes, & multa Dei myſteria cognoſcere, & tamen quia non in timore Dei fundati erant, perierunt, & eorum memoria non inuenitur amplius, nec potuerũt populum Iudæorum ab imminẽti periculo Regis Aſſyriorum liberare. Hoc deſignant illa verba. *Vbi eſt liberatus, &c.* Et in hoc ſenſu adducit ea Paulus Apoſtolus, cum ait. *Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Quis ergo non timebit, cum videat ſapientes reprobatos à Deo, & ſtultos mundi, gratia Dei & ſapientia repletos? *Quis non timebit te ò Rex gentium? tuum eſt enim decus inter cunctos ſapientes gentium, & in vniuerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui, pariter inſipientes & fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum ſignum eſt.* Ac ſi apertius dicat. Ex tua miſericordia & liberalitate pendet omne decus, & omnis ſapientia: Et pro tua libera voluntate, ſed iuſta, abſcondiſti à ſapientibus & prudẽtibus, quæ reuelaſti paruulis; illos humilias, & iſtos exaltas, quis ergo *non timebit te?* Vt autem explicet Iſaias, quanta bona ſpiritualia pariter cum timore Domini iuſtus poſſideat, & quam ſecurus in medio laqueorum incedat, ſubdit.

1.Cor.1. c

Hier. 10. a

16 *Populum impudentem non videbis, populum alti ſermonis, ita vt non poſſis intelligere diſertitudinem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia.* Multa exemplaria antiqua habent. *Populum impudentem non videbis.* Sed B. Hieron. & Haymo legunt, *populum impudentem*, & ita re vera legendum eſt, vt patet ex Biblia Vaticana Romæ impreſſa anno Domini 1593. In præsẽti ergo loquitur Propheta cũ viris timoratis, quos de manu Regis Aſſyriorũ Dominus liberauit. Et ſenſus eſt. Timebatis populum peregrinum, exercitum Sennacherib, populum impudentem, qui contra vos ſuperba loquutus fuerat. Populum barbarum & peregrinæ linguæ, cuius ſermonem intelligere non valetis: ſed iam deinceps non videbitis illum intra moenia veſtra. Ego enim diſperdam eum, & longe proijciam. Hæc eſt cõmunis explicatio huius loci. Haymo vero per *populum impudentem*, intelligit Platonem, Ariſtotelem, & alios Philoſophos gentiles, qui inuerecunde miſcuerunt falſa veris. Poſſunt etiam intelligi Hæretici, qui frontem obfirmãt contra Eccleſiam, & in folijs verborum atque humana eloquentia potius confidunt, quã in ſpiritu, & veritate; qui dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Hos inquit non videbũt nec ſuſtinere poterunt illi, qui timent Dominum, & proteguntur ab illo, ſed longe eos repellẽt: ne modicum fermentũ totam maſſam corrumpat. Vnde & Apoſtolus ait. *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam admonitionẽ deuita.* & iterum. *Cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Hoc documentũ ſequutus eſt B. Antonius Abbas. *Nunquã Schiſmaticorum ſe miſcuit communioni. Nunquam Manichæis aut alijs Hæreticis ſaltim amicabilia verba largitus eſt: niſi tantum ea quæ eos poſſent ab iniquitatis errore reuocare, denuncians talium amicitias, atque ſermones, perditionem eſſe animæ. Sic etiam Arrianos deteſtabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta*

S. Hieron.

Haymo

Hæretici nõ ſunt ſuſtinendi.

Titum 3 c

1.Cor.5. d

*eos*



*eos quidem eſſe accedendũ. Quapropter dicebat: cuſtodienda eſt pia fides in Chriſto, & patrum religioſa traditio, quam ex ſcripturarum lectione, & crebro meæ paruitatis didiciſtis admonitu.*

17 *Reſpice Sion Ciuitatem ſolemnitatis noſtræ.* Extincto per Angelum Aſsyriorum exercitu, & Rege Sennacherib in fugam conuerſo, tantam repromittit filijs Iſrael fœlicitatem, & pacem, vt abſque vllo impedimento, aut perturbatione omnes veniant ad ſolemnitatem in ciuitatem ſanctam Hieruſalem, & pro inopia præterita omnium rerum abundantiam habeant. Ideo Sermonem conuertens ad eos, de quibus ſupra dixerat, *qui ambulat in iuſtitijs & loquitur veritatem, &c. iſte in excelſis habitabit;* hortatur eos, vt oculos mentis ad ſanctam illam ciuitatẽ conuertant. Sed quoniam omnia in figura contingebãt illis, & nihil ad perfectum adduxit lex, non propter illos, nec propter ciuitatem terrenã, ſed propter nos, & propter Eccleſiã Catholicam principaliter hæc ſcripta ſunt, & poſſunt in duplici ſenſu accipi. Primo, ita vt intelligantur de Eccleſia Chriſti militante. Secundo, ita vt loquatur de Eccleſia triũphante. & in hoc duplici ſenſu proſequemur hæc verba, & ſequentia vſque ad finem capitis. Igitur iuxta primam explicationem ſenſus eſt, O Sion, o fidelis qui credis in Chriſtũ, qui ambulas in iuſtitijs, qui loqueris veritatem, qui proijcis auaritiã, qui claudis oculos tuos, ne videant malum, qui populum impudentem & ſe à Chriſto Domino auertentem ſuſtinere nõ potes, eleua oculos tuos & reſpice, atque attente conſidera Eccleſiam ſanctam Catholicã, intra quam, Dei miſericordia, per baptiſmum regeneratus es. Reſpice ciuitatem ſupra montẽ, qui Chriſtus eſt, poſitam, atque fundatã, *Ciuitatem ſolemnitatis noſtræ*, extra quam nullum gaudium, nulla feſtiuitas, nulla lætitia nobis, qui fideles ſumus, eſſe poteſt: *Ciuitatẽ ſolemnitatis noſtræ*, cuius dies feſti nunquam conuertentur in lamentationem & luctum, ſed coniungentur æternis gaudijs. Quid tibi cum ſolemnitatibus impiorum, & cum diebus ſolemnibus infideliũ? Memorare quem ſint habituri finẽ. Ait enim Dominus per Prophetam: *Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum, & inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium, & ponam eam quaſi luctum vnigeniti, & nouiſſima eius quaſi diem amarum.* Nec ſolum attendas ad temporales feſtiuitates, quas per anni circulum Eccleſia celebrat, ſed multo magis reſpice ſupernam illam ciuitatem noſtram, quam inquirimus, & ſolemnitatem eius æternam. Quid enim prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi deeſſe contingat feſtis Angelorum? ait autem, *reſpice*, in ſingulari, & non, reſpicite, vt vnitatẽ eorum, qui ſub vna fide, quæ per dilectionẽ operatur, ad patriam cœleſtẽ properãt, deſignet: aut vero vt ſciamus, paucos eſſe qui ex toto corde cœleſtia perquirant. *Omnes enim declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*

Eccleſiæ Catholicæ excellentia.

Amoſ.8. c

Pſ.13. b

18 *Oculi tui videbunt Hieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Deſcribit excellentias Catholicæ Eccleſiæ militantis, & ſub illa gloriam deſignat

Eccleſiæ habitatio opulenta.

trium-

triumphantis,& in primis aſſerit, habitationē eius eſſe opulentam. Quod Eccleſiæ competit Catholicæ, in qua pretioſo corpore & ſanguine Saluatoris noſtri paſcimur & potamur, & repleti ſumus in illo omnibus ſpiritualibus diuitijs, Apoſtolo atteſtāte. [Coloſ. 2. b] *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* & iterum: [1. Cor. 1. a] *In omnibus diuites facti eſtis. in omni verbo & in omni ſcientia ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita ut nihil vobis deſit in vlla gratia.* Quæ omnia multo excellentius contingent electis in Eccleſia triumphanti, vbi erit Deus omnia in omnibus. Cum enim beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, nihil deeſſe poterit Beatis. Deinde ſtabilitatem maximam & firmitatem Eccleſiæ oſtendit, contra quam portæ inferi præualere non poterunt. Et appellat Eccleſiam *tabernaculum*, quia in loco paſcuæ eſt conſtitutum, ſicut illud erigunt paſtores in deſerto, vbi paſcuntur oues, vt ab iniurijs temporis protegantur. [Eccleſia tabernaculū dicitur & quare.] Item etiam dicitur tabernaculum, vt ſciamus Eccleſiam militantem eos protegere, qui tanquam aduenæ & peregrini per deſertum præſentis vitæ ad gloriam properant triumphantis. Et ſumitur ſimilitudo à tabernaculis, quibus in deſerto protegebātur filij Iſrael, cum ad terram promiſsionis dirigerent greſſus ſuos. Horum tabernaculorum pulchritudinem admirabatur qui dixit. [Num. 24. a] *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas.* Denique cum poſuiſſet Iſaias Eccleſiam ciuitatē munitā ſuper firmiſsimam petrā fundatā, conſulto illius conditionem paxillorū ſimilitudine explicuit, atque tabernaculi, cuius ea eſt natura, vt ſtati aliò transferri poſsit. In quo nos admonitos eſſe voluit, quod quamuis infirmus & inſtabilis Eccleſiæ ſtatus ab impijs, & infidelibꝰ iudicetur, ſciamus tamen moueri aut labefactari non poſſe. [Eccleſiam nulla aduerſitas poteſt cōmouere.] Nam aduerſus turbines, & tempeſtates, aduerſus omnium hoſtium impetus, præter apprehenſionem aut ſpem ingenij humani, ſtabilis perſiſtit. Et cauſam aſsignat, cur ſtabilis perſeueret, cum ſit tentoriū; quia videlicet in eo habitat Dominus. Quam rationem etiam tetigit Pſalmiſta, [Pſalm. 45. b] *Sanctificauit* inquiens *tabernaculum ſuum altiſsimus. Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Ac ſi apertius dicat: ideò tabernaculum Eccleſiæ non cōmouebitur, quia Deus eſt in medio eius, ipſum ſuſtinens, & immobilem tenens. Quod explicat Iſaias ex ſimilitudine ad tabernacula materialia, quæ in deſerto in clauis ligneis in terra defixis fundantur, & funiculis fortiſsimis eiſdē lignis alligantur, vt ſtabilia permaneāt & immobilia. Sic manet immobilis Chriſti Eccleſia, vt pote in Chriſto Domino fundata, & vinculis charitatis illi coniuncta, quæ nulla perſequutio, nullus aduerſarius diſrumpere poterit. Hoc autem perfectius cōpetit Eccleſiæ triumphanti, vbi pro clauis & funiculis erit Deus ipſe, qui ab omni mutabilitate, & corruptione ſuos liberabit.

19 *Quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter: locus fluuiorum riui latiſsimi, & patētes, non tranſibit per eum nauis remigum, neque trieris magna tranſgredietur*



*dietur eum.* Reddit cauſam, propter quam tabernaculum Eccleſiæ ſolidū ſit, ſtabile, & immobile. Et aſsignat duplicē huius firmitatis rōnem. [Eccleſiæ ſtabilitas vnde proueniat.] Prima eſt, quia Dominus ipſe magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia habitat in Eccleſia, eam protegit atque defendit, nec eam deſeret aliquando: ait enim. [Mat. 28] *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Solummodo ibi eſt magnificus*, ideſt, magna faciens, & ſalutem noſtram operans, Pſalmiſta atteſtante. [Pſ. 47. a] *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* Diſcurre per omnia opera Dei, conſidera vniuerſam mundi machinam, & admirabilem ordinem vniuerſi, & apparebit in illis Dei ſapientia, potentia, & liberalitas. Sed ſi hæc cum opere redemptionis conferantur, & cum ædificio ordinatiſſimo, ſtabili, & mirabili ſuæ Eccleſiæ, quam proprio ſanguine ſanctificauit, quaſi nihilum alia omnia reputabis, & vere cognoſces, quia ſolummodo in illa eſt magnificus Dominus. Vnde S. Auguſt. explicans illud [Ioan. 14] Ioannis 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipſe faciet, & maiora horum faciet*, inquit. [Aug. tract. 72 in Ioā. poſt mediū illius. to. 9.] *Prorſus maius hoc eſſe dixerim. Videlicet iuſtificare impium, quàm eſt coelum & terra, & quæcumque cernuntur in coelo, & in terra.* Cuius rationem aſsignat diuus Thomas. [S. Th. 1. 2. q. 113. art. 9. in corp.] Quia opus aliquod dicitur magnum ex parte obiecti, propter magnitudinem eius quod fit; iuſtificatio autem impij terminatur ad bonum æternum participationis diuinæ; creatio vero cœli, & terræ terminatur ad bonum naturæ mutabilis, [Iuſtificatio impij, eſt maius opus, quā creatio mūdi.] vnde ex parte obiecti multo maior eſt, & excellentior iuſtificatio impij, & conſtructio Catholicæ Eccleſiæ, quàm productio omnium rerum in eſſe naturæ; atque ita hoc vnum opus Dei adeò excellit inter cætera, vt ſolum propter illud verè dicatur magnificus Dominus. Quod ſi in iuſtificatione impij eſt magnificus Dominus, quàm magnus apparebit in glorificatione illius? Si, cum gratiam imperfectam largitur, magna operatur, quanto magis apparebit laudabilis, cum eandem in gloria conſummauerit, cum opus redemptionis ad ſuam vltimam perfectionem perduxerit? Secunda ratio ſtabilitatis Eccleſiæ, deſumitur ex abundantiſsimis & profundiſsimis aquis, quibus per circuitum defenditur & munitur. hanc tangit illis verbis, *locus fluuiorum, &c.* Et loquitur per ſimilitudinem ad ciuitates, & earum moenia, quæ ſanè magno aquarum gurgite circundantur, ita vt nec poſsint eas nauigia parua vel magna pertranſire: ita (inquit) erit Eccleſia multis fluminibus vallata, quæ ſuperare non poterūt omnia inferi nauigia. & intelligit per fluuios, Apoſtolos ipſos, ſiue Apoſtolorum doctrinā, [Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fluuij. Doctores autē riui.] (vt explicāt Hieronymus, & Cyrillus.) Per riuos latiſsimos, & patentes, deſignat ſanctos Doctores, quorum doctrina ex fluminibus Scripturarum deriuatur. Per nauem remigum, ſignificat Synagogam, ſiue Iudæorum perfidiam, quæ multitudine præceptorum, velut quibuſdam remigijs ſuper aquas Scripturarum, vt Chriſti Eccleſiam impugnent, pertranſire contendunt. [Iudæorum perfidia qualis.] Denique per trierim magnam, totam aduerſariorum intelligit potentiam, vel mundum, diabolum, & carnē, quibus, velut tribus remigijs, nauis tartarea aduerſus Petri nauiculam mouetur.

20 *Dominus enim iudex noſter: Domi-*

*Dominus legifer noſter*: Dominus *Rex noſter*: *ipſe ſaluabit nos*. Indicat fontem, vnde fluuij, & riui, quorum mentionem in præcedẽtibus fecerat, dimanant, videlicet Chriſtum Dominum. Ipſe eſt enim de quo

*Eccli. 1. a*

ſcriptum eſt. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*. Et iterum: *Ecce*

*Iſa.66.d*

*enim declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis*. Ab ipſo tanquam ex profundo mari omnis aqua doctrinæ

*Eccli. 1. a*

cœleſtis fluxit. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum*. Quatuor autem excellentias prædicat de Chriſto.

Xp̃s Iudex legifer. rex & Saluator.

Prima quod ſit *iudex noſter*, ideſt, vindex, qui nos à poteſtate diaboli liberauit. *iudex*, quia illud iudicium exequetur, de quo ipſe prædi-

*Ioan.12*

xerat. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*, Iudex eſt viuorum & mortuorum, qui reddet vnicuiq; iuxta opera ſua. Secunda, quod eſt *legifer noſter*, qui nõ in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus legem deſcripſit Euangelicam, de quo per Prophetã

*Iob.36.c*

dicitur: *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus. Legiſlator Moyſes*,

S.Greg.27 Moral. 1.

inquit B. Gregorius, *legiſlator Ioſue, legiſlatores etiam prophetæ, legiſlatores cunctos dicere poſſumus, quos, ex lege admonuiſſe recta populum, ſcimus. Sed huic mediatori in*

Legiſlatores fuerũt prophetæ.

*legiſlatoribus ſimilis nullus eſt, quia iſti gratuito vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, & ab his quæ intra ſemetipſos experti ſunt, prædicando alios reducũt. Redemptor autem noſter, ſine peccato eſt homo, filius ſine adoptione, nec perpetrauit vnquam, quod redarguit, & ſic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem mundo ante ſæcula ex diuinitate dominetur. Hunc mediatorem Dei, & hominum quidam legiſlatoribus ſimilem fuiſſe crediderunt: nã requirenti, quem dicunt homines eſſe filium hominis? reſponderunt diſcipuli dicentes: Alij Ioannem Baptiſtam. Alij Heliam. Alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Sed nimirum Petrus quàm excelſus in fortitudine eſſet, aperuit, cum eum veraciter intuens, à legiſlatorum æqualitate diſcreuit, dicens. Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Tertiam eius excellentiam declarat, cum inquit, *Dominus Rex noſter*. ac ſi dicat: Ipſe Dominus gubernabit nos per ſemetipſum, ipſe pugnabit bella noſtra, ipſe proteget regnum ſuum, ipſe à poteſtate diaboli nos liberabit, quia non ſolum eſt *Rex noſter*, ſed & Saluator, vnde & ſubditur. *Ipſe ſaluabit nos*. Ideo nomen Ieſus, quod ſaluatorem ſignificat, imponitur illi. Ait enim: *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*.

Xp̃s inter legiſlatores excellentiſſim⁹.

*Mat.16*

Petri confeſſio.

*Matt.1. d*

21 *Laxati ſunt funiculi tui, & non præualebunt: ſic erit malus tuus vt dilatare ſignum non queas*. Septuaginta. *Diſrupti ſunt funiculi tui, quia non præualuerunt. Malus tuus inclinatus eſt: non demittet vela. non eleuabit ſignum, donec tradatur in direptionem*. Et loquitur ad Aſſyrios. & ſub illis, ad poteſtates aduerſas ſermo dirigitur, in quorum nauibus funiculi *laxati* dicuntur, & extenti, propter ſtudium perpetuum quod habent, vt perdant electos. Nã quanto magis à Deo diliguntur, tanto magis inſidiantur, ſed ſtultis conatibus, nam funiculi eorum inualidi erunt. Deus enim qui infatuat ſapientiam huius ſæculi, conſilia eorum



Funiculi Eccleſiæ, & peccatorum diſſimiles.

eorum irrita facit, & funiculos impiorum diſrumpit. Vide qualiter oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. De Eccleſię funiculis prædi-

*Iſaiæ.33*

xerat ſupra, *& omnes funiculi eius non rumpentur*. At de funiculis peccatorum modo inquit, *diſrupti ſunt funiculi tui*, ac ſi dicat: non poterit ſubſiſtere tentorium Regis Aſſyriorum, funiculis eorũ diſruptis. Quod ſi hæc ad Synagogam referas, caſuram eſſe denuntiant. Et quoniam nauium aduerſariorum meminerat, perſiſtens in eadem metaphora, docet, detegendas eſſe eorum inſidias, aſtutias comprehendendas, ne quantum volunt, nocere poſſint. Hoc explicat ſimilitudine nauis, quæ habet quidem malum erectum, ſed nullus poteſt in illo expandere vela, ſine quibus nauis maximo expoſita periculo, huc atque illuc iactatur à fluctibus, donec in rupibus conquaſſata pereat. Sic accidit Aſſyrijs & Synagogæ ſimiliter, quæ tangens petram (ideſt) Chriſtum Dominum occidens, in profundum, Romanis ſuperuenientibus, demerſa eſt. Poſſunt verba hęc ſpecialiter conuenticulis Hæ-

Hereticorũ conuenticula nauis maris dicũtur ab Iſaia.

reticorum adaptari, qui veram nauim Eccleſiæ ſeipſos habere gloriantur, & malum crucis Chriſti Domini habere videntur erectum, & eleuatum, ſed velis carent cœleſtis doctrinæ, nec mouentur impulſu Spiritus ſancti. Vnde & Chryſoſtomus hunc eundem locum explicans, ait.

Chryſ. hõ. 23. imperf. in Matth.

*Nauem hanc maris eſſe Iſaias dixit, quia huiuſmodi Eccleſia non Dei eſt, ſed ſæculi, quæ licet habere in ſe prædicationem Dominicæ crucis videatur, inualidam tamen hanc arborem eius oſtendit; quia vbi non eſt veritas fidei, infirma crucis aſſertio eſt. Vnde inclinata, & laxata vela eius ſunt oſtẽſa, quod nullo flatu ſancti Spiritus diriguntur, & ideò huiuſmodi nauis, hoc eſt Eccleſia Hæreticorum, amiſſo veræ fidei gubernaculo, dominantibus ſpiritibus in naufragiũ mortis æternæ demergitur, quæ gubernari à Chriſto Domino non meretur*.

22 *Tunc diuidentur ſpolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam. Neque dicet vicinus, elangui: populus qui habitabat in ea, auferetur ab eo iniquitas*. Tunc, aduerſarijs deuictis, fiet diuiſio ſpoliorum, quæ in tanta (inquit) abundantia erunt, vt non ſolum currentes velociter, ſed etiam claudi, qui penè ſeipſos mouere non valent, manus impleant, & ſinus ex eis. Quod ſi hæc referantur ad deſtructionem ciuitatis Hieruſalem factam per Romanos, ſatis conſtat ex Ioſepho, qualiter fuerint ad literam impleta: ſi autem ad Aſſyrios, etiam conſtat, quot ſpolia deprædati fuerint filij Iſrael, cum Angelus occiderit cẽtum octuaginta quinque millia ex eorum exercitu. At multo perfectius hæc omnia adimpleta fuerunt in Apoſtolis, qui à diabolo deprædati ſunt animas, quas ipſe prius violenter deprædatus fuerat. Et per gratiam Chriſti cum ablata fuerit iniquitas, tantas vires reſument qui prius fuerant infirmi, vt ad debellandas aereas poteſtates validiſſimi inueniantur. Vide benignitatem Dei, expende aduerſariorum viciſſitudinem, & electorum commutationem in melius. Sicut enim hoſtes, qui tantopere nocere ſtudebant, ex fortibus infirmi ſunt facti, ita vice verſa, electi fideles priſtinæ infirmitatis obliti, fortes in bello facti ſunt ac validi, nec vnus quidem inter illos elanguit. Conſonat huic interpretationi tranſlatio

Ioſephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 32. & 40.

Electorum fortitudo.

ſlatio Vatabli, quæ ſic habet. *Nec dicet vllus habitator: ægrotus ſum, &c.* Conſonat, & tranſlatio Pagnini. *Et non dicet habitator vrbis: ægrotaui: populus, qui habitat in ea, ſubleuatus eſt ab iniquitate.* Quod licet ex parte in Eccleſia militante impleatur, perfecte tamen adimplebitur in Eccleſia triumphante, vbi nullus ciuis infirmus erit aut ægrotus: vbi non erit *amplius neque luctus neque clamor; ſed neque vllus doctor, quoniam prima abierunt.* Apoc.21 b

# CAPVT XXXIV.

1 ACCEDITE gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra & plenitudo eius, orbis & omne germen eius: 2. quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, & furor ſuper vniuerſam militiam earum. Interfecit eos: & dedit eos in occiſionem. Interfecti eorũ proijcientur: & de cadaueribus eorum aſcendet fœtor. 3. Tabeſcent montes à ſanguine eorum, & tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli: & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea & de ficu: 4. quoniam inebriatus eſt in cœlo gladius meus. Ecce ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ ad iudicium. 5. Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum, & hircorum, de ſanguine medullatorum arietum. 6. Victima enim Domini in Boſra: & interfectio magna in terra Edom. Et deſcendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorum ſanguine, & humus eorum adipe pinguium, quia dies vltionis Domini, annus retributionũ iudicij Sion. 7. Et conuertentur torrentes eius in picem: & humus eius in ſulphur, & erit terra eius in picem ardentem: nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius: à generatione in generationem deſolabitur: in ſæcula ſæculorum non erit tranſiens per eam: 8. & poſſidebunt illam onocrotalus & ericius: ibis, & coruus habitabunt in ea. Et extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem. 9. Nobiles eius non erunt ibi: Regem potius inuocabunt, & omnes



omnes principes eius erunt in nihilum. 10. Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius: & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum: 11. Et occurrent dæmonia, onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius: illuc congregati ſunt milui, alter ad alterum. Requirite diligenter in libro Domini, & legite: vnum ex eis non defuit, alter alterum non quæſiuit: quia quod ex ore meo procedit ille mandauit, & ſpiritus eius ipſe congregauit ea: 13. Et ipſe miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram. Vſque in æternum poſſidebunt eam: in generationem & generationem habitabunt in ea.

## SVMMA CAPITIS.

*QVONIAM in capitulo præcedenti prædixerat Iſaias, Dei potentia euertendum eſſe Regis Aſſyriorum exercitum, & eiuſdem Regis ſuperbiam humiliandam, occaſione huius ſe transfert ad denuntiandum iudicij diem, in quo vniuerſaliter exaltabuntur humiles, & capita ſuperborum deprimentur. Quamuis ſub typo excidij Regis Aſſyriorum, & exercitus eius id vaticinari videatur. Et primò omnes gentes, & populos vocat, eorum captans attentionem ad ea quæ dicturus eſt. Verſiculo.* Accedite gentes & audite.

*Secundò, indignationem Domini declarat, & furorem, quem aduerſus reprobos oſtenſurus eſt in die iudicij. Verſiculo.* Quia indignatio Domini, &c.

*Tertiò, mentionem facit gehennæ, quæ præparata eſt diabolo, & angelis eius, cuius terram in picem ardentem conuertendam eſſe denuntiat. Verſiculo.* Et conuertentur torrentes eius in picem.

*Quartò, vaſtitatem & deſolationem Iudææ futuram annuntiat, quam vaſtæ ſolitudini confert, quæ non hominum, ſed ferarum eſt habitaculum. Verſiculo.* Et poſſidebunt eam onocrothalus, &c. *Vbi ſub typo deſolationis Iudææ, vaſtitas annuntiatur totius orbis in vltimis temporibus futura. Denique certiſſimè euentura eſſe, quæ prædixit, oſtendit in fine capitis, cum ait.* Requirite diligenter in libro Domini.

COM-

# COMMENTARIVM.

1 ACCEDITE *gentes & audite, & populi attendite: Audiat terra & plenitudo eius, orbis & omne germen eius*. Prædixerat in capite præcedenti, non ſine grandi miraculo liberatam fuiſſe ciuitatem Hieruſalem ab Aſſyrijs: at in hoc capite maius & auguſtius miraculum exprimit: illud videlicet, quo per Chriſtum vniuerſus orbis ereptus eſt à tyrannide principis tenebrarū. Concluſit enim omnia ſub peccato, vt miſereretur omnium. Ideò ſermonem vertit ad vniuerſum, in quo nihil eſſe vult adeò inſenſibile, cui præſens lateat Prophetia. Et non ſolum conuocat omnia, ſed propius vult accedere, & diligenter auſcultare, & corde percipere quæ dicturus eſt. Ideò ait: *accedite, & audite*. Ac ſi dicat. *Accedite ad eum & illuminamini, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. *Accedite* per obedientiam & humilitatem, qui per ſuperbiam receſſeratis in profundū. Inferius inquit: *Audite inſulæ, & attendite populi de longe*. Modo ait, *accedite gentes & audite*: Vt ſciamus quoniam lex Euangelica per quam de maledicto legis, & à poteſtate Principis tenebrarum nos eripuit Chriſtus Dominus, non ſolum ijs, qui propè, ſed etiam illis qui longe ſunt, annunciatur, Apoſtolo dicente, *Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem eis qui propè*. Per gentes autem, gentiles intelligit, & per populos, Iudæos.

*Iſai. 49.*

Euangeliū vniuerſo orbi prædicandum prædicit.

*Epheſ. 2 d*

Vbi obſerua, quòd gentes in primo loco cōſtituit, vt inſinuet illud, quod poſtea clare denunciauit Chriſtus Dominus. *Erunt primi nouiſſimi & nouiſſimi primi*. Deinde alloquitur terram, & plenitudinem eius, quoniam lex gratiæ non vni populo aut alteri, ſed in vniuerſo orbe prędicanda erat, ſicut per Pſalmiſtam dicitur. *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Legite actus Apoſtorum* (inquit Auguſtinus) *quomodo veniente ſuper eos Spiritu ſancto, omnes impleti ſunt illo, & loquebantur linguis omnium gentium, ſicut ſpiritus dabat eis pronunciare. Ecce non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, ſed non ibi tantū, vbi impleti ſunt, ſonuerunt*. In *omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ eorum. Ideò & nos hic loquimur: ſonus enim ille ad nos vſque peruenit: ſonus qui in omnem terrā exijt, etſi Hæreticus ad* Eccleſiam *non intrat. Ideo ſonus in omnem terram exijt, vt tu in cœlum intres*. Ideò cum promulgatum eſt Euangelium in die Pentecoſtes, *erant in Hieruſalem habitantes* Iudæi, *viri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt: Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani. Iudæi quoque, & proſelytæ, Cretes, & Arabes*, quoniam omnes iſti, & ſi qui ſunt alij, ad legem admittuntur Euangelicam, & redemptionis, quæ eſt in Chriſto Ieſu, efficiūtur participes. Ideo denique Chriſtus Dominus, Apoſtolos ad prædicandum mittens, dixit. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creturæ*. Vbi (vt notauit Gregorius.) Omnis creaturæ nomine, omnem nationem gentium deſignauit. Ante enim dictum fuerat. *In viam gentium ne abieritis*, ſed tunc repulſa ob ſuam perfidiam Synagoga, Apoſtoli ex præcepto Domini ad prædicandum gentibus conuertuntur.

*Mat. 19. d*

*Pſ. 18.*

Aug. to. 8. ſuper eundem pſal.

Sonus in orbē terræ exijt, vt hō cœlum intret.

*Act. 2. a*



*Marci 16.*

Greg. ho. 29. in Euāgelia.

*Mat. 10*

Homo eſt oīs creatura.

2 *Quia indignatio* Domini *ſuper omnes gentes, & furor ſuper vniuerſam militiam eorum: interfecit eos, & dedit eos in occiſionem*. Conſuetudo familiaris eſt apud Iſaiam, vt, narratis hiſtorijs, quæ ad tēpora eius pertinent, continuo ſubiungat ea, quæ Chriſti tempora concernunt, & maiorem poſſunt lætitiā afferre, aut triſtitiam. Id quod in præſenti capite cernere licet. Cum enim in præcedenti deſtructionem exercitus Regis Aſſyriorum prædixiſſet, quæ ſuo tempore accidit, nunc excidium vniuerſale totius orbis denunciat. Vnde Patres antiqui, inter quos eſt S. Cyrillus, & Hieronymus, præſens capitulum interpretantur de die Iudicij, quamuis tranſitum in contextu literæ admittant, à vaſtitate Iudææ ad calamitatem vniuerſi futuram, & econtra. Et in primis iuſtam Domini indignationem, & furorem deſcribit, & mala quæ inferet impijs. Hæc explicat nomine interfectionis & occiſionis, quas voces pluries repetit, ad maiorem rei explicationem. Poſſunt autem hæc non inconuenienter referri ad bella quæ præcedent diem Iudicij. *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ & fames*. Eritque tanta interfectorum multitudo, vt ſepulturæ commode tradi nequeant. Vnde & ſubditur. *Interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorum aſcendit foetor*. Sanctus Hieronymus verba hæc interpretatur de multitudine peccatorum, atque eorum foetore: & iuxta illius explicationē, quæ magis moralis quàm literalis videtur, per hanc metaphoram corporum occiſorum, & foetentium docet, malum noſtrum fuiſſe immedicabile, ita vt vniuerſam terram infeciſſe videatur. Scriptum eſt enim. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Et iterum. *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*, hoc eſt in peccatis, *& contaminata eſt in operibus eorum*. Denique vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ.

S. Cyrill. s. Hieron.

*Mat. 24*

s. Hieron.

Peccatorū foetor, & corruptio.

*Pſ. 13. a*

*Pſ. 105. f*

3 *Tabeſcent montes à ſanguine eorum. Et tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli. Et omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea & de ficu*. Vatablus pro *Tabeſcent montes à ſanguine eorum*, vertit; *Cruoreque eorum montes colliqueſcent*. Pagninus transfert. *Et liqueſcent montes propter ſanguinem eorum*. Explicat magis multitudinē interfectorū, & inquit, in tanta quantitate futuram eſſe, vt non ſolū campeſtria, ſed etiā montes cadaueribus mortuorū pleni ſint, & eorū ſanguine madeant: & non ſolum montes, ſed etiā cœlum ipſum, & omnia aſtra

Stellæ militiæ dicũtur cœli quia ordinatæ.

cœli eodem ſanguine infecta videantur, ac præ timore defluere. Appellat autem aſtra cœleſtia, militiam cœli, eo quod ad modum exercitus ſunt ordinatiſſime diſpoſita; aut vero, quia in die iudicij ad vltionem inimicorum armata erunt, ſecundum illud. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum*. Quod ſi cum ſancto Hieronymo referantur verba hæc ad multitudinem peccatorum, quæ, cum abundauerit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum, inundabunt circa vltima tempora, exponenda ſunt per hyperbolen, ita vt ſenſus ſit. Tanta erit calamitas, ea erit perſecutio Antichriſti, & ſatellitum eius, atque abundantia peccatorum, vt montes, ideſt, Angeli, & omnia luminaria cœleſtia lacrymas ſanguinis plorare videantur; tanta denique corruptio peccatorum, vt etiã ſtellæ mundæ, ideſt, electi (ſi fieri poſſet) infici timeant. Hoc eſt quod clarioribus verbis Saluator noſter prædixit. *Surgent enim pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Complicabuntur autem cœli in die iudicij ſicut liber, quia non mouebuntur amplius, nec poterunt homines ex aſtrorum aſpectu aliquid coniectari. in quo tacite Idololatras reprehẽdit, & diuinos, qui ſolem, & lunam, ac ſydera cœleſtia colebãt tanquam Deum, & vana curioſitate ab ipſis futurorum cognitionem petebant. Quod ſi ad vaſtitatem Iudææ verba hæc referantur, *cœli complicabuntur ſicut liber*, ideſt Scripturæ ſacræ poſt paſsionem Domini complicatæ erunt Iudæis, clauſæ, & inuolutę, ne Dei myſteria intelligere queant, & gentibus per vniuerſum orbem erunt expanſæ, Pſalmiſta atteſtante. *Extendens cœlum ſicut pellem*. Quem locum diffuſe expendimus ſupra. Et *Tabeſcet omnis militia cœlorum, &c.* hæc verba conſonãt maxime cum illis Math. 24 *Stellæ cadent de coelo, & virtutes coelorum commouebuntur*. Et Lucæ 21. *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis*. Et 2. Petri 3. *Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo coeli magno impetu tranſient; elementa vero calore ſoluentur terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur*. Et poſt pauca: *Coeli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent*. Quæ omnia eundem ſenſum retinent cum verbis illis: *Et erubeſcet luna, & cõfundetur ſol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion*, vt ſupra explicatum eſt. Rationes autem, propter quas tot ſigna ante diem vltionis præmiſerit Dominus, aſſignauimus ſupra capite 1. num. 63. & cap. 24. num. 28.

Sap. 5. c — Antichriſti perſequutio qualis. — Mat. 24 b — Cœlũ cõplicari qd ſit. — Sriptura clauſa eſt Iudæis poſt paſſionẽ Chriſti. — Pſ. 103 — ſupra cap. 8. num. 5. — Mat. 24 — Luc. 21. — 2. Petri 3. a — Ibid. — Iſai. 24 — ſup cap. 24. nu. 4.

4 *Quoniam inebriatus eſt in coelo gladius meus*. Superius in generali prædixerat excidium futurum totius orbis, nunc in ſpeciali deſcendit ad eos, quos gladius Domini cõſumet ex vtraque parte acutus, per quem vltimam iudicis ſententiam (vt ſupra dictum eſt) deſignauit: & quoniam diabolus initium fuit omnis peccati, ſecundum illud: *Qui facit peccatum ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat*, ideo prius gladius Domini inebriatur in cœlo, ideſt, *contra ſpiritualia* nequitiæ in cœleſtibus. Vnde nomine cœli, aereas (ſicut Origenes explicat) intelligit poteſtates. Quod ſi Angelis in cœlo creatis nõ pepercit, quomodo hominibus de terra conditis, & terrenis voluptatibus deditis parcet?

Iudicium Dei primo in Angelos deinde in homines ſæuiet. — 1. Ioan. 3. b — Eph. 6. — Origen. hõ. 7. ſup. num.



Iob. 4. c

cet? *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea?* Vnde & ſequitur. *Ecce ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ ad iudicium*, ideſt, non ſolum ira Domini in diabolum exardeſcet, ſed etiam in omnes gentes, quæ receſſerunt à Deo: dicet enim. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius*. Specialiter autem puniet Idumæam, ideſt, Iudæos, & ſeuerius aget cum illis, eo quod maioribus beneficijs abuſi ſunt. Vt enim notauit Cyrillus, Iudæam vocauit Propheta Idumæam. Nam ſicut Eſau, quando vendidit primogenita, vocatus eſt Edõ, ideſt, terrenus, eo quod pro bonis terrenis vendidit coeleſtia: ita Iudæa in præſenti, Idumæa nominatur, quia pro terrenis reliquit cœleſtia nolens habere Regem niſi Cæſarem. Hanc appellat populum interfectionis ea phraſi, qua Iudas dicitur filius perditionis. Vatablus, vbi nos legimus, *& ſuper populum interfectionis meæ ad iudicium*, vertit: *& ſuper populum quem vltioni meæ deuoui*. Vbi inſinuatur, Deum quædam vaſa in honorem facere, quædam vero in contumeliam, vt in illis miſericordia, in iſtis vero iuſtitia illius ſplendeat. Expendatur illud verbum, *inebriatus*, tunc enim gladius Domini inebriatur, quando plus ſolito vlciſcitur, & maiori ſeueritate effundit ſanguinem. Vnde & ſubditur.

Mat. 25 d — S. Cyrill⁹. Iudæa Idumea dicitur. — Gladium inebriari eſt pl⁹ ſolito ſæuire.

5 *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum, & hircorum, de ſanguine medullatorũ arietum: victima enim Domini in Boſrra; & interfectio magna in terra Edom. Et deſcendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus*. Ponit modum vltionis, & notat perſonas, cõtra quas ſumenda eſt vindicta: per agnos, & hircos, per vnicornes, & tauros, potentiores populi deſignat, Principes videlicet, & Sacerdotes, Scribas, & Phariſæos. His enim nominibus & aliorum conſimilium animalium, ſacra conſueuit eos ſcriptura notare: ait enim. *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens. Quoniam circunderunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me.* Et iterum. *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Eſt autem vnicornis (vt notauit Plinius, & poſt illum Geminianus) ſimilis elephanti in capite, & equo in corpore, in cauda vero aſsimilatur apro, rugitum emittit grauem, & vnum cornu duorum cubitorum habet in fronte, quo, ad ſaxa limato, ſe præparat ad pugnam, & cum aduerſus alia dimicat animalia, cornu impetit eorum ventrẽ, quem ſcit molliorem, atque adeò facilius cędere ictui, eſtque tantæ ferocitatis, vt vix eum poſsint homines viuum capere; Tales fuerunt Scribæ, & Phariſæi quos nulla miracula, nullæ plagæ, nulla beneficia, nulla prophetia, ſed nec Prophetæ, prædicatione ſua domare potuerunt. Tales ſunt reprobis proprijs peccatis obdurati, qui veritati reſiſtũt, ac vinculis præceptorum Dei ligari renuunt. *Nunquid volet rinoceros ſeruire tibi* (ait Dominus ad Iob,) *aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis*

Pſal. 21 b — Vnicornis quale animal ſit. — Plinius li. 11. ca. 46. — Geminia. lib. 5. cap. 115. — Scribæ & Phariſæi vnicornib⁹ comparantur. — Iob. 39. b

*bis rhinocerotẽ ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium poſt te?* vbi Greg. ita docet eſſe intelligendũ, *ac ſi aperte dicat: nunquid potentes huius ſæculi in ſua fatua elatione cõfidentes ad laborem prædicationis diriges, & ſub diſciplinæ vinculo reſtringes, ſicut ego, qui id egi, cum volui, qui perſecutores meos, quos prius hoſtes pertuli, ipſos poſtmodum rectæ fidei defenſores feci.* Nullus ergo erit quantumuis potens, & excelſus, quantumuis ferox & inuictus, qui iram Domini poſsit effugere. Per adipem & ſanguinem medullatorum eos intelligit, qui terrenis cupiditatibus, & delectationibus carnis tradiderunt ſeipſos, de quibus per Prophetam dicitur: *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis.* Sicut ergo animalia incraſſantur, & impinguantur, vt in cibos hominum occidantur, ita potentes huius ſæculi, & peccatores craſsi multitudine peccatorum, æternæ morti ſunt propinqui: ideo enim diabolus eos nutrit, & impinguat, vt eos poſtmodum in perpetuum occidat, & carnibus eorum veſcatur in æternum. In hos ergo ſæuiet gladius Domini, ideſt, vltio diuina, quam in Scriptura ſacra ſignificat gladius, ſicut & mucro, iuxta illud Ieremiæ. *O mucro Domini vſquequo non quieſces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* Sed videns iram Domini iuſtè aduerſus impios eſſe concitatam, ſtatim reſpondet. *Quomodo quieſcet, cum Dominus præceperit ei aduerſus Aſcalonem, & aduerſus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi.*

Greg. 31. Moral. 3.

Rhinoceros quid ſignificet.

Pſ. 72. a

Adeps. qd ſignificet.

Diuites ĩpinguat diabolus, vt occidat.

Hierẽ. 47. d

6 *Victima enim Domini in Boſrra, & interfectio magna in terra Edom.* Deſignat locum in quo deuaſtandi ſunt impij & occidendi, vt in illis iram ſuam, & iuſtitiam oſtendat Dominus: Et iuxta explicationem Doctorum, qui arbitrantur in hoc capite loqui ad literam Prophetam contra Hieruſalem, & vaticinari euerſionem Iudæorum factam per Romanos poſt paſsionem Domini. per *Boſrra* intelligitur Hieruſalem, & ſimiliter per *Edom*. In hac enim acceptione ſumuntur illa nomina inferius, cum dicitur. *Quis eſt iſte qui venit de Edom: tinctis veſtibus de Boſrra.* Ratio autem quare ciuitas Hieruſalem dicatur *Edom*, aſſignata eſt ſupra. *Boſrra* dicitur quia ciuitas munitiſsima erat. *Boſrra* enim ſicut & Boſſor idem ſignificat quod munitio: Iuxta explicationem autem aliorum, qui prophetiam huius capitis intelligunt de vniuerſali iudicio: per *Boſrra*, & *Edom* deſignatur vniuerſus orbis, qui à Deo ſolidatus eſt ſecundum illud, quod dicit Propheta: *Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Et quoniam homines terreni, pro perituris commutauerunt cœleſtia, ſicut Eſau pro vili edulio vendidit primogenita ſua, (hac enim ratione vocatus eſt *Edom*, à quo, Idumæi duxerunt originem:) ideo interfectionem magnam in terra Edom futuram eſſe prædicit. Sequitur. *Inebriabitur terra eorum, ſanguine, & humus eorum adipe pinguium, quia dies vltionis Domini, annus retributionum iudicij Sion.* Tanta inquit erit hominum incraſſatorum occiſio, tam magna ſtrages fiet in illis, vt non ſolum *ſanguine*, ſed & *adipe* inebrietur terra. Potentes enim potenter tormenta patientur. *Dies vltionis* veniet Iudæis, &

Hieruſalẽ Boſrra dĩ, & Edom.

Iſa. 63. a

Hoc eodẽ num.

Pſ. 103. a





*annus retributionum* quando ablata eſt ab eis cognitio Scripturæ, quãdo facta eſt menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum, quando relicta eſt domus eorum deſerta, & derelicta eſt *quaſi vmbraculum in vinea & quaſi tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur*, vt explicatum eſt. *Hæc autem multo plenius implebuntur in die iudicij, qui per anthonomaſiam appellatur *dies vltionis Domini, & annus retributionum*. Quia tunc *reddet vnicuique ſecũdum opera eius; ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malũ.* Ideò non ait, retributionis, ſed *retributionum*, quia & electis & reprobis fiet retributio. *Retributionum*, quoniam non omnibus iuſtis dabitur æquale præmium, ſed maius, vel minus, ſecundum maiora, vel minora merita. Vnde & Chriſtus Dominus ait: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Similiter etiam reprobis iuxtà menſurã delicti erit & plagarum modus. Prçterea dicitur dies vel *annus retributionum*; non quia vno die vel anno integro iudicium vniuerſale faciendum ſit; ſed loquitur per ſimilitudinem ad mercenarios, quibus, tranſacto die, vel anno, ſoluitur ſtipendium, qua ſimilitudine vſus eſt Chriſtus Dominus in parabola illa Euangelij. *Cum ſero autem eſſet factum, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Et licet omnes vniuerſaliter iudicandi ſint in die iudicij, meminit tamen ſpecialiter iudicij Sion, quia ſeuerius iudicium reſeruatur illis, qui *cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Iuxtà quod & Dominus ait, *Ille autem ſeruus qui cognouit voluntatem* Domini *ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Vatablus ſic vertit præſentem locum: *Nam dies eſt vltionis* Domino, *annus repenſionum ad iudicium Sion.* Pagninus. *Quia dies vltionis Domini, annus retributionũ ad iudicandum pro Sion.* Et iuxta hanc translationem, ſenſus eſt: Veniet tempus retributionis in quo Dominus iuſtus iudex feret ſententiam pro Sion, ſeparans oues ab hçdis, atque dicens electis. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt vobis ab origine mundi.*

Pſa. 68. c

Iſai. 1. c

Iudicij tẽpus dicitur dies retributionum.

*Sup. ca. 1. num. 29. 30. 31.

Rom. 2. a

Ioan. 14.

Mat. 20. a

Iudicium ſeuerius reſeruatur Chriſtianis peruerſis.

Rom. 1. e

Luc. 12. f

Mat. 25

7 *Et conuertentur torrẽtes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem. Nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius: à generatione in generationem deſolabitur; in ſæcula ſæculorum non erit tranſiens per eam.* Verba hæc, ſi ad vaſtitatem Iudææ referantur, per hyperbolem ſunt accipienda, aut per metaphoram: & ſignificant idẽ, quod verba illa capitis primi: *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſucceſſæ igni &c.* Et hac Phraſi loquendi

Iſai. 1.

tacite admonet, vaſtitatem illius regni multo maiorem futuram eſſe euerſione Sodomorum : quia multo deterior fuit eorum perfidia, & execrabilius eorum peccatum, ſecũdum illud, quòd Ieremias ait. [Thren.4 a] *Et maior effecta eſt iniquitas eius peccato Sodomorum*. Vnde æquum fuit, vt Iudæorum excidium deſolationem Sodomæ ſuperexcederet. [Iudæorum excidium Sodomæ exceſſit ruinam.] Ideo ait *torrentes* aquarum *eius in picem*: & humum in ſulphur conuertendam eſſe, & terram in picem ardentem; ac ſi apertius dicat: Sodoma, & Gomorra, atque habitatores eius igne de cœlo miſſo ſunt exuſti, at ignis ille non durauit in perpetuum; ſed redactis illis ciuitatibus in fauillam, extinctus eſt. Ait enĩ Scriptura. [Genes. 19.e] *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphur & ignem à Domino de cœlo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia*. Ignis autem, quo regionem Iudæorũ exuret, in perpetuum durabit, & eorum peccata ad modum torrentis picis & ſulphuris, illũ ſemper nutrient. Hoc ad litteram in ipſis adimpletum videmus, in quorum cordibus ignis odij, & inuidiæ aduerſus Chriſtum, & Eccleſiam illius quotidie inardeſcit, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima : Et quoniam in Spiritum Sanctum peccauerunt, ore ſacrilego dicentes Saluatori: *In Belzebub principe dæmoniorum eijcit Demonia*: [Lucæ.11 b] peccatum eorum non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſed in ſæcula ſæculorum punietur. Hæc quoad hiſtoriam: Nam in ſenſu myſtico, apud Iudæos torrẽtes verbi dei limpidiſſimi & puriſſimi conuerſi ſunt in picem, [Scriptura Iudæis in caliginem, verſa eſt.] ideſt in obſcuritatem & caliginem, & in retributionem, & in ſcandalum: nam qui ſe legem Dei habere, & voluntatem eius ſcire gloriabantur, cibus ignis facti ſunt, & ſcientia inflans attulit eis perpetuũ concupiſcentiæ ardorem, & famæ peſſimæ, quæ per ſulphur ſignificatur, odorem intolerabilem. Alludit autem ad Iordanem, & ad alios fluuios limpidiſſimos Syriæ. Si vero ad excidium totius orbis hæc verba referantur, habent planum ſenſum; ſignificant enim æternitatem, & magnitudinem pœnarum, quæ ſunt incredulis & reprobis in gehennam ignis mittendis præparatæ. Ideo inquit torrentes illius, & terram in picem ardentem eſſe conuertendam; vt ſciamus, Deum ſua virtute ignem illum feciſſe inextinguibilem, vt ſupra explicatum eſt. [Sup. cap. 30. nu.33.] Vnde & propheta Euangelicus, locum illum, ſtagnum ignis, & ſulphuris appellat, dicens. *Et apprehenſa eſt Beſtia, & cum ea pſeudopropheta, & viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*. [Apoc. 19.d] Et iterum ait. *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*. [Apoc. 20.d]

8 *Et poſſidebunt illam onocrotalus, & ericius: ibis, & coruus habitabunt in ea: & extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem*. Tanta, inquit, erit vaſtitas, & ſolitudo Iudææ, vt terra illa (hominibus occiſis, & in captiuitatem ductis) fiat habitaculum ferarum, & in ea maneant quaſi heredes in poſſeſſionibus ſuis, [Peccatores diuerſis animalibus ſunt ſimiles.] omnes aues immundæ, & animalia ferocia, quæ in ſemotiſſimis locis habitare conſueſcunt, inter quæ numeratur primo loco onocratalus, cuius fit mentio Læuitici vndecimo, Deuteronomij 14. & Sophoniæ. 2. [Leui.11. Deu 14. Sopho.2.] De hoc animali inquit Plinius Oloris ſimilitudinem habere, nec diſtare [Plin. li.10. naturalis hiſtoriæ cap.47.]



ſtare ab eo, niſi, quòd faucibus ipſis ineſt alterius vteri genus. Eſtq; animal valde rapax, & cupidum, ferturque ad modum aſini ruditum habere. Secundo numeratur Ericius, qui alio nomine Erinacius dicitur: eſtq; animal ſpinis armatum, cuius meminit Plinius, & Ariſt. & diuus Gregorius in paſtorali eius proprietates deſcribit. [Plin.lib.8. cap.37. Ariſt.lib.9 de hiſtor. animaliũ. D. Greg. lib.3.paſtoralis curæ. cap.12.] *Cum apprehenditur*, inquiens, *& caput eius cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conſpicitur: ſed mox vt apprehenſus fuerit, ſemetipſum in ſphæram colligit, & pedes introrſus ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manus totus ſimul amittitur, qui totus ſimul ante videbatur*. Tertium animal eſt ibis, cuius fit mentio Iob.49. *Numquid noſti tempus partus ibicum in petris?* Huius animalis proprietates deſcribit D. Greg. & Plin. [Greg. lib. 39. moral. cap. 9. Plin lib.10 cap. 28.] Eſtq; animal ciconijs valde ſimile, & paſcitur ſerpentibus, immundiſque alijs animalibus. Quartum animal eſt coruus, auis nigra & impia, & vt Ariſt. refert, maxime odit prolem ſuam, & natam obliuiſcitur, nec nutrit eam, quòd etiam refert D.Greg. [Ariſt.lib 9 de hiſtor. animaliũ. cap. 31. S.Greg.li. 30. moral. cap. 8.] in illa verba: *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant vagantes, eo quòd non habeant cibos?* Quod autem ſubditur; *Et extendetur ſuper eam menſura, &c.* ſignificat, totaliter deſtruendam eſſe. Sicut enim in alijs ædificijs funiculus extenditur ad ædificandum, vt domus ideæ correſpondeat artificis, nec in aliquo deficiat ab ea, ita in Iudæa extenſus eſt funiculus in deſolationem, vt ſicut Iudæi ſuorum delictorum adimpleuerunt menſuram, ita & Dominus eiſdem delictis ſtatutam inferat pœnam, vt verax inueniatur qui dixit. *Iuxta menſuram delicti, erit & plagarum modus*. Hac phraſi loquendi, & diſtinctione funiculi vtitur Scriptura, cum de Dauid dicitur. [2.Reg.8 a] *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*. In ſenſu autem myſtico extenſus eſt ſuper Synagogam funiculus ad occidendum, & perpendiculum in deſolationem, quãdo, permittente Deo, & gratiam ſuã, & cuſtodiam ab illo populo duræ ceruicis auferente, dirupta ſunt per falſos Prophetas, & peruerſos Doctores, quæ à Sanctis olim fuerant multo labore ædificata, & longe alius funiculus extenſus eſt ſuper ædificia eorum, quàm olim. Deus autem qui diues eſt in miſericordia, cum ſuper Synagogam extenderetur funiculus, vt redigeretur in nihilum, ipſe funiculum ſuper Eccleſiam Catholicam extendebat, vt eam conſtrueret ex lapidibus viuis, & ſibi faceret acceptabilem: Vnde & per Ezechielem dicitur: [Ezech. 40.a] *In vigeſimo quinto anno noſtræ transmigrationis, in exordio anni, decima menſis, quartodecimo anno poſtquam percuſſa eſt ciuitas: in ipſa hac die facta eſt ſuper me manus Domini, & adduxit me illuc. In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſrael, & dimiſit me ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis vergentis ad Auſtrum, & introduxit me illuc, & ecce vir, cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus ligneus in manu eius*. Vbi expende, quòd decima menſis, quartodecimo anno, poſtquàm percuſſa eſt ciuitas, in ipſa eadem die oſtenditur Prophetæ mõs excelſus nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis, & vir funiculum habens, & calamum menſuræ in manu ſua; vt ſciamus, quoniam ea-

dem die, qua ſuper Synagogam extenſus eſt funiculus ad occidendum & deſtruendum, eadem extenſus eſt ſuper Eccleſiam Catholicam ad ędificandum & viuificandum. Vt enim

Hier. ſup. ca. 40. Ezechielis.

explicat. S. Hieronymus. Mons ille excelſus nimis, Chriſtus eſt, qui omnes alios montes, ideſt ſanctos Angelos, & homines ſuperexcedit.

Iſaia 2.

De quo ſuperius dictum eſt. *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.*

Ibid.

& iterum: *Erit præparatus mons domus Domini in vertice mōtium, & eleuabitur ſuper colles.* Super hunc montē oſtenditur in die, quam prædiximus, ædificium ciuitatis vergentis ad Auſtrum, quia

Eccleſia ſuper mōtem, ideſt Chriſtum ædificata eſt.

ſuper illum ædificata eſt Eccleſia, de qua Chriſtus Dominus ait, *Nō poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.*

Matt. 5.

Et ciuitas illa vergit ad Auſtrum, quia, flante ſpiritu, flores & fructus producit bonorum operum. Vnde & in Canticis dicitur.

Cant. 4.

*Exurge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Hier vbi ſupra.

Fugatur enim (vt Hieronymus ait) de horto Domini Aquilo ventus duriſſimus, ne refrigeretur dilectionis calor, floreſque marceſcant.

Aquilonē fugari quid ſit.

Vir funiculum lineum, & calamum habens menſurę in manu ſua, Chriſtus eſt, de quo per Prophetam

Zach. 6.

dicitur. *Ecce vir oriens nomen eius,* ipſe in manu ſua funiculum habet, vt menſuret omnes lapides templi. Conſonat hęc explicatio cum verbis ſequentibus: ſubditur enim.

9 *Nobiles eius non erunt ibi, Regem potius inuocabunt, & omnes Principes eius erunt in nihilum.* Quaſi dicat: olim erant nobiles quāplurimi in Hieruſalem, ciuitatem gubernantes, & ſuo conſilio regentes, quos merito tales vocare licebat; nunc verò non erunt ibi nobiles, aut Principes, nec Rex inuenietur in ea, qui ciuitatem protegat. Nec vocabitur vlterius Iuda regnum, ſed nihilum; quoniam in nihilum redigetur. Olim iuſtitia habitabat in ea; nunc verò homicidæ. Olim fideles Reges regnabant, & conſiliarij aſſiſtebant illis: habuit Abraham, habuit Iacob, habuit alios Patriarchas ſanctos, habuit Prophetas, & doctores ſpiritu Dei plenos, nunc tales non ſunt. Ideò calamitatem extremam ciuitatis deplorat Hieremias.

Thren. 1 b

*Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius: facti ſunt Principes veluti arietes nō inuenientes paſcua, & abierūt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.*

Thren. 2

Et iterum. *Cui cōparabo te? vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalē? cui exæquabo te & conſolabor te virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones. Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Hieruſalem: haccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?*

Eccleſiæ antiquus feruor tepeſcit.

Nec deeſt nobis occaſio conſimilia deplorandi: Regnabant olim in Eccleſia Apoſtoli, fulgebant Matyres zelo fidei ſuccenſi, atq; Doctores ſacri, ſcientia & ſpiritu Dei pleni, quęrentes non ſua, ſed quæ Dei ſunt: nunc autem vix reperitur qui pro Dei gloria periclitari velit, S. Hier intelligit de Apoſtolis verba illa. *Nobiles eius non erunt ibi,* quoniā derelinquentes Hieruſalē ob Iudæorum perfidiam, diſperſi ſunt per vniuerſum orbem, vt iuxtà mandatū Dñi Euangeliū gentibus nuntiarent.

10 Et



10 *Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius: Et erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.* Reſpōdet tacitæ obiectioni. Poſſet enim quis dicere: etſi populus trangreſſus ſit legem Domini, & mandata illius contempſerit, Principes tamen & nobiles, qui in domibus habitant eburneis, prudentes erunt, & iuſti, quorum protegemur auxilio, & ab ipſis requiremus conſilium, & vias Domini cognoſcemus. Hoc autem effugium excludit, aſſerens, domos nobilium ita futuras eſſe deſertas, vt præ ſolitudine plenæ ſint ſpinis, & vrticis, & feris animalibus: & quæ olim ſolebant eſſe ſplendida palatia & magnifica, in domicilia vertantur draconum, & in locum paſcuæ ſtruthionum.

Sanctitas quæritur ī nobilibus Eccleſiæ, neque inuenitur.

Simile quid apud

Hier. 5.

Hieremiam reperies. *Forſitan* (inquit) *pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini, & iudiciū Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui, & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula.* Et peiores facti ſunt, quàm vulgares & priuati homines: ideò eorum domus dicuntur cubile draconum, quia multo magis nocent in republica quàm ſimplices, qui coruis, & erinacijs, alijſque auibus immundis conferuntur, ſicut Pharao Rex Aegypti

Ezech. 29. a

apud Ezechielem, draco magnus nominatur. Et quod magis mirandum eſt, cum ſint moribus corrupti, volūt recti Principes apparere. Ideò ſtruthiones dicuntur in domibus eorum paſci. ſtruthio enim deſignat hypo-

Plin. lib. 10 cap. 1.

critam: quoniam, vt docet Plinius, animal iſtud ſpeciem quidem habet volandi, ſed vſum volandi non habet: à terra eleuari non valet, & alas quaſi ad volatum ſpecietenus erigit, ſed tamen nunquam ſe à terra volando ſuſpendit.

Greg 31. Morale 5.

*Ita ſunt omnes hypocritæ* (inquit Gregorius) *qui dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ conuerſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent: habent quidem volandi pennas per ſpeciem, ſed in terra repunt per actionem: quia alas per figuram ſanctitatis extendunt, ſed curarum ſecularium pondere prægrauati nullatenus à terra ſubleuatur. Speciem namq. Phariſæorum reprobans Dominus, quaſi ſtruthionis pennam redarguit, quæ in opere aliud exercuit, & in colore aliud oſtēdit, dicens.*

Mat. 23

*Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris quidē apparent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſſibus mortuorum: ita & vos foris apparetis hominibus iuſti, intus verò pleni eſtis auaritia & iniquitate. ac ſi diceret: Subleuare vos videtur ſpecies pēnæ, ſed in infimis vos deprimit pondus vitæ. de hoc pondere per Prophetam dicitur.*

Pſal. 4.

*Filij hominum vſquequo graui corde.*

11 *Et occurrent dæmonia, onocetaurus, & piloſus clamabit alter ad alterum: ibi cubabit lamia, & inuenit ſibi requiem. Ibi habuit foueā ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius: illuc congregati ſunt milui alter ad alterum.* Onocētaurus eſt quoddam animal mōſtruoſum, dictum ab onos quod Græce ſignificat aſinum, & tauro, quia partim aſſimilantur aſinis, partim tauris. quamuis aliqui dicāt, animal iſtud in facie, & pectore ſpeciem habere hominis. Piloſus eſt animal ſilueſtræ, quod toto corpore pilis abundat. Lamia, vt ex

Peccata diuerſa diuerſis animalib⁹ ſilueſtribus conferuntur.

Chryſo-

Chryſoſtomo,& Dionyſio docet Calepinus, ſunt quædam feræ muliebri facie, vberibus, totoq. pectore adeo ſpecioſo, vt nullo pictoris ingenio effingi queant. Quibus retectis, homines in fraudem alliciunt, captosque deuorant. Quale animal ſit ericius, iam ſupradictum eſt. Denique miluus animal eſt ſatis notum & vulgare, de quo Geminianus ait, quod propter guloſitatem immundis veſcitur, & pro modico ventris paſtu, huc atque illuc circumfertur tota die. &, vt inquit Ariſt. eſt quoddam genus milui, quod in principio aues capit; poſtmodum vero creſcēte ætate ita à ſua natura degenerat, vt vix muſcas aut vermiculos colligat, ac demum fame perit. Per hæc autem animalia, diuerſa peccatorum genera deſignantur, quibus commaculati erant Iudæi, atque fœdati. His conferri poſſunt peccatores gratia Dei deſtituti, quorū alij in Eccleſia Chriſti ſunt alijs deteriores. Iſti ſicut corui, gaudēt operibus mortuis, illi, tanquam ibices, ſerpentibus veſcuntur, venenum odij, & inuidiæ ſemper in corde geſtantes, quidam luxuriæ, ſicut onocentauri; quidam gulæ, vt milui, quidam auaritiæ ſunt dediti; alij denique alijs delectantur peccatis. Vnde S. Gregorius, hunc eundem locum Iſaiæ in ſenſu myſtico explicans, ait: *Quid namque per dracones, niſi malitia; quid vero ſtruthionum nomine, niſi hypocriſis deſignatur? Struthio quippe volandi ſpeciem habet, ſed vſum volandi non habet: quia & hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere vitam ſanctitatis ignorat. In peruerſa igitur mente draco cubat, & ſtruthio paſcitur: quia & latens malitia callide tegitur, & intuentium oculis ſimulatio bonitatis antefertur. Quid vero onocentaurorum nomine, niſi & lubrici figurantur & elati? Græco quippe eloquio, onos, aſinus dicitur, & appellatione aſini luxuria deſignatur, Propheta atteſtante, qui ait: Vt carnes aſinorum carnes eorum. Tauri autem vocabulo, ceruix ſuperbiæ demonſtratur, ſicut voce dominica, de Iudæis ſuperbientibus per Pſalmiſtam dicitur: Tauri pingues obſederunt me. Onocentauri ergo ſunt, qui ſubiecti luxuriæ vitijs, inde ceruicē erigunt, vnde humiliari debuerant. Qui carnis ſuæ voluptatibus ſeruiētes, expulſa longe verecundia, non ſolum ſe amittere rectitudinem non dolent, ſed adhuc etiam de opere confuſionis gaudent. Onocentauris autē dæmonia occurrūt, quia maligni ſpiritus valde eis ad votum deſeruiunt, quos de his gaudere conſpiciunt, quæ flere debuerunt; vbi apte ſubiungitur: & piloſus clamabit alter ad alterum. Qui namque, alij piloſi appellatione figurantur, niſi hi, quos Græci, Panas, Latini vero, Incubos, vocant? quorum nimirum forma ab humana effigie incipit, ſed beſtiali extremitate terminatur. Piloſi ergo nomine, cuiuslibet peccati aſperitas deſignatur, quod etſi quando quaſi ab obtentu rationis incipit, ſemper tamen ad irrationabiles motus tendit, & quaſi homo in beſtiam deſinit, dum culpam per rationis imaginem inchoans, vſque ad irrationabilem effectum trahit. Nam ſæpe edendi delectatio ſeruit gulæ, & ſeruire ſe ſimulat indigentiæ naturæ: cumque ventrem ingluuie extendit, membra in luxuriam erigit. Piloſus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia, ad aliam perpetrandam malitiam prouocat, & quaſi quadam cogitationis voce, commiſſa*

Gemin. li. 4. ca. 35. & 38.

Ariſt. in li. de animalibus.

Gregor. 7. Moral. 12.

Ezech. 24.

Pſal. 21.

miſſa



*miſſa iam culpa, culpam adhuc quæ comitatur inuitat. Sæpe namque, vt diximus, gula dicit: ſi abundāti alimēto corpus non reficis, in nullo vtili labore ſubſiſtis. Cumque mentem per deſideria carnis accenderit, mox quoquæ luxuria verba propriæ ſuggeſtionis facit, dicēs: Si miſceri Deus homines corporaliter nollet, membra ipſa coeundi apta vſibus non feciſſet. Cumque hæc quaſi ex ratione ſuggerit, mentem ad libidinum effrænationem trahit. quæ ſæpe deprehenſa, patrocinium mox fallaciæ & negationis inquirit, reamq. ſe eſſe non æſtimat, ſi mentiendo vitam defendat. Piloſus ergo, alter ad alterum clamat, quando ſub aliqua ratiocinandi ſpecie, peruerſam mentem culpa ſubſequens, ex occaſione culpæ præcedentis, illaqueat. Cumque hāc peccata dura atque aſpera deprimūt, quaſi conuocati in ea concorditer piloſi dominantur: ſicq. fit vt ſemper ſe greſſuū ſemitæ deterius inuoluant, dum mentem reprobā culpa per culpam ligat.* Alter ad alterum clamat piloſus, dum vnum peccatum alterū excitat, & ad inhabitandum cor impij ſecum trahit, iuxta illud: *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* de quo plura diximus ſupra. *Illic congregati ſunt milui alter ad alterum.* Septuag. Interpretes transferunt, *illuc ceruæ occurrunt*, & hac lectione vtūtur multi ſancti Patres, qui præſentē locum interpretantur de Apoſtolis: ſic explicant illum S. Hieron. Cyrillus, & vtrumque nomen, milui, videlicet, & ceruæ congruit Apoſtolis. Milui dicuntur (vt inquit Ambroſ.) eo quod cognouerunt veris aduentū, hoc eſt, Chriſti, iuxta illud Ieremiæ 8. *Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus nō cognouit iudicium Domini.* Milui ſunt, quoniam totum orbem rapuerunt Chriſto, ſalutis animarum cupidi & famelici. Milui ſunt, quoniam peccatores occidebant, & manducabant, illos incorporantes Chriſto: ſicut Petrus, cui dictum eſt, *Occide & manduca*, quem locum expendimus ſupra. Cerui ſunt de quibus per prophetam dicitur: *Vox Domini præparantis ceruos*: Sicut enim ceruus ſerpentes interficit, & ſpiritu narium eos extrahit de cauernis, & ſuperata pernicie, eorum delectatur paſtu; ita & Apoſtoli ſpiritu oris ſui occiderunt peccatores, & de cauernis & faucibus diaboli eos extrahentes, veneno peccati ſublato, ſibi, & Chriſto in cibum delectabilem parauerunt. Cerui ſunt, quoniā more ceruorum alter alterius onera portantes adimplent (vt ſupra diximus) legem Chriſti. Cerui ſunt quoniam ima deſpicientes in montibus cœleſtibus commorantur, quia eorum cōuerſatio in cœlis eſt. Nec ſolum ceruos, ſed ceruas dixerim, quoniam inclinantur ad fœtum, & pariunt, & vagitus emittunt, pro ſalute animarum Dei contemplationem relinquentes, & cum lachrymis arguentes peccatores, vt eos in Chriſto parturiant: Vnde & vnus eorum ait. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.*

12 *Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit, alter alterum non quæſiuit, quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & ſpiritus eius ipſe cōgregauit ea.* Denunciat certiſſimè quæ prædixit euētura eſſe, & loquitur in perſona propria ad filios Iſrael, ac ſi

Peccatum vnum, ad aliud excitat.

Lucæ. 11

Sup. c. 8. n. 6. c. 9. n. 10

S. Hieron. Cyrillus.

Apoſtoli miluis conferūtur, & ceruis.

Amb. ſer. 6 ſup pſ. 118.

Hiere. 8

Act. 10. b

Sup. cap. 2. nu. 7.

Pſal. 28.

Simile.

Tom. 1. in prologo ad lect.

Gal. 4. c

ac ſi

Scripturæ Sacra, cum impletur, facilius intelligitur. ac ſi dicat: Conſiderate diligenter
librum meæ prophetiæ, & omnia
verba eius expendite, & cum euenerint omnia, quæ anunciaui vobis,
legite illa in libro iſto, & videbitis
qualiter verba factis, & facta verbis
correſpondeant. Nec defluit vnum
ex verbis, quæ ego loquutus ſum. Si-
*Matt. 5.* mile quid habetur Matth. 5. *Amen
quippè dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus
apex non præteribit à lege, donec om-*
*Luc. 21.* *nia fiant*. Et Lucæ. 21. *Amen dico
vobis, quia non præteribit generatio
hæc, donec omnia fiant. Coelum &
terra tranſibunt, verba autem mea
non tranſibunt*. Ita ergo erunt omnia verba mea plana atque perſpicua, cum id quod prædixi, euenerit,
vt vnus ab altero eorum intelligentiam non requirat. Et aſſignat rationem: quoniam quæ prædixi, non à
meipſo, ſed Domino mandante,
& Spiritu ſancto inſpirante loquutus
ſum. *Ipſe Spiritus congregauit ea*,
videlicet verba, vel myſteria in ore
meo. Innuitur in hoc loco myſte-
Trinitatis myſteriũ innuitur. rium Trinitatis. Pater enim ſignificatur, cum dicitur, ipſius; Filius verò deſignatur per, os, & Spiritus
ſanctus per ſpiritum. Quid ſimile
reperies in illis verbis Pſalmi 32.
*Pſal. 32.* *Verbo Domini coeli firmati ſunt:
& ſpiritu oris eius omnis virtus eo-*
ſpiritus ſãcti vnũ prĩcipiũ ſunt pater, & filius. *rum*. Vbi obſerua quod Spiritus
ſanctus dicitur ſpiritus ipſius, ideſt,
Patris, & aliquando ſpiritus oris
eius, ideſt Filij, non quia procedat
à ſolo Patre, vel à ſolo Filio; docet
enim fides Catholica, pariter ab vtro
que procedere, ſed vt ſciamus, quod
non vt à duobus principijs, ſed vt
ab vno Spiritus ſanctus procedit à
Aug. lib. 5. de trin. ca. 14. tom. 3. Patre & Filio. dicit enim Auguſtinus
quod Pater & Filius non ſunt duo
principia ſed vnum principium Spiritus ſancti. Cuius rationem aſsignat S. Thomas, nam *Pater & Fi-* s. Th. 1. p. q. 36. ar. 4. in corp.
*lius in omnibus vnum ſunt, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio. Vnde cum in hoc, quod
eſt eſſe principium Spiritus ſancti
non opponantur relatiue, ſequitur
quod Pater, & Filius ſint vnũ principium Spiritus ſancti*.

13 *Et ipſe miſit eis ſortem, &
manus eius diuiſit eam illis in menſuram: vſque in æternum poſſidebunt eam: in generationem & generationem habitabunt in ea*. Idem
Filius, qui ſupra, os Domini, appellatur, idem & nunc vocatur manus
Domini, per quam Pater operatur.
Nam *omnia per ipſum facta ſunt*. *Ioan. 1.*
cui Pater omne iudicium dedit. Et
quando audieris Dominum immiſiſſe hæc monſtra in Idumæam, non intelligas ipſum peccati auctorem eſſe. hoc enim repugnat diuinæ bonitati. *Quia omne peccatum eſt per* s. Th. 12. q. 79. ar. 1.
*receſſum ab ordine qui eſt in Deum,* in corp.
*ſicut in finem. Deus autem omnia
inclinat, & conuertit in ſe ipſum
ſicut in vltimum finem, ſicut* Dio- Cap. 1. de diu. nom. ad fin.
*nyſius dicit de diuinis nominibus:
vnde, impoſſibile eſt quod ſit ſibi,
vel alijs cauſa diſcedendi ab ordine qui eſt in ipſum. Vnde non po-* Peccati cauſa non eſt Deus etiam indirecte.
*teſt directè eſſe cauſa peccati. Similiter etiam neque indirectè; contingit enim quod Deus aliquibus non
præbet auxilium ad euitandum peccata, quod ſi præberet, non peccarent:
ſed hoc totum facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ, & iuſtitiæ, cum
ipſe ſit ſapiẽtia & iuſtitia. Vnde non
imputatur ei quod alius peccet, ſicut
cauſæ peccati. Sicut gubernator
non dicitur cauſa ſubmerſionis nauis ex hoc, quod non gubernat nauem, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens gubernare*



*nare*. Vnde Deus nullo modo poteſt eſſe auctor peccati. Cum ergo inquit Propheta, Deum miſiſse
prædictam ſortem obduratis Iudæis,
loquitur de malis pœnæ, quorum
Deus eſt cauſa: iuxta illud quod di-
*Iſai. 24. a* citur infra. *Ego Dominus & non
eſt alter, formans lucem & creans
tenebras, faciens pacem & creans ma-*
*Amos. 8. 6* *lum: Ego Dominus faciens omnia
hæc*. Et Amos 3. *Si erit malum in
ciuitate quod Dominus non fecerit*.
Quæ duo loca communiter explicantur à ſanctis doctoribus de malo
pœnæ: Quod ſi de malis culpæ intelligatur præſens locus, explicandus
eſt eo modo quo verba illa Pauli.
*Rom. 1. c* *Propter quod & tradidit illos Deus
in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant*
Sup. cap. 6. nu. 48. 49. 50. *corpora ſua in ſemetipſis*. Quæ
diffuſe explicata ſunt ſuperius, vbi
tradidimus diuerſos modos, quibus
Deus indurare dicitur, & excæca-
Prædeſtinatio ſors dr̃, & quare. re peccatores. Dicitur autem pars
reproborum, ſors, ſicut & prædeſtinatorum, quoniam ante omnia
merita, vel demerita, etiam præuiſa ex eadem maſſa quoſdam miſericorditer elegit ad gloriam, &
alios iuſte in maſſa perditionis relinquit, vt verax inueniatur qui dixit, *cuius vult miſeretur, & quem* *Rom. 9. c*
*vult indurat*. Sicut ſors abſque vlla
induſtria & diligentia humana, ante
omne meritũ vel demeritum accidit
huic, & non illi: ita & prędeſtinatio &
reprobatio eſt ante præuiſa merita,
vtraq; autem ſors durabit in ęternũ;
ideò ſubdit, *vſque in æternum poſſidebunt eam &c.* Hæc explicatio videtur magis literalis & conformis textui: quamuis non ſit contemnenda
interpretatio ſancti Hieronymi, &
Cyrilli, qui præſentem locum intel- Apoſtolis diuiſit Dominus vniuerſum.
ligunt de Apoſtolis, inter quos ſpeciali diſpenſatione Chriſti, & Spiritus ſancti inſpiratione, quaſi ſorte diuiſæ ſunt partes orbis, vt vnuſquiſque ipſorum prædicaret Euangelium, & ſic Eccleſia diſſeminatam
per Apoſtolos retineret fidem, vt cõuerſi ad Dominum in perpetuum habitarent in ea.

# CAPVT XXXV.

1 LAETABITVR deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, 2. Et florebit quaſi lilium, 3. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: 4. gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron. 5. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. 6. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere: 7. ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos.

8. Tunc

8. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.
Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus. 9. Et aperta erit lingua mutorum:
10. 11. Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitu-
dine. Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes
aquarum. 12. In cubilibus, in quibus prius dracones habita-
bant, orietur viror calami & iunci. 13. 14. Et erit ibi ſemita &
via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, &
hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.
15. Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam,
nec inuenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint. 16. Et re-
dempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude:
& lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obti-
nebunt, & fugiet dolor & gemitus.

## SVMMA CAPITIS.

A*GIT in hoc capite Iſaias de vocatione gentium, & conſolatione illis per Chriſtum repromiſſa, de aduentu Saluatoris & ſignis, quibus tempus aduentus eius omnes poſſint dignoſcere: diuiditurq. in quinque partes. Primo enim denunciat lætitiam & gloriam, qua Eccleſia Catholica ex gentibus congregata decorabitur in aduentu Domini: de quo agit in principio capitis.*

*Secundò denunciat, Apoſtolos oculo ad oculum viſuros Redemptorē. Verſiculo.* Ipſi videbunt. *Et occaſione huius conuertitur ad ipſos Apoſtolos, eos exhortās, vt prædicatione ſua debiles confortent & puſillanimes, & illis annuncient Redemptoris aduentum; de quo agit ab illo verſiculo.* Confortate manus diſſolutas.

*Tertiò, ſigna aduentus Redemptoris conſtituit. Verſiculo.* Tunc aperientur oculi cæcorum. *Vnde ipſe Saluator diſcipulis Ioannis inquirentibus ab eo: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Reſpondit: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgent, &c. Innuens hoc Iſaiæ vaticinium in illo adimpletum fuiſſe.*

*Quartò, abundantiam cæleſtis gratiæ atque doctrinæ, quæ per Chriſtum diffuſa eſt in cordibus fidelium, explicat, verſiculo;* Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ.

*Quintò, ſpirituales fructus tangit, quos fidelium mentes virtute aquarum coeleſtium proferunt, verſiculo.* In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, &c.



*Denique, viam, quam Chriſtus Dominus aperuit nobis, vt per eam ad patriam perueniamus coeleſtem, ſecuram eſſe, & planam oſtendit; Verſiculo.* Non erit ibi leo, &c. *vſque ad finem capitis.*

## COMMENTARIVM.

L*AETABITVR deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.* Continent hæc, & ſubſequentia verba prophetiam Eccleſiæ Catholicæ, ex Iudæis conuerſis ad Chriſtum, ideſt, Apoſtolis & paruis reliquijs Iſrael, & ex gentibus congregatæ, cuius lætitiam, magnificentiam, & gloriā deſcribit Propheta, atque Euangelij propagationem per vniuerſum mundum. Licet enim aliqui interpretes per deſertum intelligant Synagogā, quæ, cum deſerta fuiſſet in captiuitate Babylonica, accepit poſtmodum inſtaurationem & conſolationem per Chriſtum, in quem crediderunt Apoſtoli, & reliquiæ Iſrael: alij autem, inter quos eſt Hieronymus, Iuſtinus martyr, & Cyrillus, intelligunt gentilitatem aridam olim, & deſertam ac vacuam Dei gratia. Verumtamen multo magis congruit modo loquendi, & intentioni Prophetæ, vt per deſertū, Iudæam olim (ſicut prædictum eſt in cap. præcedenti) in ſolitudinē verſam & deuaſtatam, & gentilitatem prius abiectam intelligamus. Ad vtrumque videtur reſpexiſſe Propheta: & ne Iudæi prædictis calamitatibus attriti deſperarent, conſolatur eos, ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, repromittens. Et quoniam in locum eorum, qui in Hebræo populo duri, & obſtinati in ſua perfidia permanſerunt, gentilitas miſericorditer electa eſt à Deo, ſecūdum illud quod eius nomine dicit Apoſtolus: *Fracti ſunt rami, vt ego inſerar,* etiam illi futuram ſalutem, & gloriam denunciat. Appellat ergo Synagogam & gentilitatem deſertam, inuiam, & ſolitudinem, propter præteritam vitam peccatricem eorum, qui receſſerunt à Deo. Sed ſpecialiter deſerta fuit gentilitas, quoniam à Deo derelicta, & expers veræ cognitionis ipſius, atque omnibus cœleſtibus donis, & influentijs deſtituta. Deſerta, quoniam ſylua erat infructifera, moribus corrupta, & feris animalibus, & venenoſis diuerſorum criminum plena. Inuia, quia nulla ſancta cogitatio, nullum deſiderium patriæ cœleſtis per eam tranſibat. Vnde neque Angeli, neque Deus ambulabant per eam, ſed dæmonia, & varia peccatorum genera. Solitudo, quia ſpinis, & vrticis ſuorum delictorum plena erat, atque ſalubribus aquis fontium deſtituta. Vnde & Propheta Regius animam Deo vacuam omnibus illis tribus titulis notat, dicens. *In terra deſerta, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Vbi Augu. *Sæculum iſtud* (inquit) *ipſa eſt Idumæa, hoc eſt, deſertum Idumææ, vnde titulum pſalmus accepit, In terra deſerta. Parum eſt deſerta, vbi nullus hominum habitat, inſuper & ſine via, & ſine aqua: vtinam vel viam haberet*

Hieron. Iuſtin. in apologetico 2. pro Chriſtianis. Cyrill. lib. 9. contra Iulian.

Ro. 11. c

Gentilitas dr̄ deſerta, inuia, & ſolitudo.

Pſal. 62.

Aug. ſuper eundē pſa. to. 8.

*haberet ipſum deſertum, vtinam illuc homo incurrens, vel noſſet quà inde exiret. Non videt hominem ad ſolatium, non videt viam qua careat in deſerto. Ergo vbi diuertit? vtinam eſſet vel aqua vnde reficeretur, qui inde non poteſt exire. Malum deſertum, horribile & timendum, & tamẽ Deus miſertus eſt noſtri & fecit nobis viam in deſerto, ipſum Dominũ noſtrum* Ieſum *Chriſtum, & fecit nobis conſolationem in deſerto, mittendo ad nos prædicatores verbi ſui; & dedit nobis aquam in deſerto, implens Spiritu ſancto prædicatores ſuos, vt fieret in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et ecce habemus hic omnia, ſed non ſunt de deſerto*, ideſt de hoc mundo. *Ergo proprietatem deſerti prius commendauit Pſalmus, vt & tu cum audiſſes in quo malo eſſes, ſi quas hic habere poſſes conſolationes vel ſociorum, vel viæ, vel aquæ, non tribueres deſerto, ſed illi qui te viſitare dignatus eſt in deſerto*. Propterea ergo Iſaias prius tot nominibus expreſſit Iudæorum deſolationem & gentium, vt cum in meliorem fortunam eſſent deducti, non ſibi tribuerent, ſed Deo, à quo in tantam celſitudinem & gloriam ſunt euecti. Notandum eſt autem quod cum potuiſſet, nomine ſalutis & gratiæ, atque cęleſtium donorum ſtatum feliciſſimum Eccleſiæ prædicere, maluit tamen illum nomine lætitiæ & exultationis explicare, dicens. *Lætabitur deſerta & exultabit ſolitudo*, vt nos admoneat, verum gaudium, & lætitiam in ſolo Deo, in ſalute animæ, & teſtimonio pacatæ conſcientiæ inueniri. Hoc eſt gaudium, quod nulla interrumpit aduerſitas, nulla humana triſtitia, nullus aduerſarius deprædatur, ſicut ſcriptum eſt. *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tolet à vobis*. Hinc & per Prophetam dicitur. *Conuertiſti plãctum meum in gaudium mihi, conciſiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia*, quoniam ipſe lacrymæ pro patria effuſæ cœleſti, & paſſiones huius temporis vſque ad conciſionem omnium mẽbrorum corporis toleratę, in gaudiũ electis & lætitiam vertuntur. Hinc & Apoſtolus loquens cum electis, ait, *Semper gaudete*. Et rurſus. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete*. Non hoc impijs dicitur, non hypocritis, qui gaudent quidem ſed non ſemper, exultant, ſed, ad horam, *& gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*: iuſti autem ſemper gaudent, quia non in ſeipſis, non in rebus perituris, ſed in Domino gaudẽt. Gaudere in valle lacrymarum, difficile; continue gaudere, impoſsibile videtur. Multæ nos triſtitiæ comprimunt, multæ calamitates circundant, rerum temporalium iactura, fames, peſtis, gladius, infamia, mors, & mors æterna. Inter hæc, omnes gaudium quærunt, omnes lætiam aſſequi cupiunt, ſed non eam inueniunt, quia vnus in delitijs, alius in corporis voluptatibus, alter in honoribus & alijs conſimilibus & perituris bonis eam quærit. Iuſtus autem lætatur, & exultat, & ſemper exultat, quia non in his, ſed in Domino gaudet. Vnde & Chryſoſtomus ait: *In Domino gaudens ex accidenti nullo, voluptate hac excidere poteſt. Alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia ſunt, & tranſitu facilia, & facile vertuntur; nec hoc ſolum habent moleſtum, ſed etiam quod manentia non tantam afferunt nobis voluptatem, vt ex alijs naſcentem triſtitiam repellant, & obumbrent.*

Gaudiũ iuſtorum eſt indeficiẽs, reproborũ ad iſtar pũcti.

Ioan. 16. e

Pſal. 29.

1. Theſſ. 5. c

Philip. 4. a

Iob. 20.

Gaudium electorũ in quo conſiſtat.

Chryſ. hõ. 18. ad populũ colũ. 2. tom. 5.



*& obumbrent*. Dei *vero timor hæc habet vtraque, ſtabilisque eſt & immotus, & tantam emittit lætitiam, vt nullus nos aliorum ſenſus malorum capiat*, Deum *enim ſicut oportet timens, & in ipſo confidens, voluptatis radicem lucratus eſt. Et omnem habet lætitiæ fontem, & ſicut in mare decidens immenſum ſcintilla breuis facile deletur: ſic quantacumque* Deum *timenti illi dantur, velut in vaſtum lætitiæ pelagus excidentia extinguuntur, atque perduntur. Et reuera hoc eſt maxime mirabile, quod cum adſint, quæ contriſtare ſolent, permanet ipſe gaudens. Si nihil enim adeſſet triſti ſicum, non eſſet ipſi magnum, ſemper poſſe gaudere. Multis autem incumbentibus, quæ in triſtitiam impellant, omnibus eſſe ſuperiorem, & in medijs triſtibus lætari, hoc eſt admirabile. Et ſicut tres pueros non arſiſſe miraretur nemo, ſi procul à Babylonica ſtetiſſent fornace, (quod enim omnes conſternauit, hoc eſt, quod in igne tantum temporis verſati, his qui non verſati fuerant, egreſſi ſunt minus læſi.) ſic & in ſanctis dicere licet, quod ſi nulla ipſis inſtitiſſet tentatio, ipſos continuo gaudere non admiramur. Conſternatione verò dignum, & ſupra naturam humanam hoc eſt, quod infinitis vndique vndis circundati, tranquillitate pura fruentibus melius diſpoſiti ſunt.*

Dan. 2.

2 *Et florebit quaſi lilium.*

Magis explicat lætitiam, & gaudium Eccleſiæ Catholicæ, quo in Spiritu ſancto replebuntur fideles, & illud comparat florenti lilio, ſumpta à viridarijs metaphora, quæ tunc ridere & gaudere dicuntur, cum nitentibus pleni ſunt floſculis. Specialiter autem confertur lilio. Habet enim lilium quatuor, quæ maxime congruunt Eccleſiæ, Primo decorem, eſt enim flos miræ pulchritudinis, quam habet ex candore, ſiue rubore. ſunt enim lilia communiter alba, ſed quãdoque rubea, & purpurea. Ita Eccleſia eſt tã admirabilis pulchritudinis, vt decorem eius concupiſcat ſpõſus, & in laudem cantet illius. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es*. Et iterum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. eſt alba in innocentibus, & virginibus. Eccleſiaſtici 40. *Pulchritudinem decoris eius admirabitur oculus*. Rubea, & purpurea in martyribus, qui proprio ſanguine rubricãtur. Secundo habet lilium mirum fulgorem, quia ſplendent in illo aurea quædam grana ſeptem haſtulis ſuſtentata. Vnde ex ſeptem folijs candidiſſimis componitur, & ſeptem granis aureis decoratur. Ita in Eccleſia ſeptem reperiuntur virtutes adinuicem connexæ, quatuor cardinales, Prudentia videlicet, & Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia, & tres aliæ Theologales, Fides, Spes, Charitas, quibus ſeptem correſpondent grana aurea, ideſt, ſeptem, quæ enumerauerat ſupra dona Spiritus Sancti, quæ ſeptem fluminibus, ideſt, ſeptem ſacramentis irrigantur, ne forte aliquando fulgorem amittant, ſed ſuum ſemper retineant candorem, ſicut lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ. Tertio habet ſpecialem odorem, qui bonam famam deſignat fidelium, de quibus Apoſt. *Chriſti* (inquit) *bonus odor ſumus*. Denique lilium ipſas quoque ſeſe pungentes, & circundantes ſpinas, proprio candore & decore illuſtrare, & venuſtare non ceſſat. Non diſſimiliter Eccleſia aduerſarios ſuos charitatis affectu proſequitur, & pro ſe perſe-

Gaudiũ iuſtorũ florẽti lilio cõfertur.

Gemin. li. 3. cap. 80.

Eccleſiæ decor florenti lilio confertur pp marty.

Cant. 4.

Eccli. 40

Sup ca. 11. nu. 4 & 5.

Liliũ inter ſpinas eſt aĩa iuſti.

2. Cor. 2. d

perſequentibus orat, & cœleſti doctrina tyrannos ipſam pungentes ad Deum conuertit. propter quod in laudem illius dicitur. Canticorũ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Sic orauit Chriſtus Eccleſiæ ſponſus, qui pro crucifixoribus rogans ad patrem, ait, *Domine ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Et ad diſcipulos loquens. *Diligite* (inquit) *inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*. Vnde & B. Stephanus pro ſe lapidantibus rogauit, & *poſitis genibus clamauit voce magna, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*.

*Lucæ. 23 e* — *Matt. 5* — *Act. 7. g*

3 *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans*. Fideles qui in Catholica Eccleſia lætantur, etiam fructificant; fides enim iuſti non eſt otioſa, ſed per dilectionem operatur, & continuo pariet opera quamplurima, quibus exultat, & delectatur in Domino mens ſibi conſcia. Ideo ait: *germinans germinabit*, ideſt, continuo germinabit. Vnde & Apoſtolus fidem quorundã diſcipulorum ſuorum collaudans: *Gratias*, inquit, *agimus Deo, & patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper pro vobis orantes: audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem, quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij: quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit ſicut in vobis, ex ea die, qua audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei in veritate*. Et vt intelligas de qua lætitia loquatur, & gaudio, inquit: Exultabit lætabunda & laudans. Iuſti enim, & pij non de ſuis operibus lætantur, non gloriantur in libero arbitrio, nec ſibi tribuunt quod ſint ſancti, ſed gratiæ & miſericordiæ diuinæ, & quidquid ſunt, Deo acceptum referunt, clamantes cũ Paulo: *gratia Dei ſum id quod ſum*, & laudantes Deum, qui eos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum.

Fides per dilectionẽ operatur. — *Coloſſ. 1. a*

4 *Gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli & Sarom*. Tanta ergo erit illius ſolitudinis fœlicitas, tanta abundantia, & vbertas habitantibus in ea, quanta fuit in terra promiſſionis trans Iordanem veniẽtibus à deſerto. Nam terra promiſsionis tribus limitibus ſeu terminis vberrimis diſtinguitur, Carmelo ad meridiem, Libano ad ſeptemtrionem, Sarom ad occidentem. Quidquid olim habuit felicitatis terra promiſsionis, hoc nunc multo vberius habet Eccleſia Catholica, quę vere terra promiſsionis eſt, per illam priorem deſignata, ſita vltra Iordanem, quoniam quæ retro ſunt obliuiſcitur, & ad anteriora ſe extendit ad brauium. Habet Eccleſia gloriam Libani, quia Libanus mons eſt altiſsimus, indeficientium aquarum, à quo originẽ ducunt fluuij maximi. Ex cuius radice oriũtur duo fontes, videlicet Ior, & Dan, qui, vt Hier. dicit, ſimul iuncti Iordanem efficiunt. Vnde & in Canticis dicitur. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*. Ita & Catholica Eccleſia (ſicut dictum eſt ſupra) mons eſt in vertice montium conſtitutus, à quo omnes fluuij ſapientiæ ſalutaris deriuãtur. Hinc naſcũtur duo fontes magni, vetus videlicet, & nouum teſtamentum, quæ ita ſibi inuicem concordant, vt vnum & eundem Chri-

Eccleſia cu mulatius habet qđ qd fœlicitatis fuit i terra promiſſionis. — Gemin. li. 1 cap. 55. — *Cant. 4.* — Cap. 2. n 4. — Teſtamentum vetus, & nouum, duo fontes ſunt Iordanis fontib' ſimiles.



Chriſtum prædicent, & enuncient: ex quibus poſtmodum varij riuuli ſanæ doctrinæ dimanarunt, qui vniuerſam irrigauerunt Eccleſiam. Hinc aquam ſaluberrimam ſuæ doctrinæ deſumpſerunt ſancti, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, ſanctus Thomas, & cæteri ſacri Doctores, qui etiam ſimul iuncti, non ſolum in doctrina, ſed fere in verbis concordant. Ex his aquis implentur putei profundiſsimi, ideſt, Doctores ſcholaſtici, qui profunda myſteria noſtræ fidei Theologicis diſputationibus explicant. Item in Libano ſunt arbores odoriferæ, & ſuauiſsimæ herbæ, naſcuntur ibi fructus vberrimi. quæ omnia quotidie germinant ſpiritualiter in Eccleſia, ſecundum illud Oſeæ 14. *Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua, gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur ſedentes in vmbra eius. Viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale eius ſicut vinum Libani*. Carmelus etiã mons eſt amęniſsimus, cuius campus eſt Sarom conſitus arboribus fructiferis, & vineis, ac delicioſiſsimis hortis, & ſignificant decorem magnum quo ſuam Chriſtus illuſtrauit Eccleſiam.

*Oſeæ 14.*

5 *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri*. Hoc refertur ad Apoſtolos, & ad diſcipulos Domini, qui Saluatorem noſtrum proprijs oculis viderunt. Et ſpecialiter ad tres diſcipulos prædilectos, Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, qui in montem Tabor aſcendentes cum illo, eius gloriam, & claritatem conſpexerunt. Vnde & Ioannes ait. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: Et uidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à patre plenum gratiæ, & ueritatis*. Hac prærogatiua inter alias præcellit Eccleſia Synagogam. Patribus enim antiquis non eſt datum videre in carne Redemptorem, nec maieſtatem cernere & gloriam eius: quod tamen Apoſtolis miſericorditer fuit conceſſum, ipſa veritate dicente. *Beati oculi qui uident, quæ uos uidetis. Dico enim uobis quod multi Prophetæ, & Reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire, quæ auditis & non audierunt*. Propter quod & Paulus ait. *Nos uero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tamquam à Domini ſpiritu*. Quid eſt, *nos omnes*, niſi, nos Apoſtoli, nos, in quos fines ſæculorum deuenerunt, nos primitias ſpiritus habentes, nos ſpecialiter à Chriſto electi, vt teſtes ſimus reſurrectionis eius, nos vidimus gloriam Domini, non Moyſes & cæteri Prophetæ, non Reges antiqui. Nos vidimus gloriam Domini, & ſalutare Dei noſtri, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum verum eſt. Et ad Hebræos ſcribens, cum ipſi in hoc eſſent errore, vt legem Moſaycam præferrent Euangelicæ, & cum illa aſſererent obſeruandam eſſe, hac inter alias ratiocinatione vtitur, vt eos redarguat. *Multifariè multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit & ſæcula*. Ac ſi apertius dicat: nolite gloriari ô Hebræi in lege veſtra, nolite illam Euangelio præferre, quoniã à Deo inſtituta eſt, miniſtrata per Angelum,

Apoſtoli viderunt gloriã Dñi .i. filiũ Dei carne tectum. — *Ioan. 1.* — *Lucæ. 10 d* — *2. Cor. 3. d* — *Heb. 1.*

Per pphetas multifariè loquatur De⁹ antiquis, ſed nobis loquitur p filium. gelũ, & per Prophetas prædicata. Lex veſtra eſt à Deo, & noſtra; loquutus eſt olim patribus veſtris, & nobis ſicut & vobis loquutus eſt Deus, & multo excellentius & clarius. Vobis enim *multifarie*, ideſt multis & diuerſis verbis, *multiſque modis*, ideſt per diuerſas figuras & varia ęnigmata loquutus eſt per Prophetas. Scriptum eſt enim: *Si quis fuerit inter* Num. 12 *vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum* Et iterum. *Senes veſtri ſomnia* Oſeæ 11. *ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt:* nobis autẽ vnico verbo ſuo quod ab æterno genuit, ideſt, per Filium vnigenitum loquutus eſt. Ipſe legem condidit Euangelicam, ipſe nobis eam tradidit, ipſe non per ſomnium, non per ænigmata, ſed palam nobis loquutus eſt, & quæ patribus antiquis ſub figuris tradidit, nobis etiam ſine velamine prædicauit. Vbi expendendum eſt maxime cum Beato Anſelmo. (Anſel. ſup c.1. ad Heb.) quod Apoſtolus non ſine magno myſterio coniunxit participium, *loquens*, quod eſt præſentis temporis, cum aduerbio, *olim*, quod tempus præteritum importat: ſed vt ſciamus, quod verba, quibus patribus per prophetas loquutus eſt, etiam nobis vſque in hodiernum diem loquitur in ſcripturis ſacris, vt ſicut ipſi, ita & nos eiſdem verbis diuinis in ſpem erigamur vitæ æternæ. Dicit enim Apoſtolus. (Rõ. 15.) *Omnia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Et ipſa ſapientia de ſe loquens, ait: (Eccli. 24.) *Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam, & non deſinam in progenies illorum vſque in æuum ſanctum.* Et iterum ait.

Scripturæ ſacræ doctrina fons eſt indeficiens.

*Adhuc conſiliabor, vt enarrem. Adhuc* (Eccli. 39 b) (inquit) quia non ſolum olim diuina ſapientia loquebatur patribus per Prophetas, ſed vſque adhuc loquitur, & vſque in finem ſæculi loquetur, vt ex Prophetarum oraculis & legis antiquæ figuris Chriſtianę fidei veritatem comprobare valeamus. Hac eadem phraſi loquendi, qua in eadem oratione coniungitur aduerbium præſentis temporis cum participio aut verbo præteriti, vtitur Pſal miſta, ad deſignandam æternam generationem verbi diuini, cum in perſona ipſius loquens ait. (Pſal. 2.) *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui, te.* Quem locum fuſius expendimus ca.9.nu.46.47.48. & 49.

6 *Confortate manus diſſolutas, genua debilia roborate. Dicite puſillanimis: confortamini, & nolite timere.* Conuertit ſeipſum Propheta ad Apoſtolos, & prædicatores Euangelij, atque Doctores Eccleſiæ, & hortatur eos, vt legem annuncient Euangelicam, & verbo Dei robur ſpirituale tribuant debilibus, & puſillanimes confortent, & conſolentur. In lege antiqua omniũ manus diſſolutæ erant, & genua debilia, quoniam lex illa lex erat iræ, lex debilis & infirma, vacua, & egena; quoniam oſtendebat quidem peccatũ, ſed gratiã, qua vitaretur, nõ præſtabat. Ideò hoĩes nutriebat, debiles & puſillanimes, qui nõ audebãt aggredi opa ardua, ſed ſub poteſtate peccati iacebãt captiui. At illuceſcente die, poſtquã ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus De⁹ noſter, poſt quã à poteſtate Principis tenebrarũ proprio ſãguine gen⁹ eripuit humanũ, & legẽ gratiæ ſuauiſsimã ꝑ importabili iugo legis antiquæ prædicauit, manus hominũ remiſſę, & genua debilia Dei verbo roborantur, & puſillamines cõfortãtur per gratiam Dei,

Apoſtoli ꝑdicatione ſua debiles confortauerunt, & puſillanimes.



Dei, & charitatẽ, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis. Nolite, inquit, timere, quoniam iam deinceps non eritis ſub lege timoris, ſed amoris. Nolite timere, quoniam per Chriſtum victus eſt aduerſarius veſter, & Dominus ipſe pugnat pro vobis. (Theod.) Theodoretus, hanc prophetiam inquit corporaliter & ſpiritualiter Chriſtũ Dominum compleuiſſe, cum verbo virtutis ſuæ paraliticos ſanauit, & claudos, & ſimul eis tribuit ſpirituale robur ad actus virtutum, & curſum vitæ Euangelicæ. Vbi obſeruãdum, quanta ſit efficacia verbi diuini, quod manus remiſſas confirmat, & genua trementia confortat, & animos corroborat puſillanimes. Hanc enim vim habet à Deo, vt aures penetrans corporis voluntatẽ interius flectat, & de mala in bonam transmutet, ſicut ſcriptum eſt. (Pſal. 67.) *Dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Et iterum. *Vox* (Pſal. 28.) *Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.*

7 *Ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet & ſaluabit vos.* Ecce (inquit) rationem, ecce cauſam, propter quam, ò gentes, & Iudæi venundati ſub peccato, iam deinceps non debeatis timere, quoniam Deus veſter qui vos creauit, veniet, & vindicabit vos de principe tenebrarum, & in veram libertatem filiorum Dei vos perducet; ipſe vlciſcetur in aereas poteſtates, & cõdignam ſumet de illis vindictã, ſaluans vos. Conſonat hæc explicatio cum illis verbis: (Pſal. 71) *Deus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis: Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes ſuos in iudicio. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Quis enim calumniator, niſi diabolus, & ſathanas, qui mille calumnijs, & tergiuerſationibus genus humanum conatus eſt in interitum tradere, qui *accuſator eſt fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum* Dei *noſtri die ac nocte.* (Apoc. 12 c) Vnde & Aug. ait. (Aug. ſuper pſ.71. to. 8.) *Nullus melius quam diabolus hic calumniator agnoſcitur. Calumnia eius eſt: Nunquid gratis colit Iob* (Iob. 1.) *Deum? humiliauit autem illum Dominus* Ieſus *gratia ſua, ſuos adiuuãs vt gratis* Deum *colant, ideſt delectentur in* Domino. *humiliauit etiam ſic, quia cum diabolus, ideſt princeps huius mundi, nihil in eo inueniſſet, occidit per calumnias* Iudæorum, *quibus eſt vſus calumniator, tamquam vaſis ſuis operans in filijs diffidentiæ. Humiliatus eſt etiam, quia ille quem occiderant, reſurrexit, & regnum abſtulit mortis, cuius ille poteſtatem ita gerebat, vt ex vno homine quem deceperat, omnes per mortem traheret ad condemnationem. Sed humiliatus eſt, quoniam ſi ob vnius delictum mors regnauit per vnum, multo magis qui abundantiam gratiæ, & iuſtitiæ accipiunt in vita, regnabunt per vnum* Ieſum *Chriſtum, qui humiliauit calumniatores, falſa crimina, iniquos iudices, falſos teſtes, vt eũ perderent, immittentes. Deus ipſe veniet, &c.* Emphaſis eſt in pronomine, *ipſe*, ſicut etiam in illo nomine demonſtratiuo, *ecce*. & ſenſus eſt, non mittet angelum ſicut antiquitus, vt præcedat populum, non Gedeonem aliquem, aut ducem alium, qui defendat ſuos, & pro illis pugnet: ſed ipſemet Deus in propria perſona veniet, *ipſe ſaluabit nos.* Clamabat olim (Exod. 4. c) Moyſes. *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es.* Et iterum, *Præcipis vt*

Diabolus calumniator eſt fratrum.

Exod. 33. c

educam populum iſtum, & non indicas mihi quem miſſurus es mecum, & rurſus. Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto: in quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram? Orabat Propheta Regius.

Pſ. 143.

Emitte manum tuam de alto, filium videlicet tuum vnigenitum. eripe me, & libera me de aquis multis, hoc eſt, à peccatis innumeris, quæ velut aquæ intrauerunt vſque ad animam meam. Eandem orationẽ geminabat Salomon.

Sap. 9. d

Mitte illã de cœlis ſanctis tuis (diuinam videlicet ſapientiam) & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia. & ecce ad eorum clamorem Deus noſter venit, & ipſe ſaluabit nos.

Chriſtus Deus eſt, & homo.

Ex hoc loco habes Chriſtum Saluatorem noſtrum in lege & Prophetis repromiſſum, verum Deum, & hominem eſſe. ait enim: Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. ergo Saluator noſter, qui in quantũ homo natus eſt ex Virgine, idem ipſe Deus eſt. Vnde & Auguſtinus ait.

Aug. lib de quinque Hæreſib.

Euigila Manichæe & vide, nubila tonant. Quid tonant? hic eſt filius meus dilectus. Vide in terra hominem verum, audi de cœlo Deum verum. Vide in terra hominis filium, audi de cœlo Dei eſſe filium. Vtrumque verum eſſe cognoſce, ideſt, Deũ & hominem, filium Dei & filium hominis, vnum eundemque eſſe Deũ & hominem. Et S. Athanaſius.

Athanaſ. in ſymbolo fidei.

Eſt ergo (inquit) fides recta, vt credamus & confiteamur quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt. Deus ex ſubſtantia patris ante ſæcula genitus, homo ex ſubſtantia matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Hãc autem veritatem (quę fundamentum eſt noſtræ fidei) multis & apertiſſimis teſtimonijs vtriuſque teſtamenti, contra Iudæos & Iudaizantes ſupra comprobauimus.

Sup. c. 9. n. 45 & ſeq. vſque ad num. 73.

8 Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Manifeſtum ſignum conſtituit aduentus Chriſti, ex quo Dominus ipſe diſcipulis Ioannis interrogantibus:

Signa aduẽtus Chriſti.

Mat. 11 a

Tu es qui venturus es, an alium expectamus. oſtendit ſe mundi Redemptorem eſſe, Reſpondens. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Potuiſſet quidem reſpondere, quoniam ego ſum, quem venturum expectauerunt antiqui; ſed, vt inquit Chryſoſtomus, hoc obſiſteret audientibus.

Chryſ. hõ. 37. ſuper Ioann.

Excogitaſſent enim (etſi non dixiſſent) quod Iudæi ad ipſum dixerũt: Tu de teipſo teſtimonium perhibes. Propter hoc à miraculis fecit eos diſcere, inſuſpicabilem doctrinam faciens, & manifeſtiorem. Teſtimonium enim quod eſt à rebus, credibilius eſt teſtimonio quod eſt à verbis. Vnde confeſtim curauit cæcos, & claudos, & alios multos, non vt doceret Ioannem ſcientem, ſed eos qui dubitabant. Vnde ipſe Saluator perfidiam Iudæorum redarguens.

Ioan. 10. e

Loquor (inquit) vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Et poſt pauca.

Ibid.

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autẽ facio, & ſi mihi nõ vultis cre.ere, operibus



Cæcos & claudos, tũ corporaliter, tum ſpiritualiter ſanauit Chriſtus.

ribus credite, vt cognoſcatis & credatis quia pater in me eſt & ego in patre. Et quamuis ad literã verba hæc ſint intelligenda de cæcis, & ſurdis, & claudis corporalibus, quorum infirmitates curauit Chriſtus Dominus, nam in hoc ſenſu adducta ſunt à Chriſto, nihilominus, etiam tunc completa ſunt in cæcis, ſurdis, & claudis ſpiritualibus, & modo implẽtur quotidie, ſicut Hieron. ait, in gentibus.

Hier. ſuper cap. 35 Iſaiæ to. 5

quando qui prius cæci erant, & in ligna, & lapides impingebant, veritatis lumen aſpiciunt. Et qui ſcripturarum verba ſurdis auribus audire non poterant, nunc ad Dei præcepta lætantur. quando qui prius claudi erant, & rectam viam non tenebant, ſaliunt ſicut cerui, imitantes doctores ſuos, & aperta erit lingua mutorum, quorum ſathanas ora concluſerat, ne poſſent vnum Dominum confiteri. Hæc enim omnia, & alia conſimilia vitia, Chriſtus ſuo curauit aduentu.

Laudes puerorũ q exclamauerunt, Oſanna, cõmendanſ.

9 Et aperta erit lingua mutorũ. Septuag. Interpretes transferunt, & expedita erit lingua blæſorum. Et videntur hæc verba reſpicere ad ingens illud miraculum, quo pueri vix ſcientes expedite loqui clamabant in templo, dicentes,

Mat. 23 b

Oſanna filio Dauid. Quod prodigium animaduertẽtes principes Sacerdotum, & Scribæ, indignati ſunt, & dixerunt ei. Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis. Vtique. Nunquam legiſtis:

Pſal. 8. b

quia ex ore infantium, & lactentiũ perfeciſti laudem? Vbi non ſolum laudem puerorum commendauit, ſed & perfectam eſſe atque abſolutam docuit, tacite arguens Scribarum duritiam, & Phariſæorum, qui in lege docti, non ad laudem, ſed ad indignationem, & inuidiam commoti ſunt, videntes miracula quæ fecit in templo, & tamen pueri neſcientes loqui altiſſima myſteria, Spiritu ſancto cor & linguam eorum mouente, ſunt eloquuti. Poſſunt etiam hæc verba ad Apoſtolos, & Euangelij prædicatores referri, de quibus prædixerat ſupra.

Iſai. 32. a

Cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane. Hi enim cum eſſent velut muti, neque auderent Chriſtum Dominum propter metum Iudæorum annuntiare, adueniente Spiritu ſancto in igneis linguis, velociter & plane loquuti ſunt, quæ à Chriſto audierant myſteria regni coeleſtis.

Apoſtoli, adueniẽte Spũſancto, aperte pdicauerunt Chriſtum.

Mutus erat Petrus Apoſtolus cum ad vnius mulierculæ vocem, ſe ex diſcipulis Chriſti eſſe negauit.

Mat. 26 g

At poſtquam eum in fide Spiritus ſanctus confirmauit, audacter & abſque vlla trepidatione Chriſtum crucifixum Iudæis prædicauit, & gentibus: ſicut acta Apoſtolorum teſtantur.

Act. 2. b

Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem ſuam, & loquutus eſt eis. Ecce qui præ timore ceciderat ſibi relictus, indutus poſtmodum virtute ex alto, ſtat fortis & inuictus: & qui vnã vocem minimam in confeſſionem, & laudem Chriſti tertiò interogatus nõ protulit, vltro vocem ſuam eleuat, vt mortem & reſurrectionem prædicet illius.

Ibid.

Viri Iſraelitæ, inquit, audite verba hæc. Ieſum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigijs, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis: hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis: quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo, &c. Conſonat hæc explicatio cum ſubſequentibus verbis. Subditur enim.

10 *Quia ſciſſæ ſunt in deſerto*
*aquæ, & torrentes in ſolitudine. Et*
*quæ erat arida, erit in ſtagnum, &*
*ſitiens in fontes aquarum.* Reddit
rationem, propter quam oculi cæco-
rum ſint ſpiritualiter aperiendi, &c.
Quia videlicet aquæ cœleſtis doctri-
næ, & donorum Spiritus ſancti *ſciſſæ*
Eccleſiæ Catholicæ in quanta abundãtia donata ſit gr͡a, & doctrina cœleſtis. *ſunt in deſerto*, ideſt, in Eccleſia ex
Iudæis & gentibus congregata, quæ
prius deſerta erat & ſitiens. Inde
ſcaturiunt fontes, & torrentes ſapien
tiæ ſalutaris, vniuerſam irrigãtes ſu-
perficiem terræ. Vnde & Chriſtus
Dominus ait. *Qui biberit ex aqua*
Ioan.6. *quam ego, dabo ei non ſitiet in æter-*
*num: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet*
*in eo fons aquæ ſalientis in vitam*
*æternam.* Et iterum: *Si quis ſitit*
Ioã.7.f *veniat ad me & bibat. Qui credit in*
*me (ſicut dicit ſcriptura) flumina*
*de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et
ne quis perperam hæc de materiali-
bus aquis interpretaretur, ſubdit
Euangeliſta. *Hoc autem dixit de*
*Spiritu, quem accepturi erant creden-*
*tes in eum.* In ſenſu autem morali,
hæc, quæ de vniuerſa prædicũtur Ec-
cleſia, poſſunt vnicuique peccatori,
dum iuſtificatur, aptari. Natura
quippe humana ante aduentum Chri
Spūs ſanctus quæ bona operetur in anima iuſti ſti, deſertum erat & ſolitudo, & ſimi-
liter anima quæ per peccatum à Deo
receſſit, facta cubile draconum: nihil
in ea vere humidum, nihil fructife-
rum, ſed omnia æſtu concupiſcentiæ
torrida. ſed Spiritus ſanctus per gra-
tiam adueniens, & cor auerſum ad
ſe conuertens, fontes aquarum cœle-
ſtium, (ſicut dictum eſt) ſcaturire fa-
cit. Scriptum eſt enim. *Percuſſit*
Pſ.77. *petram & fluxerunt aquæ, & tor-*
*rentes inundauerunt.* Et iterum:
Pſ.106. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarum,*
*& terram ſine aqua in exitus aqua-*
Pſ.147. *rum.* Et rurſus: *Mittet cryſtallum*
*ſuam ſicut bucellas ante faciem fri-*
*goris eius quis ſuſtinebit? emittet*
*verbum ſuum, & liquefaciet ea: fla-*
*uit Spiritus eius, & fluent aquæ.*
Quem locum expendimus ſupra. Ob- Sup cap. 11. nu. 54.
ſeruandum eſt autem, quod Iſaias tri-
bus nominibus explicuit abundantiã
gratiarum, quã Spiritus ſanctus ad-
ueniens ſuper Eccleſiam effudit. Pri-
mò, per torrentes aquarum; ſecundò,
per ſtagnum; tertiò, per fontes aqua-
rum. Scinduntur in ſolitudine tor-
rentes, ſtagnũ in arida, fontes aqua-
rum in terra ſitienti. Eſt autem hæc Torrens, ſtagnũ, & fons in quo differant.
differentia inter torrentes, ſtagnum,
& fontes. quod torrentes nullam ha-
bent natiuam aquam, aut naturalem
fontem, à quo dimanent, ſed pluuijs
implentur cœleſtibus, & aquis deſcẽ-
dentibus tempore pluuiæ ex cacu-
minibus montium, quæ magno impe-
tu in torrẽte congregata, omnia ſecũ
rapit, terram corrodit, & vicina loca
ſubmergit. Stagnum dicitur, à ſtan-
do, & ſignificat aquam ſtantem ſeu
congregatam in vno loco, & ſermo-
ne Hiſpano dicitur: *Eſtanque, o a-*
*gua repreſada.* Et Virgilius, ſtagnũ
pro parte maris profundiſſima po-
ſuit, quod ea minime moueatur, ſed
ſtet ſemper, & quieſcat, ait enim, *Imis* Virgil. 1. Eneid.
*ſtagna refuſa vadis.* Et in hac acce-
ptione accipitur. Lucæ 5. cum dici-
tur, *& ipſe ſtabat ſecus ſtagnum*
*Geneſareth.* Fons dicitur à funden-
do, eo quod fundat aquam, & alijs
per riuulos communicet: ſicut flu- Fons à fundendo di.
uius dicitur à fluendo, eo quod per
terram diſcurrens fluit in mare. Igi-
tur Iſaias, in ſolitudine torrẽtes ſcin-
dendos eſſe, prædicit, vt ſciamus,
aquam gratiæ coeleſtis non eſſe no-
bis propriam, nec ex principijs na-
turæ prodire. (Eramus enim natu-
ra filij iræ) ſed gratis & miſericor-
diter, nullis noſtris præcedẽtibus me-
ritis



ritis à Deo donatam. Dicit enim
Apoſtolus: *Si autem gratia, iam non*
Rõ.11. a *ex operibus, alioquin gratia iam non*
*eſt gratia.* Et iterum ſcriptum eſt.
Iacobi 1. b *Omne datum optimum, & omne*
*donum perfectum de ſurſum eſt de-*
*ſcendens à patre luminum.* Vnde,
Iob.20.c & Iob de hypocrita loquens, ait: *Nõ*
*videat riuulos fluminis, torrentes*
*mellis & butiri. Torrentes* dixit, quo-
niam non à ſeipſis iuſti, ſed ex dono
Dei ſpiritualem accipiũt dulcedinẽ.
Hypocrita non guſtat ſpũalẽ dulcedinem. Aqua hæc torrentis corda hominum
ſecum rapit, & concupiſcentiam ter-
renorum diſſipat, atque omnia pec-
cata ſubmergit. Et ſicut torrens ſic-
cus omnino in æſtate manet, ita &
anima relinquitur arida, atque gra-
tia coeleſti deſtituta, quamdiu ardor
concupiſcentię carnalis regnat in il-
la. Stagnum in arida ſcinditur, &
fontes aquarum in terra ſitienti, quo
prædicatores admonentur Euangelij
vt tanquam ſtagnum aquam cœleſtis
Prædicatores eructãt populo q̃ prius guſtãt ſapientiæ & gratiæ ſalutaris ſibi reti-
neant, qua velut arida irrigẽtur prius
& ſatientur, vt poſtmodum ſalutem
animarum ſitientes, irrigent, tanquã
fontes, aliorum corda fidelium. Vnde
Pſ.144. & per Prophetam dicitur: *Memo-*
*riam abundantiæ ſuauitatis tuæ eru*
*ctabunt, & iuſtitia tua exultabunt.*
Ecce prædicatores Euangelici prius
replentur interius cibo coeleſti, &
poſtmodum ex abundantia cordis
Aug. ſuper pſ.144. t. 8. loquuntur. Vnde Auguſtinus ait:
*Sic manduca, vt eructes, ſic accipe, vt*
*des: manducas cum diſcis, eructas*
*cum doces: manducas cum audis, eru-*
*ctas cum prædicas: hoc tamen eru-*
*ctas quod manducaſti. Denique ille*
*auidiſſimus epulator* Ioannes *Apoſto-*
*lus, cui non ſufficiebat ipſa menſa*
*Domini, niſi diſcumberet ſuper pe-*
Ioan.13. *ctus Domini, & de arcano eius bibe-*
*ret diuina ſecreta, quid eructauit?*
*In principio erat verbum, & verbum*
*erat apud Deum.* Et paulo inferius. Ioan.1.
*Quia ergo memoriam abundantiæ*
*ſuauitatis tuæ eructabunt: intelli-*
*gentes in ſe nihil boni eſſe quod à te*
*non ſit, nec potuiſſe conuerti ad te,*
*niſi commonerentur abs te: nec re-*
*duci potuiſſe in memoriam tui, ſi tu*
*obliuiſcereris illorum. hæc conſide-*
*rantes, in gratia tua, & iuſtitia tua*
*exultabunt. Hæc, inquam, in tua*
*gratia conſiderantes, exultabunt iu-*
*ſtitia tua, non ſua. Fratres, ſi vul-*
*tis eructare gratiam, bibite gratiam.*
*Quid eſt, bibite gratiam? diſcite*
*gratiam, intelligite gratiam.* Et
ſanctus Bernardus in illud Cantico- Ber. ſer. 1 in cant.
rum. Oleum effuſum nomen tuum,
ait. *Quicumque munere gratiæ ex-*
*terioris perfuſum ſe ſentit, quo &*
*ipſe alijs refundere poſſit, etiam huic*
*dicere eſt, oleum effuſum nomen tuũ.*
*Sed ſane cauendum in his, aut dare*
*quod nobis accepimus, aut quod ero-*
*gandum accepimus, retinere. Rem*
*profecto proximi retines tibi, ſi, ver-*
*bi cauſa, plenus virtutibus cum ſis,*
*foriſque nihilominus donis ſcientiæ,*
*& eloquentiæ adornatus, metu for-*
*te, aut ſegnitie, aut minus diſcreta hu*
*militate verbum bonum, quod poſſet*
*prodeſſe multis, inutili, immo & dã-*
*nabili ligas ſilẽtio, certe maledictus,*
*qui frumenta abſcondis in populis.*
*Rurſum, quod tuum eſt ſpargis, &*
*perdis, ſi priuſquam infunda-*
*ris tu, totus ſemiplenus feſtines*
*effundere, contra legem arans in* Deut. 15 b
*primogenito bouis, & ouis primoge-*
*nitum tondens. Nimirum vita at-*
*que ſalute, quam alteri das, te frau-*
*das, dum ſana vacuus intentione, glo-*
*riæ inanis uento inflaris, aut terre-*
*næ cupiditatis veneno inficeris, &*
*lethali apoſtemate turgens interis.*
*Quamobrem ſi ſapis, concham te ex-*
*hibe-*

*bibebis, & non canalem: hic ſiquidem pene ſimul & recepit, & refundit; illa vero donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum, qui partem ſuam facit deteriorem. Et ne meum conſilium contemptibile ducas, audi ſapien-*

Prou.29 b *tiorem me.* Stultus, *ait* Salomon, *profert totum ſpiritum ſuum ſimul, ſapiens reſeruat in poſterum. Verum canales multos hodie habemus in Eccleſia; conchas vero perpaucas. Tantæ charitatis ſunt per quos nobis fluenta cœleſtia emanant, vt ante effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & alijs præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt. Ego nullum ad ſalutem*

Eccli.30 d *pietatis gradum illi gradui anteponendum exiſtimo, quem ſapiens poſuit, dicens: Miſerere animæ tuæ placens Deo. Quod ſi non habeo niſi parumper olei quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? ſeruo illud mihi, & omnino niſi ad prophetæ iuſſionem non profero. Si inſtiterint rogitantes aliqui ex his, qui forte exiſtimant de me ſupra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, reſpondebitur eis. Ne*

Mat.25 *forte non ſufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.*

Eccleſia tria continet fideliũ genera.

11 Igitur in Eccleſia tria ſunt fidelium genera. Quidam legem prædicant Euangelicam, & eam non ſeruant; hi torrentibus conferuntur & canalibus: quibus illud competit.

Matt.5. *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorũ.*

Mat.23 a Et illud. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Hi nimirum totum quod accipiunt alijs ſubminiſtrant, & nihil ſpirituale ſibi reſeruant: alijs ſunt inſtrumenta vitæ, ſed ſibi ſunt vaſa mortis. Ore promunt abundantiſsimas diuinæ ſapientiæ aquas, cum verbum Dei prædicant: ſed corde ſicci remanent & aridi. Alij ſunt qui per omnia legem obſeruant, ſed non alijs verbum veritatis annunciant. Hos ſimiles eſſe dixerim ſtagno: quia vitam contemplatiuam cum Deo ducentes pacificè, ſibi duntaxat ſpirituales diuitias congregant. Hi præferendi ſunt prioribus. *Quid enim prodeſt homini ſi* Mat.16 d *mundum vniuerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Alij denique ſunt perfectiſsimi, qui & legem obſeruant Euangelicam, & eam proximis feruenter annunciant. de quibus ſcriptum eſt. *Qui autem fecerit &* Matt.5. *docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Tales conferendi ſunt fontibus; quia prius ipſi aqua diuinæ gratiæ replentur, & poſtmodum cæteris per verbi prædicationem ſunt vtiles:

12 *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci.* Ideſt, in mentibus hominum, in quibus prius regnabãt dæmonia, atque diuerſa peccatorum genera, quæ per animalia immunda & varias feras deſignauit, orietur viror calami & iunci, hoc eſt, herbæ ſuauis atque odoriferæ diuerſarum virtutum. Ibi regnabit fides, ibi ſpes, ibi charitas, & gaudium in Spiritu ſancto. Et pro feris immun-



immundarum cogitationum inhabitabunt Pater, & Filius, & Spiritus

Ioan.14 ſanctus, ſicut veritas ait. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sicut enim diabolus ambulat per loca arida & inaquoſa: ita

Spſ ſanctus i puris cordibus libẽter requieſcit.

è contrario, Spiritus ſanctus in cordibus pluuijs cœleſtibus irrigatis libenter requieſcit. ideò *calami, & iunci* meminit Iſaias, quoniã huiuſmodi herbæ non niſi in humectis locis naſcuntur. Septuaginta interpretes ſic transferunt iſtum locum, *Illic lætitia auium, caula gregis, arũdinis & paludes.* Quæ verba alludunt ad id quod dicitur Matthęi 13.

Mat.13 *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius.*

Fides grano ſinapis eſt ſimilis.

Sicut enim in cordibus infidelium, piloſus clamat alter ad alterum, & animalia ſilueſtria quieſcunt: ita fide, quæ per granum ſinapis deſignatur, in hominum cordibus creſcente, aues, ſeu volucres coeli, ideſt Angeli lętantur, & gaudent, ſecundum illud, quod Chriſtus Dominus ait. *Dico*

Luca.15 b *vobis quod ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore poenitentiam agente.* Et idem ſignificant verba ſequentia: nam vbi paludes ſunt, ibi naſcuntur arundines, ibi naſcuntur herbæ quibus greges paſcuntur, ibi garrientes auiculæ congregantur.

13 ***Et erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur; non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.*** Pagninus, pro, *& via ſancta vocabitur*, transfert, *& via ſanctitatis vocabitur ipſa.* Lex Euangelica via eſt ſanctitatis, & ſemita. Via in mandatis, ſemita in conſilijs. Via eſt, quoniam per eam peruenitur ad patriam. Via, quoniam eſt lex, non timoris, ſed dilectionis, de qua dicit Apoſtolus. *Aemulamini autem charismata meliora, & adhuc excellen-* 1.Cor.12 d

*tiorem viam vobis demonſtro.* Et iterum. *Sectamini charitatem æmulamini ſpiritualia.* 1.Cor.14 a

Via eſt, quoniam Chriſtum, qui via, veritas, & vita eſt, digito oſtendit & enunciat. Semita, quoniam omnia legis mãdata in vno charitatis pręcepto abbreuiãtur. Via eſt latior, ſemita vero arctior, & quidẽ illis, qui nondum ingreſsi ſunt per eam; ſed à longe illam aſpiciunt, arcta ſemita videtur, per quam pauci, & cum magna difficultate perambulant. Illis autem qui exercitati ſunt per eam, non arcta via, ſed lata iudicatur, & plana, ita vt abſque offendiculo, & periculo errandi, etiã ſtulti, ideſt gẽtiles, qui ſtulti erant & ſtolidi, eam pertranſeant. Vnde & Propheta eius latitudinem explicãs

Charitas via eſt, & ſemita.

ait, *Omnis conſummationis vidi finẽ:* Pſ.118.

*latum mandatum tuum nimis*, ideſt, ſpiritu prophetico legem Euangelicam præuidi, quæ finis eſt legis antiquæ, & omnis perfectionis conſummationem continet, & non arctam viam, ſed latam iudicaui. Et iterum

ait. *Deſiderabilia ſuper aurum &* Pſal.18.

*lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum, etenim ſeruus tuus cuſtodit ea.* Ac ſi apertius dicat. Propterea verba Dei, atque eius præcepta non apparent mihi amara, aſpera, aut laborioſa, ſed ſuauia, plana, & omni iucunditate referta; quoniam cuſtodiui ea, atque experientia ipſa comperi, quoniam iugum eius ſuaue eſt, & onus leue. Legem ergo gratiæ, viam ſanctam

Præcepta Dei ſuauia ſunt cuſtodientibus ea.

ctam dixit Iſaias, & via, inquiens, *ſancta vocabitur*, quia ſanctos facit homines & perfectos. ſcriptum eſt

Pſ. 118. & 100.

enim. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege* Domini. Et iterum. *ambulans in via immaculata*, ideſt in lege, quæ ſanctos & immaculatos facit, *hic mihi miniſtrabat*. Non

Lex antiqua non iuſtificabat homines.

ſic lex antiqua, non ſic, nam lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chhriſtum facta eſt. Vnde & Apoſtolus ait.

Gal. 2.d

*Scientes autem quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro*. Et iterum.

Gal. 3.d

*Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, vere ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura, omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*. Et rurſus.

Heb. 7.c

*Nihil ad perfectum adduxit lex*. Et in alio loco ait.

Rõ. 4.c. Philip. 3.b

*Lex iram operatur*. Propter quod ad Philippenſes ſcribens ſic concludit. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu*.

Lex gratiæ homines ſanctificat.

14 Ex his collige, quam optimo iure, in laudem legis Euangelicæ Iſaias prædixerit. *Non tranſibit per eam pollutus*. Cum enim ſanctos & immaculatos ſuos ſectatores faciat, & ſacramenta illius per gratiã, quam cauſant, emundent conſcientiam interius ab operibus mortuis, quomodo obſequentes illi erunt immundi? *hæc via Euangelica* (vt ait Cyrillus,) *ijs, qui nondum emundati ſunt ſacro baptiſmate, inacceſſa eſt: oportet prius emundari ſacro baptiſmate, vt per hanc viam ingrediaris*. Vnda ſacra, ianua eſt, per quam immundi ingrediuntur Eccleſiam. Ibi deponuntur omnes peccatorum ſordes, vbi initium eſt vitæ ſanctæ, per quam peruenitur ad patriam. At per legem antiquam, polluti interius & immundi pertranſibãt, quoniam præcepta illius, ſacrificia, & ſacramenta non ſanctificabant animam interius, ſed tantum carnem exterius. Dicit enim Apoſtolus.

Heb. 9.d

*Iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis vſque ad tempus correctionis impoſitis*. Et poſt pauca.

Ibid.

*Si enim ſanguis hircorum, & taurorũ, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatũ* Deo, *emũdabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum* Deo *viuenti*? Quibus verbis ſolùm tribuit ſacramentis, & ſacrificijs veteris teſtamenti virtutem quandam ſanctificandi exterius ad emundationem carnis; non autem emundandi interius animam à peccatis. Denique obſeruandum, quod loquens de lege Euangelica, ter eam nominauit viã. primo ait: *erit ibi via*, ſecundo ſubdit: *& via ſancta vocabitur*: tertio inquit: *& hæc erit vobis directa via*. Nec hoc vacat myſterio: ideò namque ter nominauit viam, propter fidem ſanctiſsmæ Trinitatis, cuius cognitio in lege Euãgelica expreſſe traditur ſub pro-





prijs nominibus, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Vnde & Chriſtus

Mat. 28

Dominus dixit diſcipulis. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*.

Vide cap. 6. num. 14.

Et vt vnitatẽ eſſentiæ, quæ tribus cõmunis eſt perſonis, deſignaret, poſtquã ter nominauit viam, ſubdit

Trinitatis myſterium obũbratur

in ſingulari, *ita vt ſtulti non errent per eam*; non ait per eas, ſed *per eam*, vt ſciamus quoniam *tres ſunt qui te-*

1. Ioan. 5.b

*ſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. Patrem intelligit, cum primo dixit *Via*, Filiũ, cum ait, *Via ſancta*, quoniam per ſanguinem eius ſanctificati ſumus, & redempti. Spiritum ſanctum, cum ſubdit, *& directa via*. Quoniam ipſe deducit homines errantes in viam rectam ſecundum illud quod ſcriptum eſt,

Pſ. 142 e

*Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Directam viam repromittit contra tortuoſa itinera ſerpentis antiqui, & contra vias prauas filiorum Adam, vt (ſicut dicitur infra) ſint *praua in directa, & aſpera in vias planas, & omnis caro videat ſalutare Dei*.

15 *Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint*.

Viam cœleſtis patriæ ſecurã reddit Chriſti gratia.

Tanta eſt erga nos Dei miſericordia, vt non ſolum nobis faciat facultatem redeundi ad patriam cœleſtem, cuius aditus per peccatum primi parentis omnibus fuerat præcluſus, ſed etiam proſperitatem, incolumitatem, & ſecuritatem itineris repromittat.

Pſal. 67

*Benedictus Dominus die quotidie* (ait Propheta) *proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum*: Et ſicut in ſtatu innocẽtię leones, & viperæ, & alia ſiluæ animalia nullum homini inferebant nocumentum; ita & in ſtatu legis Euangelicæ tantam gratiam Deus confert electis, vt ab huiuſmodi animalibus non lędãtur. Scriptum eſt enim.

Marci 16.d

*Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijciẽt, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit*. & iterum,

Pſa. 90.

Angelis ſũt cuſtodes hominum in via & ſocij in patria.

*Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiãt te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Vide miſericordiam & benignitatem Dei. Angelos ſuos, noſtros vult eſſe in via cuſtodes, quos ſocios beatitudinis habituri ſumus in patria: Ipſos habent iuſti adiutores, ne à malis beſtijs lædantur in via, ſed eorum pedibus ſubiaceant.

Iuſtis beſtiæ ſubdũtur, quia beſtiales motus carnis ſuperant.

id quod virtutis præmium nõ modicum eſſe videtur: æquum enim eſt, vt illis penitus beſtiæ ferociſſimæ ſubdantur, qui beſtiales motus carnis rationi ſubijciunt, & voluntatem ſuam, & ſeipſos conſecrant Deo. Ideò Daniel ſecurus fuit in lacu leonum, ait enim.

Daniel. 6.f

*Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me*.

Paulo non nocuit vipera.

Inuaſit vipera manum Pauli, & cum *viderent barbari pendentem beſtiam de manu eius, adinuicem dicebant.*

Act. 28. b

*Vtique homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere. Et ille quidem excutiens beſtiã in ignem nihil mali paſſus eſt*. Poſſunt etiam per leonem, & malam beſtiam intelligi diuerſorum peccatorum genera, aut etiam *aduerſarius* noſter *diabolus*,

1. Petri 5. b

qui *tanquam leo rugiẽs circuit, quærens quem deuoret*: quem tamen Saluator noſter ab ele-

ab electis ſuis procul pellit, vt ſecuri poſsint, & abſque vllo timore per viam ſalutis incedere. *Dicit piger. Leo eſt foris in medio platearum, occidendus ſum*: ſed ne iuſti paueant: vicit leo de tribu Iuda, & tartarei leonis dentes contriuit.

*Prou. 22. b*

Quod ſi ad mores hæc referamus, videbimus leones, & malas beſtias, ideſt, infideles principes, & tyrannos, iuſtos inſequi, ſed nihil eis nocere poſſunt. Nam etſi ad tempus corpus dilanient, animam autem non valent occidere. Vel per illa verba, *non erit ibi leo, & mala beſtia*, ſignificat, in illis qui legẽ obſeruant Euangelicam, nullum fore leonis affectum, nullum iræ aut vindictæ dominatum, ſed ſummam manſuetudinem, ſicut decet agnos & diſcipulos illius qui dixit. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*, & iterum. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*. Hinc collige, Deum opus ſalutis noſtræ non ſolum inchoare, ſed & proſequi, & ad finem vſque perducere. Sicut enim viam oſtendit, & aperit, ita & ſternit eam, atque omnis generis impedimenta tollit: ſeque ducem, & protectorem in toto itinere præbet. Vnde & Eccleſia orat. *Gratia tua Deus ſemper nos præueniat, & ſequatur: ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos*. Et iterum. *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuãdo proſequere: vt cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Deniq;, *De⁹ eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona volũtate.*

*Mat. 11 d*

*Mat. 10 b*

*Phil. 2.*

16 *Et redempti à Domino conuertentur; & venient in Sion cum laude & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudiun & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Quia regnum Chriſti eſt regnum pacis & gaudij, ac totius ſecuritatis: obſeruantibus legem eius ſumma repromittitur lætitia, ſummum gaudium ſpirituale, & ſumma foelicitas, quæ ex parte retribuitur iuſtis in pręſenti ſęculo, ſed multo perfectius, & plenius continget illis in futuro, vbi lætitia erit ſempiterna, nulla triſtitia, aut dolore interrupta. Vnde hæc verba potiſsime intelligenda ſunt de Eccleſia triumphante, ſicut explicant illa Tertullianus, Origenes, Auguſtinus. *Quid hac vita (inquiens) beatius, vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? nemo læditur, iraſcitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſideriũ, nulla honoris pulſatio, aut poteſtatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis, neque animæ erit, ſed immortalitatis munere vita iocunda. Nulla erit tunc vſquam diſcordia, ſed cuncta conſona, cuncta conuenientia, quia omnium ſanctorum vna concordia, pax cuncta, & lætitia continet, tranquilla ſunt omnia, & quieta.* Obſeruandum eſt autem, quod Iſaias dupliciter explicat ſummam foelicitatem illius ſtatus, videlicet per affirmationem, & per negationem. Per affirmationem eam explicat, cum inquit, *Venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiã obtinebunt.* Per negationem autem illam deſcribit, cũ ait, *& fugiet dolor, & gemitus.* Cui conſonat illud Apocalyp. *Et abſterget Deus omnẽ lacbrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Hoc habent res ineffabi-

Tertul. de reſurrectione carnis. Orig. hó. 17. & 23. ſup. num. Aug. ſer. 37. de ſãctis to. 10.

Eccleſia triumphãs omnia poſſidet bona.

Beatitudo patriæ explicatur ꝑ affirmationem & negationẽ.

*Apocal. 21.*





les, vt negationibus, potiusquam affirmationibus explicari poſsint, & facilius cognoſcimus, quid non ſint, quàm quid ſint. Vnde S. Thomas, de immenſa Dei ſubſtantia tractare incipiens. *Eſt* (inquit) *via remotionis vtendum, præcipue in conſideratione diuinæ ſubſtantiæ. Nam diuina ſubſtantia, omnem formam, quam intellectus noſter attingit, ſua immenſitate excedit: Et ſic ipſam apprehendere non poſſumus, cognoſcendo quid eſt, ſed aliqualem eius habemus notitiam, cognoſcendo quid non eſt. Tanto enim eius notitiæ magis appropinquamus, quanto plura per intellectum noſtrum ab eo poterimus remouere; tanto enim vnumquodque perfectius cognoſcimus, quã to differentias eius ad alia plenius intuemur. ſed quia in conſideratione ſubſtantiæ diuinæ non poſſumus accipere quid quaſi genus; nec diſtinctionem eius ab alijs rebus per affirmatiuas differentias accipere poſſumus, oportet eam accipere per differentias negatiuas. Sicut ſi dicamus, Deum non eſſe accidens, per hoc quod ab omnibus accidentibus diſtinguitur. Deinde ſi addamus ipſum non eſſe corpus, diſtinguemus ipſum etiã ab aliquibus ſubſtantijs. & ſic de reliquis, quæ ſunt præter ipſum.* Si autem dicere velimus, quid ſit Deus, illum diffinire non poſſumus, quia eſt omnino illimitatus. Quia ergo illa fœlicitas patriæ cœleſtis eſt incomprehenſibilis lumine naturali intellectus creati, per negationes potius, quàm per affirmationes eã explicant ſcripturæ ſacræ. Ait enim Paulus: Quod *oculus non vidit, neque auris audiuit; nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* ac ſi apertius dicat. Non eſt oculis corporalibus viſibile, nec auribus audibile, neque humana cogitatione cognoſcibile ſummum illud bonum, quod Deus ſuis electis præparauit, ſed eſt aliquid ſuperexcedens totam facultatem naturę. Quod ſi interroges ab Apoſtolo, quodnam ſit illud ſummũ bonum electis præparatum ab origine mundi, quæ ſit illa fœlicitas, quam ad tertium vſque cœlum raptus expertus eſt. *Audiui* (inquit) *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, ideſt, quod nulla lingua humana poteſt dici (alias Deus non eſſet incomprehenſibilis.) Vnde Auguſtinus ait: *Quod ſit autem illud bonum quod promittit Deus ſanctis ſuis, quis explicet verbis ſuis? facilius tamen poſſumus dicere in illa vita æterna, quid ibi nõ ſit, quam quid ibi ſit. Non eſt ibi mors, non eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœſtitia, nulla triſtitia. Ecce diximus quid ibi non ſit. Quid autem ibi ſit, vultis noſſe? Hoc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Si in cor hominis non aſcendit, cor hominis illuc aſendat. mundetur cor ab omni immunditia, vt poſſit portare Deum, qui eſt vera ſempiternaque iuſtitia.* Hoc autem certiſsime cum eodem Auguſtino tenendũ eſt, quod tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incõmutabilis veritatis, atque ſapiẽtiæ, vt etiã ſi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc ſolũ innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs, & circũfluentia tẽporalium bonorũ recte meritoq. contemnerentur. Non.n. falſo, aut paruo affectu dictum eſt. *Quoniã melior eſt dies vnus in atrijs tuis ſuper millia.*

S. Tho. 1. cõtra gẽt. cap. 14.

Deum magis cognoſcimus via remotionis, quã ꝑ affirmationem.

*1. Cor. 2 e*

*Iſa. 64. a*

*2. Cor. 12. a*

Aug. lib. 3 de ſymb. ad cathecumenos col. vlt. ca. 10. tom. 9.

Deus bonũ eſt ſenſu imperceptibile.

Aug. lib. 3. de lib. arb. ca. 25. to. 1

*Pſa. 83.*

# CAPVT XXXVI.

1 ET factum eſt in quartodecimo anno regis
4. Reg. 18.c.13. 2.Paral. 32.a.1. Ezechiæ, aſcendit Sennacherib rex Aſſy-
riorum ſuper omnes ciuitates Iuda munitas,
& cepit eas. 2. Et miſit rex Aſſyriorum
Rabſacen de Lachis in Ieruſalem, ad regem
Ezechiam in manu graui, & ſtetit in aquæ-
ductu piſcinæ ſuperioris in via Agri fullo-
nis. 3. Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius
Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna
ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commentarijs. 4. Et dixit ad eos Rab-
ſaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum: Quæ
eſt iſta fiducia, qua confidis? aut quo conſilio vel fortitudine re-
bellare diſponis? ſuper quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me?
5. Ecce confidis ſuper baculum arundineum contractum iſtum, ſuper
Aegyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius &
perforabit eam: ſic Pharao rex Aegypti omnibus, qui confidunt in
eo. Quod ſi reſponderis mihi: In Domino Deo noſtro confidimus:
nonne ipſe eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria, & dixit Iu-
dæ & Ieruſalem: Coram altari iſto adorabitis? 6. Et nunc trade te
Domino meo regi Aſſyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec
poteris ex te præbere aſcenſores eorũ. Et quomodo ſuſtinebis faciem
iudicis vnius loci ex ſeruis domini mei minoribus? 7. Quòd ſi con-
fidis in Aegypto; in quadrigis, & in equitibus: & nunc numquid ſi-
ne Domino aſcendi ad terram iſtam vt diſperderem eam? Dominus
dixit ad me: Aſcende ſuper terram iſtam, & diſperde eam. Et di-
xit Eliacim, & Sobna, & Ioahe ad Rabſacen: Loquere ad ſeruos tuos
Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos Iudaice in auri-
bus populi, qui eſt ſuper murum. 8. Et dixit ad eos Rabſaces: Nun-
quid ad dominum tuum, & ad te miſit me dominus meus, vt loquerer
omnia verba iſta; & non potius ad viros, qui ſedent in muro, vt co-
medant ſtercora ſua, & bibant vrinam pedum ſuorum vobiſcum?

9. Et



9. Et ſtetit Rabſaces, & clamauit voce magna Iudaice, & dixit: Au-
dite verba regis magni, regis Aſſyriorum. Hæc dicit rex: Non ſe-
ducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos. Et non vobis tri-
buat fiduciam Ezechias ſuper Domino, dicens: Eruens liberabit nos
Dominus, non dabitur ciuitas iſta in manu regis Aſſyriorum. Nolite
audire Ezechiam: 10. Hæc enim dicit rex Aſſyriorum: Facite me-
cum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque
vineam ſuam, & vnuſquiſque ficum ſuam: & bibite vnuſquiſque
aquam ciſternæ ſuæ, donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ
eſt vt terra veſtra, terram frumenti, & vini, terram panum & vinea-
rum. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos.
Nunquid liberauerunt dij gentium vnuſquiſque terram ſuam de ma-
nu regis Aſſyriorum? Vbi eſt Deus Emath, & Arphad? vbi eſt deus
Sepharuaim? nunquid liberauerunt Samariani de manu mea? Quis
eſt ex omnibus dijs terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de ma-
nu mea, vt eruat Dominus Ieruſalem de manu mea? 11. Et ſilue-
runt, & non reſponderunt ei verbum. Mandauerat enim rex, dicens:
Ne reſpondeatis ei. 12. Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ, qui
erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commen-
tarijs ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacis.

## SVMMA CAPITIS.

*HISTORIAM narrat in hoc capite Iſaias, iuxta quam Sennacherib Rex Aſſyriorum cum exercitu valido contra Hieruſalem aſcendit, vt debellaret eam, & continet quatuor partes.*

*In prima, denunciat qualiter Rex Aſſyriorum miſerit Rabſacem nuncium ad Ezechiam, vt abſque armorum ſtrepitu ſe vltro, & ciuitatem illi traderet. de quo in principio capitis.*

*In ſecunda, legationem eiuſdem Rabſacis explicat, quam miſit ad Ezechiam, denuncians illi vanam eſſe fiduciam, quam in Rege Aegypti conſtituerat, ac ſi potens eſſet eum de manu Regis Aſſyriorum liberare: verſiculo.* Et dixit ad eos Rabſaces. *Vbi ſimul conatur oſtendere, eum nullum poſſe à Deo auxilium ſperare: quoniam ipſe delegerat Regem Aſſyriorum, vt debellaret ſanctam ciuitatem; quod in illo explicat verſiculo.* Dominus dixit ad me; aſcende ſuper terram iſtam.

*In tertia parte oſtendit, qualiter Rabſaces populum commouere callide conatus eſt, ne audiret Ezechiam dicentem, Dominus liberabit nos; ſed vl-*

Q *tro ſe*

*tro ſe traderet Regi Aſſyriorum. verſiculo.* Et ſtetit Rabſaces, & clamauit voce magna, &c.

*In quarta parte declarat, qualiter Eliacim, & Sobna miſſi ab Ezechia, vt legationem audirent Regis Aſſyriorum, ſe geſſerint cum eius internuncio, nihil enim reſponderunt ei, ſed renunciauerunt Ezechiæ, quæ audierant ex ore Rabſacis miſſi à Rege Aſſyriorum, de quo agit ab illo verſiculo.* Et ſiluerunt, &c. *vſque ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1 E*T factum eſt in quartodecimo anno regis Ezechiæ, aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum ſuper omnes ciuitates* Iuda *munitas, & cepit eas.* Quæ hactenus varijs inuolucris, & parabolis ſignificauit propheta de Rege Aſſyriorũ, & Ezechia, nunc in hoc capitulo, & ſequenti manifeſte explicat. Et licet tangat hiſtoriam, quæ refertur libro 4. Reg. c. 18. 19. & 20. atque in lib. 1. Paralip. c. 32. ſub illa tamen multa alia deſignat ꝓphetice, quæ in Eccleſia, & Chriſti regno adimplentur. Iam enim adnotauimus ſupra, quod vbicumque prophetæ hiſtorias referũt ſui temporis, ſub illis aliqua vaticinantur futura. Illud verbũ, *& factum eſt*, habet emphaſim: ac ſi apertius dicat. Magna & abſcondita ſacraméta regni Chriſti, & Eccleſiæ catholicæ, multo poſt tempore adimplenda, hactenus prædixi vobis, quibus vt fidem indubitatam adhibeatis, narrabo modo quæ me viuente contingẽt, vt cum ea oĩa, ſicut prædixi, eueniſſe cernatis, reliqua adimplenda fore minime dubitetis. In hac autẽ hiſtoria obſeruat numerum annorũ regni Ezechiæ, in quo

Sup. cap. 6. in princ. accidit, vt eius certitudo comprobetur. Qua ratione (vt ſupra diximus) etiam in viſionibus propheticis, tempus regum, in quo factæ ſunt, cõſueuit notare, ad maiorẽ prophetiæ certitudinem. Obſeruat etiam, factũ iſtud cõtigiſſe tempore regis Ezechiæ, qui fuit ſanctus & acceptus Deo, vt ſciamus, Deum multoties regnante principe iuſto, bella permittere, & quamplures calamitates tẽporales, vt corrigantur ſubditi, & admoneantur, ſua malitia, & nõ exemplo peruerſi principis peccaſſe. De ſuperbia autem & audacia regis Sennacherib, qua aſcẽdit ad debellãdas ciuitates Iuda, multa prædixerat ſupra, nam cap. 7. eius exercitus comparatur api, c. 8. aquis fluminis confertur. ca. 10. virgæ aſsimilatur & baculo c. 17. per multitudinem & fremitum deſignatur populorum. c. 25. per faciem vinculi colligati. ca. 33. deuaſtator dicitur ac deprædator. hic autem proprio appellatur nomine, ac regia dignitas ipſius exprimitur, vt clarior appareat hiſtoria, & miraculũ à Deo patrandũ illuſtrius videatur. Expugnauit autem & cepit iſte rex impius omnes ciuitates Iuda munitas, præter Ieruſalẽ Eccleſiæ catholicæ figuram, vt denunciet quoniã portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Vnde & ſup. c. 7. ait ꝙ *aſcendit Raſim rex Syriæ, & Phacea filius Romeliæ in Hieruſalẽ ad præliandũ contra eam, & non potuerunt debellare eam.* Expendatur illud verbum *aſcendit*, quod appoſuit, tum ꝓpter naturam loci, quoniam ciuitates

Regis Aſſyriorũ varia nomina.

Iſaiæ 5. Iudæ, & Hieruſalem in eminenti erãt loco fundatæ, ſecundum illud quod dixerat ſupra. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*, ideſt, in loco eminenti, & pingui, tum etiam ad notandã impietatem, & ſuperbiã regis,

Iſaiæ. 14 qui dixit in corde ſuo. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. aſcendã ſuper altitudinẽ nubiũ, ſimilis ero altiſſimo*

2 *Et miſit rex Aſſyriorum* Rab*ſacem de Lachis in Ieruſalem ad regẽ Ezechiam, in manu graui, & ſtetit in aquæductu piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Lachis*, ciuitas eſt in tribu Beniamin proxima ciuitati Ieruſalẽ. Rabſaces erat dux exercitus Aſſyriorum. Capta autẽ Lachis, & alijs ciuitatibus Iuda, non ſtatim obſidet ciuitatem Ieruſalem, ſed prius adorit eã dolis, & fallacibus ac vanis ꝓmiſſionibus, mittens Rabſacen ad Ezechiam in manu graui. i. cum exercitu potenti. in quo diaboli deſignantur fraudes, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret. Rabſaces autem typum gerit Antichriſti, & ſatellitum eius, q conantur ſeducere (ſi fieri poſſet) etiã electos. Inſuper ſtetit Rabſaces & exercitus eius in aquæductu piſcinæ ſuperioris, vt terribilior appareret, & magis formidanda potentia illius. Et in hoc ſuperbiam exprimit Antichriſti venturi, de quo dicitur, quod ſtabit in templo Dei, faciens ſibi deferri diuinos honores. Huius aquæductus, & piſcinæ fit mentio ſuperius ca. 7. vbi *dixit* Dominus *ad Iſaiã: Egredere in occurſum Acaz tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus ad extremũ aquæductus piſcinæ ſuperioris, in via agri fullonis.* Et eiuſdem piſcinæ fit mentio 4. Reg. ca. 18. Erat autem prope Ieruſalem piſcina quædam ſuperior, vbi colligebantur aquæ ex montibus deſcendentes: ex qua rurſus fluebant ad aliam piſcinã inferiorem, quæ erat intra ciuitatem.

3 *Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domũ, &* Sobna *ſcriba, & Ioahe filius* Rabſaph *à commentarijs.* Qui, & quales fuerint Eliacim, & Sobna, explicatũ eſt ſupra. Sup. ca. 22 Alter. n. ideſt Eliacim, ſanctus erat zelum Dei habens, & populi conſolationem quærens; alter vero. i. Sobna, proprijs cõmodis intendebat. Iſti cũ Ioahe egreſſi ſunt ex mandato regis Ezechiæ, ad tractandas cum rege Aſſyriorũ, & ſtabiliendas conditiones pacis: & quãuis paulo ante donauerit ipſe Ezechias regi Aſſyriorum oẽ argẽtum ꝙ repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris regis, & confregerit valuas tẽpli Domini, & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dederit eas regi Aſſyriorũ, vt paci conſuleret; 4. Reg. 18. nunc etiã eandem pacẽ quibus poteſt modis procurat. quo admonentur Principes Chriſtiani bella fugere, & non niſi magna vrgẽte neceſſitate ea mouere. Tanta autẽ erat inopia virorũ bonorum Ieruſalẽ, vt rex Ezechias ſanctus, & iuſtus, cuius fidẽ hac aduerſitate probauit Dominus, cogeretur cum Eliacim iuſto Sobnã mittere, quẽ perfidum, & proditorem eſſe non ignorabat. Voluit Rex prudens, hac legatione illum ad amorem populi accendere, ſed præcauẽs in futurũ, ne infideliter ageret, illũ cũ viro ſãctiſsimo ſociauit. Hinc collige, principes & prælatos ſuo muneri ſatisfacere, ſi ex poſsibilibus miniſtros digniores cõſtituãt. quale reſpõſũ legatis Ezechię dederit Rabſaces, audiam⁹

4 *Et dixit ad eos Rabſaces: Dicite Ezechiæ: hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua confidis? aut quo conſilio vel fortitudine rebellare diſponis? ſuper quem*

*quē habes fiduciam, quia receſsiſti à me?* Cōtextus literæ eſt ita clarus, vt expoſitione aliqua non indigeat. Sed ad ſenſum altiorē hæc transferendo, apparebit, nihil hoſti ſuperbo animarum noſtrarum ita eſſe curæ, quam vt extinguat fidem, & ſpem noſtram in Deum, cuius auxilio protegēdi ſumus. Affert impius ille orator verba regis magni Sennacherib, non verba Dei. Hæc perpetua eſt ars impiorū & ſatellitum Antichriſti, opponere fidelibus difficultatem mandatorū Dei, ac legum diuinarum, vt iuſtos in ſuā partē trahant, & de conſequenda ſalute à Deo deſperare faciant. Imitantur patrem ſuum diabolum, qui cum primū Deus legem ſtatuit primis parentibus, ne ederēt de ligno vitæ. *Dixit ad mulierem. Cur præcepit vobis Deus, ut nō comederetis de omni ligno paradiſi?* Et reſpondente muliere: *de fructu ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Subiungit ſtatim. *Nequaquam morte moriemini. Scit .n. Deus quod in quocūq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malū.* Vide ſerpētis aſtutiam, vide calliditatem, quot technis conatur mulierē ad transgreſsionē inducere præcepti diuini; quomodo illud aggrauat. Tantūm præceperat Dominus primis parentibus, ne manducarent de ligno ſcientiæ boni & mali: & ipſe procaciter ait. *Cur præcepit vobis Deus, vt nō comederetis de omni ligno paradiſi?* Veritas (quæ mentiri non poteſt) prædixerat homini. *In quocūque die comederis ex eo, morte morieris.* Et pater mendacij ſe opponēs veritati ait. *Nequaquam morte moriemini.* Talem ſequuntur magiſtrum, qui à via veritatis cōſimilibus fallacijs iuſtos reuocare cōtendunt. Quia verò multi ex Iudęis ſpem ſuam in auxilio regis Aegypti conſtituerant, alij cum ſancto rege Ezechia ſperabant in Domino exercituum, vtrāque ſpem Rapſaces conatur excludere. Ait enim. *Super quem habes fiduciam, &c.* Nō dixit ſuper quem hominum, aut ſuper quem angelorum, ſed, *ſuper quē,* abſolute, vt etiam ipſum Deum comprehendat, omne aliud auxilium vanum putans, ſi cum ſuo conferatur. In lib. 4. Regum cap. 18. hæc referuntur verba, Rabſacis. *Loquimini Ezechiæ: Quæ eſt iſta fiducia, qua niteris? forſitan iniſti conſilium, vt præpares te ad prælium. in quo confidis vt audeas rebellare?* Quem locum ſic transferunt 70. *Dixiſti tantum verba labiorum, conſilium, & virtus ad prælium. nunc igitur quo fretus rebellaſti in me?* Et videtur his verbis deridere ſpem Ezechiæ, ac ſi apertius diceret: Cogitaſti proſpere tibi ceſsurum propter verba labiorum, ideſt propter orationem tuā ad Deū. Ego autem dico tibi, quod non verbis aut precibus hæc res agitur, ſed conſilio, fortitudine, & multorum armorum apparatu.

*Mandator difficultatē inimic⁹ fidelibus opponit, vt eos deijciat.*

*Gen. 3. a*

*Ibid.*

*Gen. 3. c*

*Ibid.*

5 *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtū, ſuper Aegyptū: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manū eius, & perforabit eam: ſic Pharao rex Aegypti, omnibus qui confidunt in eo.* In hoc bene dixit Rabſaces, vanam videlicet eſſe ſpem quæ in homine collocatur: ſcriptum eſt enim. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Animus tamen, quo hanc veritatem protulit, plenus erat ſuperbia & impietate; quia non ſolum ab homine, ſed etiam à Deo ſpem Ezechiæ intendebat diuertere. Vnde & ſubdit. *Quod ſi reſponderis mihi: in Domino Deo noſtro cōfidimus:*

*Hiere. 17. a*





*nonne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa, & altaria, & dixit Iudæ, & Hieruſalem: coram altari iſto adorabitis?* Vide dolos intentatos aduerſus ſanctum regem Ezechiam. Nam periculum facit Rabſaces, vbi non eſt periculum, & illic trepidare vult populum, vbi non eſt trepidandum. Nihil ſanctius excogitari potuit quam è medio excelſa tollere, & ob hanc rem iuſtiſſimam, & ſanctam nititur regis iuſti ſpem infirmare, & coram populo eum traducere vt impium. Multi præceſſerant in Iſrael reges, Ioſaphat videlicet, Ioas, Amaſias, Ioatan, & alij; vnus autem Ezechias diſſipauit excelſa, contriuit ſtatuas, ſuccidit lucos, æneum confregit ſerpentem, & dicit Rabſaces: quam ſpem ponitis in Deo, cum rex veſter altaria deſtruxerit, quæ in illius honorem fuerant erecta? Illene vos adiuuabit, cuius cultum diſſipaſtis? Vide qualiter malignus inſidiator callide taceat id, quod exprimendum erat: videlicet, mandato Dei illa omnia fuiſſe deſtructa: quod potiſsimum erat in hac cauſa. Non diſsimiliter Pſeudoapoſtoli, & Hæretici, cum fideles ad ſuos errores trahere volunt, adducunt aliquas cauſas ſecundum ſpeciem & apparētiam bonas, vt ſimplices decipiant: diſsimulatis illis, quæ maxime ad rem pertinent.

*Hæretici diſſimulāt quod eorū errores detegit.*

6 *Et nunc trade te domino meo regi Aſſyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum. Et quomodo ſuſtinebis faciem iudicis vnius loci ex ſeruis domini mei minoribus?* Tendunt hæc, & ſequentia verba ad reſecādam omnino Iudæorum ſpem, vt neceſsitate compulſi vltro ſe traderent regi Aſſyriorum. Nunc (inquit) quando nullum tibi ſupereſt refugium neque in rege Aegypti, neque in Deo tuo, trade te regi Aſſyriorum, & fac illi rē iocundam & gratā, ac ſi apertius dicat. Si cuiuſquam benificentiam expectas, quare nō regi meo te ſubdis, qui plures tibi equos liberaliter tribuet, quàm tu equites præſtare poſſis? Nunquid Aegyptus tecum ita fideliter aget? nunquid tot equos præbebit? numquid milites ita fortes in auxiliū tuum mittet? Notat paucitatem virorum, qui in Iſrael periti erant in re equeſtri, quod ex eo acciderat, quia mādauerat Dominus, ne rex Iſrael vltra trecentos equites aleret, vt conſtat ex cap. 17. Deuter. Cum ergo tam paucos habeas exercitatos equites, *& quomodo* (inquit) *ſuſtinebis, &c.* ideſt, quomodo poteris reſiſtere fortitudini, & ſuſtinere impetum Ducis vnius loci, &c. Per Iudicem enim intelligit Ducē, ſiue Satrapam, vt conſtat ex lib. Reg. Vbi hæc eadem narratur hiſtoria: ibi enim ſic habetur. *Et quomodo poteſtis reſiſtere ante vnum ſatrapam de ſeruis domini mei minoribus è*

*Deut. 17*

*4. Reg. 18.*

7 *Quod ſi confidis in Aegypto, in quadrigis, & in equitibus: & nunc nunquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, vt diſperderem eam? Dominus dixit ad me: aſcende ſuper terram iſtam & diſperde eā.* Vltimo loco, tentationem proponit grauiſsimam filijs Iſrael, nempe Deū eſſe illis iratum. Nequit enim caro & ſanguis ſibi perſuadere, hominem afflictum, & anguſtijs oppreſſum, amicum eſſe Dei. Iudicat enim prudentia humana, eos Deo eſſe odibiles, quos grauibus incommodis videt proſtratos. hac arte adoritur Rabſaces Iudæos, dicens, illos eſſe à Deo abiectos, ſe aūtē Dei iuſſu veniſſe ad eos debellandos. Obſerua, quod etiā Dei inimicus ipſa veritate coactus fatetur, ſe nihil poſſe abſque Dei nutu & voluntate,

*Tentatio non modica eſt quā diabol⁹ iuſtis ſuadet, Deū cōtra illos eſſe iratum.*

*Dei inimicus nihil nobis nocere poteſt abſq; Dei nutu.*

qui omnia opera noſtra operatur in nobis, ne ſuperbus, & inflatus homo glorietur, & dicat: *Quoniam manus noſtra excelſa, & nō Dominus fecit hæc omnia.* Sequitur. *Et dixit Eliacim, & Sobna, & Ioahe ad Rabſacē, Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua; intelligimus enim: ne loquaris ad nos Iudaice in auribus populi qui eſt ſuper murum.* Legati Ezechiæ intelligentes ſtratagemata Rabſacis callidè conantis ſeditionem in populo Iudæorum excitare, orant, vt loquatur ad eos Syra lingua, & non Iudaica. Nam rudis populus, qui ſuper murum ijs, quæ colloquebantur, attendebat, audiens excelſorum deſtructionem præter voluntatem Dei factam, ſubito vacillare poterat, & in ſanctum regem Ezechiam, ac ſi tyrannus eſſet, inſurgere. Hac enim via procurabat Rabſaces, ſi non totum populum, ſaltem bonam illius partem ad ſe trahere, & Ezechiam illis odioſum reddere. Vide in hoc figuratam aſtutiam dæmonis antiquam, qui prius Euam tanquam imbecilliorem ſeduxit, vt tandem per illam virum ſuum ad edendum de ligno vitæ falſa promiſsione pertraheret. *Eritis* (inquiens) *ſicut dij, ſcientes bonum & malum.*

Gen. 3.

8 *Et dixit ad eos Rabſaces: nūquid ad Dominum tuum, & ad te, miſit me Dominus meus, vt loquerer omnia verba iſta, & non potius ad viros, qui ſedent in muro, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam pedum ſuorum vobiſcum?* Ecce qualiter ſub ouina pelle lupus lateat. Fingit Rabſaces ſeipſum amicum populi, & ideò miſſum, vt rebus illius bene eſſet per eum, ſi regi Aſſyriorum tradatur vltro & ab Ezechiæ poteſtate recedat. Reluctantibus autem & contradicentibus, duo terribilia porponit euentura, nempe, quod præ anguſtia, & timore exercitus regis Aſſyriorum in diſenteriam reſoluentur, & præ fame, & ſiti ſtercora ſua comedent, & vrinam proprijs pedibus conculcatam bibent. In quo etiam exprimitur dolus diaboli, qui nititur per Hæreticos ſeparare populum à veris paſtoribus, & eum lupis dilacerandum tradere, videlicet falſis doctoribus, qui nec pure, nec vere docent verbum Dei, ſed populum inſipientem immunda comedere faciunt, & bibere.

Hæretici ſub ouina pelle ſe cō...unt.

9 *Et ſtetit Rabſaces, & clamauit voce magna Iudaice, & dixit: Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum. Hæc dicit rex: Non ſeducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias ſuper Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas iſta in manu regis Aſſyriorum, nolite audire Ezechiam.* Clamat Rabſaces, & Iudaice clamat, vt plebs ſuper murum exiſtens melius intelligeret, quæ loquebatur. Clamat, quia non rationibus, ſed tumultibus ad ſe conatur Iudæos adducere: in quo ſuperbia exprimitur philoſophorum, contra fidem oblatrantium, qui ſolo clamore, ac tumultu, & inanis eloquentiæ ſtrepitu vincere quærunt. Clamat Iudaice, vt magis animum populi cōcuteret. Vbi obſeruandum, nullos eſſe nocentiores hoſtes, ijs, qui communi nobiſcum lingua vtuntur, vt patet in Luthero, & ſequacibus eius. Profitemur nos Catholici ſcripturam ſacram; profitentur & illi. Loquimur lingua Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum; loquuntur & illi. Adducimus in confirmationē noſtræ fidei verba Chriſti, ea-



ſti, eadem in confirmationem ſui erroris adducunt & ipſi. Sed hac lingua loquētes, quot fideles ab obedientia Romanę Eccleſię auerterunt, omnes norunt. Loquebantur enim verba Scripturæ; ſed non legitimum eius ſenſum retinebant, & tanquam lupi perdere intendebant gregem Chriſti, non viuificare eum, & ſaluare. Nolite (inquiunt) audire Ezechiam, quia ſeducit vos, nolite audire Romanam Eccleſiam, nolite credere ſanctis eius doctoribus, quia ſeductores ſunt: nos ſequimini, doctrinam noſtram tenete, vt bene vobis ſit. Ponderanda eſt autem peruerſitas, & malitia Rabſacis, qui legem nouerat, & miracula maxima, quæ in fauorem Iſraelis Deus fecerat, & omnia hæc tacet, & ſolum meminit afflictionis præſentis, neque cauſam attendit, aut narrat, propter quam Deus permiſit, plebem ſuam talia pati: Et cum hactenus neque vnus quidem viſus fuerit, qui in Deo fiduciam habēs, derelictus fuerit ab illo, aut confuſus, (Spiritu ſancto atteſtante): *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt;* ſpem omnem, quam in Deo conſtituerat Ezechias, vanam eſſe mentitur, &, vt regem Aſſyriorum audiat. hortatur populum, vnde & ſubdit.

Eccli. 2. b

10 *Hæc enim dicit rex Aſſyriorum: facite mecum benedictionē, & egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque vineam ſuam, & vnuſquiſque ficum ſuam: & bibite vnuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ, donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ eſt vt terra veſtra, terram frumenti, & vini, terram panum, & vinearum.* Ac ſi apertius dicat, nolite à ſpe incerta pendere, accipite potius quod certum eſt, facite hanc rem mihi gratam, & tradite vos in manu mea, & ego vos cum pace & tranquillitate gubernabo. Permittam vt vnuſquiſque pacifice vineam ſuam colat, & fructus eius, atque alia quæ poſsidet comedat: donec vos transferam ad terram meam, quæ fertiliſsima eſt pane, & vino ſtabilita, quam, vt propriam, vos ipſi poſſidebitis. Hæc eſt liberalitas dæmonis mendax & fallax. Multa ſuis ſectatoribus pollicetur: *hæc omnia* (inquiens) *tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Et cum nihil poſsideat miſer, nihil tribuit. Promittit bona terrena, & hæc in menſura, & modica: vt cœleſtia, quæ omnem ſuperant menſuram, auferat. Inducere ſatagit homines in regionem ſuam, fœlicē eſſe & abundantem aſſerens, & tamen terra tenebroſa eſt & operta mortis caligine: terra *miſeriæ & tenebrarū, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Sequitur. *Nec conturbet vos Ezechias, dicēs: Dominus liberabit nos. Numquid liberauerunt dij gentium vnuſquiſque terram ſuam de manu regis Aſſyriorū? vbi eſt Deus Emath, & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim? numquid liberauerunt Samariam de manu mea? quis ex omnibus dijs terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea?* Perſiſtit impius in ſua intentione peruerſa, contendens populum à ſpe, quam in Deo conſtituerant, auertere: Sed expende blaſphemiam hominis ſuperbi. Nullam maiorem vim aut virtutem habere Deum noſtrum, ad liberandum in ſe confidentes, credit, quam habuerint dij gētium ad ſuos eruendum de manu regis Aſſyriorum. *Non eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſint iudices*

Matt. 4.

Iob. 10.

Idolorum imbecillitas.

Deut. 32. c

Pſa. 95.

Scriptum eſt enim. *Quoniam omnes dij gensium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit*. Et iterum. *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt &c.* Vnde & beata Barbara tyranno dicenti: *Vide quomodo te diligunt dij, qui plagas tuas penitus ſanauerunt*: tale ſubridens fertur dediſſe reſponſum. *Et quomodo cum ſint cæci, & muti, ſibique ipſis eſſe auxilio non poſſint, curare mea vulnera potuerunt? non ipſi igitur, ſed Dominus meus Ieſus Chriſtus mihi, quam cernitis, reſtituit ſanitatem*. Sancta Margarita Olimbrio Præſidi, cum diceret, *magna eſt circa te Deorum patiẽtia*, ſapienter reſpondit. *Tanta eſt in eis patientia, vt nullus ſit in eis dolor vel ſenſus*. Sanctus etiam Theodorus, accuſatus apud Præſidẽ, quod templum matris Deorum nocte ingreſſus ſuccendiſſet, Reſpondit. *Quod feci non abnego: deam veſtram ſuccendi, quæ talis eſt, vt ignis poſſit eam ſuccendere*. Nunquid quia tales dij ſæpius inuocati, ſuis auxilio eſſe non potuerunt, ideo, Deus Iſrael non poterit Ezechiã, & populum eius à poteſtate regis Aſſyriorum liberare? O deteſtanda blaſphemia, ò perfidia execranda, quam nuncij miſſi à ſancto rege ſupportare non potuerunt, ſed myſterioſo ſilentio dolorem, quem ex tam ſacrilegis verbis conceperant, oſtenderunt. Vnde & ſubditur.

Pſ. 113.

Martyres ſapienter reſpondẽt tyrannis.

11 *Et ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum. Mandauerat enim rex, dicens, ne reſpondeatis ei.* Ex quo manifeſte colligitur, eſſe multoties ſanum conſilium, blaſphemanti nihil reſpondere, ne in maiores Dei prorumpat iniurias. Vt enim verbis vtar Beati Hieronymi. *Ideò iuſſerat Ezechias, blaſphemanti Aſſyrio non reſponderi, ne eum ad maiores blaſphemias prouocaret.* Vnde ſcriptum eſt. *Ne ſuccendas carbones peccatoris. Et in Pſalmo legimus: Quum conſiſteret aduerſum me peccator, obmutui, & humiliatus ſum, & tacui de bonis*. Et iterum: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium munitum labijs meis, ne declines cor meum in verba malitiæ.* Hinc etiam collige, verbum Dei non eſſe prædicandum blaſphemis, nec margaritas mittẽdas ante porcos, ne eas conculcẽt. Miſericorditer ab iſtis ſubtrahunt prædicatores verbũ Dei, ne illius contemptu maioris culpæ rei fiant, & in grauiores prorumpant blaſphemias.

Blaſphemãtibus ſi reſpõdeas in maiores prorũpũt blaſphemias.

Hier. ſup. ca 36. Iſa.

Eccli. 8. c

Pſa. 14.

Pſ. 140. a

12 *Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, et Ioahe filius Aſaph à commentarijs ad Ezechiam ſciſsis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacis*. Audita obſidione, & captiuitate imminente, nihil moti ſunt nuncij Ezechiæ, aut conturbati, quoniam cor eorum erat fiduciam habens in Domino: Cum primum autem Rabſacem blaſphemantem Deum Iſrael audierunt, ſciſſis veſtimentis ſuis reuertuntur ad Ezechiam. Quo facto admonemur, contemnendam eſſe noſtram propriam ignominiã, & pro gloria Dei patienter ſuſtinendam: at iniuriam, quæ irrogatur Deo, nullatenus eſſe à fidelibus diſsimulandam. Ter cæditur Paulus Apoſtolus à Iudæis virgis, ſemel lapidatur, & pluries alijs iniurijs afficitur, nec commouetur animus eius. Cum autem vellent eum, & Barnabam viri Lycaonici tanquã Deos adorare, & Sacerdos Iouis tauros in eorum honorem ſacrificare,

Patienter pro Dei gloria ſũt iniuriæ ſuſtinẽdæ.

concissis



conciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes. *Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum; qui fecit coelum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt*. Mitiſsimus erat Moyſes ſuper omnes habitatores terræ, at cum populum adoraſſe vitulum cognouit, tantam Dei iniuriam ſuſtinere non valens: *Iratus valde, proiecit de manu tabulas & confregit eas ad radicem montis. Arripiensq. vitulum quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael*. Et occidit in die illa quaſi viginti tria millia hominum. Sciſſio veſtium, indignationem ſummam teſtatur, & magnum dolorem, quem habent iuſti, cum gloriam Dei, atque honorem illius vident conculcari. Vellent enim (& rationabiliter) omnia creata potius amittere, quàm quod minuatur in aliquo gloria Dei. Conſuetudo namque valde obſeruata fuit apud antiquos, ſcindere veſtimenta, quando eorum corda magno præoccupabantur dolore ex auditu rei execrandæ. Vnde & Caiphas, audito verbo Chriſti, quod ipſe reputabat eſſe blaſpemiam, videlicet, *Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus coeli*, ſcidit veſtimenta ſua, dicens (*blaſphemauit*) Item etiam ſcindebantur antiquitus veſtimenta tempore anguſtiæ, & doloris, vt cilicium latens, quod ſignum erat pœnitentiæ, alijs appareret, & ſic ad conſimilem dolorem mouerentur, vt conſtat ex his quæ habentur 4. lib. Reg. cap. 6. Et quoniam exteriora pœnitentiæ ſigna abſque interiori dolore nullatenus placant Deum, nec ſunt illi accepta, nos per Prophetam admonet, dicens. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & in fletu, & in plãctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum*. Ac ſi apertius dicat. Sciſsio veſtium à cordis ſciſsione, & contritione procedat. Quid enim prodeſt, veſtimenta rumpere, ſi cor durum, & impœnitens maneat. Scindunt ergo nuncij Ezechiæ veſtes ſuas, ſcindit & Ezechias, & vt Deum placabilem reddant, ad pœnitentiam interiorem confugiunt, vt in ſequenti capite explicat Iſaias.

Act. 14.

Dei honorẽ zelãtur ſancti.

Exod. 32.

Scindere veſtimenta quid ſignificet.

Mat. 26

Ioel 2,

Scindere cor quid ſit.

CAPVT

# CAPVT XXXVII.

1 ET factum eſt, cum audiſſet rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & obuolutus eſt ſacco, & intrauit in domum Domini. 2. Et miſit Eliacim, qui erat ſuper domum, & Sobnam ſcribam, & ſeniores de ſacerdotibus opertos ſaccis ad Iſaiam filium Amos prophetam, & dixerunt ad eum: 3. Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi. 4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus ſuus ad blaſphemandum Deum viuentem, & exprobrandum ſermonibus, quos audiuit Dominus Deus tuus: leua erga orationem pro reliquijs, quæ repertæ ſunt. 5. Et venerunt ſerui regis Ezechiæ ad Iſaiam, & dixit ad eos Iſaias: Hæc dicetis domino veſtro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas à facie verborum, quæ audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum me. Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciam gladio in terra ſua. 6. Reuerſus eſt autem Rabſaces, & inuenit regem Aſſyriorum præliantem aduerſus Lobnam. Audierat enim quia profectus eſſet de Lachis, & audiuit de Tharaca rege Aethyopiæ, dicentes: Egreſſus eſt vt pugnet contra te. 7. Quod cum audiſſet, miſit nuncios ad Ezechiam, dicens: Hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Ieruſalem in manum regis Aſſyriorum. Ecce tu audiſti omnia, quæ fecerunt reges Aſſyriorum omnibus terris, quas ſubuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij Gentium, quos ſubuerterunt patres mei Gozam, & Haram, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar? Vbi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex vrbis Sepharuaim, Ana, & Aua? 8. Et tulit Ezechias libros de manu nunciorum, & legit eos, & aſcendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino. Et orauit Ezechias

*4. Reg. 13. a. 1.*





chias ad Dominum, dicens: 9. Domine exercituum Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim: tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu feciſti cœlum & terram. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem. Vere enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dij, ſed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius, & cognoſcant omnia regna terræ, quia tu es Dominus ſolus. 10. Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro quibus rogaſti me de Sennacherib rege Aſſyriorum: hoc eſt verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper eum: Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion: poſt te caput mouit filia Ieruſalem. 11. Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & leuaſti altitudinem oculorum tuorum? Ad ſanctum Iſrael. 12. In manu ſeruorum tuorum exprobraſti Domino: & dixiſti: In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium, iuga Libani: & ſuccidam excelſa cedrorum eius, & electas abietes illius, & introibo altitudinem ſummitatis eius, ſaltum Carmeli eius. 13. Ego fodi, & bibi aquam, & exſiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum. 14. Nunquid non audiſti, quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plaſmaui illud: & nunc adduxi: & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum. Habitatores earum breuiata manu contremnuerunt, & confuſi ſunt: facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam matureſceret. 15. Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui, & inſaniam tuam contra me. Cum fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti. 16. Tibi autem hoc erit ſignum: Comede hoc anno quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere: in anno autem tertio ſeminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum. 17. Et mittet id, quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum: quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet iſtud. 18. Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in cir-

in circuitu eius aggerem. In via, qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus: & protegam ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. 19. Egreſſus eſt autem angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes, cadauera mortuorum. Et egreſſus eſt, & abijt, & reuerſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue. 20. Et factum eſt, cum adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech, & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio: fugeruntq. in terram Ararat, & regnauit Aſarhaddon filius eius pro eo.

## SVMMA CAPITIS.

C*ONTINET præſens capitulum planctum Ezechiæ, qui, auditis blaſphemijs Rabſacis nuncij Regis Aſſyriorum, ſacco indutus eſt, & auxilium à Domino Deo exercituum oratione ſua impetrauit. Circa quod primo deſcribit Propheta humilitatem, & pœnitentiam Regis, in principio capitis.*

*Secundò recurrit ad Iſaiam Prophetam, mittens ad eum ſeniores de Sacerdotibus opertos ſaccis, vt narrarent illi periculum, in quo ciuitas ſancta erat conſtituta, & pro populo ſuo intercederet ad Dominum. verſiculo.* Et miſit Eliacim. &c.

*Tertiò ſubiungitur conſolatio, qua Iſaias Regem Ezechiam confortauit. verſiculo.* Et venerunt ſerui regis Ezechiæ ad Iſaiam.

*Quartò, narrat Propheta, quid interim fecerit Rabſaces, & qualiter nuncios miſerit ad Ezechiam, vt ſe traderet Regi Aſſyriorum, & de adiutorio Dei deſperaret. verſiculo.* Reuerſus eſt autem Rabſaces.

*Quintò, oratio ſubiungitur Regis Ezechiæ, qua à Domino aduerſus potentiam Regis Aſſyriorum humiliter petijt auxilium. verſiculo.* Et tulit Ezechias libros de manu nunciorum.

*Sextò, reſpondet Dominus per Iſaiam orationi ac petitioni Ezechiæ, denuncians illi, in manu forti ſe proſtraturũ potentiam exercitus Regis Aſſyriorum. verſiculo.* Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam. *Vbi ad confortandum debiles populi, & ſpem in Deum excitandam, narrat quæ fecerit Dominus mirabilia.*

*Sextò, ſignum futuræ libertatis tribuit. verſiculo.* Tibi autem hoc erit ſignum, &c. *ac demum excidium exercitus Regis Aſſyriorum, & mortem eiuſdem Regis enarrat. verſiculo.* Egreſſus eſt autem Angelus Domini, &c. *vſque ad finem capitis.*

COM-



## COMMENTARIVM.

1 E*T factum eſt, cum audiſſet rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & obuolutus eſt ſacco, & intrauit in domũ Domini.* Agit pœnitentiam Ezechias, quaſi adſcribens ſibi omnia damna, & pericula, in quibus erat populus conſtitutus, & ad orationem recurrit, docens nos in omnibus calamitatibus Deũ precibus exorare: Et ſciſſis veſtimẽtis regijs, non veſtitus, ſed obuolutus eſt ſacco, vt à nemine poſsit videri, implens illud quod Chriſtus Dominus ait. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.* Nomine autem ſacci, intellige etiam ieiunia, & omnia quæ ad corporis caſtigationem pertinent. Et nè temere in Deo ſpem conſtituere videretur, aſſumit comitem pœnitentiam, & mortificationem carnis. Talis enim debet eſſe ſpes Chriſtiana, vnde & ſcriptũ eſt. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Prius dixit, *ſacrificate*, & poſtea: *ſperate in Domino*, vt præſumptionem eorum condemnet, qui perditè viuentes, & abſque vllo timore, velamine ſpei, quã in Deo habent, ſuas operiunt iniquitates. Vnde & Aug. *Ex vtroque* (inquit) *homines periclitantur, & ſperando, & deſperãdo: cõtrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando decipitur, qui dicit. Bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxabo habenas cupiditatibus meis, implebo deſideria animæ meæ: quare hoc? quia miſericors eſt* Deus, *bonus eſt* Deus, *manſuetus eſt* Deus: *ſpe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cum inciderint in grauia peccata, putantes ſibi non poſſe iam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos, Iam damnandi ſumus, quare non quod volumus facimus? Animo gladiatorum, ferro deſtinatorum: ideò moleſti ſunt deſperati. Iam enim quod timeant non habent, & vehementer timendi ſunt. Iſtos deſperatio necat, ſpes illos. Inter ſpem, & deſperationem fluctuat animus, metuendum eſt ne te occidat ſpes, & cũ multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium.* Et ſanctus Bernardus: *ſunt* (ait) *qui ſperant quidem in Domino, ſed fruſtrà: quia ſic de miſericordia eius ſibi ipſis blãdiuntur, vt à peccatis ſuis non emendentur: vana eſt omnino ſpes iſta, & hæc confundit, eo quod charitas deſit. Contra hos Propheta: Maledictus, inquit, qui peccat in ſpe.* Patiens eſt Dominus, & multum miſericors, ſed etiam eſt iuſtus, & iuſtitiam diligens, in cuius laudem canit Propheta. *Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.* Vbi, nè impij de miſericordia præſumerent, veritatem, & iuſtitiam Dei ad eorum memoriam reducit. Sanctus ergo Ezechias, licet ſpem haberet firmiſsimam in Dei miſericordia re-

*Matt. 6. b.*

Spes coniũcta ſit bonis operibus. *

*Pſal. 4.*

Aug. tract. 33. i Ioan. circa finẽ.

Bern. ſer. 1. ſup. pſa. qui habitat, col. 2.

*Pſa. 85. d*

poſitam

poſitam,pariter timet illius iuſtitiā, & eam multis lacrymis, & orationibus, atque aliorum precibus placare contendit. Vnde & ſubditur.

2 *Et miſit Eliacim, qui erat ſuper domum, & Sobnam ſcribam, & ſeniores de ſacerdotibus opertos ſaccis, ad Iſaiam filium Amos Prophetam, & dixerunt ad eum.* Non ſatis viſum fuerat pio regi, per ſeipſum orare ad Dominum,niſi ad Iſaiā Prophetam mitteret, vt intercedat pro eo; ſciens quod multorum preces facilius exaudiuntur. Propter quod orationes, quæ in Eccleſia, vbi ſunt alij fideles orantes, funduntur, Deo ſunt magis acceptæ. Dicit enim

Hom 3. de incomprehenſibili Dei natura circa finem to. 5.

Chryſoſtomus. *Etſi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam bene ores quàm in Eccleſia, vbi tot patres, vbi clamor fœlici ſocietate exitus ad Deū immortalem refertur. Non pariter exoras, cum ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris, & charitatis, ſacerdotum clamores: præſunt enim ob eam rem ſacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ ſimul in coelum euehātur.* Aut verò quia ſanctior erat Iſaias, ideo recurrit ad illum, vnde rogandi ſunt ſancti, non ſolum defuncti, ſed eitam viui, vt pro nobis intercedant. Verumtamen,vt aliorum nobis proſit interceſsio, debemus & ipſi orare exemplo Ezechiæ. Ex quibus collige, quanta fuerit auctoritas & ſanctitas Iſaiæ, ad quem vniuerſa confugiebat ciuitas in periculis conſtituta, & ab eius ore pendebat. Quod ſi figuram in eo aſpicias, Chriſtum mediatorem noſtrum (vt ſupra diximus) figurabat,qui tā-

Iſaiæ auctoritas & ſanctitas.

Sup. cap. 1. num. 4.

quam Pontifex animarum noſtrarū preces ad Deum fudit pro membris ſuis, & non ceſſat aduocatum agere apud Patrem. Poteſt & alia ratio aſsignari, propter quam Ezechias nuncios miſit ad Iſaiam, videlicet, vt nouo oraculo, in anguſtia illa cōſolaretur, & confirmaretur tam ipſe, quam populus eius, ad ſperandum ſalutem à Domino.

3 *Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Narrat in primis Iſaiæ periculum maximum, in quo erat conſtitutus,dicens. *Dies tribulationis.* (ideſt) quo affligimur,& tribulamur, dies *correptionis,* (ideſt) quo à Deo corripimur, & caſtigamur propter peccata noſtra,dies *blaſphemiæ* (ideſt) quo nomen Dei blaſphematur inter gentes, eſt dies hæc. Duo prima vtcumque tolerabilia: poſtremum verò pijs hominibus, infernus eſt, & dolor maximus;nec immerito comparatus dolori parturientium, quæ parere propter debilitatem, & imbecillitatem nequeunt. Vruntur enim iuſti zelo gloriæ diuinæ, & dolent atque triſtantur, eo quod vindicare iniuriam illatam Deo non valeant. Vnde eorum nomine dicitur per Prophetam: *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Deinde moneri iubet Prophetam, vt pro ipſo intercedat, atque pro vniuerſo populo.

Dei honorem potius quàm proprii quærunt ſancti

Pſa.118

4 *Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus ſuus, ad blaſphemandum Deum viuentem,& exprobrandum ſermonibus,quos audiuit Dominus Deus tuus: Leua ergo orationem pro reliquijs, quæ repertæ ſunt.* Pijſsima, & iuſtiſsima

eſt hæc



Orādi modus,& forma,& affectus.

eſt hæc oratio,quæ eo tendit,vt inſtātiſsime deprecetur Deum, quod nomen eius vindicetur à blaſphemia. Hac formula orandi vſi ſunt ſancti quamplurimi. Sic orabat Moyſes Dominum Deum,dicens.

Exod. 32. c

*Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum,quem eduxiſti de terra Aegypti, in fortitudine magna,& in manu robuſta? Ne quæſo dicāt Aegyptij: callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: Quieſcat ira tua & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* Sic deprecatur Dauid.

Oratio Ezechiæ Moyſi, & Danielis, qualis fuerit.

Pſal.78 b

*Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorum, & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris.* Et iterum.

Pſal.82. b

*Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur, & pereant. Et cognoſcant quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſſimus in omni terra.* Conſimili affectu orabat Daniel.

Daniel. 9. e

*Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum.* Ita in hoc loco, petit Ezechias quod exurgat Deus, vt ceſſet blaſphemia Rabſacis:& nos quotidie patrem noſtrum cœleſtem deprecamur, & dicimus.

Mat. 6. b

*Sanctificetur nomen tuum.* Manifeſtum erat, Aſſyrios multo audacius eſſe blaſpematuros nomen Dei Iſrael,capta Hieroſolyma,quando, nondum capta, in tam execrandas blaſphemias proruperunt. *Leua* (inquit) *orationē pro reliquijs* (ideſt) feruentem orationem fac, quæ eleuetur, & ad cœlum vſque pertingat, nec maneat iacens in terra. Populum autem Dei ad paruum numerum dicit redactum, quem reliquias vocat, vt ad miſericordiam magis inclinetur Deus. Hæc paucitas populi in multis locis huius prophetiæ prædicta eſt. Nam cap. primo dicitur ſemen relictum. cap. 8. pueri dati in ſignum, & portentum. cap. 17. racemus relictus, & excuſſio oleæ duarum, vel trium oliuarum in ſummitate rami, &c. cap. 30. *quaſi malus nauis in vertice montis.* In præſenti dicitur reliquiæ, & in alijs pluribus locis, propter rationem aſſignatam cap. 4. num. 8.

Electi, dicuntur reliquiæ,quoniam pauci ſunt.

5 *Et venerunt ſerui regis Ezechiæ ad Iſaiam, & dixit ad eos Iſaias: hæc dicetis Domino veſtro: hæc dicit Dominus: Ne timeas à facie verborum, quæ audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum me. Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciam gladio in terra ſua.* Non legimus, quod legati miſſi ad Iſaiam quidquam ei loquuti fuerint: ſed ſtatim vt peruenerunt ad Prophetā, reſponſum ab eo accipiunt. Vnde veriſimile eſt, quod ſpiritu prophetico (Deo reuelante) regis legationem cognouerit, ad quam ſtatim reſpondet,vt cōfirmaretur rex;& populus eius magis ac magis in ſpe,quā in Domino conſtituerat; & ſcirēt,quod antequā ore deſideria cordis ſui exprimerent, paratus erat Dominus, vt eos de manu regis Aſſyriorum liberaret. Obſeruandum eſt autem, quod non dixit Iſaias nuncijs, hæc dicetis Domino meo regi, ſed, *Domino veſtro*, tum quoniam ab eo miſſi fuerant, tum etiam propter ſublimem gradum prophetiæ;loquebatur enim Dei nomine, & non proprio: vnde non debuit, quaſi inferior, re-

Prophetæ & Prædicatores ī ſuo miniſterio Regibꝰ sūt ſuperiores.

gi ter-

gi terreno reſpondere. Quia ergo in hoc munere Prophetæ nihil terrenum habebat, nec dependebat à principe temporali, ſed à Deo tantum, cuius erat miniſter, noluit in præſenti dominum ſuum regem appellare, vtpote ſuperior legibus, & regibus in huiuſmodi miniſterio. Ait autem, non eſſe timendum à facie verborum, &c. vt deſignet omne robur, & potentiam exercitus regis Aſſyriorum, ſi cum Dei fortitudine conferantur, tanquam nihilum, & inane reputanda eſſe, & tanquam æs ſonans, aut cymbalum tinniens, vel ſicut verbum fluidum, quod cito trãſit. Et vt imbecillitatem Rabſacis, & militum eius deſignaret, non viros, ſed pueros regis Aſſyriorum eos dixit. Per ſpiritum, intelligunt Hebræi volũtatem ipſius regis Aſſyriorum, quam Deus impulit interius, vt reuerteretur in terrã ſuam. quod etiam explicatur inferius illis verbis: *Ponam circulum in naribus ſuis*. Quomodo autem rex Aſſyriorum gladio corruerit in terra ſua, conſtat ex calce huius capituli, vbi mors illius refertur,

6 *Reuerſus eſt Rabſaces, & inuenit Regem Aſſyriorum præliantem aduerſus Sobnam. Audierat enim quia profectus eſſet de Lachis, & audiuit de Tharaca rege Aethyopiæ dicentes: Egreſſus eſt, vt pugnet contra te, quod cum audiſſet, miſit nuncios ad Ezechiã, dicens.* Obſeruãdũ eſt, quod cum Sennacherib audiſſet aduentũ regis Aethyopũ contra ipſum cum magno exercitu, & potentia, fugit, & conuerſus eſt ad præliandum contra Ezechiam, & populum Iſrael, quem arbitrabatur magis debilem, & imparatum eſſe: & conatur iterum eum fraudibus aggredi, atque à ſpe, quam in Deo conſtituerat, auertere. In quo diaboli inſidiæ exprimuntur, & doli: qui à reſiſtentibus viriliter fugit, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. & ad tentandum debiliores ſe conuertit. Expendatur etiam, quomodo non ſtatim finis tentationibus imponatur. nam quamuis confuſus receſſerit Rabſaces, ſequutus eſt tamen Sennacherib eiuſdem blaſphemias, & non ſolum verbis, ſed etiam literis miſſis, quæ plus habent auctoritatis, & diutius perſeuerant, Ezechiam aggreditur. Vt ſcias, quod aduerſarius noſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit ſemper quærens quem deuoret: & confuſus recedens, prioribus tẽtationibus ſecũdas adijcit, atque tertias, ſi forte ſubuertere poſſit animam innocentis, & in perditionem perpetuam ſecum trahere.

Tentat importune iuſtos diabolus.

Magis ſemper ac magis accenditur eius inuidia, & machinamenta maiora perquirit, quo magis victus in priori congreſſu receſſit. Scriptum eſt enim: *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens dicit: reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatã: tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Luca 11 d

Vide animoſitatem, & ſuperbiam illius. Ipſum Dei filiũ mortali carne indutum aggredi in deſerto auſus eſt, & in prima, & ſecunda tentatione confuſus, tertiam execrabiliorem adijcit: *hæc omnia* (inquiẽs) *tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. Matt. 4

Tentator Chriſtũ audet tẽtare.

In hac etiam parte dolus Hæreticorum notatur, qui ſuper cathedram peſtilentiæ (vt magiſtri iniquitatis) ſedentes



ſedẽtes, libris ſcriptis, & per ſuos ſatellites, euulgatis, perſuadere conantur, quæ vnus vel alter eorum diſcipulus verbo euomere auſus eſt. Et quod verbis tranſeuntibus docuerunt, ipſi varijs voluminibus, in fidelium cordibus imprimere conantur.

7 *Quod cum audiſſet, miſit nuncios ad Ezechiam, dicens: hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: non dabitur Hieruſalem in manu regis Aſſyriorum. Ecce tu audiſti omnia, quæ fecerunt reges Aſſyriorũ omnibus terris, quas ſubuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij gentium, quos ſubuerterunt patres mei, Gozã, & Haram, & Reſeph, & filios Heden, qui erant in Thalaſſar? vbi eſt rex Emath, & rex Arphath, & rex vrbis Sepharuaim, Ana & Aua?* Veriſimile eſt, prophetiam Iſaiæ proditione Sobnæ, vel alicuius alterius, Aſſyrijs reuelatam fuiſſe, quod videlicet rex Ezechias oraculo Prophetæ confirmatus fuerit, ne metueret, ſibi, aut populo eius aliquod malum illaturum regem Aſſyriorum. Ideo Sennacherib vnum hoc agit, in hoc totus incumbit, vt per epiſtolas ſpẽ, quam in Deo habebat, infirmaret. Verum in vanum ceſſit conatus eius, vt patebit inferius. *Ecce* (inquit) *tu audiſti, &c.* Omnes hiſtoriæ clamant, regnum Aſſyriorum olim florentiſsimum fuiſſe, & antiquiſsimum.

Sennacherib ſuperbia.

In tantam autem ſuperbiam proruperat Sennacherib, vt ſe præferret omnibus parentibus ſuis; & cum illi non potuerint contra Dei populum præualere, arbitratur, ſe poſſe illum ſubijcere ſibi, tali vtens diſcurſu. Si alia regna non potuerunt reſiſtere parentibus meis; nec tu valebis mihi aduerſari. Non intelligebat rex impius, quantum eſſet diſcriminis inter filios regni, & perditionis, nec diſcernebat inter omnipotentem Deum, qui creauit cœlum, & terram, & Deos ſculptiles, & conflatiles, quos ex argento ſuo, & auro ſuo, aut etiam ligno fabricauerunt ſibi manus hominum impiorum. De Goza fit mentio 4. Reg. 17. De Sepharuaim legitur eodem libro inde colonos in Samariam fuiſſe tranſlatos. De alijs autem regnis multa referunt Ptolemæus in deſcriptione orbis. & alij Coſmographi. 4. Reg. 17.

8 *Et tulit Ezechias libros de manu nunciorum, & legit eos, & aſcendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino. Et orauit Ezechias ad Dominum, dicens.* Olim Deus pollicitus fuerat Salomoni, ſe exauditurum preces effuſas in templo ſuo, dicens: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit. Elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* 2. Paralip. 7. c

Orõnes in Eccleſia fuſæ sũt Deo gratiſſimæ *

Vnde vbicumque orabant Iudæi, faciem vertebant ad templum, Daniel in Babylone verſus templum orauit, & Ezechias exiſtens, & orans in domo ſua, cum Dei oraculum audiuit, *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*, faciem vertit ad parietem, qui templum Domini reſpiciebat. Iſai. 38. a

Nunc autem maxima preſſus anguſtia, & zelo gloriæ Dei ſuccenſus, templum oraturus aſcendit, ſecum afferens libros ſibi à rege Aſſyriorum miſſos, vt eos expandens, & legens coram Domino, eum ad miſericor-

diam inclinaret. Nomine librorum intelligit literas, quas ad eum miſit rex Aſſyriorum, plenas blaſphemijs, atque exprobrationibus aduerſus Deum. Colligitur hoc ex lib. Paralippomenon. Vbi Spiritus ſanctus eandem narrans hiſtoriam, ait: *Epiſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſrael, & loquutus eſt aduerſus eum: ſicut dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu mea, ſic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta.*

*2. Paralip. 32. d*

Ezechias non eſt cõmotus verbis Sennacherib.

Vbi notanda eſt prudentia, atque conſtantia Ezechiæ, qui ſuperbi regis accipiens epiſtolas, nullatenus commotus eſt, nec eas legit coram rudi populo, ne audiens tyranni blaſphemias, vacillaret fides illius, ſed coram Domino, quem ſciebat populi protectorem. Ex quo debent colligere principes, quædam regni negotia eſſe cum ſuis conſiliarijs pertractanda, quædam cum ſolo Deo, nullum vero cum indocto vulgo, qui experientiam non habet, nec prudentiam. Hinc etiam nos diſcamus, quod quamuis Deus intimè omnia penetret, antequam ad eum clamemus, gratum tamen eſt illi & acceptum, quod omnes tribulationes noſtras, & omnia negotia referamus, vt humiliati coram illo, & orantes ad ſuſcipienda gratuita illius dona diſponamur. *Sperate in eo omnis congregatio populi* (ait Propheta) *effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum.* Et alius propheta, eos, qui ad orandum Deum aſcendunt in templum, admonet, dicens. *Tollite vobiſcum verba, & ite ad Dominum & dicite, omnem aufer iniquitatem, & ſuſcipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Verba requirit Dominus, precibus delectatur. Sacrificium laudis acceptum eſt illi, in quo intima cordis per verba labiorum, vt dictum eſt ſupra, offeruntur Deo.

Principes negotia grauia non communicẽt vulgo.

*Pſ.61.b*

*Oſeæ.14.*

Sup.c.1.nu. 36.& c.17. nu. 11.

Denique notandum, quod in veteri teſtamento maxime obſeruabatur locus, in quo homines adorabant Deum, & preces fundebant in conſpectu eius. Vnde & mulier Samaritana loquens ad Chriſtum ait. *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt. Et vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet?* Et Moyſes ad filios Iſrael, *ad locum* (inquit) *quem elegerit Dominus Deus veſter, de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras.* At in lege gratiæ non vnus locus præſcribitur orationi, atque adorationi, & cultui diuino, ſed vniuerſus orbis locus erit accommodatus cultui, & venerationi diuinæ; iuxta illud quod veritas ait. *Mulier, crede mihi quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem.* Et rationem huius diſcriminis reddens, ſubdit. *Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Ac ſi apertius diceret: *Venit hora*, tempus videlicet Euangelij, quod iam inſtabat, quando ablata omni vmbra figurarum, veritas ipſa, pura luce toto orbe terrarum diffuſa, mentes credentium

*Ioan.4.*

*Deut.12 a*

Oroni non vnus locus præſcribit in lege grã

*Ioan. 4.*

*Ibid.*

Oro ſpũa reqtit purũ, & getũ.

dentium



dentium illuſtratura eſt, & deſinent homines in figuris Deum colere, & in ſpiritu & veritate adorabunt patrem. Et, vt Chryſoſtomus ait, *Dicens veros adoratores, excludit cum Samaritanis, Iudæos; etſi enim Iudæi illis meliores eſſent, tamen futuris multo minores ſunt, tanquam figura veritate. Sunt igitur veri adoratores, qui neque loco circumcludunt Dei culturam, & Deum in ſpiritu colunt.* Vnde & Apoſtolus ait. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo.* In ſpiritu meo (inquit) in lege, & templo ſpirituali, non in carnalibus obſeruantijs aut in templo, vel monte carnali. Hinc & Auguſtinus, cum illis loquens, qui altum montem ad orandum perquirunt (ait). *O ſi inuenirem, dicebas, montem aliquem altum & ſolitariũ: credo enim quia in alto eſt Deus, magis me exaudiet ex alto: quia in monte es, propinquum te Deo putas, & cito te exaudiri, quaſi de proximo clamantem? In excelſis habitat, ſed humilia reſpicit. Prope eſt Dominus, quibus? forte altis? his qui obtriuerunt cor? Mira res eſt, & in altis habitat, & humilibus propinquat. humilia reſpicit, excelſa autem à longe cognoſcit, Superbos longe videt, eo illis minus propinquat, quo ſibi videntur altiores. Quærebas ergo montem, deſcende vt attingas: ſed ſi aſcendere vis, aſcende: noli montem quærere: aſcenſus (inquit) in corde eius: hoc pſalmus dicit in conualle plorationis. Conuallis humilitatem habet: ergo intus age totum. Et ſi forte quæris aliquem locum altum, aliquem locum ſanctum, intus exhibe te templum Deo. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. In templo vis orare? in te ora. Sed prius eſto templum Dei, quia ille in templo ſuo exaudiet orantem.* Non tamen propterea damnantur templa, quæ in honorem Dei, & Sanctorum à fidelibus eriguntur: ſed ſolum docemur, etiam extra templum eſſe Deo acceptabiles orationes noſtras, ſi ex corde puro procedant. Iuxta quod & Paulus ait. *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* Qualis autem fuerit oratio Ezechiæ, indicant eius verba. Subditur enim.

Chryſ.ho. 32.ſup Io.

*Rom. 1. b*

Aug.tract. 15. in Ioã. poſt med. tom.9.

*Pſ. 137. b*

*Pſal.83.*

*1.Cor.3.*

*1.Thim. 2.*

9 *Domine exercituum Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim: tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu feciſti cœlum & terram. Inclina Domine aurem tuam, & audi. Aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem. Vere enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum. Et dederunt Deos earum igni: non enim erant dij, ſed opera manuum hominum, lignum, & lapis: & comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noſter, ſalua nos de manu eius: & cognoſcant omnia regna terræ, quia tu es Dominus ſolus.* Ecce formam perfectæ orationis, & petitionis humilis, quæ ad duo ordinatur. Primo, vt Deum & noſmetipſos perfectiſſimè cognoſcamus, & velut in ſpeculo intueamur miſericordiam illius, & miſeriam noſtram, & ſic humiliemur in conſpectu eius. Vnde & ratio loquens interius cum Auguſtino, dixit illi. *Poteſtas noſtra ipſe eſt.* Itaque *ora breuiſſime ac perfectiſſime quantum potes.* Cui Auguſtinus reſpondit. *Deus ſemper idem, nouerim me, nouerim te, oratum eſt.* Secundo ordinatur ad impetrandum à Deo illa, quæ ad ſalutem animæ noſtræ, & ad gloriam ipſius Dei manifeſtandam

Orãdi modus perfectus, qualis ſit.

Aug.lib.2. ſoliloq.c.1. tom.1.

 con-

conducunt. Hæc duo, in orationibus, quas ſingulis diebus decãtat Eccleſia, reperies,& eadem in hac Ezechiæ oratione (ordine mirabili) inuenies diſpoſita. Nam primo, Dei magnitudinem cõtemplatur, eum venerans,& adorans, & orditur à nomine ineffabili tetragramaton, quod erat

*Exod.6. a* mirabile,ſecundũ illud Exodi 6. *Ego Dominus qui apparui Abrahã, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente. Et nomen meũ Adonay,non indicauit eis.* Ait,eum eſſe Dominũ exercituũ, quo nomine ſignificantur exercitus,tã hominum,quàm Angelorum,de quibus

*Iob 25.* dicitur. *Nũquid eſt numerus militũ eius?* Omnes hi deſeruiunt illius voluntati, & ad eius nutum mouentur, & tanquam abſolutus Dominus, poteſt ex illis quos voluerit diſſipare.

*Exod. 25. 3.Reg.6* In illis verbis, *qui ſedes ſuper Cherubim*, fidem roborat. Erant enim Cherubim alata, tegẽtia propitiatorium. Et quia Deus promiſerat, ſe futurum propitiatorem ingredientibus templum,& in eo orantibus, ideo meminit horum ſpirituũ, vt ad propitiationẽ Dei miſericordiam inclinaret. Propitiatorium autem, & propitiatio noſtra Chriſtus eſt, *quem*

*Rom. 3. c* *propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius*, de quo

*1. Ioan. 2. a* Ioannes Apoſtolus ait. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Duo Cherubim, quæ talem tegunt propitiatorem, & ſe inuicem reſpiciunt, ſunt duo teſtamenta, lex videlicet ſcripta, & Euangelium, (vt in præfatione huius

*Tom.1.nu. 1.pag.1.* operis obſeruauimus,) quorum teſtimonijs, & promiſsionibus mirum in modum ſpes, & fides noſtra roboratur. *Tu es Deus ſolus &c.* Iterum Deum inuocat, & collaudat, nomine quod immenſitatem eius, & potentiam deſignat, & poteſtatem iudiciariam importat, ac ſi apertius dicat. Quamuis ſpecialiter ſis Deus noſter, & nos tui (propter ſingularem cultum, & ſingularem legem, in qua populum iſtum adunaſti,) tamen Deus eſt vniuerſalis, & iudex regnorum omnium, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Tu qui creaſti omnia nutu voluntatis tuæ, eodem nutu poteris nos ab imminenti periculo liberare: & qui, ad oſtenſionem potentiæ, & bonitatis tuæ, ex nihilo orbem terræ creaſti, facile poteris, ad oſtenſionem eiuſdem gloriæ, nos proſtratos, & quaſi ad nihilum redactos erigere, & de potentia aduerſarij tui, & noſtri liberare. *Inclina Domine aurem tuam, & audi.* Vide regis ſapientiam, repetentis verba, quæ Deus ipſe dixerat Salomoni in templo exoranti. *2.Paralip.7.* *Audiui* (inquit) *orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij: ſi clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit.* Hæc eadem verba repetit Rex, & in hac Dei promiſsione innititur: quaſi dicat: Deus meus qui fidelis es, & negare te ipſum non potes, aut promiſsiones tuas irritas facere, attende (obſecro) non ad me, ſed ad verba tua,

*In oratione verba Dei repetere eſt valde vtile.*





Promiſiſti quod oculi tui erunt aperti, & aures tuæ erectæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit. Ecce Deus meus, in loco iſto oro ad te,nõ in me, ſed in tua miſericordia confidens. Ecce ad te confugio,agens pœnitentiam, & inuolutus ſacco: adeſt Sennacherib rex impius,qui deuorare vult, & diſſipare terram iſtam;inclina ergo aurem tuam, & audi, ſicut promiſiſti; aperi oculos tuos,& vide. Audi omnia verba Sennacherib, quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Vide blaſphemias,quas contra te euomere auſus eſt; ſalua nos de manu eius, vt omnes cognoſcant, quia tu es Dominus ſolus. Ecce finem, ad quem debent dirigi principaliter omnes orationes piæ, & Chriſtianæ petitiones, ad honorẽ videlicet, & gloriam Dei, vt omnibus ſit notum, ipſum ſolum eſſe timendum atque colendum.

10 *Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam,dicens. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro quibus rogaſti me, de Sennacherib rege Aſſyriorum: hoc eſt verbum quod loquutus eſt Dominus ſuper eum.* Deus

*Orantes conſolatur Deus,& illis ſtatim reſpondet.* ſuorum miſeretur, nec ſinit quempiã tẽtari ſupra id quod poteſt, nec preces afflictorum ſpernit, & ad vocem clamoris eorum ſtatim vt audierit reſpondet. Sic reſpondet Ezechiæ per Iſaiam Prophetam, & populus diuino confortatur oraculo. Nec ſolum reſpondet, ſed Prophetam digniſſimum mittit,vt ſcias,quanto honore proſequutus fuerit Dominus ſanctum Regem, & quanta ſeueritate aduerſarios puniat. Vnde & ſubditur. *Deſpexit te, & ſubſannauit te,virgo filia Sion: poſt te caput mouit, filia Ieruſalem.* Plenã eſt affectibus hæc prophetia. Alloquitur enim Dominus populum ſuum nomine Sion, & Hieruſalem, tanquam teneram virginem,& delicatam filiã, quam pater contemni non patitur: ac ſi apertius dicat: Expendi mecum & conſideraui, quomodo te dilectam & teneram filiam meam iniurijs affecerit hoſtis, & tamquam derelictam ſubſannauerit. Ego quidem permiſi, vt te contemneret,& ſubſannaret, ſed non patiar quod contra te præualeat. Myſticè,nomine Sion,& Hieruſalem, intellige Eccleſiam Catholicam, *Morale.* quæ in hoc mundo ab Hæreticis deridetur & ſubſannatur, & eſt quaſi omnium peripſema vſque adhuc, & à tyrannis principibus, aereis poteſtatibus infeſtatur. Permittit Deus quod dilaceretur in martyribus, & multas in ſuis filijs tribulationes patiatur, ſed non in perpetuum obliuiſcetur illius, ſed faciet cum tẽtatione prouentum. Omnes præſentis vitę iniuriæ,omnes perſecutiones, quæ contra Eccleſiam inſurgunt,omnia genera tormentorum, quæ in fidelibus exercentur, nihil aliud reputanda ſunt, nec maius nocumentum electis inferunt, quàm ſi impotens, & verboſus homo nos parum & ad tempus irrideat, poſtmodum perpetuis gaudijs laureandos: *in paucis* *Sap.3. a* *enim vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe.* Illi potius deridendi ſunt & ſubſannandi,qui ad horam in præſenti gaudent, atque in electorum exultant interitu, puniendi poſtmodum æternis cruciatibus. De talibus namque dicit Dominus. *Prou.1.c* *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum id, quod timebatis, aduenerit.*

11 *Cui exprobraſti,& quem blaſphemaſti,& ſuper quẽ exaltaſti vocẽ, & leuaſti altitudinem oculorum tuorum? ad ſanctum Iſrael.* Sermonem conuertit ad Sennacherib regem Aſſyrio-

ſyriorum,cuius crimen prius,& blaſphemias enarrat, vt poſtmodum condignam poenam ſubiungendam denunciet, ad conſolationem Hieruſalem. Nec paruam reputat impij regis iniuriam, quam in ſanctum Iſrael,dicit, irrogatam fuiſſe. Deus enim honoratur in ſanctis ſuis,& iniuria afficitur in illis, ſi lædantur ab aliquo. Vnde, & ad Saulum dixit: *Saule Saule quid me perſequeris?* Perſequebatur viros, ac mulieres credentes in Chriſtum. Oues illius tanquam lupus dilaniare quærebat, & (ait) *quid me perſequeris?* Vtique. Dicit enim per Zachariam Prophetam. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et augetur crimen & iniquitas regis,quoniã non per ſeipſum tantùm blaſphemauit Deum,& populum eius exprobrauit, ſed etiam per ſeruos ſuos, quos miſit vt in iniurijs afficerent populũ Iſrael, Vnde & ſubditur.

In hoĩbus iuſtis iniuria Deus afficitur.

Actor. 9.

Zach. 2. c

12 *In manu ſeruorum tuorum exprobraſti Domino: & dixiſti: In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium, iuga Libani: & ſuccidam excelſa cedrorum eius, & electas abietes illius, & introibo altitudinem ſummitatis eius, ſaltum Carmeli eius.* In memoriã reuocat iactantiam regis Sennacherib, qui varie extollebatur, & gloriabatur, quod deuaſtauerit terram ſanctam,incipiẽs à iugis Libani, & pertigerit vſque ad Aegyptum. Per altitudinem montium, intelligit regionem circa Dan, aut principes, & primates populi, qui etiam ſignificantur per cedros, & electas abietes. Quidquid enim ſublime,& procerum fuit,potẽter abſtulit in Iudęa, & ſic pertranſiens venit vſque ad Hieruſalem, quæ Metropolis eſt totius terræ. Vnde & arroganter dicit: Si cæteras Iudæ ciuitates ſubegi, nihil obſiſtere poterit,quin & Hieruſalem, quam per ſaltum Carmeli intelligit, deuaſtem, atque ita totius terræ dominus ero. Sequitur.

13 *Ego fodi, & bibi aquam, & exſiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum.* Gloriatur his verbis, ſe etiam vſque ad Aegyptum perueniſſe, & ad oſtia Nili, atque in tanta multitudine militum,& exercitu copioſo, vt tam magni fluminis aquas bibentes illum pæne exſiccauerint. Secundo poſſunt hæc verba ſic intelligi:Exſiccaui omnes riuos aggerum, ideſt, omnem terram Iuda pedibus meis ſubieci, igitur & fontem ipſum, hoc eſt, & Hieruſalem capiam. Similis eſt arrogantia diaboli, qui nec Chriſto, nec electis eius parcit, quin eos perſequatur, aut tentet, eo quod prius totum genus humanum ſibi ſubdiderat. Chriſtus enim altitudo eſt ſummitatis Eccleſiæ, quoniam *ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius, & plenitudo eius.*

Epheſ. 1. d

14 *Numquid non audiſti quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis, ego plaſmaui illud: & nunc adduxi: & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum.* Conuertit Propheta ſermonem ad Regem Sennacherib,& loquens in perſona Dei,illum admonet, vt in memoriam reducat omnipotentiam eius,quem blaſphemauit. & ſciat, quoniam ipſe eſt, qui ciuitatem ſanctam Hieruſalem fundauit, & habitatoribus illius fortitudinem dedit,vt diuerſas nationes ſuperarẽt, & munitas vrbes diruerent,& in aceruos lapidum conuerterent. Ait ergo: Nunquam audiſti ò Sennacherib,quę olim fecerim ei, ideſt, populo meo quem perſequeris, quomodo eduxerim

Deus quãta fecerit mirabilia ſæpe repetit Scriptura.

rim



rim de terra Aegypti in manu forti & inimicos eius ſuffocauerim in mari rubro? Numquid non audiſti quomodo quadraginta annis eos deduxerim per deſertum, & pane de cœlo miſſo ſatiauerim eos? Nunquid non legiſti beneficia maxima, quæ huic regno contuli? *Ego plaſmaui illud,* (ſcilicet regnum Iſrael) *& nunc adduxi,*ideſt pręteritis diebus, adduxi per deſertum, & introduxi, in terram hanc. Et dicit,nunc,quoniam paucis retro annis adductus fuerat in terram promiſsionis populus Dei. *Et factum eſt,* hoc ſcilicet regnum, in eradicationem collium compugnantium, ideſt, in totalem deſtructionem, & deſolationem diuerſarum nationum inter ſe pugnantium. Quod enim totaliter deſtruitur, eradicari dicitur, ſumpta metaphora ab arboribus, in quibus,ſi eradicentur, nulla relinquitur ſpes vlterius proferendi fructus. Sequitur. *Habitatores earum breuiata manu contremuerunt, & confuſi ſunt: facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorũ, quæ exaruit, antequam matureſceret.* Ideſt, tanta fortitudine muniui populum meum, vt habitantes vrbes inuictas ad eius præſentiam contremuerint, & præ timore ſeipſos vltro in manus eius tradiderint. Cum ergo hæc omnia ita ſe habeant, melius conſultum erit tibi, ò Sennacherib, populum iſtum intactum relinquere,ne tibi deterius aliquid cõtingat. Poſſunt ſecundo hæc, & antecedentia verba aliter explicari, ita videlicet, vt admoneant Sennacherib,non ſua fortitudine aut potentia tot ſuperaſſe nationes, ſed ordinatione diuina, quæ diſpoſuit per illum, tanquam per virgam, & baculum ſumere vindictam de aduerſarijs ſuis. ac ſi dicat:Non fortitudini tuæ, ſed mihi tribuas, quod victor aduerſus tot nationes euaſeris; ego enim ſum Dominus exercituum,qui,cui volo,victoriam tribuo: & ſicut te, & patres tuos aduerſus nationes diuerſas victorem feci, ita nunc populus meus, me protegente, aduerſus te victor euadet. Ad idem tendunt verba illa capitis decimi: *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt,* vt explicuimus ibi, numero 4. & 10. *Breuiata manu,* idem eſt, quod potentia aduerſariorum conciſſa. Sicut enim manus grauis idem eſt, quod numeroſus exercitus, & fortis, ita manus breuis ſeu breuiata idẽ eſt, quod exercitus debilis, & ad paruum numerum militum redactus. Et ſecundum Hieronymum, breuiata manu, idem eſt, quod,Deo contrahente manũ,& non præbente ſolitum auxilium. vtraque explicatio ſatis conſonat cum phraſi loquendi Scripturæ. Dicitur enim infra, *non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat,* ideſt, non eſt facta debilis, aut retracta.

Victoria Deo adſcribenda.

Iſa. 59. a

15 *Habitationẽ tuam, & egreſſum, & introitum tuum cognoui, & inſaniam tuam contra me. Cum fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas.* Senſus eſt. Vide ò Sennacherib, quòd ſicut omnia, quæ ego volui,operatus ſum per patres tuos; ita tu quoque nihil ſine me egiſti: Per me factum eſt, vt occupares terras illas, ad quas debellandas egreſſus fuiſti. Nihil horum ignoraui. Et cum in his debuiſſes glorificare nomen meum, ſuperbia elatum eſt cor tuum. Sed vt ſcias quod non poteris amplius tranſire, niſi quantum placuerit mihi, terminum ponam in vijs tuis, ne vlterius progrediaris, & te faciam velut in-

chamo, & fræno regredi per viam qua veniſti: Vnde & ſubditur. *Ponam* ergo *circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.*

Tyranni vincuntur facile Dei virtute.

Loquitur, ſumpta ſimilitudine, à bubulis, aut bobus, in quorum naribus circulus ferreus imponitur, vt huc atque illuc facile trahantur, ac ſi apertius dicat; Tam facili negotio te recedere faciam, & reuerti per viam qua veniſti, ac ſi circulum in naribus haberes. Hinc ſunt duo colligenda. Alterum eſt, quod etiamſi diuina prouidentia gentes & regna in manus tyrannorum tradantur, vt vindictam ſumat de peccatis eorum, tyranni tamen Principes hæc exequentes grauiter peccant; tum quia, non vt exequantur Dei voluntatem, ſed ad quærendam propriam gloriam, & excellentiam operantur talia, & vt propriæ ſatisfaciant iræ. tum etiam, quia vltra ſibi commiſſam facultatem prætergrediuntur.

Diabolus non plus tẽtat quàm Deus permittat.

Alterum eſt, aduerſarios noſtros, non poſſe plus in nos ipſos, quã Deus illis conceſſerit aut permiſerit, etiã ſi inter illos numeres diabolũ ipſum. Vnde non prius tentauit Iob, aut tetigit carnem eius, niſi poſtquam hoc fuit illi conceſſum à Domino. Cum enim ſathan obijceret Deo contra ſanctum Iob. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Dixit Dominus ad ſathan: Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.* Hac licentia ſuppoſita, diſſipauit vniuerſam ſubſtantiam eius, & filios, & filias illius tradidit morti: nec ſic ſatiatus, alia peiora attentare cupiebat, nec tamẽ auſus eſt tranſgredi legem præſcriptam; ſed inſtat, vt poteſtas in carnẽ eius ſibi concedatur. *Pellem* (inquit) *pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad ſathan: Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua.* Egreditur ſathan à facie Domini, & omnia executioni mandat, ſed minime ſanctum virum de medio tulit, quoniam poteſtatem à Deo in animã eius non acceperat. Non ergo aliquid contra homines operatur, niſi, quod Deus cõceſſerit vel permiſerit. Vnde & de illo ſpiritu, qui vexabat Saul dicit Scriptura, *Inuaſit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ.* Vbi (vt notauit Gregorius) *vnus idemque ſpiritus, & Domini appellatur, & malus: Domini, videlicet, per licentiam poteſtatis iuſtæ; malus autem per deſiderium voluntatis iniuſtæ. Formidari ergo non debet, qui nihil, niſi permiſſus, valet. Sola ergo vis illa timenda eſt, quæ cum hoſtem ſæuire permiſerit, ei ad vſum iuſti iudicij & iniuſta illius voluntas ſeruit.*

Iob 1. b Iob 2. b 1. Reg. 18. c Greg. 2. mor. 6.

16 *Tibi autem hoc erit ſignum: comede hoc anno, quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere, in anno autem tertio ſeminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.* Conuertit ſermonem ad regem Ezechiã, & ad populum eius, confirmans grãdi miraculo promiſsionem ſuperius factam, & ſignum tribuit, vt firmiter credant, quæ prædixit, euentura eſſe ſuper regem Aſſyriorum. Eſt autem ſignum tale. *Hoc anno*, ideſt, primo anno receſſus Sennacherib, comede tu, & populus tuus, ideſt, comedes, quæ ſponte naſcentur,

ideſt



ideſt naſcentur ex illis ſeminibus relictis, quæ conculcauit exercitus regis Aſſyriorum. In tanta enim germinabunt abundantia, vt illis enutriri poſsitis. *In ſecundo anno pomis veſcere*, ideſt, veſceris fructibus arborum, atque alijs quæ terra vltro producit. Non enim arare poteritis, nec ſeminare, aut metere. In tertio autem anno ſeminabitis, & coletis terram, & fructus colligetis illius, ſicut antea, quoniam omnia erunt libera, & ſecura, obſidione laxata, atq; rege Aſſyriorum in fugam conuerſo.

Reſurrectionẽ deſignat annus tertius.

Hoc datur in ſignum veræ libertatis filiorum Dei. Et annus tertius typũ gerit myſterij reſurrectionis futuræ, quæ plenam pacem, & tranquillitatẽ ſecum affert, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus. *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Primus enim & ſecundus annus eſt totum tempus vitæ præſentis, in quo, corpore, & ſanguine Chriſti paſcimur, & potamur; ipſe enim eſt fructus, quẽ terra noſtra ſponte produxit, quia non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine natus eſt ex Maria Virgine: in cuius laudem canit Pſalmiſta. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Prius dedit Dominus benignitatem, quia Spiritus ſanctus ſuperuenit in Virgine, & virtus altiſsimi obumbrauit eam, cuius virtute Deum nobis protulit, & hominem. Tertius autem annus eſt quietis futuræ. *Viuificabit nos poſt duos dies:* (ait Propheta) *in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Quem locum licet ad literam de reſurrectione Chriſti, quæ tertia die facta eſt, intelligant communiter ſancti Patres, Cyrillus, Cyprianus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, & Anſelmus: poteſt nihilominus in ſenſu myſtico ad noſtram reſurrectionem referri, cuius illa fuit exemplar & cauſa, vt ex varijs locis Scripturæ & ſanctorum docet S. Thomas.

Rom. 8. d Pſ. 84. b Oſeæ. 6. a Cyril. l. 2. i Ioan. c 26. Cyp. l. 2. cõtra Iudæos ca. 24. Aug. ſer. 90 de tẽp. & l. 18. de ciu. Dei ca. 28. Gre. ho. 20. in Ezech. Ber. ſer 1. reſurrect. Anſelm. ad c. 15. epiſt. 1. ad Cor. S. Th. 3. p. q. 56. ar. 1. & 2

17 *Et mittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. Quia de Hieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion: zelus Domini exercituũ faciet iſtud.* Prædicitur his verbis libertas habitantibus Hieruſalem, & exitus proſper ac lætus, quem habuerunt poſt tribulationem obſidionis. Confugerant ad Hieruſalem quamplurimi ex Iſraelitis, vt defenderentur in ciuitate, coacti à poteſtate regis Aſſyriorum. Toto tempore obſidionis ibi tenebantur concluſi, nec poterant libere ad excolendos agros exire, & ad alia negotia exercenda: at per Angelum, aduerſarijs occiſis, exibunt (inquit) de Hieruſalem vnuſquiſque ad negotia ſua.

Spũ ſancto adueniente de cœnaculo exierunt Apoſtoli ad prædicãdũ.

In quo myſterium latet Eccleſiæ Catholicæ, quæ prius congreganda erat in Hieruſalem, & poſtea per orbem ſpargenda. Nam reliquiæ per electionem (ideſt Apoſtoli) & alij qui ex Iudæis crediderunt in Chriſtum, exierunt de Hieruſalem poſt aduentum Spiritus Sancti, vt per vniuerſum orbem legẽ diſſeminarent Euangelicam, ſecundum illud quod dictũ eſt ſupra. *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.*

Iſai. 2. a

Iuſtorũ vita arbori exciſſæ cõfertur.

Comparatur autem in hoc loco vita iuſtorum arbori exciſæ, cuius radix & trũcus adhuc eſt viuens ſub terra, à qua ſuccum attrahit, tametſi contempta, & emortua primo aſpectui videatur; pullulãt enim iterum, & copioſum apud Deum fructum proferunt, in fide radicati & fundati. Vnde & Apoſtolus ait. *Mortui enim*

eſtis,

*Coloſ. 3. a*

*eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in* Deo. De quo vide ſupra dicta.

*Sup. cap. 4. num. 4. 5. 6.*

18 *Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & nõ occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via, qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus, & protegam ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter* Dauid *ſeruum meum*. Vide, qualiter opponat propheta verba Domini verbis impijs, ex ſacrilegis aduerſariorum. Pluries inculcauerant Rabſaces, & Sennacherib, inſultãtes aduerſus Hieruſalem, verba iſta. *Hæc dicit rex magnus, rex Aßyriorum:* Et nunc Propheta aduerſus regem Aſſyriorum inſultãs, & ſuperbiam eius deridens, ait. *Hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum*. Ille ore ſuperbo clamauerat: *in multitudine quadrigarũ mearum aſcendam in ſaltum Carmeli eius*, ideſt, introibo in ciuitatem ſanctam Hieruſalem, & expugnabo eam: & veritas, quę non mentitur, ait: *non intrabit ciuitatem hanc*. Ille ſuperba voce prædixerat, *non liberabit vos Dominus*, & tamen Dominus ait. *Protegã ciuitatẽ iſtam*. Obſerua modum loquendi Scripturę, quo non ſolũ libertatem Iudæorũ, ſed etiam excidiũ regis Aſſyriorũ denunciat. Ait .n. *Non iaciet ibi ſagittã, & non occupabit eã clypeus* (ideſt) non habebit facultatem, & poteſtatem offendendi ciuitatem, nec defendendi ſe ipſum. Poteſtas offendẽdi ſignificatur per ſagittas: defendendi vero, per clypeum. *In ciuitatem hanc non veniet*; nam die ſequenti ciuitatem expugnare parabat, & tamen nocte præcedente exercitus ab Angelo extinctus eſt. Et quoniam Ezechias orans poſtulauit à Domino, quod defenderet ciuitatẽ, vt tanquam verum Deum agnoſcerẽt illum omnia regna terræ, prudentem, & humilem orationem quaſi cõmendans ait, *ſaluabo ciuitatem hanc propter me*, ideſt, vt nomen meum quod blaſphemauerunt Aſſyrij, admirabile fiat, & notum in gentibus. Addit autem, *& propter* Dauid *ſeruum meum*, vt ſciamus, quoniã propter ſanctitatem, & iuſtitiam patris defuncti, multa bona filijs viuẽtibus accidunt. Aut vero, vt in memoriam reuocaret promiſsiones factas Dauid: & populus miraculoſam libertatem illi cõceſſam intuens, agnoſceret, fidelem eſſe Dominum in omnibus verbis ſuis. Et ſpecialiter id dixiſſe videtur, propter illam promiſſionem pſalmi 88. *Si autem dereliquerint filÿ eius legem meã, & in iudicÿs meis non ambulauerint. Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergã ab eo: neque nocebo in veritate mea, neque profanabo teſtamentum meũ, & quæ procedunt de labÿs meis non faciam irrita.*

*Tyrannos irridet Dominus per Prophetas.*

*Orationẽ humilẽ cõmẽdat Deus multa propter iuſtos faciens.*

*Pſ. 88. e*

19 *Egreßus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aßyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum. Et egreſſus eſt, & abÿt, & reuerſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue*. Egreſſus dicitur Angelus, ſcilicet de coelo, vel de vrbe, quam cuſtodiebat, venitq; motu locali, vt diſperderet ſuperbũ regis Aſſyriorum exercitum. Ecce quo fine claudantur omnia regna mũdi, & regis Aſſyriorum iactantia: ecce





inſigne illud miraculum tanto tempore in hac prophetia celebratum, nempe, liberandam Hieruſalem, non humana, ſed diuina manu à crudeliſsimis hoſtibus. Huius triumphi ſub diuerſis nominibus mentionem fecit in præcedentibus. Nam cap. 9. ſuperandum prædicitur ſceptrũ exactoris, & virgam humeri eius, ſicut in die Madian. Cap. 10. ait. *Mittet dominator Dominus exercituũ in pinguibus eius tenuitatẽ, & ſubtus gloria eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis.* Et paucis interiectis. *Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus exercituũ flagellum, iuxta plagam Madian in petra Oreb*. Cap. 16. *Finitus* (inquit) *eſt puluis, conſummatus eſt miſer: defecit qui conculcabat terram.* Cap. 17. *Rapietur ſicut puluis montium à facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate. In tempore veſperæ, & ecce turbatio: in matutino, & nõ ſubſiſtet. hæc eſt pars eorum, qui vaſtauerunt nos, & ſors diripientiũ nos*. Cap. 28. *Sicut in monte diuiſionum ſtabit Dominus, ſicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur.* Cap. 29. *Et erit ſicut ſomniũ viſionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obſederunt aduerſus eam &c.* Cap. 31. *Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius nõ hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladÿ.* Cap. 33. *Cum conſummaueris deprædationem deprædaberis. Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris*. Et poſt pauca. *A voce Angeli fugerũt populi, & ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes &c.* Hæc omnia, & alia conſimilia vaticinia, vna nocte expleuit Angelus Domini. Tradunt multi, hæc facta fuiſſe nocte Paſchatis, in qua & Aegyptiorum exercitus fuit ſubmerſus, in ſignum perfectæ libertatis, quam populus Chriſtianus per Chriſtum obtinuit. Ipſe enim morte ſua vicit mundum, & nos à ſeruitute Principis tenebrarum liberauit. Vnde & Aegyptiorum ſubmerſio, ſacri baptiſmatis typũ geſsit, in quo omnia noſtra peccata demergũtur, & fideles ſicco pede ad patriam ſibi repromiſſam perambulant. *Et reuerſus eſt Sennacherib &c.* Ecce impletum quod prædixerat ſupra: *Ecce ego dabo ei Spiritum, & reuertetur ad terram ſuam*. Et poſt pauca. *Et reducam te in viam per quam veniſti*.

*Superborũ ruina multis modis explicatur in Scriptura.*

*Iſa. 9. d*

*Iſa. 10. d*

*Iſa. 16. a*

*Iſa. 17. d*

*Iſa. 28.*

*Iſa. 29. b*

*Iſa. 31. d*

*Iſa. 33.*

*Iſa. 37. g*

20 *Et factum eſt, cum adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Adramalech, & Saraſar filÿ eius percuſſerunt eum gladio: fugeruntque in terram Ararat, & regnauit Aſarhaddon filius eius pro eo.* Diuina prouidentia factum eſt, quod Sennacherib non interficeretur cum alijs ab Angelo propè Hieruſalem, vt cum ignominia ſua reuerteretur in terrã ſuã, factus teſtis ocularis operũ Dei. A ſuis proprijs filijs interficitur, qui Dei filios perdere quærebat, & gloriabatur, omnes Principes debellaſſe; & qui multas blaſphemias in Deũ cœli, & terræ ſuperbo ore protulerat, & ad deuaſtandum templum Domini pergere cupiebat, occiditur poſtea in templo, cum adoraret Idolũ ſuum: quoniam per quæ quis peccat, per hæc & punitur. Hæc eſt viciſsitudo gloriæ mundi, hæc cõmutatio rerum huius ſæculi, etiam in illis, quæ firmiſsima, & omni iucunditate plena videntur. Vna hora, & repente omnia pereunt.

*Sennacherib excidium.*

# CAPVT XXXVIII.

1 IN diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem : & introiuit ad eum Iſaias filius Amos propheta, & dixit ei : 2. Hæc dicit Dominus : Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. 3. Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit : 4. Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. 5. Et fleuit Ezechias fletu magno. 6. 7. Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens : Vade, & dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui : Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas : ecce ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos : & de manu regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam.. 8. 9. Hoc autem tibi erit ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus eſt : Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat. 10. Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cum ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua. 11. 12. Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæſiui reſiduum annorum meorum. dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis. 13. Generatio mea ablata eſt : & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum : Præciſa eſt velut à texente vita mea : 14. 15. dum adhuc ordirer, ſuccidit me : de mane vſque ad veſperam finies me. 16. Sperabam vſque ad mane, quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea : De mane vſque ad veſperam finies me : 17. ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba : Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum : 18. Domine vim patior, reſponde pro me. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?





rit? 19. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 20. Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me. Ecce in pace. 21. amaritudo mea amariſſima. 22. Tu autem eruiſti animam meam, vt non periret, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. 23. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam. 24. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie : pater filijs notam faciet veritatem tuam. 25. Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. 26. Et iuſſit Iſaias vt tollerent maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur. 27. Et dixit Ezechias : Quod erit ſignum quia aſcendam in domum Domini?

## SVMMA CAPITIS.

*NARRAT infirmitatem regis Ezechiæ, orationem eius ad Dominum, & qualiter vitæ eius adiecti fuerint anni quindecim. Habetque præſens caput quinque partes principales.*

*In prima refertur ægritudo Ezechiæ, & Iſaias denunciat illi mortem futuram, ſecundum naturalem diſpoſitionem cauſarum. De quo in principio capitis.*

*In ſecunda proponitur oratio Ezechiæ, ac modus illius. verſiculo.* Et conuertit Ezechias faciem ſuam, &c.

*In tertia mittitur Iſaias à Domino ad Iſaiam, vt enunciaret illi, orationem eius exauditam fuiſſe. Verſiculo.* Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam.

*In quarta ſignum competens prolongationis vitæ ſubiungitur. Verſiculo.* Hoc autem tibi erit ſignum.

*In quinta deſcribitur canticum Ezechiæ, in quo rex pius pericula narrat à quibus eum miſericorditer Dominus liberauit, & in gratiarum actionem, pro tanto beneficio pſalmos, & hymnos ſe cantaturum in perpetuũ pollicetur, & de hoc agit ab illo verſiculo.* Scriptura Ezechiæ regis Iuda, &c. *vſque ad finem capitis. Vbi notat medicinam, qua à vulnere ſuo ſanatus eſt, videlicet maſſam de ficis eidem vulneri applicatam.*

# COMMENTARIVM.

1 *IN diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & introiuit ad eum Iſaias filius Amos Propheta, & dixit ei.* Quidam expoſitores arbitrantur, hanc infirmitatem accidiſſe Regi eo tempore, quo Sennacherib obſidebat ciuitatem, antequam exercitus eius diſſiparetur ab Angelo; & dicunt, voluiſſe Deum, vt inſigni miraculo curationis eius, crederet, poteſtate diuina exercitum regis Aſſyriorũ delendum fore. Et quidem quod ante excidium regis Sennacherib acciderit morbus Ezechiæ, videtur colligi ex illis verbis, quæ dicũtur infra hoc eodem capite. *Et de manu regis Aſſyriorũ eruam te, & ciuitatem iſtã, & protegam eam.* Sed multo magis placet ſententia Sancti Auguſtini, & Hieronymi, qui dicunt, diuina prouidentia factum eſſe, vt, poſt victoriam contra regem Sennacherib diuinitus conceſſam, Ezechias inciderit in morbum lethalẽ, ne cor eius poſt incredibiles triumphos eleuaretur. In quo etiam nos admonemur, multas, & varias tentationes ſibi ſuccedẽtes, quamdiu viuimus in hoc ſæculo, patienter tolerandas eſſe. Nũc bellis, nunc morbis, nunc alijs ærũnijs probamur: ijsque alia, & alia ſuccedũt mala, & tota vita aſſidue belligerandum eſt ita, vt cum ex aliquo periculo fuerint homines erepti, ſe ad aliud ſuſtinendũ præparare oporteat. Item etiam voluit Dominus, vt hac infirmitate, regis patientia, humilitas, & lacrymabilis poenitentia omnibus fieret conſpicua. Omnibus Regibus, & principibus tãquam exẽplar proponenda eſt vita huius viri, qui cum omnem operam reſtituendę religioni, & cultui diuino impẽdiſſet, grauiſſimas calamitates paſſus eſt, vt ſciamus, quod, cum officio noſtro probè functi fuerimus, ad omnis generis pugnas, & ærumnas ſuſtinendas præparari oportet: neque turbemur, ſi primo conflictu prȩualeant hoſtes, quaſi nos protinus voraturi.

Ezechiæ infirmitas quo tẽpore acciderit.

Aug. lib. 2. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 28. Hieron.

2 *Hæc dicit Dominus. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Hoc prædicitur futurum ſecundum curſum cauſarum naturalium. Talis enim morbus inuaſerat Ezechiam, vt humanitus non poſſet euadere mortem. Cum veritate autem huius prophetiæ ſtat, quod diſpoſuerit Dominus, a morte illum diuinitus liberare. Ad cuius euidentiam, conſiderandum eſt, quod, vt docet S. Thomas, *quandoque reuelatio prophetica eſt impreſſa quædam ſimilitudo diuinæ præſcientiæ, prout reſpicit ipſa futura contingentia in ſeipſis, & talia ſic eueniunt, ſicut prophetantur, ſecundum illud. Ecce virgo concipiet, &c. Quandoque vero prophetica reuelatio eſt impreſſa ſimilitudo diuinæ præſcientiæ, pro vt ſcilicet cognoſcit ordinem cauſarum ad effectus:* Et *tunc quandoque aliter euenit quam prophetetur, nec tamen prophetiæ ſubeſt falſum. Nam ſenſus prophetiæ eſt, quod inferiorũ cauſarũ diſpoſitio, ſiue naturalium, ſiue humanorum actuum, hoc habet, vt talis effectus eueniat: & ſecundum hoc intelligitur verbum* Iſaiæ, *dicentis. Morieris, & non viues, ideſt, diſpoſitio*

Prophetia comminatoria, qualiter veritaté contineat.

S. Th. 22. q. 171. ar. 6. ad 2.

Iſaia 7.

corporis



*corporis tui ad mortem ordinatur.* Et *quod dicitur Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, ideſt, hoc merita eius exigunt, vt ſubuertatur.* Præterea obſeruandum eſt, quod quando prophetiæ ſunt comminatoriæ, & in illis denunciatur malum aliquod futurum, ſemper debet in illis ſubintelligi conditio, niſi illi pœnitẽtiam egerint, contra quos loquitur prophetia. Id quod ex varijs locis ipſius Scripturæ conſtat. Dicit enim Propheta. *Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, agam & ego pœnitẽtiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei.* Iuxta quod ait Ambroſius. *Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum.* Quando autem decretum Dei eſt abſolutum, prophetia illud explicans ſemper impletur, nec alicuius precibus impeditur. Scriptum eſt enim. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? loquutus eſt, & non implebit?* Et iterum per Ezechiam dicitur. *Fili hominis, terra cum peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiã de ea hominem, & iumentum: & ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum. Quod ſi beſtias peſſimas induxero ſuper terram, vt vaſtem eam, & fuerit inuia, eo quod non ſit pertranſiens propter beſtias: tres viri iſti ſi fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur.* Admonet igitur Iſaias regem. *Quia cras morieris.* Hæc eſt cauſa & ratio vrgens, propter quam ſemper debent homines eſſe parati, quoniam ſemper illis mortis periculum imminet, & non dico, cras, ſed forſitan in hac die, immo & in hac eadem hora morientur. Cum enim hora mortis ſit incerta, quamlibet debet homo pius putare vltimam. vnde & Saluator nos admonet, dicens. *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora dominus veſter venturus ſit.* Et iterum. *Ideo & vos eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Hinc & B. Baſilius ait: *Semper ante oculos tuos verſetur vltimus dies. Cum enim diluculo ſurrexeris, ad ueſperum te ambigas peruenire; & cum in lecto ad quieſcendum membra tua poſueris, noli confidere de lucis aduentu, vt facilius te poſſis refrænare ab omnibus vitijs.* Et S. Hieronymus. *Facile*, inquit, *contemnit omnia, qui ſemper cogitat, ſe eſſe moriturum.* Et ſi rationem quæras, propter quam, cum certiſſimum ſit nos eſſe morituros, horam tamen mortis voluerit Dominus eſſe incertam, lege Chryſoſtomum, qui explicans verba illa: De *temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis vt ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies* Domini, *ſicut fur in nocte, ita veniet*; duas huius rei aſſignat rationes. Altera eſt, quia nemo virtutis vmquam in toto ſuæ vitæ diſcurſu curã haberet, ſed cognito conſũmationis ſuæ die, poſtquã innumera peccata perpetraſſet, tunc demum baptiſmi lauacrum acciperet, pœnitentiã differens vſque ad finem vitæ. Altera eſt, quoniam ſi cognouiſſet quiſquam, ſe nõ moriturum ante talem diem, abſque vllo

Hier. 18

Amb. ſup. ca. 1. Lucæ

Num. 23.

Ezech. 14. c

Mortis hora incerta eſt, vt homo ſemper vigilet.

Mat. 24 d

Lucæ 12 c

Baſil. in quadam admonitione ad filiũ ſpiritualẽ, to. 2.

Hier. Epi. 1. ad Paul. tom. 1.

Chryſ. ſup. primã Epiſtolam ad Theſſ. hõ. 9. colum 2. tom. 4.

1. Theſ. 5.

timore

timore quamplurima flagitia perpetraſſet: quos voluiſſet, occidiſſet, ſeipſum vindicaſſet, milleq. mala egiſſet. Vide ſupradicta.*

*Sup.c.22. num.9.10.

3 *Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit. Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt coram oculis tuis fecerim.* Multa erant, quæ animum regis premebant aduerſa. Primum, videbat ſe filijs orbatum mori, & regnum ad hæredes alienos tranſire. Secundo, corporis doloribus cruciabatur. Tertio, omnis ſpes recuperandæ ſalutis aufertur ab illo: prædicente enim mortem Iſaia, quid niſi mors ſperanda erāt? Quarto, morte regis imminente, maximam populus perturbationem patiebatur. quæ omnia animum ſancti regis pulſabant, nec tamen animo deſpondet, ſed ad Deum recurrit more ſolito, orationem, & pœnitentiam comitē aſſumens. *Conuertit faciem ſuam ad parietem* reſpicientem tēplum, ſciēs quoniam Dominus repromiſerat, auditurum ſe deprecationem orantiū in templo. Conſonat huic explicationi tranſlatio Chald. quę ſic habet. *Conuertit faciem ſuam ad parietem domus ſanctuarij.* Item etiam hoc geſtu ſuum declarat affectum. Auertens enim faciem ſuam ab hominibus, nec terrena iam videre dignatus, ſe totū ad Deum conuertit, vt in eo penitus conquieſcat. Quo admonemur, ne orantes, oculos noſtros, & alios ſenſus in illis rebus occupemus, quæ poſſunt mentem à Deo diſtrahere, vt liberius coram illo corda noſtra effundere valeamus. Ad parietem ſe conuertit, vt propria defleret peccata, & illa præ oculis haberet. Sciebat enim illud, quod dicitur infra. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrū, & peccata veſtra abſconderunt faciē eius à vobis, ne exaudiret.* Ideo lacrymis perfuſus, parietem reſpicit ſuorum delictorum, quem Chriſtus Dominus diſſoluit. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carnæ ſua.* Vel per parietē, Chriſtum venturum intellige, quem fide reſpiciens rex pius, orauit, ſciens, quoniam meritis eius noſtræ ſunt Deo orationes acceptæ. De hoc pariete loquebatur qui dixit. *Quouſque irruitis in hominē, interficitis vniuerſi vos tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ?* Vbi tantum ſpatium corporis in vno homine, vt poſſit interfici ab omnibus? Si idem homo ab omnibus vulnerandus eſſet, & occidendus, oportuiſſet montis magnitudinem in immenſum excedere. Hoc in ſolo Chriſto potuit adimpleri, quem filij Adā vniuerſi peccatis ſuis occiderunt. Vel (vt Auguſtinus ait) hæc intelligenda ſunt de capite cum membris. Vnde & quoddam membrum eius Paulus Apoſtolus ait. *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

Ezechias quare mori recuſauerit.

Ezechias oraturus quare ad parietē cōuerterit faciem.*

Iſa.59.a

Epheſ.2 c

Pſa.61 a

Aug. ſup. pſa.61.col. 2.tom.8.

Coloſſ 1.

4 *Obſecro Domine &c.* Vt notauit Hieron. nouerat ſanctus rex, orationem Salomonis idcirco placuiſſe Deo: quia non annos vitæ petierit ampliores, non diuitias, non ſuorum inimicorum vindictam, ſed ſapientiam poſtulauerit: Ideo rex Ezechias audiens ſe eſſe moriturum, non precatur vitam longiorem, ſed totum ſeipſum Dei miſericordiæ committit, in eius liberalitate relinquens quidquid ſibi expediat, & regno.

Occur-



Occurrunt autem ſtatim in mortis periculo conſtituto, & oranti, quæ in toto vitæ diſcurſu fecerat bona. Nihil enim maiorem conſolationem poteſt morituro afferre, quàm bonorum operum, quæ incolumis fecit, recordatio. quia licet veriſſimum ſit quod dicit Apoſtolus: *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec auferre quid poſſumus.* & vt inquit Iob: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc:* tamen non minus verum eſt quod in ſuis reuelationibus ait Euangeliſta: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Ammodo, iam dicit Spiritus vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.* Vnde cum corpora eorum nuda ingrediantur ſepulchrū, animæ ſuis bonis operibus veſtitæ & ornatæ inueniuntur apud Deum. Regi ergo ſancto in mortis articulo conſtituto occurrunt, quæ per diſcurſum vitæ fecerat bona opera, & ait ſe ambulaſſe coram Deo *in veritate*, ideſt, ſinceritate, non ficte. Econtrario autem impijs, & reprobis in mortis articulo occurrunt memoriæ, & diſtincte repræſentantur crimina omnia, quæ in progreſſu vitæ commiſerunt, de quibus nullam egerunt pœnitentiam; ideo timent (& valde timent;) & triſtantur imminente morte, nec vllam poſſunt conſolationem inuenire, atque adeo moriuntur maxima oppreſsi amaritudine: Iuſti autem cum gaudio & lætitia. De Sirena referunt naturales, quod toto tēpore vitæ ſuæ cantat ſuauiſsimè, ita vt dulcedine cantus hominem dormire faciat; ſed morti appropinquans magna triſtitia cor occupatur illius, & rabida morte perimitur: Cygnus autem, inſtante morte, lætatur, & canit ſuauiſsimè, & (ſicut S. Ambroſius dicit) contra morem omnium animalium pro gemitu cantum reddit. Ratio naturalis huius diſcriminis eſt; nam Sirenæ ſanguis in venis per totum corpus diffuſus, eſt valde terreſtris, & craſſus, qui hora mortis cordi appropinquans, vt vitæ foueat principium, magnum dolorem cauſat, & anguſtiam: è contrario vero Cygnus ſanguinem habet ſubtiliſsimum, & purum, & cum hora mortis totus fere ſanguis corporis ad cor accedat, vt illud confortet, magnam lætitiam, & dilatationem quandam cauſat in illo, & ad cantus ſuauiſsimos moribundum excitat. In his duobus animalibus mortem diſsimilem electorum & reproborum quaſi depictam inuenies. Sanguis, quo vita hominis ſpiritualis nutritur, & roboratur, ſunt opera. Qui ergo dum viuerent, in operibus pietatis exercuerunt ſeipſos, morti appropinquantes lætantur, & in hymnum laudis corda eorum prorumpunt, quoniam memoria vitæ præteritæ conſolatur eos. Ideo *pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Illi autem, qui tempus vitæ viuendo luxurioſè diſſipauerunt, mortem appropinquantem non læti, ſed trementes aſpiciunt; quia recordatio præcedentium delictorum eos torquet, & in quandam deſperationem inducit, & morte deploranda rapiuntur. Propheta atteſtante. *Mors peccatorum peſſima.* Sequitur. *Memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate.* Non ex elatione animi, non ex ſuperbia aut vana præſumptione proponit Deo bona quæ fecit, & merita vitæ ſuæ,

Morituri conſolátur maxime recordatione bonorum quæ geſſerūt in vita.

1.Thim. 6.b

Iob 1.d

Apoc.14 d

Simile.

S.Ambr.

Mors electorum cygni, reproborū ſirenæ morti confertur.*

Pſ.115. a

Pſ.33.d

4.Reg. 20.a



ſed

ſed ex zelo quodam honoris diuini, & ex ardore fidei, & ſpei, quo erat ſuccenſus: ac ſi apertius diceret. O Domine, quia gratia tua & benignitate tribuiſti mihi, vt ego coram te iuſte viuerem, auferrem excelſa, & idola gentium de regno meo exterminarem, ſi nunc moriar abſque liberis, blaſphemaberis ab impijs, & crudelis in ſeruos tuos reputaberis ab incredulis, ac ſi nulla eſſent iuſtitiæ præmia. Memento quæſo, quod iuſte ambulauerim coram te, ne dicant impij; *Vanus*

*Malac. 3.d*

*eſt qui ſeruit* Deo: *& quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum?* Ne permittas eos inflato & ſuperbo ore cauſari, *ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentauerunt* Deum, *& ſalui facti ſunt.*

*Ibid.*

Ne derelinquas populum tuum, quē elegiſti, nec illum tradas in manibus inimicorum eius.

5 *Et fleuit Ezechias fletu magno.* Triplicem conſtituunt doctores cauſam huius fletus. Quidam dicunt, lacrymas illas ex ingenito vitæ amore proceſſiſſe. mors enim ante aduentum Chriſti, qui morte ſua mortis imperium deſtruxit, omnibus quantumuis iuſtiſſimis erat formidabilis: ſciebant enim, peccato primi parentis clauſam eſſe ianuam cœleſtem, nec ab alio, quàm à Redemptore mundi vnquam poſſe reſerari. Omnes poſt mortem tenebantur vinculis mortis; ideo mori totis viribus recuſabant: cum tamen poſt reſurrectionem Chriſti, qui aſcendens in cœlum, cœli ianuas ſuis aperuit, non ſolum viri, ſed etiam puellæ, omni trepidatione repulſa, morti lætanter pro Chriſti confeſſione ſe traderent. Alij dicunt, eam ob cauſam fleuiſſe, quia dolebat non relicta prole decedere, ex qua iuxta verbum Domini Chriſtus Dominus in lege promiſſus naſceretur. Tertia ratio huius doloris aſsignatur ab alijs, quia videbat vitam ſuam, ſuperna gratia, in gloriam Dei cedere, & in non modicam regni vtilitatem. quaſi dicat: Domine, te adiuuante, ego lucos abſtuli, & excelſa, atque idola omnia contriui; ex quo facto video gloriam tibi acceſsiſſe non paruam: at me mortuo periculum eſt, ne ad eadem populus reuertatur. Hanc diuini nominis obſcurationem deflebat vt iuſtus, & pius, & diutius ſuis prodeſſe cupiebat: quoniam nondum pacatus erat regni ſtatus, nec plene erga Deum ſtabilita religio; ideo plorabat, ideo horrebat mortem, non quod voluptate vitæ priuaretur.

Flet' Ezechiæ tres cauſæ.

6 *Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens: vade & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Ecce ego adÿciam ſuper dies tuos quindecim annos. Et de manu regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam.* Vide quanta ſit vis humilis orationis, quanta efficacia lacrymabilis pœnitentiæ, propter quam Deus reuocat ſententiam, ſicut & apud Ionam fecit de ſubuerſione Niniue. Nec tamen propterea eſt Deus mutabilis reputandus; ſed, vt notauit optime Auguſt. mala, quæ ſecundum cauſas naturales ad maiorem probationem regis imminebāt, tempore iuxta beneplacitum ſuū opportuno auertere voluit, quando res omnino videbantur deſperatæ, vt magis cōmendabilis redderetur miſericordia eius. Hac via Chriſtus Dominus

Oronis humilis quāta ſit efficacia.*

Aug. lib. 6. de gen. ad lit. cap 17. Greg. li. 12 Moral. c. 11.

nus



nus fidē Chananææ fecit conſpicuā, cum tamen prius eam repellere viſus fuerit. *Audiui* (inquit) *orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.* Expende qualiter reſpondeat Dominus petitioni Regis, ille orauerat. *Inclina Domine aurem tuam, & audi. Aperi Domine oculos tuos, & vide.* Et Dominus. *Audiui* (inquit) *orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.* Non enim reuertitur iuſti oratio vacua, ſed eiſdem verbis, quibus Deum pulſat, affert dona diuina. ſcriptum eſt enim: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* & iterum: *Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi.* penè dixiſſet, vade, & ſicut petiſti fiat tibi. Hoc facit maxime ad commendationem orationis. nam etſi Dominus de noſtra ſalute ſit ſemper ſolicitus, teſtatur tamen ſe precibus noſtris concedere quidquid ex miſericordia largitur; noſque hoc modo ad orandum impellit atque ſtimulat. Reſpondens Dominus Regis, petitioni, ſeipſum nominat Deū Dauid, quoniam ſpecialiter facta fuerat illi promiſsio diuina: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* quaſi diceret. Ego ſum Deus, qui Dauid repromiſi filium, per quem regnum eius ſtabiliendum erit. Non ſum oblitus Dauid: memor ſum verborum meorum, quæ promiſi, tandem perficiam. Et vt notauit Aug. quindecim annos vitæ eius Dominus addidit, quia ſufficiebāt, vt filius illius procrearetur, & adoleſceret, vt regnum defuncti patris valeret gubernare. Obſerua præterea quanti Deus faciat opera noſtra, charitate formata: nam Deus reſpexiſſe dicitur lacrymas, & orationem Regis: vt hinc Lutherani, qui aſſerunt opera noſtra eſſe inutilia, confundantur, & diſcant, Deum multum deferre bonis operibus, quibus iuſtam mercedem largitur. Præterea notandum, quòd licet inferius vulneri Ezechię ex mādato Domini fuerint appoſita pharmaca, Deus tamen beneficium contulit ſanitatis; ait enim. *Ecce ego adÿciam, &c.* Ex quo duo documenta colligere licet. Alterum eſt, quod licet medici diuerſa remedia ægrotis applicent, Deus tamen quibus vult ſalutem largitur, & vitam; dicit enim Propheta. *Domini eſt ſalus.* & iterum ſcriptum eſt. *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Alterum eſt, non eſſe contemnendas medicinas humanas, quibus ſalus corporis reparatur; nec medicos repellendos, quorum miniſterio nobis tribuit ſalutem, quam donare diſpoſuit. Vnde & per Eccleſiaſticum dicitur. *Honora medicum propter neceſſitatem: etenim illum creauit altiſſimus. A* Deo *eſt enim omnis medela: & a Rege accipiet donationem. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Altiſſimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Denique obſeruandum, quam fuerit Deo cara ciuitas ſancta Hieruſalem, quæ figura eſt Eccleſiæ Catholicæ, quandoquidem ad protectionem, & gubernationem illius tot mirabilia operatur, & repetitis verbis, ſe illius curam gerere teſtatur, vt magnum quid doceat de ciuitate illa credendum, quam Deus tanta diligentia cuſtodit. Auerte parumper oculos à ciuitate illa terrena, & reſpice ſpiritualem Hieruſalem, ideſt, Eccleſiam Catholicam, & videbis quæ pro defenſione illius, & vt eam protegeret, & exaltaret, operatus fuerit. Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omni-

*Mat. 15 c*

*Matt. 8. b*

*Pſ. 131.*

Aug lib. 2. de mirab. ſacr. ſcript. cap. 28.

Ezechiæ quare quindecim anni fuerint adiecti.

*Pſal. 3. b*

*1 Reg. 2 b*

Medicinæ contemnēdæ nō ſunt

*Eccli. 38 a*

Hieruſalē quam dilecta fuerit Domino.

Eccleſiam diligit De' valde.



bus

bus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? *Et protegam eam* (inquit) ac ſi apertius dicat: Ego deſcendam, & carne humana indutus, ſcutum fortiſſimum illius ero, &, vt eam ſaluam, & incolumem ſeruem, meipſum ſagittis iuſtitiæ diuinæ obijciam, & omnia vulnera meorum ſuper me ſuſcipiã. Vnde & fidelibus populis, cum Abra-

Gen. 15. a ham loquens, ait. *Ego protector tuus ſum*, nec ſolum protector, ſed & *merces tua magna nimis*. *Protector*, vt homo, *merces*, vt Deus, *protector*, vt ſaluans, *merces*, vt beatifi-

Iſai. 40. c cans, ſicut ſcriptum eſt. *Ecce merces eius cum eo: & opus illius coram illo*.

7 *Et de manu Regis Aſſyriorum eruam te, &c.* Dubitari poteſt, qualiter hæc promiſsio verum habeat, cum (vt ſupra diximus) iam Sennacherib rex Aſſyriorum occiſus fuerit à filijs ſuis, & exercitus eius extinctus ab Angelo, quando Ezechias in illam incidit infirmitatem, quod etiam conſtat ex fine capitis præcedentis. Quomodo ergo ait Dominus: *De manu regis Aſſyriorum eruam te*, ſi iam rex Aſſyriorum, & eius exercitus perierat? Reſpondetur ad hoc iuxta ſenſum literalem, quod licet Sennacherib occiſus eſſet, & eius exercitus diſsipatus, viuebat tamen in Aſarhaddon filio ſuo, qui non ſolum regnum, ſed & tyrannidem, atque ſuperbiam hæreditauit patris. & quoniam filius, (teſte Ariſtotele) eſt aliquid patris, ideo prædicta Dei promiſsio veriſsima exiſtit. Accedit, quod textus ſacer non dicit, de manu Sennacherib eruã te, ſed, *de manu regis Aſſyriorum*, illius videlicet, qui ſucceſsit loco Sennacherib. Credendum eſt enim, illum fuiſſe ſucceſum ira magna contra

ſanctam ciuitatem, & magnum exercitum præparaſſe, vt iniuriam, quæ ſuis videbatur facta, vindicaret; ideo Ezechias, & populus eius poſt tam inſignem victoriam adhuc erat pauidus. Simile quid accidit ſancto Ioſeph, qui poſt perſequutionem Herodis, admonitus ab Angelo, vt reuerteretur in terram Iſrael, quia defuncti erant, qui quærebant animã pueri; *Conſurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis ſeceſsit in partes Galileæ*. In ſenſu autem morali admonemur, ſemper nos eſſe pauidos debere, quamdiu in hoc mortali corpore viuimus, etiam ſi glorioſas aduerſus diabolum, & mundum fuerimus conſequuti victorias: non enim dormiunt inimici noſtri, ſed adhuc ſemel deuicti, iterum, atque iterum animã noſtram impetere audent; propter quod ſemper indigemus auxilio, & protectione diuina. Vult etiã Deus, quod beneficia præterita tanquam præſentia habeamus, ſcientes, quod qui eruit nos de poteſtate tenebrarũ, & ſanctificauit per vnigenitum filium ſuum, ipſe quam donauit miſericordiam conſeruat, & conſeruabit ſalutem, quo ſuum ſubtrahẽte auxilium, protinus in nihilum redigeretur iuſtus, quantumuis ſuper aſtra exaltatus. Ideo ait, *eruam te*, ac ſi dicat. Iam liberaui, & iterum, *eruam*, & nunc teipſum in vita conſeruo, & populum tuum, in pace quam poſsidet.

Matt. 2. d

Iuſti ſemp ſunt paui- di, & quæ- re.

8 *Hoc autem tibi erit ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod loquutus eſt. Ecce ego reuerti faciam vmbram linearũ, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decẽ lineis*,





*Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat*. Conſueuit Dominus infirmitatem ſuorum ſignis confirmare, & ſpem erigere varijs portentis. Attemperat ſe diuina bonitas imbecillitati noſtræ, quam deprimit, vt agnoſcamus nos ipſos: & eandem erigit ſua benignitate, vt commendabilis fiat miſericordia eius. *Dominus deducit ad*

1. Reg. 2. b *inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & ſubleuat*. Cum ergo lethalem infirmitatem ſuper Ezechiam induxerit, ex qua populus vacillare videbatur, priſtinam illi repromittit ſanitatem; & vt infirmos in fide confirmet, & regis ſpem roboret, miraculo non vulgari, & ſigno mirabili, quæ promiſerat ſubſcribit: vt cum ſignum impletum viderent, etiam quod per illud ſignificabatur, implendum eſſe non dubitarent. Datur autem ſignum in horologio, & non in quocumque, ſed in horologio Achaz, qui fuit rex impius, & ſignum ſalutis populi à Deo petere renuit: cum enim diceretur

Signũ quare i horologio Achaz datũ fuerit Ezechiæ.

Iſa. 7. b illi. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in*

Ibid. *excelſum ſupra*. Reſpondit. *Non petam, & non tentabo Dominum*. Fuit autem hoc miraculum. Fecerat rex Achaz quoddam horologium, quod poſtmodum communi vocabulo horologium Achaz dicebatur. Reges enim, & principes ſua conſueuerunt habere horologia. In hoc autem horologio Achaz ita erant lineæ diſtinctæ, vt ab vna in aliam vmbra ſpatio vnius horæ integræ, decurrente ſole, tranſiret, vt affirmat Theolo-

Dionyſ. gorum princeps Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Polycarpum. Quamuis aliqui arbitrentur, quamlibet lineam illius horologij dimidiam tantum horam curſus ſolis ſignaſſe.

Sed multo magis adhærẽdum eſt ſententiæ Dionyſij, qui à Paulo Apoſtolo fuit inſtructus. In hoc ergo horologio, Deo imperante, ſol atque vmbra illius reuerſa eſt retrorſum decem lineis, & ita prolongata eſt dies illa per viginti horas integras. Etenim decem horas conſumpſit in retrogreſſu verſus Orientem, & alias decem in motu, quo reuerſus eſt ad punctum à quo regredi cœperat. Magnum certe miraculum, & prodigium ſingulare, cui ſimile, nec antea viſum eſt, neque in futuris temporibus fiet. Semel ſtetit ſol tempore Gedeonis ipſo imperante, atque dicente. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Ayalon*. Ad cuius vocem *ſtetit ſol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere, ſpatio vnius diei*, donec vlciſceretur de inimicis ſuis. Iterum etiam ſtetit ſol ad preces cuiuſdam viri famoſi de cognatione Sela. de quo dicitur. *Et qui ſtare fecit ſolem*. Vt dicunt Rabanus, & gloſſa ordinaria, atque Abulenſis. Iſte, propter quem ſtetit ſol, fuit Elimelech maritus Noemi, cuius fit mentio in capite primo Ruth, vtrumque miraculum fuit admirabile; ſed neutrum ſingulare. At hoc prodigium, hoc ſignum, quod datur Ezechiæ, ſingulariſſimum fuit; nunquam enim viſum eſt, ſed neque auditum, quod ſol retroceſſerit, & verſus Orientem motus ſit, niſi tempore Ezechiæ. Fuit hoc congruum ſignũ ſalutis regis: cum enim adhiberetur ad deſignandam prolongationẽ vitæ, conueniens fuit, vt in horologio, quo menſuratur vita hominis, daretur ſignum: ſicut enim ſol ad occaſum properans retroceſſit per decem lineas, ita Ezechias, cum eſſet morti propinquus, quaſi retroceſſit, quindecim annis ad dies ſuos adiectis.

Sol ter per miraculũ curſum interrupit naturalem.

Ioſue 10. c

1. Paral. 4. d

Abul. q. 18. ſup. c. 4 lib. Paralip.

Et hæc eſt huius ſigni ratio literalis.

9 Quia vero non tantum ſalutẽ regis, ſed principalius ſalutẽ humani generis illud ſignum reſpiciebat, etiã aſsignanda erit in altiori ſenſu ratio congruentiæ illius ſigni. Reuertitur ſol decem lineis per gradus, vt in horologio Achaz vmbra manifeſtat, vt ſciamus, quoniam pro ſalute noſtra, Dei filius, qui eſt ſol iuſtitiæ, deſcendit de cœlis: *Et homo factus eſt*. Cũ enim nouem choros angelorum in infinitum tranſcenderet, ſecundum diuinitatem, poſtmodum ſecundum humanitatem minoratus eſt paulominus ab angelis, & quaſi retrogrediendo, nouem lineas pertranſiens, ideſt, nouem angelorum choros, in decima linea, ideſt in humanitate vmbram fecit; quia vt dicit Apoſtolus. *Nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Ideo in horologio ſignum tribuit, quoniã vita illius, qui pro nobis homo factus eſt, menſuranda erat ſecundum carnem eodem tempore quo aliorum hominum vita menſuratur, ita vt vere dicatur infans vnius diei, & circũcidatur octauo die, & puer ſit duodecim annorum. Et cum S. Iob diuinitatem illius conſiderans dixerit. *Numquid ſicut dies hominis, dies tui, aut anni tui ſicut humana ſunt tempora?* Apoſtoli tamen, & Euangeliſtæ eum indutum carne mortali videntes, dies eius, & annos, ſicut & aliorum hominum numerauerunt. Scriptum eſt enim: *Et ipſe Ieſus, erat incipiens quaſi annorum triginta*. Et iterum. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim aſcendentibus parentibus eius Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſq. diebus, cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem*.

Incarnationis verbi cõpetẽs ſignũ fuit, q datũ eſt Ezechiæ.

Heb. 2. d

Xps vt hõ eodem quo nos menſuratur tpe.

Iob 10. a

Lucæ. 3. e

Lucæ. 2.

Et obſerua quod in horologio Achaz datur ſignum excellentiſsimi beneficij, vt magis ſplenderet miſericordia Dei, qui in horologio regis impij, & nolentis ſignum petere à Domino, ne magnificaretur nomen eius, ſignum ſalutis noſtræ conſtituit. Præterea etiam meminit Achaz, vt ad memoriam reuocaret illud ſignum mirabile, datum tempore illius domui Dauid. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*: quo rex Ezechias firmiter crederet, ſe nõ eſſe moriturum ſine prole, ex qua filius Dei ſecundum carnem naſceretur. Denique tota hæc hiſtoria myſterium Crucis, & reſurrectionis Chriſti præfigurat. Chriſtus enim rex iuſtus, & verus Ezechias pro nobis ægrotauit, & iudicium mortis in cruce ſuſcepit, ſecundum illud, quod dicitur infra. *Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*. Ad orationem autem eius clamantis, & dicentis: *Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: adiecti ſunt ei, & per ipſum nobis anni quindecim, ideſt, omnis longæuitas vitæ, per numerum quindecim annorum deſignata. Iſte enim numerus ex ſeptenario, & octonario componitur. Per ſeptenarium omne tempus intellige vitæ præſentis, quod numero ſeptem dierum hebdomadæ voluitur; per octonarium vero, tempus futuri ſæculi deſignatur. Pro octaua enim multi inſcribuntur pſalmi, in quibus de futura beatitudine agitur. Vnde vterque numerus ſimul omnẽ longitudinem vitæ deſignat. Quod ſi paulo diffuſius volueris hæc exponere ſecundum ſenſum moralem, ſignifi-

Iſai. 7.

Ezechias typum Xpi geſſit.

Iſa. 53. a

Pſ. 15. c



gnificare videtur hoc ſignum mirabile, quod, quantum in nobis habuimus moleſtiæ, & periculi propter decidentem vmbram, ideſt propter imminentes aduerſitates obnubilantes animas noſtras, quas vmbræ mortis contulit regius Propheta, cum diceret, *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis*, tantumdem credamus aſcenſuram animam ad admirabile lumen internæ conſolationis; ſicut ſcriptum eſt. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animã meam*. Vnde & Apoſtolus ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationẽ, qua exhortamur & ipſi à Deo. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Vbi vmbræ deſcenſum expende, & aſcenſum illius. Deſcendunt dolores mortis, ſicut horologij vmbra, & paſsionis Chriſti, ideſt, propter Chriſtum toleratæ in corda fidelium, ſed aſcendet vmbra per eoſdem gradus; dum iuxta multitudinem dolorum conſolationes illius lætificant animã iuſti. Aſcendet vmbra, & ex toto deficiet, cũ *abſterget Deus omnem lacrymã ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt*; quando iuxta verbum ſponſæ *aſpirabit dies, & inclinabuntur vmbræ*, & claritas Dei illuminabit illos: quando indicauerit ſuis, immo & in loco paſcuæ collocauerit: quem eadem ſponſa requirebat cum diceret: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*.

Pſ. 43. d

2. Cor. 1. a

Vmbra horologij Achaz quid ſignificet.

Apoc. 21 b

Cant. 2. d

Cant. 1. b

10 *Scriptura Ezechiæ regis Iuda cum ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua*. Rem æterna memoria dignam pius rex ſcriptis commendat, vt ad gratiarum actionem poſteros inducat, & non poſsit tale beneficium vlla obliuione deleri. Verba enim tranſeunt, ſcriptura vero permanet, & ſemper clamat. Talia vero ſunt Dei dona, vt pro ipſis non ſemel, ſed pluries ſint gratiarũ actiones repetendæ. Vnde, vt notatuit Sixtus Senenſis, quod interpres vulgatus tranſtulit, *ſcriptura Ezechiæ*, alij vertunt *gratulatio*, ſiue *gratiarum actio in ſcriptura*. Præter hanc ſcripturam (vt refert idem Sixtus) ſcripſit Ezechias de feſto Paſchatis extra tempus in lege inſtitutum, hoc eſt quartadecima die menſis ſecundi celebrando, epiſtolam vnam, cuius mentio fit lib. 2. Paralippomenon: Scripſit etiam (vt quidam arbitrantur) hiſtoriam libri Iudicum, in quo maxime commendatur pietas regis, qui multis, & miris modis religionẽ & cultum Dei propagare curauit, quod etiam in omnibus regibus, & principibus Chriſtianis fulgere debet. Vnde & in laudem ipſius hæc (inter alia) dicit Sapiens. *Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes in Sion, vſque in ſempiternum, oſtendit futura, & abſcondita antequam euenirent*. In hoc ergo cantico laudis, deſcribit primo acerbitatem morbi, qui laborauit, explicans, qualiter ſe in eo geſſerit, quid cogitauerit, quid orans cum lacrymis Deo dixerit. Secundo enarrat modum, quo ſanitas fuerit illi à Deo reſtituta. Tertio, pro tanto beneficio, continuas quo ad vixerit, gratia-

Sixtus li. 2 Biblioth. litera e, in fine.

Ezechias quos libros ſcripſerit.

2. Paralip. 30.

Eccli. 48. d

gratiarum actiones pollicetur, quæ omnia, ſequentia verba demonſtrant.

11 *Ego dixi in dimidio dierum meorũ vadam ad portas inferi: quæſiui reſiduum annorum meorum, dixi: Non videbo* Dominum *Deum in terra viuentium. Non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis.* Explicat quid ſecum mente tractauerit, quid dixerit in corde ſuo, quid cogitauerit in mortis periculo conſtitutus, & ait. *Ego dixi*, ideſt perſuaſum mihi habui, iam actum eſſe de vita mea, & hoc ipſum multis, & varijs modis enunciat. Nihil enim eſt aliud ire *ad portas inferi*, quàm in mortis periculo ineuitabili per cauſas naturales conſtitutum eſſe. & idem ſignificant alia verba ſequentia. Et quoniam tunc erat ætatis triginta nouem annorum, ideò ait ſe mori, *in dimidio dierum meorum*: ſciebat enim illud, quod prædixerat Dauid pater eius.

Pſ. 89. b

*Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potẽtatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Vbi notandum eſt cum B. Hieronymo, *quod ſancti implent dies ſuos, qualis fuit Abraham, qui mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum. Peccatores vero, & impij in dimidio ſuorum dierum moriuntur, de quibus & Pſalmiſta loquitur. Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Non enim implent opera virtutum, nec ſtudent pœnitentia emendare delicta. Vnde in medio vitæ curſu, & in errorum tenebris ducentur ad tartarum.* Vbi expende modum loquendi antiquorum patrum. Quantumuis enim eſſent ſanctiſsimi, morti appropinquantes, ſe ad portas inferi, ſiue ad inferos properare dicebant.

Hier. ſup. ca. 38. Iſa.

Geneſ. 25. a

Pſa. 54.

Quæ periphraſis hinc nata videtur, quod illo tempore nondum pateret aditus ad regnum cœlorum, ſed poſt purgationem perfectam ſuorum delictorũ, vincti in Limbo patrum tenebantur electi, vſque ad Saluatoris aduẽtum, qui moriens in cruce, & deſcendens ad inferos, eos à mortis vinculis liberauit. Vnde & S. Iacob ſibi perſuadens, Ioſeph filium ſuum mortuum eſſe, noluit conſolationem accipere, ſed ait. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Et iterum, ad filios ſuos loquens. *Non deſcendet* (inquit) *filius meus vobiſcum, frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit, ſi quid ei aduerſi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* At poſtquam coeli ianuas, deuicta morte, Saluator mundi reſerauit, leto vultu iuſti, & ſancti aſpiciebãt mortem, ſcientes quod per illã non ad inferos deſcendebant cum dolore, ſed ad ſuperos cum gaudio properabant. Vnde & Chryſoſtomus ait. *Admirare conditorem vniuerſi, qui tanta erga nos eſt miſericordiæ, quod mortem iuſtis illis, & ſanctis tunc terribilem, eandem nunc ità contemptibilem fecerit Chriſtus, vt quam formidabant illi virtute clari, & tanta erga Deum fiducia freti, nunc derideant, & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil enim mors eſt vltra, quàm ſomnus, & peregrinatio, & tranſmigratio à deterioribus ad meliora. Mors enim* Domini *immortalitatem nobis donauit, & vt deſcẽdit in infernum, eripuit, diſſoluit eius neruos, & robur deſtruxit: & quod anteà terribile erat, & implacabile, hoc nunc contemptibile fecit, adeò, vt & multi exiliãt, et feſtinent, cum eſt hinc migrandũ. Proinde, & Paulus*

Patrib' antiquis non patebat aditus ad regnũ cœlorum.

Mors antiquis Patribus terribilis, nobis ſuauis.

Geneſ. 37. g.

Geneſ. 24. g

Chryſoſt. hom. 45. ſup ca. 20. geneſ. co- lumn 2.

Mors ſua- ũis eſt poſt paſſionem Chriſti q̃ prius erat terribilis:



Philip. 1 c

*Paulus clamat, dicens, diſſolui cupio, & cum Chriſto eſſe multo melius. Verũ hæc quidem nunc poſt Chriſti aduentũ, poſtquam cõfractæ ſunt portæ inferi æreæ, poſtquã ſol iuſtitiæ vbiq; terrarum affulſit. Tunc autem terribilem adhuc habebat faciem, concutiebatque iuſtorum illorum virorum ntem: immo & omnia alia ferebant leuiter, etiam quæ intolerabilia eſſe videbantur.*

12 *Dixi, non videbo* Dominum *Deum &c.* Ecce rationem potiſsimã, propter quam pius rex erat tantopere vitæ cupidus. Deſiderabat enim quod ex ſuis poſteris, iuxta diuinam promiſsionem, Dei filius naſceretur; deſiderabat eum videre carne mortali indutum ſuper terram ſanctam ambulantem; deſiderabat viuens Deum cum alijs in tẽplo collaudare, & dolet, quod moriens his defraudetur bonis. Cõſonat hæc explicatio cum tranſlatione ſeptuaginta virorum, quæ ſic habet. *Dixi non iam, non, non videbo ſalutare Dei in terra viuentium,* non videbo Chriſtum ex poſteritate mea natum. Chriſtus enim (vt docet Auguſtinus) frequenter in ſacris literis ſalutare Dei nominatur, Lucæ 2. *quia viderũt oculi mei ſalutare tuum.* & Pſal. 84. *Oſtende nobis* Domine *miſericordiam tuã, & ſalutare tuum da nobis.* Quo nomine in cap. 40. eum appellat Iſaias, cum ait: *& reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Quod autem ſubdit. *Non aſpiciam habitatorem quietis,* idem eſt, ac ſi dicat: Ecce populus, & ciuitas mea fruetur pace, Aſſyrijs per Angelum occiſis, & Sennacherib à filijs ſuis interfecto, & ego morior; quando optata victoria, & amica pace fruendum erat. Et ad idem tendunt verba illa, quæ dicit infra. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima,* ideſt ecce cum amaritudine morior in media pace, & tranquillitate populo meo reddita miſeratione diuina. Ecce quando alij gaudent ob conſequutam victoriam, ego amaritudine premor ob imminentem mortem. Iuxtà tranſlationem autem Septuaginta interpretum, qui pro, *Non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis,* vertunt. *Non iam non videbo hominem cum habitantibus.* Senſus eſt: Cũ iam iam ſim moriturus, non videbo hominem Chriſtũ cum habitantibus ſuper terram conuerſantem, illum inquam, qui *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Ipſe enim ſolus inter omnes mortales vere homo dicẽdus eſt; nam alij, cum in honore eſſent, comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſũt illis. Ipſe ſolus fuit habitator quietis, & pacis, quia ſolus fuit ſimul viator, & comprehenſor, ſolus fuit rex vere pacificus, vt potè pacificans per ſuum ſanguinem, ſiue quæ in coelis, ſiue quæ in terris ſunt. Hæc ergo fuit cauſa digna tanta pietate regis, propter quã fleret amarè, videns ſe in throno Dauid prolem non relinquere, ex qua Chriſtus in lege præſignatus, & Dauid repromiſſus naſceretur.

Aug. 22. de ciuit. Dei cap. 29 & ſerm. 3. de verb. Apoſtol.

Lucæ 2. e

Pſa. 84. b

Iſa. 40.

Baruc. 3 d

13 *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me quaſi tabernaculũ paſtorum.* Paſtores, quoties locum mutant, & greges transferũt ad alia loca, conuoluunt ſubito tabernaculum ſuum, ſub quo protegebantur ab iniurijs cœli, & illud huc, atque illuc ſecum portant, quoniam non habent fixas ſedes, ſed pro conditione neceſsitatis mutantur, & vagantur: ita (inquit) eſt mihi agendũ modo, quia neceſſe eſt ex hoc ſæculo tranſire ad aliud. Ad hanc ſimilitudinẽ videtur

Corpus Chriſti taberna culum dicitur.

etiam

etiam alluſiſſe Petrus Apoſtolus, cum loquens de morte ſua inquit. *Certus*

2. Petr. 1. ſ

*quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi*. Sequitur. *Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer,*

Vita humana telæ comparatũ.

*ſuccidit me. De mane vſque ad veſperam finies me.* Comparat vitam humanam telæ inſtabili, quæ orditur, & texitur, & ſucciditur, non quando tela vult, ſed quando placet textori. Ipſe enim pro ſua voluntate ſuccidit filum, cum ſibi videtur. Filum vitæ noſtræ voluitur abſque intermiſsione vlla ſuper orbes cœleſtes, qui nunquam quieſcunt. Vnde & ſanctus

Iob 7.

Iob inquit. *Dies mei velociores trãſierunt, quàm à texente tela ſucciditur.* Quem locum explicans S. Gre-

S. Greg. 8. Moral. 7.

gorius ait. *Congrua valde ſimilitudine tempus carnis telæ comparatur, quia ſicut tela filis, ſic vita mortalis diebus ſingulis proficit, ſed quo ad augmentum proficit, eo ad inciſionẽ tendit: quia ſicut & ſuperius diximus, cum tẽpora præſentia prætereũt, ventura breuiantur, & de vniuerſo vitæ ſpatio, eo fiunt pauciora, quæ veniunt, quo multa ſunt, quæ tranſierunt. Tela quippe infra ſupraque ligata, duobus lignis innectitur, vt texatur: ſed quo inferius texta inuoluitur, eo ſuperius texenda deplicatur: & vnde ſe ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod reſtat. Sic nimirum vitæ noſtræ tempora, & tranſacta quaſi inferius inuoluimus, & ventura à ſuperiori deplicamus: quia quo plus fiunt præterita, minus eſſe incipiunt futura. Sed quia nec tela ad expreſſionem noſtri temporis ſufficit, nam eius quoque feſtinationem, vitæ noſtræ velocitas tranſit, rectè nunc dicitur: Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſucciditur. Tela quippe tarditatem profectus habet: vita autem præſens moram defectus non habet. In illa quoque cum laborantis manus figitur, aduentus terminus elongatur: in iſta vero, quia tempus ſemper deſinens indeſinenter cõſumimus, ad finem noſtri itineris, etiam quieſcendo peruenimus, & per curſum noſtri tranſitus etiam dormientes imus.* Tela humanæ vitæ incipit ordiri à die natiuitatis hominis: textor eſt Deus, in cuius manu, & poteſtate eſt vita; eſt enim dominus vitæ, & mortis. Cum placet illi, filum ſecat, telam ſcindit, nec protrahitur amplius, quam ipſe diſponat. Quidam ſtatim poſt ortum rapiuntur, de vtero tranſlati ad tumulum, quidam in pueritia, quidam in adoleſcentia, quidam in iuuentute, quidam in virili ætate, quidam in ſenectute, & vnicuique periodum vitæ certum ſtatuit Dominus, ad quem pertinget, & non procedet vlterius. Scriptum eſt enim. *Breues dies hominis ſunt: numerus menſium eius* Iob 14.

*apud te eſt: Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Vnde & antiqui philoſophi paganorum, vt notauit Aug. ad deſignandam incertitudinem, & volubilitatem humanæ vitæ, tres Parcas, ſeu *tria Fata conſtituebant, in colu, & fuſo, digitiſque, filum ex lana torquẽtes, propter tria tempora: præteritum, quod in fuſo iam metitum, atque inuolutum eſt: præſens, quod inter digitos nentis traijcitur: futurum in lana, quæ colu implicata eſt, quod adhuc per digitos nentis ad ſurſum, tanquam per præſens ad præteritum, traijciendum eſt.* Et vt ait idem Aug. Parcæ dicebantur ſic ab antiquis per antiphraſim, eo quod nemini parcant. Sicut dicitur aliquando dulce, quod aci-

Augu. 20. contra Fauſtum. 9.

Aug. li. cõtra mẽdaciũ, ad Cõſentiũ c. 10



acidum eſt; & lucus, eo quod non luceat. Igitur Ezechias telæ ſimilitudine vtens, dolet, quod ante tempus, & in flore ætatis ſuæ ſuccidatur, & dum adhuc ordiretur: expectabat enim finem telæ, ideſt, generationis ſuæ videre, finem (inquam) illum, de

Rom. 10

quo Apoſtolus ait. *Finis legis Chriſtus in ſalutem omni credenti.* Finẽ, qui de ſeipſo teſtimonium perhibet.

Apoc. 1. b

*Ego ſum alpha & omega, principium & finis.*

14 *Dum adhuc ordirer &c.*

Moriuntur quidã ſtatim nati, quidam in iuuentute quidam in ſenectute *

Nullus poteſt rationabiliter conqueri, quod in principio, vel in medio flore vitæ ſuæ rapiatur. & hoc propter duo. Primo, quia pertinet ad ordinem, & perfectionem vniuerſi, vt quidam breuiori, quidã vero longiori viuant tempore, & vna generatio ſuccedat alteri. Dicit enim

Aug. lib. 2. quæſtionũ Euang. q. 49.

Auguſt. *Cõnubia propter filios: filij propter ſucceſſionem, ſucceſſio propter mortem. Vbi ergo mors non eſt, neque connubia. Sicut enim nunc ſermo noſter deſcendẽtibus, & ſuccedentibus ſyllabis peragitur, atque perficitur: ita & ipſi homines quorum ſermo eſt, decedendo ac ſuccedendo peragunt, atque perficiunt ordinem huius ſæculi, qui temporalium rerum pulchritudine contexitur. In illa autem vita quoniam verbũ Dei eſt, quo fruemur, nulla deceſsione, & ſucceſsione ſyllabarum completur, ſed omnia, quæ habet ſemper manendo ſimul habet: ita participes eius, quibus ipſum ſolum erit vita, neque moriendo ſibi decedent, neque naſcendo ſuccedent.*

Vitæ humanæ duratio durationi ſyllabarum cõfertur.

Sicut ergo ad orationis pulchritudinem pertinet, quod quædam ſyllabæ breues, quædam vero ſint lõgæ, quædam contracta voce, quędam producta proferantur; ita etiam ad ordinem vniuerſi ſpectat, quod quidã breuiori, quidam longiori durent tempore, vt ex diuerſitate periodorũ vitæ hominis, ſpeciei humanæ, atque totius vniuerſi pulchritudo reſultet. Quod etiã cernere licet in artificioſo cantu, in quo ex diuerſitate vocũ, & varia eorum duratione armonia conſurgit, & concentus ſuauiſsimus. Eſt ad idem alia ratio conſideratione digna. Cum enim, propter peccatum primi parentis, tota illius poſteritas morti ſit in pęnam addicta (dicente Deo) *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, non mediocris liberalitas, & gratia fit cum

Geneſ. 2.

filijs Adæ, ſi vel modico tempore vita concedatur illis. Quæ enim vita debetur malefactoribus, & reis crimine læſę maieſtatis? Nonne gratia magna fieret illis, ſi per menſem ſaltem, aut annum viuere permittantur? Vnde & Beatus Ambroſ. *De immaturitate mortis* (inquit) *non eſt ratio conquerendi, cum ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas, obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecerit diem. Eſſet enim quomodo ſecundum aliquẽ modũ immortalitatis dici homo poſſet ſi eſſet tẽpus intra quod mori omnino nõ poſſet: ſed nũquam corruptio ita incorruptionis eſt particeps, vt non ſemper obnoxium ſit defectioni, quod debetur occaſui. Vitæ huius principiũ, mortis exordiũ eſt, nec prius incipit augeri ætas noſtra, quàm minui. Cui ſi quid adijcitur ſpatij tẽporalis, non ad hoc accedit, vt maneat, ſed in hoc tranſit, vt pereat. Quod ergo ab initij ſui die mortale eſt, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec vmquam ei vicinius eſt poſſe viuere, quàm poſſe deficere.* Et *ſiue morbis, ſiue debilitatibus, ſiue vulneribus, non ſolum anni, aut menſes, vel dies ætatis humanæ, ſed & omnes horæ, omniaque*

Mortis immaturæ nõ eſt quærẽda ratio.

Ambr. lib. 2 de vocatione gentium cap. 8

momenta

*momenta ſubiecta ſunt.*

15 *Dum adhuc ordirer &c.* Præſens locus mortales homines admonet, ne telas aranearum texere audeant, & in incerto vitæ habeant cõfidentiam, multa, & varia in poſterum diſponentes, & mente tractantes, cum tamen ignorent, quid futura pariat dies. Incipiunt enim quã plurimi temerario auſu telas ordiri, quas poſtmodum perficere nequeũt: nam mors ex abrupto veniens omnes interrumpit cogitationes eorũ, & omnem ſenſum ad vitam longam intentum. Sic accidit auaro diuiti. Diſponens enim ſeruare in poſterum vberes fructus ex agro ſuo collectos, & intra ſe cogitans, atque dicens. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit. Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & maiora faciam. Et illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare:* tale inopinatè accepit reſponſum. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Ac ſi diceretur illi, ſtulte hac nocte præſcindetur tela vitæ tuæ, quomodo ergo perficere poteris, quæ mente pertractas. Hinc & per Pſalmiſtam dicitur. *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Mortis dies incertus, & quare.

Lucæ 12 c.

Pſ. 145. b

16 *Sperabam vſque ad mane, quaſi leo ſic cõtriuit omnia oſſa mea: De mane vſque ad veſperam finies me.* Explicat his verbis Ezechias, quam grauis fuerit, & periculoſa infirmitas eius. Et ſe ipſum comparat ægroto deſperato, qui ſibi vltra veſperam non pollicetur ſalutem; ſecumque cogitans, dicit: hoc veſpere moriar: & in veſpere ait, non videbo mane; ante lucem enim moriar, & hoc eſt quod dicit: *Sperabã vſque ad mane*, ſcilicet, terminum vitæ meæ, & tunc morbus validus, quo laboro, conteret omnia oſſa mea, & mori me faciet, nullamque mecum miſericordiam habebit, ſicut leo, qui parcere neſcit, ſed inuentam prædam conſumit. Hac eadem phraſi loquendi vſus eſt Iob, ad deſignandũ propriæ vitę periculum, cum dixit. *Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi mane me quæſieris non ſubſiſtam.* Ac ſi apertius diceret. *Domine ad adiuuandum me feſtina.* Domine ſuccurre mihi in puluere iacenti, ne differas vſque mane miſereri. Præualet enim infirmitas, & ſi vſque mane diſtuleris ſuccurrere, non inuenies me, vtpote iam doloribus conſumptum. Poſſunt etiam aliter hæc verba accipi, ita videlicet, vt deſignent deſiderium ſancti regis Ezechiæ, & ſpem videndi filium Dei carne mortali indutum, & legem prædicantem Euangelicam, quæ per mane deſignatur, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Vbi, vt notauit ſanctus Thomas, totum tempus præcedens Chriſti incarnationem comparatur nocti, quia vera lux illuminans omnem hominem venientem in hũc mundum, nondum erat manifeſtata, ſed ſub quadam caligine, & ſub vmbris, & figuris legis antiquæ repromiſſa; vnde & Apoſtolus ait. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum: quæ ſunt vmbra futurorum: corpus autem Chriſti.* Et iterum. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem,*

Iob 7. d

Pſ. 69. a

Lex gratię per mane deſignatur ſicut antiqua p noctem.

Rom. 13 a

S. Th. ibi lect. 3.

Coloſ. 2. c

Heb. 10 a

nem,



*nem rerum*: tempus autem ab incarnatione Chriſti comparatur diei, propter præſentiam ſpiritualis ſolis in mundo, de quo dicit Malachias. *Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ.* Sanctus ergò Ezechias ſe in nocte legis antiquæ mori conſiderans, antequam ex ſemine Dauid ortus eſſet Chriſtus Deus noſter, ait. *Sperabam vſque ad mane*, deſiderabam diem videre, & ortam lucem eliminantem tenebras mundi, & ecce in nocte morior, & quaſi à longe ſalutans, & aſpiciens, quod videre prope nõ eſt mihi conceſſum. Eiuſdem diei claritatem & ſplendorem deſiderauit videre ſanctus Patriarcha Abraham: de quo cum Iudæis loquens teſtimonium perhibuit Chriſtus. *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum; vidit & gauiſus eſt.* Non timuit, ſed exultauit, vt videret, credens vtique exultauit, ſperando exultauit, vt intelligendo videret diem meum, non ſolum diem illum, qui ortum neſcit, & occaſum non habet, in quo ab æterno de patre natus ſum ſine matre, ſed etiam temporalem diem, quo in carne mortali de matre natus ſum ſine patre. Vtrumque enim diem credidit, vtrumque per fidem exultans agnouit, vtrumque expectauit: ſed vnum ex illis facie ad faciem poſtmodum vidit, cum erutus per mortem Chriſti à poteſtate Principis tenebrarum, ad patriam claritatis ęternę euectus eſt; alterum verò videre non meruit niſi per fidem, ipſa veritate atteſtante. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Inter hos reges computatur Ezechias, qui mane aduentus Domini, & diẽ natiuitatis eius, quem fide cognouit, proprijs oculis videre non meruit, ſed cum lacrymis poſtulauit, vndę ſubditur.

Mala. 4

Diẽ Chriſti qualiter exultando viderit Abraham.

Ioan. 8. g

Ex Auguſt. tract. 43. in Ioan.

Lucæ 10 e

17 *Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor ut columba: Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.* Morbo grauiſſimo correptus confugit ad Deum precibus ardẽtiſſimis, quas comparat clamori hirundinis, aut columbæ, vt deſignet, prę debilitate ſe non poſſe Deũ alta voce inuocare, ſed ſubmiſſo cantu, & lacrymabili, ad ſimilitudinem pullorum hirundinis. Et quoniã morbus inualeſcebat, ita vt nullo poſſet humano auxilio alleuiari, oculos ſuos in cęlum dirigit, ſciens, quoniam *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* In quo patris ſui Dauid imitatus eſt fidem, qui in conſimilibus periculis oculos ſuos leuabat ad Dominum. ait enim. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram.* Et iterum. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum. Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ità oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Ecce, tacente lingua, oculi loquuntur, & miſericordiam à Deo petunt, & veniam impetrant. Propter quod Hieremias ait. *Non taceat pupilla oculi tui.* Nonne Chriſtus Dominus oculis ſuis reſpiciens Petrum, tacite increpauit peccatum illius? Sicut ergo oculi Domini Dei noſtri corda penetrãt ſeruorum ſuorũ, ita oculi noſtri in Deo fixi, atque pendentes ab eo, miſericordiam excitant illius.

Oratio Ezechiæ qua re confertur clamori hirundinis, & meditationi columbæ.

1. Reg. 2

Pſ. 120.

Pſ. 122.

Thren. 2 f

18 *Domine vim patior, reſponde*

*pro me*

*pro me: quid dicam, aut quid reſpondebit mihi cum ipſe fecerit?* Ecce breuem, & humilem Regis orationem. *Vim* (inquit) *patior* ab infirmitate mea, quæ ad vltimum vitæ me perducit, & nolentem mori compellit. *Vim patior* à peccatis meis, *reſponde pro me*, ſuſcipe tanquam aduocatus cauſam meam, vt pro me reſpondeas. Alij legunt, *ſponde pro me*, ſic habetur Hebr. & in biblia Complut. ac ſi dicat. Eſto fideiuſſor meus, ego tanquam ſeruus ingratus mortem promerui, nec habeo vnde ſoluam debitum, quod incurri, age vt pro me moriens me ipſum vitæ reſtituas, & ab imminente morte eripias. *Quid dicam*, ideſt, nihil habeo quod proponam ante illum, nec poſſum conqueri, quod me ad extremum vitæ perduxerit, quod ſi forſitan piam querelam velim contra illum adducere, & illum arguere, ipſe quid reſpondebit mihi? ac ſi dicat, nihil inuenio quod in fauorem ſit reſpondendum, *cum ipſe fecerit*, ideſt, plaſmauerit me, vnde tanquam Dominus abſolutus vitæ, & mortis, poterit abſque alicuius iniuria meipſum de medio tollere. Si autem iuxtà quoſdam codices legamus, *cum ipſe fecerim*, ſenſus eſt. Quid in defenſionem meã reſpondere poterit, cum ego ipſe cauſam dederim, propter quam tot calamitates incurri? Hanc lectionem & interpretationem ſequitur Bernardus, qui vim, quã à peccatis ſuis homo patitur, explicans, & quam ſine cauſa de Deo conqueratur, ait. *Interueniente peccato, patitur quandam vim & ipſe, ſed a voluntate, non à natura, vt nec ſic quidẽ ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum eſt, vt corpus, quod corrumpitur, aggrauet animã, ſed amore, non mole. Nam quod ſurgere anima per ſe iam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioſo amore langueſcens, amorem pariter iuſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo prauo, & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt neceſſitas, cũ voluntaria ſit, excuſare non valeat voluntatem, nec voluntas, cum ſi illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt fauorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiẽdo premens, vnde ſeſe rea voluntas, vbi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gemẽtis ſub onere neceſſitatis huius,* Domine *(inquit) vim patior reſponde pro me. Sed rurſus ſciens, quod non iuſte cauſaretur aduerſus* Dominũ, *cum volũtas ſua ipſius potius in cauſa foret, attende quid ſequutus intulerit. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim? Premebatur iugo, non alio tamen quam voluntariæ cuiuſdã ſeruitutis, & erat pro ſeruitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ ſe cum eſſet libera ſeruã facit peccati, peccato aſſentiendo; voluntas nihilhominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet voluntarie ſeruiendo.* Et paulo poſt. *Miſer ego homo, quis me liberabit à calumnia huius pudendæ ſeruitutis? miſer, ſed liber. Liber, quia homo: miſer, quia ſeruus. Liber, quia ſimilis Deo: miſer, quia contrarius* Deo. *O cuſtos hominum quare poſuiſti me contrariũ tibi? Poſuiſti enim, cũ non prohibuiſti. Alioquin ipſe me poſui, & factus ſũ mihimetipſi grauis. Iuſtiſſime quidem, vt hoſtis tuus, hoſtis ſit & meus: & qui tibi repugnat, repugnet mihi. Ego vero, qui tibi, ego qui mihimet contrarius factus ſum, atque in mẽbris meis inuenio, quod contradicat, & menti meæ, & legi tuæ. Quis me liberabit de manibus meis? non enim quod volo, hoc ago, ſed me nõ alio prohibente, & quod odi, illud facio, ſed me non alio compellente.* Et ſuper cãticum Ezechiæ iuxtà vtrãque lectionem eundem locum enarrãs, inquit, *Domine vim patior. Domine non ſponte, ſed inuitus retrahor, & arceor à tua cõtẽplatione, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Reſponde ergo tu ò conditor pro me, qui noſti naturæ conditionem. aut ſi peccata mea hoc faciunt, nec eſt culpa naturæ, ſed meæ peſsimæ conſuetudinis, etiam ſic nihilominus reſponde pro me, affigens peccata cruci, & ſanguine tuo delens, vt non ſit, quod me impediat contemplantem. *Nam quid dicam, aut quid reſpõdebit mihi cum ipſe fecerit?* ad quem me videlicet alium vertam, aut quis alius reſpondebit pro me, cum ipſe, non alius hanc mihi difficultatẽ, immo impoſſibilitatem impoſuerit, dando ſuper me illam ſententiã: in ſudore vultus tui comedes panẽ tuum? Quod ſi non fecerit legitur, ſed, fecerim, arguit ſe, quod quaſi culpam in auctorem retorſerit, cum de natura cauſatus eſt: totum ſibi imputat, & ſuis peccatis, dicens: *quid dicã, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim?* hoc eſt, id quod patior, peccando meruerim. Quamobrem vnum eſt, quod facere poſſum. hæc Bern.

Chriſtus fideiuſſor eſt, qui nos à morte eripit, & pro nobis reſpondet.

Bern. ſer. 81. in cãtica, poſt medium.

Sap. 9. d

Iob 7. d

Bern. ſer. de cantico, Ezech. poſt medium.

Sap. 9. d





19 *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Non ſum dignus, vt valeam te recogitare cum dulcedine, faciam quod poſſum, cogitabo me ipſum in amaritudine animæ meæ. Lucem habitas inacceſſibilem, nequeo diu infirmam mentis aciem radio tui fulgoris infigere, & ob hoc confuſus redeo ad conſuetas, & familiares mihi tenebras vitæ meæ priſtinæ: non quidem in eis iterum iacendo cum mortifera delectatione, ſed puniẽdo eas, & recogitando in amaritudine animæ meæ. Oportebat quidem, ſi fieri poſſet, reuiuere me (vt ita loquar) denuo quod male vixi: ſed quia hoc non poſſum, ſaltem *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, faciam recogitando, quod reoperando non poſſum. Recogitabo autem tibi, quia tibi ſoli peccaui, vt in quo ego me condemno, tu iuſtificeris, & vincas miſericordia, cum de me iudicabis.] Hinc collige, quanta ſit vis, & efficacia pœnitentiæ, quanta pietas & miſericordia diuina, quæ omnia peccata noſtra condonat, cum primum à nobis in amaritudine animæ recogitantur. Et quoniã ad amplificationẽ huius à plura loca ſcripturæ ſacræ & ſanctorum Patrum adduxi cap. 1. num. 44. & ſequentibus vſque ad num 54. in præſenti vnum tantum referam, quẽ elegantiſsime ſanctus expendit Auguſtinus. Titulus Pſalmi 44. inſcribitur, *In finem, pro ijs, qui commutabũtur filijs Chore ad intellectum, Canticum pro dilecto.* Pſalmus vero ſic incipit. *Eructauit cor meum verbum bonum.* In quibus verbis tangit Propheta admirabilem pœnitentiã, & orationem, qua tres filij Chore, videlicet, Aſſer, Elchanam, Abiaſaph, quorum fit mentio Exodi 6. cõuerſi ſunt ad Dominum, in corde ſuo, clamantes, & Dei miſericordiam implorantes. Ad cuius euidentiam,

Bern. vbi ſupra.

Pœnitẽtiæ efficacia.

Pſa. 44.

Abulenſ. ſup. cap. 6. Exod. verſus finem.

conſiderandum eſt, quod, vt notauit Abulenſis ſuper caput 6. Exodi. Iſti tres non conſenſerunt ſeditioni patris ſui, contra Moyſen, cuius fit mentio Exodi 16. Vnde cum abſorberetur à terra pater, cum ipſo tabernaculo, manſerunt filij pendentes in aere, donec ingens illa terræ vorago quę diſſiluerat, in ſe recluſa eſt. Huius miraculi fit mentio Numerorum 26.

*Num. 26.*

*Iſti ſunt* Dathan, *& Abiron Principes populi, qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione* Chore, *quando aduerſus* Dominum *debellauerunt, & aperiens terra os ſuum deuorauit Chore, morientibus plurimis, quando combuſit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum eſt grande miraculum, vt Chore pereunte filÿ illius non perirent.* Cum ergo filij Chore eſſent in tabernaculo cum patre ſuo, & viderent terram inhiantem, vt deglutiret patrem ſuum, ſubita mutatione cōuerſi ſunt ad Dominum, & cum adhuc non poſſent verbis corporalibus, quæ ad ſui prolationem temporis moram requirūt, orare Dominum, corde loquuti ſunt illi, miſericordiam poſtulantes, quibus Dominus cōceſsit quod penduli manerent in aere, donec terra in ſe recluſa ſuſtentaret illos. In huius beneficij memoriã decantauerunt Pſalmum.

*Pſa. 44.*

*Eructauit cor meum verbum bonum*, quia dum corde loquerentur, exauditi ſunt, antequam verbum ore proferrent. Ideo inſcribitur Pſalmus ille *in finem pro his qui commutabuntur filÿs Chore in intellectu, cãticum pro dilecto*. Commutati enim ſunt, & conuerſi ad Dominum, & orauerunt in intellectu, quibus illud congruit dictum Pſalmiſtæ.

*Pſ. 26. c*

*Tibi dixit cor meũ, exquiſiuit te facies mea.*

*Iſa. 65. d*

Et illud, *Et erit, antequã clament, ego exaudiã:* Tale quid accidit peccatoribus, dum corde recogitant omnes annos ſuos in amaritudine animæ, quoniam (vt obſeruauimus ſupra) antequam ore confiteantur quæ cōmiſerunt peccata, cordis clamore veniam conſequuntur eorum.

Pœnitētibus in corde verè antequã ore clamēt dimittitur culpa.

Vnde & Auguſtinus ait.

Aug. ſup. Pſa. 44. col. 1. tom. 8.

*Vnusquiſque noſtrum fratres ex vetere homine in nouum mutatur, ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, caſtus ex adultero, beneficus ex malefico. Ergo cantetur nobis pro ÿs, qui commutabuntur, & ſic incipiat deſcribi, per quem commutati ſunt.* Canamus ergo canticum *in finem*, ideſt, in Chriſtum, qui *finis legis eſt in ſalutē omni credenti*,

*Rom. 1. b*

qui *cũ dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*,

*Ioan. 13*

agnoſcamus dilectum, cuius meritis delentur peccata noſtra, cuius ſanguine dealbati ſumus; ſed agnoſcamus in intellectu: *nam*, vt Auguſtinus ait,

Aug. vbi ſupra.

*dilectus ille viſus eſt à perſequutoribus ſuis, ſed non in intellectu. Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ad hunc intellectum oculos alios quærebat ipſe, cũ diceret, Qui me videt, videt & patrē.*

*Ioan. 14*

Hunc dilectum agnouit ſanctus Ezechias, qui etiam cecinit canticũ laudis, non in ſeipſum, ſed in ſolum Deũ acceptum referens beneficium, & ſæpe recogitans peccata, propter quæ in extremam illam incidit infirmitatem. Aliter poſſunt illa verba, *recogitabo tibi omnes annos meos*, interpretari, ita vt ſenſus ſit. Recogitabo omnes annos regni mei, & omnia proſpera, quæ in illis acciderunt mihi, & ea conferam cum amaritudine quam patior, quæ talis eſt, ac tanta, vt in comparatione illius pro nihilo habeam omnem fœlicitatem regni mei præteritam; nam moriens video præſcindi lineã, ex qua naſciturus eſt Saluator mundi. Ex quo

patet



hanc fuiſſe potiſsimam cauſam, propter quam pius rex mortem refugiebat. Quidam interpretes, pro *recogitabo tibi omnes annos meos*, vertunt. *Mouebo recogitans omnes annos meos*, & verbum *mouebo* agitationem capitis ſignificat, ſicut quando quis à magno periculo liberatus caput mouere ſolet, ac ſi dicat. Recolens acceptum beneficium, annos vitæ mihi conceſſos iugiter admirabor, & adhibebo operam ne infructuoſi tranſeant, ſicut elapſi ſunt anni, quos in amaritudine animæ recogito.

20 *Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me.* Ideſt, ſi talis eſt hominis conditio, ſi ad hoc natus eſt, vt patiatur qualia in me ipſo expertus ſum, ſi vita quam viuimus in talibus verſatur miſerijs, ecce me, paratus ſum quæ volueris ſuſtinere. *corripies me*, ideſt, corripe me, ſicut volueris; ſed tamen *viuificabis me*, ideſt, viuifica me. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, ideſt in media pace, & tranquillitate populo meo reddita amariſsimam mortem patior: vel, *in pace*, ideſt, in florentiſsima ætate triginta nouem annorum, quæ omnibus gratiſsima eſſe conſueuit, limina mortis introeo. Vel, *in pace*, ideſt, inopinata morte rapior, quando pacifice vitam poſsidere videbar. *In pace*, ideſt, in magno illo gaudio propter partam diuinitus victoriam contra Regem Sennacherib, ecce acerba, & mortalis ægritudo. Hinc monemur, nihil ſtabile, ac firmum eſſe in hac vita, ſi gaudemus in proſperis, ſi optata fruimur pace, ſi bonis temporalibus abundamus, inopinata ſuccedit aduerſitas, quæ velut latro noſtram furatur quietem. Cum igitur tranquillo rerum ſtatu perfruimur, aduerſum recogitare oportet. Vnde & ſapiens tale nobis præbet conſilium. *In die bonorum ne in memor ſis malorum.*

*Eccli. 11 c*

21 *Amaritudo mea amariſſima.* Vocat ſanctus Rex mortem ſuam imminentem amaritudinem amariſsimam, vt ſciamus quod quanto ſtatus vitæ eſt fœlicior, eo mors ſit amarior:

Mors eo amarior quo vita fœlicior fuerit.

dicit enim Sapiens. *O mors quã amara eſt memoria tua homini pacē habenti in ſubſtantÿs ſuis: viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili, qui perdit patientiam.*

*Eccli. 41 a*

Eadem mors, quæ bona eſt, & ſuauis homini pauperi, & indigenti, qui multas dum viuit patitur ærumnas, eadem amara eſt diuiti, qui bona vtitur valetudine. Quod ſi omnibus diuitibus amara eſt non ſolũ mors, ſed & mortis memoria, quanto magis potentiſsimo principi, qui omnibus affluit oblectamentis? Erit vtiq; non ſolum amara, ſed & *amaritudo amariſſima*.

Principis mors, quã tremenda.

Vnde & Origenes ait.

Orig li. de comparatione regis & monachi to. 5.

*Mors regi terribilis eſt, eadem philoſopho minime moleſta. Eum enim qui diuitias, voluptatem, delitias (quorum gratia vitam agitare multi concupiſcunt) deſpicit, neceſſe eſt migrationem ab hoc orbe ægre ferre.* Et vt deſignaret quam amara ſit, & tremenda mors principis, eam ſpecialiter propheta regius tribuit Deo; cum tamen omnium vitam, cum ſibi placet, præſcindat ipſe. Ait enim: *Terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum, terribili apud Reges terræ.*

*Pſ. 75. b*

Specialiter autem deplorandæ ſunt ab omnibus ſubditis, & velut amariſsimæ reputandæ

T mortes

mortes immaturæ Chriſtianorum Principum, qui viuentes, non tam ſui regni dilatationi, quàm propagationi fidei, & religionis Chriſtianæ ſunt intenti: Vnde & B. Ambroſius mortem Theodoſij Imperatoris deplorans. *Dilexi*, inquit, *virum, qui cum iam corpore ſolueretur, magis de ſtatu Eccleſiarũ quam de ſuis periculis angebatur. Conteror corde, quia ereptus eſt vir, quem vix poſſumus inuenire. Sed tamen tu ſolus Dominus inuocandus es, tu rogandus, vt eum in filijs repræſentes*, ideſt, vt tales filios ſucceſſores habeat Imperij, qualis ipſe extitit Imperator. Et de obitu Valentiniani loquens. *Mors*, inquit, *Valentiniano obeſſe non potuit, eo quod odor prædicationis vniuerſorum ore celebrabilis fœtorem omnem mortis aboleuit. Flet igitur Eccleſia pignus ſuum, & lacrymæ eius in maxillis eius. Iſtæ ſunt genæ, in quibus ſolet nitere verecundia, pulchritudo fulgere, in quibus aut flos iuuentæ, aut perfectæ ætatis inſigne eſt. In obitu ergo fidelium Imperatorum, quidam fidei pudor, quædam Eccleſiæ verecundia eſt, & in tam immatura morte piorũ principum omnis Eccleſiæ mœſtior pulchritudo eſt. Plorat Eccleſia in ſapientibus ſuis, qui velut caput Eccleſiæ ſunt; oculi enim ſapientis in capite eius: plorat in oculis, hoc eſt, in ſuis fidelibus, quia ſcriptũ eſt: oculi tui ſicut columbæ, extrà taciturnitatem tuam, eo quod & videant ſpiritualiter, & nouerint tacere myſteria: plorat in ſacerdotibus ſuis, qui ſunt ſicut genæ* Eccleſiæ, *in quibus eſt barba Aaron, ideſt, barba ſacerdotalis, in quam de capite deſcendit vnguentũ: Iſti ſunt, in quibus eſt pulchritudo Eccleſiæ, in quibus flos eius gratior, in quibus ætas perfectior.*

Ambr. in oratione de exitu Theodoſij tom. 3.

Ambroſ. tom. 5.

Thren. 1

Cant. 4. a

22 *Tu autem eruiſti animam meam, vt non periret: proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.* In Dei miſericordiam refert acceptum beneficium, ac ſi dicat. Ego peccatis meis debitum mortis incurri: ſed tu miſericorditer me ipſum à morte liberaſti. quod tam de tẽporali morte, quàm ſpirituali poteſt intelligi: Agnoſcit enim Chriſtum Redemptorem ſuum, & ſub beneficio ſanitatis corporalis ſibi conceſſę, ſalutẽ ſpiritualẽ, quã peccatores per Chriſtum obtinẽt, obũbrat. Ego peccaui, ſed tu obliuioni tradidiſti omnia peccata mea. Abſtuliſti à me omnia delicta mea, & proieciſti poſt tergum tuum, vt pro illis ſatisfaceres. Ideo vnigenitus filius Dei flagellatus eſt; ideo ſuper humeros ſuos crucem portauit, quoniã poſt tergũ ſuum proiecit omnia peccata noſtra. Quæ nõ rapuit, exſoluit, quia tanquam fideiuſſor debitum noſtrum ſuper ſeipſum ſuſcepit: de quo plura diximus ſuperius. Ideo mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, importabilẽ ſarcinã ſuorum peccatorũ volens deponere, cũ lacrymis ad Ieſum veniens acceſſit retro, ſciens quoniã poſt tergũ ſuũ ſuſceperat omniũ peccata: ibi depoſuit onus, quo premebatur, ibi veniã ſuorũ peccatorum obtinuit. *Proieciſti poſt tergũ.* Culpa cœpit in Oriente, vbi primus parens cõditus eſt; vbi contra præceptum Domini comedens de ligno vitæ totum peremit genus humanum. Et vt omnes agnoſcerent, Chriſtũ Redemptorem noſtrum poſt tergũ ſuum proieciſſe omnia peccata mũdi, & debita, quæ purus homo non poterat ſoluere, ſuper ſeipſum ſuſcepiſſe, eleuatus in cruce mortuus eſt, Orientẽ à tergo habens, vt ipſa diſpoſitione corporis oſtenderet, ſe eſſe agnum Dei, qui tollit peccata mundi.

Chriſtus poſt tergũ ſuũ portat peccata noſtra.

Sup. cap. 6. nu 22. ca. 9 num. 41

Maria Magdalena ſtetit retro, & quare.

23 Quia



23 *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in lacum veritatem tuam.* Chald. vbi nos legimus, *infernus*, habetur, *qui habitant in inferno*, ideſt in ſepulchro. Alludit ad illud, quod dicit Pſalmiſta. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum; ſed nos qui viuimus benedicimus Domino: ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.* Et alibi. *Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Quoniam nõ eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autẽ quis confitebitur tibi?* Factus eſt homo ad imaginẽ & ſimilitudinem Dei, vt opera eius agnoſceret, & laudes decantaret illius: Sicut ſcriptum eſt. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui eum.* Ideo ergo inquit *eruiſti animam meam; vt nõ periret*, ideo *remiſiſti omnia peccata mea*, vt viuẽs enarrẽ omnia mirabilia tua; viuens corpore, viuẽs & ſpiritu: vt te laudẽ viuens corpore, eruiſti animam meam de morte; ſed vt laudem viuens ſpiritu, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Dixerat ſupra. *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*: ſed nunc ait. *Eruiſti animam meam, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, ac ſi diceret. Vt te viuens laudarem, ab inferis liberaſti me. *Confeſſus eſt in inferno ille diues* (ait Aug.) *de quo Dominus dicit, quia Lazarum vidit in requie, ſe autem in tormentis, dolebat. Vſque adeo confeſſus, vt etiam moneri ſuos vellet, vt ſe à peccatis cohiberent, propter pœnas, quæ apud inferos eſſe non credũtur. Quamuis ergo fruſtra, confeſſus eſt tamen, ſibi merito illa accidiſſe tormenta, quando etiam ſuos, ne in hac inciderent, doceri cupiebat. Quid ergo eſt, quod dicitur: quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te?* Et reſpondet ſtatim, *quod per infernum, & mortem intelligit peccatum, quod contempta diuina lege committitur; in qua morte, hoc eſt eſſe immemorem Dei, legem eius, & præcepta contemnere. Vt infernum dixerit cæcitatem animi, quæ peccantem, ideſt morientem excipit, & inuoluit. Sicut non probauerunt (inquit) habere Deum in notitia, dedit illos Deus in reprobum ſenſum. Ab iſta morte, & ab iſto inferno tutam ſe præberi anima deprecatur, dum molitur confeſſionem ad Deum.* Expendantur cum S. Bernardo illa tria nomina, quibus ad maiorem amplificationem eundem ſtatum peccatoris explicuit, videlicet, *mors, infernus*, & *lacus*: *mors ſiquidem eſt iacenti in peccatis ante conuerſionem: infernus ſuccumbenti tentationibus poſt acceptam remiſſionem: locus vero deſperanti poſt expertam contemplationẽ. Nam quanto quis ad altiora profecerit, tanto grauius, ſi corruerit, colliditur, quando ruit. Non itaque infernus confitebitur tibi, hoc eſt, qui iam quidem ſunt conuerſi, ſed tentationibus ſuperãtur. Neque mors laudabit te. hi vtique, qui necdum conuerſi ſunt, aut confeſſi, lætantur potius cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. A mortuo quippe, quaſi qui non ſit, perit confeſſio. Nec expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam: quos de faſtigio diuinæ contemplationis in lacum propria diffidentiæ forte deuolui contigerit: quod proculdubio fit, cum minima quis triſtitia poſt acceptam tantam lætitiam abſorbetur.* Poteſt etiam per veritatem, Chriſtus in lege promiſſus intelligi, quem

Pſ. 113. d

Pſal. 6. a

Ad laudes Dei cõcinendas factus eſt homo.

Iſa. 43. b

Aug. ſuper pſal. 6.

Lucæ 16.

Diuitis auari cõfeſſio in inferno.

Rom. 1.

Bern. ſuper cãt. Ezech.

non inferi, ſed illi, qui viuunt, expectauerunt.

24 *Viuens viuens confitebitur tibi, ſicut & ego hodie, pater filijs notam faciet voluntatem tuam.* Non otioſa eſt repetitio, ſed profunda conſideratione digna. Bis repetit, *viuens*, quoniam viuens corpore, & ſpiritu, condignas Deo laudes concinit. Vnde & Bernardus ait. *Eſt qui viuens carne, mortuus eſt ſpiritu, & eſt qui mortuus eſt carne, nihilominus mortuus eſt ſpiritu: ſed horum neuter laudabit te, aut confitebitur tibi. Qui videlicet non tantum carne, ſed & ſpiritu viuit, ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie hac me duplici vita tuo munere viuere confido. Sequitur: Pater filijs notam faciet veritatem tuam. Non reuelatur ſeruo veritas, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandum veritatem, qui propriam quærit vtilitatem. Filio autem pater notam faciet veritatem ſuam, quę audit dicentem: Veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu pater. Reuelatur itaq; ſeruo Dei poteſtas, mercenario fœlicitas, filio veritas.* Igitur pius pater nō ſolum in perſona propria, ſed etiam in filijs ſuis Deum laudare deſiderat, & mirabilia eius cognoſcere, & ad hoc alios inducere conatur, ſicut dicit Propheta. *Quanta mādauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij, qui naſcentur, & exſurgent, & narrabunt filijs ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Vnde & ſubditur.

Laudant Deum viui non mortui.

Bern. ſup canticum Ezechiæ col. vlt.

Mat. 26 d

Pſ. 77. a

25 *Domine ſaluum me fac: Et pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.* Ecce finem, propter quem vir ſanctus vitam corporalem deſiderat: Non enim eam appetit, vt mercenarius, propter commodum, ſed vt filius, propter honorem patris. *Domine ſaluum (inquit) me fac. *Quare? ne ardeat in inferno. forte ne fraudetur præmio? non, inquit, ſed pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. Non, inquit, quæro ſalutem, vt pœnas vitem, aut in cœlo regnem: ſed vt te in æternum cum illis laudem, de quibus ſcriptum eſt. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Seruus dicit: Vadam ad portas inferi. Mercenarius: Non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Filius, Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. Cui ſimile eſt illud. Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor Domino. Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deū cupit videre propter quietem ſui, vterque profecto quærit quæ ſua ſunt. Porro qui Pſalmos cantare deſiderat in domo Domini, non ſua vel pericula fugit, vel lucra appetit, ſed illum proculdubio diligit, quem laudare geſtit cunctis diebus vitæ ſuæ.* Idque in domo Domini, quoniam etſi Deo ſint laudes acceptæ, illæ tamen gratiores ſunt ei, & magis gratæ, quæ alternatim decantantur in templo, ad ſimilitudinem Seraphin, qui clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. De quo plura diximus cap. 6. num. 18.

Vitā deſiderāt iuſti vt Deū laudent, & illi ſeruiāt.

*Bern. vbi ſupra.

Pſ. 83. a

Pſ. 117. e

Laudes in Choro decātatæ ſūt gratæ Deo

26 *Et iuſſit Iſaias vt tollerent maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur.* Tradunt expoſitores, cataplaſma illud cōtrarium fuiſſe apoſtemati Ezechiæ, cui



quæcumque dulcia ſiue in cibo ſumpta, ſiue corpori exterius appoſita, nociua creduntur. Voluit autem Dominus hoc remedium Regi adhiberi, vt omnes cognoſcerent, non aliunde, quam ex ſola Dei gratia, ſalutē fuiſſe illi reſtitutam; ideo ſignum contrarium promiſſioni exhibet, vt in illo virtus agnoſcatur diuina. Sicut enim cœleſtis arcus in nubibus poſitus ſignum fuit, quo Deus ſignificauit, nunquam deinceps futurum eſſe diluuium inundans terram; cum tamen rem omnino contrariam præſignare videatur; nam tunc apparet, cum denſiſsimi imbres imminent: ita in præſenti, per remedium, quod morbo Regis non conſentiebat, ſignificatur, Deum ſua omnipotenti virtute, ad vitam Ezechiam reuocaſſe. Hinc eſt quod antiquitus per ſalem ſanata eſt ſterilitas aquæ, cum tamen ſal ad ſterilitatem cauſandam medium ſit efficaciſsimum. *Venerunt filij Iſrael in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ, vnde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, ideſt amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moyſen, dicens: quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Vbi per lignum, quod natura ſua erat amarum, amaritudinem aquarum abſtulit; & eas dulces effecit. Denique hominem cæcum à natiuitate, mirabili & inuſitato remedio curauit Chriſtus Dominus. *Exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: vade, laua in natatoria Siloe, (quod interpretatur miſſus). Abijt ergo & lauit, & venit videns.* In quibus obumbratur, placuiſſe Deo, per lignum Crucis, & per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, eo quod non cognouit mundus per ſapientiā Deum. Vnde Auguſtinus ait. *Quid dulcius, quid ſuauius vel cogitari vel dici poteſt, quam ſanctæ Crucis myſterium, per quam non ſolum ab inferis reuocari, ſed etiam in cœlos eleuari meruimus? quia ſine vlla dubitatione, vbi caput noſtrum Chriſtū aſcendiſſe credimus, membra illius ſequutura eſſe confidimus. Ligni crucis etiam vmbra vel figuræ in veteri quoque teſtamento plurimum valuerunt. Nullum Moyſes ſignum ſine ligni ſacramento peregit. Vt enim ſigna, & prodigia in Aegypto faceret, virgam accepit à Domino, & ad ſigna quæque diuinitus audiebat, & dicebatur ei: Eleua virgam tuam. non vtique Deus virgæ auxilio indigebat, ſed erigebatur, vt ſcire poſſimus quantum eſſet illud futuri ligni myſterium, cuius fuerat vmbra figuratum virgæ illius ſacramentū. Forte ſi rubrū mare diuidendum eſt, iubetur Moyſes eleuare virgam, & mare cognoſcens venturi ligni figuram, mox iter populo pandit inſuetum. Si ad aquam Mara amaram venitur, niſi lignum in ſe ſuſceperit, non dulceſcit. Quæ res erat in indicio, amaritudinem gentium per lignum crucis in vſum dulcedinis quandoque eſſe vertendam. Si autem non habet aquam populus vnde bibat, petra ligno percutitur, & dat per gratiam quod non habuerat per naturam. Si Amalech ſæuus hoſtis occurrit, Ieſus filius Naue virgam tenere manu iubetur, & Moyſes brachia ſua in modum crucis extendere, ac ſic per figuram crucis vincitur inſuperabilis inimicus. Sed nec Eliſæus ligni huius myſtici virtutem penitus ignorauit, qui ſecurim de manubrio in gur-*

Infirmitates ſanat Deus remedijs contrarijs, vt virtus eius magis ſplē deat.

Gen. 9. b

4. Reg. 2 d

Exod. 15 d

Crucis lignū amara in dulcedinem vertit

Ioa. 9. a

Aug. ſerm. 101 de tēpore to. 10.

Crucis ſigno etiam olim mirabilia fecerūt ſancti.

Exod. 4.

Exod. 14

Exo. 15.

Exo. 17.

Ibid.

4. Reg. 6

*gitem lapſum miſſo in flumine ligno de profundo euocauit, ſignificans vtique dura corda & ferreas hominum ceruices de profundo emerſas errore, ligno crucis eſſe in poſterum ſubiugandas.*

27 *Et dixit Ezechias. Quod erit ſignum quia aſcendam in domũ Domini?* Quibuſdam videtur verba hæc Ezechiæ non eſſe poſita ſuo loco, ſed pertinere ad ea quæ ſupra dicta ſunt: *Ecce ego adijciam ſuper annos tuos quindecim, &c.* & tunc interrogaſſe de ſigno, quo certificaretur de repromiſſa ſanitate. Et ita colligitur aperte ex lib. 4. Reg. vbi primo allata eſt maſſa ficorum, & impoſita ſuper vlcus Regis. Deinde petitio ſigni Ezechiæ refertur, & datur ſignum linearum ſuperius explicatum. Nec tamen propterea reprehenſione dignus putandus eſt Ezechias, aut incredulus, eo quod ſignum ſuæ libertatis petijt; quoniam non ex infidelitate, ſed ex animi gaudio, & hilaritate ſpiritus proceſsit talis petitio, atque ex zelo gloriæ diuinæ; ſciebat enim pius Rex, Achaz prædeceſſorem ſuum iure fuiſſe reprehẽſum, eo quod contra mandatum Domini ſignum repromiſſæ victoriæ à Deo petere noluit. Obſeruandum eſt autem quod cũ tria per Prophetam fuiſſent ſancto Regi promiſſa, videlicet ſalus corporalis, adiectio quindecim annorum ad periodum vitæ ſuæ, & liberatio à Rege Aſſyriorum, non ſuæ ſalutis ſignum petit, non liberationis à prædicto Rege, ſed quo dignoſcat ſe aſcenſurum eſſe in domum Domini; vt ſciamus, non ad alium finem, ſed ad Dei cultum augendum, & ad laudes eius decantandum vitam optaſſe. Ex quibus collige, in magno pretio ſemper habitas fuiſſe diuinas laudes quæ in templo, vbi omnes conueniunt, decantantur. Nec debent veluti ocioſi reputari, vel inutiles in Eccleſia, qui huiuſmodi miniſterio ſunt addicti, ſed potius tanquam fœlices & beati. Scriptum eſt enim. *Beati qui habitant in domo tua Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Vbi Auguſtinus ait. *Hoc erit totum negotium noſtrum, ſine defectu, Alleluia cantare. Si tanta alacritate, in ipſa preſſura & fragilitate carnis, laudamus quod credimus, quomodo laudabimus quod videbimus? Securi ergo ſimus fratres, non nos ſatiabit, niſi laus Dei; ſi deficias ab amore, deficies à laude: ſi autem amor ſempiternus erit; quia illa inſatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non poſſis ſemper laudare, quem ſemper poteris amare.*

*4. Reg. 20.b*

Signũ laudabiliter petijt à Domino Ezechias.

Laudibus deputati diuinis fœlices ſunt reputandi.

*Pſal. 83.*

Aug. ſuper eundẽ pſal. to. 8.





# CAPVT XXXIX.

1. IN tempore illo miſit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotaſſet, & conualuiſſet. 2. Lætatus eſt
autem ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius.
3. Non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias in domo
ſua, & in omni poteſtate ſua. 4. Introiuit autem Iſaias propheta
ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri iſti, & vndè
venerunt ad te? 5. Et dixit Ezechias: De terra longinqua vene-
runt ad me, de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua?
Et dixit Ezechias: Omnia, quæ in domo mea ſunt, viderunt: non
fuit res, quam non oſtenderim eis in theſauris meis. 6. 7. Et di-
xit Iſaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. Ecce
dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, & quæ
theſaurizauerunt patres tui vſque ad diem hanc, in Babylonem.
8. Non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Et de filijs tuis,
qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in
palatio regis Babylonis. 9. Et dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonum
verbum Domini quod locutus eſt. Et dixit: Fiat tantum pax, &
veritas in diebus meis.

## SVMMA CAPITIS.

P*OSTQVAM Ezechias conualuit ab infirmitate ſua, & notum factum eſt miraculum illud grande, quod in ſignum futuræ ſanitatis datum eſt à Domino: miſit Rex Babylonis nūcios, vt congratularentur illi de obtento beneficio, quod in hoc capite narrat Propheta. Et in primis nomen exprimit Regis Babylonis, qui literas & munera miſit ad Ezechiam; de quo in principio capitis.*

*Secundo, explicat, quàm grate eos exceperit Ezechias, & quomodo oſtenderit illis omnes theſauros ſuos. Verſiculo.* Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias.

*Tertio, denunciat Propheta pœnam, quam pro oſtentatione illa promeruit, dum quærens propriam excellentiam & gloriam, nuncijs Regis Babylonis oſtendit omnia quæ habebat in domo ſua: & vt Ezechias ſui agnoſceret leuitatem animi, ad illum ingreditur Iſaias, & prudenter inquirit ab eo, quid dixerint ei nuncij, & vnde venerint. Agit de hoc, ab illo verſiculo.* Introiuit autem Iſaias Propheta.

*Quarto, reſponſio ſubiungitur Ezechiæ, qua humiliter iuſtam Domini acceptauit ſententiam, verſiculo.* Et dixit Ezechias.

## COMMENTARIVM.

1 I*N tempore illo, miſit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam.* Totum caput continet hiſtoriā, quæ refertur in libr. Reg. Nec debet otioſa videri repetitio: quoniam (vt ſupra obſeruaui,) quotieſcunque prophetæ aliquā enarrrant hiſtoriam, aut ab alijs enarratam, commemorant, myſterium aliquod ſub illa deſignant. Hæc autem hiſtoria nos admonet, quanto periculoſior ſit aduerſitate prpſperitas. Nā Ezechias, in aduerſis perſeuerauit iuſtus, & à potentiſsimo Rege Aſſyriorum ſuperari non potuit; in proſperitate autem à vento ambitionis, & vanæ gloriæ victus eſt. Idipſum accidit Oziæ. Nam cum omnia proſpere cederent illi, cor eius eleuatum eſt in interitū. Ait enim Scriptura. *Egreſſum eſt nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, & corroboraſſet illum. Sed cum roboratus eſſet eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum; & neglexit* Dominum Deum *ſuum, ingreſſuſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis.* Dauid quoque, cū in Hieruſalem eſſet pacificus, adulter factus eſt, & homicida, & in ſuperbiā elatus, vana curioſitate numerauit populū Iſrael. Propter quod *ab altitudine diei* timendum, hoc eſt à proſperitatibus huius ſeculi, nos docuit.

*4. Reg. 20.*

Sup. in præfat. nu. 14. tom. 1.

*Proſperitas timenda.*

*2. Paral. 26. C.*

*Pſ. 55.*

Quod



Quod vero attinet ad literam, iſte Merodac, (vt arbitrantur Hebræi,) pater fuit Nabuchodonoſor: libros ergo ad Ezechiā miſit cum muneribus, eodem anno quo ab infirmitate ſua liberatus fuit. Vnde & ſubditur. *Audierat enim quod ægrotaſſet, & conualuiſſet.* In hac autem legatione, Rex Babylonis congratulatus eſt propter bonam valetudinē Ezechiæ, & inquirere voluit de portēto, quod in infirmitate illius acciderat. Cum enim Chaldæi peritiſsimi eſsēt aſtronomi, & ſolis curſum commutatum vidiſſent, &, fama per omnes volitante, audiſſent, hoc fuiſſe factum propter Ezechiam, qui ægrotauerat, in ſignum ſanitatis recuperandæ, voluit Rex Babylonis, per ipſum Ezechiā, de hoc miraculo certior fieri. Conſtat hoc ex lib. 2. Paralip. Vbi dicitur de Ezechia. *In legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portēto, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius.* Miſit ego Rex Babylonis. *libros*, ideſt Epiſtolas, ſicut vertunt Septuaginta, ſic etiā habetur Chald. Miſit etiam munera quamplurima, quibus tentatus eſt Ezechias. Diſce ex hoc loco, dona ſpiritualium inimicorum merito eſſe ſuſpecta. Quem enim Babylonij armis non potuerūt ſuperare, muneribus poſtmodum vicerunt: vt hinc omnes agnoſcant, non ſolum mundum perſequentem, ſed multo magis blandientem eſſe timendum.

*2. Paralip. 32.*

2 *Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris ſuis. Non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.* Cum debuiſſet Ezechias in hac legatione de gloria Dei, & non propria lætari, & ad exaltationem nominis eius enarrare mirabilia, quæ Deus Iſrael fecerat cum illo, & legatos hortari, vt illum agnoſcerent, & adorarent: his omnibus prætermiſſis, atque damnabili obliuioni traditis, gloriæ propriæ totus incumbit. Et vt magis magnificaretur à Legatis, omnes theſauros manifeſtauit illis, non ſolum qui in palatio ſuo, ſed etiam qui in templo erant reconditi. *Non fuit verbum*, ideſt, nulla fuit res, quā non oſtenderet illis. Hæc fuit retributio, quam pro acceptis beneficijs Deo reddidit. Recalcitrauit enim contra benefactorem ſuum. Vnde, & in lib. Paralip. dicitur. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & orauit Dominum: exaudiuitque eum, & dedit ei ſignum. Sed non iuxtà beneficia quæ acceperat retribuit, quia eleuatum eſt cor eius: & facta eſt contra eum ira, & contra Iudam, & Hieruſalem.* Vide qualiter vanus appetitus propriæ excellentiæ, & ambitio deteſtanda etiam ſanctos principes inuadat, & pium Regem, qui ad Dei laudes decantandas vitam optabat, breui delectatione dementet. Nullum fere inuenies, quem vanæ gloriæ non tangat cupiditas. Angelos infecit in cœlo, & poſtmodum paruos, & magnos, nobiles, & ignobiles inuadit in terra. *Fabulæ*, teſte Hieronymo, *ferunt de quodam, quod cum vulgo eſſet ignotus, & nihil boni poſſet facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianæ incendiſſe templum, & nullo prodente ſacrilegium, fertur ipſe in medium proceſſiſſe clamitans ſeſe incendium ſubieciſſe. Sciſcitantibus*

*Ibid. f*

Ambitio & propriæ excellētiæ appetitus etiam ſanctos inuadit.

Hier. lib. aduerſus Heluidiū de ꝑpetua virginitate B. Mariæ tom. 2.

Epheſi

Dianæ tẽplũ quidã ſuccendit, vt memorabilis fieret.

*Epheſi principibus, quam ob cauſam hoc facere voluiſſet, reſpondiſſe, vt quia bene non poteram, male omnibus innoteſcerem, & hoc quidẽ Græca narrat hiſtoria. Ex quo colliges quantorũ malorum ſit cauſa ambitio, in illo qui tam grandem deæ (quã talem credebat) irrogauit iniuriam, tamen vt inde, ſi non claram cum laude notitiam reportaret, vel notus in mundo eßet nobilis factus in ſcelere.* Hinc eſt illud dictum Virgilij.

Virg. 6. Aeneid.

*Vicit amor patriæ, laudumque immenſa cupido,* Hinc & Bernardus ait.

Bern. lib. 3 de cõſideratione, ad Eugenium

*O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil moleſtius inquietat, nihil tamẽ apud miſeros mortales celebrius negotijs eius.* Et vt dignoſcas, quantum aduerſetur hoc crimen pietati & religioni Chriſtianæ, audi quid in deteſtationem eorum, qui (gloria Dei contempta) quærunt propriam, dicat veritas in Euangelio. *Quomodo* (ait) *vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicẽ accipitis, & gloriã, quæ à ſolo Deo eſt, nõ quæritis?* Quibus verbis oſtendit, ꝙ etiã fidei ambitio inſidiatur vt pereat, & glorię diuinæ dilatationẽ non patitur, vt propriã quærat.

Ioan. 5. g

3 *Non fuit verbum quod non oſtenderet eis, &c.* Docet hic locus, ſanctum non eſſe dandum canibus, nec margaritas mittendas ante porcos, nec omnia eſſe omnibus manifeſtãda. Si ergo in apotheca animæ tuæ habueris theſauros Dei, ſi diuitijs ſpiritualibus plen⁹ fueris, noli ſtatim ea prodere, noli manifeſtare Babylonijs, *neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*, ne ventus vrens ſpirituales fructus marceſcere faciat. *Myſterium regis abſcondere bonum eſt.* Vnde & Chriſtus Dominus ſimile dicit *regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit.*

Secretum ſeruandũ, nec oia oib⁹ manifeſtanda *

Mat. 6. a

Tob. 12.

Mat. 15. f

Theſaurum abſconditum abſcondit homo, nec mirum, quia homo eſt, qui inuenit illum, homo inquam, de quo dicit Pſalmiſta. *Homo vanitati ſimilis factus eſt.* Et iterum. *Verũtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Theſaurus iſte* (ait Ambroſius) *eloquia Domini ſunt, eloquia caſta, argentum igne examinatum, quibus ipſum regnum acquiritur. Hunc ergo theſaurum ſapientiæ, & cogitationis abſconditum in agro, in quo plantata ſunt verba ſcripturarum cœleſtium, cum inuenerit homo, abſcondit illum in corde ſuo, nec diuulgat eum, ſciens quia ſi diuulgauerit Babylonijs theſaurum Dei, magnam offenſam contrahet, vt dicatur ei ſermone prophetico: De ſemine tuo accipient, & facient ſpadones in domo regis. Per quæ ſignificatur, quia is, qui prodiderit diuina myſteria, poſteritatem animæ ſuæ, ſeminariumque meritorum habere non poſſit. Caue ergo ne diuitias tuas perfidis prodas, etſi amicitiam ſimulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non reſeres theſauros regios, quos Babylonij ſcire non debent, ne veniant, & capiant poſteros tuos, & ſeminarium virtutis abſcindant.* De quo plura diximus ſupra, in illa verba, *ſecretum meum mihi.*

Pſal. 143. a

Pſa. 38.

Amb. to. 5. ſer. 2. ſup. Pſal. 118.

Iſai. 39.

Sup. ca 24. num. 15.

4 *Introiuit autem Iſaias Propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te?* Prius, cum ſummis anguſtijs Ezechias premeretur, cum Rabſaces inſultaret aduerſus Iſraelẽ, Rex miſit nuncios opertos ſaccis ad Iſaiam, & petijt, vt apud Deum intercederet pro illo, & conſolatione aliqua dolores mitigaret populi: modo

Tribulationib⁹ oppreſſi principes quærũt ſãctos, ſed nõ in proſperis.

Iſa. 37. a

autem



autem, cum omnia proſpere cederẽt Regi, non mittit ad Iſaiam nuncios, nec recordatur illius; ſed Propheta non vocatus ad Regem ingreditur: Quoniam in rebus aduerſis quæruntur prophetæ, & ſacerdotes, in proſperis vero contemnũtur, & reijciuntur à ſectatoribus ſæculi, eo quod ſuis monitionibus, & increpationibus hilaritatẽ eorum turbare videantur, ac mœroris cauſam afferre. Vnde & *cum Hieremias compleſſet loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuerſum populum, apprehenderunt eum ſacerdotes & prophetæ, & omnis populus, dicens, morte moriatur. Quare prophetauit in nomine* Domini, *dicẽs, ſicut Silo erit domus hæc, & vrbs iſta deſolabitur, eo quod non ſit habitator?* Ingreditur autem Iſaias ad Ezechiam, ſicut Nathan ad Dauid, vt eum ad confeſſionem, & pœnitentiam ſui delicti prouocaret: & quaſi neſcius, ſciſcitatur ab illo, *quid dixerunt viri iſti? & vnde venerunt?* Quaſi dicat, qui hactenus Deũ blaſphemauerunt, quomodo ipſum nunc glorificabũt? Qui ſemper impia ſunt loquuti, quomodo nunc ſancta, & honeſta dicent? Quid tibi cum Babylonijs? neſcis Babylonem ęmulam eſſe ciuitatis huius? Verum ſuperbi difficile corriguntur: habet enim ſuperbia excuſationes plurimas, & ſub prætextu beneuolentiæ, hoſpitalitatis, vel alterius virtutis deliteſcit inanis gloria, & parens illius amor proprius. Vnde & Ezechias tale interrogationi Prophetæ dedit reſponſum.

Hier. 26 b

Ambitio & ſuperbia ſub pietatis ſpecie abſcõditur

5 *Et dixit Ezechias. De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.* Vide ambitionem Regis, & vanam gloriã ſub hoſpitalitatis ſpecie. Ad me (inquit) venerunt tanquam ad Regem; ad me venerunt, vt munera afferrent, & gloriam regni mei proſpicerent, & tacet id quod ad Dei gloriam pertinebat. Potuiſſet vtique reſponderẽ, venerunt, vt exploratum haberent portentum, quod Dominus cœli, & terræ, fecit in ſole, vt ſcirẽt, qualiter à mortis periculo, in quo eram, liberatus fuerim: venerunt, vt glorificarent Deum pro ſigni magnitudine, & tamen, his omnibus prætermiſſis, ſeipſum tantum cõmemorat, *ad me* (inquiens) *venerunt, de terra longinqua*, vt glorioſior appareret aduentus. Vbi obſerua quod duo interrogauerat Iſaias: Ezechias autem ad vnum reſpondet, altero prætermiſſo. Interrogat iterum Iſaias, *& dixit. Quid viderunt in domo tua?* Et dixit Ezechias: *Omnia quæ in domo mea ſunt, viderunt: non fuit res, quam non oſtenderem eis in theſauris meis* Ecce dimidiatam Regis cõfeſsionem. Fatetur partem eorum quæ Babylonijs oſtendit, & partem ſilentio præterit, illam videlicet de qua verebatur offenſam: fatetur quod viderint omnia, quæ in domo eius erant, ſubticens quæ viderant in domo Domini. In quo notantur illi, qui non integre confitentur peccata, quorum memoriã habuerint, & admonẽtur confeſſarij quod prudentibus interrogationibus iteratis, conſcientiam excutiant peccatoris, ſicut Chriſtus Dominus mulierem Samaritanam blando ſermone ad confeſſionem ſuorum peccatorum induxit, *vade* inquiens *voca virum tuum*. Notandum præterea, qualiter Rex Ezechias tacita reprehẽſione percuſſus, ſibi adhuc placeat, ſeipſum iactans de theſauris ſuis, & de Babyloniorum principum aduentu, eo quod ambitionis affectus in eo præualebat, neque agnoſcit ſe peccaſſe. Adeo

Confeſſio dimidiata diſplicet Deo.

Confeſſarij interrogẽt prudenter pœnitẽtes.

Ioan. 4. 6

fallit

fallit ambitio, vt ſua dulcedine inebriet homines, & dementet:

6 *Et dixit Iſaias ad Ezechiam. Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui vſque in diē hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus.*

Tertul. lib. 4. contra Marcio. ca. 21.

Vt notauit Tertulianus, irā Dei Ezechias incurrit, quoniā diuitijs inflatus, & theſauris, in his potius apud Babylonios, quàm in Deo, & beneficijs acceptis gloriatus fuerit, contra illud Domini præceptum, *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & nō glorietur fortis in fortitudine ſua, & nō glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium & iuſtitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus*: Cui conſonat illud Apoſtoli. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nouerat Apoſtolus* (ait Bernardus) *gloriam propriā eſſe Creatoris, qui dicit: gloriam meam alteri non dabo, ſed conſiderauit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, vt aut vix, aut nunquam ab hoc compeſci deſiderio poſſit. Propterea ſecundum datam ſibi à Deo ſapientiam, ſaluberrimum adinuenit conſilium, dicens: quandoquidem perſuaderi à nobis non poteſt, non gloriari, ſaltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* Igitur Ezechias hanc legem tranſgreſſus pœna ſaluberrima punitur, & peccato Regis ſatis cōgrua. Quia enim Rex plus æquo theſauris ſuis inhærebat animo, & diuitias plurimas repoſuerat filijs ſuis, non attendēs illud dictum Prophetæ: *Theſaurizat, & ignorat cui congregauit ea*, & gloriam quæſiuit apud Babylonios: ob id audit, auferēdas eſſe diuitias eius in Babylonem: nec ſolum diuitias, ſed & filios quoque ipſius Regis in captiuitatem eſſe ducendos, vt inimicis ſuis inſeruiant. Vnde & ſubditur. *Et de filijs tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis.* Colligunt Hebræi ex hoc loco, Danielem, Ananiam, Miſaelem, & Azariam, qui fuerunt de regio ſemine, eunuchos factos eſſe, quos Nabuchodonoſor in Babylone miniſtraſſe in palatio ipſius, conſtat ex prophetia Danielis. Per eunuchos autem (vt notauit Forerius) eos intelligit, qui Regi erant à negotijs aulicis, maxime autem curandis cubiculis: & licet illi interdum caſtrarentur, vt de incontinentia minus ſuſpecti eſſent, tamen non omnes erant ſpadones, vt ex aliquibus locis Scripturæ conſtat.

Hier. 9. g

1. Cor. 1. d

Ber. in ſer. de triplici gloria.

Vanā gloriā prohibet Apoſtolus, concedens quod gloriemur, ſed in Domino.

Pſ. 38. b

Dāiel, Ananias, Miſael & Azarias, qui fuerūt.

7 Ex hoc loco admonemur, quā plurima mala vanam gloriam nobis inferre. Primo enim omnia bona ſpiritualia furatur latenter, & omne meritum diſſipat, & præmium: cuius typum in Rege Ezechia videre poteris: nam propter vanam gloriam omnes illius theſauri, & filij eius, per quos fructus bonorum operum deſignantur, in Babylonem tranſlata ſunt, vbi ipſi, qui gloriæ Regis, & theſaurorū eius teſtes fuerant, poſtmodum deprædatores facti ſunt. Tale quid accidit illis, qui gloriam ab hominibus quærunt: Dicit enim Chryſoſtomus. *Ipſi quos ad teſtimonium tuæ liberalitatis citas, latrones à te conſtituuntur, qui te regno cœlorum ſpoliāt; immo vero non ab ijs hoc patimur, ſed à nobis. O nouæ calamitatis genus. O furioſam hanc turbationem, quæ tinea corrodere non poteſt, nec fur violare, ea inanis gloria omnino diſpergit, Hæc eſt tinea cœ-*

Gloria vana quæ mala inferat.

Chryſ. hō. 72. ſup. Matth.

*leſtis*



*leſtis theſauri, hic eſt fur, qui æterna regna furatur, qui immarceſſibiles à nobis diuitias aufert, qui tanquam contagioſus morbus omnia corrumpit.* Et B. Baſilius. *Fugienda* (inquit) *inanis gloria eſt, quæ non ante labores à laborū nos ſuſceptione deterret* (*ſiquidem leuius hoc eſſet malum*) *ſed ijs iam tranſactis mercedis premijs exuit, ſpoliatve.* Et poſt pauca. *Age igitur, quando hæc ita ſunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operū exſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarūm hoſtem, tineam virtutū, blandiſſimam bonorum noſtrorū deprædatricem, eandēq. mellis illitu fraudis ſuæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricē, quod, opinor, ea de cauſa facit, vt vitio ſe illi auidius ingurgitēt, nec vlla illius expleantur ſatietate.* Hinc & Saluator nos admonet, dicens. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis; alioqui mercedē non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Et iuſte quidem mercede priuantur apud Deum, qui nihil propter Deum operantur. Dicit enim Chryſoſtomus. *Vnusquiſque vbi ſeminat, ibi metet, & quod ſeminat, hoc & metet. Propter homines orant, non propter Deum, ſic & ab hominibus, non* à Deo *laudantur. Speciem vacuam religionis vendunt, & verbum vacuum laudis emunt: mendaciter orant, cum non orent, & mendaciter laudantur, cum non ſint laudabiles. Sicut oratio eorum* Deum *non delectat, ſic nec laus hominum eos adornat. Quod enim in verbo poſitum eſt, tamdiu eſt, quamdiu dicitur verbum, cum autem finitum fuerit verbum, finitur & bonum, quod poſitum erat in verbo.* Vide pro quā breui honore æterna gaudia commutet hypocrita.

Baſil. lib. de correct. monaſtica cap. 11. to. 2

Mat. 6. a

Chryſ. hō. 13. imperfecti in Mat. to. 2.

8 *Non relinquetur quidquam &c.* Conſtantia Iſaiæ, & animi magnitudo apparet in hoc loco, quia nō formidat in cōſpectu Regis, morbum eius detegere, & iudicium Dei apertis verbis denunciare. Nec mirum, quoniam non hominis, ſed Dei perſonam attendebat, in cuius loquebatur nomine: ideo auctoritatiue loquitur, quaſi poteſtatem habens; vt omnes Principes agnoſcant, nihil tā ſublime eſſe, quod Dei maieſtati, & miniſtris eius ſubijciendum non ſit. Hinc diſcant prædicatores Euangelij, cum opus fuerit, Principibus ſe opponere, nec ſint tanquam *canes muti non valentes latrare.*

Prædicatores peccata Principū detegāt ſicut Iſaias.

Iſai. 56. d

9 *Et dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonum verbū Domini quod loquutus eſt: Et dixit: fiat tantum pax, & veritas in diebus meis.* Verba ſunt hæc hominis in flagella parati, & errorem ſuum agnoſcentis. Humiliatus enim eſt Ezechias ad correptionem prophetæ, & pœnitentiam egit ipſe, & populus eius, ſicut habetur. 2. libro Paralipp. vbi dicitur. *Facta eſt contra eum ira, & contra Iudam, & Hieruſalem. Humiliatusque eſt poſtea, eo quod exaltatum fuiſſet cor eius, tam ipſe quàm habitatores Hieruſalem: & idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ.* Igitur pius Rex non obmurmurat, non contendit, non litigat cum Propheta, ſed paratum ſeipſum præbet, vere agnoſcens iuſtū eſſe Dominum, & merito iram Dei incurriſſe. Et quoniam ſanctus Rex ſperabat hæc

2. Paralip. 32.

bat hæc

bat hæc aduerſa populo profutura, potiſſimè cum expertus fuiſſet, multò ſanctius in aduerſis homines viuere, quàm in proſperis, non orat Deū, vt à populo ſuo auerteret iram ſuã, ſed ait: *fiat tantum pax & veritas in diebus meis*. Quod deprecatiue accipiendum exiſtimo, id eſt, obſecro vt fiat pax, & veritas in diebus meis. *Pax* ad corpus, *veritas* ad animam pertinet. Vel per veritatem intelligit fidelitatem, quam Deus ſeruat, dum promittit aliquid: Et ſenſus eſt: Adimpleat Dominus quod promiſit mihi, det mihi prolem, vt ex illa deſcendat Chriſtus ſecundum carnem: ſeruet meum regnum pacifice, ne aduerſarij contra ciuitatem ſanctam præualeant. Orandum ergo eſt *pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate: hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo*. Eſt & alia ratio, propter quam patienter tulit ſententiam prolatam ore prophetæ de futura captiuitate, poſt obitum illius. Cum enim ſibi eſſet repromiſſum tempus vitæ ſufficiens, vt vſque ad pubertatem natum filium educaret, ex quo Chriſtus Saluator mundi oriretur; cætera omnia contemnere, & pro nihilo habere oſtendit, Dei ſententiæ annuens. Hanc rationem tangit Iuſtinus. Diſcamus nos, parere Deo, etiam cum damnat; quem enim diligit, corripit, diſcamus ſpiritualia perquirere, omnibus terrenis contemptis, diſcamus amare veritatem, & pacem, & Deus pacis & dilectionis erit nobiſcum. cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſempiterna. Amen.

*1. Thim. 2. a.*

Iuſtin' aduerſus Tripho. cap. 40.

*Finis Libri Quinti.*

LIBER



# LIBER SEXTVS COMMENTARIORVM IN ISAIAM PROPHETAM.

*Auctore.*

R. P. MAGISTRO F. DIDACO ALVAREZ Metimnenſi, Prouinciæ Hiſpaniæ, Ord. Præd. Romæ in Collegio S. Thomæ ſuper Mineruam ſacræ Theologiæ profeſſore, & Regente.

## *DE REGNO CHRISTI, ET ELECTORVM libertate.*

POSTQVAM in prima parte principali huius prophetiæ, iuxta partitionem ſuperius aſsignatam, egit Iſaias de ſuperborum deiectione; iam incipit tractare in hac ſecunda parte principali de humilium exaltatione, reparatione electorum, & conſolatione, ad quam regnum Chriſti potiſsime ordinatur, tanquam ad effectum proprium. Tangit autem Propheta duplicem conſolationis cauſam; alteram ſpiritualem principaliter intentam in præſenti prophetia, videlicet liberationem nobis conceſſam per Chriſtum à peccato: alteram vero corporalem, nempe libertatem, qua Cyrus rex Perſarum filios Iſrael à captiuitate Babylonis liberauit. Et quoniam hæc libertas, illius, quam nobis Redemptor noſter attulit, typum geſsit, ideo multoties ab vna fit tranſitus ad aliam: ſed multo magis immoratur Propheta in annuncianda libertate ſpirituali electorum, eo quod illam principaliter intendit declarare, quoniam maioris & excellentioris conſo-

In præfatione nu. 22. to. 1.

Ex Petro Aureolo in compendio ſacræ ſcripturæ.

conſolationis eſt cauſa. Igitur omnia, de quibus à cap. 40. vſque ad finem ſuę prophetiæ agit Iſaias, ad duo (ſicut ſuperius diximus) capita ſeu membra reducuntur.

Primo enim agit de libertate nobis conceſſa per Chriſtum à peccato, à cap. 40. vſque ad 44. incluſiue. Nam in cap. 40. agit de prædicatione Ioannis Baptiſtæ, qui fuit præcurſor Domini, & viam illi præparauit in Eremo; de prædicatione Apoſtolorum, de vocatione gentium, & maieſtate Dei vocantis, cui nullum idolum comparari poteſt. In cap. 41. tractat de duarum naturarum in eadem perſona Verbi vnione, de reſurrectione & aſcenſione Chriſti, & vanitate idolorum. In cap. 42. tractat de Verbi incarnati benigna conuerſatione, de electione gentium, & reprobatione Iudæorum. In cap. 43. explicat dignitatem teſtium, per quos Euangelium prædicandum erat in vniuerſo mundo, vbi iterum agit de cæcitate Iudæorum, & fide gentium. In cap. 44. vaticinatur aduentum Spiritus ſancti, quo repleti ſunt Apoſtoli in die Penthecoſtes, tanquam teſtes fideliſsimi prædicare cœperunt Euangelium Chriſti, humanitatem, & diuinitatem illius. In omnibus autē iſtis quinque capitulis, inuehitur propheta contra idololatriam, ne quis reputet, adorationē illius hominis, de quo loquitur, & quem prædicat eſſe Deum, idololatriam fore, ſicut hodie putant errantes Iudæi. Hæc autem in magnam ſine dubio conſolationem cedunt electorum.

Secundo, annunciat liberationem filiorum Iſrael ex captiuitate Babylonis; circa quam primo introducit huius libertatis inſtrumentū & organum, Cyrum videlicet Regem Perſarum, cuius potentiam deſcribit cap. 45. & occaſione illius ſe vertit ad Chriſtum Redemptorē noſtrum, illius humanitatem explicans, & diuinitatem. Deinde in cap. 46. docet, auctorem præcipuum illius libertatis fuiſſe Deum, ne quis incredulus beneficium illud idolis tribueret principaliter, aut Cyro, cuius miniſterio vſus eſt Dominus.

Tertio deſcribit liberationis modum, qui in deſtructione Babylonis, & regni eius conſiſtit, quam vaticinatur in cap. 47. Denique magnam fuiſſe Dei charitatem oſtendit ex prædicta libertate: cum enim populus Iudæorum Deum offendiſſet, ipſe nihilominus conſolatus eſt eum multoties per prophetas, futuram libertatem prædicens, antequam eueniret. de quo in cap. 48. ſermonem inſtituit, in quo Liber hic 6. terminatur. Sed quia, vt dictum eſt, liberatio corporalis à captiuitate Babylonis, ſignum fuit libertatis ſpiritualis à captiuitate peccati, iterum reuertitur ad explicandam libertatem, qua Chriſtus Redemptor noſter à tyrannide principis tenebrarum per mortem, & paſsionem ſuam nos eripuit, & de hac libertate agit à cap. 49. vſque ad 66. vt in initio ſtatim libri ſeptimi manifeſtum fiet.





# CAPVT XXXX.

1. CONSOLAMINI, conſolamini popule
meus, dicit Deus veſter. 2. 3. Loquimi-
ni ad cor Ieruſalem, & aduocate eam.
4. 5. 6. quoniam completa eſt malitia
eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: 7. Su-
ſcepit de manu Domini duplicia pro om-
nibus peccatis ſuis. 8. 9. 10. 11. 12. Vox
clamantis in deſerto: Parate viam Domini,
rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.
13. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur,
& erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. 14. Et reuelabi-
tur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini
locutum eſt. 15. 16. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clama-
bo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſic-
catum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo.
17. Vere fœnum eſt populus: exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos:
Verbum autem Domini noſtri manet in æternum. 18. Super mon-
tem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion. 19. Exalta in forti-
tudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem: exalta, noli time-
re. Dic ciuitatibus Iuda. 20. Ecce Deus veſter. 21. Ecce Domi-
nus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. 22.
Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. 23. Sicut paſtor
gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu
ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. 24. Quis menſus eſt pugillo aquas,
& cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem ter-
ræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? 25. Quis ad-
iuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit
illi? Cum quo inijt conſilium, & inſtruxit eum & docuit eum ſe-
mitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſten-
dit illi? 26. 27. 28. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momen-
tum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. Et Li-

banus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. 29. Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? 30. Nunquid ſculptile conflauit faber? aut aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum, & imputribile elegit: artifex ſapiens quærit quomodo ſtatuat ſimulachrum, quod non moueatur. Nunquid non ſcitis? nunquid non audiſtis? nunquid non annunciatum eſt vobis ab initio? nunquid non intellexiſtis fundamenta terræ? 31. Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ: qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. 32. Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit: & quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum: repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos. 33. 34. 35. 36. Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit ſanctus? Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutiſq. eius, neque vnum reliquum fuit. 37. 38. Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael: Abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſiuit? 39. Numquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Qui dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. 40. 41. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

## SVMMA CAPITIS.

*CONSOLATIONEM ſpiritualem, quam Chriſtus Dominus ſuo aduentu hominibus attulit, denunciat Iſaias in hoc capite; vnde in principio illius introducit* Dominum *quaſi paſtorem verum curantem gregem ſuum, atque dicentem.* Conſolamini conſolamini popule meus, &c.

*Secundò, ad prophetas, Apoſtolos, & reliquos Prædicatores Euangelij ſermonem conuertit, eos exhortans, vt conſolationis verba ad cor Hieruſalem loquantur, & libertatem futuram atque redemptionem à peccatis, & ſalutem annuncient. Verſiculo.* Loquimini ad cor Hieruſalem.





*Tertiò, vaticinatur præcurſoris Domini aduentum, qui viam illi præparauit in eremo, & agnum Dei qui tollit peccata mundi annunciauit, & digito oſtendit. Verſiculo.* Vox clamantis in deſerto.

*Quartò, vt omnes gentes, ad digne ſuſcipiendum venturum Redemptorem, per humilitatem diſponeret, infirmitatem proponit carnis noſtræ, vt ſciant omnes peccatores eſſe, & indigere gratia Dei. De hoc agit ab illo verſiculo.* Vox dicentis, clama.

*Quintò, quoniam foelix iſtud nuncium prædicandum erat non in Iudæa tantum, ſed in vniuerſo mundo, prædicatores Euangelicos hortatur, vt ſuper montem excelſum aſcendant, & alta voce Chriſtum annuncient; occaſione euius, conditiones viri Apoſtolici, quas habere debet prædicator veritatis, inſinuat; verſiculo.* Super montem excelſum aſcende tu.

*Sexto, ſummam charitatem declarat, & ſingularem curam, qua Saluator mundi, tanquam verus paſtor animarum noſtrarum, oues ſuas & pauit, & fouit, atque de ore leonis liberauit. verſiculo.* Sicut paſtor gregem ſuum paſcet.

*Septimò, quoniam multa dixerat circa aduentum Domini, quæ ſuperbis mentibus poſſent apparere incredibilia, omnipotentiam* Domini*, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, declarat, atque multa mirabilia, quæ olim ad oſtenſionem ſuæ virtutis ſapienter operatus eſt, ſigillatim enarrat: verſiculo.* Quis menſus eſt pugillo aquas.

*Octauò, eos reprehendit, qui omnipotentem* Deum *ſculptilibus conferunt, aut dijs gentium. verſiculo:* Cui ergo ſimilem feciſtis Deum. *Et verſiculo:* Et cui aſſimilaſtis me & adæquaſtis?

*Nonò, effectus deſcribit aduentus Chriſti, oſtendens, quanta fortitudine & virtute pollere debeant, qui in illum crediderint, & ſperauerint: verſiculo.* Deficient pueri & laborabunt.

## COMMENTARIVM.

1 CONSOLAMINI, *conſolamini popule meus, dicit Deus veſter.* In fine capitis præcedentis denũciauit propheta Ezechiæ, filios ſuos, vna cum theſauris domus ſuæ, abducendos eſſe in Babylonẽ captiuos. Sumpta ergo occaſione huius corporalis captiuitatis, ſub Rege Babylonis, tranſit ad captiuitatem ſpiritualem filiorum Adam, qui propter inobedientiã illius, ſub poteſtate principis tenebrarum tenebãtur captiui, & ſub typo liberationis à captiuitate Babylonica facta per Cyrum, denunciat veram libertatem filiorum Dei, quam per Chriſtum Dominum ſunt conſequuti. Vtramque captiuitatẽ, & liberationem è captiuitate ita miſcet Iſaias, vt de vna ſæpiſsime trãſeat ad aliã, nec ſit facile dignoſcere, ad quã verba illi⁹ immediate reſpiciãt. Hoc vnum eſt ſemper habendũ pr̨ oculis, quod principaliter reſpiciunt verba prophetæ, libertatem ſpiritualem nobis conceſſam per Chriſtum; vnde ea, quę in ſequẽtibus dicũtur de Cyro

Captiuitas Babylonis captiuitatis peccati typũ geſſit.

Rege Perſarum, multo excellentiùs
impleta sũt per Chriſtũ. Igitur Iſaias,
præuidens totum orbem in captiui-
tatem ſpirituale͂ per peccatum tradi-
tum, ac detentũ, & talibus vinculis cõ
ſtrictum, vt à nemine alio, quã à Xpo
liberari poſſet, & reſpicie͂s fęliciſſimũ
Galat. 4 a illud tempus, quo *Deus miſit filium*
*ſuũ natum ex muliere, factũ ſub lege,*
*vt eos qui ſub lege erant, redimeret,*
mira exultatione adhortatur Apoſto-
los, ſacerdotes, & vniuerſum populũ,
vt libertatis gaudium celebre͂t, & an-
nuncient. Ait ergo: *Conſolamini, con-*
*ſolamini*, vt maximam cõſolationem,
quam populus Chriſtianus obtinuit,
per Chriſtum, deſignet. *Conſolamini*
conſolatione ſpirituali, conſolamini
etiã gaudio corporali, quoniã & ani-
Spũs ſanct⁹ mæ & corporis gloriam accipietis p
conſolator Chriſtũ. Item etiam bis dicit *conſola-*
eſt, & ſimi- *mini*, vt duplice͂ conſolatore͂ inſinuet;
liter Xp̃s videlicet Spiritũ ſanctũ Apoſtolis miſ
Dominus. ſum, & Chriſtum Dominũ. Vt.n. docet
Aug. tract. Aug. non ſolum Spiritus ſanctus pa-
74. ſuper racletus dicitur .i. cõſolator: ſed etiã
c 14 Ioan. Christus: alias nõ dixiſſet. *Ego rogabo*
Io. 14. b *patre͂, & alium paracletum dabit vo-*
*bis.* Dice͂s ergo *aliũ*, oſtendit, & ſeip-
ſum eſſe paracletũ. Vnde & de Noe,
per que͂ Chriſtus Dominus deſigna-
Gen. 5. d tur, ſcriptum eſt. *Iſte conſolabitur nos*
*ab operibus & laboribus manuum no-*
*ſtrarũ, in terra cui maledixit* Domi-
*nus. Popule meus*. Per populum meũ
eos intelligit, qui in Chriſtũ ſunt cre-
dituri, ſiue Iudæi ſint, ſiue gentes, de
Oſeæ 1. d quo per Oſeã dicitur. *Et erit in loco*
*vbi dicetur eis: non populus meus vos.*
*dicetur eis: filij Dei viuentis.* His re-
promittitur conſolatio, nõ Iudęis in-
credulis. 70. interpr. transferũt. *Con-*
Ambr. ſer. *ſolamini populum meum*: Et ſimiliter
10. ſuper Pagni. & Vatab. & hac tranſlatione
pſal. 118. vtitur Ambr. & Baſil. Iuxta hanc le-
Baſil. lib. 2. ctionem, ſermo prophetæ cõuertitur
de ieiunio.
ad Apoſtolos & prædicatores Euan-
gelij, per quos gaudiũ Natiu. Chriſti
annunciandum erat vniuerſo mũdo.
Et ſenſus eſt: *Conſolamini* .i. accipite
vos, ò Apoſtoli, & prædicatores Euã-
gelici, ſpiritualem conſolationem, &
ex plenitudine veſtra redundet ad a-
lios conſolatio. Ideo adiecit ſecundo,
*Cõſolamini populum meũ.* Conſonat
hoc cum verbis Apoſtoli. *Benedictus* 2. Cor. 1.
*Deus, & pater D. N. Ieſu Chriſti, Pa* a
*ter miſericordiarũ, & Deus totius cõ-* Cõſolatio
*ſolationis, qui conſolatur nos in omni* iuſtorum
*tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi* qualis ſit.
*cõſolari eos, qui in omni preſſura sũt,*
*per exhortatione͂, qua exhortamur &*
*ipſi à Deo.* Ecce qualiter Apoſtoli pri⁹
à Deo conſolatione͂ accipiunt, & poſt
modũ alijs eam communicant. Ecce
qualiter non omnibus indifferenter,
ſed illis q in omni preſſura sũt, vera,
quæ per Chriſtũ eſt, promittitur con-
ſolatio. Nam de alijs ſcriptũ eſt. *Væ* Luc. 6. d
*vobis diuitibus, quia habetis conſola-*
*tionem veſtram. Væ vobis qui ſatu-*
*rati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis,*
*qui ridetis nunc, quia lugebitis & fle*
*bitis.* * *Vtinam nos dilectiſſimi, in eo* *Ber. ſer. 5.
*populo inueniri ſemper optemus, non* natalis Do
*cui dicit væ; ſed quem conſolatur* Do- mini.
*minus Deus ſuus. Quid enim conſole-*
*tur eos, qui ſuam habent conſolatione͂?*
*non conſolatur Chriſti infantia gar-*
*rulos; non conſolantur Chriſti lacry-* Cõſolatur
*mæ cachinnãtes; non conſolantur pã-* Xp̃s humi-
*ni eius ambulantes in ſtolis; non cõſo-* les & pau-
*lantur præſepe & ſtabulum amantes* peres, non
*primas cathedras in Synagogis; ſed* diuites &
*æquanimiter forte vniuerſam hanc* ſuperbos.
*conſolationem expectantibus in ſi-*
*lentio, Dominum lugentibus, pan-*
*noſis pauperibus cedere videbuntur.*
*Cæterum audiant, quod & ipſi quo-*
*que Angeli non alios conſolantur;*
*vigilantibus enim paſtoribus, &*
*cuſtodientibus vigilias noctis Euan-*
geli-



*gelizatur gaudium nouæ lucis, &*
*eis natus dicitur eſſe ſaluator. Pau-*
*peribus atque laborantibus, non vo-*
*bis diuitibus, qui veſtram habetis*
*conſolationem.*

2 *Loquimini ad cor Hieruſa-*
*lem, & aduocate eam.* Loqui ad cor,
inter alias acceptiones, duo ſignifi-
Loqui ad cat in Scripturis. Primo enim ſigni-
cor, quid ficat, blanda, conſolatoria, & ſuauita-
ſit: te plena verba loqui, quæ non aures
ſolum demulceant, ſed & cor incli-
nent, & moueant, atque delectent.
Et in hac acceptione (vt obſeruauit
Geneſ. Hieronymus) ſumitur Geneſis 34.
34. a Cum Sychem corrupta Dina, lo-
quutus eſt ad cor eius, & conſolatus
eſt eam. Etenim vbi nos legimus,
*Triſtemque deliniuit blanditijs*, ha-
betur in Hebræo, *& loquutus eſt ad*
*cor adoleſcentulæ.* Secundo ſignificat
verba ſpiritualia loqui, quæ nõ à car-
nalibus percipiuntur, ſed ab illis dũ-
taxat, qui ſæculo cum põpis eius re-
nunciauerunt. In hac acceptione ſu-
Oſeæ 2. c mitur Oſeæ 2. *Ecce ego lactabo eam,*
*& ducam eam in ſolitudinem, & lo*
1. Cor. 3 *quar ad cor eius.* Vnde & Apoſtolus
a ad Corinthios ſcribens. *Non potui*
(inquit) *vobis loqui, quaſi ſpiritua-*
*libus, ſed quaſi carnalibus.* Et in
vtraque acceptione ſumitur in præ-
ſenti, & ſenſus eſt: Date operam ò
Apoſtoli & viri Euangelici, vt triſti-
tiam omnem & mœrore͂ ex fidelium
cordibus expellatis, blande alloque͂-
tes illos, non imperioſo, & tremendo
ſermone. *Loquimini ad cor Hieru-*
*ſalem*, non eam legem antiquam, &
Act. 15. durum iugum, quod *nec nos, nec pa-*
b *tres noſtri portare potuimus*, ſed Euã
gelium prædicando ſequimini veſti-
gia præceptoris veſtri, qui maxima
triſtitia oppreſſis, & peccatis ſuis
Mat. 11 oneratis dixit. *Venite ad me omnes,*
d *quis laboratis & onerati eſtis, & ego*
*reficiam vos. Tollite iugum meum*
*ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis*
*ſum, & humilis corde: & inuenie-*
*tis requiem animabus veſtris. Iu-*
*gum enim meum ſuaue eſt, & onus*
*meum leue.* De Angelo, per quem
Dominus Zachariæ loquebatur, ait
ipſe Propheta. *Et reſpondit Domi-* Zach. 1.
*nus Angelo qui loquebatur in me* c
*verba bona, verba conſolatoria,* vt
per illum, magnum conſilij Angelum
intelligamus, de quo ait Apoſtolus.
*Multifarie multiſque modis olim* Hæb. 1.
*Deus loquens patribus in Prophetis,* a
*nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt no*
*bis in filio, quem conſtituit hæredem*
*vniuerſorum, per quem fecit & ſæ-*
*cula.* Chriſtus enim, in prædicato- Chriſtus
ribus Euangelicis, loquitur nobis loquitur
verba bona, verba conſolatoria, Apo- per sãctos
ſtolo dicente. *An experimentũ quæ-* ſuos.
*ritis eius, qui in me loquitur Chri-* 2. Cor.
*ſtus?* Et iterum. *Sapientiam autem* 13. a
*loquimur inter perfectos: ſapientiam* 1. Cor. 2
*vero non huius ſæculi, neque princi-* b
*pum huius ſæculi, qui deſtruuntur:*
*ſed loquimur Dei ſapientiam in my-*
*ſterio, quæ abſcondita eſt, quam præ-*
*deſtinauit Deus ante ſæcula in glo-*
*riam noſtram: quam nemo princi-*
*pum huius ſæculi cognouit.* Ac ſi di-
ceret. Loquimur ad cor Hieruſalem
ea myſteria, quæ *nec oculus vidit,* 1. Cor. 2
*neque auris audiuit, neque in cor ho-* c
*minis aſcendit, quæ præparauit Deus*
*ijs qui diligunt illum: nobis au-*
*tem reuelauit Deus per ſpiritum*
*ſuum.* Superius Iſaias infirmitatem
populi deplorans, dixerat. *Omne* Iſai. 1.
*caput languidum, & omne cor mœ-*
*rens.* Vbi, per cor, principes intel-
ligit, & ſacerdotes (vt ſupra nota- Sup cap. 1
uimus:) modo autem medelam ad- num. 26.
hibere intendens, à corde incipit,
*loquimini* (inquiens) *ad cor Hieru-*
*ſalem.* Illud autem, *& aduocate eam,*

 idem

idem ſignificat, quod vocate eam, ne ſuorum peccatorum confuſione afflicta fugiat, ſed Dei agnoſcens miſericordiam, ad illum redeat.

3 *Loquimini ad cor Hieruſalē.* Damnat hic locus vanam ſolicitudinem eorum, qui verbum Dei prædicantes, ea proferunt in medium, quæ audientium aures demulceant, & delectēt, non quæ cor tāgant interius, & moueant; & relictis vtilibus, curioſa ſectantur, nec loquuntur ad cor, ſed ſunt *prurientes auribus.* Tales notauit Chryſoſtomus, & ſe ipſum inter illos deflens, ait: *Floſculos verborum, & compoſitionem, & armoniam curioſius ſectamur, vt canamus, non vt proſimus, vt ſimus in admiratione, non vt doceamus, vt oblectemus, non vt compungamus, vt plauſu, & laudibus obtentis abeamus, non vt mores componamus. Credite mihi, non dicerem alioquin, quoniā quando inter dicendum plauſum excito, per illud quidem tempus humanum quiddā mihi accidit (cur enim verū quis non dicat?) & diſtrahor, & diffundor: vbi autem domum redeo, & intelligo plaudentes ſine fructu abijſſe, & ſi fructum accipere poterant, à plauſu, & laudibus perijſſe: ploro & gemo, & lacrymor, & quaſi fruſtra omnia dixerim, ſic afficior, mihique ipſi dico. Quæ ſudorum meorum vtilitas, ſi auditores è verbis meis nullum fructū accipere volunt? Et ſæpius cogitaui ponere legem plauſus prohibentem, & ſuadentem, vt cum ſilentio, & conuenienti decentia audiatis. Sed ſuſtinete, oro, & credite mihi, & ſi placet hanc nunc legem firmabimus, ne quis auditor plaudat, quamdiu nos loquimur. At ſi voluerit admirari, admiretur ſilens, nemo eſt qui prohibeat. Omne autem ſtudium, & alacritas in id collocatur, vt quæ dicuntur accipiantur.* Et loquens ad populum Antiochenum, ait. *Hoc Eccleſias ſubuertit, quoniam nec vos ſermonem audire quæritis compunctiuū, ſed qui delectare ſono valeat, & verborum compoſitione, tanquam citharedos, & cithariſtas audientes. Et nos ſegniter, & ærumnoſe facientes, veſtras ſequimur concupiſcentias, cum ſit opus eas excidere.* Quod per Prophetam Ezechielē improperans filijs Iſrael, vana curioſitate, & non ſincero animo verba Dei audiētibus, ait. *Et tu fili hominis: Filij populi tui, qui loquuntur de te, iuxta muros, & in oſtijs domorum, & dicunt vnus ad alterum vir ad proximum ſuum loquentes: venite, & audiamus, quis ſit ſermo egrediens à Domino. Et veniunt ad te, quaſi ſi ingrediatur populus, & ſedent corā te populus meus, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos: & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et es eis quaſi carmen muſicū, quod ſuaui, dulcique ſono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Ex quibus verbis apparet, non ſolum in prædicatoribus, ſed etiam in auſcultatoribus, reprehenſibilem eſſe vanam curioſitatem. Vnde & ſanctus Hieronymus hunc locum Ezechielis explicans, ait. *Iubet Dominus Prophetæ, vt dicat populo, qui in Babylone verſatur, & habitat cum eo, & arguat eos ſuper inſidijs blandientibus, qui Prophetæ verba deſiderant, non ad animæ ſalutem, ſed ad aurium voluptatem. Iſti iuxta muros ſedebant, & in oſtijs domorum, nequaquam in ſenſum prophetæ intrare cupientes. Iſtiuſmodi mihi videntur eorum ſimiles, qui theatralibus ludunt carminibus, & vel*

Prædicatores reprehēduntur q inutilia pdicant.

2. Thim. 4.

Chryſ hō. 30 in acta Apoſtolorū tom. 3.

Chryſ. hō. 38. ad pop.

Prædicator non ſit nimis intentus verborū cōpoſitioni.

Ezech. 33. g

Hieron.

tragœdos



*tragœdos audiūt, vel comœdos, & ibi cum voluptate palpantur: ita cum egreſſi fuerint à te, replicent ea, & decantent, & dulci ſono ſe decipiant.*

4 *Quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius.* alia litera habet, *quoniam completa eſt militia eius.* Septuaginta interpretes transferunt. *Quia repleta eſt humilitas eius: ſolutum eſt eius peccatum.* Et iuxta primam lectionem, quæ magis communis eſt in editione vulgata, vt patet ex impreſſione Vaticana, aſsignat Propheta, his verbis, rationem, propter quam Dei populus in aduentu Chriſti conſolari debeat, & gaudere; quia videlicet per paſsionem illius, & mortem, cōpleta eſt, & deleta iniquitas eius; Chriſtus enim (ſicut dicit Apoſtolus) *factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.* vnde & ad Titum ſcribens, ait. Cum autem *benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Vbi eſt maxime aduertendum, quod ſicut perfectio naturæ diuinæ, propter infinitatem illius, non poteſt perfecte vnico nomine explicari, ſed pluribus, & diuerſis vtuntur Theologi, vt iuxta humanam capacitatem exprimāt attributa diuina, & ea quæ formaliter reperiuntur in Deo: ita & peccatum, & grauitas ipſius non poteſt exacte vno nomine explicari, propter infinitatem quam habet ex magnitudine ipſius Dei, contra quē committitur. Vnde tam in ſacris literis, quam à ſanctis Doctoribus diuerſis nominibꝰ ſignificatur. Dicitur .n. vitiū, malitia, peccatum, iniquitas, culpa, delictū, crimē, ſcelus, impietas, facinus, & flagitiū. Quæ oīa vocabula ſunt breuiter explicanda, vt quaſi à facie colubri fugiamus peccatum, mala expendentes illius. Vitium ergo (vt notauit Caietanus) in ſua prima & propria ſignificatione, accipitur pro habitu vitioſo, non autem pro actu. Sic accipit hoc nomen Cicero, *vitium*, inquiens, *eſt habitus, aut affectio animi in tota vita inconſtans, & à ſeipſa diſſentiens.* Vnde & Ariſtoteles, Vitium comparat hydropiſi, quia eſt morbus continuus, & confirmatus. & Chriſtus Dominus, peccatores ex habitu delinquentes comparat hydropico, dum ſub huius infirmitatis ſpecie eorum deſignauit naturam. Et in eadem acceptione vſus eſt Lactantius hoc nomine vitium, & Ambroſius. Aliquando vero accipitur vitiū, pro actu vitioſo, per metonymicam loquutionem, qua effectus nomine cauſæ deſignatur. Malitia aliquando accipitur pro macula relicta in anima per peccatum, quæ (vt docet S. Thomas,) eſt defectus nitoris gratiæ, propter receſſum à lumine rationis, vel diuinæ legis. In hac acceptione ſumitur Hieremiæ 4. cum dicitur: *Laua à malitia cor tuū*, id eſt à macula in anima poſt peccatum relicta, quæ ipſam fœdat, & deturpat. Aliquando vero ſumitur malitia pro ipſo habitu vitioſo, quo quis peccat ex electione mali. Et ſic dicitur peccatum ex malitia, quod procedit ex habitu: in quo diſtinguitur à peccato ex ignorantia, vel paſsione, in quo prima radix mouens ad peccandum, eſt ignorantia, vel paſsio. Accipitur etiā pro actu peccati ex habitu procedente, ſicut Hieremiæ 2. *Arguet te malitia tua.* Et pro quadam imperfecta inclinatione ad malum, quæ aliquibus competit à natiuitate, ratione cuius dicitur Sapientiæ 12. *Naturalis malitia ipſorum.* Sed ge-

1. Cor. 1. d

Tit. 3.

Peccati grauitas, multis nominibꝰ exprimitur.

Vitiū qd ſignificet.

Caiet. p. 2. q. 71. a. 1.

Cicero li. 4. Tuſculanarū quæſ. paulo ante medium.

Ariſt. 7. Etic. 5. & 8

Lactant. Firmi. li. 3 diuin. inſtit. cap 16

S. Amb. li. de paradiſo, cap. 12.

S. Th. p. p. q. 86. a. 2. in corpore

Hier. 4.

Malitia qd ſignificet.

Hier. 2.

Sap. 12.

generaliter accipitur malitia, pro omni eo quod bonitati opponitur virtutis, ſicut malum opponitur bono.

Peccatum quot modis accipiatur.

5 Peccatum accipitur, Primo, pro fomite peccati; quia eſt effectus illius. ſicut ad Romanos 7. *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ideſt, fomes peccati, vt explicat Concilium Tridentinum. & dicitur fomes peccatum, quia inducit ad illud. Vnde & diabolus vocari ſolet peccatum, ab effectu (vt aduertit Ambroſius.) quia inducit ad peccandum. Secundo, accipitur peccatum, pro motibus inordinatis, qui ex fomite concupiſcentię antecedenter ad actum voluntatis conſurgunt. & iſti motus appellantur ab Apoſtolo, paſſiones peccatorum, vt interpretatur Auguſtinus. Tertio, ſolet accipi peccatū pro materia & obiecto, quod eſt occaſio peccati, vel circa quod eſt peccatum. Sic accipitur Deuteronomij 9. cum dicitur. *Peccatum veſtrum quod feceratis, igne conſumpſi*, ideſt, vitulum, in quo peccaſtis, vt ibi explicat gloſſa. Quarto, ſumitur peccatum, pro hoſtia, vel ſacrificio, quod offertur pro peccato. ſicut Oſeæ 4. *Peccata populi comedent ſacerdotes*, ideſt, hoſtias quæ offeruntur pro peccatis, vt interpretātur Auguſtinus, Gregorius, & ſanctus Thomas. Vnde & Apoſtolus, loquens de Chriſto, qui pro peccatis noſtris oblatus eſt, inquit. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, ideſt, ſe obtulit in hoſtiā pro peccato, ſicut explicat ſanctus Auguſtinus. Quinto, accipitur pro ſimilitudine carnis peccati, vt ad Romanos 8. *Et de peccato damnauit peccatum*. Ita explicat Auguſtinus. Sexto, accipitur pro pœna peccati. In qua acceptione vtitur hoc nomine Auguſtinus. Septimo, accipitur magis propriè pro quolibet actu malo, qui eſt contra rationem, & legem Dei; & ſic definitur ab Auguſtino. *Peccatum eſt dictum, vel factum vel concupitum contra legem Dei*. Verum eſt, quod aliquando ſumitur in hac acceptione, ſpecialiter pro peccato infidelitatis, quaſi per anthonomaſiam; ſicut Ioannis 16. *Ipſe arguet mundum de peccato*, ideſt, de infidelitate, vt exponit Auguſtinus, & Pagninus in Iſagoge ad myſticos Scripturæ ſenſus, lib. 3. cap. 26. Iniquitas, communiter ſumpta, idem ſignificat quod peccatum, vt patet ex illo primæ Ioannis 3. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas*. Sed ſi ſumatur iniquitas ſpecialiter, diſtinguitur à peccato: nam, vt docet Hieronymus, & gloſſa, peccatū dicitur illud, quod poſt ſuſceptionem baptiſmi committitur; iniquitas vero dicitur peccatū commiſſum ante baptiſmum. Culpa, vt docet S. Thomas, ſignificat actum inordinatum, ſecundum quod imputatur agenti. Delictum, vt docēt Auguſtinus, Gregorius, & Rupertus, dicitur à delinquendo, & ſignificat deſertionem boni, de qua per Hieremiā dicitur. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Vel, ſecundum eundem Gregorium, dicitur illud malū, quod ſolo actu interiori perpetratur; aut vero peccatum, quod ex ignorantia vel fragilitate committitur. De peccatis enim interioribus dicit propheta. *Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me*. De alijs vero, quæ ex ignorantia aut fragilitate patrantur, inquit. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Crimen, vt docet Auguſti-

Rom. 7.
Conc. Tri. ſeſſ. 5. can. vlt. d̄ pecc. origin.
Ambr. ad Rom. 6. & 7
Rom. 7.
S. Aug. li. 3 cont. Iul. c. 26. li. 6. c. 5
Deut. 9.
Oſeæ 4.
S. Aug. li. 3 cont. duas Epiſt. Pelag. c 6.
s. Greg. ho. 7. in Euāg.
s. Th. 3. p. q. 15 a. 1. ad 4. & ſup. 2. epiſt. ad Corint. c. 5. in fine.
2. Cor. 5.
S. Aug. ho. 6 de verb. Apoſt t. 10
Rom. 8.
Aug. lib. 3. cōt duas epiſt. Pelag c. 6. citato.
S Aug. l. 14 con. Fauſt. cap. 3. 4. 5.
Aug. li. 22. cōt Fauſtū c. 27. prin.
Ioan. 16
Aug. lib. 3. cōt. duas epiſt Pelag. cap. 3.
Pagnin. in Iſagoge.
1. Ioā. 3.
Iniquitas quid ſit.
Hie. ſup c. 8. Oſeæ
Gloſſa ſup pſal. 31.
S. Th. 12. q. 21. ar. 2.
S. Aug. li. 3 quæſt. ſup. Leuit. q. 20
s Greg. ho. 21. ſuper Ezech.
Ruper. li. 1. ſup. Leuit. ca. 32.
Hier. 2. c
s. Greg. ho. 21. ſuper Euang. & l. 11. Moral. cap. 23.
Pſal. 18.
Pſal. 24
Aug. in Enchirid. ad Laur. c. 64.



guſtinus, & Gregorius, ſignificat grauiora peccata, quæ extinguūt animā. Vnde & peccatum in Regem cōmiſſum, dicitur crimen læſæ maieſtatis. Scelus idem videtur ſignificare, quod crimen. Impietas, vt docet Gregorius, proprie ſignificat peccatum illud, quod contra fidem & religionem Chriſtianam committitur. Conſentit Hylarius, & Hieronymus. Facinus ſignificat peccatum, quod committitur contra alterum. Flagitium vero dicitur peccatum illud, quod quis contra ſeipſum committit. ita docet Auguſtinus. Et neque his omnibus nominibus explicantur exacte mala, quæ ſecum affert peccatum. Propheta autem Iſaias in præſenti, grauitatem illius tribus nominibus explicuit, videlicet, malitia, iniquitas, & peccatum, vt ſciamus, quoniā tribus perſonis Trinitatis fuit illata per peccatum iniuria, pro qua perfecte Chriſtus Dominus ſatisfecit. A malitia abluitur homo ſanguine Chriſti, & per infuſionem gratiæ macula aufertur peccati. Iniquitas dimittitur, ſiue iniuria illata contra Deum, cum relaxatur propter dilectionem, quam tamen ipſe misericorditer infundit: ſicut de Magdalena legitur Lucæ 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*.

6 *Quoniam completa eſt militia eius*. Iuxta hanc lectionem, quam ſequuntur Iuſtinus, & Tertullianus, & Ambroſius ſuper pſalm. & nonnulli alij, ſenſus eſt, finita eſt militia eius, ideſt, lex antiqua, quæ erat lex iræ, Apoſtolo dicente, *lex iram operatur*. Terminata eſt lex, in qua nulli patebat aditus ad regna cœleſtia, & per legem gratiæ, quæ eſt lex pacis, & dilectionis, completa. Scriptum eſt enim. *Finis legis Chriſtus in ſalutem omni credenti*. Et iterum: *Lex & prophetæ vſque ad Ioannem*. Vnde & Chriſtus Dominus cum dixiſſet diſcipulis: *Orate ne intretis in tentationem; Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis*: in hoc eos admonens, ſicut dicit Auguſtinus, *vt in eum dirigerēt lapidem*, ideſt, *vſque ad eum perducerent intentionem legis, quæ ſcripta erat in lapide. Vſque ad illum enim poteſt peruenire ille lapis, quoniam finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti*. Igitur iam nunc finita eſt militia Synagogę, quoniam nō eſt tempus belli, ſed pacis, ſecundum illud quod dictum eſt ſupra. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad prælium*. Finita eſt militia eius, quoniam non poterūt amplius homines ſub obſeruātijs legalibus Deo militare, nec Synagoga pertinebit deinceps ad Eccleſiam militantem, ſicut pertinebat antiquitus; quoniam dimiſſo peccato per paſſionem Chriſti, & adueniente veritate, vmbris terminus eſt impoſitus. Trāſlatio autem Septuaginta virorum hunc ſenſum habet: Repleta eſt humilitas eius ideſt, ſuam infirmitatem agnouit, & longa experientia comperit, quid tam in lege naturæ, quàm in lege ſcripta poſſet ſine gratia: & cum proſtrata, & humiliata peccatorum multitudine vidit ſe indigere gratia Dei, tunc miſit Redemptorem, qui peccatum ſolueret illius.

7 *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*. Conſolatur Hieruſalem, prius afflictam duplici pœna, animæ videlicet, & corporis, vt explicat ſanctus Thomas. Sicut enim corpus & anima fuerunt participes culpæ; ita ſecundum

S. Greg. 21. Moral. 9.
s Greg 25. Mor. ca. 13.
Hylar. ſup pſal. 1.
s. Hier. ſup eundē pſa. & ſup. c. 10 Oſeæ i fin. & l. 1. cont. Pelag. poſt med.
s. Aug. li. 3. de doctrin. Chriſt. ca. 10.
Peccato offenduntur tres perſonæ Trinitatis.
Lucæ 7.
Iuſt dialogo aduerſ. Triphonē.
Tert. lib. 4. aduerſus Marcionē.
Amb. ſup p. 118. ſer. 10
Lex antiqua ceſſauit adueniēte lege gratiæ.
Rom. 10 a
Luc. 22. e
Aug. lib. quæſt. Euā. q. 50. to. 4.
Lapidis Iactus quid ſignificet.
Iſai. 2. b
Xp̄s venit poſtquam homo expertus eſt, quid poſſet ſine grā
Beatis dat duplex ſtola.

dum ordinem diuinæ iuſtitiæ, fuerunt conſortes in pœna. Vnde & per Hieremiam dicitur. *Duplici contritione contere eos Domine.* Et vt magis ſplendeat miſericordia Dei Saluatoris noſtri, qui *non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuã miſericordiam ſaluos nos fecit*, ſtatum, in quo erat genus humanum, deſcribit, & mala quæ in anima & corpore patiebatur pro peccatis ſuis. Hebræi per *duplicia*, duas intelligũt captiuitates, quibus pro peccatis infidelitatis, & idololatriæ punita eſt ciuitas ſancta Hieruſalem; ſemel enim per Chaldæos, & iterum per Romanos fuit in captiuitatem ducta. Alij vero expoſitores, inter quos eſt Adamus Sasbout Delphius, per *duplicia*, intelligunt duplicia dona Eccleſiæ miſericorditer collata, videlicet libertatem à ſpirituali captiuitate peccati. & Spiritus ſancti chariſmata: ita vt ſenſus ſit. Cum pro peccatis ſuis iram Dei promeruiſſet, & ſempiternã mortem, tanta extitit Dei miſericordia, vt pro illis retribuerit duplicata dona, in quo eius miſericordia & liberalitas ſplendet maxime, quam expendens propheta Regius, inquit. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Expendatur illud verbum; *retributiones eius*. Retribuere quippe eſt, tribuenti prius aliquid tribuere. Vnde qui retribuit, prius accepit, & poſtmodũ pro acceptis retribuit. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quid habet homo, quod non prius à Deo acceperit? *Tua ſunt omnia*, inquit, *& quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*. Scio quid homo prius dederit Deo, quod non acceperit, peccata videlicet, pro quibus ille mortuus eſt; hæc enim non à Deo, ſed à mala hominis voluntate procedunt. Pro his accepit duplicia, pro his retribuit bona immenſa, filium ſuum mittens *in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum. Qui ergo proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Noli ergo ô homo obliuiſci omnes retributiones eius*, Vnde & Auguſtinus ait: *Non dixit tributiones, ſed retributiones, aliud enim debebatur, & redditum eſt quod non debebatur: vnde & ille. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? non ait, quæ tribuit mihi, ſed quæ retribuit mihi. Retribuiſti tu mala pro bonis, & retribuit ipſe bona pro malis. Quomodo retribuiſti tu homo Deo mala pro bonis? Qui prius fuiſti blaſphemus, & perſecutor, & iniurioſus, retribuiſti blaſphemias. Pro quibus bonis? Primo quia es, cum nõ eſſes, ſed eſt & lapis: deinde quia viuis, ſed viuit & pecus. Quid retribues* Domino *pro eo quod ſuper omnia pecora, & ſuper omnia volatilia fecit te ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam? Noli quærere quid ei retribuas: ſimilitudinem ipſius retribue illi, non plus quærit, nummum ſuum exigit. Tu autem pro gratijs agendis, pro humilitate, pro obſequio, pro cultu religioſo, ideſt pro his omnibus bonis, quæ debebas Domino Deo tuo, pro bonis quæ accepiſti quid ipſi retribuiſti? blaſphemias. Quid ergo ille? Confitere, ignoſco, retribuo & ego, ſed non quod tu retribuiſti. Tu retribuiſti mala pro bonis, & ego retribuo bona pro malis.* Cogita ergo anima omnes

Hier. 17. Tit. 3. Adam. Sasbout Delphius. Miſericordia Dei retribuit nobis duplicia bona, pro peccatis. Pſ. 102. 1. Paralip. 29. d. Deus bona nobis pro malis retribuit. Rom. 8. f. Aug. ſuper pſ. 102. t. 8. Pſ. 115. 1. Tim. 2. Gen. 1. Mat. 22.

omnes



*omnes retributiones Dei, cogita omnia mala facta tua. quam multa enim mala facta tua, tam multæ bonæ retributiones eius.*

8 *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Omnes quatuor Euangeliſtæ conſentiũt, hanc eſſe prophetiã præcurſoris Domini, videlicet Ioannis Baptiſtæ. Habuit enim hanc excellentiam ſuper alios Prophetas, quia non ſolum ipſe prophetauit de Chriſto illum digito oſtendens, ſed etiam de illo prophetauerunt alij, nec vnus ſolus, aut alter, ſed tres ex præſtantiſſimis prophetis: Malachias ait. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Propter quem locum multi (vt refert Cyrillus) arbitrati ſunt, Ioannem Baptiſtam non hominem natura, ſed Angelum fuiſſe humano corpore indutum. Et Beda attribuit hunc errorem Origeni. Vt autem errorem iſtum excluderet Euangeliſta, conſulto illum appellauit hominem, vt notauit idẽ Cyrillus, *fuit homo*, inquiens, *miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes*. Igitur Baptiſta dicitur Angelus, non quidem natura, ſed officio, & perfectione vitę. Angelus enim, vt docet ſanctus Thomas, non eſt nomen naturæ, ſed miniſterij, & ſignificat idem quod nuncius. Ioannes ergo (vt Theophilactus docet, & Eutimius, Angelus propterea dictus eſt, quia nuncius fuit Verbi, & non qualiſcumque nuncius, ſed angelicæ vitæ & puritatis. Dicit .n. Chryſ. *Puto, ſi non eſt audacia dicere, glorioſior fuit Ioannes, quia fuit homo, & propter meritũ virtutis angelus eſt vocatus, quam ſi nomine angelus, & natura fuiſſet. Prophetauit de eodem præcurſore Dauid Propheta, cum dixit. Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam chriſto meo.* Vbi iuxta interpretationem Auguſtini, per lucernam, Ioannẽ intelligit Baptiſtam, de quo Dominus ait. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Hanc parauit, hanc accendit Dominus, vt ante faciem Domini noſtri Ieſu Chriſti tanquam præcurſor eius pręcederet. Denique Iſaias in hoc loco prophetauit de eo, vt ex teſtimonio, quod ipſe Ioannes perhibuit de ſeipſo, huius prophetiæ ſenſum intelligerent. Cum enim Scribæ, & Phariſæi, huius loci Iſaiæ memores, miſiſſent ad Ioãnem in deſerto prædicantem, vt interrogarent eum. *Tu quis es?* ipſe reſpondit. *Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta*. Et ſanctus Matthæus idipſum confirmat, ait enim: *hic eſt qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicentem. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius*. Propterea ergo Chriſtus Dominus Ioannem appellauit pluſquam Prophetam, quia Propheta fuit, & de illo inſuper prophetatum eſt. Hæc ratio inſinuatur in ipſo contextu Euangelico. Ait enim: *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiũtur, in domibus regũ ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetã? etiam dico vobis, & pluſquã prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptũ eſt. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

9 Vel, ſecundum Auguſtinum, ex eo dicitur pluſquam Propheta, quia vidit quod prædixit, & digito demõſtrauit Chriſtũ Dominũ, cuius præcurſor extitit. *Ecce*, inquiens, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Alij prophetauerunt de Chriſto, ſed in car-

Ioannis Baptiſtæ prædicationẽ vaticinati ſunt plures prophetæ. Malac. 3. a. Cyrill. li. 1 in Ioã. c. 7. Beda ſuper c. 1. Marci. Ioannes quare homo dicat. Ioan. 1. S. Th. 2. d. 9 ar. 4. ad 2. Theoph. & Eutim. ſup. ca. 11. Matt. Chryſ. ho. 27. imperfecti in Matt. Pſ. 131. Ioan. 5. f. Ioan. 1. e. Ioannes Baptiſta pluſquã propheta, & quare. Mat. 11. Malac. 3. a. Aug. lib. 2. contra literas Petiliani. c. 37.

in car-

in carne illum videre non meruerūt, iuxta illud quod ipſe dixit diſcipulis

Lucæ 10 d

ſuis. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quia multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt*. Ioannes autem, & tetigit, & quod amplius eſt, baptizauit. Eandem rationem aſſignant Chryſoſt. Gregorius, & Caiet. Tertio dicitur pluſquam Propheta, quoniam alij, poſtquam nati ſunt, prophetauerunt in adulta ætate. Ioānes vero in vtero concluſus Chriſtum cognouit, vt Auguſtinus dicit, & adhuc puer de ipſo prophetauit. Vnde cum Hieremias Prophetæ munus à Deo ſibi oblatum recuſaret. *A. A. A.* inquiens, *Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum*, ſubintulit Dominus. *Noli dicere quia puer ego ſum*. ac ſi apertius dicat, non tibi excellentia hæc, ſed Ioanni reſeruatur, quod puer ſit, & Propheta. In laudem enim illius canet aliquando pater eius. *Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*. Has tres rationes vnico contextu comprehendit Chryſoſtomus. *Propheta eſt*, inquiens, *de Chriſto prædicare. Nunquid Propheta fuit, vt in vtero conſtitutus Deum in vtero cognoſceret? Propheta eſt pro merito conuerſationis, & fidei prophetiam accipere, numquid Propheta fuit, vt prius fieret Propheta, quam homo, & ante gratiam acciperet? Prophetæ eſt beneficium à Deo accipere, numquid Propheta eſt beneficium baptiſmatis Deo donare? Propheta eſt verbum ante tempus ſignificare de Chriſto, & nūquid Propheta eſt facie ad faciem digito Chriſtum oſtendere? Propheta eſt vt ipſe de Deo prophetet, numquid Propheta eſt, vt Deus de illo prophetet, dicens, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam?* Iam ad expendenda ſingula verba huius loci procedamus.

Chryſ. ho. 38. i Mat. s. Greg ho. 6. in Euāg. Caiet ſup c. 11. Matt.

Aug Epiſt. 57. ad Dardan.

Hier. 1.

Ioannes puer propheta.

Zach. 2.

Lucæ 1. Chryſ. ho. 27. imperfecti in Matth.

10 *Vox*. Vox eſt quoddam inſtrumentum exprimens verbum ſeu conceptum mentis. Per illam velut per quoddā vehiculum eiuſdem cōceptus cognitio deriuatur ad alios, nec poteſt inter homines aliter quā per vocem conceptus exprimi. Ioannes ergo Baptiſta vox eſt, quia Verbum æternum patris veniens in mundum prædicauit, & maieſtas illius per Ioannis vocem omnibus innotuit. Vnde & Sanctus Lucas ait. *Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus. reſpondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: Veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamentorum eius: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*: Et Euangeliſta teſtimonium perhibet de Baptiſta, *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine*. Magna certe excellentia Ioannis, quod omnes per illum in Chriſtum credant; quod, quaſi proprio vehiculo, per illum cognitio Verbi ad alios perueniat. *Scripturæ ſanctæ* (inquit Aug.) *verbum eſſe diffiniunt, quod intra animi ſilentium mente concipimus: verbum eſſe diffiniunt ipſam cogitationem, quæ adhuc intra conſcientiæ ſecreta retinetur: vocem vero, per quam verbum profertur in mediū: Vox ſonus eſt index cogitationis: verbum vero ipſa cogitatio; ſicut enim, quando verbum corde concipimus, neceſſaria*

Ioannes Baptiſta vox eſt verbi diuini, & quare.

Lucæ 3. d

Ioan. 1.

Aug. ſerm. 1. in natiu. Ioan. Bap.

vox



*vox quaſi quoddā vehiculum verbi: & quauis verbum ipſum per oris ſonum ad alium transferamus; tamen illud integrum etiam intra nos, ideſt clauſum à loquente transfertur, vt in ſua ſede teneatur: Ita & omnipotens Pater innoteſcere nobis volens ſapientiam, & verbum illud quod in principio erat Deus apud Deum, ſicut ipſe teſtatur, eructauit cor meum verbum bonum, beatum Ioannem quaſi vocem, per quam ad nos verbum ſuum proferret, aſſumpſit. Quod quidem verbum de illa ſede ita ad nos deſcendit, vt in ſinu, id eſt in profundo paterni pectoris permaneret, terrena viſitans, & cœleſtia non relinquens*. Vox eſt Ioannes, & vox verbi, quia exacte non explicat verbum patris. nec mirum; quoniam inexplicabile eſt, & immenſum. Vnde & Chryſoſtomus ait. *Vox eſt ſonus cōfuſus, nullum ſecretū cordis oſtendens, ſed hoc tantūmodo ſignificans, quia vult aliquid dicere ille qui clamat. Verbum autem eſt ſermo rationabilis, myſterium cordis aperiens. Adhuc vox inter animalia, & homines communis eſt, verbum autem, hominum tantum. Ideo ergo Ioannes dictus eſt vox, non verbum: quia per Ioannem, neque miſericordias ſuas Deus, neque iuſtitias, neque ante conſtitutionem mundi præparata conſilia demonſtrauit: ſed hoc tantummodo, quia aliquid magni facere Deus in hominibus meditabatur. Poſtea autem, per filium ſuum pleniſſimum myſterium ſuæ voluntatis aperuit, ideo & dictus eſt verbum*. Vox eſt Ioannes, quia maximè coniunctus eſt verbo, & vitæ perfectione ſimillimus. Chriſtus, natura mirante, de virgine natus eſt, Ioānes de ſterili. Chriſti natiuitatem Angelus Gabriel nunciauit virgini, Ioannis natiuitatem Angelus Gabriel nunciauit patri. Chriſtus ſanctificatus eſt, antequam natus, & Ioannes antequam ex vtero naſceretur, ſanctus per Chriſtum effectus eſt. Vnde & Auguſtinus ait. *Hic Ioannes non inuenitur inter diſcipulos Domini, ſed inuenitur potius diſcipulos habuiſſe cū Domino. Quid eſt hoc? quis eſt iſte homo? homo tantum. Quis homo tantus? quantus, tantus homo? Tamen non ſequebatur inter diſcipulos Dominum, & ſequebantur eum diſcipuli. abſit vt dicam contra Dominum, ſed tamen quaſi extra Dominum. Diſcipulos habebat Chriſtus, diſcipulos habebat Ioannes. Docebat Chriſtus, docebat Ioannes. quid iam dicam? baptizabat Ioannes, baptizabat Chriſtus. Plus hic, de baptiſmo dico, à Ioanne baptizatus eſt Chriſtus*. Hinc Bernardus, *tanto* (inquit) *propinquior Deo Ioannes, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris ſonet, oportet intimari, neque enim Ioannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit quem repleuit in vtero ſpiritus matris ſuæ*.

Pſal. 44.

Chyſ. hō. 3. imperfecti in Mat. column. 2.

Aug. ſer 3 in natiuitate Bap. qui eſt 23. de tempore.

Ioānes Baptiſta diſcipulos habet cū Domino.

Ber. in ſer. natiuitatis S. Ioa. Bap.

11 *Clamantis in deſerto*. Nomine clamoris, feruentem deſignat prædicationem Euangelij, (vt explicatur inferius in hoc capite). Et non ait vox clamans, ſed *clamantis*, vt deſignet, prædicatoribus Euangelij dari verba diuinitus, quibus peccatores ad Deum conuertant. In illis enim loquitur Chriſtus (ſicut Paulus ait) *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Et Chriſtus Dominus loquens ad Apoſtolos inquit. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus*

Prædicatores vox ſunt Chriſti loquentis.

2. Cor. 13. a

Mat. 10 c

patris

*patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Remigius.

Vbi, vt notauit Remigius, *duo dicit, quomodo, aut quid, quorum vnum refertur ad ſapientiam, alterum ad oris officium: Quia enim & ipſe ſubminiſtrabat verba quæ loquerentur, & ſapientiam qua ea proferrent, non fuerat neceſſe ſanctis prædicatoribus cogitare quid loquerentur, aut quomodo.* Spiritu ſancto inſpirante, loquuti ſunt ſancti Dei homines, ideo clamor eorum, clamor Dei eſſe dicitur, à quo eſt omnis ſapientia, & omnis veritas quæ annunciatur. Per deſertum, ad literam intelligit deſertum materiale, in quo prædicauit Ioannes, vt mundum deſertum, & virtutibus vacuum deſignaret.

Hie. Epiſt. de vera circũciſione.

*Illud in eo mirandum eſt* (inquit Hieronymus), *quod eremum elegerit, Domini prædicaturus aduentum: non in templis, non loquitur in plateis, multitudinem multitudini profuturus horreſcit. Et cur vox eſt clamantis, ſi declinatur auditor? Opus eſt vtique multitudo doctori. Et quæ in eremo multitudo? ſine dubio nulla. Et quid facit Propheta, qui & vox eſt, & vox clamantis? Elegit, ni fallor, locum, non vbi eum nullus audiat, ſed ad quem populos de naturæ corruptæ conuerſatione reducat, vt in Propheta nouam vitam videntes, diuinam mirari diſcant, ſeque omnibus vitijs circumciſos in eremo eſſe patiantur. Locus ergo ipſe forma doctrinæ eſt, & ipſa prædicatio ſolitudo eſt virtutum. Operatur habitatio, dum vrbium ſequentia ſolicitus relinquit auditor, & eremum, à contagione mundi, velut à theatro hoc voluptatum auulſus, ingreditur.*

Ioãnes Baptiſta quare in eremo prædicauit *

Aug. ſer. 20 de ſanctis to. 10.

Iſai. 32.

Sanctus Auguſtinus, per deſertum, gentium populum intelligit, de quo dictum eſt ſupra. *Et erit deſertum in Carmel*, aut etiam mundum vniuerſum. *Vacua enim timore Dei pectora, & Spiritu ſancto carentia, deſerto ſqualentis eremi comparantur. Deſertum enim erat hic mundus, ab omni cultura fidei, & timoris* Dei, *& peccatorum ſpinis obſitus ſqualebat tanquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fœcunditatem attulerat, nullum imbrẽ gratiæ ſpiritalis acceperat. Mittitur Beatus Ioannes, qui eum per propheticam, atque Apoſtolicam prædicationem, annunciando poenitentiam, quaſi rudem campum proſcinderet, fœcundaret, & excoleret, diuini verbi ſeminibus impleret, & ad maturam frugem, ideſt ad regenerationis gratiam præpararet.* Denique (vt notauit Euſebius) Prædicaturus ſerpentibus Ioannes, & dicturus: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* deſertum, quod abundat ſerpentibus, locum ſuæ prædicationis elegit.

Euſebius. Cæſ lib. 9. demonſ. Euangeli. cap. 5.

Luc. 3. a

12 *Parate viã Domini.* Chald. *Parate viam Domino*, ideſt Chriſto venturo. Sunt qui dicant, verbum iſtud ad Cyrum, & ad Perſas dirigi, qui captiuum Dei populum tenebãt. Ij, cum alieni eſſent à cultu Dei, & obſequio, coguntur eius populum liberare, & parare iubentur, ac ſternere viam, vt in Iudæam captiuus populus reducatur, ac ſi dicat. Ex inuijs peruia facite. Ex quo magna filiorum Dei conſolatio ſubſequitur; cũ videant ipſum profanorũ hominũ vti opera in eorum ſalutem. Sed (vt ſuperius diximus) altiorẽ videtur habere Propheta ſensũ, & vias illas ſpirituales reſpicere, quas in cordibus noſtris per pœnitentiã paramus Domino. Via eſt, obſeruatio mandatorũ, ſemita, conſiliorum dilectio. Viam ambulauit Dominus, cum ſe in creaturas diffudit, propter quod Angelus

Via præparãda Domino qualis ſit.

Chriſtus vias ambulauit & ſemitas.





Iob 40.

qui primo creatus eſt, *principium* dicitur *viarum* Dei. Sed percurrit ſemitas, cum in vterum Virginis eſt ingreſſus; cum pro nobis ſuſpenſus eſt in patibulo. *Vias tuas Domine demonſtra mihi*, (ait Propheta) *& ſemitas tuas edoce me.* cui reſpondens Sapiens, inquit. *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius, pacificæ.* Via Domini fuit, cum deambulabat ad auram poſt meridiem, cum in montem Synai, legem daturus deſcendit. Viæ quidem pulchræ, & greſſus maieſtatem Dei redolentes. At ſemitæ eius pacificæ, cum videlicet *exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, cum introiuit in vterum Virginis, & exijt per clauſam portam, cum pannis inuolutus reclinatur in præſepio, *quia non erat ei locus in diuerſorio*, cum factus eſt *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Iſtæ ſunt ſemitæ pacificæ, quia venit per ſuum ſanguinẽ pacificare, *ſiue quæ in coelis, ſiue quæ in terris ſunt.* Vnde & Rex pacificus merito dicitur magnificat⁹ ſuper omnes Reges terræ. Vias Domino paramus, cum Dei præcepta cuſtodimus, cum opere adimplemus verbum illud Baptiſtæ, *facite fructus dignos poenitentiæ*, cum omne offendiculum, & ſcandalum tollimus: rectas facimus ſemitas eius, cum conſilia ſequimur, & perfectionem vitæ ad illum dirigimus. Sunt enim ſemitæ tortuoſæ, & obliquæ, quas perambulant illi, qui, non propter Deum, ſed vt videantur ab hominibus, faciunt bona opera, ſimulantes longas orationes, & vitæ perfectionem profitentes, ſequuti ſerpentẽ tortuoſum, qui recta neſciuit progredi via, quorum error eo eſt deterior, quo magis ſub pietatis ſpecie detegitur. *Parate* (inquit *& rectas facite*, vt nos admoneat, hominem non intuitum, ſed libera voluntate præparari ad gratiam, & vias ſuas ad Deum dirigere: quia vero hæc præſtare nõ valet, niſi prius id acceperit à Deo, petendum eſt, vt ipſe præparet corda noſtra, & greſſus noſtros dirigat. Scriptum eſt enim. *Præparatur voluntas à Domino.* Et iterum: *Apud* Dominum *greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet.* & rurſus Apoſtolus ait. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem.*

Pſal. 24

Prou. 3.

Gen. 3.

Viæ Domini pulchræ & ſemitæ pacificæ.

Phili. 2. a

Luc. 2. a

Phili. 2. a

Coloſ. 1. c

Lucæ 3. b

Prou. 8.

Pſal. 36.

Heb. 13 d

13 *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Sicut Chriſtus Dominus dicit in Euangelio. *Iugũ meũ ſuaue eſt, & onus meum leue*, ita & nunc Propheta teſtatur, facilia fore præcepta Euangelica, & viam illius ita planam, vt etiam paruuli abſque offenſione illã poſſint perambulare, ſecundum illud quod dictum eſt ſupra, *Hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.* Prius ad conſolationem populum induxerat, nunc vero docet, quod merito ſunt conſolandi fideles, quia videlicet, ea quæ hactenus onera erant importabilia, & aſpera, Dominus aduentu ſuo, portabilia, & ſuauia reddidit, atque dulciora ſuper mel & fauum. Arduus mons, & conſcenſu difficilis videtur, animam ponere pro fratribus ſuis, abnegare ſeipſum, & tollere crucem ſuam, & Chriſtum Dominum ſequi, renunciare carni, & ſanguini, inimicos diligere, omnia mundi gaudia contemnere, & ad cœleſtia anhelare: at poſtquam Chriſtus Dominus pro nobis mortuus eſt, nihil horum credentibus in illum, atque vitam æternam ſperantibus

Mat. 11. d

Iſa. 35. d

Legis iugũ in ſuauitaté legis Euangelicæ cõmutauit Chriſtus.

rantibus eſt difficile. Has vias, & ſemitas, etiam puellæ & virgines delicatæ tanta facilitate percurrerunt; ac ſi omnia plana eſſent, & peruia. Iugum intolerabile lex erat antiqua, de quo Petrus Apoſtolus ait. *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri, portare potuimus?* Sed illud in ſuauitatem legis Euangelicæ Chriſtus Dominus commutauit. Poſſunt per valles, intelligi humiles, & per colles, & montes, ſuperbi. Illos exaltauit Chriſtus Dominus ſuo aduentu, cum humilitatem, & paupertatem erexit; illos depreſſit, & humiliauit, iuxta illud quod in ſuo cantico cecinit virgo. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Vnde & per Prophetam dicitur. *Contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.* Quibus verbis, vt ſuperius obſeruaui, deſignat, in aduentu Domini ſuperbos conterendos eſſe, & in nihilum redigendos. Per praua & aſpera, pectora eorum poteris intelligere, qui moribus erant corrupti, & à manſuetudine Euangelica omnino alieni: quorum Dominus adaptauit corda, vt legem ſuſciperent Euangelicam.

Act. 15. b — Lucæ 1. — Abac. 2. — ſup. cap. 2. au. 23.

14 *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini loquutum eſt.* Senſus eſt. Hactenus tenebræ erant ſuper faciem terræ, & Chriſtus Dominus, qui gloria eſt Dei patris, etiã apud Iudæos ſub velamine legis cognoſcebatur, ſub vmbris & figuris antiquis; at poſtquam venit plenitudo temporis, reuelata eſt gloria Dñi, quoniã *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei*, vt nõ ſolũ populus Iudæorũ, ſed *omnis caro*, ideſt, omnis populus Chriſtum Dominum agnoſcat. Vnde & Apoſtolus ait. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Quid eſt, *nos omnes*, niſi *omnis caro*, omnes qui in Chriſtum credimus, & legem Euangelicam profitemur, qui relictis vmbris, & figuris, ſequimur veritatem. *Omnes*, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue domini; *non enim eſt apud Deum diſtinctio Iudæi, & Græci.* Omnes videmus, gloriam Domini, ac ſi diceret, in nobis adimpletur propheticum dictum: *Et reuelabitur gloria Domini, &c.* Septuaginta interpretes, pro, *quod os Domini loquutum eſt*, transferunt, *ſalutare Dei*. & redit in eundem ſenſum. nam ſiue dicas, *quod os Domini loquutum eſt*, ſiue *ſalutare Dei*, Chriſtum oportet intelligas, qui verbum eſt Dei patris, ex vtero ante Luciferum genitus, & ſalutare Dei, in quo eſt omnium hominum ſalus, ſicut dicit Petrus Apoſtolus. *Et non eſt in alio aliquo ſalus. Neque enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Expendatur illa vox, *caro*, ſignificat enim eos, qui doctrinam ſuſcipiunt Euangelicam, non habere cor lapideum, ſed carneum, ideſt, cor docile, & humile, non proteruum, & inflatum. Vnde per Ezechielẽ dicitur. *Et dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneũ: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantque ea.* Prius aufert Dominus cor lapideum, & tribuit homini cor carneũ,

Titũ 3. l — 2. Cor. 3 d — Lex Euãgelica abſque vmbris veritatẽ docet — Ro. 10. b — Pſ. 109. — Act. 4. b — Cor carneum non lapideum veritatem agnoſcit, & ſuſcipit — Ezech. 11. c

quam



quàm legem eius ſuſcipiat, & obediens ſit mandatis eius. Lex antiqua in tabulis lapideis ſcripta fuit; quoniam populo duræ ceruicis impoſita: Lex autem gratiæ, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ſcribitur; quoniam hominibus datur captiuantibus intellectum in obſequium fidei. *Dabo* (inquit) *legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Vnde & Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ob omnibus hominibus. manifeſtati quod epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Igitur, vt ait Hieronymus, illa caro videbit ſalutare Dei, de qua per Ioelem dicitur. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.*

Hier. 31 f — 2. Cor. 3. a — Ioel. 2.

15 *Vox dicentis: Clama. & dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo.* Quemadmodum filius Dei, non prius carnem aſſumpſit, quàm genus humanum tam in lege naturæ, quàm in lege ſcripta longa experientia cognoſceret, ſe indigere gratia Redemptoris, nec poſſe ſuis viribus à peccatis reſurgere, & ad patriam peruenire cœleſtem: ita nũc propheta loquuturus de incarnationis myſterio, & de lege gratiæ, per quam à delictis omnibus emundamur, proponit prius fragilitatem carnis noſtræ, & humanæ naturæ infirmitatem, vt omnes agnoſcant, quid ex natiuitate carnali habeant, quid ex regeneratione ſpirituali; quæ fit per gratiam Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Ex illa habent, quod ſit fœnum, quia *omnis caro fœnum*, ex iſta habent, quod ſint filij Dei, non ex meritis naturæ, ſed ex gratia. Sicut ſcriptum eſt. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ideo ſæpius inculcat propheta, carnem noſtram eſſe fœnum, vt non glorietur omnis caro coram illo, nec ſuis meritis tribuat, quod Dei verbum factum ſit caro. Ait ergo. *Clama*, non remiſſa, ſed alta voce prædica, vt omnes audiant, omnes agnoſcant, ſe peccatores eſſe, carnales, & fragiles, & per humilitatem & cognitionem propriam, ad vitæ immortalitatem perueniant, quam per ſuperbiam amiſerant. Eſt autem homo compoſitus ex corpore & anima, ex carne & ſpiritu, & ex vtroque magnam habet humilitatis materiam. Si carnem ſpectet, *omnis caro fœnum*; ſi animam, *omnis gloria eius quaſi flos fœni*, gloriatur caro in pulchritudine ſua, gloriatur anima propter animi virtutes, propter ſcientiam & ſapientiam, propter prudentiam, & alia ſpiritualia bona, ſed hæc omnia cito tranſeunt, & deficiunt, quia *omnis caro fœnum*, fragilis & caduca, & ſicut dicit Hieron. *Qui dudum infans, ſubito puer, qui puer repente iuuenis, & vſque ad ſenectutem per ſpatia mutatur incerta: & ante ſe ſenem intelligit, quàm iuuenem non eſſe ſe miretur. Pulchra mulier quæ adoleſcentulorum poſt ſe trahebat greges, arata fronte contrahitur: & quæ prius amori, poſtea faſtidio eſt*, quod &

Xps venit poſtq̃ homo expertus eſt q̃d poſſet p naturam. — Ioan. 1. — Caro eſt quaſi flos fœni. — Hieron. — Hominis fragilitas.

X

apud

apud Græcos egregius ſcribit Orator: ſpeciem corporis aut tempore deficere aut languore conſumi. Vnde ſanctus Iob, hominis fragilitatem
Iob 14.a deſcribens: *Homo* (inquit) *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Quem locum explicans Gregorius, ait.
Greg. 11. Moral. 26. *De muliere natus quid in ſe habebit fortitudinis, qui prodijt ex infirmitate? Quaſi flos etenim egreditur, quia nitet in carne; ſed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim ſunt nati homines in mundo, niſi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præſentis, & ecce quaſi tot floribus, quot hominibus plenus eſt. Vita itaque in carne, flos in fœno eſt. Vnde bene per pſalmiſtam dicitur:*
Pſ. 102. *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, ſic efflorebit, Iſaias quoque ait. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos agri. Homo etenim more floris procedit ex occulto, & ſubito apparet in publico: qui ſtatim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas oſtendit, ſed ariditas pulueris ab aſpectibus retrahit. quaſi flos apparuimus, qui non eramus: quaſi flos areſcimus, qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem, recte adiungit: & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Ne inflaretur homo, ſed ſuam fragilitatem & imbecillitatem carnis agnoſceret, repletur multis miſerijs vita humana, & ab infirmis & minimis animalibus, culicibus, muſcis, & vermibus infeſtatur ſæpe; hæc enim omnia Deus creauit, vt ſuperbiam hominis retunderent. Vnde & Auguſtinus ait.
Aug. tract. 1. in Io. in illa verba oia p ipſũ facta ſunt, circa finẽ. *Propter ſuperbiam inſtituit Deus iſtam creaturam minimam & abiectiſſimam, vt ipſa nos torqueret: vt cum ſuperbus fuerit homo, & ſe iactauerit aduerſus Deum, & cum ſit mortalis, mortalem terruerit: & cum homo ſit, proximum hominem non agnouerit, cum ſe erexerit, pulicibus ſubdatur. Quid eſt quod te inflas humana ſuperbia? homo tibi dixit conuitium, & timuiſti, & iratus es: pulicibus reſiſte, vt dormias: cognoſce quid ſis.*
Animalia parua infeſtãt hominem vt humilietur. *Nam vt noueritis, fratres, propter ſuperbiam noſtram domandam creata iſta, quæ moleſta nobis eſſent. Populum Pharaonis ſuperbum potuit* Deus *domare de vrſis, de leonibus, de ſerpentibus: muſcas & ranas illis immiſit, vt rebus viliſſimis ſuperbia domaretur.* In quo magis apparet ſapientia Dei, & fortitudo, cum rebus infirmis potentiam hominis ſuccumbere facit.
Animalia parua, Dei fortitudo dicuntur. Propter quod hæc minima animalia, fortitudo Dei magna dicuntur, propheta atteſtante.
Ioelis 2. *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, & bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam miſi in vos.* Vbi non ſolum fortitudinem Dei, ſed & fortitudinem magnam, vermiculos dixit. In illis Dei fortitudo maxime ſplendet, & hominis imbecillitas demonſtratur. Vnde & Hieronymus ait.
Hier. ſup Ioelem. *Quomodo potentia Dei in Aegyptijs plagis oſtenſa eſt per parua animalia, & præcipue cyniphes, qui tam parui ſunt culices, vt vix cernantur oculis, ſic & nunc in paruo, tardoque vermiculo, qui vix moueri poteſt, & leni tactu conteritur, Dei potentia, & humana fragilitas demonſtratur. nõ quòd Deus ad nutum ſuum, & potentia maieſtatem nequeat terras ſubuertere, &*





*operire cuncta diluuio, vel fulmine concremare, ſed per parua, & vt ita dicam, puncta corporum, oſtendit humanam fragilitatem. Si autem eruca paruuſque vermiculus fortior homine eſt, quid gloriatur terra, & cinis, & elata per ſuperbiam (cum ex humo ſit, à quo homo appellatur) humana contemnit?*

10 Quod ſi terræ oblitus, ex qua conditus eſt homo, ad virtutes animi contemplandas ſe conuertat, nihil tam excellens in ſe reperiet, quod non cito marceſcat, & pereat, niſi manu creatoris conſeruetur. Nihil habet homo proprium, totum accepit à Deo, etiam animam, qua mouetur, & viuit, quia ſpiritus Domini inſſlauit in eo, ſecundum illud quod habetur in Geneſi.
Gen. 2. a *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.*
Flatus Dei quid ſignificet. Poteſt etiam per flatum, quo Deus ſufflauit in fœnum, ſententia illius intelligi, qua propter peccatum primi parentis, homo obnoxius eſt morti, ſicut ſcriptum eſt.
Gen. 3. *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Multoties enim in ſacris literis, ira & ſententia Dei, flatus dicitur, ſicut ait Iob.
Iob 4. b *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. Flante*, id eſt, ferente ſententiam. Poteſt denique, per flatum, intelligi leuis aura, qua multoties carnis pulchritudo marceſcit, in grauem incidens infirmitatem, quæ omnem rapit decorem illius. Ex quo magis apparet fragilitas eius, cum æſtu ſolis, aut leui flatu intereat. Iuxta quod Iacobus Apoſtolus ait. *Quæ eſt enim vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens.* Iacobi 4 d
Vnde & ſubditur.

17 *Vere fœnum eſt populus: exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini noſtri manet in æternum.* Applicat fœni ſimilitudinem, & inquit, populum, & illius potentiam, quantumuis floreat, nihil aliud eſſe, quàm fœnum inſtabile; * *quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit: dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur.* *Greg. 17. Moral. 5.
Fœnum ſignificat populum carnalem. *Sic ad nubila fumus attollitur, ſed repente in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula deſcendendo ſe erigit: ſed exortus hanc ſolis radius ac ſi non fuerit abſtergit, ſic in herbarum ſuperficie nocturni roris humor aſpergitur, ſed diurni luminis ſubito calore ſiccatur. Sic ſpumoſæ aquarum bullæ incohoantibus pluuijs exſiccatæ, ab intimis certatim prodeunt, ſed eo celerius diruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur. Cumque excreſcunt vt appareant, creſcendo peragunt ne ſubſiſtant. Fœnum eſt populus*, & fœnum illud quo diabolus veſcitur, ſicut de illo dixit Dominus loquens ad Iob. *Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet*, quia carnalibus hominibus & humanæ glorię cupidis delectatur: Iob 40. b
At hoc vnum illis reſtat ſolatium, quia verbum Domini manet in æternum, verbum inquam illud, de quo ait Euangeliſta: *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ioan. 1.
Fragiles quidem ſumus, & caduci, ſed ſtabile atque ęternum eſt verbum Dei. In nobis deficimus, ſed in illo permanemus. Ex meritis noſtris

eſca ſatanæ facti ſumus, ſed gratia illius Dei cibus efficimur: Igitur non aliunde petenda eſt conſolatio, quàm à Deo, qui manet in æternum, vt æternitate perfruamur illius. Vnitur verbum diuinum fœno fragilitatis humanæ, & natum ex Maria Virgine, ſuper paleas & fœnum reclinatur in præſepio, vt flos fœni deinceps non decidat, ſed maneat in æternum.

Chriſtus natus quare ſup fœnum ſit poſitus.

18 *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus veſter.* Deſcribit qualitates prædicatoris Euangelici, & explicat quibus ſit annunciandũ Euangelium, ac denique ſcopum, ad quem omnis prædicatio dirigitur. Prædicanti Euangelium præcipitur, quod ſuper excelſum montem aſcendat. Mons excelſus, (vt ſuperius diximus) Eccleſiam deſignat Catholicam, ſupra montem poſitam, & perfectionem Euangelicam, qua electi omnium terrenorum obliti, ad cœleſtia capeſcenda tota mentis auiditate conſcendunt.

Sup. cap. 2. nu. 4. & 5.

Significat etiam mons diuinam Theologiam, quæ, vt Gregorius Nyſſenus inquit, mons arduus eſt, ac difficilis, ad cuius radices multitudo vix poteſt peruenire.

Greg. Nyſſen, lib. de vita Moyſi

Et iuxta iſtas tres acceptiones, tria documenta debent Euangelij prædicatores colligere. Primũ enim oportet, quod prædicator ſit fidelis, ſuum in obſequium fidei captiuans intellectum, ſit Eccleſiæ Catholicæ membrum, vt alijs prodeſſe poſſit, vnde infideles & hæretici, qui ab vnitate Eccleſiæ ſeparant ſemetipſos, tolerandi non ſunt, neque audiendi.

Prædicatoris Euangelici conditiones*

Secundo debet vitæ perfectione ſicut mons alios tranſcendere; eſt enim ſpeculator, ſicut ad Ezechielem dicitur. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.* Speculator autem nõ eſt, qui in immo iacet, ſed qui in alto ſtat ſuper ſpeculam.

Ezech. 3 d

Quiſquis ergo ad munus prædicationis eligitur, in alto debet ſtare per vitę perfectionẽ, vt alijs poſſit prodeſſe. Vnde & Greg. ait. *Qui prædicationis locum ſuſcipit, ad altitudinem bonæ aſcendat actionis. Ad excelſa tranſeat, & eorum, qui ſibi commiſſi ſunt, opera tranſcendat, vt ſubiectorũ vitam tanto ſubtilius videat, quanto & terrenis rebus, quas deſpicit, animum non ſupponit. O quã dura mihi ſunt iſta quæ loquor, quia memetipſum loquendo ferio, cuius neque lingua (vt dignũ eſt) prædicationem tenet, neque inquantũ tenere ſufficit, vita ſequitur linguam. qui ocioſis verbis ſæpe implicor, & ab exhortatione atque ædificatione proximorũ torpens, & negligens ceſſo. qui in cõſpectu Dei factus ſum mutus, & verboſus: mutus in neceſſarijs, uerboſus in ocioſis. Sed ecce ſermo Dei de ſpeculatoris vita cõpellit vt loquar. Tacere non poſſum, & tamen loquẽdo me ferire pertimeſco. Dicam, dicam, vt etiã cõtra me ſermo* Dei *ſonet per me. Ego reum me eſſe non abnego: torporem meum atque negligentiam video.* Erit *fortaſſe apud pium iudicem impetratio veniæ ipſa cognitio culpæ.* Et poſt pauca: *Quis ergo ego, vel qualis ſpeculator ſum, qui non in monte operis ſto, ſed adhuc in valle infirmitatis iaceo? Potens vero eſt humani generis Creator & Redẽptor indigno mihi & vitæ altitudinẽ, & linguæ efficaciam donare, pro cuius amore in eius eloquio nec mihi parco.*

Greg. ho. 11. ſuper Ezech. col. 2.

Vide ſup. c. 21. nu. 9.

*Eſſe ergo ſpeculatoris vita & alta debet ſemper, & circumſpecta. Ne enim terrenarum rerum amori ſuccumbat, alta ſit: ne occulti hoſtis iaculis feriatur, ex omni latere circumſpecta. Neque enim*





*ſpeculatori ſufficit, vt alte viuat, niſi & loquendo aſſidue ad alta auditores ſuos pertrahat, eorumque mentes ad amorem cœleſtis patriæ loquẽdo ſuccendat.* Tertio neceſſe eſt, quod qui prædicatione ſua alios inſtruere cupit, prius ipſe montem ſacræ theologiæ, & diuinarum Scripturarũ conſcendat, nec velit prius fieri aliorũ magiſter, quàm fuerit ipſe diſcipulus.

Prædicator ſit prius diſcipulus quam magiſter.

Sunt enim quamplurimi, qui prædicationis officium ardenter appetunt, cum tamen ea quæ diſpenſare debent ignorent: hauriant ergo ex fontibus Scripturarum, quæ animarum ſaluti apta fuerint, & tunc eorum prædicatio vberrimos fructus afferet in Eccleſia. Scriptum eſt enim: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus, virtute multa. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.*

*Pſa. 67.*

*Ibid.*

Quorum verborũ ſenſus eſt: O prędicatores Euangelij, qui eſtis pennæ columbæ, ideſt Eccleſiæ, per quas eleuatur ad cœleſtia, & pennæ deargentatæ, eloquijs videlicet diuinæ ſapientiæ, de quibus dicitur, *eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum: probatum, terræ purgatum ſeptuplum. Si dormiatis inter medios cleros*, ſi ſcrutemini Scripturas, & in contemplatione duorum teſtamentorũ quieſcatis; Dominus dabit vobis verbum euangelizantibus, virtute multa.

Prædicatores ſunt pennæ columbæ deargentatæ

*Pſ. 11. b*

*Magnum aliquod bonum eſt* (ait Auguſt.) *dormire inter medios cleros: quæ nonnulli duo teſtamenta eſſe voluerunt, vt dormire ſit inter medios cleros, in eorum teſtamentorum auctoritate requieſcere, ideſt vtriuſque teſtamenti teſtimonijs acquieſcere, vt quando aliquid ex his profertur, & probatur, omnis cõtentio pacifica quiete finiatur. Quod ſi ita eſt, quid aliud admonere videtur Euãgelizantes virtute multa, niſi quia tunc eis Dominus dabit verbum, vt Euangelizare poſſint, ſi dormiant inter medios cleros? Tunc eis verbum veritatis datur, ſi auctoritas ab eis duorum teſtamentorum non relinquatur, vt ipſi ſint & pennæ columbæ deargentatæ, quorum prædicatione in cœlum gloria fertur Eccleſiæ.*

Aug. ſup. Pſal. 67. tom. 8.

Dormire inter medios cleros quid ſit.

19 *Exalta in fortitudine vocem tuam.* Prædicatores Euangelij exaltare vocem præcipiuntur, quoniam non vni genti aut alteri, ſed vniuerſo mundo annunciandum eſt: ideo aſcendit ſuper montem, vt omnes audiant, omnes intelligant. Quod autem ait, *noli timere*, coincidit cum verbis Saluatoris. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & non habent amplius quid faciant.* Nec enim eſt propter timorem, aut alium affectum carnalem veritas occultanda, ſed potius coram aduerſarijs voce intrepida prædicanda.

*Mat. 10*

Vnde & Iſaias iterum atque iterum prædicatorem admonet, dicens, *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* **Præconis officium ſuſcipit, quiſquis ad munus prædicationis accedit, vt ante aduentum iudicis clamãdo gradiatur. Sacerdos ergo ſi prædicationis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus? Hinc eſt enim quod ſuper paſtores primos in linguarum ſpecie Spiritus ſanctus inſedit: qui nimirum quos repleuerit, de ſe protinus loquentes facit. Hinc Moyſi præcipitur, vt tabernaculum ſacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: vt videlicet voces prædicationis habeat, ne ſuperni ſpectatoris iudicium ex ſilẽtio offendat. Scriptum quippe eſt: Audiatur ſonitus, quando ingreditur, vel egreditur*

Prædicator, præconis habet officium.

*Greg. in paſtorali. part. 2. ca. 4.

*Act. 2.*

*Exod. 28.*

*Ibidem.*

*tur ſanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur: quia iram contra ſe occulti iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit.* Annunciatio autem Euangelij prædicitur, facienda Sion, & Hieruſalẽ, & ciuitatibus Iuda, quia primo prædicandũ erat Euangelium populo Iudæorum, ſecundum illud quod dicit Apo-

Act. 13. g ſtolus, *Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Prædicandum ergo erit Euangelium ciuitatibus Iuda, ideſt confitentibus nomen Domini: Iuda enim confeſſio interpretatur. Et iuxtà hanc explicationem, Sion, & Hieruſalem eſt datiui caſus. Sed iuxtà tranſlatio-

S. Hieron. nem B. Hieronymi, videlicet, *Super montẽ excelſum aſcende tu, quæ Euãgelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, quæ Euangelizas Hieruſalem*, nomen Sion, & Hieruſalem eſt vocatiui caſus, & ſenſus eſt. O Sion, ò Hieruſalem, quæ Euangelizas Chriſtũ, exaltare, aſcende ſuper mõtem, quia tu eris magiſtra orbis terrarum. Ex te exiet prædicatio Euangelij, ſecundum illud quod dictum

Iſaiæ 2. eſt ſupra. *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.*

20 *Ecce Deus veſter.* Hoc clamauit vox illa, quæ audita eſt in deſerto, hoc prædicauit Ioannes, cum

Ioan. 1. d dixit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* hoc annunciauit Petrus, & cæteri Apoſtoli, qui Chriſtum Dominum eſſe verum Deum, & Saluatorem mundi prædicauerunt.

Mat. 16 e Ait enim. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et iterum. *Et non eſt in alio*

Act. 4. c *aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Hic ergo locus aperte deſignat incarnationẽ Verbi, & aduentum filij Dei, qui humanam naturam ſibi vniuit, ita vt vere dicatur Deus, & homo. Iudæus

dicit. *Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?* Gentilis ait. *Ecce homo.* Ita dixit Pilatus turbis, Marci. 6. a Ioan. 6. e Ioan. 19 a

cum adduxit Chriſtum foras portãtem coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum: vere enim agnoſcebat hominem, quem flagellatũ videbat, alapis cæſum, & ſpinis coronatum; nos autem annunciãtes, dicimus. *Ecce Deus veſter*, & Chriſtum Domini diu expectatum iam aduenisse gaudemus. Lege circa iſtum locum ſupra dicta. Sup. ca. 11 num. 5. ca. 25. nu. 18.

21 *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur.* Nequis ſcandalizaretur, audiens, Dei filium ad nos venire carne indutum mortali, & diceret infirmum eſſe, & impotentem ad liberandum hominem à peccato, docet venturum eſſe in fortitudine, quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Venit in fortitudine, quoniam fortem armatum cuſtodientem atrium ſuum, hoc eſt, Principem tenebrarum deuicit, & vniuerſa arma eius abſtulit, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit, vt iam latius diximus. Venit in fortitudine, Sup. cap. 9. num. 10.

quoniam tanquam poteſtatem habens, dæmonibus imperauit, mari, & ventis, & ſtatim obediebant ei; quoniam tanquam Dominus vitæ, mortuos ſuſcitauit, infirmos ſanauit, & alia multa mirabilia fecit; quoniam *mortem noſtram moriẽdo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit*; quo-

niam



niam tanquam fortis debellator deſcendit ad inferos, & vectes ferreos confregit, & ſuos, qui mortis vinculis captiui tenebantur, abſoluit. Cru-

2. Cor. 13. b cifixus eſt ex infirmitate, quia caro pro nobis factus eſt: ſuſpenſus eſt patibulo, ſed *ibi abſcondita eſt forti-*

Abac. 3. a *tudo eius, ante faciem eius ibit mors.* Ipſo adueniente non regnabit peccatum in noſtro mortali corpore, non erimus amplius ſub tyrannide principis tenebrarum, ſed *brachium eius dominabitur*, ideſt, gratia, & fortitudo Dei, ipſa erit in auxilium noſtrum, vt nos protegat, & defendat, ita vt homini infirmo clamare

Philip. 4 c liceat cum Paulo. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

22 *Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Vox eſt mutuæ inter nos exhortationis, quaſi dicat. Agite viros fortes, non deſpõdeatis animo; nam qui de cœlo venit in adiutorium noſtrum, in manu habet mercedem operis & laboris, quã dabit ſtrenue laborantibus, & pro fide certantibus vſque ad mortem. Nemo irremuneratus abibit. & bis repetit eandem ſententiam; nam opus, idem eſt, quod merces operis. Sic accipitur Leuitici 19. *Non mora-*

Leuit. 19 e *bitur opus mercenarij tui apud te vſque mane.* Ex quibus collige, opera eſſe ad ſalutem neceſſaria; merces enim debetur operibus: Deus autem qui ea remunerat, gratiam do-

Aug. nat vt valorem accipiant, & ſicut Auguſtinus ait. Noſtra vult eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Merces in hoc loco ad vtrumque pertinet, & ad bonum, & ad malum, ita vt ſenſus ſit in promptu habet præmium, quod retribuat bonis, videlicet vitam æternam, & opus quod malis reddat, nẽpe damnationem æternam. Præmium electorum mercedem dixit, & retri-

butionem peccatorũ, opus, quia onus eſt intolerabile. Poſſunt aliter hæc verba accipi, ita videlicet, vt merces eius referatur ad gloriam animę, quã ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit Chriſtus, vt ex illis verbis Euangelij, *Scio eum, & mandata eius ſeruo*, probat S. Thom. *Opus* (inquit) *eius refertur ad opus paſſionis & redemptionis generis humani, de quo ad Patrem loquens ait. Opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* & ad diſcipulos. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* de quo etiam ſuperius dixerat. *Vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Et ſenſus eſt. Cum Redemptore mundi eſt merces eius, videlicet viſio beatifica, quæ debita erat animæ illius, non quidem propter merita præcedentia, cum ab inſtanti conceptionis eam habuerit, ſed propter vnionem hypoſtaticam, ratione cuius debebatur animæ illius. Et quamuis ſemper frueretur diuina eſſentia, inceſſanter habebat præ oculis mortem, quam pro totius mundi peccatis ſuſtinere voluit. Vnde & Chriſtus, cum primum conceptus eſt in vtero Virginis, agnoſcens beneficia, quæ animę illius collata ſunt à Patre, in gratiarum actionem morti ſe obtulit libenter; Apoſtolo atteſtante. *Ingrediens mundum dicit: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuã.* Quem locum expendimus ſupra.

Xpi anima ab inſtanti conceptionis ei⁹ fuit beata S. Tho. 3. p. q. 9. ar. 2. — Ioan. 8. — Ioan. 4. — Iſai. 28. — Nu. 40. — Xps mortẽ præ oculis ſemper habuit. — Heb. 10. b — Sup. c. 1. nu. 28.

23 *Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.* Prædixerat Ezechias Rex Iſrael, *fiat tantum pax in die-*

Iſa. 39. d *bus meis*, non curãs de ſalute populi, neque filiorum pacis & proſperitati conſulens, ſed ſuæ duntaxat inten-

X 4 dens.

dens. Modo autem paſtor repromittitur Iſraeli, qui curam habeat illius, ac ſi aperte dicatur. Ex quo Reges veſtri, alioqui iuſti & ſancti, nõ curant de vobis, ego vos conſolabor, ego vobiſcum omnia paſtoris munia adimplebo. Paſtor iſte Chriſtus eſt, qui de ſemetipſo teſtimonium perhi-

*Ioan. 10*

bens, ait. *Ego ſum paſtor bonus.* Nos quidem ſumus populus eius, & oues paſcuæ eius, oues ignorantes, & errantes, inermes, & prædæ luporum expoſitæ: Chriſtus autem noſtri curam agit, vt bonus paſtor animam ſuam ponens pro ouibus ſuis. *Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & fugit; & lupus rapit, & diſpergit oues.* Vnde duas

Paſtoris duæ conditiones.

couſtituit veri paſtoris conditiones, quæ in Chriſto Domino ſplenduerũt maxime. Prima eſt, quod gregem ſuum paſcat: qui ergo non paſcunt oues, ſed ſemetipſos; qui non quærunt earum ſalutem, ſed proprium commodum, non paſtores ſunt, ſed raptores, de quibus ſcriptum eſt. *Paſtores tui lupi veſpere non relinquent in mane.* Et iterum. *Principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auare ad ſectanda lucra.* Contra iſtos ſupremus omnium paſtor dicit.

*Sophoniæ 3.*

*Ezech. 22. f*

*Hier. 23 a*

*Væ paſtoribus, qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit* Dominus. *Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores, qui paſcunt populum meum: Vos diſperſiſtis gregem meũm, & eieciſtis eos, & non viſitaſtis eos: Ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum,* ait Dominus. Et rurſus ad Ezechielem ait. *Fili hominis, propheta de paſtoribus Iſrael: propheta & dices paſtoribus: Hæc dicit* Dominus Deus:

*Ezech. 34. a*

*Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meũ non paſcebatis.* Chriſtus autem oues ſuas carne propria & ſanguine paſcere dignatus eſt, animam pro ouibus tribuens, & carnem ouibus. Secunda cõditio veri paſtoris eſt, quod ouium infirmitati ſe accommodet, & fragilitati vniuſcuiuſque condeſcendat, ſuper humeros ſuos portans iſtã, & in ſinu ſuo fouens illam, nulli parcens incommodo, vt curam habeat earum.

Paſtor & Prælatus ſubditorũ infirmitati condeſcendat ſicut Iacob. Vide c. 22. num. 22.

Talem affectum gerebat erga oues, ſeu greges Laban, ſanctus Patriarcha Iacob. Ait enim. *Viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi; ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas: die noctuque æſtu vrgebar & gelu, fugiebatq. ſomnus ab oculis meis.* Et ad Eſau loquens, ait. *Noſti Domine mi, quod paruulos habeã teneros, & oues, & boues foetas mecum: quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum: & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, donec veniam ad Dominum meum in Seir.*

*Gen. 31. f*

*Ibid.*

Talem ſe exibuit Chriſtus Dominus erga gregem ſuum; agnos enim, ideſt humiles, qui infirmitatem ſuam agnoſcunt, leuauit brachio virtutis ſuæ, illos corroborãs; alios vero, ideſt, magis teneros ac debiles in ſinu fouet, & oues fœtas ſuper humeros ſuos portat. Agnos inquit, & oues, non ſerpentes, & viperas, non baſiliſcos. & tauros, qui ſimplicitatẽ neſciunt, & manſuetudinem: ſed quandam fe-

ritatem



ritatem præ ſe ferunt. Non enim eſt ferarum Paſtor, ſed ouium, ait enim. *Saluabo gregẽ meũ, & non erit vltra in rapinã, & iudicabo inter pecus, & pecus: & ſuſcitabo ſuper eas paſtorẽ vnum qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem.* Per oues autem fœtas intelligit Hieronymus, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, qui per Euangelium multos filios generant Chriſto, iuxta illud quod dicit Apoſtolus. *Nam in Chriſto Ieſu per Euangeliũ meum ego vos genui.* Et iterum ait. *filioli mei quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Vnde, & apud Iob, per parturientes ceruas deſignantur, quæ incuruantur ad fœtum, pariunt, & vagitus emittunt, vt ex ſancto Gregorio obſeruauimus in prologo ad lectorem.

*Ezech. 34.*

Apoſtoli ſunt oues fœtæ.

*1. Cor. 4. c*

*Galat. 4 c*

Vide tom. 1. in prol. ad lect.

Tanto denique charitatis affectu proſequutus eſt Chriſtus ouem perditam humanæ naturæ, vt dimiſerit nonaginta nouem in deſerto, & venerit ad illam quæ perierat, donec inuenit eam, & cum inueniſſet, impoſuit ſuper humeros gaudens. Reliquit enim nouem angelorum choros in deſerto, hoc eſt in cœlo, (quod deſertum dixit,) vt notauit Gregorius, quia illud deſeruit homo, cum peccauit; aut vero, quia deſertum reputatur à Deo, niſi ab hominibus inhabitatum fuerit: & vnam humanam naturã aſſumpſit, iuxtà quod & Paulus ait. *Nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Quid ad hæc dicent paſtores, nullam curam habentes ouium, pro quibus Chriſtus mortuus eſt? *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis* (ait ad illos Dominus per Prophetam) *& quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo: & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret.* Vide qualiter præ dolore animi eandẽ bis ſententiam repetat, non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret.

*Luc. 15. a*

Cœlũ deſertum dicitur, & quare.

*Heb. 2. d*

*Ezech. 34. a*

24 *Quis mẽſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molẽ terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?* Quoniam in præcedentibus multa prædixerat Iſaias, quæ difficilia videbantur, & ab humano intellectu incognoſcibilia, ſicut eſt illud, *Deus veniet ad ſaluandum nos:* & illud, *& videbit omnis caro ſalutare Dei:* neque enim humana ratione inueſtigari poteſt incarnationis myſterium à ſæculis abſconditũ in Deo; ideo, in præſenti, magnitudinẽ Dei, & immenſitatem potentiæ ipſius declarat, vt omnes cognoſcant, non eſſe *impoſſibile apud Deum omne verbũ.* Item etiam quoniam fides Catholica (ſicut Athanaſius ait) nos obligat, *vt credamus, & confiteamur, quia* Dominus *noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtãtia patris ante ſæcula genitus: homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus: Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens;* antequam ea, quæ in quantum homo paſſurus erat, prædiceret, explicat quæ illi cõpetunt ſecundum quod Deus, vt omnes expendant miſericordiam eius,

*Iſa. 38. b*

*Luc. 3. b*

*Luc. 1. d*

Athanaſ. in ſymbolo fidei.

Chriſtus Deus & homo.

qui

qui, Deus cũ ſit, & omnipotens, homo pro hominibus factus eſt. Et in primis oſtendit, illum eſſe creatorem, qui omnia fecit in numero, pondere, & menſura, omnia per ſapientiam diſpoſuit. Ex eo autem quod aquas congregauit in locum vnum,

Gen. 1.a

dicens: *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida*, dicitur illas dimetiri in menſura pugilli. & quia extendit cœlum ſicut pellem, dicitur cœlos palmo ponderaſſe; aut quia, ſicut

Orig. lib. de Spiritu ſancto.

dicit Orig. *totum cœlum minima ſuæ poteſtatis particula comprehendit, quem ſermo propheticus figurate palmum appellauit.* aut vero quia nihil ſuperfluum condidit, tantã producens multitudinem ſtellarum, & ſingulares virtutes, vt in hæc influant inferiora, eis tribuens. Propter quod

Pſ. 146.

in laudem eius canit Pſalmiſta. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, ideſt, proprietatem, & virtutem earum, iuxta quam nomen imponitur, ipſe cognoſcit. Montes denique, & colles,

Deus quã facile mũdũ gubernet.

quos produxit ex nihilo, & magnam eorum molem tanta facilitate conſeruat, & ſuſtinet, vt tres eius digiti ſufficiant ad terræ molem ſuſtinẽdum, nec opus ſit totam brachij adhibere virtutem, quod nullus alius, niſi ſolus ipſe, valet perficere. Hoc deſignant repetitæ interrogationes prophetæ. *Quis menſus eſt pugillo aquas*, niſi ſolus Deus? *quis appendit tribus digitis molem terræ*, niſi ille

Iob 26.c

*qui extendit aquilonem ſuper vacuũ, & appendit terram ſuper nihilum: qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum*. Tribus digitis appendit molem terræ, ideſt trium perſonarum opere indiuiſo. Conſimilibus interrogationibus oſtendit Deus ſuam potentiam,

& immenſitatem, loquens ad Sanctũ

Iob 28. a

Iob. *Vbi eras* (inquit) *quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem eius.* & alia multa naturæ ſecreta perquirit, ad quæ vir ſanctus nec verbum audet reſpondere, ſed manum ſuam ponit ſuper os ſuum, & ſe leuiter fuiſſe loquutum agnoſcit. Vbi obſeruandum cum Beato Gregorio, quod ape-

Greg. 28. mor. ca. 5.

riendo nobis quædam, atque claudẽdo quædam, nos interrogat Deus, ſicut per Pſalmiſtam dicitur:

Pſa. 10.

*Palpebræ eius interrogant filios hominum*, (Palpebris quippe apertis cernimus, clauſis nihil videmus,) vt homines

Cognoſcit homo q̃dã de Deo, q̃dã ignorat vt humilietur.

qui ſe neſciunt, ſibimetipſis innoteſcant, quatenus, dum quædam intelligendo comprehendunt, quædam vero cognoſcere omnino nõ poſſunt, ſeipſos humilient, & Dei magnitudinem, quæ vincit ſcientiã noſtram, admirentur. ſic & Paulus, cum ſecreta Dei iudicia de repulſione Iudæorum, & gentium vocatione diſcuteret, atque ad ea peruenire non poſſet, Deo ſe in ipſa ſua ignorantia ſcienter inclinauit, & profunditatem iudiciorum Dei admiratus, dixit.

Rom. 11

*O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehẽſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi gloria in ſæcula. Amen.*

25 *Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium,*



*& inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?* Vt conſtat ex auctoritate Apoſtoli, ad Romanos vndecimo, modo inducta, & ex illis verbis:

1. Cor. 2.

*Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum?* ex quibus probat quod *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, conſtat, hæc Iſaiæ verba eo tendere, vt denuncient profunditatem iudiciorũ

Dei iudicia quã ſint profunda.

Dei, & ſapientiæ ipſius immenſitatem, cuius ſecreta nullus eſt qui cognoſcat, nullus qui inueſtigare valeat. Multa ſunt Regum myſteria, quæ vulgus ignorat, & nobiles latent; illi tamen, qui Regi ſunt à conſilijs, & illum inſtruunt, ſicut rex ipſe, ea cognoſcunt. Deus autem cum nullum habeat adiutorem, nullum conſiliarium, aut inſtructorem, ita exaltatus eſt, & eleuatus, vt vias eius nullus inueſtigare valeat, aut cognoſcere. Quis inſtruxit illum, & docuit, bonum eſſe mundum iſtum viſibilem creare, & bonitatem ſuam ſuper alios diffundere? nam cum res non eſſent, quomodo ipſum, ad creandum illas, inducere potuerunt? Et poſtquam ex nihilo ſunt productæ, quid potuerunt ſuo creatori prodeſſe? quid cõferre? in quo eum adiuuare valebunt? quid ſunt coram eo?

26 *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. Et Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Superius induxerat hominem, vt ſuam fragilitatem agnoſceret, & intelligeret, ſe eſſe fœnum, & omnem gloriam eius florem fœni, quæ cito marceſcit; nunc autẽ, vt funditus humanam ſuperbiam adhuc de ſe præſumentem euertat, oſtẽdit quid ſit homo, ſi cum Dei magnitudine conferatur. Et primo comparat omnes gentes ſtillæ ſitulæ. Si

Gẽtes oẽs quaſi nihilum ſunt corã Deo.

omnes gentes, quotquot à principio mundi natæ ſunt, & naſcentur vſque ad finem ſæculi, nihil aliud ſunt coram Deo, quàm parua gutta, quid erit vnus homo coram Deo? *Repete* (ait Chryſoſtomus) *omnes gentes,*

Chryſ. ho. 2. de incõprehenſib. Dei nat. to. 5.

*complectere animo Syros, Cilices, Capadoces, Bithynios, Myſios, Phryges, Lycios, Pamphylos, Aſſyrios, Arabes, Indos, Aegyptios, Aethyopes, Hiſpanos, Gallos, Germanos, Sarmatas, Pannonios, Sauromatas, Maſſagetas, Scythas, Albanos, Iberos, Bactrianos, Medos, Perſas, Parthos, Armenos, Ponti Euxini vicinos omnes, & incolas Thraces, Macedonas, Græcos omnes, Daciam, Dalmatiam, Italiam, Inſulas omnes, tam interioris maris, quam exterioris, cæteraſque innumerabiles gentes, quarum ne nomina quidem nouimus, hæc omnia mortalium genera inſtar guttæ labentis de ſitula coram* Deo *verſari autumat. Accipe accuratius, dic quæſo, quota eius guttæ particula ſis?* Secundò, comparat gentes momento ſtateræ, quod nullius fere ponderis eſt, ac denique inſulas confert pulueri exiguo, qui, flante vento, proijcitur à facie terræ, & omnino euaneſcit. Duas priores comparationes auget Sapiens, & non ſolum omnes gentes confert guttæ, & momento ſtateræ, ſed vniuerſum orbem terrarum his rebus minimis comparat, vt magis homini ſuperbo quod nihil ſit innoteſcat. *Tamquam momentum*

Sap. 11. d

(inquit) *ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.*

Hinc

Chryſ. ho. 2. de incō-prehenſib. Dei natu. to. 5.

Hominis fragilitas quanta.

Hinc & Chryſoſtomus ait. *Intellige homo quidnam ſis. Homo es, terra, cinis, caro, ſanguis, fœnum, floſculus herbæ, fumus, vmbra, vanitas, & ſi quid iis exilius, vilius atque abiectius. Prophetæ multa dixerunt huiuſmodi, non vt genus noſtrum vituperarent, notarentque, ſed quo furentium hominum inſolentiam & petulantiam compeſcerent, atque ablegarent.* Et S. Bernardus. *Memento homo quid fuiſti, quid es, & quid eris. quid fuiſti, quia ſperma foetidum. quid es, quia vas ſtercorum. quid eris, quia eſca vermium.* Quid ergo ſuperbit terra & cinis?

S. Bern.

27 *Et Libanus non ſufficiet, &c.* Tanta (inquit) eſt Dei omnipotentia, tanta ipſius magnitudo, & excellentia, tantus illi debetur honor, & cultus, vt ſi holocauſta & ſacrificia eſſent illi pro eius dignitate offerenda, omnia ligna Libani non ſufficerent ad comburendum holocauſta, neque armenta omnia, quæ in Libano paſcuntur, ſatis eſſent ad offerendum illi; cum enim illa omnia, & alia quamplurima fuiſſent oblata, tandem neceſſe eſt humiliter fateri, *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Vnde & propheta Regius Dei conſiderās magnitudinē, cuius maieſtas in arca teſtamēti ſplēdebat. *Adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid ſeptem chori, & victima vituli. Cumque tranſcendiſſent qui portabant arcam Domini ſex paſſus, immolabant bouem, & arietem, & Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Et in libro 1. Paralipp. dicitur. *Cumque adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam foederis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes.* Ideo tot multiplicabantur holocauſta, tot offerebant Deo ſacrificia, vt ſaltem minimam partem adimplerent eorum, quæ Deo ſunt debita, pro acceptis beneficiis. Tamdem vt illi poſſent homines condignā retributionem facere, & æqualem pro omnibus, quæ acceperant, filium ſuum vnigenitum mitit, *in ſimilitudinem carnis peccati, & pro nobis omnibus tradidit illum*, vt in ara crucis oblatus in ſacrificium & holocauſtum, ad æqualitatem pro omnibus debitis noſtris ſatisfaceret Deo patri. Idem ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini, tranſiturus de hoc mundo ad patrem, nobis gratuita donatione reliquit, in quo tantum bonum quotidie offerimus Deo, quantum ab illo accepimus. Vnde propheta clamat. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Attendebat quanta ſibi eſſent præſtita à Domino, non ſolum temporalia, ſed & ſpiritualia bona; & quærens, quid pro omnibus retribueret, non inueniebat: quia quidquid retribuere voluiſſet, ab ipſo acceperat, neque erat aliquid condignum, quod omnia accepta à Deo beneficia adæquaret. Sed tandem vnum reperit, quod pro omnibus retribueret. *Calicē* (inquit) *ſalutaris accipiā, & nomen Domini inuocabo*, ideſt, calicem paſſionis & mortis eius, per quam ſeipſum obtulit patri; calicem, de quo duobus fratribus loquens, ait: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* De quo etiam orans ad patrem, ait. *Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Iſtum calicem accipiā, illum Deo offeram, & pro omnibus quæ à Deo accepi, vna oblatione retribuā. Qui me totum, ait Bern. *& ſemel dicendo fecit, in reficiendo profecto dixit multa, geſſit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, ſed & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? in primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe: & vbi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro ſe? nam etiam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?* Retribuam ergo patri filium ſuum vnigenitum, quem ipſe mihi donauit, ſed illum offeram alapis cæſum, ſputis oblitum, ſpinis coronatum, ac denique cruci affixum, & mortuum, vt hac vna oblatione pro omnibus quæ debeo ſatisfaciam.

1. Paral. 29. d — 2. Reg. 6 c — 1. Paral. 15. d

Holocauſta olim quamplurima offerebantur Deo, & quare. — Rom. 8. — Pſ. 115. — Gratitudo exigit q homo ſeipſum offerat Deo. — Ibid. — Mat. 20 — Luca 22 c — Bern. in li. de diligēdo Deo.

tullit



Pſ. 115.

28 *Omnes gentes quaſi non ſint &c.* Multum honoris viſum eſt Prophetæ ſe homini tribuiſſe, cum omnes gentes eſſe dixit quaſi ſtillam ſitulæ, aut momentum ſtateræ, ſi cum Deo conferantur: quia cum vtrumque aliquam habeat quantitatem, in infinitum ſecundum ſe diuiſibilem, partes quantumuis minimæ adhuc retinent eſſe: ideo in his verbis, non minutiſſimæ guttæ, quæ in terram defluit, non momento ſtateræ, quod eſſe habet, confert omnes gentes, ſed nihilo confert. *Quaſi nihilum, & inane* (inquit) *reputatæ ſunt ei*, ideſt in præſentia, & comparatione illius. Hac phraſi, & modo loquendi vſus eſt Propheta regius, ad æternitatem Dei, & breuitatem humanæ vitę deſignandam, dum ait. *Quoniā mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit, & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Non inſtāti quod eſſe habet, licet indiuiſibile, confert tempus vitæ noſtræ appoſitum æternitati, ſed diei præteritæ, quæ nullum iam eſſe habet; & pro nihilo haberi ait annos noſtros. Nec mirum, cūm enim ipſe homo compoſitus Deo reputetur nihilum & inane, quomodo tempus, quo illius vita menſuratur æternitati collatum aliquid poterit reputari? Deniq; vt agnoſceret homo ex ſe, nihil eſſe, & in nihilū tendere, niſi manu cōditoris conſeruetur, plaſmauit illū de terra, & nō de terra qualibet, ſed de limo, & terram ipſam produxit ex nihilo; ac ſi diceret: Agnoſce ô homo quę ſit mater tua, & quis ſit pater tuꝰ; noli ſuperbire, noli gloriari, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, filius terræ es, & nepos nihili. Ex nihilo ducis originem, & ſuperbire audes? hoc vnum in præſenti eſt maxime ponderandum, quod cum omnes gentes reputentur coram Deo quaſi nihilum, & inane, vna vox quæ verbum præceſſit, vnus Baptiſta præcurſor Domini magnus apparet coram Domino, Angelo atteſtante. *Erit enim magnus coram Domino, & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in Spiritu, & in virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.* Vere magnus, qui tam magna operatus eſt: magnus coram Domino, qui magni conſilij angelum & digito oſtendit, & baptizauit.

Pſa. 89.

29 *Cui ergo ſimilē feciſtis Deū? aut quam imaginem ponetis ei? nunquid ſculptile cōflauit faber, aut aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum, & imputribile elegit: artifex ſapiens quærit, quomodo ſtatuat ſimulachrum, quod non moueatur.* Poſtquam enarrauit Propheta immenſam

Homo filius eſt terræ, & nepos nihili. — Gen. 3. d — Luc. 1. b — Ioānes Baptiſta magnus eſt coram Domino.

menſam

menſam Dei magnitudinem, in cuius comparatione quaſi nihil eſt totus orbis terrarũ, idololatras reprehendit, qui arbitrantur, Dei maieſtatem poſſe hominum imaginatione concipi, aut idolis & ſculptilibus cōparari: oſtenditque, Deum tam immenſum eſſe, vt nullis terminis circumſcribi, nulla arte eius imago exprimi poſſit: ideo confert verum Deum, cum gentium ſimulachris, & oſtendit, Deos gentium minus potentes hominibus illis eſſe, quorum

Idola maxime diſtāt à Deo.

dij dicuntur. Idola enim ab hominibus ſunt facta, & ne citò corrumpantur, fiunt ab artifice in auro vel argento, aut etiam in ligno ſolido, & imputribili: & cum inanimata ſint, & motu careant, ſibi ipſis auxilio eſſe non poſſunt. Deus autem immenſæ virtutis eſt, & ſupra omnem creatam mentem & cognitionem naturalem, non ſolum hominum, ſed etiam angelorum, ſicut ſcriptum eſt.

1.Cor.2. b

*Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligũt illum*. Tanta eſt igitur hominum veſania, tanta ſtultitia gentium, vt in illis dijs confidant, quos fabricauerunt manus eorum. Diuites aurea idola parant, aut laminis argenteis confingunt, pauperes lignea, & minus pretioſa efficiunt: illi aurificem quærunt, qui fingat idolum; iſti artificem, qui ex ligno forti formet ſimulachrum, ne putrefiat, & opera manuũ ſuarum tanquam Deos adorant.

Idolà diuerſa ſibi fabricant homines peccatores multis laboribus & expenſis.

Simile quid in idolis ſpiritualibus inuenies, in quibus magna reperitur varietas. Nam, ſecundum quod quis plus poteſt, vel minus, idola fabricat ſibi. Alij honorem & ambitionem, alij diuitias habent pro idolo, quod ſectentur, & colant: Alij vero infimæ conditionis homines idolo ligneo ſunt contenti; inuidia videlicet, aut odio, aut carnali quadam delectatione, aut vindicta, qua fruuntur, ſecundum poſſibilitatem ſuam. Hi nimirum idolũ ex ligno imputribili factum venerantur, dum raro, aut nunquam ex corde ſuo conceptam pellunt inuidiam, & vindictam; verum ad perditionem omnes tendunt, qui magna vel parua fouent vitia. Neque enim minus vituperãdus eſt Eſau, qui pro leui edulio vendidit primogenita ſua, quam ſi pro magnis diuitijs ea cōmutaſſet, nec leuius deliquit Adã, pro eſu vnius pomi, Dei præceptum tranſgrediens, & ſtatum iuſtitiæ originalis contemnens, quàm ſi, pro acquirendis regnis, Dei obedientiam violaſſet.

30 *Numquid non ſcitis? nũquid non audiſtis? numquid non annunciatum eſt vobis ab initio? numquid non intellexiſtis fundamenta terræ?* Senſus eſt. Vidiſtis, quam ſordidos Deos ſibi gentes parent, & quanto ſtudio adorent illos, cum nihil numinis habeant, nihil poſſint ſuis prodeſſe cultoribus. Ab initio lege naturali vos docui, & poſtmodum in lege ſcripta per Moyſen conteſtatus ſum, idola nihil eſſe, & quod vnus ſolus ſit verus Deus, mundi auctor, & conditor; quod ſi hæc ignoratis, attendite ad fundamenta terræ; conſiderate vniuerſas creaturas, & diſcite, quod mea potentia ac virtute omnia creauerim. Omnia teſtantur conditorem ſuum; *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Omnes populi clamant, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Gentes in reprobum ſenſum propterea traditæ ſunt, quia hæc cogitare, & intellige-

Rom. 1. c
Pſ. 99. a



Rom. 1. c

telligere noluerũt: ſed *cũ cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium;* his animalibus ſimilem facientes Deum, & imaginem volucrum, & ſerpentium ponentes illi.

31 *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ: qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum.* Arguit eos, qui ad idola confugiunt, arbi-

Iob 22. b

trantes, quod Deus *circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat*, & ait, eum eſſe vbique præſentem, & cuncta proſpicere; atque ita ſedet ſuper terræ circulum, cum tamen nullo valeat contineri loco, aut circumſcribi. Habitatores autem terræ, ſi ad ipſum conferantur, ait eſſe ſicut locuſtas, & velut quædam contemptibilia animalia. Stultum ergo erit, in locuſtis ſpem ponere, & tantam negligere maieſtatẽ, cuius talis eſt potentia, vt per eam cœlum non ſecus extendatur, ac ſi eſſet tela quædam, aut pellis. Sicut enim extendunt homines papiliones, vt ſub illis habitent, ita expandit Deus cœlos, vt habitaremus ſub illis. Vnde & per Prophetam dicitur. *Exten-*

Pſ. 103.

*dēs cœlum ſicut pellem, &c.* Ideſt facilè, ſicut facilè pellis complicata extenditur. Idem ſignificat extendere cœlos ſicut nihilum, ideſt, ita facilè, & abſque vlla eorũ reſiſtentia, ac ſi eſſent nihil. vel ideo ait, ſicut nihilum, quia ex nihilo creati ſunt. Stultum ergo eſt, talem Deum negligere, & idolis, quæ nullius potẽtiæ ſunt, inhærere.

32 *Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit: & quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum: repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulã auferet eos.* Oſtendit ex alio ſigno Dei omnipotentiam; quia videlicet, ſapientes, & robuſtiſſimos homines atque potentes in nihilum redigit, perdit ſapientiam ſapientium, & qui hodie imperat centum prouincijs, cras in ſepulchrum proijcit, idque ſimplici flatu hoc eſt, nutu, & iuſſu voluntatis ſuæ, quo eorum memoriam ita delet de terra, ac ſi nunquam plantatus fuiſſet, neque ſatus, aut radicatus in terra truncus eorum. Vnde nulla apparet eorum poteſtas, cum Deus voluerit eos diſperdere. Nullus turbo tam facilè ſtipulam aufert, ſicut ira Dei potentes diſperdit, & eos, qui ſcrutatores ſunt maieſtatis illius. Ipſe eſt *qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat.* Nam, vt Gregorius notauit, eiſdem conſilijs, & medijs, quibus ipſi ſua peruerſa deſideria perficere cupiunt, eiſdem à Deo in contrarios fines adducuntur: & dum ſapientes huius ſæculi ſtudijs ſuis diuinæ voluntati cōtraire conantur, inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei conſilio, dum reſiſtere nituntur, obſequuntur. Ionas prudenter ſapere arbitratus, cum ad prædicandam Niniuitarum pœnitentiam mitteretur, officium implere recuſauit. Propterea, vt fugeret à facie Domini, nauim petijt, & in Tharſis elegit properare.

Iob 5. b

Gregor. 6 mor. 12.

Sapientes huius ſæculi cōfundit Deoeos cōprehendo in aſtutia ſua.

Ion. 1. a

rare: ſed eadem via, tempeſtate vrgente, miſſus in mare, & à bellua deuoratus, quia auctori ſuo obedire renuit, ad locum, quo miſſus fuerat, ſuo reus carcere portatus appulit. Scribæ, & Phariſei tale contra mundi redemptorem inierunt conſilium.

Hier. 11. d *Mittamus lignum in panē eius*, ideſt *morte turpiſſima condemnemus eū, & eradamus eum de terra viuentiū.* ne videlicet nomen eius memoretur amplius. Et hac morte exaltatus eſt Chriſtus, & non ſolum in terra, ſed

Phili. 2. a etiam in cœlo obtinuit nomen, *quod eſt ſuper omne nomen.* Dicit enim Apoſtolus. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cœleſtium terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris.* Vidit Ioſeph ſomnium, quod referens fratribus, *dixit*

Geneſ. 37. b. *ad eos. Audite ſomnium meum quod vidi: putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum. Reſponderunt fratres eius: nunquid rex noſter eris? aut ſubijciemur ditioni tuæ?* Fratres autem inuidia atque odio commoti, ne, quod viderat in ſomnis frater, impletum poſtmodum viderent, tale inierunt conſilium:

Ioſeph. eiſdē medijs fuit exaltatꝰ, quibꝰ eū fratres voluerūt deijcere.

Ibid. *Ecce ſomniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem: dicemuſque: fera peſſima deuorauit eum, & tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua.* Tandem ad preces Rubent, in hanc deuenerunt ſententiam, vt extractum de ciſterna, prætereuntibus Iſmaelitis, venderēt viginti argenteis. Mira res. Venditur Ioſeph Iſmaelitis, ducitur in Aegyptum, & via mirabili à Deo in Aegypto exaltatur, & ſecundus à Rege cōſtituitur: Inualeſcente fame, fratres eius pergunt in Aegyptum, vt emerent alimenta ſibi, & patri, & neſcientes quiſnam eſſet, illum adorant proni ſuper terram. *Penſemus ergo geſtæ rei ordinē* (ait Gregorius)

Greg. vbi ſupra. *Penſemus quomodo ſapientes in ſua aſtutia vis diuina comprehendat. Ideo ab eis venditus fuerat Ioſeph, ne adoraretur, ſed ideo eſt adoratus, quia venditus. Aſtute namq. aliquid agere auſi ſunt, vt Dei conſilium mutaretur, ſed diuino iudicio, quod declinare conati ſunt, renitendo ſeruierunt. Inde quippe coacti ſunt Dei voluntatem peragere, vnde hanc moliti ſunt aſtute commutare. Sic, ſic diuinum conſilium, dum deuitatur, impletur: ſic humana ſapientia, dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres, ne* Ioſeph *ſuper eos excreſceret, ſed hoc, quod diuinitus diſpoſitum fuerat, cauendo factum eſt vt eueniret. Humana ergo ſapientia in ſe ipſa comprehenſa eſt, quæ volūtati* Dei *vnde per intentionem reſiſtit, inde eius impletioni militauit.*

33 *Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit ſanctus? leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutiſq. eius, neque vnū reliquum fuit.* Ex magnitudine cœleſtium corporum, Dei excellentiam & virtutem commendat, oſtendens, nullam creaturam, etiam incorruptibilem & cœleſtem illi poſſe comparari, vel adæquari; eo quod nulla ſit proportio creati ad increatum, finiti ad infinitum. Et reſpondet ta-

citæ



citæ obiectioni. Poſſet enim aliquis opponere, & procaciter aduerſus verum Deum inſultans, dicere: Ita eſt, quod neque homines, neque idola aurea, vel argentea, aut etiam lignea, quæ ſibi manus eorum fabricauerunt, quidquam poſſunt, nec valent periclitantibus ſubuenire: at Sol, & Luna, & alia cœleſtia luminaria, & planetæ, atque cœlorum virtutes, ad quorum excellentiam deſignandam, talia formantur idola, hæc inferiora gubernant; vnde non mirum, quod militiæ cœli deificos tribuamus honores, venerantes Venerem, adorantes Iouem, & ante eorum ſimulachra genua flectentes: nec videtur alienum à ratione, cum omnia inferiora ex lationibus pendeant ſuperiorum corporum, & per media elementa omnis inde virtus noſtra gubernetur, quod fatum aſſeramus, & fortunam, illis varios euentus tribuentes. Contra iſtam vanam excuſationem hominum inſurgit in præſenti Iſaias, oſtendens, ſuperiora non minus à Deo pendere, & gubernari, quàm inferiora, cum omnia voluntati, & poteſtati Creatoris ſubiaceant. Id quod ex ordine mirabili, quo ſuperiora corpora ſunt diſpoſita, declarat. Sicut enim dux magnum ordinat exercitum, & ordinatiſſime diſponit milites, ex quibus nunc iſtum, nunc illum, nunc totum exercitum conuocat, & ad eius imperium, & nutum omnes mouentur, ita Deus cœlum, ſicut & terram creauit, & omnia luminaria eius (quæ propterea militiam coeli appellat) ordinate diſpoſuit, & hodie iſtam ſtellam vocat, & cras alteram, atque ad eius voluntatem hodie oritur iſta, & cras illa, ac denique ad eius nutum omnes mouentur, & varijs influentijs foecundant terram, Propheta atteſtante.

Corpora cœleſtia militia dicūtur quia ordinate diſpoſita.

Baruch. 3. d *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus: & luxerunt ei cum iocunditate, qui fecit illas. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum.* Ac ſi diceret: Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte. Videte ſummam obedientiam coeleſtium corporum, atque ſtellarum, quæ ſilenter prædicant, vnum eſſe omnium conditorem, cuius prouidentia gubernantur.

Iob 26. c *Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.*

34 *Et omnes ex nomine vocat.* Vocare aliquem proprio nomine, eſt naturam eius perfecte cognoſcere. Nomen enim imponitur rebus, iuxta propriam vniuſcuiuſque naturam. Vnde primus omnium parens Adam, qui perfectam creaturarum cognitionem habuit infuſam, cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus coeli nomen impoſuit,

Vocare aliquē ꝓprio nomine, eſt ꝑfecte naturā eius cognoſcere

Gen. 2. e *& omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius*, ideſt, nomen, quod naturæ illius congruit, (vt explicat ſanctus Thomas.)

S. Tho. p p. q. 96. art. 1. ad 3

Secundo, eſt ſignum perfecti dominij: vnde, quoniam Adæ collatum eſt à Deo, ſuper omnia animalia, iuxta illud:

Nomē imponere eſt ſignum dominij.

Gen. 1. e *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*:

Gen. 2. e *Formatis de humo animantibus terræ, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* Et quoniam mulier ſub poteſtate viri remanet, etiam Euæ nomen impoſuit. Ait enim: *Hoc nunc*

Y *os ex*

Gen. 2. d

*os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* Quia ergo Deus eſt, titulo creationis, & conſeruationis rerum, abſolutus earum dominus, & ad quos fines vnamquamque aptauerit, comprehendit: ideo omnes ex nomine vocare dicitur. Conſonat hoc cum verbis Pſalmiſtæ.

Pſ. 146. a

*Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Nec mirum quod ille, quas creauit, numeret ſtellas, à quo & capilli capitis numerati ſunt, qui omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuit.

35 *Præ multitudine fortitudinis, &c.* Alia ratione oſtendit diuinam potentiam, & ſapientiam admirabilem; ex incorruptibilitate videlicet totius vniuerſi: cum enim in iſtis rebus inferioribus tanta ſit varietas, tanta contrarietas, & pugna,

Vniuerſũ mirabiliter cõſiſtit cũ ex contrarijs cõſtet.

dum hæc generantur, illa corrumpuntur, ſemper tamen omnes ſpecies, quæ per ſe ad pulchritudinem pertinent vniuerſi, conſeruantur, & perſiſtunt. Non miremur, quod cœleſtes orbes, Sol, & Luna, & alia ſydera, cum moueantur continue, ſemper in ſuo eſſe perſiſtant, nec minima pars earum vmquam fuerit conſumpta; hoc enim illis competit ex propria natura: quæ incorruptibilis eſt, & ingenerabilis, eo quod materia ſatiatur forma quam habet, nec aliam extraneam appetit. Miremur, inter corruptibilia conſiſtentiam intueri, & inter contraria vnitatem.

Eccli. 33 b

Contrariũ habet vnaquæque res ſublunaris.

*Contra malum bonum eſt,* (ait Sapiens,) *& contra mortem vita: ſic, & contra virum iuſtum, peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo contra duo, & vnum contra vnum.* Quem locum explicans gloſſa. *Inueſtigator* (inquit)

Gloſſa ordinaria.

*operum Dei, inuenit in ipſis quandam contrarietatem, ſed mirabiliter à Deo ordinatam. Non eſt ergo mali conditor Deus, qui fecit omnia bona valde, nec mortem fecit, nec lætatur in perditione mortuorum, ſed vniuerſitatis eſt mirabilis ordinator.* Et ſanctus Chryſoſtomus.

Chryſ. to. 5 ho 9. ex varijs. col. 2. d

*Omne quod eſt in rebus, habet aliquid quo corrumpi poſſit, ac lædi, verbi gratia. Ferrum rubigo lædit, lanam tinea, ouium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpunt, æra ſegetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta ac diuerſa plantaria locuſtæ, ac bruchi exercitus vaſtant, & ſingulis quibuſque corporibus, vt ne, in enumerando omnia, longius producatur oratio, varia morborum ſpecies inferunt corruptelam: ſic enim corruptela erga vnumquodue earum habet, quo noceri poſſit, & ſtatus eius, incolumnitasque corrumpi.* Et tamen, nihil deeſſe ex his, quæ Deus creauit, conſpicimus. Hoc admiratur his verbis propheta, quæ iſtum habent ſenſum. Tantam fortitudinem & robur atque virtutem contulit Deus his, quæ creauit, vt nec vnum quidem ex illis deficiat. Poſſunt etiam explicari, ita vt deſignent tam prompta obedientia, omnia ſuo deſeruire creatori, vt nec vnum quidem ex illis detrectet munus ſuum implere: quod maxime apparet in corporibus coeleſtibus;

Creatori deſeruiunt omnia.

dixit enim Deus.

Gen. 1. b

*Fiant luminaria in firmamento coeli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento coeli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.* Hinc & propheta.

Pſ. 118.

*Ordinatione* (inquit) *tua perſeuerant dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.*





O ſuperborum hominum proteruia, ò arrogantia filiorum Adam, res inſenſibiles obtẽperant creatori, ignis,

Pſ. 148.

grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum eius, & ſolus homo, propter quem omnia ſunt condita, rebellis, & contumax eſſe audet.

Angeli ad nutũ Deo deſeruiũt.

36 Quod de ſtellis, & planetis dictum eſt, nihil prohibet de ſanctis Angelis intelligi, qui Deo miniſtrãt, & eius deſeruiunt voluntati.

Heb. 1. d

*Omnes enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Electi ſoli conferuntur & ſtellis.

Id ipſum poteſt electis hominibus adaptari, qui ſoli conferuntur, & ſtellis, eo quod nullas patiuntur peregrinas impreſsiones, nullas perturbationes cordis, Daniele atteſtante.

Daniel 12. a

*Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Nec ſolum fulgebunt, cum in reſurrectione ſplendenti corpore fuerint induti, & inter angelos collocati, ſed etiam nunc

Philip. 2. b

*in medio nationis prauæ, & peruerſæ lucent, ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Hos vocat ex nomine, hos numerat & agnoſcit, & tamquam oues proprias ſignatos habet, nec vnus peribit ex eis. Ait enim.

Ioan. 10 c

*Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Et iterum.

Ibidem e

*Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Et ad patrem loquens, ait.

Ioã. 17. d

*Pater, quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam.* Vide, qualiter hic locus cohæreat cum verbis Prophetæ. Ille ait, *omnes ex nomine vocat;* hic dicit, *& proprias oues vocat nominatim, & educit eas.* Ille inquit, *nec vnũ reliquum fuit,* quod videlicet, periret: hic autem ait, *& non peribunt in æternum.*

Oues ſuas agnoſcit Chriſtus.

Ille Dei ſapientiam & potentiam commendauit, & perfectam cognitionem, qua ſtellis, & planetis nomen impoſuit: hic etiam ait, *& cognoſco oues meas,* illa videlicet cognitione, qua approbauit, dilexit, & prædeſtinauit electos; de qua etiam Apoſtolus ait.

2. Tim. 2. e

*Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognouit Dominus qui ſunt eius.* Hinc & Auguſtinus, explicans illud:

Aug. ſup. Pſal. 146. tom. 8.

*Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat: Sunt* (ait) *ſtellæ, ſunt quædam lumina in Eccleſia conſolantia noctem noſtram, de quibus dicit Apoſtolus. In quibus apparetis tamquam luminaria in mundo.*

Electi ſtellis ſimiles

*In iſta* (inquit) *natione tortuoſa, & peruerſa illas ſtellas numerat Deus. Omnes ſecum regnaturos, omnes aggregandos corpori vnigeniti ſui numeratos habet, & numerat eos. Qui indignus eſt, nec numerabitur. Et multi crediderunt, multi ſe qualicumque obumbrata ſpecie fidei populo eius applicuerunt, nouit tamen ille quid numeret, & quid ventilet. Animaduertat quiſque, vtrum luceat in tenebris, vtrum in iniquitate ſæculi tenebroſa non ſeducatur. Si non fuerit ſeductus, nec victus, tamquam ſtella erit, quam iam numerat Deus. Habemus nomina apud Deum: vt nouerit Deus nomina noſtra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc ſatagere quantum poſſumus, non de alijs rebus gaudere; nec de donis quibuſdam ſpiritualibus: Multa*

*dona ſunt in Eccleſia, ſicut Apoſtolus dicit. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, alij donatio curationum, alij diiudicatio ſpirituum, ideſt, dijudicet inter bonos, maloſque ſpiritus, alij linguarum genera, alij prophetia.* Quanta dixit, quam multa dixit? multi donis talibus male vſi, audient in fine, non noui vos. Et quid dicturi ſunt in fine, qui audient, non noui vos? *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? In nomine tuo omnia iſta? Et quid dicet eis? Numquam noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

1.Cor.12

Matt.7.

Et paulo inferius. *Cum redirent diſcipuli qui miſſi erant, exultauerunt, & dixerunt: Domine, ecce ſpiritus immundi ſubiecti ſunt nobis propter nomen tuum, & ille qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas, ſciens multos dicturos eſſe: Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, quibus dicturus eſt in finem, non noui vos, quia eos non numerauit in multitudine ſtellarum, nec eis nomina vocauit. Nolite* (inquit) *in hoc gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiecti ſunt, ſed gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo.*

Luca 10

37 *Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael: abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſibit?* Adhuc reluctatur animalis homo, & noua ſemper affert inconuenientia, & vanas multiplicat rationes, ne Dei prouidentiam credat, ne illum curam noſtrum habere agnoſcat, quibus in præſenti ſatisfacit propheta. Poſſet quiſpiam tacitis inter ſe cogitationibus obijcere. Verum eſt, magnam eſſe Dei potentiam, ineffabilem ſapientiam, ſummam bonitatem, ſed ego non ſum talis, cuius Deus curam agere dignetur, aut me velit adiuuare. Non ſum certus de eius voluntate. Si mihi eſſet exploratum, quod me amore proſequitur, conſolarer vtique, & omnem ſpem meam in illo reponerem, neque ad Deos recurrerem alienos. Si vult me adiuuare, quare captiuum apud Aſſyrios me eſſe permittit? Si tanta eſt virtus eius, tanta excellentia maieſtatis eius, vt omnes gentes quaſi nihilum & inane reputatæ ſint coram illo, quomodo gentes in populum ſuum ſæuire patitur? Talibus querimonijs occurrit propheta, & verbis blandis, & commiſerationem redolentibus, Dei nomine, populum ſuum alloquitur, quē vocat Iacob, & Iſrael, eo quod elegerit eum, & elegerit ſicut elegit Iacob, nullis præcedentibus meritis, iuxta illud quod ait Apoſtolus. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui:* Ac ſi apertius diceret. O popule meus, quem non minus diligo, quā olim Iacob, cui augens beneficia, & Iſraelis nomen dedi, quid loqueris deſperationis verba? quid obmurmuras, dicens; abſcondita eſt via mea à Domino, ideſt, tanto tempore in tribulationibus verſor, vt Dominus plane vel oblitus mei, vel certe

Rom.9. c

Electos in preſſuris cōſtitutos conſolatur Dominus.

neſcire



neſcire viam meam, & captiuitatem meā videatur. A Deo meo, qui me eripere debuiſſet ac liberare, tranſibit iudicium meum, ideſt non curat iudicare me, & vindicare ab hoſtibus impijs, & barbaris, ab Aſſyrijs videlicet, qui & veritatem eius, & me ſimul perſequuntur? quare ita loqueris ò Iacob, cur Iſrael Deum agnoſcens, & in lege illius inſtructus hæc ſuſpicaris? Si gentes autem nationes barbaræ ſimilia loquerentur, turpe eſſet: at quod Dei populus deſperationis verba ſecum cogitet, & ore promat, intolerabile apparet. Conſimili affectu propheta Regius ſeipſum reprehendens ait. *Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis eſt anima mea? & quare conturbas me? Spera in* Deo, *quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Onus tribulationis ſentiens, & præ magnitudine tempeſtatis, & puſillanimitate ſpiritus deficiens, vimque aduerſariorum ſuſtinere non valens, ſe conuertit ad Deum, & ait.

Pſ.41.c

Ibid.

38 *Quare oblitus es mei?* quare nimia triſtitia aggrauor? quare inimicus aduerſus me præualet? quare non ſolum carnē contundit, ſed & oſſa mea confringit, omnem à me fortitudinem auferens? quare non ſolum mihi, ſed etiā tibi exprobrare audet, vbi eſt Deus tuus, inquiens, vbi receſſit? vbi abijt? ſiquidem te in aduerſis dereliquit; ad meipſum anima mea turbata eſt, & tacitis cogitationibus ſecum dicit: Si Deus eſt verax, vbi ſunt promiſſiones eius? ſi illi placent viæ meæ, quomodo aduerſum me præualere permittit inimicum? ſi odio habet peccatores, & iniquitates eius, *quare via impiorū proſperatur: bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt & faciunt fructum.* Et quod magis in admirationem adducit, hoc vnum eſt, quod cum præcepta tua tranſgrediantur, & inimici ſint & hoſtes tui, tu exaudis orationes eorum, & quæcumque deſiderāt, perficiunt. *Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum,* ideſt, cum longe ſis ab eis, ori tamen eorum appropinquas: illos autem qui ſe humiliāt coram te, & mandata tua obſeruant, quaſi derelictos video. Quid mirū, quod aduerſus electos impij inſultantes dicant. *Vanus eſt qui ſeruit* Deo: *& quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & ſalui facti ſunt.* Iſtæ ſunt carnis querimoniæ, hæc obmurmurat animalis homo, qui non ſapit ea quæ Dei ſunt. Sed ſtatim ad animam ſuam conuerſus ait. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* ac ſi diceret: Quod caro tales proponat querimonias, non eſt mirum, quod animalis homo aduerſus Dei prouidentiam obmurmuret, eſſet vtcumque tolerabile, at tu ò anima mea, cui repromiſſa ſunt bona cœleſtia, cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit Dominus, quare deſperas? quare non habes firmiſſimam ſpem in Deo tuo? quod ſi fidem adhibes ijs quæ Dominus repromiſit, ſi nō terrena quæris, ſed cœleſtia, quare triſtis incedo dum affligit me inimicus? Spera in Deo & pro nihilo reputa

Iuſtos reputat mūdus infœlices, quia temporaliter tribulantur.

Hier.12 a

Ibid.

Malac. 3.d

Anima fidelis diſſoluit querimonias quas proponit caro



puta

puta vanas promiſſiones carnis. Cōtemne, contemne aduerſariorum inſultationes, deſpice oppreſſiones eorum, quoniam adhuc in modico conſolaberis, & gloriam tibi repromiſſam videbis, & Deum laudans clamabis, & dices, *ſalutare vultus mei Deus meus*. Tale quid accidit ſponſæ. Cum enim magna ſollicitudine perquireret locum, vbi eſſet dilectus illius, poſt modicum laboris eum inuenit. Ait enim. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea, vidiſtis? paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam.* Quod enim dixit Propheta: *Quoniam adhuc confitebor illi:* hoc ait ſponſa: *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.*

Can. 3. a

Inuenitur dilectus cū contēnuntur terrena

39 *Nunquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.* Nunc reſpondet propoſitæ obiectioni. Scire (inquit) debebas, dilecte popule, ex ſcripturis ſacris, quas audiſti, & legiſti, Deū eſſe omnipotentem, & ſempiternū Dominum, qui creauit omnes terminos terræ, atque adeo omnium prouidentiam habere. Et cum ſit conditor ſæculi, & gubernator, etiam eſt iudex omnium: qui ergo totum mundum iudicat in æquitate, & tuā cauſam iudicabit; qui enim vnius vermiculi curam habet, quomodo in ſe ſperantes deſpiciet? *Non deficiet neque laborabit*, quia non eſt illi operoſum omnibus prouidere, & de omnibus iudicare, neque enim multitudo creaturarum impedit prouidentiam eius, nec laborat attendens omnibus. Et quamuis differat ſuis aliquando ſubuenire, tempore tamen conſtituto, ſecundum ordinē ſuæ diuinæ ſapientiæ, (quæ non eſt ab homine inueſtigabilis,) certiſsime præbebit auxilium. Quod ſi dicas, quomodo confidam, tanto tempore neglectus? Reſpondet, longanimitate opus eſſe, & patientia: non eſt enim noſtrum iudicare, aut diſcernere rationem prouidētiæ eius, quare differat ſubuenire. Nec eſt noſtrū, *noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Tuum eſt ò Iſrael mandata Dei ſeruare, & non præſcribere illi tempus, quo te adiuuet; ipſe enim eſt, qui tempore opportuno adiuuat infirmos. Vnde & ſubditur: *qui dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat.* Ac ſi dicat: non ſolum non laborat Deus, nec deficiet ſuis prouidendo creaturis, ſed etiam laſſo tribuit virtutem, *& ijs qui non ſunt*, (ideſt) qui in hoc ſeculo videntur eſſe quaſi nihil, tribuit fortitudinem, & eam in dies auget, & multiplicat. Poſſunt ſecundo hæc verba explicari, ita vt ſenſus ſit: Aſſyrij, qui populum meum tenent captiuum, videntur pueri, & iuuenes in robore, & potentia: populus autem meus laſſus eſt, & vexatus præ multitudine ſeruitutis, & quaſi nihilum ab Aſſyrijs reputatur: ſed ego populo meo infirmo, & laſſo fortitudinem tribuam, & robur, & iuuenes fatigari faciam, & grauiter impingere, & cadere, ne tibi vlterius ſint moleſti, vnde & ſubditur.

De᷒ ſpecialem habet ſuorū prouidentiā.

Act. 1.

40 *Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent.*





*cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Mutare fortitudinem, idem ſignificat, quod innouare fortitudinem, ſeu inſtaurare, & idem ſignificatur in ſacris litteris, nomine immutationis, vel commutationis. Vnde & Apoſtolus, reſurrectionem eorum, qui in beatam vitam renouati euigilabunt, immutationem dixit. Ait enim. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Idem enim eſt immutari, quod incorruptionem induere, & immortalitatem. Eadem phraſi loquendi vſus eſt ſanctus Iob, vt tranſitum de mortali vita, & ærūnis plena, ad vitam immortalem, & beatam deſignaret. *Putas ne* (inquit) *mortuus homo rurſum viuet*, & cauſam ſuæ conſolationis adiungens, ait. *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Et apud Iſaiam eundem loquēdi modum reperies, quo immutare, pro innouare accipitur, vt cap. 9. *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: ſycomoros ſuccenderunt, ſed cedros immutabimus.* Ideſt, pro ſycomoris deſtructis, ſubrogabimus magnas cedros, & fortes, & inſtaurabitur fortitudo noſtra. Et apud Iob, vbi nos legimus, *Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit*, in Hebræo habetur verbum, quod ſignificat immutare, aut innouare, ideſt, *præciſum immutabit, & innouabit ſe*, ramis videlicet nouis exortis, floribus, frondibus, & fructibus. Et cap. 29. *Gloria mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* Vbi etiam in Hebræo pro *innouabitur*, eſt verbum quod ſignificat, *immutabitur*. Denique in pſalmo 59. vbi de inſtauratione agitur ſpirituali, talis præponitur titulus. *In finem pro his qui immutabuntur, in tituli inſcriptionem ipſi Dauid in doctrinam, &c.* quæ verba expendens Auguſtinus, ait. *In finem quid ſit noſtis; finis enim legis Chriſtus eſt. Eos qui immutabuntur noſtis; qui enim, niſi qui à veteri vita in nouam tranſeunt? Abſit enim, vt hic culpanda immutatio intelligatur, nō quomodo immutatus eſt Adam à iuſtitia ad iniquitatem, & à lætitijs ad laborem: ſed quomodo mutantur illi quibus dictum eſt, Fuiſtis enim aliquādo tenebræ nunc autem lux in Domino. Immutantur autem iſti, in tituli inſcriptionē: noſtis tituli inſcriptionem? Titulus infixus eſt ſuper crucem Domini ſcriptus: hic eſt Rex Iudæorum. Mutantur in huius tituli inſcriptionem, qui in regnum Chriſti transferuntur à regno diaboli. Bene mutātur in huius tituli inſcriptionem. Mutantur autem, ſicut ſequitur, in doctrinam; cum enim dixiſſet pro ijs qui immutabuntur in tituli inſcriptionem: addidit, ipſi* Dauid *in doctrinam, ideſt mutantur non ſibi, ſed ipſi Dauid, & mutantur in doctrinam; non enim ita rex Chriſtus, quaſi ſæculo regnaturus, cum aperte dixerit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ergo in eius gratiam & doctrinam tranſeamus, ſi volumus in conſcriptionem tituli commutari non nobis, ſed ipſi Dauid, vt qui viuunt iam, non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis*

Immutari eſt renouari.

1. Cor. 15. g

Iob 14.

Iſa. 9. b

Iob 4.

Iob 29. d

Pſal. 59.

Aug. ibi colum. 2.

Rom. 10

Gen. 3.

Epheſ. 5

Mat 27

Ioan. 19

Crucis virtute renouantur fideles.

Ioan. 18

2 Cor. 5

*ipſis mortuus eſt & reſurrexit*. Igitur Iſaias explicat in hoc loco, qualiter renouētur, & inſtaurentur vires eorum, qui omnē ſpem ſuam in Deo conſtituunt, & in ſuis viribus minime præſumentes, ad Dei confugiunt auxilium. Proſperabuntur (inquit) in via Domini, mutantes fortitudinem, ideſt quotidie ſeipſos renouantes, & creſcentes in agnitione, & dilectione Chriſti, atque fortiores ad voluntatem Dei exequendam ſeipſos exhibētes. Diſponent aſcenſiones in corde ſuo, & Dei auxilio innixi in dies in vita ſpirituali proficient, ſecundum illud quod canit Pſalmiſta. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Vide qualiter duo præſtantiſsimi Prophetæ conſonent inter ſe. Vnus ait, *mutabunt fortitudinem*; alter inquit; *ibunt de virtute in virtutem*: vnus dicit: *videbitur Deus deorum in Sion*, ideſt in virtute perſeuerabunt, quouſque Deum deorum videant in Sion: alter ait: *ambulabunt & non deficient*, ideſt, ab incepto propoſito non deſiſtent, quouſque ad terminum ſuæ peregrinationis perueniant.

Pſ. 83. b

*Mutabunt fortitudinem, &c.* Poſſunt etiam aliter hæc verba interpretari, ita videlicet, vt mutare fortitudinem idem ſit, quod fortitudinem veterem omnino relinquere, & nouā aſſumere: ſicut ille dicitur mutare veſtem, qui, vna depoſita, induit aliā. quam explicationem ſequitur B. Gregorius, aduertens. quod *dum non dixit, accipient, ſed, mutabunt, aperte oſtendit, quia alia eſt fortitudo quæ deponitur, & alia quæ nouiter inchoatur; habent enim ſancti viri ſuā*

Fortitudinē mutare eſt veterē conſuetudinē relinquere.

Greg. to. 2. ſup 4. pſal. pœnitētialem, in illā verba, vt ædificētur muri Hieruſalem.

*in hac carne poſiti fortitudinem, cum vel pro fide certantes, tormenta omnia conſtantiæ virtute deſpiciunt, vel tentationes diabolicas armis ſpiritualibus protecti repellunt. De eis namque per Salomonem ſcriptum eſt. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael. Lectulum quippe Salomonis fortes ambiunt, quia intimam noſtri redemptoris requiem ſancti quique indefeſſa deſiderij ſedulitate contemplantur. Hinc de ſancta Eccleſia electorum dicitur: fortitudo, & decor indumentum eius. Qui enim ita ſe in virtutibus decorū exhibet, vt tamen tentationum impugnationibus non repugnet, hic nimirum decore ad tempus induitur, ſed fortitudine nequaquam veſtitur. Quia vero ſancti Dei, & ex operibus iuſtitiæ fulgidi, & ex aduerſariorum apparent impugnationibus veſtiti, recte de eis ſub typo Eccleſia dicitur: fortitudo, & decor indumentum eius. Quiſquis ergo infirma carnis fortitudine contempta, in virile ſpiritus robur animum excitat, quaſi lateres in ſaxa, quibus muri Hieruſalem ædificentur, commutat.*

Cant. 3.

Prou. 31

41 Vtitur autem Iſaias pulchra ſimilitudine aquilæ, vt explicet, quomodo ſperantes in Domino, in dies robuſtiores fiant. Et eadem ſimilitudine vtitur Pſalmiſta. *Renouabitur* (inquiens) *ſicut aquilæ iuuentus tua.* Aquila (vt refert Gemin.) in ſenectute magnā in oculis caliginē patit, & in alis defectū pp quod aquę fontem diligēter inquirit, ſuper quē volando quātum poteſt, aſcendit: & ſic ex labore, & calore veris, ſtomachus in calescit fortius, & poſtmodum poris, & pennis laxatis, ſubito ſe permittit in fontem cadere, vbi mutatis plumis, & oculorum caligine expurgata, vires

Pſ. 102. Aquila quomodo renouetur. Gemin. li. 4. cap. 78.



res reſumit, & quaſi renouata iuueneſcit. Eſt & aliud conſideratione dignum, quod de hoc animali refert Auguſtinus. *Aquila* (inquit) *cum ſenectute corporis preſſa fuerit, immoderatione roſtri creſcentis cibum capere non poteſt. Pars enim roſtri eius ſuperior, quæ ſupra partem inferiorem aduncatur, cum præ ſenecta immoderatus creuerit, lōgitudo eius incrementi non ſinit eam os aperire, vt ſit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partē, & vncū ſuperiorem. Niſi enim aliquod interuallum pateat, non habet morſus quaſi forcipem, vnde velut tondeat, quod tranſmitat in fauces. Creſcente itaque ſuperiore parte, & nimis aduncata, non poterit os aperire, & aliquid capere. Hoc ei facit vetuſtas. Pergrauatur languore ſenectutis, & inopia comedendi langueſcit nimis, vtraque re, ætate, & egeſtate accedente. Itaque modo quodam naturali in menſura reparandæ quaſi iuuentutis, aquila dicitur collidere, & percutere ad petram ipſum quaſi labium ſuum ſuperius, quo nimis creſcente edendi aditus clauditur, atque ita conterendo illud ad petram excutit. & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur, accedit ad cibū, & omnia reparantur, erit poſt ſenectutem tāquam iuuenis aquila. Redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelſa ſicut antea, fit in ea quædam reſurrectio. Propterea ergo adducta eſt ſimilitudo aquilæ, vt intelligamus, quia quod nos impedit, petra nobis aufert. Non ergo præſumas de viribus tuis, firmitas petræ tibi excutit vetuſtatem; petra autem erat Chriſtus. In Chriſto renouabitur ſicut aquilæ iuuentus noſtra. Etenim inueterauimus inter inimicos noſtros, ſicut nota eſt vox Pſalmi. Inueteraui, inquit, in omnibus inimicis meis. Vnde inueterauimus? carne mortali, carne iſta fœnea, & primo percuſſum eſt ſicut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum mādu care panem meum. Creuit vetuſtas, os clauſit, atteratur in petra. Vetuſtas tibi os clauſit, propterea petra data eſt, vbi, vetuſtate contrita, renouetur iuuentus tua ſicut aquilæ, vt poſſis manducare panem tuum, illum, qui ait, ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Renouabitur iuuentus tua ſicut aquilæ, tunc ſatiaberis in bonis.* Sed antequam ad guſtandum panem angelorum accedas, à terrenis te cupiditatibus abſtrahe, & imitatus aquilam, ad cœleſtia eleuare, atque compunctione tuorum peccatorum ſuccenſus, in fontem lacrymarum te ipſum dimitte, vt iuxtà præceptum Apoſtoli, veterem hominem exuas, & nouum induas, qui ſecundum Deum creatus eſt.

Aug. ſup. pſal. 102. tom. 8.

Aquilæ renouatio renouationē ſpiritualē deſignat.

1. Cor. 10. a

Pſal. 6. b

Ioan 6.

Pſ. 102. a

42 Qui ergo ſicut aquilæ ſuam mutauerint fortitudinem, current, vt ſupra diximus, abſque labore: nā ſeruire Deo regnare eſt, hilareſque abſque fatigatione crucem Domini portabunt, experientia ipſa verum eſſe agnoſcentes, quod ſectatoribus ſuis dixit Saluator. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mittis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meū ſuaue eſt, & onus meum leue.* In cuius ſignum Dominus adiuuiſſe dicitur eos, qui portabant arcam fęderis. Ait enim Scriptura. *Cumque adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri,*

Sup. cap. 5 num. 23 Iugū Chriſti efficit leue charitas.

Mat. 11 d

1. Paral. 15.

Lyra.
Arcā Domini vt portarent Dominus iuuabat Leuitas, & qualiter *

*tauri, & ſ.ptem arietes*, quem locum exponens gloſſa Lyrani, ſentit. *Quod vt dicunt Hebræi, iſtud adiutorium intelligitur per hoc quod arca portabat ſeipſam, quia diuina virtute ſic portabatur, quod Leuitæ portatores eius nullum pondus ſentiebant, & pro iſto miraculo facta fuit immolatio*. Si ergo, qui ſub importabili iugo legis antiquæ militabant, nullum pondus ſentiebant arcam Domini portantes: quanto magis in lege gratiæ, in qua ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram, iugum Domini ſuaue, & onus leue abſque fatigatione portabunt fideles? *Current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Tandem, vide progreſſum virtutis expreſſum hoc carmine. Primus gradus eſt, in Domino ſpem omnem conſtituere, & propter occurrentes labores, aut impugnationes aduerſas, à ſpe concepta non deſiſtere. Secundò, augetur fortitudo ad iter agendum. Tertiò, aſſumunt electi pennas aquilæ, quibus, abſque vlla mora, ad coeleſtia eleuantur. Quarto, currunt ſine labore, & fatigatione, quia ſuaue eſt illis iugum Domini. Quinto, & vltimo, non deficiunt, ſed perſeuerant vſque in finem, vt immarceſcibilem coronam accipiant, *qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Vnde & Apoſtolus nos admonet, dicens. *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Iſtum electorum progreſſum breui oratione ſanctus Gregorius comprehendit. *Mutant* (inquiens) *fortitudinem: quia fortes ſtudent eſſe in ſpirituali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Aſſumunt autem pennas vt aquilæ: quia contemplando volant. Currunt, & non laborant: quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant, & non deficiunt: quia intellectus ſui velocitatem retinent, vt tardioribus condeſcēdant. In cunctis verò bona quæ accipiunt, quanto alijs libenter accommodant, tanto ipſi incommutabiles in nouitate perdurant, & qui tenues à radice incohationis exeunt, fortes in culminis perfectione conualeſcunt.* Lege ſupradicta to. 1. in prol. ad lect.

Mat. 10
Galat. 6 b
Greg. 19. Moral. ca. 19.
Pennas vt aquilæ aſſumunt iuſti.

CAPVT



# CAPVT XLI.

1. TACEANT ad me inſulæ, & gentes mu-
tent fortitudinem: accedant, & tunc lo-
quantur, ſimul ad iudicium propinquemus.
2. 3. 4. Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum,
vocauit eum vt ſequeretur ſe? dabit in con-
ſpectu eius Gentes, & reges obtinebit: da-
bit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipu-
lam vento raptam arcui eius. Perſequetur
eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius
non apparebit. 5. Quis hæc operatus eſt, & fecit, vocans genera-
tiones ab exordio? Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum.
6. Viderunt inſulæ, & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, ap-
propinquauerunt, & acceſſerunt. 7. Vnuſquiſque proximo ſuo au-
xiliabitur, & fratri ſuo dicet: Confortare. Confortauit faber æra-
rius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens
glutino, bonum eſt: & confortauit eum clauis, vt non moueretur. 8.
9. 10. Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham
amici mei: in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis
eius vocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abie-
cite. 11. 12. Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia
ego Deus tuus: confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te
dextera iuſti mei. 13. Ecce confundentur & erubeſcent omnes, qui
pugnant aduerſum te: erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui con-
tradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos:
erunt quaſi non ſint: & veluti conſumptio homines bellantes ad-
uerſum te. 14. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens ma-
num tuam, dicensq. tibi: Ne timeas, ego adiuui te. 15. Noli time-
re vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael: ego auxiliatus ſum tibi,
dicit Dominus: & redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego poſui te
quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia: tritura-
bis montes, & comminues: & colles quaſi puluerem pones. Ven-
tilabis

tilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos. 16. Et tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis. 17. Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſrael non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. 18. Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum, & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul: Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter quia manus Domini fecit hoc, & ſanctus Iſrael creauit illud. 19. Prope facite iudicium veſtrum, dicit Dominus: afferte, ſiquid forte habetis, dixit Rex Iacob. Accedant, & nuncient nobis quæcumque ventura ſunt: priora quæ fuerunt nunciate: & ponemus cor noſtrum, & ſciemus nouiſſima eorum, & quæ ventura ſunt indicate nobis. 20. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos. Bene quoque aut male, ſi poteſtis, facite: & loquamur, & videamus ſimul. 21. Ecce, vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt: abominatio eſt qui elegit vos. 22. Suſcitaui ab Aquilone, & veniet ab Ortu ſolis: vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum. 23. Quis annunciauit ab exordio vt ſciamus: & à principio vt dicamus: Iuſtus es? non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros. 24. Primus ad Sion dicet: Ecce adſunt, & Ieruſalem euangeliſtam dabo. 25. Et vidi, & non erat, neque ex iſtis quiſquam qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum. Ecce omnes iniuſti, & vana opera eorum: ventus & inane ſimulachra eorum.

## SVMMA CAPITIS.

*QVAESTIONEM proponit in hoc capite aduerſus idola, & eam diſſoluit, oſtendens, vnum ſolum eſſe verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, idola autem omnia figmenta hominum eſſe, nullamque virtutem habere, vt ſuos cultores protegant & defendant. Id quod (vocatis ad iudicium procuratoribus idolorum) quatuor rationibus oſtendit.*

*Prima ratio eſt, quoniam ſolus Deus fuit, qui olim iuſtum Abraham vocauit, & tantam virtutem illi contulit, vt plures Reges potentiſſimos vinceret, quod tamen idola minime potuerunt facere. Et de hoc agit à principio capitis, vſque ad verſiculum.* Viderunt inſulæ, &c.

*Secundò, quoniam Deus nullam habet cauſam priorem ſe, ad idola à fabris ærarijs percutientibus malleo fabricata ſunt. Verſiculo.* Confortauit faber ærarius.

*Tertiò, quia ſolus Deus eſt, qui prædicatione Euangelij, ad ſe traxit ab extremis terræ omnes gentes, quod idola facere non poſſunt, & occaſione huius ſe conuertit ad Eccleſiam, & multa illi repromittit bona, videlicet conſolationem ſpiritualem per aduentum Chriſti, per reſurrectionem & aſcenſionem eius, de quibus agit ab illo verſiculo.* Et tu Iſrael ſerue meus: *Ac denique per Apoſtolorum prædicationem, quorum doctrina comminuta eſt regum ſuperbia, ſicut plauſtro teruntur paleæ. De hoc agit ab illo verſiculo.* Ego poſui te quaſi plauſtrum, &c. *Et occaſione huius denunciat abundantiam gratiarum, & coeleſtis doctrinæ, quam per aduentum Spiritus ſancti, & Apoſtolorum prædicationem conſequutæ ſunt gentes. Verſiculo.* Aperiam in ſupremis collibus flumina, &c.

*Quartò, iterum idola conuocans ad iudicium, vt ſua proferant argumenta, quartam proponit, eamque efficaciſſimam rationem, qua omnes conuicti fateantur vnum ſolum verum Deum. Eſt autem ratio hæc. Ille ſolus venerandus eſt, & colendus tamquam Deus, cui proprium eſt certo ſcire, aut annunciare futura contingentia, antequam fiant. Hoc autẽ nullus ex idolis gentium fecit vmquam: Deus autem noſter omnia futura præcognoſcit, & annunciauit ea priuſquam euenirent, ergo ſolus vnus Deus venerandus eſt & colendus, qui fecit cœlum & terram. Proſequitur rationem iſtam ab illo verſiculo.* Accedant, & nuncient nobis quæ ventura ſunt: *vſque ad finem capitis. vbi conſequenter agit de myſterijs gratiæ, quæ per Apoſtolos & Euangeliſtas nota fecit nobis.*





## COMMENTARIVM.

1 *TACEANT ad me inſulæ, & gentes mutent fortitudinẽ: accedant, & tunc loquantur, ſimul ad iudiciũ propinquemus.* Loquitur propheta in perſona Dñi, & cõuocat ad iudiciũ, & diſceptationẽ oẽs populos: vt diſcernatur cauſa præcedenti capite propoſita: vt, rationibus pro vtraque parte diſcuſſis, appareat manifeſte, an ſint idola colenda, an vero, ipſis reiectis, vnus Dominus ſit tamquam verus Deus venerandus, & lex Euangelica, quam incipit inſinuare, humiliter ſuſcipienda. Non dedignatur Deus, potentiam, & miſericordiam ſuam, quaſi coram iudicibus exponere, exhortans gentes, vt idipſum faciant, & idolorum ſuorum enarrent fortitudinem. Nec debet ocioſa huiuſmodi diſcuſſio reputari, ad quam libenter accedit Deus, vt maiorem ſuorum erga ſe amorem excitet, & vanitatem idolorum oſtẽdat eſſe maximam. Ordo autem iudicij

Deus ſuam cauſam rationibus diſcutere cũ hominibus non dedignatur.

dicij expoſtulat, vt ſeorſum loquatur vnusquiſque: nam ſi omnes ſimul clament, mira perturbatio ſequeretur, nec iudicium poſſet, ſed tumultus reputari. Hinc monemur, nos ideo non ſatis honorifice de potentia Dei, bonitate, ſapientia, aliiſque attributis illius ſentire, quia, ipſo loquente, non præbemus ei pium auditum, ſed obmurmurantes, atque multitudine peccatorum obſtrepentes, tumultum excitamus, ne audiatur verbum illius. Ideo ſilentium indicit, & aures attẽtas poſcit. *Taceant* (inquiens) *ad me inſulæ*. Ideſt, ſilentium præſtent, *ad me*; ideſt, me loquente. *& gentes*, ideſt, nationes barbaræ, *mutent fortitudinem*, ideſt, conforrentur, ſe præparent, & accingant, & rationibus atque reſponſis arment, vt habeant vnde cauſam idolorum defendant, atque iis, quæ contra illa obijciũtur, reſpondeant. Ego, verum protectorem, & liberatorem me eſſe, prædixi, qui, cum voluero, poſſum meos à captiuitate qua tenentur liberare, illi me imbecillẽ arbitrantur, & nullam meorum prouidentiam habere: ſimulachra autem ſua credunt eſſe

Inſulæ qd ſignificẽt.

fortiora, & magis benefica. Accedant, & loquantur pro illis, & diſcutiantur merita huius cauſæ. Per

Sup. cap. 17. num. 9.

inſulas, S. Auguſtinus (vt obſeruauimus ſupra) intelligit Eccleſias, eo quòd tumentes Hæreticorum fluctus frangunt, & ipſæ immobiles perſeuerant in fide. Idem dicit Theodoretus, & Cyrillus. Per *gentes*, Omnes

Theodoretus, Cyrillus.

alias deſignat nationes. Alij per inſulas, populos remotiſsimos intelligunt. In qua acceptione videtur accipi hoc nomen infra, cum dicitur:

Iſai. 49.

*Audite inſulæ, & attendite populi de longe*. & in hoc eodem capite, *Viderunt inſulæ & timuerunt: extrema terræ obſtupuerunt, appropinquauerunt & ſteterunt.* Et fortaſsis inſulis & gentibus propterea ſilentium indicit, & vt taceant hortatur; quoniam Euangelium non ſolum Iudæis, ſed etiam gentibus annunciandum erat. Prius dictum fuerat populo Iudæorum. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.*

Deut. 6. a

Nunc autem dicitur. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem. Quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues & pauper*. Audiant inſulæ, & gentes auſcultent.

Euãgelii vniuerſo mũdo pdicandum.

2 *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe? dabit in conſpectu eius gentes, & reges obtinebit: dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit*. Interrogando tantum, hominum ſuperbiam confundit, & in aſtutia ſua comprehendit ſapientes. Talia perquirit Dominus, vt ad illa nullus hominum reſpondere valeat.

Superbiã hominum, interrogãdo eos, confundit De'

*Vere ſcio quod ita ſit, & quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere ei vnum pro mille*, ideſt, neque ad vnam quidem interrogationem ex omnibus poterit homo reſpondere ei, vt ibi explicat Gregorius. Per millenarium quippe numerum perfecta vniuerſitas deſignatur; ſicut in Apocalypſi dicitur. *Et regnabunt cum eo mille annis*. Vt ergo potentiam ſuam, & idolorum fragilitatem oſtendat, interrogationẽ, quæ myſterio non vacat, proponit, ad cuius explicationem notandum, quod Hebræi per iuſtum, in hoc loco, intelligunt Abraham, quem in mediũ videtur Dominus adducere, vt exemplo

Iob 9. a

Gregor. 9. mor. 2.

Apoc. 20.

Millenarii vniuerſitatem deſignant annorum.

plo



plo illius diſcant gentes infideles, vnum eſſe verum Deum, qui ſuorum curam gerit ſpecialem. Hanc explicationẽ tamquam literalem ſequitur Forerius; & videntur Abrahæ congruere, quæ in his verbis proponuntur. Primo enim ab Orientali plaga vocauit eum Dominus, vt ſequeretur eum. Ait enim ad illum:

Gen. 12. a

Abraham egreditur ad præceptũ Domini de terra ſua.

*Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi. & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus*. Fuit iuſtus, & fidelis, quia *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*. Et vt mandatum Domini adimpleret, proprio filio ſuo non pepercit, ſed *extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum*. Hunc fecit iuſtitiæ præconem, quocumque pergeret. Nam in omni loco, vbi pes eius pertranſiens ſtetit, vocauit exemplo ſuo gentes; & populos ad iuſtitiam, & veritatem, ab impio cultu idolorum omnes auertens, verum Dei cultum ſtabiliuit, &, quod non ſine admiratione dici poteſt, inter idololatras pergens, & multas perſequutiones patiens, numquam animo deſpondit, ſed intrepidus in fide, & cultu vnius Dei perſeuerauit, & ſicut ait Paulus. *Contra ſpem in ſpem credidit*. Attende, quot altaria varijs in locis Deo erexerit, quot ſacrificia illi obtulerit. Cum primum in terram Chanaã perueniſſet, & tranſiſſet vſque ad conuallem illuſtrem; *Aedificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde tranſgrediẽs ad montẽ, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai: ædificauit quoque altare Domino, &*

Gal. 3. a

Gen. 22. b

Rom. 4. e

Gen. 12. b

*inuocauit nomen eius*. Cum egrederetur *de Aegypto ipſe, & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Loth cum eo ad auſtralem plagam, in loco altaris, quod fecerat prius, inuocauit ibi nomen Domini*. Iterum ſeparatus à Loth, ædificat altare in conualle Mambre. Item Geneſis 15. ad mandatum Domini * tulit vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, & diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit, aues autem non diuiſit.] Rurſus. *Abraham plantauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni*. Denique cum ab angelo fuiſſet admonitus, ne extenderet manum ſuam ſuper puerũ; *Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio*. Ex quibus, & alijs omnibus, admirabilis Abrahæ religio, fides ſtabilis, & iuſtitia apparet. Dedit in cõſpectu eius gentes: nam propter Abraham punitus eſt Rex Aegypti, & Abimelech Rex Gerarorum, & quatuor Reges, qui quinque deuicerant, parua manu Abrahæ, & vernaculorũ eius proſtrati ſunt, idque abſque labore & periculo, quia nec vnus quidem ſeruorũ defatigatus fuit. Scriptum eſt enim. *Cum audiſſet Abraham captum Loth fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo: & perſequutus eſt vſque Dan. Et diuiſis ſocijs, irruit ſuper eos nocte: percuſſitque eos, & perſequutus eſt eos vſque hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci: Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Loth fratrẽ ſuum cum ſubſtantia illius; mulieres quoque, & populum*. Et hoc eſt quod dicit. *Dabit quaſi puluerem*

Gen. 13. a

Gen. 14.

* Gẽ. 15.

Gen. 21. d

Gen. 22. c

Gẽ. 14. c

gladio,

*gladio*, ideſt, Reges gladio eius conuertentur in puluerem, & idem ſignificant verba ſequentia,quæ ad maiorem deſeruiunt amplificationem.

S.Thom. Adamus.

3 Multi doctores, & alij expoſitores.inter quos eſt ſanctus Thomas, & Franciſcus Adamus doctor Louanienſis, verba iſta interpretantur de Cyro Perſarum Rege,quem ab Oriēte ſuſcitauit Dominus, vt à captiuitate ſolueret filios Iſrael. Perſæ enim reſpectu Iudęorū in parte ſūt Orientali. Habet hæc explicatio magnum fundamentum in ipſo ſacro cōtextu. Nam in lib. 2. Paralippomenon,& in lib. 1. Eſdræ, vbi Cyri narratur hiſtoria, habetur verbum ſuſcitauit, quod in præſenti appoſuit Iſaias, ſic enim ait. *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum ſermonem Domini, quem loquutus fuerat per os Hieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarū: qui iuſſit prædicari in vniuerſo regno ſuo, etiam per Scripturā, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hieruſalē, quæ eſt in Iudæa: Quis ex vobis eſt in omni populo eius? ſit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat*. Præterea etiam maxime congruunt Cyro Regi quæ in præſenti dicuntur, nam vt patebit 45. capite,multas, & inſignes victorias, Deo auxiliante,ea facilitate obtinuit, per aduerſariorum exercitus tanta agilitate pertranſiens, vt nullum in via laborem ſentiret. Nec te moueat,quod in præſenti appellatur iuſtus, cum tamen fuerit infidelis, & barbarus: quoniam ſicut inferius idem Rex Chriſtus Domini dicitur, eo quod vnctus fuerat in Regē, vel potius quoniam populum Iudæorum eruens à captiuitate Babylonica, Chriſti redemptoris noſtri typum geſsit, qui genus humanum à peccati captiuitate liberauit: etiam potuit iuſtus dici quoniam iuſtum Chriſtum deſignauit: multoties enim res figurata, nomine figuræ appellatur, & è cōuerſo. Et iuxta hanc explicationē, ſenſus eſt: Vos inſulares, audite vt intelligatis potentiam meam, & vos Iudæi, qui diffiditis potentiæ meæ, & confugitis ad falſos Deos.Quis effecit, vt Cyrus Rex Perſarum à Iudæis alienus ita bene mereretur de eis? hoc, veſtra ſtudia (ò Iudæi) efficere non poſſent; hoc neque dij veſtri, ò gentes, præſtare poterant, ſolius Dei opus eſt,qui in rebus ita deſperatis ſuſcitauit ſpiritum Cyri, à Iudæorum populo prorſus alieni, & vocauit eum, vt ſequeretur ſe, hoc eſt vt pareret ſuæ iuſſioni, & bellum ſuſciperet aduerſus Babylonios. Ex quibus conſtat, centum & quinquaginta annis prius quam Cyrus naſceretur,Iſaiam de illo prophetaſſe. Etenim, vt ex lib. 2. Paralip. conſtat, & ex 25. cap. Hierem. Cyrus anno primo regni ſui laxauit populi captiuitatem, quam Hieremias prædicit per ſeptuaginta annos futuram eſſe in Babylone. Inter Iſaiam autem, & Hieremiam interceſſerunt 150. anni.

2. Paralip. 36 d 1.Eſdræ 1. a

Iſai.45.

Adamus Delphius ſup.ca. 41. Iſaiæ.

2. Paralip. cap. vlt. Hiere. 25.

Orig. ho. 6. in Iſai. S.Cyrillus Theodor.

4 Quia vero multa dicuntur in hoc capite & ſequentibus maiora, quàm poſsint Abrahæ aut Cyro conuenire,multi patres iſtum locum explicant de Chriſto, vt Origenes. S. Cyrillus, & Theodoretus. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione Septuaginta interpretum,qui ſic trāſferunt iſtum locum. *Quis ſuſcitauit de Oriente iuſtitiam, vocauit eā ad pedes ſuos,& vadit? Dabit in conſpectu gentiū,& reges obſtupefaciet: & dabit in terram gladios eorum,&*





*ſicut ſtipulas proiectas arcus eorum: & perſequetur eos: tranſibit in pace via pedum eius*. Vbi non ſolum iuſtum, ſed & iuſtitiam ipſam Chriſtū dixit, quoniam, Apoſtolo atteſtante, *Factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*. Ab Oriente ſuſcitatus eſt, ideſt, de cœlo, vt explicat Hieronymus; quē ſequutus eſt Dionyſius Carthuſianus. Vnde & ipſum Chriſtum, Orientem Zacharias appellat,dicens. *Ecce vir oriens nomen eius*. & pater Baptiſtæ, Deum Iſrael collaudans, *quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ* Saluatorem noſtrum Orientem nuncupauit. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos, oriens ex alto*. Haymo, per Orientem, Iudæam intelligit, quoniam in partibus Orientalibus ſita eſt. Ab hoc Oriente ſuſcitatus eſt Chriſtus, cum reſurrexit à mortuis, cum *de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*. Gentes obtinuit & Reges,cum verbo virtutis ſuæ,& euangelica prædicatione, ſuperborum colla ſubegit ſibi; cum,ſicut dictum eſt ſupra, percuſsit terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interfecit impios. *Perſequetur* (inquit) *eos*, ideſt, hypocritas & ſuperbos, quos ſæpius in Euangelio reprehendiſſe legimus. Tranſibit in pace, quoniam, ſicut ait Petrus Apoſtolus. *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*; quoniam per paſsionem, & mortem ſuam pacificauit, ſiue quæ in cœlis,ſiue quæ in terris ſunt. quoniam tranſiturus de hoc mundo ad patrem,pacem ſuis reliquit. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Quæ omnia tanta facilitate operatus eſt, vt in pedibus eius nullum veſtigium appareat itineris, nullum laſsitudinis ſignum, nec pedes eius in itinere tumuerunt, aut contraxerunt callum. Nam, etſi reſurgens à mortuis, loca clauorum oſtendit diſcipulis, & manus perforatas, & pedes, hæc tamen non tumoris, ſed amoris ſigna extiterunt. Accedant idola, audiant hæc idolorum cultores, quis eorum tam inſignes obtinuit victorias? quis vmquam talia potuit perficere?

1.Cor. 1. d

Hieron. Dion. Carthuſ.

Haymo.

Iſa.2.

Iſa.11.a

Act.10.f

Ioan.14 d

5 *Quis hæc operatus eſt, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum*. Ac ſi dicat: quis tam inſignia præſtare potuit, niſi ego ſolus, qui facio vnam generationem alteri ſuccedere, & vnicuique tempus, in quo naſcatur, præſtituo; qui omnes prædeſtinatos voco, & ad me conuerto: id quod ab exordio ſæculi in Abel iuſto cœpi perficere, & continuis temporibus vſque ad finem mundi perficiam? Ego ſum qui facio mirabilia, ego primus, & ego nouiſsimus,quia vltra me non eſt alius. Vel ſic: ego primus, ideſt, ego ſum, qui in temporibus priſtinis auxiliatus ſum eis, qui omnem ſpem ſuam conſtituerunt in me, Abraham eduxi de Vr Chaldæorum; Loth de Sodomis, & flamma ignis liberaui, Danielem de lacu leonum; Suſannam de falſo crimine; Tres pueros de camino ignis ardentis, & Dauid de manu Goliæ: & ego nouiſsimus, qui etiam nunc & in diebus nouiſsimis in me ſperantes ab imminentibus periculis eripiam.

6 *Viderunt inſulæ, & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt: appropinquauerunt, & acceſſerunt*. Ideſt, remotiſsimi populi viderunt hunc iuſtum ſic ſuſcitatum, & potentiam eius, qua potentiſsimos quoſque aduerſarios deuicit, & con-

terens eos in puluerem vertit, & timuerunt. Ex quibus conſtat, hæc de Chriſto potius, quàm de Abraham, aut Cyro intelligenda eſſe; quia numquam legimus, extremas inſulas, aut terminos terræ, auditis victorijs Regis Perſarum, aut Abrahæ, timuiſſe, vel appropinquaſſe illis. Viderunt ergo inſulæ, & timuerunt, dum viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri, dum *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; dum audientes Euangelium, receſſerunt ab idolis, appropinquauerunt Chriſto, & acceſſerunt ad Deum; Non à longe, ſed prope ea conſiderauerunt & inſpexerunt, quæ Chriſtus Dominus pro redemptione mundi operatus eſt, ne quis diceret illos fuiſſe deceptos. Obſtupuerunt & timuerunt, conſiderantes altitudinem conſilij diuini ſuper ſalutem generis humani. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur. *Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.* Audiuit Herodes, Chriſtum Dominum natum eſſe in Bethleem Iudæ, & timuit: vidit Magos ab Oriente veniſſe Hieroſolymam, inquirentes, & dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? & turbatus eſt & omnis Hieroſolyma cum illo.* Viderunt Iudæi miracula quæ fecit Chriſtus, viderunt mortuos ſuſcitatos, leproſos mundatos. Viderunt turbatum mare ad nutum illius quieſcere, & obſtupuerunt, dicentes. *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei. Mirabantur Maria mater eius, & Ioſeph, ſuper his quæ dicebantur de illo.* Et cum eſſet ſedens in templo in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans, *ſtupebant omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius, & videntes admirati ſunt.* Similiter etiam & *turbæ admirabantur ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.* Denique cum omnes barbaræ nationes, quæ erant Hieroſolymis, audiſſent Apoſtolos loquentes lingua vniuſcuiuſque magnalia Dei, ita vt ab omnibus gentibus plane intelligerentur, *ſtupebant omnes, & mirabantur, dicentes: nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Gallilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?*

*Pſal. 18.* — *Pſ. 47. a* — *Matt. 2. a* — *Matt. 8. d* — *Luca 2. e* — *Ibidem* — *Matt. 7. d* — *Act. 2. b*

7 *Vnuſquiſque proximo ſuo auxiliabitur, & fratri ſuo dicet: confortare. Confortauit ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum eſt: & confortauit eum clauis, vt non moueretur.* Illi ergo, qui prædicationem audientes Euangelicā, & videntes miracula quæ fecerunt Chriſtus, & Apoſtoli eius, admirati & trementes fidem ſuſcipient Euangelicam, non ſolum ſeipſos, ſed & alios confortare & ſaluare contendent, ſicut prædixerat ſupra. *Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Ita in præſenti, venientes ad Chriſtum, fratres ſuos (inquit) inuitabunt, confortantes eos in fide, & à vano idolorum cultu retrahentes. Videte (inquient) & conſiderate, qualia ſint idola, ab hominibus malleo facta, & clauis confixa, vt non moueantur. Quomodo ergo vobis auxiliari

*Iſa. 2. a*





xiliari poterunt? Quid vobis proderit, colere ſimulacrum à fabro compoſitum, & clauis parieti affixum? Non ſine irriſione idolorum hoc dictum eſt: is enim ſolus, tamquam verus Deus eſt adorandus, qui hominum miniſterio non indiget, ſed ipſe ſibi ſufficit, manens ſemper immutabilis, & omnibus periculis ſuperior. Sic explicant iſtum locum communiter ſancti Patres. Hieronymus, Theodoretus, & Cyrillus. Alij vero ſic verba iſta interpretantur, vt conſpirationem eorum importent, qui aduerſus Apoſtolos, & alios Euangelij prædicatores inſurrexerunt, ſibi inuicem præbentes auxilium, & talia inter ſe loquentes. Ecce conantur Apoſtoli omnia noſtra idola euertere, atque vnius hominis crucifixi cultum inducere, dicentes illum eſſe verum Deum, qui à captiuitate peccati mundum eripuit. Hæc non ſunt à nobis ſuſtinenda, ſed neque audienda, nullus animo deſpondeat, nullus deficiat, reſiſtamus fortiter hominibus iſtis. Talis videtur fuiſſe conſpiratio Iudæorum, qui audientes Petrum, & Ioannem, Chriſtum Dominum annunciantes, & in confirmationem ſuæ doctrinæ miracula facientes; *conferebant adinuicem, dicentes. Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus Hieruſalem: manifeſtum eſt, & non poſſumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum.* Et cum Chriſtus Dominus ſurrexiſſet à mortuis, principes Sacerdotum *congregati cũ ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.* Vide qualiter vnus alterum confortet, & omnes inter ſe conueniant, & aduerſus Chriſtum conſpirationem faciant. Horum audaciam admiratus propheta, inquit. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Illi volunt à nobis abijcere idola, ſed nos eos abijciamus, & iugum Euangelij conemur diſrumpere. Ad hanc vocem (inquit) plures homines conuenient, vt ſua conficiant idola. Primo faber lignarius formauit idolum, quod obduxit poſtea aurifex auro. Iſtum ſequutus eſt alius, qui malleo aurum complanauit. Alius opus factum laudauit, illud affirmans eſſe ſolidum. Alter denique clauis idolum affixit. Ex quo apparet, quanto ſtudio contra pietatem inſurgant homines. Alius conſilium, alius operam, alius opes, alius alia confert auxilia; ſed omnes fruſtra nituntur, quia non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.

Hieron. Theod. Cyrill. — Apoſtolorũ prædicationē impedire non potuit mũdus. — *Act. 4. c* — *Mat. 28 e* — *Pſal. 2.* — Idola quali hominũ fiant induſtria.

8 *Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei: in quo apprehendi te: ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te.* Hæc verba & ſequentia magnam fidelibus conſolationem afferunt, illis præcipue, qui omnem

nem ſpem ſuam conſtituunt in Domino, & nihil requirunt præter eum. Conuertit Propheta ad Iſrael ſermonem: non quidem ad Iſrael carnalem, hoc eſt, ad eos qui gloriabantur patrem ſe habere Abraham, ſed ad ſpiritualem Iſrael, qui vere imitantur fidem Abrahæ, qui velut Iacob dilecti ſunt à Domino. *Non enim omnes qui ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: ideſt, non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Ad iſtos loquitur, hos conſolatur, dicens: O Iſrael, ò Iacob, noli timere, ſicut enim Abraham adiuui, ita & te protegam ſemper: non enim minus dilectus es, quàm ipſe. O Iacob conſtans eſto, quamuis inimici validiſſimi te perſequantur, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Ideo te inſectantur aduerſarij, quia ſeruus meus es. Ideo perſequuntur, quoniam elegi te de mundo, & miſericorditer prædeſtinaui. Vnde & Chriſtus Dominus, loquens ad diſcipulos ait. *Si mundus vos odit: ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis: mundus quod ſuum erat diligeret; quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis: non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt; ſed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt eum qui miſit me.* Quod autem ait, in quo

*Rom. 9. b*

Electos cõſolatur Dominus, ne animo deſpondeăt.

*Ioa. 15. c*

apprehendi te, videtur alludere ad illud, quod poſtmodum dixit Apoſtolus. *Nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit,* ſignificans, ex ſemine Abrahæ Verbum Dei humanam naturam eſſe ſumpturum. Vbi expendendum eſt verbum *apprehendi*, quod ſignificat fugientem capere, aut erranti & infirmanti manus porrigere adiutrices.

Verbũ ex ſemine Abrahæ naturam aſſumpſit humanam.

9 *Vocaui te, &c.* Prius dixit *elegi te*, & poſtmodum *vocaui te*, vt deſignet, ex dilectione Dei & prædeſtinatione, qua, nullis præcedentibus meritis, prędeſtinauit nos in vnigenito filio ſuo, tamquam ex primo fonte, dimanare omnia dona ſpiritualia, quibus electi in vitam perducuntur æternam. Hinc vocatio, hinc iuſtificatio, hinc glorificatio noſtra procedit. Vnde & Apoſtolus ait. *Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit.* Vbi obſeruandum, duplicem eſſe Dei vocationem, alteram communem, quæ etiam reprobis non denegatur, & huic poſſunt homines reſiſtere etiam in ſenſu compoſito, ita vt hæc duo ſint compoſſibilia ſimul, iſte homo vocatur à Deo ad fidem, ſiue ad pœnitentiam, & de facto reſiſtit. Etenim quod vocatus à Deo poſſit reſiſtere in ſenſu compoſito, nihil aliud eſt, quàm quod vocatio Dei, & actualis reſiſtentia peccatoris, poſſint eſſe ſimul in eodem peccatore. Hæc Dei vocatio, appellatur à Theologis auxilium ſufficiens

Vocatio ẽ primus prædeſtinationis effect⁹

*Rom. 8. e*

Vocatio Dei duplex alia ſufficiens, alia efficax.

tantum



tantum, cui homines impedimentum præſtant, ſecundum illud, *ipſi fuerunt rebelles lumini*, iuxta quod per Salomonem dicitur. *Quia vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit.* Alia eſt vocatio ſupernaturalis, propria prædeſtinatorum, qua illis tribuitur miſericorditer à Deo, quod efficaciter, infallibiliter, & libere conuertantur ad illum, piè operentur, & perſeuerent in gratia vſque in finem. quæ quidem vocatio, communi vocabulo dicitur à Theologis, auxilium efficax actuale, quo Deus actiue proprie, ſiue efficienter præmouet voluntatem, & efficit vt pie operetur. Hæc vocatio ſiue hoc auxilium eſt talis naturæ, provt venit à Deo, atque ex abſoluto & efficaci illius decreto conuertendi hominem, vt virtute illius infallibiliter homo cõuertatur. Poteſt quidem homo, motus à Deo tali auxilio, eidem vocationi diſſentire, & reſiſtere, ſi velit, & non operari bonum illud, ad quod mouetur; ſed producere contrarium actum, vt Concilium Tridẽtinum aperte diffiniuit; alias enim non ſaluaretur humani arbitrij libertas, ſiue vſus libertatis in eius operatione. Et hoc eſt quod Theologi dicunt, vocatum à Deo auxilio efficaci, poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo. In ſenſu tamen compoſito impoſſibile eſt, quod habens tale auxilium efficax, actu reſiſtat. Hoc enim tribuitur homini per auxilium efficax, quod cum poſſit diſſentire, non diſſentiat; & cum poſsit reſiſtere, non reſiſtat; ſed conſentiat Deo vocanti, & exci-

*Prou. 1. c*

Auxilium efficax diuinæ grãæ in quo cõſiſtat.

Diſſentire poteſt homo motus auxilio efficaci, ſed numquam diſſentiet. Conc. Tri. ſeſſ 6. de iuſtificatione ca. 5. & can. 4.

tanti; ſecundum illud, quod in laudem iuſti diuitis Eccleſiaſticus dicit: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere malum, & non fecit.* Vnde per hanc Dei vocationem efficacem, (vt ſuperius notauimus) non deſtruitur, ſed perficitur & roboratur humani libertas arbitrij, quia abſolutam relinquit in homine facultatem, qua poteſt non operari, ſi velit. Immo vt Auguſtinus ait: *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuparabiliter ageretur: & ideo quamuis infirma non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur, ſed ipſo donante, inuictiſſime, quod bonum eſt, vellet, nec hoc deſerere inuictiſſime nollet.*

*Eccli. 31 b*

Sup. ca. 10. nu. 12.

Aug. li. de correptione, & grã ca. 12. to. 7

10 Hanc duplicem vocationem diſtinguit verbis diſertiſsimis idem S. Auguſtinus, ſecundus poſt Apoſtolum prædicator & defenſor gratiæ. *Vocat* (inquiens) *Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias. Illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus Crucifixus ſcandalum eſt; & gentes, quibus Chriſtus Crucifixus ſtultitia eſt: ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus, dicens ipſis vocatis Iudæis, & Græcis, prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & ſapientiam. Sic enim ait, ipſis autem vocatis: vt illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. Quam vocationem ſignificans, ait, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei,*

Vocatio duplex ex Aug. ſtatuitur.

Aug. li. de prædeſtin. ſanct. c. 16.

*Luca 14*

*1. Cor. 1.*

*Rom. 8.*
*Rom. 9.*

 quia

*quia maior ſeruiet minori. Numquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente? prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo, ſed ex vocante, non quacumque vocatione, ſed qua vocatione fit credens.* Et vt vocantis miſericordiam magis cõmendabilem redderet Iſaias, aduertit, non vndecumque, ſed ab extremis terræ, & à longinquis ſuos vocaſſe, ideſt, cum per culpam quaſi in infinitum diſtarent à Deo: quod etiam repetit inferius.

Vocare homines à lõginquis quid ſit.

*Iſa. 43. a* *Ab Oriente* (inquiens) *adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da: & Auſtro: noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Hanc miſericordiã põderabat qui dixit. *Rom. 5. b* *Cõmendat autẽ charitatẽ ſuã Deus in nobis: quoniã cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.* Vnde & gratias agens pro illis, qui à Deo fuerãt miſericorditer vocati, inquit. *Theſſ. 2.* *Nos autem debemus gratias agere Deo ſẽper pro vobis fratres dilecti à Deo, quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis: in qua & vocauit vos per Euangelium noſtrum, per acquiſitionẽ gloriæ Domini noſtri* Ieſu *Chriſti.* Denique Petrus Apoſtolus conuerſos ad fidem exhortans, vt miſericordiam vocantis expenderent, & dignitatem, ad quam ſunt euecti, ait, *1. Petr. 2. b* *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autẽ populus Dei: qui nõ conſequuti miſericordiam, nunc autem miſericordiã conſequuti.* Diſcant hoc loco omnes Chriſtiani, immẽſas gratias Deo reddere, & humiliter eius miſericordiam agnoſcere, quod cum potuiſſent inter idololatras, & barbaros naſci, vbi non annunciatus eſt Chriſtus, aut agnitus, abſque vllis meritis proprijs, hæc ſors contigit illis, vt ex parẽtibus fidelibus inter Chriſtianos naſcerentur, vbi clara, & explicita redemptoris noſtri Ieſu Chriſti prædicatur cognitio, & veritas lucet Euangelica.

Miſericordia Dei in peccatoribꝰ ſplẽdet.

Naſci inter Chriſtianos magna eſt miſericordia.

11 *Ne timeas, quia ego tecũ ſum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei.* Cum ergo electos ſuos Deus ab æterno dilexerit, & in tempore beneficia præparet, per quæ certiſsime liberantur, quicumque liberantur, & eorũ protector ſit, & defenſor, non eſt cur timeant, ideo ait, *ne timeas, quia ego tecum ſum.* *Rom. 8. f* Hinc Apoſtolus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* *Pſ. 22. b* Et Pſalmiſta. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es.* Neque aduerſantur huic loco Iſaiæ verba Apoſtoli: *Philip. 2. b* *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* aut celebris illa Sapiẽtis ſententia. *Prob. 28 b* *Beatus qui ſẽper eſt pauidus.* Ad duo enim poſsũt electi reſpicere: primum ad Dei gratiam, & miſericordiam, & ad ea quæ ad illum ſpectant. Et hæc certa ſunt, nec poterit vllus ex parte illius eſſe defectus, qui *1. Tim. 2 b* *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Electorum ſecuritas.

Alterum



Alterum verò eſt, quod nos concernit, & noſtrum liberum arbitrium, ſecundum ſe in bonum, & in malum flexibile; quod niſi miſericordia Dei in bono conſeruetur, ſuis relictum viribus infallibiliter deficiet. Et ex hac parte humiles nos eſſe oportet, cautos, & pauidos, nec vllam conuenit nobis certitudinem aut ſecuritatem polliceri; quoniam etiamſi nihil nobis conſcij ſimus, non tamen in hoc iuſtificati ſumus. *Eccli. 9. a* Et *nemo ſcit vtrum odio, vel amore dignus habeatur: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Vnde & Apoſtolus nos admonet, dicens. *qui ſtat, videat ne cadat.* Stat iuſtus, quia Dominus ſtatuere illum miſericorditer voluit. Non cadit in hoc peccatum aut illud, vel in alia quamplurima, in quæ cernit alios ruere, timeat, contremiſcat, quoniam & ipſe cadere poteſt. Quod ſi ſtat, Dei auxilio, & miſericordia ſtat, non ſua induſtria. Vnde non debet alios deſpicere, aut ſeipſum extollere. Hinc & Apoſtolus, gentium ſuperbiam redarguens, qui Iudæos deſpiciebant, eo quod tanquam inutiles rami reprobati ſunt & exciſsi, ait. *Rom. 11 e* *Noli gloriari aduerſus ramos: quod ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te. Dices ergo: fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Bene: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permaſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.* Et rurſus: *Rom. 14 a* *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.*

Liberum hominis arbitrium ex ſe eſt flexibile in malũ & bonũ.

Timet iuſtus, quia cadere põt ex ſe.

Humilitatis cauſa eſt cognitio Dei & propria.

12 Sibi ergo omnes timere debent, & propter inſtabilitatem ſui arbitrij trepidare. *2 Cor. 4 b* *Habemus enim theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Ita tamen vnuſquiſque timere debet, vt interim reſpiciat diuinam bonitatem, miſericordiam, & potentiam illius, qui omne opus bonum operatur in nobis, initium, progreſſum, & finem piæ operationis tribuens, & vires aduerſariorum reprimens, atque comminuens. Vbi expendantur illa tria verba, *confortaui te, auxiliatus ſum tibi & ſuſcepit te dextera iuſti mei.* Confortat enim electos ſuos Deus, cum vires efficaciſsimas, & robur ſpirituale, ad pie operandũ, contra debilitatem naturæ, & fragilitatem carnis illis tribuit. quo robore confortatus Apoſtolus; *Philip. 4 c* *Omnia* (inquit) *poſſum in eo qui me confortat.* Et ad Epheſios ſcribens, ait. *Epheſ. 6 b* *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Auxiliatur, cum in proſequutione boni operis iuſtos adiuuat. Suſcipit dextera iuſti; cum virtute & meritis Chriſti, qui per eſſentiam iuſtus eſt, & alios iuſtificans, perſeuerãtiam vſque in finem miſericorditer tribuit. Septuaginta interpretes transferunt. *Et roboraui te dextera iuſta mea;* Reddunt hæc verba eundem ſenſum. quia ſicut Chriſtus manus dicitur, & brachium patris, nam per ipſum omnia facta ſunt; ita etiam appellatur dextera, per quam virtus, & potentia deſignatur. Poſſunt denique verba illa, *ſuſcepi te dextera iuſti mei*, ad Verbi incarnationem referri, ita vt ſenſus ſit. Noli timere, ò homo,

Timor & ſpes ſociẽtur ſimul.

Cõfortare Deum electos qd ſit.

 aduer-

aduerſarios tuos, quoniam vnigenitus filius meus humanā pro te naturā aſſumet, & ad tantam dignitatem ſublimabit, vt idem vere ſit homo & Deus. Conſonant huic explicationi verba illa Pſalmiſtæ.

Pſal. 62.

*Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua*, ideſt, quia filius tuus naturam humanā ſuſcepit, quia *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, ideo exultabo, ideo ſecurus ero, ideo ſub protectione alarum tuarum ſperabo. Quia vero poſſet aliquis deſpondere animo, & de conſequenda victoria deſperare, malitiam, aſtutiam, & potentiam ſuorum aduerſariorum conſiderans; & expendens illud quod dicit Apoſtolus;

Epheſ. 6 b

Diaboli potentia & aſtutia.

*Quoniam nō eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarū harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*; quorum verſutias, calliditates, & potentiam expertus Iob (inquit)

Iob 41. d

*Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret*; Et iterum: *Abſorbebit fluuium, & non mirabitur; & fiduciam habebit quod influat Iordanis in os eius:* Ideo pollicetur Dominus, qui non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſe contriturum noſtrorum aduerſariorum potentiam. Vnde ſubditur.

13 *Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te: erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi, quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos, erunt quaſi non ſint, & veluti conſumptio homines bellantes aduerſum te.* Magnum ſane prodigium, & non contemnendum miraculum, quod potentes huius ſæculi, & infideles, atque Hæretici, legem impugnantes Euangelicam, verbo Dei non ſolum confundantur, ſed & annihilentur: quod ad maiorem amplificationem pluribus explicat nominibus.

Verbo Dei confunduntur Hæretici, & annihilātur.

*Erunt* (inquiens) *quaſi non ſint, peribunt*, non eos inuenies, erunt veluti *conſumptio*, ideſt, totaliter deſtruentur. Quod vt notauit Cyrillus, & Theodoretus, ad literam impletum eſt in tyrannis principibus, & Romanis imperatoribus, qui Apoſtolorum tempore, & initio naſcentis Eccleſię aduerſus Chriſtianos pugnauerunt, veritati contradicentes Euangelij, & lumini rebelles facti.

S. Cyrill. Theodor.

Omnes enim perierunt, & non ſunt. Vbi eſt Nero? vbi Dacianus? vbi Diocletianus? vbi cæteri perſecutores Eccleſiæ? Euanuerunt ſicut fumus, & locus eorum non eſt inuentus amplius.

Imperatores martyres perſequētes cōtriti ſunt.

Sanctus Hieronymus de Iudęis incredulis hunc locum interpretatur, qui legem oppugnant Euangelicam, & aduerſus Chriſti Eccleſiam rebellare non ceſſant, quibus maxime congruūt verba Prophetæ, quæ multis modis explicant eorū proteruiā.

S. Hieron.

Primo .n. ait. *Ecce confundentur, & erubeſcent* Quod nunc experiētia ipſa teſtatur, Iudæis per vniuerſū orbē diſperſis accidiſſe.

Iudæorum legē impugnantium Euangelicā cōfuſio.

Videmus enim illos omnes cōfuſos & erubeſcentes, atque in opprobrium conuerſos, iuxtà imprecationem Domini per Prophetam dicentis:

Hier. 17 c

*Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: Paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diē afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Et iterum:

Pſal. 34 d

*Erubeſcant, & reuereantur ſimul, qui gratulantur malis meis. Induantur confuſione, & reuerentia qui magna loquuntur ſuper me.* Vbi, vt notauit Auguſtinus,

Ibi Aug. tom. 8.

*Confundantur, & reuereantur*,

tur,



*tur, idē ſignificant quod confundentur & reuerebuntur. & ita factum eſt: nam multi ſalubriter confuſi ſunt, multi reueriti à perſecutione Chriſti, & ad ſocietatem membrorum eius deuota pietate tranſierunt: & non fieret hoc niſi confunderentur & reuererentur. Ergo bene illis optauit. Sed quia duo ſunt genera eorum qui vincuntur, duobus enim modis vincuntur: aut ad hoc vincuntur vt conuertantur ad Chriſtum: aut adhoc vincuntur vt damnentur à Chriſto.* Sic victi ſunt Iudæi, ſic confuſi ſunt, confuſione videlicet, quæ adducit mortem. Secundo ait: *Erunt quaſi non ſint*. Quod etiam Iudæis excæcatis competit, qui pro nihilo habentur. facti opprobriū hominum, & abiectio plebis. Tertio eos appellat viros bellantes & rebelles, quia contra Chriſtum dimicauerunt, iuxta illud quod per Pſalmiſtam dicit.

Pſ. 55. a

*Conculcauerunt me inimici mei tota diè, quoniam multi bellantes aduerſum me.* Vnde & ad Patrē loquens ait:

Pſal. 34.

*Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum & exſurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ ſalus tua ego ſum.* Illi impugnauerūt me, ſed expugnare non potuerunt, ſed tu pater eos expugna. Illi cum faculis & laternis, cum fuſtibus & gladijs aduerſum me appropinquauerūt & ſteterunt, vt me comprehēderent. ſed tu apprehende arma, & ſcutum, vt exſurgas in adiutorium meum.

Zach. 13 e

Illi frameam ſuſcitare voluerunt ſuper paſtorem tuum, & ſuper virum cohęrentem tibi, & percutere paſtorem, vt diſpergerentur oues; ſed tu effunde frameam ſuper eos. Illi me abſque vlla cauſa coniecerunt in carcerem, & reum eſſe mortis iudicauerunt; ſed tu tanquam iuſtus iudex in carcere tenebroſo conclude eos. Illi ſucclamabant, *crucifigatur, crucifigatur, tolle, tolle crucifige eum*, & longe à ſalute mea verba iactabant, ſed tu dic animæ meæ *ſalus tua ego ſum*. Denique ſi expendatur verba Protomartyris Stephani, qui Iudæorum incredulitatem exprobrans, ait:

Act. 7. f

*Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſāčto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem prophetarū non ſunt perſequuti patres veſtri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum, & non cuſtodiſtis*; luce clarius apparebit, quam rebelles Deo, & mandatis eius extiterint. Ne autem tam inſignes victorias, & admirandos triumphos aduerſus Iudæos, & perſecutores Eccleſiæ ſibi tribueret aliquis, & non Deo; aduertit Propheta, non virtute propria, ſed Dei auxilio contra hoſtes ſuos fideles præualere. Vnde & ſubdit.

14 *Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensq. tibi: ne timeas, ego adiuui te.* Ac ſi apertius diceret. Non quia tu voluiſti, deieciſti inimicos tuos, ſed quia ego apprehendi te, docens manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum. Non quia perſiſtere voluiſti in fide & dilectione, & perſeuerare vſque in finem, ideo credidiſti & perſeueraſti, ſed quoniam ego ad hęc omnia peragenda, auxiliatus ſum tibi.

Pſ. 143. a

1. Cor. 4

*Quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ex quo patet, quod diſcretio credentis à nō credente, iuſti à peccatore, perſeue-

rantis

Diſcretio iuſti à peccatore eſt à ſolo Deo tanquam à primo incipiente.

rantis à non perſeuerante, à ſolo Deo eſt, tanquam à cauſa per ſe primo efficiente; licet enim homo libere credat, conuertatur, & perſeueret in gratia vſque in finem, ſolus tamen Deus eſt, qui facit eum credere, conuerti, & perſeuerare, qui ſolus tribuit voluntati vires efficaciſsimas, & facit vt faciamus. Vnde prædicta diſcretio nullo modo referenda eſt, etiam minus principaliter, in naturalem facultatem liberi arbitrij, neque in aliquid quod ſibi competat ex innata libertate, ſed in illud tantum quod ex gratia Dei accepit. Hoc ſignificant verba Pauli, qui, ne ſupra quam ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio, inquit. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? &c.* Quæ verba expendens Beatus Auguſtinus, ait: *Hoc Apoſtoli teſtimonium, vbi ad reprimendam hominis inflationem dixit, quid enim habes quod non accepiſti? non ſinit quemquam fideliũ dicere, habeo fidem quam non accepi, reprimiturque omnino his Apoſtolicis verbis tota huius reſponſionis elatio. Sed ne hoc quidem poteſt dici: Quãuis non habeam perfectam fidẽ, habeo tamen eius initiũ quo in Chriſtum primitus credidi: quia & hic reſpondetur. Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Et paulo inferius, vt oſtenderet, eum, qui conuertitur, ſemper habere aliquod auxilium gratiæ, quod non habet alter, qui in peccato perſiſtit; nec poſſe vllo modo in aliquid naturale prædictam diſcretionem referri, ſtantibus ex parte Dei auxilijs gratiæ antecedentis conuerſionem, tam ordine temporis, quàm naturæ, omnino æqualibus, ſubdit: *In hac Apoſtoli euidentiſſima intentione, qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine, ſed in Domino glorietur: dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam totam perfectamq. naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſiue vitiatæ naturæ qualeſcumque reliquias, nimis, quantum exiſtimo, abſurdum eſt. Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus? hic autem prius dixit, quis enim te diſcernit? & deinde addidit, quid autem habes quod non accepiſti? poſſet quippe dicere homo inflatus aduerſus alterum: diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus doctor: quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? à quo niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi: Si autem & accepiſti, ait, quid gloriaris quaſi non acceperis? numquid quæſo, ait, aliud, niſi vt qui gloriatur, in Domino glorietur? nibil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis: non quæ communis eſt, & bonis & malis.* Hoc etiam magis explicant verba Iſaiæ ſequentia.

1. Cor. 4. b

Aug. li. de prædeſtin. ſanct. ca. 4. to. 7.

Ibid. c. 5. Gratia nõ reſpondet naturalib⁹, quia eſt ſupra totam naturam.

14 *Noli timere vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael: ego auxiliatus ſum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego poſui te quaſi plauſtrũ triturans nouum, habens roſtra ſerrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quaſi puluerẽ pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos,* Iacob, per quẽ electi deſignãtur, vermiculus dicitur, quia contemptus eſt coram mundo, & ſicut Paulus ait. *Tamquam purgamenta huius mundi, & omnium peripſema facti ſunt vſque adhuc.* Quod de Iacob dicit, hoc de Iſrael intelligendum voluit. Eandem enim ſententiam ad maiorem confirmationem bis repetit. Vnde mortui ex Iſrael, eos deſignant, de quibus Paulus Apoſtolus ait. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Mortui ſunt electi mundo, mortui cupiditatibus huius ſæculi, mortui carni & ſanguini. Mortificationem Ieſu Chriſti in corpore ſuo circumferentes, vt & vita ipſius manifeſtetur in illis. His dicit, *nolite timere,* quoniam ego auxiliatus ſum vobis. Ecce repetit rationem, propter quam iuſti timere non debent. Ecce virtutem, in qua vermiculi magnalia operantur, & iugo Euangelij ſuperbos Principes ſubijciunt, & omnes arrogantes humiliant. *Ego poſui te &c.* hoc etiam verbo nos admonet, quod ab illo procedit omnis virtus, & potentia iuſtorum, & non ab arbitrij eorum innata libertate. *Ego* (inquit) *poſui te,* non ergo tu te poſuiſti, aut ſtatuiſti proprio arbitrio. Ego te miſericorditer elegi, non tu me prius elegiſti. Vnde & ad diſcipulos ait. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Eſt autem pulcherrima ſimilitudo, qua vtitur propheta ad explicandam vim, & energiam verbi diuini, & prædicationis Euangelicæ, atque Apoſtolorum, & Martyrum cõſtantiam declarandam. Comparat enim illos plauſtris, & tribulis potẽtiſſimis, qui non paleas dumtaxat, ideſt, vulgares homines, ſed etiam montes & colles, ideſt, reges, & principes huius ſæculi triturabunt, & cõminuent, atque in puluerem vertent. Hoc autem eſt valde mirabile, quod vermes, qui ab hominibus facillime conculcantur, & occiduntur, hæc oĩa Dei virtute perficiant, & qui vermes ſunt conculcanti, ſint & plauſtrum ſe conculcantes comminuens, & durarum ſuperborum proſcindens pectora, vt in vermiculis virtus agnoſcatur Diuina. Vnde & Hieronymus ait. *Vermis vocatur Apoſtolorũ chorus, propter humilitatem atque cõtemptum, imitans Saluatorem, qui loquitur in Pſalmo. Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sicut enim vermis terram penetrat, ita ſermo Apoſtolicus penetrauit gentium ciuitates, & ingreſſus eſt prius corda duriſſima.* Recordare illius vermis, quem præparauit Deus aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam Ionæ, & exaruit, & videbis, quid virtute verbi Diuini operati fuerint Apoſtoli in vniuerſo mundo. Aruit enim omnis gloria illius ad prædicationem Apoſtolorum, & in puluerem, qui à vento rapitur, conuerſa eſt. Nec mirum, quoniam verba Domini quaſi ignis ſunt, & quaſi malleus. Ait enim. *Num quid nõ verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petram.* Vt ignis, omnem carnis viriditatem exſiccat, & in cinerẽ vertit, & vt malleus, corda peccatorum duriſſima frangit. Vnde & Saluator ad diſcipulos ſuos loquens. *Ponite* (inquit) *in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere aduerſarij veſtri.* Sicut enim paleæ ariſſimæ non poſſunt reſiſtere plauſtro nouo trituranti, ita Principes ſæculi obſiſtere nõ valuerunt prædicationi Euãgelicæ. Denique conferuntur Apoſtoli boui trituranti, vt ſciamus quoniam

Iuſti vermes dicunt quia contẽptibiles videntur.



Colo. 3. a

Gratia, & omnis virtus iuſtorũ à Deo eſt.

Ioan. 15 e

Apoſtoli dicuntur vermis Iacob, propter humilitatem. Hier. ſup. cap. 41. Iſaiæ tom. 4.

Pſal. 21 b

Ion. 4.

Verbũ Dei ignis, & malleus.

Hiere. 23. f

Luc. 12. e

Apoſtoli plauſtro conferũtur & boui trituranti.

1. Cor. 9.

niam prædicatio Euangelij plauſtrum eſt corda ſuperborum comminuens.

16 *Et tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis.* Iterum atque iterum admonet ſuos, ne ſuis viribus tribuant, quæ per eos operatur Dominus, nec glorietur aut exultent in propria virtute, ſed in eo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit. Quibuſdam diſcipulis prę gaudio dicentibus. *Domine etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo*, reſpondit Dominus. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verũtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubijciuntur: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*: Oſtendens, in ſolo Deo electos exultare, cuius gloriam magnificari vident, cum aduerſæ poteſtates ſubijciuntur illis. Super aſpidem, & baſiliſcum iuſti ambulant, & conculcant leonem, & draconem, quæ cum perfecerint, non in ſe, ſed in Deo gloriantur, cuius viribus victoriam ſunt aſſequuti, ideo non ſolum ipſi propter hoc Deum collaudant, ſed etiã ſuo exemplo ad laudandum Deum alios prouocant. Vnde, & ſubditur.

Dæmonia virtute Dei ſubijciuntur Iuſtis, ſed nõ in hoc gloriandum.

Luc. 10. e

17 *Egeni, & pauperes quærent aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſrael nõ derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Egeni* ſunt Apoſtoli, & Apoſtolici viri, Chriſti Euangelium prædicantes, & animarum ſalutẽ ſitientes, de quibus prædixerat ſupra: *Conculcabit eam pes, pedes pauperis greſſus egenorum.* Ipſi etiam ſunt pauperes ſpiritu, quibus repromiſſum eſt regnum cœlorũ. Iſti (inquit) *quærent aquas.* ideſt, cõuerſionem infidelium ſitient. Aquæ enim multę (vt ſupra obſeruauimus) ſunt populi multi, & gentes, & regna quibus Apoſtoli prædicauerũt Euangelium. Et ſicut ſitibundis graue eſt & oneroſum, aquã in ſolitudine quærere, & nullam inuenire, ſicut de Agar legimus, ita & Apoſtolis, atque Euangelij prædicatoribus non mediocrem adferebat anguſtiã Iudæorum duritia, & infidelitas gentium, qui relicta veritate ad peruerſa dogmata conuertebantur. Hinc & Apoſtolus, ſitiens conuerſionem Iudæorum, ait. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior: teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Et cum expertus fuiſſet multipliciter eorum duritiam, ad Deum conuertebatur, pro illis exorans, *Fratres* (inquit) *voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem.* Dominus autem in præſenti, deſideria eorum, qui conuerſionem infidelium ſitiunt, ſe exauditurum promittit, & in conſimili anguſtia plus daturum, quàm petant. *Aperiam* (inquit) *in ſupremis collibus flumina.* In altis locis flumina aperiri, quæ in vallibus alioqui conſueuerunt tranſire, argumentum eſt magnæ abundantiæ, & multitudinis aquarum. Vt igitur vberrimum fructum prædicationis Euangelicæ conijcere poſſis, non ſolum in ſupremis collibus flumina eſſe aperienda denunciat, ſed & in medio campo-

Apoſtoli egeni ſunt ſitientes ſalutẽ animarum*

Iſa. 28.

Gen. 16.

Rom. 9. a

Pauli charitas erga Iudæos.

Rom. 10 a

Prædicationis Euãgelicę vberrimus fructus.



camporum, qui natura ſunt inaquoſi, & in terra inuia, doceo futuras eſſe abundantiſsimas aquas: ita vt in aridis locis ſtagna inueniãtur aquarum, & arbores plurimæ, quæ in locis tantum creſcunt humectis. Ex quibus omnibus magna Dei miſericordia luceſcit, & tanta benignitas, & potentia, vt omnes fateantur, manum Domini hæc omnia perfeciſſe. Sanctus Hieronymus, per egenos, & pauperes, gentium populum intelligit, & homines barbaros, qui non habebant legem, & Prophetas, nec aliquem doctorem, qui viam vitæ oſtenderet illis. Iſti (inquit) quærent, per varia philoſophorum dogmata, ſalubres aquas, ideſt, ſcientiam veritatis; & non inuenient, quia non ſunt vera eorum dogmata. Lingua eorum ſiti aruit ſine lege, & Prophetis, & abſque pluuia illa cœleſti, quam Deus hæreditati ſuæ ſegregauit. Sed Dominus ſua miſericordia largiſſimas aquas cœleſtis doctrinæ, & riuulos ſalutares excidit illis in montibus, & collibus, in campis, & locis inuijs, ideſt, vbique terrarum. Quod tempore Apoſtolorum, & ſucceſſorum eius ad litterã fuit impletum, cum *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et ſicut olim *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita*: ita in paradiſo cęleſtis Eccleſiæ Catholicę, vnum agnoſcimus fluuium, videlicet Chriſtum Dominũ, qui per quatuor Euangeliſtarum doctrinam, vniuerſam irrigat Eccleſiam.

Hieron.

Pſa. 18.

Gen. 2. b

Xp̃s Fluui⁹ eſt, paradiſi q. p quatuor Euãgeliorũ flumina Eccleſiam irrigat.

18 *Dabo in ſolitudinem cedrum & ſpinam, & myrtum, & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul: vt videant & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & ſanctus Iſrael creauit illud.* Per hæc ligna varia, iuxta communem explicationem doctorum, Origenis, Hieronynimi, & Cyrilli, & aliorum plurium, varietatem intelligit virtutum, & abundantiam gratiarum: deſignans, nihil defuturum in Eccleſia, quod ad eſum, vel refrigeriũ pertineat. Arbores enim proceras, & magnas varijs vſibus accommodatas producit, ideſt, Apoſtolos, & Martyres inuictos, Confeſſores, & Virgines, atque alios ſanctos, quorum exemplo infirmi ſuſtinentur in fide, & fortes fortiores fiũt. Ex his arboribus, quædam vmbras præſtant, ſub quibus tranſeuntes viã requieſcant, & ab æſtu ſolis ſe defendant, ſicut abies, & vlmus: aliæ ad ædificia deſeruiunt, & ad domos conſtruendas ſicut cedrus, & ſpina, quæ arbores sũt imputribiles. Teſte enim Plinio, Spina Aegyptia etiã in aquis durat incorrupta, & propterea vtiliſsima coſtis nauium reputatur. Nã vt dicit Hieronymus, Setim arbor eſt quæ naſcitur in eremo, ſpinæ albæ in colore & folijs ſimilitudinem habens, & tantæ magnitudinis, atque fortitudinis, vt omniũ lignorum fortitudinem ſuperet. Eſt præterea lignum leuiſsimum, quod propterea facillime ſupernatat aquis. & ex ea confecta eſt arca tabernaculi, & dicitur Setim, quæ perpetua ſeruare dicitur folia. Aliæ magnũ emittunt odorem, vt myrtus. Aliæ denique ſuauem proferunt fructũ, ſicut oliua. In Eccleſia ergo hęc omnia ſpiritualiter præſtant ſancti: nam quidam ab æſtu ſolis concupiſcentiæ carnalis nos defendunt, alij Eccleſię ſuſtinent ędificium, ſicut Apoſtoli, & doctores, & vniuerſi prælati, qui ad curam aſſumuntur animarum. Alij bonæ famę profe-

Orig. ho 26 in Leuiticum.

Iuſtorũ diuerſitas p diuerſitatẽ arborũ deſignatur.

Plin. lib. 13 naturalis Hiſtoriæ.

Arca tabernaculi ex qua materia fuerit compoſita.

proferunt odorem: alij denique alios
perferunt ſpirituales fructus, & va-
rijs vſibus Eccleſiæ deſeruiunt. Sed
obſeruandum, quod in primo loco
cedrum poſuit, & ſpinam, vt ſciamus,
primum locum in Eccleſia obtinere
prælatos, qui tamquam cedrus ſunt
fortiſsimi, ad ſuſtinendos infirmos,
& veluti ſpina ſub aquis imputribi-
les perſeuerant. Vnde & in Canti-
*Cant. 1. d* cis dicitur. *Tigna domorum noſtra-*
*rum cedrina. Laquearia noſtra cy-*
*preſſina.* Quem locum explicans ſan-
S. Ber. ſer. 46. in cãt. colum. 1. ctus Bernardus, ait. *Domos popula-*
*res conuentus intellige Chriſtiano-*
*rum, quod hi qui in ſublimitate poſi-*
Tigna, & laquearia quid ſignificent. *ti ſunt, Chriſtiani vtique vtriuſque*
*ordinis principes, quaſi tigna parie-*
*tes, iuſtis impoſitis legibus fortiter,*
*ſtringunt, ne ſua quiſque lege vel*
*voluntate viuentes, tamquam parie-*
*Pſ. 61. a* *tes inclinati, & maceriæ depulſæ diſ-*
*ſiliant à ſemetipſis, & ſic omnis ſtru-*
*ctura ædificij corruens diſsipetur.*
Prælati ſunt tigna domorum ideſt Eccleſiarum. *Et cedrus quidem, quoniam impu-*
*tribile eſt, nec non & odoriferum,*
*alteque proceritatis lignum, ſatis*
*indicat quales oporteat aſſumi viros*
*in vices tignorum. Ergo validos, &*
*conſtantes neceſſe eſt eſſe eos, qui ſu-*
*per alios ordinantur, necnon & lon-*
*ganimes in ſpe, vſque ad ſuperna*
*mentis verticem atollentes, quod eſt*
*bonum fidei ſuæ, & conuerſationis*
*vbique odorem ſpargentes, dicere cũ*
*2. Cor. 2. d* *Apoſtolo poſsint. Chriſti enim bo-*
*nus odor ſumus Deo in omni loco.*
Audiſti, quid, tamquam cedri, effi-
ciant prælati; attende, qualiter ſicut
ſpina ſint ſolidi. ſpina (vt diximus)
Prælati ſunt gigantes ſub aquis gemẽtes. perſeuerat ſub aquis incorrupta, ſic
& prælati Eccleſiæ ſub aquis imputri-
biles perſiſtunt, & fortes. De illis
Propheta dicit. *Ecce gigantes ge-*
*Iob 26.* *munt ſub aquis*, ideſt, prælati ſub po-
pulis, vt ex Gregorio diximus ſupra.
Gemunt quidem ſub aquis, & vim põ
Sup. cap. num. 7. deris ſentiunt, ſed non putreſiunt.
*Vt videant, & ſciant &c.* Ecce ite-
rum admonet, quod ſæpius prædixe-
rat ſupra, videlicet, hæc omnia mi-
rabilia in Deum eſſe referenda.
De' gloriã ſuam non vult vt alter accipiat. Non enim patitur Dominus, qui om-
nium eſt auctor, & conditor, quod
gloriam ſibi debitam, temere quis
rapiat, vel ſculptilibus tribuat, aut
dijs alienis, ait enim. *Ego Domi-* *Iſa. 42. b*
*nus, hoc eſt nomen meum: gloriam*
*meam alteri non dabo, & laudem*
*meam ſculptilibus.* Vnde, ad iudi-
cium vocat idola, & idolorum cul-
tores, & hortatur eos, vt in medium
proferant, ſi quid habent in defenſio-
nem eorum: ſubditur enim.

19 *Prope facite iudicium ve-*
*ſtrum, dicit* Dominus: *afferte, ſi quid*
*forte habetis, dixit Rex Iacob. Ac-*
*cedant, & nuncient nobis quæcum-*
*que ventura ſunt: priora quæ fuerũt*
*nunciate: & ponemus cor noſtrum,*
*& ſciemus nouiſſima eorum, & quæ*
*ventura ſunt indicate nobis. Anun-*
*ciate quæ ventura ſunt in futurum,*
*& ſciemus quia dij eſtis vos. Bene quo*
*que aut male, ſi poteſtis, facite:*
*& loquamur, & videamus ſimul.*
Loquitur irriſorie aduerſus Iudæos,
& omnes alios idolorũ cultores, ac ſi
apertius dicat. Ego iam in medium
protuli virtutes meas, & mirabilia,
quæ à mundi exordio operatus ſum:
Enarrent nunc idola potentiam
ſuam, ſapientiam, & ſcientiam, vt
omnes ſciant, an vere ſint Dij. Et
quoniam alia miracula vtcumque
imitabantur idolorum cultores, & ſi-
Cognoſcere occulta cordium, & futura eſt Dei proprium* mulachra virtute dæmonum, actiua
paſsiuis applicantium, vt deciperent
homines, & à cultu vnius Dei eos re-
traherent, ſicut conſtat ex Magis
Pharaonis, qui plura miracula per
Moyſen facta fingebant ſe facere:





ideo hortatur, vt priora quæ facta
ſunt, annuncient, & vaticinentur fu-
tura, ea vel maxime quæ ex contin-
gentibus cauſis, aut hominum volun-
tate dependent: hoc enim ſolus Deus
annunciare poteſt, qui profunda cor-
*Rom. 4. c* dium intuetur, & *vocat ea quæ non*
*ſunt tamquam ea quæ ſunt.* Nam vt
*Heb. 4. d* Paulus ait. *Non eſt vlla creatura*
*inuiſibilis in conſpectu eius: omnia*
*autem nuda, & aperta ſunt ocu-*
*lis eius.* Præterita nunciauit Do
minus Deus noſter, cum per Moyſen
Prophetam, mundi creationem in
temporis initio factam enarrauit, di-
*Gen. 1. a* cens. *In principio creauit Deus cæ-*
*lum, & terram, terra autem erat*
*inanis, & vacua:* futura vero, cum
Chriſtus ſuam diuinitatẽ ex cognitione cordis humani, & futurorum contingentium oſtẽdit * per alios prophetas futuram Verbi
incarnationem prædixit, & alia my-
ſteria à ſæculis abſcondita. Annun-
cient hæc, inquit, dij gentium, & tunc
poterunt tamquam verus Deus repu
tari, & coli. Vnde & Chriſtus Do-
minus, vt oſtenderet Petro, ſe verum
Deum eſſe, quem po[illegible]lum illa
altiſſima confeſsione veneratus eſt.
*Mat. 16. c* *Tu es Chriſtus filius Dei viui:* futu-
ra ſæpius illi prædixit. Ait enim. *Tu*
*Ioan. 1. f* *es Simon filius Iona, tu vocaberis*
*Cephas, quod interpretatur Petrus.*
*Mat. 26. c* Et iterum. *Amen dico tibi quia in*
*hac nocte antequam gallus cantet ter*
*me negabis.* Et loquens cum Sama-
ritana, vt ad cognitionem Diuinita-
tis eius, animum illius erigeret, præ-
terita, & occulta, quę habebat in cor
de ſuo, declarauit illi, cum dixit. *Be-*
*Ioan. 4. c* *ne dixiſti quia non habeo virũ, quin*
*que enim viros habuiſti, & hunc quẽ*
*habes non eſt tuus vir, hoc vere dixi-*
*ſti.* Quibus verbis ſtupefacta mu-
lier dixit: Domine, video quia pro-
pheta es tu; & prædicatrix illius effe-
cta, relinquens hydriam ſuam, Chri-
ſtum annunciauit Samaritanis: *Ve-*
*nite, & videte hominem, qui dixit* *Ibid. d*
*mihi omnia quæcunque feci. num-*
*quid ipſe eſt Chriſtus? Et multi cre-*
*diderunt in eum Samaritanorum,*
*propter verbum mulieris teſtimonium*
*perhibentis: Quia dixit mihi omnia*
*quæcũque feci.* Quaſi diceret. In hoc
cognoſcetis quoniam ipſe eſt Chri-
ſtus filius Dei, quoniam occulta cor-
dis mei propria virtute cognouit.
Igitur ſolius Dei eſt occulta cordiũ
cognoſcere, & futura antequam eue-
niant prædicare. *Multa hominis affli-* *Eccleſ. 8. a*
*ctio*, ait Sapiens, *quia ignorat præte-*
*rita, & futura nullo ſcire poteſt nun-*
*cio*, vnde & Chryſoſtomus ait. Chryſ. ho. 18. ſup. ca. 1. Ioã. co. e
*Hoc vel maxime Dei opus eſt, quod*
*neque dæmones imitari poſſunt, quã-*
*uis maiorem in modum adnitan-*
*tur. In miraculis enim ſæpe ſub ve-*
*ritatis vmbra decipi poſſumus; præ-*
*dictio futurorũ immortalis Dei dũ-*
*taxat opus eſt: quod ſi quando dæmo-*
*nes aliquid prædixerunt, ſtultum &*
*incautum vulgus deceperunt: eorum*
*namque vaticinia paſsim falſa de-*
*prehenduntur.*

20 *Annunciate quæ ventura*
*ſunt in futurum, & ſciemus quia*
*Dij eſtis vos.* Quonian cognoſcere
futura ſignum (vt diximus) proprium
eſt Diuinitatis, explicandum eſt, qua
ratione futura ſoli Deo ſint cogni-
ta, & per quam ſcientiam cogno-
ſcantur ab eo. Ad cuius euiden-
tiam conſiderandum eſt cum S. Tho-
S. Th. 1. p. q. 57. a. 3. in corpore & q. 14. a. 9. ma, quod futurum dupliciter poteſt
cognoſci, Vno modo in ſua cauſa, &
ſic, futura, quæ ex neceſsitate pro-
ueniunt ex ſuis cauſis, per certã ſcien
tiam cognoſcuntur, non ſolum ab an-
Deus qualiter futura cognoſcat. gelis, ſed etiam ab hominibus: ſic
cognoſcitur Eclipſis lunæ futura tali
vel tali tempore. & iſto modo non
eſt propriũ ſolius Dei futura cogno-
ſcere. Alio modo cognoſcuntur fu-

tura, in ſe ipſis, & ſic ſolius Dei eſt futura cognoſcere, eo quod ſoli Deo ſunt omnia præſentia in æternitate ſua, quæ, cum ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & ipſum concludit: & ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia; & videt omnia vt in ſe ipſis ſunt: omnis autem intellectus creatus deficit ab æternitate diuina. Vnde non poteſt ab illo naturaliter cognoſci futurum, vt eſt in ſuo eſſe. Eſt autem in Deo duplex ſcientia, vt ſæpe docet Sanctus Thomas, & Doctores antiqui: altera eſt ſimplicis intelligentiæ, quæ communi vocabulo dicitur ſcientia naturalis, eo quod naturaliter eſt in Deo, quoniam antecedit omnem actum liberum ſuæ voluntatis. Per hanc cognoſcit omnia poſsibilia, exiſtentia in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen, nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt. Per eandem ſcientiam, cognoſcuntur certo, & infallibiliter à Deo, omnia futura cõditionata, quorum conſequens neceſſario ſequitur neceſsitate conſequentiæ, ex antecedenti ſi ponatur in eſſe. Cognoſcit enim Deus ſcientia naturali, quod ſi voluiſſet alium creare mundum, creaſſet, & ſimiliter cognoſcit per eandem ſcientiam, quod ſi ipſe vellet efficaciter cõuertere Petrum, & ſaluare, conuerteret illum, & ſaluaret. ſi dediſſet Iudæ auxilium de ſe efficax, vt perſeueraret, perſeueraſſet infallibiliter: quia cognoſcit vim & efficaciam ſuæ voluntatis, qua omnia, quæ vult, facit, fortiter diſpõẽs omnia, & ſuauiter. Cognoſcit etiam per eandem ſcientiam, quod ſi Petrus eſſet in Hiſpania, non eſſet Romæ. Scit enim eſſe impoſsibile, quod vnum corpus ſimul exiſtat in duobus locis adæquatis. Altera vero, eſt ſcientia viſionis, quæ alio nomine dicitur ſcientia libera, eo quod præſupponit liberum decretum ſuæ voluntatis. Per hanc ſcientiam cognoſcit certo, & infallibiliter omnia quæ ſunt, quæ fuerunt, & erunt, in menſura temporis, aut æui angelorum, eo quod omnia ſunt Deo in æternitate præſentia. Præter has duas ſcientias, nulla alia reperitur in Deo; quoniam ſcientia media, qua aliqui dicunt, Deum altitudine ſui intellectus comprehenſiue cognoſcere ante omne decretum ſuæ voluntatis, quid voluntas creata, pro innata ſibi libertate, operatura ſit, ex hypoteſi, quod conſtitueretur à Deo in tali ordine rerum, & cum talibus auxilijs, nõ prædeterminantibus eãdem voluntatem ad iſtum vel illum actum, non poteſt habere rationem ſcientiæ, ſed cuiuſdam imperfectæ & coniecturalis cognitionis: atque adeo omnino eſt indecens, quod attribuatur Deo. Nec per hoc ſubtrahimus aliquid ab infinitate ſcientiæ diuinæ. ſicut enim veriſsime aſſeritur, eſſe impoſsibile, quod Deus faciat id quod eſt infactibile, nec per hoc derogatur omnipotentiæ Diuinæ, ita veriſſime affirmamus, abſque præiudicio infinitatis ſcientiæ Diuinæ, Deum nõ cognoſcere, ante decretum ſuæ volũtatis, futura conditionata, quorũ conſequens non ſequitur neceſſario ex antecedenti poſito in eſſe, quoniam tale conditionatum non eſt cognoſcibile vt futurum, ſed tantum vt poſſibile. Cuius ratio eſt. Quia tale futurum conditionatum, non eſt cognoſcibile in decreto voluntatis Diuinæ abſoluto, aut conditionato, quo Deus antecedenter decreuerit, talem actum eſſe futurum, ſi poneretur conditio: nam, vt ſupponitur, ſcientia media antecedit omne decretum voluntatis Diuinæ, reſpectu talis actus

S.Th. 1. p. q. 14. a. 9.

Scĕtia duplex eſt in Deo, ſimplicis intelligentiæ, & viſionis.

Scietia naturali quæ Deus cognoſcat.

Scientiam mediã in Deo reperiri eſſe impoſſibile, oſtenditur.

futuri



futuri. Licet enim, iuxta auctores ſcientiæ mediæ, præceſſerit in Deo eandem ſcientiam decretum conditionatum creandi hominem, & conſtituendi illum in talibus, vel talibus circunſtantijs; tamen (vt ipſi etiam fatentur) nullum anteceſſit in Deo etiam conditionatum decretum, quo ante illam ſcientiam mediam ſtatuerit, quod ſi Petrus (verbi gratia) ponatur in talibus circunſtantijs, producat determinate iſtum actum, & non alium. Iam enim ſemel diximus, quod ſi hoc decretum antecedat, futura conditionata ſunt vere ſcibilia; quoniam eorum conſequens neceſſario ſequitur ex antecedenti, neceſſitate illationis, ſi poneretur in eſſe; ac per conſequens certo & infallibiliter cognoſcuntur à Deo. Neque etiam eſt cognoſcibile in voluntate creata. Non enim aliquid ſcibile eſt, quod non ſit aliqua neceſſitate neceſſarium, & determinatum ad vnam partem; ergo in voluntate omnino indeterminata & indifferenti, etiã in quibuſuis circunſtantijs poſita, non poteſt certo & infallibiliter ab vllo intellectu cognoſci, quid ſit determinate factura, quia etiam in illis circunſtantijs poſita eſt omnino indifferens, & indeterminata, in qua ſubinde non poteſt certo, & infallibiliter cognoſci determinatus effectus, vt docet expreſſe S. Thomas 1. p. vbi ſic ait, *Contingens, vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnũ, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita, & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem.* Et idem docet alijs locis quàmplurimis. Dices Deum ſupereminenti altitudine ſui intellectus infallibiliter cognoſcere, vt futurum ſub conditione, id quod in ſeipſo eſt incertum, & indeterminatum ad alteram partem, antequam à voluntate creata determinetur. Et ego dico propter eandem rationem, Deum non cognoſcere in voluntate creata huiuſmodi futura determinatè. Cum enim ſupereminens intellectus Dei comprehenſiuè cognoſcat creatam voluntatẽ in quibuſuis circunſtantijs poſitam, & cognitio illius falli non poſſit, impoſsibile eſt, quod cognoſcat creatam voluntatem aliter quàm eſt, aut eſſet, ſi poneretur in talibus circunſtantijs. Intellectus enim cognoſcens rem aliter quam eſt ex parte obiecti, falſus eſt. Voluntas autem creata, ſi poneretur in talibus circunſtantijs, & cum talibus auxilijs non prædeterminantibus illam ad vnam partem contradictionis, maneret omnino indifferẽs, & indeterminata, atque contingens, & indifferenter ſe habens ad vtramque partem contradictionis; ergo impoſſibile eſt, quod cognoſcatur etiam à Deo, niſi vt indifferenter ſe habens ad oppoſita, & tamquam potentia, quæ poteſt operari, vel non operari, alias cognoſceret rem aliter quàm eſt: ergo implicat, quod determinate cognoſcat voluntatem creatam, ſi poneretur in eiſdem circunſtantijs eſſe infallibiliter operaturam hoc in particulari, & non illud. Sed quoniam in præſenti non eſt noſtrum inſtitutum de his quæſtionibus Theologicis ex profeſſo tractare, ſufficiat dixiſſe id, quod circa ſcientiam Dei certiſſimum eſſe arbitror. Forſitan in alio tractatu Theologico quæſtionem iſtã, Deo auxiliante, preſsius diſcutiam. Igitur ad prophetæ contextum reuerten-

Futurũ cõtingens, vt contingẽs, non ſubditur cognitioni infallibili.

S.Tho. 1. p. q. 14. ar. 13 in corp.

Ibid q. 57. ar. 3 q. 86. art. 3. in c. & ar. 4. in corp.

 uerten-

uertentes,conſtat ex dictis, quòd non poterunt gentium ſimulachra, ſe Deos eſſe, oſtendere; quoniam futura prædicunt; & multo minus, quoniam bene poſſunt facere in ſe ſperantibus, aut inferre mala his, qui execrantur illa. Cum enim ſe mouere non poſſint, aut auxiliari ſibi, quomodo poterunt alijs auxilium præſtare? hoc oſtendunt clarius verba ſequentia. Subditur enim.

21 *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt: abominatio eſt, qui elegit vos.* Infert ex dictis intentam concluſionem, idola,videlicet, ex nihilo eſſe, vtpote ex rebus materialibus ab hominibus facta, quæ ex nihilo tamdem duxerunt originem. Formantur ſimulachra ex auro & argento; argentum & aurum, de terra oriuntur: terra autem ex nihilo creata eſt; ergo de primo ad vltimum, idola ex nihilo ſunt. quod & clarioribus verbis Paulus explicuit: *Scimus* (inquiens) *quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus niſi vnus. Nam ſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi & domini multi:) nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Vbi non ſolum ex nihilo,ſed nihil eſſe idolum dixit. Qui ergo in idolis confidunt, ſpem in nihilo conſtituunt, & qui relicto vero Deo eligunt idola,& contempta veritate doctrinis varijs, & peregrinis abducuntur,non ſolum abominabiles ſunt,ſed abominatio ipſa. *Non eſt Deus noſter ſicut dij eorum,& inimici noſtri ſint iudices. Quoniam omnes dij gentium dæmonia,* quorum virtus ita ligata eſt, vt nihil mali poſſint hominibus inferre, niſi ſecundum quod Deus permiſerit, nec vera prædicere valent, qui ſemper mendacium dilexerunt. Et cum obtenebrati ſint per ſuperbiam, ita vt plerumque de præſentibus non recte iudicent, quomodo poſſūt futura dignoſcere? Hinc confutantur arioli, & pytones, qui à dæmonibus quærunt reſponſa, circa ea quæ euentura ſunt. hæc enim certo dignoſcere proprium eſt ſolius Dei, qui de ſeipſo loquens ſubdit.

(Margin: Idola ex nihilo eſſe qualiter intelligatur. — 1.Cor. 8 a — Spem in nihilo cōſtituunt, qui in idolis confidunt. — Deut.32 — Pſ.95. a — Arioli, & Pytones nō cognoſcūt certo futura.)

22 *Suſcitaui ab Aquilone, & veniet ab Ortu ſolis: vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum.* Vide prudentiam Iſaiæ, & ſapientiam Dei, qui per os illius loquebatur. Propoſuit quæſtionem idolis,atque idolorum cultoribus, vt reſponderent. Ipſis autem præ confuſione ſubticentibus, affert in medium admirabile vaticinium, quale numquam à dæmonibus excogitari potuit. Prædicit autem aduentum Chriſti, & incarnationem Verbi, ad cuius præſentiam idola corruerunt. Et primo inquit: *ſuſcitaui*, nec indicat, quem ſuſcitauerit, vel quando, ſed hoc capite ſequenti declarat, & cap. 45. Per Aquilonem autem intelligit cœlum, eo quod à nobis eſt remotiſsimum. Et in hac acceptione videtur accipi Iob 26. cum dicitur. *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum.* Quod alijs nominibus Dauid explicuit, dum ait. *Extendens cœlum ſicut pellem.* Aquilonem ergo extendit Deus ſuper vacuum, quoniam cœlum ad modum tentorij ſuper aerem extendit, & ſuper ſpatium exiſtens inter cœlum & terram, quod vulgus arbitratur vacuum, & communi vocabulo ſic appellatur; ſicut theca vacua dicitur, quan-

(Margin: Chriſti aduentus prædicitur. — Iob 26. — Pſ. 103.)



quantumuis aere ſit plena. Per ortum Solis, deſignat illam cœli partem, à qua Sol egreditur, vt mundum illuminet, vel (vt inquit Cyrillus) Chriſtum Dominum illis verbis reſpicit, qui ab ortu Solis eſt, immo & Sol ipſe oriens ex alto, de quo per prophetam dicitur. *Ecce vir oriens nomen eius.* Et iterum: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri,in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Ait ergo: Quis ex dijs veſtris ſicut ego, qui Redemptorem ſuſcitaui, & miſi de cœlo, qui feci vt veniret ab ortu Solis,& tantam illi dedi poteſtatem, vt vocans & prædicans nomen meum, ad ſe adduceret magiſtratus & principes ſæculi,& eos ſibi quaſi lutum ſubijceret, & ſub pedibus conculcaret, faciens ex eis velut figulus, vaſa quædam in honorem, quædam vero in contumeliam? Nonne magiſtratus adduxiſſe viſus eſt,& velut plaſtes lutum pedibus ſuis ſubieciſſe, cum natus in Bethleem Iudæ, ſtella duce, Magos adduxit ab Oriente. Et tanta fide ſuccendit eorum pectora, vt intrantes domum, & inuenientes puerum cum Maria matre eius, procidentes adorarent eum,& apertis theſauris ſuis, munera offerrent illi, aurum,thus, & myrrham. Nonne velut plaſtes conculcans humum, & adducens lutum reputari debuit,cum Saulum perſequutorem, iter facientem, vt Chriſti oues comprehenderet, & dilaniaret, proſtrauit in via, atque illa voce, *Saule Saule, quid me perſequeris? Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris*, ita mutauit, vt ex vaſe contumeliæ efficeret illū vas electionis? quis idolorum talia operatus eſt,quis ſimilia prædixit? Vana ergo ſunt omnia ſimulachra, vanus & abominabilis qui veneratur illa. Ex quibus conſtat,ſcientiam infallibilem futurorum contingentium nullatenus dæmonibus eſſe conceſſam, ſed ſoli Deo eſſe reſeruatam, quamuis ex coniecturis fallibilibus poſſint ab illis vtcumque dignoſci. Septuaginta interpretes ſic transferunt iſtum locum. *Ego autem ſuſcitaui eum,qui ab Aquilone eſt,& qui ab ortu ſolis: vocabuntur nomine meo. Veniant principes; & ſicut lutū figuli, & ſicut figulus conculcans lutum; ſic conculcabimini.* Cui tranſlationi conſonat explicatio eorum, qui verba illa, *ego ſuſcitaui eum qui ab Aquilone,&c.* referunt ad vocationē gentium, quæ ab Aquilone,& ab ortu Solis, ad prædicationem Chriſti, & Apoſtolorum congregatæ ſunt: iuxta quod & Caiphas, *cum eſſet pontifex anni illius,prophetauit quod Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantū pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum.* Vnde & Chriſtus Dominus fidem admiratus Centurionis, qui gentilis erat, *ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autē vobis, quod multi ab Oriente & Occidēte venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Et ad Phariſæos loquens, ait: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient,& fiet vnum ouile & vnus paſtor.* Cum ergo virtutem vocantis audierint gentes, & verum Deum agnouerint, ſicut lutum figuli conculcabunt vos, ò idola, & pro nihilo reputabunt, vere ſcientes, quia nullus in vobis eſt ſenſus, nulla potentia, nulla ſcientia, qua futura cognoſcere aut prædicere valeatis: ſed nec præſentia quidem, & ea quæ ad faciē ſunt. Nicolaus de Lyra ſequutus Hebræos præſentem locum explicat de

(Margin: Zach. 6. c — Luc. 1. g — Xps natus pedib⁹ ſuis ſubiecit potentes Reges. — Matt. 2. b — Act. 9. a — Paulū conuertens Xps, fuit plaſtes conculcans humum. — Ioa. 11. g — Centurionis fides. — Matt. 8. b — Ioan. 1. d)

Cyro Rege Perſarum, quem Dominus ſuſcitauit ab Aquilone, & ab Oriente, ideſt, à Perſia, quæ, vt dicit Adam Saſbouth. Sasbouth, partim eſt Aquilonaris, partim Orientalis, eo quod inter Aquilonem, & Orientem verſus Hieruſalem ſita eſt. Forerius. Forerius autem interpretatur de Abraham, iuxta ſuperius dicta. Et quamuis vtraque explicatio ſit valde literalis, tamen principalius hæc prophetia reſpicit Chriſtum, cuius excellentiam ſub typo & figura Patriarchæ Abraham, & Regis Perſarum, qui populum Iſrael de captiuitate Babylonis eripuit, varijs modis prædicere intendit, & tamquam quintus Euangeliſta enarrare.

23 *Quis annunciauit ab exordio vt ſciamus: & à principio vt dicamus:* Iuſtus es? *non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros.* Septuaginta ſic transferunt. *Quis enim annunciabit ea, quæ à principio ſunt, vt cognoſcamus ea, quæ ad faciem ſunt? & dicemus, quia vera ſunt? non eſt, qui prædicat, neque qui audiat verba veſtra.* Quoniam nihil reſpondebant idolorum cultores, nihil in defenſionem deorum ſuorum adducebāt, iterum atque iterum ſubridens, & contra illos inſultans eos interrogat, ne vanam poſſint excuſationem aliquam habere. Quis ex dijs veſtris annunciauit futura ab exordio? quis prædixit illa antequam fierent? *Vt dicamus iuſtus es?* ideſt, verax. iuſtus enim accipitur in præſenti pro veritatem ſeruante in ſermonibus ſuis; ſicut ſumitur in Pſal-
Pſ.144. mo 144. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis.* Nullus eſt alius Deus, qui annunciet futura, nullus qui prædicat ventura, ſed neque qui præſentia cognoſcat, aut verbis valeat exprimere illa. *Domine non eſt ſimilis tui* 1.Paral. 17.c (ait Propheta Regius,) *& non eſt alius Deus abſque te, ex omnibus quos audiuimus auribus noſtris.* Et in cantico ſuo, adorans Deum, ait Anna. 1.Reg.2. a *Non eſt ſanctus vt eſt Dominus: neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.* Vnde tacito ſilentio ſtellæ cum reliquis creaturis clamant. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum.* Baruch. 3.d Non eſt alius qui futura denunciet. Vnde & ſubditur.

24 *Primus ad Sion dicet: Ecce adſunt, & Hieruſalē Euangeliſtā dabo.* Quaſi dicat: Cū idola non poſſint futura prædicere, nec prophetam aliquē inſtituere, aut Euangeliſtā dare, qui veritatem doceat. Ego *primus*, Deus enim eſt ſimpliciter primus, in quem, tamquam in cauſam, omnia reducuntur. Vel, ego *primus*, videlicet, ero, & ego nouiſsimus, quoniam extra me non eſt alius. Ego dicam Sion, ideſt, Eccleſiæ Catholicæ per Sion deſignatæ: *Ecce adſunt*. Multi Codices antiqui habent. *Ecce adſum*, ſed legendum eſt, *adſunt*, ita enim habetur in Biblia Vaticana excuſa nouiſsime: & ita habetur in Hebræo. Et ſenſus eſt. *Ecce adſunt* Apoſtoli, & prædicatores Euangelici, qui à me edocti futura prædicent, & quæ ventura ſunt, annunciabunt. Ego clarificabo filios tuos, & dabo illis ſpiritum meum, vt loquatur in eis, quibus illud competit, quod dixit Chriſtus. *Cum autem venerit ille* Ioa.16.b *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Ego dabo ſpirituali Hieruſalem Euangeliſtam, nec vnum tantum, ſed quatuor, qui fideliter enarrent mirabilia, quæ feci. Euāgeliſtæ ꝑmittunt Eccleſiæ.

ci. Et



ci. Et notanter dicit, *Euangeliſtam* in ſingulari, & non Euangeliſtas in plurali, quoniam licet quatuor dederit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus Euangeliſtas, omnes tamen eodem ſpiritu afflati loquuti ſunt, & ita ſibi inuicem concordant, vt, cum quatuor perlegeris, vnum tantum legiſſe Euangeliſtam videaris. Vel ex eo dixit in ſingulari *Euangeliſtam*, quoniam omnes vnum Chriſtum reſpiciunt, & ad eundem ſcopum diriguntur, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſ-* Epheſ.4 b *dam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

25 *Et vidi, & non erat neque ex iſtis quiſquam, qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum. Ecce omnes iniuſti, & vana opera eorum: ventus & inane ſimulachra eorum.* Conqueritur Dominus de Iudæis incredulis, atque de idolorum cultoribus, exprobrans eorum duritiam; cum enim Prophetas miſerit, qui annunciarent futura, & Hieruſalem Euangeliſtas dederit, qui legem ſcriberent Euangelicam, & idolorum cultum tamquam execrabilem damnarent, obturauerunt aures ſuas, declinauerunt à veritate, & inutiles facti ſunt. Nec erat ex eis, qui cum Chriſto iniret conſilium, & ſequeretur veritatem, niſi paucæ reliquiæ Iſrael. Iudæi dicunt, petra ſcandali mihi eſt Chriſtus Crucifixus: Gentes aſſerunt, ſtultitia eſt prædicatio Euangelij, &, relicto Deo, inania ſimulachra ſunt ſequuti: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Pſ.13 a Omnes homines iniuſti ſunt: vnus tantum eſt per eſſentiam iuſtus, iuſtus, & Saluator, quem verba illa ſequentis capitis deſignant. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.* Iſa.42.a

# CAPVT XLII.

1. ECCE ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus
meus, complacuit ſibi in illo anima mea.
2. Dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium
gentibus proferet. 3. 4. Non clamabit, ne-
que accipiet perſonam, nec audietur vox
eius foris. 5. 6. 7. Calamum quaſſatum non
conteret, & linum fumigans non extinguet:
in veritate educet iudicium. 8. 9. Non erit
triſtis, neque turbulentus, donec ponat in
terra iudicium: & legem eius inſulæ expectabunt. 10. Hæc dicit Do-
minus Deus creans cælos, & extendens eos: firmans terram: & quæ
germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum
calcantibus eam. 11. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & appre-
hendi manum tuam, & ſeruaui te. 12. Et dedi te in fœdus populi,
in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de con-
cluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. 13. Ego
Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, &
laudem meam ſculptilibus. 14. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt:
noua quoque ego annuncio: antequam oriantur, audita vobis faciam.
15. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ:
qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius, inſulæ, & habitatores ea-
rum. Subleuetur deſertum, & ciuitates eius: in domibus habitabit
Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.
Ponent Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nunciabunt. 16.
17. Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit ze-
lum: vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur.
18. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipa-
bo, & abſorbebo ſimul. Deſertos faciam montes, & colles, & omne
gramen eorum exſiccabo: 19. Et ponam flumina in inſulas, & ſtagna
arefaciam. Et ducam cæcos in viam, quam neſciunt, & in ſemitis,
quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram





eis in lucem, & praua in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui
eos. 20. Conuerſi ſunt retrorſum: confundantur confuſione qui con-
fidunt in ſculptili, qui dicunt conflatili: Vos dij noſtri. 21. Surdi
audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, niſi ſeruus
meus? & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? quis cæcus, niſi
qui venundatus eſt? & quis cæcus, niſi ſeruus Domini? Qui vides
multa, nonne cuſtodies? qui apertas habes aures, nonne audies?
22. Et Dominus voluit vt ſanctificaret eum, & magnificaret legem,
& extolleret. Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus: laqueus iu-
uenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt: facti ſunt in
rapinam, nec eſt qui eruat: in direptionem, nec eſt qui dicat: Red-
de. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. Quis eſt in vobis qui au-
diat hoc, attendat, & auſcultet futura? Quis dedit in direptionem
Iacob, & Iſrael vaſtantibus? nonne Dominus ipſe, cui peccauimus?
Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius. Et
effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum, &
combuſſit eum in circuitu, & non cognouit: & ſuccendit eum, & non
intellexit.

---

## SVMMA CAPITIS.

*IAM in hoc capite expreſſius agit de aduentu Chriſti, & de myſterijs gratiæ, quæ in noua lege per Euangelij prædicationem innotuerunt mundo; & in primis denunciat, humilem futuram eſſe, & benignam conuerſationem Chriſti, quam deſcribit à principio capitis, vſque ad verſiculum.* Legem eius inſulæ expectabunt.

*Secundò, vaticinatur conuerſionem gentium. Suſceperunt enim humiliter Euangelium, quod Iudæi increduli audire noluerunt. De hoc agit ab illo verſiculo.* Hæc dicit Dominus Deus.

*Tertiò, agit de diuina potentia, enarrans multa mirabilia eius, vt credentium fidem confirmet, & ſpem roboret; Verſiculo.* Ego Dominus, hoc eſt nomen meum.

*Quartò, excellentiam explicat, quam habet ſupra legem Moſaicam lex gratiæ: ne quis arbitretur, legales cæremonias ſimul eſſe cum Euangelio obſeruandas. Verſiculo.* Et Dominus voluit, vt ſanctificaret eum.

*Denique, condignam pœnam incredulitatis Iudæorum ſubiungit. Verſiculo.* Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus.

# COMMENTARIVM.

1 ECCE *ſeruus meus ſuſcipiã eum; electus meus, cõplacuit ſibi in illo anima mea*. Quoniam in capite præcedenti conuicti ſumus, omnes vanos eſſe, & iniuſtos, & natura filios iræ, & perditionis, Deumque concluſiſſe omnia ſub peccato, vt omnium miſereretur, introducit iam fidem, & cognitionem vnius iuſti, qui Deo placuit, qui & omnes alios iuſtos ſanctificat, videlicet cognitionem Ieſu Chriſti Domini noſtri, cuius ſanctitatem, & iuſtitiam, miſericordiam, & ſanctam cõuerſationem vaticinatur in hoc capite, iuxta explicationem S. Hieronymi, Epiphanij, & vtriuſque gloſſæ, quæ communis eſt inter ſanctos doctores, &, vt patebit infra, tradita eſt prius, à Scriptorib. ſacris interpretantibus de Chriſto nõnulla verba huius capitis, & in illo adimpleta eſſe dicentibus. [Hier. q. 2. ad Algaſiã Epiphan. lib. 2. contra hæreſ.] Nec poſſunt cõuenire Abrahę, & multo min⁹ Cyro Regi Perſarũ multa, q̃ in iſto capite dicuntur. Vnde non ſunt audiendi Hebrei, q̃ iſtud caput cũ ſequenti explicant de Cyro Rege Perſarũ, & de libertate à captiuitate Babylonica per illum conceſſa. Ait ergo. *Ecce ſeruus meus*. Illa de monſtratiua interiectio, *Ecce*, rem mirabilem deſignat, & magna conſideratione dignam. Quid eſt hoc? vnigenitum Dei filium appellat ſeruum. Pater de cœlis loquens, ait. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. & per Prophetam in terris loquentem dicit. *Ecce ſeruus meus*. Vtique, quoniam in cœlis exiſtens in ſinu Patris, filius eſt vnigenitus eius; in terris gremio ſuſceptus matris, ſeruus eſt. [Xps in ſinu Patris filius, ſed in matris gremio ſeruus dicitur.] De Patre ante luciferum genitus filius eſt æqualis Patri; ſed in terra natus de virgine matre ſeruus eſt Patris. Itaque idem mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, filius eſt, & ſeruus Patris. Filius ſecundum diuinitatem; ſeruus, ſecundum humanitatem. Filius eſt per naturam: ſeruus per aſſumptam carnem. Filius quia *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: [Philip. 2. a] *ſeruus*, quia *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, quia humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*. Seruus eſt, quoniam *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animã ſuam in redemptionem pro multis*. [Mat. 20] *quia in paſſione minoratus eſt paulo minus ab angelis*. [Heb. 2. c] Seruus eſt, quoniam vſque ad mortem ſeruiuit pro peccatis noſtris. Vnde & inferius ait *Seruire me feciſti in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. [Iſa. 43. d] Seruus eſt, quoniam non voluntatem ſuam fecit, ſed patris, & ſe illi ſubiecit in omnibus. Electus, quia *prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*. [Rom. 1. a] Quia ſingulari modo electus eſt, & prædeſtinatus. Quia exemplar eſt, & cauſa prædeſtinationis noſtræ. [Prædeſtinatio Xpi cauſa eſt noſtræ pdeſtinationis] Exemplar quidem, quantum* *ad bonum, ad quod prædeſtinamur. Ipſe enim eſt prædeſtinatus ad* [* S.Th. 3. p. q. 24. a. 3. in corp.]





*hoc quod eſſet Dei filius naturalis: nos autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis. Vnde dicitur Rom. 8. Quos præſciuit, hos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. [Rom. 8.] Cauſa vero, quoniã, ſicut Paulus ait, *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo; in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius*. [Epheſ. 1 a] Vnde ſanctus Thomas hac ratione probat, Chriſtum eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, [S.Th. 3. p. q. 24. a. 4. in corp.] quia ſub prædeſtinatione æterna non ſolum cadit id, quod eſt fiendum in tempore, *ſed etiam modus & ordo, ſecundum quem eſt complendum in tempore*. [Prædeſtinatio Xpi cauſa eſt noſtræ pdeſtinationis.] Deus autem prædeſtinauit noſtram ſalutem, ab æterno prædeſtinando, vt per Ieſum Chriſtum compleretur; vnde vere eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ, non quidem quantum ad actum Diuinæ voluntatis, ſed quantum ad terminum ipſius prædeſtinationis. Igitur ſingulariter eſt Chriſtus Dei electus, quoniam per ipſum omnes alij ſunt electi, & in gloriam adducti. *Complacuit ſibi &c.* [Gen. 6. a] Olim *videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo (inquit) hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cœli. Pœnitet enim me feciſſe eos*. [In Chriſto complacuit pater.] Diſplicuit ſibi in hominibus, eo quod omnis caro corruperat viam ſuam, ſed inuenit in quo nos reconciliaret ſibi. *Inueni* (inquit) *in quo ei propitier*. [Iac. 33. e] complacuit ſibi in vnigenito filio ſuo, in quo nos gratificauit. Quod ergo in præſenti ait; *Complacuit ſibi in illo anima mea*: hoc ipſe Pater teſtatus eſt in Iordane, cum dixit. *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*. [Luc. 3. e] Quod etiam confirmauit in mõte, cum vox Patris audita eſt *de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. [Mat. 17 a] Vnde conſtat ad literã de Chriſto Domino loqui in iſto capite Iſaiam. Quod expreſſius teſtatur Euangeliſta, dum enarrans conſilium Phariſęorum perdere volentium Redemptorem, qui ſuam magnam benignitatem oſtendens, curauit omnes qui ſequuti ſunt eum, *& præcepit eis ne manifeſtum eum facerent*, [Mat. 12 b] aduertit hoc factum eſſe, *vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiã Prophetam, dicentem: Ecce puer meus quẽ elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ*. Vbi plura alia verba refert huius capitis, quæ, oſtendit, in Chriſto Domino eſſe completa.

2 *Dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet*. Hoc eſt quod prædixerat ſupra. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, &c.* [Iſaiæ 11] quod ad literam impletum eſſe, cum *Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit* Spiritus *ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum*, [Luc. 3. e.] teſtatur ſanctus pater Auguſtinus, ſanctus Hieronymus, Cyrillus, & alij patres. [S. Au. l. 20 de ciuitate Dei ca. 30. S. Hieron. S. Cyrill.] Accepit autem ſpiritum, vt nos doceret, & Euangelium gentibus prædicaret; vt hinc diſcant homines, & caueant, ne prius velint aliorum fieri magiſtri, quàm Spiritum ſanctum ſuſcipiant, qui eos doceat

doceat, & inſtruat. Vnde Chriſtus Dominus, priuſquam Apoſtolis poteſtatem ligandi ac ſoluendi tribueret, *inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum*. Apellatur autem ipſum Euangelium *iudicium* propoſitum gentibus, quoniam per illud didicerunt, verum Dei cultum à ſuperſtitioſo idolorum diſcernere. Vel per iudicium, illud intelligit, de quo ipſe ait. *Nunc iudiciū eſt mundi: nunc princeps huius mundi eÿcietur foras*. Et ſenſus eſt: Sententiam feret pro gentibus, partes eorū agens atque diabolū ab eorū cordibus procul pellens. Denique verba iſta eundem videntur habere ſenſum cum illis. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos*. quæ iam ſuperius explicata ſunt. Et ſecundū Hieronymū *Iudicium* in præſenti pro illo iudicio accipitur, de quo Saluator per Ioannem ait. *In iudiciū ego veni in mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Iudicauit gentes, cum eos illuminauit: Iudicauit Iudæos, cum in reprobum ſenſum eos tradidit, excæcans eos, vt dictum eſt.

Ion. 20. f — Ioa. 12. e — Iſa. 2. — Ioan. 9. — Sup. cap. 6. num. 45.

3 *Non clamabit, neque accipiet perſonam, neque audietur vox eius foris*. Ideſt, non contentionibus, & clamoribus, nō armis, & tumultibus, ſed pacifice prædicabit Euangelium. Quod etiam prædixerat ſupra. *Et conflabunt gladios in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad prælium*. In primo enim aduentu manſuetus apparuit, placidus, & benignus, blandis ſermonibus alliciens peccatores: de quo per Prophetam dicitur. *Specioſus forma præ filÿs hominum, diffuſa eſt gratia in labÿs tuis*. *Non clamabit*, vt contendat: *clamabit* autem, vt veritatem annunciet, ſuadeat, & defendat. Ideo turbis parabolā ſeminantis ſemen ſuum proponens, *Clamabat: qui habet aures audiendi, audiat*. *Non clamabit*, vt iudicet quēquā; ſed vt preces ad Patrem pro nobis effundat: ideo *In diebus carnis*, ideſt mortalitatis, & paſſionis *ſuæ, preces ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſit illum saluū facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*. *Non clamabit*, vt reos mortis morti tradat, ſed vt mortem ipſe innocens pro reis ſuſtineat. Ideo *clamans voce magna Ieſus ait. Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: & hæc dicens exſpirauit*. Ideo *circa horam nonam clamauit voce magna, dicēs Eloi, Eloi lamma ſabacthani*. Ideo iterum *clamans voce magna, emiſit ſpiritum*. At in ſecundo aduentu *clamabit* ita, vt foris audiatur vox illa tremenda, quam proferet iuſtus Iudex. *Ite maledicti in ignem æternum*. Non accepit perſonam, quia ſe tractabilem omnibus exhibuit, omnibus prædicauit, omnes miſericorditer ad ſe vocauit. Non excluſit pauperes à regno cœlorum, non eos contempſit, ſed potius agnouit; ait enim; *Spiritus Domini ſuper, me eo quod vnxerit me; Euangelizare pauperibus miſit me*, non illis prætulit diuites & potentes. Cum publicanis, & peccatoribus dignatus eſt manducare: pueros ad ſe venientes amplexatus eſt. ſcriptum eſt enim. *Et offerebant illi paruulos, vt tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Ieſus, in digne tulit, & ait illis: ſinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non*

Chriſti cō uerſatio pacifica. — Iſa. 2. a — Pſal. 44. — In iudicio audiet vox Chriſti. — Luc. 8. — Heb. 5. c — Luc. 23. f — Mat. 27 — Ibid. f — Iſa. 61. a — Marc. 10. a



*non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos*. Latroni in cruce paradiſum repromiſit, & vt miſericors Samaritanus, illum, qui incidit in latrones, non præterijt. Nec eſt apud illum diſtinctio Iudæi & Græci. Vnde & Petrus Apoſtolus ait. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*. Ex hoc loco ſanctus Baſilius colligit, quod non ex æmulatione, aut inuidia, & contendendi ſtudio, aut alio humano affectu prædicandum eſt Euangelium, ſed ex charitate & zelo honoris Diuini. Vnde & Apoſtolus ait. *Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. quidam ex charitate: ſcientes quoniam in defenſionem Euangelÿ poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant, non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis*. Multorum voces exaudiuntur foris, quoniam ex contentione veritas annunciatur, & vnuſquiſque quæ ſua ſunt quærit, non quæ Ieſu Chriſti. Quod à vera religione & pietate omnino alienum eſſe his verbis oſtendit Chryſoſtomus. *Laudatur quiſpiam virtute probatus, quæ ad ſanam pertinent doctrinam loquens, & Eccleſiam verbo prædicationis ædificans, Nos huic protinus inuidemus: quia quæ Dei ſunt gerit. Videmurq. inuidere illi quidem, verum liuor ipſe noſter tranſit in Dominum maieſtatis, dum ædificationem illam non per alios, ſed per nos fieri volumus: non propter Chriſtum, ſed noſtri gratia. Nam ſi Chriſti vrgeret affectus, ſiue id per nos, ſiue per alios fieret, nihil moueremur. Dic enim, quæſo, ſi quiſpiam medicus filium habens cæcitati proximum, ipſe nihil remedÿ adhibere poſſet: alium vero fortaſſe reperiret, qui hoc poſſet, num illum repuliſſet? nequaquam: ſed ipſi quodammodo ita loqueretur: Siue per te ſanitas, ſiue per me contingat, nihil refert. cur id? Quia non quæ ſua ſunt quærit: ſed quid filio expediat, ſtudioſe proſequitur: Ita & nos ſi Chriſtum toto animi affectu amaremus, diceremus profecto: ſiue per nos, ſiue per alios quoſlibet, quod expedit fiat: nihil ad rem, ſiue veritate, ſiue occaſione, inquit, Chriſtus annunciatur. Audi denique dicentem ſanctum Moyſen ad eos, qui eum irritare volebant, cum Eldad & Medad prophetare nunciarentur: Nolite, inquit, pro me æmulari: Quis mihi det vt omnis populus Domini prophetet? nempe iſta omnia ex gloriæ vanitate procedunt*. Diſcant ſecundo miniſtri Euangelij, in confeſſionibus audiendis, & prædicatione verbi Dei, non præferre diuites pauperibus, aut ignobilibus nobiles; ſed charitatis affectu, omnes indifferenter ſuſcipere, ſicut & Chriſtus ſuſcepit nos. De quo vide ſupra dicta.

Act. 10. c — Baſil. lib. mor. ſent. cap. 25. Euangeliū non eſt ex contentione prædicandum. — Philip. 1. c — Chryſ. hō. 3. in primā epiſt. ad Tim. circa finē. — Philip. 1. c — Num. 11 f — ſup. c. 6. n. 30. c. 11. n. 7. 8. ca. 21. nu. 21.

4 *Nec audietur vox eius foris*. Satis clare indicat locus iſte, intra Eccleſiam tantum veritatem prædicari Euangelicam, & verba Dei à fidelibus, qui intra Eccleſiam ſunt, exaudiri: foris autem, ideſt, in conuenticulis Hæreticorum, in delubris idolorum, & Synagogis ſathanæ, in tumultibus & confuſione Babylonis non audiuntur verba Chriſti, nec vox eius exauditur, nec prædicatur. Intra Eccleſiam ſunt oues Chriſti, quæ paſtoris ſui vocem audiunt, & ſequūtur illum, quia cognouerunt vocem eius: *foris* autem ſunt *canes, & venefici*

Fidei veritas intra Eccleſiam pdicatur, non foris.

Appoc. 22. c

*neſici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Ij non vocem Chriſti, quam ignorant, ſed alienorum ſequuntur: & quoniam mendacium amant, & faciunt, diabolum, qui eſt pater mendacij, libenter audiunt, non Chriſtum, qui author eſt veritatis, & veritas ipſa. Hoc ergo ſignificant verba prædicta: *Nec audietur vox eius foris*, ſicut explicat Auguſtinus. *Non eſt audita* (inquiens) *foris vox eius, nec auditur, quandoquidẽ ab eis, qui foris ab eius corpore præciſſi ſunt, non illi obeditur*. Et quoniam tales vocem Chriſti audire contemnunt, iuſto Dei iudicio ab eorum auribus ſubtrahitur, vt fame conſumantur & pereant, iuxtà illud Prophetæ vaticinium. *Mittam famen in terram: non famen panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inueuient. In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.* Vnde & Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos & diſcipulos prohibens, ne verbum veritatis annunciarent indignis, qui illud conculcaturi ſunt, ait: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Et Paulus Apoſtolus prædicator veritatis, & doctor gentium; *De ijs* (inquit) *qui foris ſunt, quid ad nos*, S. Tho. aliter explicat iſtum locum. *Non audietur vox eius foris*, ideſt, in propria perſona non exhibebit ſeipſum niſi Iudæis, non prædicabit per ſeipſum gentibus. Ait enim. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael.* Non enim promiſſus

Verbum Dei digne ſubtrahitur ab indignis.

Aug. 20. de ciuitate Dei ca. 30. tom. 5.

Amos. 8. d

Mat. 7. a

Xps in ꝓpria perſona nõ ꝓdicauit niſi Iudæis. S. Th. ſup. cap. 15. ad Rom. 1 lec.

Mat. 15

fuit gentibus, ſed Iudæis, Apoſtolo atteſtante. *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmãdas promiſſiones Patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.*

Rom. 15.

5 *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate adducet iudiciũ.* Quoniam Chriſtus Dominus, (vt Auguſtinus ait). *Ipſos quoque perſequutores Iudæos, qui calamo quaſſato, perdita integritate, & lino fumãti, amiſſo lumine comparati ſunt, nec contriuit, nec extinxit, quia pepercit eis, qui à nondũ venerat eos iudicare, ſed ab eis iudicari: in veritate ſane iudiciũ protulit, prædicens eis, quando puniendi eſſent, ſi in ſua malignitate perſiſterent.* Et in libro primo quæſtionum Euangelicarum, aduertit; *Arundinem quaſſatam Iudæos dici, quoniam & vnum erãt, & ab inuicem diſcrepabant.* Aduertit etiam, quod in lino fumigante notatur fœtor intolerabilis conſcientiæ ipſorum, cuius ſimilitudinem linum fumigans præfert, eo quod, amiſſo lumine, ex ſe fumum fœtidum emittit, quem vix homines ſuſtinere valent. Hoc ad literam impleuit Chriſtus, cum conquaſſatos Iudæos debiles & infirmos non fregit; ſed verbis oris ſui corroborauit, cum ad ſe venientes paucas reliquias Iſrael benigne ſuſcepit; cum mulieri infirmæ dixit. *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* Cum Petrum, qui ad vocem vnius mulierculæ negauit illum, ad ſe conuertit & in fide ſolidauit. Cum Apoſtolos pene extinctos, & in fide dubios, reſurgens à mortuis inſtaurauit, & oſtendẽs illis vulnera clauorum, corroborauit in fide. Potuit quidem Iudæos omnes ira & odio ſuccenſos

Aug. 20. de ciuitate Dei ca. 30 tom. 5.

Iudæi calamo quaſſato conferuntur.

Lib. 1. q. Euang ca. 3. tom. 4

Linũ fumigans, fœtorẽ deſignat cõſciẽtiæ.

Mat. 9.

Apoſtolos in reſurrectione tãquã linum fumigans ſuccendit Chriſtus.

cenſos



cenſos, & infernali inuidia fumigantes, qui illũ morti tradere volebant, ea facilitate diſperdere, qua poteſt homo calamum quaſſatum cõterere, aut linum fumigans extinguere, & eodem verbo, Ego ſum, cuius virtute *abierunt retrorſum & ceciderunt in terram*, ſi voluiſſet, occidiſſet eos. Potuit Patrem ſuum orare, & ipſe exhibuiſſet illi ſtatim pluſquã duodecim legiones angelorum. Sed vt implerentur Scripturæ, eos patiẽter ſuſtinuit, & blando ſermone Iudæis furore ſuo fumigantibus reſpõdit. *Dixi vobis quia ego ſum: ſi ergo me quæritis ſinite hos abire.* Et iterum. *Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus comprehendere me: quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.* Hinc duo documenta valde neceſſaria colligere poteris. Alterum eſt, quod infirmi & imperfecti non ſunt à perfectioribus deſpiciendi, cõtriſtandi, aut exprobrãdi, etiam ſi in aliquibus deficiãt & confracti in virtute videantur, aut pene extincti, ſed affectu charitatis fouendi & confortandi, vt in virtute creſcant, & ad ſtatum perfectionis perueniant, ne abundantiori triſtitia abſorbeantur, qui eiuſmodi ſunt: & fumigantes, atque ad perfectionem anhelantes penitus extinguantur, & confracti conterantur. Vnde & Apoſtolus ſpirituales admonet, dicens. *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et iterum. *Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.* Et iterum. *Debemus autem nos firmiores, im-*

Xpi patiẽtia cũ captꝰ eſt expenditur.

Ioan. 18 a

Mat. 26 e

Ioan. 18 b

Mat. 26 e

Perfecti nõ debent imperfectos deſpicere, ſed eos ſupportare

Gal. 6 a

Rom. 14 a

Rõ. 15. a

*becillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonũ ad ædificationẽ. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptũ eſt. Improperia improperantium tibi ceciderũt ſuper me. Propter quod ſuſcipite inuicẽ, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.* Et rurſus. *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Cum eſſet Ieſus Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum vnguẽti nardi ſpicati prætioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius. Erant autem quidam indigne ferentes infra ſemetipſos, & dicentes. Vt quid perditio iſta vnguẽti facta eſt? Poterat enim vnguentum iſtud venundari pluſquam trecẽtis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Ieſus autẽ dixit. ſinite eam, quid illi moleſti eſtis? bonum opus operata eſt in me.* Illi linum fumigans, & cor mulieris Chriſti amore ſuccenſum extinguere volebant; at Chriſtus illud magis in ſuo amore inflãmauit. Linum quippe fumigans extinguunt, qui contra illud præceptum Apoſtoli: *Spiritum nolite extinguere*, detractionibus ſuis, & calumnijs incipientium deuotionem ſuffocant. Vnde & Baſilius ait. *Per quaſſatum calamum illum intelligi arbitror, qui non ea qua oportet animi ſinceritate mandatum Dei exequitur, quem non cõterere cõuenit, nec abſcindere. ſed ſanare potius, ſicut Apoſtolus præcipit dicens: Omnia facite ſine murmurationibus, & diſceptationibus. Linũ vero fumigans eſt, quotieſcumque quis mandatum quidem exequitur, ſed non ardenti deſiderio, aut pleno ſtudio:*

1. Teſal. 5. c

Marc. 14. a

Magdalenã defẽdit Chriſtus.

Vide ſup. ca. 11. nu. 8

Mandata Dei obſeruantes, nõ tamen ſincero animo, conterendi non ſunt. Baſil. lib. regularũ breuiũ, reſponſione 291.

ſtudio, ſed ſegnius quodammodo ac lentius, qui ideò non eſt deterrẽdus, ſed excitandus potius admonitione aſſidua iudiciorum Dei, & promiſſorum ipſius. Imitemur ergo paternum illius affectum, qui frigidos carbones caleſcere & fumigare facit fumo lacrymabilis pœnitentiæ: & fumigantes igne charitatis ſuccendit, Propheta atteſtante.

Pſ. 17. a
Sup cap. 2. num. 3. ca. 4. num. 12.

*Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Quem locum expendimus ſupra. Et imperfectos quoſque & fractos conſolidare: curemus ne aduerſum nos iratus conſurgat Dominus, dicens.

Ezech. 34. a

*Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis. Quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis.*

Martyres pſequẽtes tyranni linũ ſunt & titio fumigans *

6 Alterum documentũ eſt. Quod cũ viderimus aduerſarios noſtros cõtra nos iratos, & odio atque inuidia ſuccenſos, ſciamus illos linum fumigans eſſe, quod igne quo ardet conſumetur cito, atque adeo non multũ curemus illis reſiſtere: Sicut enim ſuperius loquens ad Achaz dixit:

Iſaiæ 7. num. 8.

*Noli timere, & cor tuum ne formidet duabus caudis titionum fumigantium iſtorum*, vbi duos Reges aduerſus Achaz ira ſuccenſos titiones fumigantes dixit, quia breui tẽpore erant deſtruendi ſicut titiones, qui absq. aduerſario extrinſeco, igne quo ardent rediguntur in cineres: Ita in præſenti admonentur electi, vt patienter inuidiam aduerſariorum, & iram ſuſtineant, quoniã ſpiritu furoris, quo ardent, ſicut *linum fumigãs* conſumentur. Vnde & Apoſtolus ait:

Rom. 12 d

*Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: non voſmetipſos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim. Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit Dominus*: ac ſi apertius dicat. Non extinguatis linum fumigans: ſinite illud, expectate pauliſper: Nolite malum pro malo reddere, nec maledictum pro maledicto, date locum, vt ira aduerſariorum tranſeat, quia zelus, quo ardent, conſumet eos.

Iob 4. b

*Vidi eos* (ait Iob) *qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos*: Hinc eſt quod ſponſa, cum multa opprobria à ſuis aduerſarijs audiſſet exprobrãtibus, quòd tribulationũ multitudine denigrata eſſet, patienter reſpondet, eorum calumnias ſuſtinens. Ait enim.

Cant. 1. b

*Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar: ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim: quoniam decolorauit me ſol:*

* Ber. ſer. 25. in cãt. col.

**Ex quibus verbis patet quod detraherent ei, nigredinem improperantes, ſed aduerte ſponſæ patientiam ac benignitatem: non modo enim non reddidit maledictum pro maledicto, ſed inſuper benedixit, filias Hieruſalem vocans, quæ magis pro ſua nequitia filiæ Babylonis, vel filiæ Baal, aut ſi quod aliud nomen improperij occurriſſet, appellari meruerant. Sane didicerat à Propheta, immo ab ipſa vnctione, quæ docet ſuauitatem, calamum quaſſatum non conterendum, & linum fumigans non extinguendum. Propterea non putauit amplius irritandas ſatis commotas per ſe, nec quidquam addendum ſtimulis inuidiæ qua torquebantur.*

Iuſti patiẽter ferunt aduerſatiũ opprobria.

Pſ. 119. b

*Magis autem cum his qui oderunt pacem ſtuduit eſſe pacifica, ſciens ſe etiam inſipientibus debitricem. Maluit ergo ipſas fauorabili demulcere vocabulo, quia curæ fuit ei infirmarum potius operam dare ſaluti,*

quàm



*quam propria vltioni. Hæc igitur ratio cur ſponſa filias Hieruſalem dicat eas ipſas, quas maleuolas ſuſtinet atque maledicas, videlicet vt in blando ſermone deliniat murmurantes, commotionem ſedet, ſanet liuorem. Scriptum eſt enim: lingua pacifica compeſcit lites.*

Prou. 15 c

7 *In veritate educet iudicium.* Hæc verba ſubticuit S. Mattheus cap. 12. referens bonam partem huius capitis. ſed iam diximus ſupra, Euangeliſtas & Apoſtolos ex veteri teſtamento ſenſum potius adducere, nec anxios fuiſſe in referendis ſingulis verbis, quoniam vbi de ſpiritu conſtat, non oportet verba multiplicare. Admonemur autem hoc loco, vt iudicium futurum timeamus: quoniam licet Chriſtus infirmos ſubleuet, & omnibus ſe exhibeat benignũ in hoc ſæculo, tamen lõge abeſt à blanditijs quibus vitia nutriuntur; & licet ſit manſuetus, odio habet peccatores.

Xps licet manſuetus acriter cõtra peccatores inuehitur.

Corrigẽda igitur ſunt peccata, & cauẽda extrema, ne vel nimia ſecuritate torpeãt peccatores, vel auſteritate immoderata frãgamus debiliũ animos. Miſericordiã ergo & iudiciũ ſimul habere oportet præ oculis, & cacum Propheta.

Pſa. 100 a

*Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.*

Xps in primo aduẽtu miſericordiã, ſed in ſecũdo iuſtitiã oſtendet *

In primo aduentu eduxit miſericordiã ſuam, & hominibus diuitias oſtendit illius, & occultum habuit iudicium, & adeo occultum, vt ipſe ab hominibus iudicio impio condemnaretur ad mortem. At in ſecundo aduentu educet foras iudicium in veritate: quoniam, ſicut dicit Propheta.

Pſal. 95.

*Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.* Aperientur libri, & omnium opera quantumuis occulta, manifeſtabuntur, ſiue bona fuerint, ſiue mala, & in vaſis irę iram, quam ſibi impij theſaurizauerunt, oſtendet.

Eccleſ. 9 a

In præſenti *nemo ſcit, vtrũ odio vel amore dignus habeatur, ſed omnia in futurum ſeruãtur incerta.* Paleis in ignem mittendis permixtũ eſt triticum, in cœleſte horreũ congregandum: tunc autem ventilabit Dominus aream ſuam, & ſeparabit oues ab hædis, & zizaniam de medio tritici. & omnes agnoſcent, quinam odio, vel amore digni habeantur.

8 *Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudiciũ: & legem eius inſulæ expectabunt.* Hæc verba magis explicant gratam omnibus & benignam conuerſationem Chriſti, qui æqualitatem vultus omni tempore conſeruauit. Aquila, & Theodocio transferunt, *non obſcurabit, & non curret; donec ponat in terra iudicium.* Et ſenſus eſt, iuxta interpretationem Hieronymi. *Nullum vultus triſtitia deterrebit, nec feſtinabit ad pœnam, qui iudicij veritatem vltimo tempori reſeruauit.* Non negat Propheta, Chriſtum in ſe ipſo habuiſſe triſtitiam, cum ipſe Saluator dixerit tribus diſcipulis.

Mat. 26 Ibidem. d Marc. 14. d

*Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* & ſcriptum ſit. *Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.* Et iterum, *cœpit Ieſus pauere & tædere.* Sicut enim dolor ſenſibilis vere fuit in appetitũ ſenſitiuo Redemptoris noſtri, quia diſpenſatione diuina factum eſt, vt delectatio contemplationis beatæ retineretur in mente illius, & non deriuaretur ad vires ſenſitiuas, ne dolor ſenſibilis excluderetur ab illis, ſed corpus maneret morti ſubiectũ, ita etiam propter eandem rationem, relictus eſt locus in eodem appetitu, vt vere triſtari poſſet, & tædere, propter nociua ſeu mala interius apprehenſa, quæ ſunt obiectum triſtitiæ: Vnde ſicut in Chriſto fuit verus dolor, cauſatus ex flagellis & illatis vul-

S. Th. 3. p. q. 15. a. 6. & 7.

Chriſt. triſtitiam habuit verã *

neribus:

neribus: ita fuit vera triſtitia ex apprehenſione imminẽtis paſſionis ſuę, & diſperſionis diſcipulorum, & ex apprehenſione peccati Iudæorũ occidentium ipſum. Solum ergo excludit à Chriſto illam triſtitiam, quæ eſt cum quadam mentis caligine, & perturbatione animi, vel defectu viriũ, qualis conſueuit eſſe in illis, qui repentinis motibus iræ agitantur; quæ & vultus repentina mutatione, & obductis ſuperciliis ſignificatur. Hoc autem fuit in Chriſto mirabile, quod cum tot cauſas triſtitiæ, dum conuerſaretur cum populo ingrato, & duræ ceruicis, habuerit, ſemper tamen eandem vultus benignitatẽ ſeruauit. De Beato Antonio refertur, quod *numquam hilaritate nimia reſoluebatur in riſum, numquam recordatione malorum triſtia ora contraxit, ſed æqualitatem vultus ſeruauit omni tempore. in quo ſpecialiter ſequutus eſt magiſtri ſui benignitatem, manſuetudinem, & modeſtiam, qui ſequentibus ſe dixit. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Et vt ſciamus, nullam virtutem eſſe laudandam, niſi perſeuerantiam habuerit vſque in finẽ, ſubdit. *Donec ponat in terra iudicium.* Et ſenſus eſt. Toto decurſu vitę ſuæ perſeuerabit Saluator in eadem animi benignitate, manſuetudine, & modeſtia, quouſque in terra fiat illud iudicium, de quo ipſe ait: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mũdi eijcietur foras: & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipſum*, ideſt, vſque ad mortem in eadem benignitate perſiſtet: Non commouebitur iniurijs ſibi illatis ab impijs Iudæis, clamantibus & dicentibus, *Dæmonium habes. Ecce homo vorax, & potator vini, Publicanorũ, & peccatorum amicus.* Non conturbabitur, neque iraſcetur flagellis percuſſus, ſpinis coronatus, & cruci affixus, ſed *tamquam agnus coram tondente ſe, non aperiet os ſuum.* Dicẽs ergo: *donec ponat in terra iudicium*, ſatis innuit, quod cum poſuerit iudicium in cœlo, cum venerit iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem; tunc iraſcetur aduerſus hoſtes ſuos, & indignatum vultum oſtendet illis, ſicut in hoc eodem capite inferius explicat, cum dicit. *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum: vociferabitur, & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui. ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul.* Vnde & Chryſoſtomus ſuper Matthæum, illud verbum, *donec*, expendens, ait. *Clementiam autem ipſius mirabilem, inauditam manſuetudinem, incredibilem humanitatẽ prædicendo, inquit. Non litigabit, neque clamabit. Nam ipſe quidem optabat cum eis eſſe, atque eos curare: renuentibus autem ipſis, atque adeo repellẽtibus reſiſtere, atque reluctari noluit. Deinde Propheta, vt virtutem Chriſti, & illorum imbecillitatem oſtenderet, arundinẽ (inquit,) contritam non franget, ſic certe ipſe omnes frangere facile poterat vt arundinem. nec vt arundinem ſimpliciter, ſed vt arundinem iam contritam. Et linum fumigans non extinguet. Hic accenſam illarum irã, atque furorem præ oculis ponit: & virtutem Chriſti tantam eſſe confirmat, vt comprimere, ac extinguere facile poſſit: quod cum non fecerit, immenſa humilitate, ac manſuetudine feciſſe cõprehenditur. An igitur ſemper hæc ita erunt, ſemper quẽ feret eos, qui ſingulari furore concitati, hæc inſidiantur? nequaquam: ſed*

*cum*

Triſtitia q̃ à Chriſto excluditur qualis ſit.

S. Antonij grauitas & modeſtia.

Mat. 11.

Ioan. 12 e

Ioan. 8.

Mat. 11 c

Iſa. 53. a

Chriſtus in iudicio cõtra hoſtes ſuos iraſcetur.

Chryſo. ho. 41. ſup ca. 12. Mat circa mediũ tom. 2.



*cum ſua omnia optatum exitum fuerint conſequuta, tunc etiam illos caſtigabit. quod inde ſignificatur: donec, inquit, emittet in victoriam iudicium eius, & in nomine eius gentes ſperabunt, vt & Paulus quoque dicit: Parati ſumus, inquit, omnem inobedientiam vlciſci, cum completa fuerit veſtra obedientia. Quid autem eſt, Cũ emiſerit in victoriam iudicium eius? Cum ſua omnia implebit, videlicet, tunc vltionem conſummabit, tunc grauia nimis, duraq. aderunt omnia, cum ipſe clarum trophæũ ſtatuerit; cum iuſtificationes ſuæ victoriam nactæ fuerint: cum denique nullam, etiam ſi impudentiſſimi ſint, reſponſionem ſibi relictam viderint.*

9 *Legem eius inſulæ expectabũt.* Septuaginta transferunt: *in nomine eius gentes ſperabunt.* Et hac tranſlatione vtitur ſanctus Paulus, cum ait: *Et qui exſurget regere gentes: in eum gentes ſperabunt.* Eſt autem differentia inter legem Moyſi, & legem Euangelicam: nam illa vni populo, hæc vniuerſo mundo prædicata eſt. Illa nullam continebat ſubminiſtrationem ſpiritus, hæc ſpiritum viuificantem adminiſtrat: de illa ſcriptum eſt: *Lex iram operatur*; de iſta vero. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ideo ſolus populus Iſrael expectabat legem ad verticem montis, *cum aſcẽdit Moyſes, vt tabulas lapideas & legem ſcriptam acciperet de manu Domini.* Non expectabant legem illam inſulæ, ideſt, gentes, quæ (vt ſupra diximus) inſularum nomine deſignantur. Sed legem Chriſti non ſolum Iudæi, ſed etiam inſulę expectarũt. Nulla ſpes ſalutis erat in lege ſcripta, nec in Moyſe ſperabant, ſed neque ſperare poterant homines venũdati ſub peccato; quoniam *maledictus homo qui ſperat in homine, & ponit carnẽ brachium ſuum*: at in lege Chriſti, & in nomine illius ſperant omnes; Patres in Limbo, animæ in Purgatorio exiſtentes, & qui in hoc ſæculo fidẽ profitentur illius, ſiue Iudæi, ſiue gẽtiles. quia *non eſt in alio aliquo ſalus. nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Conſtat ex hoc loco, Chriſtum Dominum non ſolum eſſe hominem, ſed etiam verum Deum; quod Cyrillus, & Epiphanius hoc probant argumento. Qui confidunt in homine, maledicuntur à Deo: at qui ſpem ſuam conſtituunt in Chriſto, non ſunt maledicti, ſed potius laudantur & replẽtur omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. Chriſtus ergo non eſt purus homo, ſed etiam verus Deus. Sed quoniam hanc veritatem, quæ baſis eſt & fundamentum religionis Chriſtianæ, ſatis diffuſe cõprobauimus ſupra illic remittimus lectorem. Deniq; obſerua, hanc prophetiã etiã Iudæos (niſi cæcutire velint) proprijs oculis videre impletã, cũ ipſa experiẽtia eos doceat, quamplurimas gentes ex toto orbe ad Chriſti Euangelium conuolaſſe, & in nullo alio ſperare, niſi in ipſo. Ex hoc loco ſic contra Iudæos perfidos arguit Auguſtinus. *Per hoc certè quod negari non poteſt, etiam illud credatur, quod impudenter negatur. Quis enim ſperaret, quod etiam hi, qui nolunt adhuc credere in Chriſtum, iam nobiſcum vident: & quoniã negare non poſſunt, dentibus ſuis fremunt, & tabeſcunt? quis, inquam, ſperaret, gẽtes in Chriſti nomine ſperaturas eſſe, quando tenebatur, ligabatur, cædebatur, illudebatur, & crucifigebatur, quando & ipſi diſcipuli ſpem perdiderant, quam in illo habere iam*

Bb

2. Cor. 10 b

Rom. 15 e

Lex Moyſi vni populo lex Xp̃i vniuerſo mũdo data eſt.

Rom. 8. a

Gratia per Xp̃um, lex per Moyſẽ data eſt.

Ioan. 1.

Exo. 24.

Hier. 17 a

Acto. 4. c

Xp̃s verus eſt Deus.

Cyrill de incarnatione vnigeniti ca. 22. Epiph. li. 3 aduerſ. hæreſ.

Sup. c. 9 n. 45 & ſeq. vſq; ad 73.

Crucifixi potẽtia in vocatione gentium oſtenditur.

Aug. 20 de ciu. Dei, c. vlt. col. vlt. tom. 5.

Pſ. 111.

Mat. 27

Luca 24

Luca 23

*re iam cœperant? Quod tunc vix vnus latro ſperauit in cruce, nunc ſperant gentes longè lateque diffuſæ. Et ne in æternum moriantur, ipſa, in qua ille mortuus eſt cruce, ſignantur.*

10 *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos & extendens eos: formãs terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam.* Præmittit in hoc verſu potentiam creatoris, à quo omnia dependent, ſiue cœleſtia, ſiue terreſtria, tam ſenſibilia, quàm inſenſibilia, tam viuentia, quàm non viuentia, vt ex mirabilibus, quæ vt creator condidit, fiãt magis credibilia, quę dicturus eſt circa incarnationem Chriſti, & alia myſteria gratiæ à ſæculis in Deo abſcõdita. quaſi dicat: Sicut verum eſt quod creauerim cœlum & terram, ita vera ſunt quæ proponam ſtatim. Diſtinguit autem inter *flatum*, & *ſpiritum*, & intendit, quod ipſe dat vitam hominibus, & beſtijs, quæ in terra ambulant, flatum hominibus, & ſpiritum beſtijs tribuens. Per *flatum* ergo, animam rationalem deſignauit, eo quod à principio *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculũ vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Per *ſpiritum* vero, vitam cæterorum animalium, quæ reſpiratione fouetur: de quibus dixit Deus: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas.* Sanctus Athanaſius, per *flatum*, & *ſpiritum*, quem Deus dat calcantibus terram, Spiritum ſanctum intelligit, qui datus eſt Apoſtolis in terra, cum Chriſtus Dominus inſufflauit, & dixit. *Accipite Spiritũ ſanctum, quorũ remiſeritis peccata remittuntur*

Euangelij fides quam ſit infallibilis.

Flatus, animam rationalem deſignat.

*Gen. 2. a*

*Gen. 1. c*

Athan. lib. de fide vnitatis, & Trinitatis circa finem.

*Ioan. 20*

Spus ſãct aduẽtus p flatũ deſignatur.

*eis.* Cum *factus eſt repente de cœlo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domũ vbi erant ſedentes.* Et fundat in ipſo contextu hanc explicationem. Quoniam populus qui eſt ſuper terrã, iam habet animam per quam viuit, & ſimiliter calcantes terram. Cum ergo his Deum dicat flatum dare, & ſpiritum, non de anima loquitur, per quã viuunt vita naturali, ſed de ſpiritu, quo ad vitam ſpiritualem eleuantur. Et eadem eſt explicatio Auguſtini, ait enim: *Quidã ſane ex prædeceſſoribus noſtris in nouo teſtamento obſeruauerunt, quod ſicubi ſpiritus nominatur ſine adiectione ea, quæ deſignat qualis ſit ſpiritus, de Spiritu ſancto debere intelligi: vt puta, fructus autem ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, &c. Item ibi: cum cœperitis ſpiritu, carne conſummamini. Nos verò etiam in veteri teſtamento putamus diſtinctionem iſtam poſſe ſeruari, ſicut cum dicit: qui dat ſpiritum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritum his qui calcant eam: ſine dubio enim omnis qui calcat terram, ideſt terrena & temporalia, particeps eſt Spiritus ſancti, à Deo eum accipiens.* Eamdem explicationem acceptat alibi. quamuis aſſerat, temere negari de anima hominis eſſe dictũ. Ibi etiam refert quoſdam, *qui hæc verba prophetica ſic intelligunt, vt quod ait, dedit flatum populo ſuper eam, ideſt ſuper terram, non niſi animam hominis velint accipi flatum. quod vero adiunxit, & ſpiritum calcantibus eam: Spiritum ſanctum ſignificatum arbitrantur, illo ſcilicet ordine, quo & Apoſtolus dicit, Non primum quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpiritale.* Quam explicationem approbat ibi, ſed ſemper inclinat, quod per *ſpiritum* in

*Act. 1.*

Aug. lib. 1. de incarn. Verbi. c. 17 tom. 4.

*Galat. 5.*

*Mat. 11*

Aug. lib. 1. de anima & ei' orig. cap. 14.

*1. Coloſſ. 15.*

hoc



hoc loco, multo magis debet intelligi Spiritus ſanctus, quem qui accipiunt, amore cœleſtium contemnunt terrena, quoniam *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Vnde & Chriſtus Dominus loquens ad diſcipulos, ait: *Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.* Vbi per mundum, immundis cogitationibus deditos, & carnis delicijs maculatos (vt notauit Baſilius) intelligit. *Mundus* (inquit) *non poteſt eum accipere. hoc eſt carnis cupiditatibus dedita vita, velut oculus imbecillis non ferens ſolis radios, ſpiritus gratiam non recipit. Mundus ergo non poteſt Spiritum ſanctum capere, ſed qui mundum odierunt, ſicut Iſaias ait. Dedit Spiritum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam. Nam qui conculcant terrena, eiſque ſuperiores euaſerunt, digni prædicati ſunt dono Spiritus ſancti.* De quo plura diximus cap. 11. num. 4.

*1. Cor. 2. d*

*Ioan. 14 b*

Mundus carnalibus cupiditatib' deditos ſignificat. Baſil. lib. de Spu ſãcto. cap. 12. to. 1

Sup cap. 11 n. 4.

11 *Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam & ſeruaui te.* Loquitur Pater æternus cum filio ſuo, quem vocauit in iuſtitia, cum Saluatorem eum miſit in mundum, vt eſſet pontifex, & ſacerdos, & nos in iuſtitia ſua à ſeruitute peccati liberaret, iuxta quod Apoſtolus ait. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum: Filius meus es tu: Ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cui congruit nomen *Melchiſedech*, quod *interpretatur rex iuſtitiæ.* Deinde autem & Rex Salem (quod eſt) Rex pacis. *Pacificauit enim per ſuum ſanguinem, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt.* Conſonant huic explicationi verba Hieremiæ. *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Hieruſalem habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Apprehendit manum eius, cum corpus illius ſeruauit mortuum, ne videret corruptionem, iuxta illud quod ad patrem loquens dicit per Prophetam: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* cum eum tertia die reſuſcitauit à mortuis. & ſumitur metaphora ab illis, qui, vt iacentes in puluere erigant, manus eorum apprehendunt. Et quoniam reſurgens à mortuis gentes ſibi reconciliauit, quibus per Apoſtolos prædicatũ eſt Euangelium, ſubdit.

Chriſtũ pater miſit in mundum.

*Heb. 5. b*

*Pſ. 2. b*

*Pſ. 109.*

*Heb. 7. a*

Chriſt' eſt Melchiſedech. i. rex pacis.

*Col. 1. c*

*Hier. 33 c*

Xpi corpus non vidit corruptionem.

*Pſ. 15. c*

12 *Et dedi te in fœdus populi in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Hæc ſatis ſunt clara, & conuerſionem gentium reſpiciunt, atque libertatem ſpiritualem, quam vniuerſus orbis per Chriſtum obtinuit. Ipſe enim eſt *fœdus populi*, qui filios iræ confœderauit Deo, immo & ſignum fœderis: ad quem pater reſpiciens, ait. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem*, ideſt, propter fi-

Chriſt' maledictionẽ abſtulit peccati.

*Gen. 8. d*



lium

lium meum, qui propter vos homines, & propter veſtram ſalutem, deſcendit de cœlis; & incarnatus eſt ex Maria Virgine; Et homo factus eſt. Datus etiam eſt in lucem gentium, quia, ſicut cecinit ſanctus Simeon, fuit lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis ſuæ Iſrael. *Lucæ 1.* Vnde & Pater cum filio loquens, ait. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* *Pſal.2.* Dixit Dominus ad Abraham. *Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* *Gen. 17. b* In gentiũ vocatione impleta eſt promiſsio facta Abrahæ. Si ergo tot ſæculis ante aduentum Chriſti iniuit fœdus cum Abraham, quomodo Chriſtus datus eſt in fœdus populorum? *Dedi te* (inquit) *in fœdus populi*, quoniam, etſi prius fuerit initum fœdus cum Abraham, in Chriſto tamen ſtabilitum eſt, & firmatum, atque effectu ipſo ſancitum. Abrahæ fœdus cum Deo initũ quale fuerit. Hæc enim ſunt fœderis verba. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* quæ adimpleta ſunt in ſemine Abrahæ, ideſt in Chriſto, in quo benedixit nos Deus omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. In ſignum fœderis, circumciſus eſt Abraham, & filij eius circumciſi ſunt, vt ſigno illo profiterentur quem expectabant Redemptorem. Tunc initum eſt fœdus in carne, ſed per Chriſtum in ſpiritu & veritate ſancitum eſt, iuxta quod Apoſtolus ait. *Sed concluſit ſcriptura, ideſt* lex ſcripta, *omnia ſub peccato: vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* *Gal.3.c* Credentibus (inquit) non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus: quia non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. Vnde ad Epheſios ſcribens, ait. *Quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium.* *Epheſ.3 a* Vide qualiter, ſecundum Apoſtolum, promiſſio facta Abrahæ, & ſemini eius, fuerit in gentibus adimpleta: Septuaginta interpretes transferunt. *Et dedi te in teſtamentum generis, &c.* Et apud Cyrillum additur *mei*. Et in Complutenſi ponitur, *Generis Iſrael*. Et poteſt ſumi teſtamentum pro re, per teſtamentum relicta, aut promiſſa. Teſtamẽtũ ſignificat rem teſtamento relictam. Chriſtus enim per vetus teſtamentum repromiſſus eſt filijs Abrahæ, ideſt, illis, qui per veram fidem ſunt filij eius; & per dilectionem operantur. Dei genus ſunt iuſti. Tales enim, nomen merentur filiorum Abrahæ; tales ſunt generis diuini, quia videlicet, *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* *Ioan. 1.* Vnde & Apoſtolus ait. *Genus ergo cum ſimus Dei, &c.* *Act.17.f* Genus ſumus ipſius, regenerati per baptiſmum in aqua, & Spiritu ſancto. Illa autem verba, vt aperires oculos cæcorum; explicat Euſebius indifferenter de cæcis animo, & corpore: ſed multò magis conſonat literæ, ſi de cæcis mente explicentur. Euſeb.li.9. de miniſtratione Euangel. cap.15. Dicitur enim infra, hoc eodem capite. *Quis cæcus niſi ſeruus meus?* Hæc eſt cæcitas, de qua Dominus ait. *In iudicium ego veni in mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* *Ioa.9.g* Per vinctum, genus humanum

manum



manum intellige, quod peccatorum vinculis erat ligatum, nec ſolui poterat per ſeipſum. Omnes iuſti quantumuis ad plenum purgati, concluſi erant in Limbo, ſedebant in tenebris, habitabant in domo carceris, quouſque per mortem ſuam, Saluator noſter eorum vincula diſrupit, omnes vectes ferreos confregit, &, deuicta morte, de faucibus illius electos eripuit. Patres antiqui vincti tenebãtur in Limbo. Hic commendatur maxime miſericordia Chriſti, qui pro nobis non ſolum mori, ſed etiam ad inferos deſcendere dignatus eſt. Et ſicut nos à morte eripuit, moriens, ita & ab inferno, in infernum deſcendens. Similis locus habetur Zachariæ 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* *Zach. 9.*

13 *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Hoc loco ponuntur duæ dictiones Hebraicæ, quarum vna ſignificat *Adonai*, alia eſt *Hu*, quam quidã vertunt, *ipſum eſt*, & Hebræi dicunt ſignificari, ſolius Dei ſubſtantiam per ſe ſtabilem, & immutabilem eſſe, nec ſucceſſioni temporis obnoxiam, ſed vno & perpetuo nunc æternitatis manentem. Gloriam ſuam Deꝰ alteri non tribuit, & quare. Hoc (inquit) nomen, hanc gloriam non dabo alteri, videlicet Deo, non idolis aut ſimulachris; ſed mihi ſoli debitam eſſe, ſciant omnes. Ex hoc loco arguunt Iudæi, non eſſe in Diuinis Trinitatem perſonarum, ſed non aduertunt, quod in præſenti loquitur Deus communis tribus perſonis. Vnde illud pronomen, alter, non demonſtrat alteram perſonam vtcumque, ſed alterum Deum. Licet enim Pater omnem ſubſtantiam, & gloriam ſuam per æternam generationem dederit Filio, ſicut ipſe teſtatur; *Pater quod dedit mihi, maius omnibus eſt.* *Ioan.10* & vterque ſimul per actum amoris gloriam ſuam dederint Spiritui ſancto: tamen nec alteri Deo communicauit Pater gloriam ſuam, cum Filium genuit; nec Pater & Filius cum vnica virtute ſpirauerunt Spiritum ſanctum. Ad refellendos autem Iudæos Trinitatẽ negãtes perſonarũ, plura ſuperius dicta ſunt. Sup.c.6.n. 17.c.9.nu. 55. & ſeq. Hinc collige quam maxime zelet Dominus gloriam ſuam, cum non patiatur alteri tribui. Solus ergo vnus Deus eſt colendus: nihil ergo veneremur niſi vnum Deum, aut propter Deum. Si honore proſequimur principes, ſi adoramus Reges, aut quamcumque aliam creaturam, memores ſemper exiſtamus illius, propter quẽ honore ſunt dignæ, vt tandem omnis honor & gloria in honorem cedant, & gloriam Dei, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus. *Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* *1.Tim.1 d* *Soli Deo* (inquit) quoniam ſoli Deo, propter ſeipſum, honor debetur & gloria.

14 *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuncio: antequam oriantur, audita vobis faciam.* Noua dicũtur, quæ ad ſtatũ legis Euangelicæ pertinent, alia vetera cenſentur. Multa prædixit Deus per Prophetas ſuos futura ante aduentum Chriſti, quæ omnia eueniſſe (ait) eo modo, quo fuerunt prædicta: Hinc ergo colligere poſſumus ventura eſſe & alia, quæ prædicturus eſt circa nouũ ſtatum legis Euangelicæ. Hæc enim etiam annũciauit per Prophetas ſuos antequam euenirent. Vnde per, *prima*, intelligit captiuitatem decẽ tribuum prædictã per Hieremiã, liberationem à captiuitate, cuius fit mentio c.45. & alia conſimilia, quæ ad ſtatum pertinebant veteris teſtamenti: Per

*noua*, intelligit myſteria gratiæ, quæ concernunt ſtatū legis Euangelicæ, de quibus Paulus teſtatur. *Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua*. Et B. Ioannes Euangeliſta. *Prima* (inquit) *abierunt: ecce noua facio omnia*. Vnde & inferius dicitur. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam; & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor*. Nonne noua, & inaudita à ſæculo nunciauit qui dixit; *Quia creauit Dominus nouum ſuper terram: fœmina circundabit virum*? Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile? *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* Nondum intellexerat quid ſibi vellent verba Prophetæ. *Noua quoque ego annuncio.* Nos autem à Spiritu ſancto edocti, cognoſcimus, quoniam Dei filius, cum ab æterno ſemel fuerit ex patre natus, vt iterum in tempore naſceretur ex matre, introiuit in vterum virginis, & natus in Bethleem Iudæ pannis inuoluitur, & reclinatur in præſepio. Noua ſunt iſta, ſed veriſſima. Et cum noua ſint, nouum canticum requirunt. Vnde & ſubditur.

2.Cor. 5 — Appoc. 21. — Iſa.65.c — Hier.31 d — Ioan. 3.

15 *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ: qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius, inſulæ, & habitatores earum. Subleuetur deſertum, & ciuitates eius: in domibus habitabit Cedar: Laudate habitatores petræ, de vertice montium clamabunt. Ponēt Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nunciabunt*. More ſuo Propheta, poſt tantum beneficium enarratum, quale Deus contulit mūdo, filium ſuum mittens, vt legem annunciaret Euangelicam, & veterem hominem ſua morte renouaret, ad Dei laudes cōcinendas orbem inuitat vniuerſum. Neque eos dumtaxat qui in ſolitudine habitant, & quiete, vt Deum laudent, hortatur, ſed etiam eos, qui in arcibus, villis, & populoſis ciuitatibus habitant. Per plenitudinem maris, ciuitates intelligit maritimas, quæ populoſiores ſunt, & remotas magis. Per deſertum, gentes: & per *habitatores Petræ*, habitatores intelligit arcium, quæ in petris, & altis montibus ſunt exſtructæ: omnes hortatur, vt plaudant ad Euangelij prædicationem, & ſe præparent, vt cantent canticum nouum; quod ſine dubio ſolum illi canere poſſunt, qui veterem vitam relinquentes, nouum induunt hominem. Poſſunt etiam per *habitatores petræ*, illi deſignari, qui mente habitant in foraminibus petræ, illius videlicet, de qua dicit Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus*, & vulnera Redemptoris profunda meditatione conſiderant. Ibi enim vox laudis magis reſonat. Inde ad alios magis diffunditur. Vnde & ſponſus ſponſam ſuam Eccleſiam alloquens, ait. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: colūba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciē tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Foramina petræ* (inquit Bernardus) *vulnera Chriſti ſunt, nam Chriſtus petra eſt. Bona foramina, quæ fidem aſtruunt reſurrectionis, & Chriſti Diuinitatem. Dominus* (inquit) *meus, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus petræ? in his paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum*

Gratiarū actionem ſubiungit Iſaias poſt vaticiniū myſteriorū gratiæ.

Vulnera Xpi contēplantes dicuntur habitatores petræ. — 1.Cor.10 a — Cant. 2. d — Bern. ſer. 61. in cantica. — Ioan.10 d — Pſa. 83. a

nidum



*nidum, vbi reponat pullos ſuos. In his ſe columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo ait, columba mea in foraminibus petræ. Vox columbæ. In petra exaltauit me. et itē: Statuit, inquit, ſupra petram pedes meos. Vir ſapiens ædificat domum ſuam ſupra petram, quod ibi nec ventorū formidet iniurias, nec inundationem. Quid nō boni in petra? in petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto. Securus ab hoſte, fortis à caſu, & hoc quoniā exaltatus à terra, anceps eſt enim, & caducum terrenū omne. Conuerſatio noſtra in cœlis ſit, & nec cadere, nec deijci formidamus. In cœlis petra, in illa firmitas atque ſecuritas eſt. Petra refugiū herinacijs. Et reuera vbi tuta firmaq; infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus ſaluatoris? Tāto illic ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado, fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſaluetur? Ego vero fidenter quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiæ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ affluant. Foderunt manus eius, & pedes, latuſque lancea forauerunt, & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, ideſt, guſtare & videre, quoniam ſuauis eſt Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? At clauis reſerans clauus penetrans factus eſt mihi, vt videam voluntatem Domini. Quid ni videam per foramina? Clamat clauus, clamat vulnus, quod vere Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi, ferrum pertrāſiit animam eius, & appropinquauit cor illius, vt non iam non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanū cordis per foramina corporis, patet illud magnum pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Quid ni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuauis, & mitis, & multæ miſericordiæ? Maiorem enim miſerationem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro addictis morti, & damnatis*. Vide quanta bona ex foraminibus petræ procedant, quàm ſuauis ſit, & Deo grata vox laudis, quæ formatur in illis. *Ponent Domino gloriam*, ideſt, ponent in corde, immo & in ore ſuo, & teſtabūtur, ſolius Dei eſſe gloriam, nihilque laudandum præter Deū, aut propter Deum. *Et laudem eius &c.* Ideſt, non cōtenti erunt, quod ipſi ſoli Deū glorificent, ſed & alios ad laudandū Deum prouocabunt; hoc eſt enim, laudem eius in inſulis nunciare, inſulas videlicet ad concinendas Dei laudes excitare. Quid autem nomine Cedar ſignificet in præſenti, conſtat ex cap. 21. Huius Prophetæ, vbi dicitur. *Auferetur omnis gloria Cedar.* Sūt enim Cedareni, qui ab Iſmaele duxerunt originem. Hi habitabant in ſolitudine maxima, & tabernaculis vtebantur pro domibus, & incertis ſedibus vagabantur. Vnde & Pſalmiſta, ad deſignandum ſe nō habere in hoc ſæculo manentem ciuitatem, ſed futuram inquirere, inquit. *Heu mihi*

S.Th Apoſtol' in foraminibus petræ dicit veritatem. — Pſal. 26 b — Pſal. 39 a — Mat. 7. d — Xpi vulnera inhabitās ſecur' eſt ab inſidijs diaboli. — Pſ. 103. b — Foramina habēt manᵘ Chriſti vt effluant chariſmata gratiarū — Pſal. 33 b — Hier.29 e

Per vulnera viſcera patent Xpi — Luc. 1.g — Sup. cap. 21. — Cedar deſignat peccatores.

Pſ.119.b *mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.* Igitur per *Cedar*, gentes intelligit, per diuerſa dogmata vagantes, nec verum Deum, ſed idola colentes, in quarum domibus, Dominus habitare dignatus eſt, cum ad prædicationem Euangelij conuerſæ ſunt ad Chriſtum.

16 *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur, & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur.* Cauſam ponit tantæ iubilationis, quia videlicet, Dominus veniet, vt auxilietur ſuis; quia aduerſarios ſuos glorioſe debellabit; egredi enim, aut exire, eſt abſque timore bellum aggredi. Nam timidi in domibus latent, ſicut ante aduentum Spiritus ſancti, propter metum Iudæorũ latebant Apoſtoli. Et poſſunt hæc verba ad primum aduentum Domini referri, de quo per Prophetam dicitur. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius.* Et iterum: *Egreſſus es in ſalutem populi tui: in ſalutem cum Chriſto tuo.* Et rurſus: *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.* Vbi egredi, idem ſignificat quod incarnari. Latebat prius in ſinu patris, ſed cum ingreſſus eſt mundum, nobis apparuit viſibilis. Venit præliaturus aduerſus principem tenebrarum. Vnde & Hieremias ait. *Dominus autem mecum eſt, quaſi bellator fortis: idcirco qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt.* Quàm potiori iure poterũt Chriſti fideles aduerſus diabolum inſultãtes, illa Ezechiæ verba proferre; *Nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatq; pro nobis.* Suſci-

Egredi eſt bellũ abſq. timore aggredi.
Pſ.18 b
Abac. 3. c
Michææ 5.a
Xpi egreſſus, ſignificat eius incarnationẽ
Hiere. 20.c
2.Para 32.b

tare zelum, ſiue æmulationem, idem eſt, quod vltionem ſumere de inimicis. Hanc ſumpſit Chriſtus, cũ mortem moriendo deſtruxit: cum, ſicut ait Apoſtolus, *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud Cruci, & exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphãs illos in ſemetipſo.* Reliqua verba inſignem Chriſti deſignant victoriã, quæ clamoribus à militibus cõſueuit celebrari. Vel poſſunt referri ad prædicationem Euangelij, cuius virtute confracta ſunt idola, & hominum ſuperbia detracta vſque ad puluerem. Cui explicationi conſonat tranſlatio ſeptuaginta virorum, videlicet: *Et clamabit ſuper inimicos ſuos cum fortitudine.*

17 Sanctus Cyprianus præſentẽ locum explicat de vniuerſali iudicio, & congruit eius explicatio verbis ſequentibus. In qua conſiderandum eſt valde, quàm diuerſos affectus in primo, & ſecundo aduentu Chriſtus oſtendat, quod ex contextu huius capitis colligi poteſt. Nam loquens Iſaias de primo aduentu, inquit: *Non clamabit, nec audietur vox eius foris*: at nunc ſermonem faciens de ſecundo aduentu, ait. *Vociferabitur & clamabit.* Neque erit qui poſſit ſuſtinere vocem illã tonitrui eius. *Ite maledicti in ignem æternum.* De primo aduentu dictum eſt: *Calamũ quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* de ſecundo autem: *ſuper inimicos ſuos confortabitur.* Vtriuſque aduentus diſcrimen verba demonſtrant ſequentia, ſubditur enim.

18 *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul. Deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen*

Coloſſ.2.e
Cypr.ſer.j de bono patientiæ circa finem.
Chriſti aduẽtus primi & ſecundi diuerſi effectus.
Matt.25

men



*men eorum exſiccabo.* Quoniam poterant aduerſarij in Deo ſperanti temere obijcere. Quid eſt quod credis Deo, aut ſperas, quod tanquam fortis debellator adueniet ad expugnandos inimicos tuos? Vide quàm multo tẽpore eos proſperari permittit, te autem affligit, & in manibus inimicorum tuorum derelinquit: ideo reſpõdet Dominus. Verum eſt quod aliquandiu diſsimulaui, & ſuſtinui in multa patientia vaſa iræ apta in interitum. Verum non ſemper feram aduerſariorum calumnias, ſed vociferabor *ſicut parturiens*, ideſt, omni conatu incumbam, vt tribuam ſalutem populo meo, & hoſtes eius diſperdam Per *montes, & colles* intelligit principes: reliquos autem per *gramen*, per flumina, & ſtagna. Omnes ergo aduerſarios euertet, à minimo vſque ad maximum, omnes diſſipabit. Similitudine autem parturientis, propenſum Dei erga nos, & paternum affectum exprimit, qui etſi puniat inimicos ſuos, id tamen non lætus aut gaudens in eorum perditione facit; ſed cum ingenti animi dolore, ad ſimilitudinem parturientis. *Et tactus dolore cordis intrinſecus delebo (inquit) hominem quem formaui à facie terræ*, de quo vide ſupra dicta.

19 *Et ponam flumina in inſulas, & ſtagna areſfaciam. Et educam cæcos in viam, quam neſciunt, & in ſemitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta: Hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.* Tangit ab hoc verſu reprobationem Iudæorum, & electionem gẽtium, quam ſuperius multoties vaticinatus fuerat; & ſenſus eſt. *Stagna areſaciam*, videlicet, populum Iudæorum, ne aqua cœleſtis doctri-

Deus, cum punit, loquitur vt parturiẽs.
Gen.6.
Sup. cap.1. nu.15. 63.

næ fœcundentur, ſed aridi maneant, & ſicci, & facile comprehendantur, ſiue à diabolo, ſiue etiam à Romanis, ſicut piſces, qui exſiccato ſtagno manent in fæcibus: In inſulas vero, hoc eſt, in populum gentilium currere faciam flumina doctrinarum; & non ſolum liberabo eos ab hoſtibus ſuis, ſed & inſuper, omnem eis proſperitatẽ dabo, quamuis nũc videantur cæci, & ignorent, quo ſit ambulandum; ducam tamen eos in viam, vt non amplius verſentur in ignorantia veritatis, ſed veniant ad lucem, ideſt, ad Chriſtum, apud quem eſt omnis fœlicitas. Et, vt huius promiſſionis ſint certiſſimi, ſubdit. *Hæc verba feci eis*, ideſt, quæ prædixi complebo. Conſonat hęc explicatio cum ſeptuaginta interpretum tranſlatione, quæ ſic habet: *Et adducam cæcos in via, quã neſciunt, & ſemitas, quas ignorauerunt, calcare eos faciam: faciam in eis tenebras in lucem, & praua in directum, hæc verba faciam, & non derelinquam eos.* Per viam, præcepta; per ſemitas, conſilia intelligit Euangelica, quæ Chriſtus ſuis oſtendit, vt ambularent in eis, ſicut cap. 30. num. 35. 36. 37. & 38. dictum eſt. Poteſt etiam ſic explicari illud: *Hæc verba feci eis*, ita vt ſenſus ſit. Multos Prophetas præmiſi, per quos hæc prædixi: iuxta illud. *Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diẽ conſurgens diluculo, & mittens*, & Oſeę 3. *In manibus prophetarum aſſimilatus ſum.* Expendatur illud verbũ; *Non dereliquam eos*, quod magnam Chriſti fidelibus conſolationem affert. Congregauit olim populum Iſrael, quem multis auxit beneficijs, & illum educens de captiuitate Ægypti, per deſertum deduxit in terram promiſsionis: at quia ingrati, & rebelles ſuo extiterunt creatori, tamdem

Iudæi ſtagnis areſactis, gentes fluminibus conferuntur.
Hier. 7.
Oſeæ 3.

dem dereliquit eos, ſicut ait Propheta. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* ſed poſtquam ad ſe vocauit populum gentium, numquam dereliquit eum.

Pſ. 80. c

20 *Conuerſi ſunt retrorſum, confundantur confuſione qui confidunt in ſculptili; qui dicunt confiatili: vos Dÿ noſtri.* Sicut Deus ſuos non derelinquit, ſed eos ſemper protegit & defendit: ita è contrario (inquit) idola nõ poterunt ſuos iuuare cultores; ſed omnes idololatræ cõfundentur, & fraudabuntur à deſiderio ſuo: atque à Dijs ſuis derelicti, experientia ipſa cognoſcent, quia non ſunt Dij. Vnus ergo Deus ſolus venerandus eſt in cœlo, & in terra. Præuidens autem Propheta, Iudæos excæcandos fore, & ſua malitia obdurandos; cumtamen gentes, quæ non nouerant Deum, fidem ſuſceperint Euangelicam, ad increpãdam eorum obſtinationem conuertitur, dicens.

21 *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? quis cæcus, niſi qui venũdatus eſt? & quis cæcus, niſi ſeruus Domini?* Ac ſi apertius diceret, ò Iudæi increduli, cæci, duri, atque ingrati, cur ad tantas admonitiones Domini ſurdi eſtis, & in tam portẽtoſo miraculorum ſpectaculo, qualia inter vos operatus eſt Chriſtus, cæci eſtis? Audite ergo tandem, & videte. Videte, dum Chriſto Domino impletas Scripturas; attendite quot gentes ab Oriente, & Occidentes, venerunt, vt fidem ſuſciperent Euangelicam. Agite iam æquieſcite agere peruerſe, & vmbram relinquentes, ſequimini veritatem. Ea eſt autem Iudæorum perfidia, vſque hodiernum diem, ea obſtinatio, & proteruia, vti cum in tenebris ſedeant, & lumen cœli nõ videãt, omnes alios cæcos æſtiment, & ſe in lumine ambulare mentiantur. Vnde & omnes increpationes prophetarum contẽnunt, nec ad ſe pertinere putant, ſed alios infideles concernere. Vnde dum tanquam cæci arguuntur, reſpõdent audacter. Vos ſoli cæci eſtis, vos ſurdi & increduli. Nos Moyſi diſcipuli ſumus, & patrẽ habemus Abraham. Legem quam à Deo accepimus, quam veneramur, & ſeruamus. Et non attendunt miſeri, nec recordantur verborum, quæ aliquando dixit eis Chriſtus. *Eſt qui accuſat vos Moyſes in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit.* Vt ergo agnoſcant Iudæi, ipſos reuera cęcos eſſe, pluries repetit: Quis cęcus niſi ſeruus meus? Quod verbis clarioribꝰ ſeptuaginta interpretes trãſtulerunt. *Et quis eſt cæcus niſi pueri mei, & ſurdi niſi qui dominantur eorum? Et excæcati ſunt ſerui Dei,* ideſt illi, qui in lege ſeruiebant Deo & ſingulariter in cultum illius ſeparati erant, excęcati ſunt. Vnde & ſubditur. *Qui vides multa, nonne cuſtodies, & qui apertas habes aures, nonne audies?* Sæpe apud Iſaiam mutantur perſonæ, & à tertia in ſecundam tranſit non ſemel, & è contra, vt diſcamus, non ad vnum dirigere ſermonem, vel ad præſentes tantum, ſed ad omnes, vel ad multos. Sicut ſi diceretur. Audi tu, audiat ille, audiant & alij. Et videntur hæc verba illud ſignificare quod clamans dixit Chriſtus: *Qui habet aures audiendi audiat.* Senſus ergo eſt. O Iudæe, qui (loquente Domino per Prophetas ſuos) mandata eius cognouiſti, cur non humiliter cuſtodis ea, Qui apertas aures te habere cõfidis,

Iudæorũ incredulitas reprehenditur.

Ioan. 5. g

Mat. 13 a





cur non Deo obedientiam præſtas? Confidis in lege, attende, quia *non auditores legis iuſti ſunt apud Deũ, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Vnde per Iacobum dicitur. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.*

Rom. 2.

Iacob. 1. d

22 *Et Dominus voluit vt ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret. Ipſe autem populus direptus & vaſtatus: laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt: facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat: in direptionem, nec eſt qui dicat: redde.* Explicat in quo cæcus fuerit, & ſurdus populus Iſrael, atque inobediens Deo, quia non in rebus minimis ſed in maximis fuit rebellis. *Voluit* (inquit) Dominus, vt vnigenitum filium ſuum, quem in Redemptorem miſit, reciperet cum gratiarum actione, & *ſanctificaret eum*, ideſt, tamquam ſanctum & iuſtum, atque ſanctificantem alios prædicaret. *voluit* etiam, quod idem populus *magnificaret legem* Euangelicam, & ſupra legem antiquam *extolleret*, atque adeo, relictis vmbris, apprehenderet veritatem: *Ipſe autem populus*, æmulationem Dei habens, ſed non ſecundum ſcientiam, & vltra modum pro antiquis traditionibus zelator exiſtens, ſacrilegus in ſuum extitit conditorem. dixit enim: *Hic eſt hæres. Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius: & apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Et iterum: *Dirũpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Excutiamus iugum Euangelij à ceruicibus noſtris, & vincula præceptorum eius dirumpamus. Non attendebant, quàm graui iugo legis premerentur, quod nec ipſi, nec patres eorum portare potuerunt: & elegerunt potius ſuorum vinculis peccatorum conſtringi, quàm ſuaui iugo Euangelij ſubdi. Ideo *vocantes Apoſtolos, denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Domini Ieſu.* Sed dum vinculis ſuauiſſimis Euangelij ligari renuunt, & Chriſtum tamquam Redemptorem ſuſcipere, timentes, ne Romani venirent, & eorum regnum tollerent, & gentem, in manus Romanorum inciderunt, locum amiſerunt & gentem, & direpti ſunt, & vaſtati. quod varijs modis denunciat verbis illis. *Ipſe autem populus direptus, &c.* Ne autem excæcatus populus, hæc de alijs cauſaretur dicta: ſubdit ſtatim.

Lex gr̃æ excellẽtior eſt lege antiqua.

Mat. 21 d

Pſal. 2. a

Iugũ legis Euangelicæ excutere voluerũt Iudæi à ſe.

Act. 4. e

23 *Quis eſt in vobis qui audiat hoc: attendat & auſcultet futura? Quis dedit in direptionem Iacob & Iſrael vaſtantibus? Nonne Dominus ipſe eſt cui peccauimus?* Ac ſi apertius dicat. Hæc quæ prædixi ita ſunt clara, vt facile poſſint omnibus perſuaderi: at populus ingratus ipſa euidentia rerum excæcatur, & in lumine vult offendere; nec eſt qui audiat hæc, & intelligat. Non à caſu vel fortuna, quæ prædixi euenient, ſed Dei prouidentia & voluntate. Non iam deinceps tamquam Pater, ò Iudæi, vos proteget; ſed vt iudex ſeuerus, in quem peccaſtis, vos puniet. Iacob olim electus in Dei populum, & Iſrael legem eius agnoſcens & ſciens, in direptionem dabitur Romanis vaſtantibus. Sequitur. *Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius.* Illa coniunctio. &

idem valet,quod quia, ideſt, quia Iudæi noluerunt legem Euangelicam audire, & in vijs,quas Chriſtus Dominus illis oſtendit, ambulare, ideo in direptionem traditi ſunt. Poteſt etiam, per *legem*, intelligi lex antiqua, quam non audierunt Iudæi, eo quod per illam non peruenerunt ad

Rom. 10

Chriſtum, qui *finis legis eſt in ſalutem omni credenti*. Si enim legem audiſſent, in Chriſtum vtique credidiſſent, quem lex, & prophetæ prædicauerunt venturum. Quia ergo populus incredulus vtramq; legem tranſgreſſus eſt, ideo in manibus inimicorum eſt traditus: ſubditur enim. *Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognouit: & ſuccendit eum, & non intellexit.* Vide quanta fuerit cęcitas populi Iudæorum, quanta inſenſibilitas, & durities; Traditur ob Chriſti mortem in captiuitatem. Igne comburuntur ciuitates Iudæ: & non cognoſcit, effuſam eſſe ſuper eum iram Domini, ſed ſtolidus manet & ſtupidus vſque in hodiernum diem.

# DISCVRSVS TOTIVS EPISTOLAE AD HEBRAEOS.

## In qua legem Euangelicam, antiqua excellentiorem eſſe demonſtratur.

Iſaiæ 42

*Et Dominus voluit, vt ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.*

24 QVONIAM in his verbis, *Dominus voluit, &c.* vt nu. 22. obſeruauimus, Propheta Euangelicus dignitatem explicat, atque excellentiam legis Euangelicæ ſupra Moſaicam legem, & de eodem argumento Paulus Apoſtolus Epiſtolã ad Hebræos conſcripſit, non erit ab re eiuſdẽ Epiſtolæ diſcurſum ſtylo breui præ oculis ponere, vt ex collatione eorum, quæ Apoſtolus docet, ad ea quæ Iſaias prædicit, vtriuſque intelligentia fiat planior. Ad cuius introductionem obſerua, quod, vt ſanctus Thomas aduertit, cum primum Hebræi conuerſi ſunt ad fidem Chriſti,

S Tho. ſup. c. 1. ad Heb.

ortus



ortus eſt inter eos quidam error, quo aſſerebant, legem Moſaicã multo excellentiorem, & digniorem eſſe lege gratiæ, ac per conſequens legalia omnia eſſe cum lege Euangelica tanquam neceſſaria ad ſalutem obſeruanda.

Pauli Epiſtola ad Hebræos exponitur

Illi enim, qui in primitiua Eccleſia ex Iudaiſmo ad fidem Chriſti conuertebantur, ſic adeo legem venerabantur Moſaicam, vt licet Euangelicam admitterent, ab obſeruatione legaliũ auelli non poſſent. Propter quod B. Petrus, qui Apoſtolus Iudæorum inſtitutus eſt, ſicut &

Gal. 2.

Paulus gentium, videns Hebræos nõ facile legem admittere Euangelicam & obſeruare, ſi ab antiquæ legis dimouerentur amore, atque obſeruantia, permiſit illis ad tempus legalia obſeruare, vt facilius ad legem traheret Euangelicam, & paulatim eos diuelleret ab obſeruatione antiquæ.

Legalia cũ Euangelio ſeruanda eſſe multi crediderunt.

In hanc ſimulationem Petri, etiam Barnabas ducebatur, vt Apoſtolus dicit, ſcribens ad Galatas. Poſtmodum vero

Gal. 2. Act. 15. a

*quidam deſcendentes de Iudæa docebant fratres: Quia niſi circumcidamini, ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſaluari.* Poſt quos

Ibid. b

*ſurrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorũ, cui crediderunt, dicentes. Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi.* Et vt refert Auguſtinus, & Alphonſus de caſtro, Nazaræi, dignitatem legis antiquę, & eius excellentiam attendentes, pertinaciter aſſeruerunt, omnia illius præcepta ſimul eſſe cum lege Euangelica ſeruanda.

Aug. lib. de hæreſibus. Caſtro li. 9. aduerſ. hæreſes. Verbo, lex heri. 1.

Hinc in primitiua Eccleſia magna perſequutio eſt exorta. Conijciebantur in vincula, qui ſolam legem gratiæ obſeruabant, & poſt multas pro fide Chriſti perpeſsas iniurias, diffinitione Petri quieuerunt omnes.

Act. 15. a

Scriptum eſt enim. *Facta ergo ſeditione non minima Paulo, & Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt vt aſcẽderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apoſtolos, & preſbyteros in Hieruſalẽ ſuper hac quæſtione.*

Nazaræorum error circa obſeruantiã legalium.

Et poſt pauca. *Conueneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meũ audire gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimoniũ perhibuit, dans illis Spiritum ſanctũ, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in gentibus per eos.*

25 Paulus ergo Apoſtolus iam legis Chriſti multo amplius æmulator exiſtens, quam paternarum ſuarum traditionum, videns prædictam ſimulationem Petri, neque ad horam cedens ſubiectioni, vt veritas Euangelij permaneret, *in faciem* (inquit) *ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.*

Paulus in faciem reſtitit Petro.

Gal. 2. c

Et poſt pauca. *Cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cum Iudæus ſis gentiliter viuis, & non Iudaicè quomodo gentes cogis iudaizare?* Ex quibus colligunt SS. Auguſtinus, & Gregorius, Beatum Petrum in illa ſimulatione peccaſſe venialiter, nimis inhærendo parti Iudæorũ, ad euitandum eorum ſcandalum, & vere fuiſſe

Petr⁹ Apoſtolus peccauit venialiter, permittes obſeruationẽ legalium.

Aug epiſt. 8. & 9. ad Hieronymũ tom. 2

repre-

Greg ho. 18 ſuper Ezechielẽ col. 5. S.Th. ſup. cap. 2. ad Gala. lect. 3. Caſſianus collatione 17. cap. 20

reprehenſibilem. Quam ſententiam ſequitur S. Tho. quamuis S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Teophilactus, Euſebius Emiſſenus in commentarijs ſuper idem cap. 2. ad Galatas, & Caſſianus teneant, nullum in ſimulatione illa Petrum commiſiſſe peccatum. Nec eſt in hac parte ſilentio prætereũda, ſed maxime notanda modeſtia Petri Apoſtoli, & humilitas, qui Pauli reprehenſionem collaudauit. Dicit enim Gregorius. *Idem Apoſtolorum primus, cum multa diſcipulos admoneret, atque à quibuſdam detrahi Pauli ſcriptis agnoſceret, dicit: Sicut chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ in docti, & inſtabiles deprauant, ſicut cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Ecce Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem, & ecce Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit Paulũ in his quæ ſcripſerat admirandum. Certe enim niſi legiſſet Petrus Pauli Epiſtolas, nõ laudaſſet. Si autem legit, quia illic ipſe reprehenſibilis dicitur, inuenit. Amicus ergo veritatis laudauit, etiã quod reprehenſus eſt, atque ei hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat ſenſit.* Sicut ergo Paulus reſtitit Petro, eius ſimulationem redarguens, ita & ad Hebræos ſcribens, errorem, quem diximus, confutare intendit eiſdem argumentis, quibus illi legem Moyſi magnificabant, & legi gratiæ præferebant, oſtendens, legem Euangelicam excellentiorem eſſe antiqua, & digniorem, atque adeo illam non eſſe deinceps obſeruandam, vtpore poſt ſufficientem Euangelij promulgationem mortiferam.

Greg. vbi ſupra.

2. Petr. 3.

Petri Apoſtoli humilitas & modeſtia.

26 Argumenta autem Hebræorum, quibus adhuc conuerſi ad fidem Chriſti, iudaizare, & legis antiquæ dilatationem procurare nitebantur, ſimul & Chriſtianæ fidei puritatem obſcurare, ſunt octo, in quorum confutatione tota præſens conſumitur Epiſtola. Primum argumentum deſumitur ex dignitate Legiſlatoris; fuit enim lex antiqua à Deo ſtabilita, & digito ipſius in tabulis lapideis conſcripta. Nam & Patribus per Prophetas antiquitus loquebatur, cõſcriptam legem explicando, & ad eius obſeruantiam inducendo; quod quidem in magnam excellentiam eiuſdem legis cedere videtur. Ad quod argumentum, in exordio ſtatim Epiſtolæ, vnico verbo reſpondet Apoſtolus, oſtendens, etiam legem gratiæ eſſe à Deo inſtitutam, & *in tabulis cordis* conſcriptam: & in hoc inſuper antiquam præcedere, quod per filium ſuum vnigenitum nobis loquutus eſt, in illa myſteria fidei explicitè tradendo, qui olim ſignis & figuris Patribus per Prophetas loquebatur, quaſi myſteria gratiæ ſub velaminibus occultando. In cuius ſignum velamen poſitum eſt ſuper faciem Moyſi implẽtis ſermones, quos loquutus eſt Dominus ad illum, ne filij Iſrael claritatem viderent vultus eius; quoniam, vt notauit Auguſtinus, in lege illa fidei ſacramenta filij Iſrael ſub velamine acceperant occultata: nobis autem non ſub velamine, ſed aperte, & reuelata facie per vnigenitum ſuum loquutus eſt Dominus. Quod idem Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, ſatis apertè declarat, dicens. *Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur: & non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intendeaerent filij Iſrael in faciem eius,*

Legẽ Moſaicã excellentiorẽ Euangelio eſſe octo rationibus probant Hebræi.

2. Cor. 3.

Exod. 34. b

Au. tract. 9 in Iſai. in princ. tom. 9.

2. Cor 3 c d

quod



*quod euacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum, (quod in Chriſto euacuatur) ſed vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem conuerſus fuerit ad Dominũ, auferetur velamen.* Quibus verbis oſtẽdit manifeſte, cõuerſos ad Chriſtum claram ſacramentorum intelligentiam donatam habere in ſtatu gratiæ, quæ tamen ſub frigida, & inſipida littera erant antiquitus in lege velata.

27 Secundum argumentum deſumitur ex Angelorum excellentia, per quos legem Hebræorum ordinatam eſſe, & miniſtratam, ipſe ſanctus Paulus fatetur, cum ait. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Angeli autem præcellunt omnes creaturas, cum ſint ſpiritus miniſtri Dei, igne charitatis accenſi, & multis ſpecialibus donis, vt explicat S. Thomas, à Deo in ſua creatione præditi. Lex ergo non poterit nõ eſſe digniſsima, quę fuit per Angelos miniſtrata. Hoc argumentum confutat S. Paulus, opponens Angelis excellentiam Chriſti, per quem lex gratiæ ordinata fuit, & miniſtrata; oſtenditque in toto capite. 1. illum multo meliorem eſſe, & excellentiorem ſpiritibus angelicis, ac per conſequens, ex hac parte nouam legẽ eſſe præferendam antiquæ. Ex quo infert intentam concluſionem, legem videlicet Euangelicam eſſe potius obſeruandam. Si enim tam efficax fuit lex ab Angelis miniſtrata, vt propter tales miniſtros reuerenter ſuſciperetur, & eius tranſgreſſiones acerba morte punirentur, quanto magis lex per vnigenitũ Dei ordinata, & prædicata, eſt reuerenter

Gal. 3.

S.Th. 1. p. q. 50 & infra vſq. ad q. 62.

Chriſt' excellentior eſt angelis

Heb. 2.

Exod. 19.

ſuſcipienda, & diligenter ſub pœna mortis æternæ obſeruanda? Sed quia poſſent Hebræi opponere contra excellentiam Chriſti illud Pſalmi, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Reſpondet S. Paul. ab illo verſiculo capitis 2. *Eum autẽ qui modico*, &c. non concludi ex illo loco, Chriſtum eſſe abſolute minorem Angelis, ſed ſecundum quid fuiſſe minoratum, videlicet in paſsione, & morte; propter quod tamen gloria, & honore eſt coronatus, fratres ſuos per illam ab æterna damnatione miſericorditer liberando: Vnde, & hoc ipſum quod pati voluit, & mori, in quo paulo minus ab Angelis minoratus eſt, in magnam excellentiam cedit ipſius Chriſti: quod oſtendit vſque ad finem capitis 2.

28 Tertium Hebræorum argumentum deſumitur ex auctoritate Moyſi, qui mediator antiquę legis appellatur. *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabãtur in terra*, erat *dilectus Deo, & hominibus*: erat *vir magnus in terra Aegypti coram omni populo*; fuit dux populi Iſrael, deduxitque Dominus populum ſuum *in manu Moyſi, & Aaron*. Aſcendebat ſolus in montem, & cum Deo facie ad faciem tanquam amicus loquebatur: Deum iratum ſuis orationibus placabat, & furori eius conſtanti animo reſiſtebat, *aut dimitte* inquiens *populo hanc noxam*, aut dele *me de libro vitæ*. Sed quam inefficax ſit hoc argumentum, manifeſtat S. Paulus in toto cap. 3. ex collatione Moyſi ad Chriſtum, qui mediator fuit noui teſtamenti: & oſtendit, Chriſtum eſſe Moyſi præferendum. Excellentiã autem, quam habet Chriſtus ſupra Moyſem, oſtendit duplici ratione. Prima eſt: Nam ille, qui fabricauit

Pſal. 8.

Xps in paſſione minorat' eſt paulo minus ab angelis.

Deut. 5.

Gal. 3.

Num. 2

Eccli. 45.

Exod. 11.

Pſa. 76.

Chriſtus excellentior eſt Moyſe.

Heb. 8. 9. 12.

aliquam

aliquam domum, & eam inhabitat vt propriã, tanquam filius, excellentior eſt illo, qui habitat in ea vt in aliena, tanquam famulus: Chriſtus autem domum Dei fabricauit, & eã vt filius inhabitat; Moyſes vero domum à Deo fabricatam in habitat vt famulus: Amplioris ergo gloriæ Chriſtus *præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit illam.* Ex quo infert, magis eſſe obediendum Chriſto quàm legi Moyſi, adducens ad id comprobandum auctoritatem

*Pſal.94.* Pſalmi; *Hodie ſi vocem eius audieritis &c.* & eã late explicans vſque ad finẽ capitis 3. & in principio 4. Secunda ratio eſt, nam Moyſes ſeruantibus legem, bona terræ promiſit tanquã

*Iſaiæ 1.* paruulis. *Si volueritis, & audieritis me* (inquit Propheta) *bona terræ comedetis.* Chriſtus autem pœnitentibus, & legem gratiæ ſeruantibus requiem, & gloriam æternam pollicitus eſt, eos introducens ad illum, quæ per requiem terræ promiſsionis præfigurata fuerat, & per diem ſe-

*Geneſ. 2* ptimam, in qua *requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.* De hoc agit Apoſtolus vſque ad finem cap. 4. Ex hac ergo parte, lex Euangelica legi Moſaycæ erit præferenda.

29 Quartum Argumẽtum deſumitur ex dignitate Põtificatus Aarõ, & ſacerdotij legis antiquæ, cuius ma-

*Eccl. 45 Exod. 28.* ieſtas deſcribitur: Eccl. 45. Veſtimẽta namque, quibus ſummus ſacerdos induebatur, magnam eiuſdem ſacerdotij dignitatem pr̨e ſe ferebãt. Cum autem lex, & ſacerdotium adinuicẽ

*Heb. 7.* connectantur; vt idem Paulus infra oſtendit, videtur legem illam eſſe omnibus præferendam, cuius ſacerdotium eſt præſtantius. Sed huic argumento occurrit S. Paulus, adducens ex aduerſo excellentiam pontificatus Chriſti Domini, & maieſtatẽ ſacerdotij legis Euangelicæ, oſtendẽs eſſe præferẽdum ſacerdotio legis antiqųe: Ad cuius euidẽtiam adducit in principio c. 5. conditiones, & qualitates ſacerdotis, inquiens; *Omnis põtifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cõſtituitur in his quæ sũt ad Deum: vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis &c.* Deinde probat conditiones ſacerdotis perfectius reperiri in Chriſto; oſtenditq. ſacerdotium ipſius Chriſti multo pfectius eſſe ſacerdotio legali. Ad ꝙ probandũ quatuor adducit rationes. Prima ratio eſt: Nam ſacerdotium ſecundum ordinẽ Melchiſedech, per quod ſacerdotium Chriſti fuit figuratum, iuxtà illud; *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,* eo quod panem, & vinum obtulit, præſtabat ſacerdotio Leuitico; Primo, quia Leuiticum decimas obtulit Melchiſedech per Abraham, in cuius lumbis erat Leui; decimas autem offerre eſt inferioris. & de hoc agit S. Paulus in principio cap. 7. & S. Tho. 3. p. q. 22. ar. 6. Secũdo quia ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, eſt ſub iuramento inſtitutum, vt dicit Pſalmiſta: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Illud autem, quod iuramento firmatur eſt magis ſtabile, & perpetuum, quàm illud quod ſine iuramento inſtituitur. Hoc oſtendit S. Paulus eodem cap. in illo verſiculo, & *quantũ eſt non ſine iure iurando.* Tertio quia ſacerdos ſecundũ ordinẽ Melchiſedech eſt vnus, Chriſtus, videlicet, qui eſt principalis ſacerdos nouæ legis; legales vero ſacerdotes erant plures ſibi ſuccedentes: ex quo infertur, ſacerdotium legale eſſe corruptibile, tranſitorium, & im-

ſacerdotiũ Chriſti præcedit ſacerdotiũ Leui. *Cap. 5.* *Pſ. 109. 4* *Cap. 7.* *Pſ. 109.* *Cap. 7.*



& imperfectum: ſacerdotium vero Chriſti eſſe incorruptibile, perfectum & perpetuum. Proprium eſt enim incorruptibilium, vnicum tantum indiuiduum habere, ſicut corruptibilium eſt propriũ habere plura indiuidua. Oſtendit hoc S. Paulus eodem cap. ab

*Cap. 7.* illo verſiculo. *Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes.* Secunda ratio principalis eſt, nam ſacerdotes legales, cũ eſſent & ipſi peccatores, prius pro ſe, deinde pro peccatis populi hoſtias quotidie offerebant; pontifex autem noſter Chriſtus, cũ ſit ſanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, non pro ſuis delictis hoſtias, ſed pro peccatis noſtris obtulit ſeipſum

*Ibid.* in cruce, quod in fine cap. oſtendit. Tertia ratio eſt, nã ſacerdos, qui meliora ſacramenta adminiſtrat, & ſacrificium præſtantius offert, eſt dignior; ſacerdos enim ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur; ſed Chriſtus inſtituit, & adminiſtrauit in noua lege meliora ſacramenta, & obtulit præſtantius ſacrificium, ſcilicet ſacrificium crucis, eſt ergo dignior ſa-

*Cap. 8. in princ.* cerdos. Hanc rationem adducit S. Paulus. c. 8. Quarta ratio deſumitur ex parte ipſius teſtamenti; etenim ſacerdos noſter Chriſtus ſortitus eſt miniſterium melioris teſtamenti; quod probat ex duplici capite. Primo quia illud teſtamentum eſt melius, quod potiora & meliora bona repromittit; teſtamentum autem nouum promittit multo meliora bona quàm vetus, quod inſinuat ſanctus Paulus in illis verbis, *quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.* Secundo quia teſtamentum vetus ſcriptum erat in tabulis lapideis, nouum autem eſt in cordibus fidelium ſcriptũ ſpiritu Dei viui. In cuius confirmationem addu-

*Hier. 31* cit auctoritatem Scripturæ. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriã domui Iſrael, & domui Iuda foedus nouum. Non ſecundum pactum quod pepigi cũ patribus veſtris in die quã apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactũ, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus: Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorũ, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, &c.* Denique ex ipſa etymologia nominis cõcludit in fine capitis octaui, vetus teſtamentum eſſe prope interitum, cum inquit: *Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* *Cap. 8.*

30 Quintum argumentum adducit in defenſionem legis antiquæ præſtantiam tabernaculi veteris teſtamenti, tam primi, in quo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes, vbi erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum; quàm etiam ſecundi, quod dicitur ſancta ſanctorum, vbi erat turibulum aureum, arca teſtamenti, & Cherubim gloriæ: in quod quidem tabernaculum intrabat ſemel in anno ſolus Pontifex, vt ſanguinem offerret, pro ſua & populi ignorantia, vt habetur in Scriptura. Conſtituit hoc argumentum S. Paulus cap. 9. in principio. Cui argumento opponit ſtatim, eſſe in noua lege alia duo tabernacula præſtantiora, ſcilicet primum, & ſecundum. Tabernaculum primum eſt ipſa militans Eccleſia. Secundum autem eſt, Eccleſia triumphans. Oſtẽdit autem hæc tabernacula, eſſe præſtantiora, ex eo quod in Eccleſia Chriſti militante, qųe eſt primum tabernaculum, continentur potiora bona quàm in priori tabernaculo legis antiquæ. Sunt enim in illa ſacramẽta,

Teſtamentum vetus per nouum terminatur

Tabernacula duo fuerunt in lege, quib⁹ alia duo reſpondẽt in Euangelio.

*Exo. 26. Cap. 9.*

altaris ſacrificium, & panis conſecratus, ſub cuius ſpecie corpus Chriſti continetur: inſuper etiam ſacerdotes quotidie intrant eandem Eccleſiam, potiora ſacrificia offerentes. In ſecundum etiam tabernaculum, ſcilicet in Eccleſiam triumphantē, quod eſt tabernaculum perfectius, vtpote non manu factū, introiuit ſemel Chriſtus tamquam pontifex futurorū bonorum, non per ſanguinem taurorum aut hircorum; ſed per proprium ſanguinem æterna redemptione inuenta. Manifeſtat hoc Apoſtolus eodē cap. 9. ab illo verſiculo. *Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorū, &c.* oſtendens vſque in finem capitis efficaciam, quam habet ſanguis Chriſti; tum ad emundandas conſcientias noſtras, tum etiam ad firmandum nouum teſtamentum, vt in æternum permaneat: & cum voluntas teſtatoris, & teſtamentum ipſum non niſi morte interueniente ratum, & firmum habeatur, conſequens eſt nouū teſtamentum eſſe firmius quàm vetus; quia nouum teſtamentum fuit morte teſtatoris firmatum, per quod primum reuocauit. & hoc eſt quod S. Paulus explicare intendit vſque ad finem capitis noni, maxime in illis verbis. *Vbi enim teſtamentum eſt mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.*

31 Sextum argumētum quo Hebræi legē antiquam legi gratiæ præferebant, deſumitur ex efficacia ſacrificiorum, quibus illi omnia peccata populo remitti credebant: de quibus agitur in toto Leuitico. Ad quod argumentum reſpondet Apoſtolus, opponens ex aduerſo excellentiam ſacrificij legis Euangelicæ, oſtendēſque præſtantiam illius ſupra vetera ſacrificia: nam ſacrificia antiqua nullam habebant virtutem ad mundandum hominem interius à peccatis, quā tamen habet ſacrificiū ſacerdotij Chriſti in ara crucis oblatum; eſt enim vniuerſalis noſtræ ſalutis cauſa: quod confirmat ex illo; *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.* Ex quo infert intentam concluſionem, videlicet magis eſſe obediendum Chriſto in omnibus, & per omnia, atque eius Euangelio, quàm legi Moſaicæ: ſubdit enim. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt carnem ſuam: & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei; accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala: & abluti corpus aqua mūda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem.* Et vt metu pœnarū, & magnitudine præmij Hebræos ad obſeruantiam legis Chriſti alliciat, proponit in reſiduo eiuſdem capitis damnationem æternam, quam incurrunt, & meritò, tranſgreſſores eiuſdem legis, & magnitudinem præmij, quod obedientes Chriſto promerentur apud Deum.

Heb. 10.
Sacrificiū in cruce oblatū eſt vniuerſalis cauſa noſtræ ſalutis.

Pſal. 39.

Heb. 10. d

32 Septimum argumentum deſumitur ex ſanctitate & religione, quam Patres antiqui nutriti ſub lege ſcripta ſunt conſequuti, de qua & ipſi Iudæi gloriabantur, cum dicebant, *ſemen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vmquam*; lex autem, quæ viros adeo perfectos producit, magnā in ſe perfectionem habere neceſſariū eſt. Sed ad hoc reſpondet S. Paulus: cap. 11. illos non ex legis operibus, ſed per fidem potius Ieſu Chriſti placuiſſe Deo, & promiſſiones ab illo accepiſſe: quod de fide formata intelligendum eſt. Ad cuius euidentiam,

Heb. 11.
Patres antiqui placuerūt Deo per fidem Ieſu Chriſti viuam.

primo



primo proponit definitionem fidei in principio cap. 11. cum ait. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Secundo probat, antiquos ex fide (quę per dilectionem operatur) placuiſſe Deo, adducens, ad id comprobandū, exemplum, tum eorum qui ante legem datam floruerunt, ſicut Abel, & Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, & Iacob; tum etiam eorum qui fuerunt tempore datæ legis, ſicut Moyſes: tū denique illorum qui fuerunt poſt legem datam tempore Iudicum, & Prophetarum, quorum omnium virtutes & magnalia deſcribit vſque ad finem cap. 11. Ex quo infert in cap. 12. in fide Chriſti perſeuerandum eſſe, & eius legi obtemperandum, Hebræorum incuriam redarguens, & eos exēplo Chriſti, & ſanctorum Patrum ad virtutem, & tribulationum tolerantiam inducens: quam doctrinam vſque ad finem cap. 12. proſequitur, teſtimonijs Scripturæ, & aliquibus rationibus eam confirmans.

Heb. 12.

33 Octauum argumentum Hebræorum erat, nam lex antiqua fuit à Deo multis ſignis & miraculis confirmata, vt habetur Exod. 19. eius auctoritatem oſtendit Deus tonitruis, & tubæ ſonitu, & alijs multis prodigijs, quod in magnam eiuſdem legis excellentiam cedit. Ad quod tamen reſpondet Apoſtolus, potiora eſſe, & magis commendanda miracula & ſigna, quibus lex Euangelica fuit confirmata: etenim ſigna antiqua, ſicut & ipſa lex, adeo aſpera erant, vt perfectos quoſque terrerent, etiam Moyſen; ſigna vero legis gratiæ omni ſuauitate ſunt plena, ita vt etiam ſanguis Chriſti, quo lex ipſa fuit confirmata, non vltionē à Deo, ſicut ſanguis Abel, ſed miſericordiam & reconciliationem peccatorum expoſtulet. Tangit hoc argumentum Apoſtolus eodem cap. 12. ab illo verſiculo. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem & terribilem ignem & procellam, & tubæ ſonitum, &c.* Ex quibus omnibus concludit in fine eiuſdem cap. legi Euangelicæ eſſe immobiliter adhærendū. Sed quia dixerat in cap. 11. Sanctos per fidem placuiſſe Deo, ne quis exiſtimaret, ſolam fidem ſine operibus ſufficere ad ſalutem, ſicut Hæretici arbitrantur, ad charitatem, ad hoſpitalitatem, & ad alia diuerſa virtutum opera Hebræos inducit cap. 13. Et eorum orationes humiliter expoſtulans, Epiſtolam more ſolito concludit, dicens. *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Conſtat ex his omnibus, mortuo Chriſto Domino, vetus teſtamentum eſſe conſummatum, & legalia mortua fuiſſe, immo & poſt ſufficientem Euangelij promulgationem, mortifera. Quapropter ijs, qui obſeruant ea, Chriſtus (vt dicit Apoſtolus) nihil proderit. Quia ergo Hebræi ipſo lumine excæcati, vmbram corpori, & figuram veritati prætulerunt, ideo eorum excidium ſæpe denunciat Iſaias; ſed præcipue verbis inductis ex hoc capite, & in alijs, quæ in capite primo, numero 29. fuſius explicata reliquimus.

Exod. 19

Lex antiqua & noua qualib[us] ſignis fuerint promulgatæ.

Heb. 12.

Heb. 13.

Legalia mortuo Xpo ſunt mortua.

# CAPVT XLIII.

1. ET nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob,
& formans te Iſrael: Noli timere, quia rede-
mi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu.
2.3. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, &
flumina non operient te: cum ambulaueris
in igne, non combureris, & flamma non ar-
debit in te: Quia ego Dominus Deus tuus
ſanctus Iſrael ſaluator tuus. 4. Dedi propi-
tiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam,
& Saba pro te. 5. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, &
glorioſus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro ani-
ma tua. 6. Noli timere, quia ego tecum ſum: ab Oriente adducam
ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: da:
& Auſtro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias
meas ab extremis terræ. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in
gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. 7. Educ foras
populum cæcum, & oculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt. 8.9.
Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus: Quis in
vobis annunciet iſtud, & quæ prima ſunt audire nos faciet? dent te-
ſtes eorum, iuſtificentur, & audiant, & dicant: Vere. Vos teſtes mei,
dicit Dominus, & ſeruus meus, quem elegi: vt ſciatis, & credatis mi-
hi, & intelligatis quia ego ipſe ſum. 10.11. Ante me non eſt for-
matus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, &
non eſt abſque me ſaluator. Ego annunciaui, & ſaluaui: auditum fe-
ci, & non fuit in vobis alienus: vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego
Deus. Et ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat: ope-
rabor, & quis auertet illud? 12. Hæc dicit Dominus redemptor
veſter, ſanctus Iſrael: Propter vos miſi in Babylonem, & detra-
xi vectes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes. Ego
Dominus ſanctus veſter, creans Iſrael rex veſter. 13. Hæc dicit
Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſe-
mitam. Qui eduxit quadrigam & equum: agmen & robuſtum, ſi-
mul obdormierunt, nec reſurgent: contriti ſunt quaſi linum, & ex-
tincti



tincti ſunt. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. 14.
Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea: ponam
in deſerto viam, & in inuio flumina. 15. Glorificabit me beſtia agri,
dracones & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio,
vt darem potum populo meo, electo meo. 16. Populum iſtum for-
maui mihi, laudem meam narrabit. 17. Non me inuocaſti Iacob, nec
laboraſti in me Iſrael. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, &
victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec
laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum, &
adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. 18. Verumtamen ſer-
uire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitati-
bus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter
me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam,
& iudicemur ſimul: 19.20. &c. Narra ſi quid habes vt iuſtificeris.
Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me.
Et contaminaui principes ſanctos, dedi ad internecionem Iacob, &
Iſrael in blaſphemiam.

## SVMMA CAPITIS.

*MAGNA in hoc capite repromittitur fidelibus per Chriſtum Dominum conſolatio, illis præſertim, qui, excæcatis Iudæis, crediderunt ex gentibus. Et in primis loquitur, ſub nomine Iacob & Iſrael, cum vniuerſis fidelibus, Dei protectionem atque auxilium, ne in tentationibus ſuccumbant, repromittens, de quo à principio capitis, vſque ad verſiculum.* Noli timere, quia ego tecum ſum.

*Secundò agit de vocatione gentium, quas ex omnibus orbis partibus ad Eccleſiam adduxit. Verſiculo.* Ab Oriente adducam ſemen tuum.

*Tertiò denunciat, populum Iudæorum incredulum foras proijciendum eſſe. Verſiculo.* Educ foras populum cæcorum, &c. *Et occaſione huius, iterum agit de idolorum vanitate, eorum ſectatores conuocans, vt teſtes afferant & teſtimonia in defenſionem eorum.*

*Quartò, ſuos Deus profert teſtes, qui eius diuinitatem, & potentiam prædicaturi erant, videlicet Apoſtolos, per quos Euangelium annunciatum eſt vniuerſo mundo. Verſiculo.* Vos teſtes mei, dicit Dominus. *Vbi iterum cõmemorat, quæ fecerit olim mirabilia, & qualiter annunciauerit futura antequam euenirent, quod diuinitatis eius indicium eſt certiſſimum.*

*Quintò, ſe in noua lege multo maiora, & magis noua ſe facturum denunciat in vocatione gentium, dracones & alias beſtias agri, in manſuetiſſimos agnos per Euangelij prædicationem commutando. Verſiculo.* Ne memineritis priorum.

*Sextò, ingratitudinem populi reprehendit, qui non ſolum pro acceptis beneficijs ſacrificia non obtulit, ſed Saluatorem ſuum morti tradidit, à verſiculo.* Non me inuocaſti Iacob. *vſque ad finem capitis.*

## COMMENTARIVM.

*ET nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Iſrael: Noli timere quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu.* Nunc iam miſericors Dominus, Euangelio conſolatur eos, quos lege terruerat, ac conuicerat de peccato, & miſeria tanta, vt Redemptoris humiliter auxilium requirerét. Dixerat in calce præcedentis capitis, omnes rapinæ ac direptioni expoſitos eſſe, nec reperiri qui eos poſſet eruere. Nam, ſicut ait Apoſtolus, *Gal.3.d* *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Loquitur autē non cum carnali Iacob, aut Iſrael (vt carnales Iudæi exponunt) ſed cū ſpirituali, qui angelos aſcendentes & deſcendētes ſuper filium hominis videre promeruit. *Nunc* (inquit) *noli timere*, quoniam non ſub lege timoris, ſed amoris militabis; non eris deinceps concluſus ſub peccato, quoniam videbis Redemptorem, quē ego mittam, vt liberet te. Bono ergo animo nos eſſe iubet in præſentia Saluatoris, quo in nobis per fidem & dilectionem regnante, non regnabit peccatum in noſtro mortali corpore. Ex quibus collige, nihil eſſe quod ita terreat, vt peccatum. Si eius abominationem & grauitatem intelligas, diſces plane, peccatorem filium eſſe, iræ Dei obnoxium, diabolo atque ęternis incendijs deputatum, quo nihil intolerabilius. *Peccatum quam graue ſit.* Quam graue ſit peccatum vel ex hoc coniectare poteris, ex magnitudine videlicet illius, qui nos à peccato liberauit. Non potuit purus homo nos redimere, nec pro peccatis noſtris ad æqualitatem ſatisfacere, non Angeli, vel Archangeli, ſed nec Cherubin aut Seraphin. Ipſe qui nos condidit, pro nobis factus homo nos redemit. *Ego* (inquit) *redemi te.* Idq. non corruptibilis auri, vel argenti cō mutatione, ſed proprij effuſi ſanguinis pretio, & vitæ propriæ diſpendio. nā, vt viueres, mortuus ſum. Nec ſolum redemi te, ſed & peculiarem populum feci, atque ſingularem curam, & prouidentiam tui habeo. Nomine proprio vocans te, & dicens *meus es tu*. Meus inquā populus, filius meus, meus hæres, & amicus. Ideo nō dixit, meus filius es tu, aut meus populus, ſed *meus es tu*, vt complecteretur omnia. *Meus es tu* titulo creationis, quoniā creaui te, ſed multo magis titulo redemptionis, quoniam *redemi te*. *Xps eſt Dominus noſter titulo creationis & redemptionis.* Vt Creator, te formaui de limo terræ, & inſpiraui in faciem tuam ſpiraculum vitæ, & factus es in animam viuentē; *Gen.2.* ſed vt redēptor eduxi te de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, tribuēs tibi ſpiritum viuificantē. Præmiſit autē: *Hæc dicit Dominus creās te Iacob*, ne quis myſterium in Deo à ſæculis abſcōditum audiens, atque rei magnitudine ſtupefactus, de veritate prophetiæ dubitaret. Expendatur illud, *creās te Iacob*. Hac .n. phraſi loquēdi ſignificari voluit hominem, abſque vllis præcedētibus meritis, talem ſuſcepiſſe Redemptorē, ſumpta à creatione metaphora, quæ nullū præſupponit ſubiectum.



ctum, quia ex nihilo fit quod creatur.

2 *Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Per *aquas, & flumina*, vndæ intelliguntur baptiſmatis, per quas *Baptiſmus à peccatis mundat.* omnes fideles pertranſeunt, ſordes omnium peccatorum deponentes, vt Chriſti membra efficiantur. Cum per aquas iſtas tranſieris, ò Iacob, *tecum ero* (inquit). Nam prius, tecum erat Diabolus, per peccatū originale in te regnans; ſed per aquas ſanctificationis pertranſiens, expulſo Diabolo, ego ero tecum: & ſicut olim aquæ maris rubri operuerunt Aegyptios, ſed non filios Iſrael, qui ſicco pede tranſierunt ſecuri, ita & ſacrum baptiſma non te operiet, ſed peccata tua. Quoniam charitas quæ per Spiritum ſanctum tunc infunditur in corda fidelium, operit multitudinem peccatorum. *Beati quorum* *Pſa. 31.* *remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Quia vero, dimiſſo per baptiſmum originali peccato, atque alijs omnibus actualibus, quibus ſordeſcunt adulti, adhuc manet fomes peccati ad exercitium virtutis, quamuis debilitatus vtcumque, & ſemper inſurgunt tentationes, & caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, *Spirit' ſāctus extinguit concupiſcentias carnales.* ideò, ne tentationum magnitudine imperfecti ſuccumbant, ſuam repromittit protectionem, & gratiam. *Non combureris* (inquit) igne concupiſcentiæ, & flamma amoris carnalis: & ſi aliquando, flante aduerſario, excitata fuerit, aut ſuccenſa, *non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus.* Ego inſurgentes flammas extinguam, & aqua cœleſtis gratiæ, ignem conſumam. Non ergo deſperet fidelis, cum ſe multitudine tentationum oppreſſum viderit, agat viriliter, reſiſtat diabolo, & non ſuccumbat, quia nulla illi nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas.

3 *Cum tranſieris per aquas &c.* Solet etiam in Scriptura ſacra, per aquam, & ignem, per flumina, & flammas, tribulationum diuerſitas deſignari, præcipue quando ſupra modum creſcunt, & opprimunt hominem. *Tribulationes graues per aquam deſignātur & ignem.* In hac acceptione, his vtitur Pſalmiſta nominibus, cum ait: *Tranſiuimus per ignem, & aquam*, hoc eſt, per ingentes tentationes, & varias, quæ ſibi inuicem pugnare videbantur; ſicut pugnare ſolent ignis & aqua iuxtà quod dicitur; *Pſ. 65.e* *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis: Et eduxiſti nos in refrigerium.* Vnde & Chriſtus Dominus, multitudine tribulationum tempore paſſionis circumdatus, per eundem Prophetam ad Patrem loquitur. *Saluum* *Pſa. 68.* *me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* *Electi per ignem, & aquam tribulationū ſecuri tranſeunt.* Tantam ergo diligentibus Deum, atque in illum ſperantibus ſecuritatē promittit, tantam fortitudinem, & conſtantiam, vt per omnes tribulationes ſecuri tranſeant, & ardentibus flammis commoueri non valeāt, aut conſumi, ſed nec ab illis lædi aut contriſtari; quia cœleſtis gratia proteget illos, & defendet. Hinc eſt quod tres pueros miſſos in fornacem Babylonis, ignis non tetigit, aut contriſtauit, ſed aduerſarios eorum cōbuſſit. Dicit .n. Scriptura. *Daniel 3.c* *Ignis non nocet ſanctis.* *Tūc Nabuchodonoſor repletus eſt furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdenago, & præcepit vt mitterent eos in for-*

*fornacem ignis ardentis,& confeſtim viri illi cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis. Nam iuſsio regis vrgebat: fornax autem ſuccenſa erat nimis. Porro viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach,& Abdenago, interfecit flāma ignis. Viri autem hi tres, ideſt Sidrach, Miſach, & Abdenago, ceciderunt in medio camini ignis ardentis, colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicētes Domino.* Iubet Aſpaſius, igne copioſo accenſo, beatam Agnetem in medio iactari. Quod cum fuiſſet factum, flamma in duas partes diuiſa, ipſam in nullo cōtingebat incendium: ſed miniſtros exurebat. Denique Ioannes Apoſtolus in doliū feruentis olei miſſus, Diuina ſe protegente gratia, illæſus exiuit. Vbi eſt obiter obſeruādum, eam ob cauſam Deum multoties martyres ſuos in medio flammarum intactos ſeruaſſe, ne perirēt incendio; quos tamen gladio poſtmodum occidi permiſit, vt Redēptoris morti aſſimilarentur magis, qui pro nobis ſuum ſuper terrā ſanguinem fudit. Omnes ergo tentationes inſurgentes, omnes aduerſitates, & pericula Dei virtute ſuperant electi. Iuxta quod Apoſtolus ait: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Certus ſum.n. quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Propter quod non immerito adamanti comparantur electi. *Ecce* (inquit Amos,) *ſtabat Dominus ſuper murum adamātinum, & in manu eius adamas: & dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? & dixi: Adamantem. & dixit Dominus ad me. Ecce ego pono adamantem in medio populi mei Iſrael. Adamas* (inquit Hieronymus) *lapis eſt, quem latine indomitum poſſumus appellare, eo quod nulli cedit materiæ, nec ferro quidem: nam ſi ponatur ſuper incudem, & graui ictu feriatur mallei, antea incus & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, vniuerſa metalla conſumat, reddit adamantem duriorem. Vidi & in auro adamantem magnitudine milij, cumque vicinum conſumatur aurum longo vſu, ac nimia vetuſtate, ſolus adamas non atteritur, & nulla lima imminui poteſt, ſed è contrario limam terit. Dicitur quoque, in electri ſimilitudinem, venena deprehendere, & maleficis reſiſtere artibus. Talis eſt Chriſtus Dominus, qui ſtat ſupra murum adamātinum, ſuper Apoſtolos, quibus donauit, vt & ipſi adamantes vocarentur, & à nullo ſuperati, dicerent. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an perſequutio, an periculum, an gladius?* Et vt ſcias, quàm durum ſit, & forte, inflexibile, & immobile cor eorum, in quos per ſpiritum ſanctū diffuſa eſt charitas, audi quid ſponſus dicat. *Fortis eſt* (inquit) *vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lāpades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,*

Martyres quare ab igne ſæpe liberati gladio ſūt occiſi.

Rom. 8.

Pſ. 43.d

Adamanti comparantur electi.

Amos 7.

Iuxta tranſlationē 70 interpretū.

Hieron. ibidem.

Adamātis proprietates.

Cant. 8. b

Dilectio fortis vt mors quare dicatur.



*ritatem, nec flumina obruent illam.* Sicut enim mortem nullus ſuperat, nec infernum potuit vnquam aliquis flectere, ita legem Dei æmulantes nulla perſequutio cōmouere poteſt. Et ſicut corda charitate Chriſti firmata, nec ferro cedunt, aut igni, ſed ad inſtar adamantis aduerſantium ictibus ſolidiora fiunt, ita & exterius, in facie, fronte, & ore eandem firmitatem oſtendunt vt intrepide verbum veritatis annuncient. *Ecce* (inquit) *dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorū. Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam:* Denique ſicut aurū non conſumit flamma, ſed purificat magis; ita & tribulatio electos efficit clariores.

Ezech. 3 b

4 *Dedi propitiationem tuam Aegypto, Aethiopiam, & Sabba pro te.* Reuocat ad memoriam, quomodo Aegyptios vicerit, & Aethiopes, vt ſpem noſtram confirmet. Nam propter Abraham puniuit Deus Pharaonem, & Abimelech. Propter filios Iſrael Aegyptios proiecit in mare, Aethyopes, & Sabæos, atque infideles populos deuaſtauit, vt populum ſuum exaltaret, & in terram duceret, lacte, & melle manantem. Quæ omnia vnico verbo complexus eſt Propheta. *Et corripuit*, inquiens, *pro eis reges*. Id ipſum ſignificat præſens locus (nam, *Dedi propitiationem tuam Aegypto*, idem eſt, quod corripui Aegyptum.) Correptionem vocat propitiationem; vt ſcias quod non abſque clementia delinquentes caſtigat, ſed tanquam pius pater, vt eos corrigat. Vnde & correptio ipſa, & indignatio, hoſtia Domini dicitur per Prophetam. *Silete à facie Domini Dei, quia iuxta eſt dies Domini, quia præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos. Et erit: in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* Sicut enim victimæ ad propitiationem immolantur, ita & Deus iraſcitur, & corripit peccatores, vt propitius ſit illis. Vel exponatur ſic cum ſancto Thoma. *Dedi propitiationem*, ideſt; vt propitientur tibi, aduerſarios tuos morti tradidi, & quaſi permutatione facta, vt te ſeruarem, illos perdidi. Vnde & per Salomonem dicitur. *Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo.* Conſonat hæc explicatio cum ſeptuaginta interpretum tranſlatione, quæ ſic habet. *Feci commutationem tuam Aegyptum, & Aethyopiam, & Sobonē, vel Syenem,* (vt legit Hieronymus,) *pro te.* Ex quo poteris colligere, ſic pios omnes charos Deo eſſe, vt pluris ipſos quàm vniuerſum orbem faciat. Ita electos ſuos magni æſtimat, vt omnibus alijs creaturis præferat, & ab omnibus periculis eripiat. Et, vt rationem ſingularis prouidentiæ, quam habet electorum, aſsignet, ſubdit.

Gen. 12.

Gen. 20.

Pſ. 102.

Sophoniæ 1. b

Prou. 11

Iuſtū vnū pluris æſtimat Deus quàm vniuerſū mundum.

5 *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis: Ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.* Cauſa omnium bonorum ſpiritualium, quæ Deus in tempore ſuis confert, eſt electio ipſius, & dilectio, qua, nullis preexiſtentibus meritis, etiam præuiſis, elegit eos, dilexit, & prædeſtinauit. Vnde & Ioannes ait: *In hoc eſt charitas Dei, non quaſi nos dilexerimus Deū, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Prius ait, *dilexit*, poſtmodum inquit, *miſit filium ſuum*, quoniam ex nimia charitate Dei, tantum, & tam eximium prodijt benefi-

Dei dilectio, qua nos diligit, cauſa eſt bonorū, q̄ nobis contulit.

1. Ioan. 4.b

beneficium, quod idem Ioannes illis verbis teſtatur. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Cui conſonat illud Apoſtoli. Galat. 2 d *Quod autem nunc viuo in carne: in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Rom. 8. d Et ad Romanos octauo: *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit cõformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit.* Vide auream cathenã, cui vltimus prędeſtinationis effectus, qui eſt glorificatio, connectitur. Deus eligit, diligit, prædeſtinat, vocat, & glorificat ſuos. Hanc eandem in præſenti conſtituit Iſaias. dicens enim: *Ego dilexi te*, primam radicem, & cauſam tangit bonorum, quæ conferuntur electis. Omnia enim in liberam electionem, & dilectionem Dei, atque in voluntatem efficacem illius, tanquã in primum fontem ſunt referenda, nequis glorietur, & inflectur aduerſus fratrem ſuum. Cum autem inquit: *ex quo honorabilis factus es*, & glorioſus, effectus tangit dilectionis Diuinæ, per quam electus populus fit honorabilis, & glorioſus, ſeu vas in honorem, & gloriam. Nã, S. Th. 1. p. q. 20. ar. 2. in corpore vt docet ſanctus Thomas, hæc eſt differentia inter voluntatem Dei, & noſtram. *Quia enim voluntas noſtra non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed ab ea mouetur, ſicut ab obiecto: amor noſter, quo bonũ alicui volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed è conuerſo, bonitas eius vel vera, vel æſtimata, prouocat amorem, quo ei volumus & bonum conſeruari quod habet, & addi quod non habet: & ad*

Voluntas noſtra ſupponit bonũ qđ amat: voluntas Dei illud cauſat*

*hoc operamur. Sed amor Dei eſt infundens, & creans bonitatẽ in rebus.* Homo hominem diligit, quia bonus eſt qui diligitur, vel apparet bonus in oculis eius, quia honorabilis eſt, & glorioſus; Deus autem non ideo diligit hominem, quia homo honorabilis eſt, & glorioſus Ephes. 2 a (*Eramus enim omnes natura filij iræ*) ſed ideò honorabilis eſt homo, & glorioſus in oculis Dei, quia Deus dilexit illum, & diligendo, eum honorabilem facit, & glorioſum. *Saluum me fecit* Pſal. 17 (ait Propheta) *quoniam voluit me*. Non inquit, quoniam ſanus eram, aut ſaluus, ideo voluit me, ideo dilexit, ſed ait: *Saluum me fecit, quoniam voluit me*, vt in voluntatem Diuinam referret ſalutem. Nec te moueat, quod prius dixit Iſaias, *ex quo honorabilis factus es*, & poſteà inquit, *ego dilexi te*, quibus verbis ad radicem videtur recurrere, propter quam Deus dilexit populum ſuum, quia videlicet honorabilis eſt, & glorioſus, quoniam illud verbum, *ex quo &c.* non eſt ſic accipiendum, vt cauſam antecedentem dilectionis Dei importet ex parte noſtra, ſed effectum, per quem dilectio Dei manifeſtatur, per quem etiam conſtituitur homo obiectum dilectionis Dei, qui diligendo cõtulit rebus bonum quod diligit. Quod autem ſubditur: *Et dabo homines pro te, & populos pro anima tua*, cauſam finalem inſinuat ex parte Dei, propter quam quædam vaſa in contumeliam facit, tam innumerabilem multitudinem ſtultorum reprobando, vt videlicet in paruo numero electorum magis ſplendeat miſericordia eius. Secundo poteſt ſic intelligi. *Dabo homines pro te*, ideſt, in comparatione tui, homines, & populos pro nihilo habeo. Plus enim diligit, & pluris æſtimat

Pro iuſto vno, aut duob⁹ multitudini parcit De⁹

vnum



vnum iuſtum, quàm multitudinem populorum; immo & quàm cæteras creaturas. Pro vno iuſto, aut duobus, parcit multitudini; & vt vnum colligat electum, plurimos ſuſtinet peccatores & reprobos in multa patientia. Nam, cum omnes, quos prædeſtinauit, nati fuerint, & ſibi paratam gloriam promeruerint, veniet finis vniuerſi. Expendatur illud: *In oculis meis*. Quod adiectum fuit à ſpiritu ſancto, vt, cum viderimus filios Dei, & dilectos pro nihilo haberi in hoc ſæculo, & reputari tamquam purgamenta huius mundi, & eſſe omnium peripſema vſque adhuc, profunda mente penſemus, illos abiectos & contemptos in oculis hominum, qui ſolum vident ea, quæ parent honorabiles eſſe, & glorioſos valde in oculis Dei. Vnde & Dominus ait. Mat. 18 b *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt*. Angeli eorum nunc vident, & ſemper vident faciem Dei, ſed & ipſi puſilli, quos mundus contemnit, certiſſime videbunt faciẽ patris ſui, propheta Euangelico atteſtante. 1. Io. 3. a *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum. Chariſſimi nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Quod & S. Iob prophetico impulſu cognouit: nã de electis loquens, ait. Iob 12. a *Lampas cõtẽpta eſt iuſtus, ſed apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum.* Contemnunt diuites reprobi electos pauperes, quia non cognoſcunt dignitatem eorum. *Lampas contempta*, eſt iuſtus, ſed *apud cogitationes*

Electi contemnuntur à mũdanis ſed à Deo in magno habentur pretio.

*diuitum*: nam in oculis Domini honorabilis eſt, & glorioſus: & quem nunc contemnunt diuites cogitationibus ſuis, tempore ſtatuto, hoc eſt in die iudicij admirabuntur. Tunc .n. iuſtos Sap. 5. a *videntes, turbabũtur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt quos habuimus aliquãdo in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

6 *Noli timere, quia ego tecum ſum: ab Oriente adducam ſemen tuũ, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: da: & Auſtro: noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Hic clariſſime deſcribitur gentium vocatio à quatuor mundi plagis, & reprobatio Iudæorum, de qua Chriſtus Dominus. Matt. 8. b *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Quod ergo in præſenti dicitur: *ab Occidente congregabo te*, hoc apud Ioan. 11. prophetauit, qui dixit, *quia Ieſus moriturus erat pro gente, & non pro gente tantum, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*. Ioan. 11 *Ab Oriente venerunt Magi Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matt. 2. ab Occidente, ab Aquilone, & Auſtro venerunt quamplurimi, quos in vnum ouile Eccleſiæ Catholicæ, & ſub vno paſtore Romano Pontifice congregauit Chriſtus; quia lex Euangelica non vni populo, ſed vni-

Gentium vocatio à quatuor mundi partibus prædicitur.

uerſo

uerſo mundo prædicata eſt, & omnes nationes indifferenter amplectitur.

Rom. 10 c

*Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum.*

Vocationis Diuinæ efficacia qualis ſit.

Et vt efficaciam Diuinæ vocationis agnoſcas, quæ ita cor electorum mouet, & impellit ſuauiter, vt nulla poſſit difficultate itineris aut labore ſuperari, nec aduerſantium potentia detineri, ne vocati ad Chriſtum properẽt, aduertit, à longinquo, & ex remotiſſimis terræ partibus conuolare ad Chriſtum magno impetu, & ea cõſtantia, vt nec Aquilo, nec Auſter nec aduerſa, nec proſpera, curſum eorum potuerint impedire, vt cap. 2. num. 6. 7. in illa verba: *Et fluent ad eum omnes gentes*, ſuperius obſeruauimus. Et quoniam electio & vocatio facta eſt gratis, nullis gentium præcedentibus meritis, ſubdit: *Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Iam enim diximus, nomine creationis gratuitã Dei miſericordiam deſignari, qui vt prædeſtinaret electos, ad nullam ex parte eorum reſpexit cauſam, ſed ſolum bonitatem & gloriam ſuam, quam vt commendabilem & ab omnibus admirandam & prædicandam oſtenderet, ex eadem maſſa fecit *aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Quid autem de reprobatione, atque excæcatione Iudæorum dicat, audiamus.

Vocatio fit abſq. præcedentibus meritis.

Rom. 9. e

7 *Educ foras cæcum, & oculos habentem, ſurdum, & aures ei ſunt.* Per populum cæcum, populum intelligit Iudçorum, de quo dixerat ſupra.

Iſaiæ. 6.

*Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat.* Et iterum.

Iſai. 42. c

*Quis cæcus niſi ſeruus meus, & ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi?* Sunt cæci, qui nullos habent oculos, ideſt Prophetas, qui videntes in Scriptura dicuntur. Hi ſunt gẽtiles, & nationes barbaræ, quibus non eſt annunciatus Chriſtus, quorum cæcitas aliquam videtur excuſationem habere. *Quomodo enim credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Sunt autem alij cæci, qui habentes oculos videre nolunt: ſunt qui legem Dei agnoſcentes, & Prophetas audiẽtes quotidie, obedire renuunt, & credere. Quibus Chriſtus dixit: *Qui habet aures audiendi audiat.* Hi nimirum ſunt Iudæi, qui cæci vſque in hodierum diẽ manent, & proterui, palpantes in meridie doctrinæ Euangelicæ, quæ *ſicut meridiana lux clara eſt.* Ait ergo. *Educ foras*, ideſt, educendum foras eſſe populum cæcum denuncia. Quod ad literam impletum eſt, cum, plenitudine gentium in Eccleſiam Catholicam intrante, atque in ouile Chriſti, Iudæi foris eiecti ſunt, quos, vt ſupra diximus, deſignauit Ioannes, qui vidit in monumẽto poſita linteamina, non tamen introiuit. Videns enim populus Iudæorum Chriſtum mortuum, Eccleſiam Catholicam credendo intrare diſtulit. In cuius ſignum frater ille ſenior, cum veniret de agro, & appropinquaret domui, & agnouiſſet quod frater eius iunior veniſſet, & occidiſſet pater vitulũ ſaginatũ, quia ſaluum illum recepit, *indignatus eſt, & nolebat introire.* Vbi per iuniorem fratrem, populus gentium; per ſeniorem autem, populus deſignatur Iudæorum. Iudæi nãque prius nati ſunt, prius cognouerunt Deum; gentes venerunt poſterius. reuerſus eſt populus gentium ad Dominum, à quo per idololatriã peregre profectus fuerat in regionẽ longinquam, vbi diſſipauit ſubſtan-

Cæci habentes oculos, & non habentes qui dicantur.

Rom. 10. c

Mat. 13

Iſai. 18. c

Iudæi vt canes eiecti ſunt foras.

Sup. ca. 11. nu. 22.

Ioan. 20.

Lucæ 15 f

Gentiũ populus p iuniorẽ fratrẽ, & Iudæi p maiorem deſignantur.

tiam



tiam ſuam viuendo luxurioſe. Intrat domum patris ſui, & omnes domeſtici gaudent in aduentu eius: ſolus frater ſenior ſtat foris, & indignatus non vult intrare, quia ſcriptum eſt. *Educ populum cæcum & habentem oculos.* Perſequutus eſt Chriſtum populus Iudæorum tamquam canis, ſecundum illud quod

Pſal. 21.

dicit Propheta: *circundederunt me canes multi*, & ideo eiectus eſt foras. Vide ſupra dicta cap. 29. n. 16.

8 *Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus: quis in vobis annunciet iſtud, & quæ prima ſunt audire nos faciet? dent teſtes eorum, iuſtificentur, & audiant, & dicant: vere. Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi: vt ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum.* Superius in capite 41. vidimus, Deum cauſam ſuam quaſi coram iudicibus agere, & cum idolis contendere, oſtendendo, ſe tantum eſſe verum Deum. Et vt omnes hoc ipſum iudicare poſſent, defenſores Idolorum ac ſectatores hortatus eſt, vt rationes proferrẽt in mediũ, quibus ſuorum Idolorũ deitatem comprobarent. Nunc autem magis ſtringit cauſam, pro ſe teſtes afferendo, & idola hortando, vt ſi quos habent, in medium proferant.

Apoſtoli, & martyres teſtes ſunt Chriſti.

Ego (inquit) prædixi, quod ad prædicationem Euangelij, ex omnibus mundi partibus congregabuntur filij Dei, & venient ad Eccleſiam Catholicam. En profero teſtes omni exceptione maiores. Teſtes ſunt Apoſtoli, quibus dixit Saluator.

Act. 1. b

*Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* De quibus etiam ſcriptum eſt.

Iob 10. c

*Inſtauras teſtes tuos contra me.* Diſperſi fuerant paſſionis tempore teſtes Chriſti, Apoſtoli videlicet, & alij Diſcipuli, atque in fide fluctuabant, ſicut ſcriptum eſt. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Vnus Princeps Apoſtolorum ad vnius mulierculæ vocẽ negauit ſe Chriſti Diſcipulum eſſe, & quod deterius eſt, *cœpit anathematizare, & iurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicitis.* Alius tamquam incredulus, narrantibus diſcipulis, *quia vidimus Dominum*, pertinaciter dixit. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Sed iſtos teſtes inſtaurauit Chriſtus, cum illos in fide ſolidauit. Inſtaurauit Petrum, cum reſpexit illum, cum rogauit Patrem, ne fides eius deficeret, cum dixit ei, *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Inſtaurauit Thomam, cum ei dixit, *infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Inſtaurauit duos diſcipulos euntes in Emaus, cum illorum incredulitatẽ redarguens dixit ad eos. *O ſtulti, & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* inſtaurauit denique vndecim Apoſtolos, cum *nouiſſime recumbentibus illis apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt.* Et vt in teſtificatione Euangelij cõſtantes eſſent, & immobiles, Spiritu ſancto miſſo de cœlo in die Pentecoſtes confir-

Chriſtus in reſurrectione inſtaurauit teſtes ſuos.

Zach. 13 c

Marc. 14. g

Ioan. 20 f

Mat. 16 c

Ioan. 20 f

Luc. 24. d

Marc. 16. e

Spiritus ſanctus adueniẽs teſtes reſurrectionis Chriſti confirmauit.

confirmauit eos, ne corrumperentur, neque corrumpi poſſent aduerſariorum potentia. Vide duorum teſtium conſtantiam. Dolentes ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Saducei, quod Petrus, & Ioannes docerent populum, & annunciarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis, *vocantes eos, denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu. Petrus vero, & Ioannes reſpondentes, dixerunt ad eos: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui.* Et iterum B. Ioannes tãquam fideliſſimus, & ocularis teſtis tale nobis de Deo & Chriſto Ieſu teſtimonium perhibet. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis: quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre, & cũ filio eius Ieſu Chriſto.* Non teſtificantur ſolum ex auditu, ſed ex viſu & tactu. *Quod vidimus* (inquit) *& audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt, annunciamus vobis.* Et iterum ait. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis.* Ecce tribus ſenſibus percipiunt, viſu, auditu, & tactu, quod poſtmodum notum facerent vniuerſo mũdo, ne quis diceret, ipſos deceptos fuiſſe, aut fingere quæ teſtificabantur myſteria. *Non indoctas fabulas ſecuti* (ait Petrus) *notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſcientiã, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacuit, ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto.* Quaſi diceret: Teſtes ſumus eorum quæ Chriſtus Dominus operatus eſt. Annunciamus impleta, quæ Prophetarum oraculis prædicta ſunt, & promiſſa. Illi ergo ſunt teſtes de quibus nunc ait Iſaias: Vos teſtes mei, dicit Dominus. Duodecim elegit Apoſtolos, vt teſtificarentur, Deum fidelem eſſe in omnibus verbis ſuis, & impleta eſſe quæ olim annunciauit futura: ex quo facile omnes poſſunt agnoſcere ipſum ſolum eſſe verum Deum: Et quoniam diabolus vnum ex his teſtibus corrupit, ne ſacratus numerus duodenarius deficeret, loco illius alius teſtis eligitur. *Oportet ergo, ex iſtis viris* (ait Petrus) *qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem quo aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnũ ex iſtis.* Quis ex omnibus dijs gentiũ tales teſtes poterit in iudicium producere? Quis annunciauit futura, antequam euenirent? Congregentur gentes, & tribus in vnũ conueniant. Si vnquam idola prædixerunt quæ ventura erãt, dent teſtes eorum, qui dicant. vere. Omnia adimpleta vidimus, quæ annunciauerunt idola; manibus contrectauimus quæ denunciauerunt ab initio; & teſtes afferendo iuſtificentur, ideſt appareant iuſti ac fideles in dictis ſuis. In hoc ſenſu accipitur

Act. 3. d

1. Ioan. 1. a

Apoſtoli teſtes fuerũt eorũ, quæ viderunt & audierũt *

Ioan. 19. f

2. Petr. 1 c

Act. 1. d



cipitur verbum, iuſtificari, in Pſalmo 50. cum dicitur, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.*

Pſa. 50.

9 *Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus, quem elegi.* Quoniam poſſet aliquis proteruus obijcere aduerſus Deum noſtrum, teſtes quos elegit, homines eſſe viles, pauperes, & abiectos, piſcatores, & peccatores; quibus ſubinde nulla eſt adhibenda fides; alium adducit teſtem quo nullus dignior eſſe poteſt, aut veracior, vnigenitum videlicet filium ſuum caro factum, qui non ſolum verax eſt, ſed & veritas ipſa, qui filius eſt ex diuinitate, ſeruus ex humanitate. Seruus quidem, ſed electus, quia electus eſt, & *prædeſtinatus filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis.* De quo ſuperius dixerat. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus: cõplacuit ſibi in illo anima mea;* De quo etiam ſponſa in canticis perhibet teſtimonium. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Hic eſt teſtis fideliſſimus, de quo pater ait: *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus.* Cuius dignitatem & excellentiam deſcribens *Ioannes Euangeliſta ſeptẽ Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia: Gratia vobis,* inquit, *& pax ab eo, qui eſt & qui erat, & qui venturus eſt: Et à ſeptẽ ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt: & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ.* Teſtis, inquit, fidelis, quoniam quæ vidit, & audiuit à patre, hæc teſtatur. Ait enim. *Ego quod vidi apud patrem meum, loquor.* Et iterum. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis loquutus ſum, quam audiui à Deo.* Numquid ex omnibus Dijs gentium talem poterit quis pro ſe inuenire teſtem? Septuaginta interpretes ſic transferunt iſtum locum. *Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis, dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi.* Et ſenſus eſt. Vos ò Apoſtoli teſtes mei eſtis, qui proprijs oculis vidiſtis quæ fecerim mundo, & quam veraciter adimpleuerim quæ olim prædixi futura: & ego ſum teſtis veſter, qui omniũ corda intueor, nec poteſt alicuius me latere cogitatio. Sic explicat iſtum locum B. Ambroſius, colligens ex illo, vnumquemque fidelem hac meditatione continua debere omnes occaſiones peccandi ſuperare, atque peccata omnia procul repellere. Deus intuetur cor meum, ipſum habeo teſtem omnium cogitationum mearũ. Omnia nuda ſunt, & aperta oculis maieſtatis eius: non poſſum latere ſi peccauero in tenebris, non poſsũ me abſcondere aut occultare ſub tecto. Et ſi nullus hominum me videat peccantem, vident me angeli, videt me Deus, qui aliquando reuelabit abſcõdita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Quomodo ergo poſſum conſentire peccato? Hominem vereor præſentem, & Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non verear præſentiam? Hoc ſecum mente ſæpius reuoluebat qui dixit. *Ecce in cœlo eſt teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. Noli ergo ſicut cæcus oculis* (ait Ambroſius) *aut ſicut ſurdus, qui eo quod non poteſt videre, neque audire præſentes, ſolum eſſe ſe credit, & in plurimorum cœtu, dum putat nullum eſſe præſentem, perpetrare adoritur, quod arbitratur eſſe ſecretum. Similiter & tu mentis cæcatus oculis, noli æſtimare, quod ſine teſte delinquas, quia hominis præſentiam declinare potuiſti. Plures* ſunt

Chriſt' teſtis fuit eorũ quæ p̃dicauit.

Rom. 1. a

Iſa. 42. a

Cant. 5. c

Iſa. 55. b

Apoc. 1. a

Ioan. 8. e

Ibid.

Cor intuetur Deus, ideo peccata omnia cauẽda sũt

Ambr. ſup Pſa. 118. in illa verba Beati qui ſcrutantur tom. 2.

Iob 16. d

Ambr. vbi ſupra.

*ſunt qui redarguant, quam quos ca-
uere potuiſti, ipſum te fugere tui ac-
cuſatorem non potes, quem conue-
nit propria conſcientia, & ſi negas
alijs, tibi non negas. Eliſæo aſſiſtebãt
angeli, quos videbat, & ideo agmi-
na hoſtium non timebat, ſed timebat
puer eius, qui angelos non videbat.*

10 *Ante me non eſt formatus
Deus, & poſt me non erit. Ego ſum,
ego ſum Dominus, & non eſt abſque
me ſaluator. Ego annunciaui, & ſal-
uaui: auditum feci, & non fuit in
vobis alienus: Vos teſtes mei, dicit
Dominus, & ego Deus. Et ab ini-
tio ego ipſe, & non eſt qui de manu
mea eruat: operabor, & quis auer-
tet illud?* Concludit intentam con-
cluſionem, quod videlicet ſolus ipſe
ſit verus Deus, omnipotens, ante
quem nullus eſt alius, neque poſt illũ
erit. nam idola, quæ ſibi formauerũt
homines, dæmonia ſunt, & non Deus,
Ad maiorem autem aſſeuerationem
dicendorum bis repetit. *Ego ſum,
ego ſum Dominus,* nec ſolum ſe dicit
Dominũ, ſed & Saluatorem. Ipſe enim
qui titulo creationis eſt Dominus, ip-
ſe titulo redemptionis ſaluator exi-
ſtit. Ex quo poteris colligere, Chri-
ſtum, non ſolum hominem, ſed etiam
verum Deum; quoniam ſolius Dei
eſt ſaluare. Si nomen Domini, atque
ſaluatoris honorem non patitur alijs
communem eſſe creaturis, quanto mi
nus dæmonibus inimicis ſuis, atque
idolis attribui permittet? Et quoniã
*Iſa. 41. f* dixerat ſupra. *Annunciate quæ futu-
ra ſunt in futurum, & ſciemus quia
Dij eſtis vos;* nunc oſtendit ſe Deum
eſſe, quoniã annunciauit ventura, &
illa poſtmodũ opere adimplẽdo, ve-
rum eſſe cõprobauit, quod dixit. *An-
nũciaui* (inquit) *& ſaluaui,* ideſt to-
ties prędixi, quod liberabo vos, & ſal
uabo, & ſicut prædixi, ita & vos li-
beraui. Hæc autem non fecit Deus
alienus. Hoc ſignificant illa verba.
*Et non fuit in vobis alienus,* ſcilicet
Deus, qui annunciaret ſalutem, & ſa-
naret. Ideo neceſſe eſt vt vos conte-
ſtemini, me verum Deum eſſe, & Deũ
immutabilem, qui ab initio ſemper
idem ipſe permaneo. Vos eſtote te-
ſtes meæ potentiæ, cui nullus poterit
mortalium reſiſtere, nec illum perde-
re, quem ſeruare, & ſaluare voluero.
Vnde & per Ioannem ait. *Et ego vi-* *Ioan. 10 e*
*tam æternam do eis, & non peribunt
in æternum, & non rapiet eas quiſ-
quam de manu mea. Vos teſtes mei,
dicit Dominus, & ego Deus.* Bis re-
petit in hoc capite, *vos teſtes mei.*
Quoniam *teſtes* fuerunt Apoſtoli di-
uinitatis & humanitatis illius. *Teſtes*
transfigurationis, & paſſionis eius,
*teſtes* gloriæ, & *teſtes* humilitatis, *te-
ſtes* mortis, & *teſtes* reſurrectionis.
Audi teſtimonium principis Apoſto-
lorum. *Et nos teſtes ſumus omnium* *Act. 10. f*
*quæ fecit in regione Iudæorum, &
Hieruſalem, quem occiderunt, ſuſpẽ-
dentes in ligno. Hunc Deus ſuſci-
tauit tertia die, & dedit eum mani-
feſtum fieri, non omni populo, ſed te-
ſtibus præordinatis à Deo: nobis, qui
manducauimus, & bibimus cum illo
poſtquam reſurrexit à mortuis. Et
præcepit nobis prædicare populo, &
teſtificari quia ipſe eſt, qui conſtitu-
tus eſt à Deo iudex viuorum & mor-
tuorum. Huic omnes prophetæ teſti-
monium perhibent, remiſſionem pec-
catorum accipere per nomen eius om-
nes, qui credunt in eum.* Et vt in
ore duorum vel trium teſtium ſtet
omne verbum, attende aliud conſi-
mile teſtimonium Pauli Apoſtoli, qui
vt teſtis eſſet eorum quæ prædixi-
mus, à Chriſto de cœlo vocatus eſt.
Referens enim, quid in ſua mirabili
conuerſione acciderit, ait: *Ananias*

Apoſtoli teſtes fuerũt diuinitatis & humanitatis Chriſti.





*Act. 22. c* *autem quidam veniens ad me, & a-
ſtans, dixit mihi: Saule frater re-
ſpice. Et ego eadem hora reſpexi in
eum. At ille dixit: Deus patrum
noſtrorum præordinauit te, vt cogno-
ſceres voluntatem eius, & videres iu-
ſtum, & audires vocem ex ore eius:
quia eris teſtis illius ad omnes homi-
nes, eorum quæ vidiſti, & audiſti.
Teſtis* (inquit) *eris eorum quæ vidiſti
& audiſti.* Quid vidit Paulus? quid
audiuit? Raptus vſque ad tertiũ cœ-
lum vidit eſſentiam Diuinam, vidit
Ieſum filium Dei, quem antea perſe-
quebatur, vidit beatorum gloriam,
electis pręparatã ante originem mun
di. Audiuit gratiæ myſteria, quæ præ-
dicaturus erat vniuerſo mundo. Au-
diuit vocem ipſius veritatis loquen-
tem ſibi. Ipſe qui vidit & audiuit hoc
*Ibid. b.* teſtatur; ait enim. *Factum eſt au-
tem, eunte me, & appropinquante
Damaſco, media die ſubito de cœlo
circumfulſit me lux copioſa, & deci-
dens in terram, audiui vocem dicen-
tem mihi: Saule Saule, quid me per-
ſequeris? Ego autem reſpondi: quis
es Domine? dixitq. ad me: Ego ſum
Ieſus Nazarenus, quem tu perſeque-*
*2. Cor. 12 a* *ris.* Et ad Corinthios ſcribens. *Scio*
(inquit) *hominem in Chriſto ante an-
nos quotuordecim, ſiue in corpore,
ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit,
raptum huiuſmodi vſque ad tertium
cælum. Et ſcio huiuſmodi homi-
nem, ſiue in corpore, ſiue extra cor-
pus neſcio, Deus ſcit: quoniam raptus
eſt in Paradiſum: & audiuit arca-
na verba, quæ non licet homini loqui.*
Vt ergo teſtimoniũ perhiberet apud
omnes homines, eorum quæ vidit, &
audiuit, reuelata ſunt illi ſecreta cæ-
leſtia per viſum, & auditum, vt eius
teſtimonium dignum eſſet, cui fides
ab hominibus adhiberetur. Vnde &
Chryſoſt. prædicta verba Actor. 22.
enarrans, & qualis eſſe debeat teſtis,
quem Deus ad munus prædicationis
elegit explicans, ait. *Vide vt rem* Chryſ. ho. 47. in Acta Apoſt. poſt med.
*extollit. Quia eris, inquit, teſtis illius.
Igitur propter hoc nõ amittes viſum,
& auditum. Super his, quæ vidiſti,
& quæ audiſti; vtriſque illis ſenſi-
bus datur nobis ſcientia. Et nunc
quid cunctaris? fugens vt baptizeris
& abluas peccata tua, inuocato no-
mine illius. Hic magnum quiddam
loquutus eſt. Non dixit, vt in nomi-
ne illius baptizeris, ſed inuocato no-
mine Chriſti, per quod monſtrat illũ
Deum eſſe. Neque enim alium quam
Deum inuocare fas eſt. Poſtea oſten-
dit etiam ſe non coactum, dum dicit:
Dominus autem dixit ad me: Vade
in Damaſcum, & ibi tibi dicetur, q̃d
te oporteat facere. Nihil ſine teſtimo-
nio, ſed ciuitatis totius teſtimonium
adducit, quæ ſcilicet etiam viderat
illum ad manus duci. Vide etiã pro-
phetiam egreſſam, quam audiuit, ſe
teſtem fore Domini. Reuera enim te-
ſtis illius fuit, & qualem eſſe oporte-
bat, & per ea, quæ operatus eſt, &
quæ loquutus eſt. Tales & nos oportet
eſſe teſtes, & non prodere ea, quæ con-
credita ſunt nobis, non de ſolis dog-
matibus, ſed etiam de vita loquor. Vi-
de enim, quod vidit, quodque audiuit,
teſtatur cunctis mortalibus, & nihil
prohibuit illum. Et nos audiuimus,
quod eſt reſurrectio, & innumera bo-
na: igitur debemus hoc teſtificari om-
nibus hominibus. At dicet quis, nonne
teſtificamur & credimus? Dic oro mi-
hi, ſi quis ſe diceret Chriſtianũ, dein-
de deficiẽs ſaperet Iudaica, numquid
ſufficeret teſtimonium illud? minime.
nam ab operibus teſtimonium quære-
rent. ita certe & noſtra eſt cauſa. Si
dicimus, quod reſurrectio eſt, ac innu-
mera bona, deinde etiam cõtemnimus
ea, & indigna hæc præſentia præſtigi-*

Paulus teſtis fuit ocularis diuinitatis Chriſti.

*mus, quis nobis credet? Omnes enim animaduertunt non quæ dicimus, ſed quæ operamur. Teſtis eris, inquit, apud omnes homines, non apud domeſticos duntaxat, ſed etiam apud infideles. Teſtium enim eſt perſuadere, nõ ſcientibus, ſed neſcientibus. Fiamus igitur fide digni teſtes. Quomodo autem erimus fide digni teſtes? à vita. Inſidiabantur illi Iudæi, inſidiantur nobis paſſiones, quæ iubent non annunciare teſtimonium, ſed ne pareamus, teſtes ſumus à Deo miſſi. Iudicatur apud homines quoſdam, Deus non eſſe Deus. Miſit nos teſtificaturos ſibi. Teſtificemur, & perſuademus cõtendentibus. Si non teſtificabimur, ſumus & nos erroris illorum rei. Si autem in ſæcularium negotiorum iudicio non ſuſcipitur teſtis multis flagitijs notatus, multo magis hic, vbi de talibus rebus conſideratur. Nos dicimus quod audiuerimus Chriſtum, & crediderimus his, quæ annunciauit: dicunt illi: Oſtendite hæc per opera. Vita veſtra contraria teſtatur, quod non creditis. Vultis ne in vſurarios, auaros, & rapaces videamus? in lugentes, plorantes, ædificantes, omniaq. agentes, quaſi nunquam morituros? ſi igitur quod moriamini, non creditis, qua re nihil certius, quomodo vobis credam teſtantibus?* Ex quibus verbis colligat Euangelij prædicator, quãta ſanctitate vitæ, ac morum honeſtate pollere debeat, vt teſtimonium illius in theatro mundi tanquam fideliſſimum recipiatur. Vt enim obſeruauimus

Sup.c.1.n. 50.c.6.nu. 28. ſupra, plus exemplum prædicatoris mouet quàm verbum: plus flectunt auditorum animos, plus corda eorum commouent recta opera ſuadentis, quàm longa & ordinata orationis eloquutio. Vnde & Chriſtus Dominus loquẽs cum Apoſtolis, ait.

Matt. 5. *Sic luceat lux veſtra corã hominib⁹, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Non ait, vt audiant eloquia veſtra compoſita, ſed *vt videant opera veſtra bona, & glorificẽt patrem veſtrum*: per illos enim, qui verbis dicunt, ſe noſſe Deum, factis autem negant, non glorificatur, ſed potius blaſphematur nomen Dei inter gẽtes.

11 *Vos teſtes mei*, &c. Martyr, vt notauit Aug. idẽ ſignificat quod teſtis. *Et teſtimonia, Græcè. martyria nuncupantur, quo verbo iam vtimur pro Latino eloquio. Vnde illos, qui propter teſtimonium Chriſti diuerſis paſſionibus humilitati ſunt, & vſque ad mortem pro veritate certarunt, nõ teſtes, quod Latinè vſque poſſemus, ſed Græcè vtique martyres appellamus.* Aug. ſuper pſ. 118. cõcione 9. 10. 8. Martyr idẽ ſignificat quod teſtis.

Igitur Apoſtolos. & omnes prædicatores Euangelij, teſtes appellat, & teſtes ſuos, vt ſciant, quoniam proprio ſanguine, ſi opus fuerit, ſuũ teſtimonium cõfirmare debent, & dictis ſuis ſubſcribere. Nõ enim merentur teſtes Ieſu Chriſti honorificum nomen, niſi qui pro fide, quam prædicant, martyrium ſubire parati ſunt. Hinc & *Apoſtoli virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri*: & pro Euangelio ꝓprium ſanguinem fundere non dubitauerũt. Act. 4. g Hinc & S. Petrus martyr hæreticorũ malleus, & inſectator acerrimus, ab ipſis gladio & pugione ꝑcuſſus, cũ loquela deficeret, & verbis fidem catholicã, pro qua patiebatur teſtificari non poſſet, digito proprio ſanguine intincto eam confirmauit, ſuper terram ſcribens. *Credo in vnũ Deum, patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* S. Petrus martyr vt teſtis ſubſcripſit fidẽ ꝓprio ſanguine. Vnde & Apoſtolus ad Hebręos ſcribens, qui multas pro religione Chriſtiana paſſi ſunt tentationes, atque aduerſariorum impugnationes, ait. *Nondũ vſque ad ſanguinem*



Heb. 12. b *guinem reſtitiſtis, aduerſus peccatũ repugnantes: & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tãquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autẽ omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerare. Tamquam filijs vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?* Quaſi dicat: Non ſatis eſt pro teſtificanda fide, & religione Chriſtiana tuẽda, mediocres perſequutiones perpeti; ipſã etiam omnium terribilium mortem oportet tolerare. Nondum vſque ad ſanguinis effuſionem pugnaſtis; obliti eſtis conſolationis, immo & coronæ, quæ pro iuſtitia vſque ad mortem certantibus repromiſſa eſt. Spes victoriæ milites fortiſſimos efficit, & vitæ propriæ contemptores, & vt acquirãt mortalem apud homines gloriã, mortis pericula non expaueſcunt, quanto magis pro immarceſcibili corona obtinenda, contemnenda eſt vita præſens? Vt ergo, ſpe immortalitatis, & gloriæ, teſtes ſuos Deus in confeſſione veritatis ſolidaret, poſtquam dixit, *Vos teſtes mei*, ſubdit iterum

Lucæ 12 a atque iterum: *Et ego Deus, dicit Dominus.* Ac ſi apertius diceret. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & non habent amplius quid faciant: ne contriſtemini, cum videritis vos abiectos in mundo, principes tenebrarum contra vos inſurgere, & varijs tormentorum generibus, aut vanis pollicitationibus, velle teſtes meos corrumpere, & in partem ſuam trahere. *Vos teſtes mei*, & vt fideles, inueniamini, interrogati à tyrannis principibus, propter conſtantẽ fidei Catholicæ confeſſionem, nunc igni tradentur corpora veſtra, nunc vrſis, & leonibus, nunc tortoribus cruentis. Teſtes Xp̃i vitã exponentes pro fide, meliorem accipiunt.

Sed attendite quod ego ſum Deus potens, pro mortali ſempiternã vitã, pro ignominia vnius diei honorem ꝑpetuum, & pro momentaneo & leui tribulationis, æternum glorię pondus retribuere. Quis enim auderet ad iudicium vocatus ferre teſtimonium, ſciens in idem coincidere, eſſe teſtem & martyrẽ, niſi Deus eſſet, pro cuius gloria, & veritate tuenda talia teſtes patiũtur incõmoda? *Vos teſtes mei, & ego Deus.* Huius repromiſsionis certiſsima expectatione, tortoribus ſuis fortiores martyres extiterunt. Parũ dico, etiam ipſa tormenta ſuperauerunt. Vnde & de Beatiſsimo Vincentio ait Aug. *In huius corpore varijs pœnis exarato iam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant.* & ipſe Vincentius inuictus ad tyrannũ: *Inſurge* (inquit) *& toto malignitatis ſpiritu debacchare, videbis me Dei virtute plus poſſe, dum torqueor, quã poſſis ipſe qui torques.* Vincentij martyris conſtantia. Theodoret. etiã conſtantiã, & inuictum animũ deſcribens eorũ, qui fœlici commercio pro terrenis cœleſtia, pro perituris commutantes cœleſtia, inter tormentorũ ſupplicia ſteterunt imperterriti, ait. Martyrum conſtantia. *Neque vero tenuem, ac ſuperinnatãtem fidem fecerunt, ſed adeo profundis nixam radicibus, vt magna hominum multitudo pro his dogmatis retinẽdis mortẽ libentiſſimẽ ſuſtinuerit, eaq. inficiari volentibus, non linguas ad defenſionem obiecerit, ſed flagris humeros, ſed lãpadibus latera, ferreis quẽ vngulis, & ceruices gladijs ſuppoſuerit, tympanis ac fidiculis extenta fuerit, palis infixa conſtiterit, ab immanibus ſe feris laniari conſpexerit. Iure igitur qui certamina hæc propoſuit, inextĩcta illos gloria illuſtrauit; memoriã quẽ factorũ nunciã tribuit, quæ potẽs ſit vires temporis ſuperare. Nam cum cætera oĩa paulatim marceſcere* Theodoretus oratione de martyrib⁹.

*ceſcere aboleriquè inſtituerit, horũ tamen gloriam incorruptã ſeruauit. Ac animæ quidem triumphatorum martyrum in cœleſti nũc patria vitã agunt, Angelorum choris interſitæ. Eorũ vero corpora non ſingula quidẽ ſingulis monumentis conduntur, ſed ciuitates, opida, paganique conuẽtus hæc inter ſe ſortitò partiti ſunt, laborantibusq. animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos confiteri nõ ceſſant. Nihiloq. ſecius vrbium cuſtodes, ac locorum præſides venerantur, quorũ precibus, & interuentu apud Deum vtentes, per eos demũ diuina munera conſequuntur.* Adducit hunc locum ad noſtrum propoſitum, & illum expendit Reuerẽdiſſimus D. Franciſcus Peña ſacræ Rotæ inſignis Auditor, & de religione Chriſtiana benemeritus, in additione ad hiſtoriã martyrũ Iaponenſium, editam per fratrem Ioannem de Sancta Maria ſacri ordi. minorum, qui in ſecundo cap. agit mirabiliter de conſtantia martyrum, oſtendẽs in illis ſex venerabilibus patribus, propter Chriſtum, & prædicationem Euangelij, cum alijs viginti Iaponẽſibus Chriſtianis cruci affixis, vnde ortum habeat conſtantia martyrum, & qualiter ſpes coronæ, atque Diuinæ gratiæ efficacia eos immobiles in confeſsione Catholicæ fidei teneat. Ibi allegat ad idem propoſitum S. Clementem Papam, & S. Dionyſiũ Areopagitã. Quid inter hæc dicemus nos miſeri, qui tantam habẽtes interpoſitam nubem teſtiũ, nequaquã currimus *per patientiam ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorẽ fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucẽ confuſione contempta?* Qualis erit eorum confuſio, qui teſtes Chriſti ſunt infideles, & pro breui delectatione ipſum negant, quem conſtanter, etiam cum mortis diſpendio, fateri teneban tur? De his loquens S. Chryſoſt. ait. *Non parua pœna nobis quidẽ ad confeſſionẽ vocatis, ſed teſtari non valentibus ea, quæ vidimus. Vidimus & nos oculis angelos, & manifeſtius his qui viderũt. Igitur teſtificabimur Chriſto; etenim non illi ſoli martyres, ſed etiã nos. Ea propter illi dicũtur martyres, quia cum iuberentur confiteri, omnia ſuſtinuerint, vt veritatẽ dicãt: & nos quando affectiones noſtræ iubent confiteri, ſuccumbimus. Aurum dicit, dic quod Chriſtus non eſt Deus: ne igitur audi tu, quaſi Deũ, ſed contemne illius præcepta. Concupiſcẽtiæ malæ idẽ dicũt, ſed tu ne perſuadeare: ſta fortiter, ne etiã de nobis dicatur, Deũ confitentur ſcire, operibus autẽ negant. Hoc .n. non eſt teſtium, ſed aduerſariorum. & quod alij quidem negant, non eſt mirabile: quod autem nos, qui ad confeſſionẽ vocati ſumus, negamus, valde graue eſt, & oneroſũ.*

S. Clem. li. 2. conſtitu. tion. Apoſtolic. c. 24. li. 5. cap. 1. S. Dion. ca. 7. de diuin. nominib.

*Heb. 12. d*

Chryſho. 47. ſuper Acta Apoſtolorum poſt med.

Martyres confuſio ſunt tepiditatis noſtræ.

*Tit. 1. d*

12 *Hæc dicit Dominus redẽptor veſter, ſanctus Iſrael: Propter vos miſi in Babylonẽ, & detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes. Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſrael rex veſter.* Ex hoc loco incipit commemorare, quomodo ſit liberaturus filios Iſrael à captiuitate Babylonica, de qua nõnulla interſerit, vt ad verã libertatẽ, quæ à peccato facta eſt, per Xp̃m denunciãdã perueniat. Hæc oĩa cũ ſuperiorib⁹ cohærent: nam hactenus loquutus eſt propheta de falſitate idolorũ, & peruerſitate hominũ, qui in ſimulachris confidunt. Babylon autem officina præcipua dęmoniorum erat: ideo adhuc iudicio cõtendit cum idolis, quæ Babylonij colebant, & in ſubuerſione Babylonis, ſuam potentiam illis manifeſtam reddit, & oſtendit metuendam: nam cum liberaret ex captiuitate





uitate Babylonica filios Iſrael, & in Hieruſalem reduceret, fugere coacti ſunt ciues Babylonis, quibus nullum idola præſtare potuerunt auxilium: & ſenſus eſt. *Propter vos*, ò Iudæi, miſi in Babylonem Cyrum Regem Perſarum, vt omnia veſtra dirumperet vincula, & fugere Chaldæos feci, qui in potentia ſua, & in multitudine nauigiorum ſuorum gloriabantur.

Quia vero, vt ſuperius diximus, per Cyrum Regem Perſarum Chriſtus Dominus in hac prophetia deſignatur, etiam illum hæc verba reſpiciunt: in quibus Pater cœleſtis nos omnes alloquitur, admonetque, ne ſimus ingrati. *Propter vos* (inquit) ò homines peccatorum vinculis colligati, ac poteſtati principis tenebrarum ſubiecti, propter vos miſi filium vnigenitum meum in Babylonem, hoc eſt in confuſionem huius ſæculi, vt mundum redimeret à peccato, & mortis confringeret vectes ferreos, atque in Hieruſalem cœleſtem eductos de carcere introduceret electos ſuos. Conſonat huic explicationi illud quod per Ioannem Saluator ipſe teſtatur. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Conſonat & illud Apoſtoli. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Xp̃s cuò miſſus fuerit propter homines.

Ioan. 3. b

*Gal. 4. a*

Nõ enim patiebatur diuina bonitas, abſque hominum conſortio, inter angelos eſſe: & quoniam per peccatum ianuæ cœleſtes clauſæ fuerant, ne inobediens homo paradiſum poſſet intrare, ipſe conditor cœli dignatus eſt coelum diſrumpere, & ad nos homo factus deſcendere, vt mortalis conuerſaretur inter mortales homines in medio Babylonis, & diſperſos Iſrael ad coeleſtem patriam reduceret. Vnde & per Hieremiã ait. *Et ponam ſolium meum in Aelam, & perdam inde Reges, & Principes, ait Dominus. In nouiſſimis autẽ diebus reuerti faciam captiuos Aelam, dicit Dominus.* Ille, quem viderat Iſaias ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, ait per Hieremiam. *Ponam ſolium meum in Aelam*, hoc eſt in mundo, vt in populo meo regnem, & aduerſarios eius diſperdam, atque in Hieruſalem coeleſtẽ reuerti faciam electos meos captiuos. In quo apparet maxime benignitas eius, qu non thronum aureum, ſed ſoliũ crucis elegit, vt inter nos regnaret occiſus, & viam qua coelum ingrederemur, oſtenderet. *Ego Dominus, &c.* ideſt, quamuis Babylonij derelicti ſint à dijs ſuis, ego tamen vos non derelinquam, ſed vt Rex & Dominus protegam populum meum, & ab aduerſarijs ſuis liberabo. Ego Dominus, quoniam omnia tradita ſunt mihi à patre meo. Et ſicut Cyrus dixit: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus*, ita & Saluator ait. *Data eſt mihi omnis poteſtas in coelo, & in terra.*

*Hier. 49 g*

Solium ponerẽ in Aelã quid ſit.

Chriſti & Cyri collatio.

*Mat. 28 d*

13 *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam. Qui eduxit quadrigam & equum: agmen & robuſtum, ſimul obdormierunt, nec reſurgent: contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt.* Occaſione ſumpta ex liberatione filiorum Iſrael facta per Cyrum à captiuitate Babylonis, redit ad denunciandam, quam nobis attulit Chriſtus libertatem. Cum enim gentes in vniuerſo mundo eſſent diſperſæ, idololatriæ deditæ, & innumeris ſubiectæ peccatis, eas Euangelij prædicatione ad ſe adduxit, atque in vnam Eccleſiam ſub vno paſtore

ſtore congregauit, quod non vulgare miraculum; ſed maximum reputari debet. Si enim vt SS. Auguſtinus & Thom. affirmant, iuſtificatio vnius impij eſt maximum opus Dei, ita vt excedat creationem vniuerſi, quid de conuerſione tot populorum quotidie ad fidem Chriſti confluentium ſentiendum erit? Vt autẽ hoc miraculum reddatur credibilius, & excellentius appareat, antequã illud vaticinari incipiat, duo alia Diuinæ potẽtię narrat miracula, ex quibus omnes conijcere valeant, & ſibi perſuadere, non eſſe impoſsibile apud Deum, quæ promiſit implere. Et in primis reducit in memoriam, quid fecerit, quando populum ſuum olim in Aegypto captiuũ adduxit in brachio extento, & viam dedit illi peruiam in mari rubro, vt ſicco pede tranſiret, ſubmerſis Aegyptijs in aquis validis: quod quidem opus celebratum fuit & notum in vniuerſo mundo. Aliud miraculum præmittit, & aliud opus manifeſtatiuum omnipotentiæ Diuinæ, illud videlicet, quo percuſsit exercitum Sẽnacherib regis Aſſyriorũ, vna nocte occidens per angelum centum octoginta quinque millia. Quam hiſtoriã tetigit Iſaias, vel, vt melius dicam, denunciauit ſupra, & nunc eam commemorat, cum ait. *Qui eduxi quadrigam & equum &c.* Exercitus enim regis Aſſyriorum abſque vlla reſiſtentia conſumptus eſt, ſicut linum ab igne conſumitur. Vno momento perierunt omnes, vt Dei opus fuiſſe dignoſceretur: & vt virtus Diuina eluceret magis in eorum excidio, aduertit, illius exercitus potentiam fuiſſe maximam, poſitã in quadrigis, equis, & equitibus, & robuſtiſſimis bellatoribus, quos nullus mortalium expugnare poterat, ſed neque impugnare quidem, aut illis reſiſtere.

Aug. tract. 72. in Ioa. poſt med. tom. 9. S.Th. 1.2. q.113.ar.9

Iuſtificatio impij eſt maximum opus Dei.

Sup. ca.10. 36. & 37.

At contra Deũ nulla eſt potentia, nulla fortitudo: quoniam *omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Iſa.40.d Et quoniam vna nocte contriti ſunt, ideo ait. *Simul obdormierunt,* ideſt obdormiſſe credebantur ab alijs: Sed non reſurgent (inquit) quia nocte tranſacta, cum alij fuerunt à ſomno excitati, apparuerũt ſuper terram cadauera mortuorum, omnibus in ſtuporem redactis, & admirationem maximam, neſciẽtes cuius virtute, aut quo debellante contrita fuerit regis Aſſyriorum potentia. Id quod ſuperius breui comprehendit ſermone. *Et ſurrexerunt mane: Et ecce omnes cadauera mortuorum.* Iſa.37.g

Exercitus Sennacheribexcidiu

14 *Ecce ego faciã noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in inuio flumina.* Incipit iam vaticinari atque explicare nouum illud miraculum, quod omnia antiqua ſimul ſumpta præcedit, in cuius comparatione, priora obliuioni tradenda videntur. Fecit Deus miraculum nouum, cum filium ſuum miſit in mundum, in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, cum Spiritum ſanctum miſit de cœlo, & Apoſtolorum corda confirmauit in gratia, cum prædicatione Euangelij, & humilium Apoſtolorum miniſterio, Chriſtum crucifixum annunciantium, qui Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, mundum rebellem, idololatriæ deditum fidei Chriſtianæ ſubegit. Et hæc ſunt noua miracula, nunc oriuntur, nunc experientia cognoſcimus illa. Ponam, inquit, in deſerto viam. Qui Chriſtum ignorant, qui idolis ſeruiunt, & peccatis ſuis in deſerto ſunt feris animantibus pleno, viam neſciunt, aqua potabili

Rom. 8. d

1.Cor.1. c



tabili carent. Via enim Chriſtus eſt, ſicut ipſe ait. *Ego ſum via, veritas, & vita,* ipſe eſt fons ſapientiæ, qui aquã ſalutarem ad ſe venientibus tribuit, de qua ad Samaritanam loquẽs dixit. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei non ſitiet in æternum: Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hanc viam (inquit) ponam in deſerto, ideſt in gentilitate, & flumina ſapientiæ, & gratiæ cæleſtis, in populo inuio. Inuius enim eſt populus, & deſertus, quem Deus deſerit, quem Angeli repellunt, per quem ſanctæ cogitationes non tranſeunt, nec habitant in illo deſideria patriæ cœleſtis. Et vt magis explicet hoc miraculum ſubdit.

Ioan.14

Ioan. 4.

15 *Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* Olim aperuit populo ſuo viam in mari rubro, ſed iam deinceps (inquit) non in mari rubro, ſed in deſerto totius mundi viam aperiam Euangelio, vt ad omnes gentes perueniat. Olim vnũ fontẽ de petra virga Moyſi bis percuſſa erumpere fecit; nunc autem, non vnum flumen, ſed flumina in deſerto ſcaturire facit, ac plures fontes, de quibus dixerat ſupra. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris.* Aquas, non quæ corpora, ſed animas ſitientes reficiant. Olim filij Iſrael, & fideles glorificabant Deum: ſed iam deinceps, etiam beſtiæ agri, *dracones, & ſtruthiones.* per quos gẽtiles, quos (vt notauimus ſupra) hæc & alia ſiluæ animalia deſignant, glorificabunt me. *Quis audiuit vmquam tale, aut quis vidit huic ſimile?* Quod ſi ad Chriſtum Dominum ſuper fœnum, & paleas, in medio duorum animaliũ poſitum

Iſai.12.

Iſai.66.c

oculos mentis conieceris, videbis bruta animalia tacito ſilentio, atque obſequio mirabili, modulo ſuo glorificaſſe Dominum, ſecundum illud quod dixerat ſupra. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Specialiter autem per dracones, malitioſæ mentes, vt notauit Gregorius, deſignantur, *quæ per terram ſemper in infimis cogitationibus repunt; per ſtruthiones vero hypocritæ, qui ſe bonos ſimulant, qui ſanctitatis vitam, quaſi volatus pennam, per ſpeciem retinent, ſed per opera non exercent. Glorificari itaque ſe Dominus à dracone, vel ſtruthione aſſerit: quia & aperte malos, & ficte bonos, plerumque ad ſua obſequia ex intima cogitatione conuertit.* Hæc ſunt noua miracula, & ſigna ſingularia dilectionis Diuinæ, de quibus Sapiẽs ad Deum loquens, ait. *Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum.* His cedant omnia portenta, quæ in lege antiqua fecit omnipotẽs. Illa non memorentur amplius, vt hæc in perpetua maneant memoria, & eximijs laudibus celebrentur. Quod & Hieremias plenius declarauit, dicens: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eũ Dominus iuſtus noſter. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltra: viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aegypti; ſed viuit Dominus qui eduxit, & adduxit ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram illos illuc: Et habitabunt in terra ſua. Propter hoc* (inquit,) ideſt, quia Dei filius miſſus eſt in mundum, & fecit iudicium & iuſtitiam in terra; quia per paſſionem & mortem eius ſaluus factus eſt ſpiritualis

Iſaiæ. 1. a

Dracones, malitioſas mentes deſignant. Greg. 31. moral.5.

Eccli. 36.a

Hier.23 b

tualis Iſrael à ſeruitute peccati, ideo non recordabuntur amplius libertatis, quam obtinuerunt per Moyſen à ſeruitute Aegypti, nec iurabũt, Viuit Dominus, qui eduxit nos de ſeruitute Pharaonis: ſed, Viuit Dominus, qui eduxit nos de ſeruitute diaboli, & diſperſos per vniuerſum orbem electos ſuos in vnam congregauit Ec-

Legis antiquæ miracula conferenda nõ ſunt cũ mirabilibus legis grãæ

clesiam. Ex quibus collige, miracula & ſigna legis antiquæ non eſſe conferenda cum ſignis & miraculis legis gratiæ. Sicut enim nouum teſtamentum tanto excellentius eſt veteri, quanto *in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*: ita & miracula quibus cõfirmatum eſt clariora ſunt, & admiranda magis. Vetus teſtamentum, & nouum ſanguinis effuſione firmatum eſt, ſed illud ſanguine vitulorum, & hircorum: iſtud ſanguine agni immaculati. De illo dicit Apoſtolus. *Lecto enim omni mandato legis à Moyſe in vniuerſo populo: accipiens ſanguinem vitulorũ & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus*. De iſto vero ait ipſe Saluator. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Et quoniam tantum beneficium, & tam inſigne miraculum voluit æterna celebrari memoria, Subdit.

Heb. 8. c

Heb. 9. e

Mat. 26 e

16 *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit*. Ac ſi apertius dicat. Ideo dedi potum populo meo ſitienti, ideo populum iſtum elegi, & formaui mihi, vt me laude perpetua dignũ eſſe annunciaret populis, & pro acceptis beneficijs gratias ageret immenſas. Quod & Petrus Apoſtolus docet, cum ait. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus: nunc autem populus Dei: qui non conſequuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſequuti*. Quæ verba, ſi cum Iſaiæ contextu conferantur, eundem prorſus ſenſum habere erit perſpicuum. Iſaias ait, Deum elegiſſe populũ ſuũ & formaſſe ſibi in laudem ſuam. Petrus vero vocat eundem populum genus electum, & populum acquiſitionis, ideſt à Deo acquiſitum, atque proprio redemptum ſanguine, vt virtutes annuncient illius. Ex quibus collige, Diuinas laudes, quæ alternatim die ac nocte decantantur in Ec-

1. Pet. 2. b

Laudes Dei vt cantent, eligũt homines à Deo.

Choro deputati vt Deo canãt inutiles nõ ſunt, ſed fœlices.

clesia, non eſſe contemnendas, nec cenſendos inutiles eos, qui deputati ſunt choro, & in decantandis horis canonicis occupantur. Licet enim maioris perfectionis opus ſit, docere populum, & ſacris ſtudijs incumbere, ad defendendam fidem Catholicam ab impugnationibus hęreticorum, intendere confeſsionum audientiæ, & ſalutem proximorũ procurare: multo tamẽ perfectius opus eſt, & excellentius hæc facere, & illa nõ omittere. Perfectiſsimę charitatis erat Propheta regius, maxima cum diligentia regnum ſibi ſubiectum gubernabat, docebat ignorantes, conſolabatur afflictos, placabat iratos, & inter fratres cõponebat diſcordias, & tamen die ac nocte, ſtatutis temporibus, Diuinis laudibus aſſiſtebat. Ait enim. *Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ*. Et iterum. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi propter iudicia iuſtificationis tuæ*. Et rurſus. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo*.

Dauid licet occupatus, laudibus intendebat Diuinis.

Pſ. 118. x

Ibid.

Pſ. 54. e

*nunciabo.*



*nunciabo*. Patres noſtri antiqui fundatores vitæ monaſticæ, atque religionis Chriſtianæ defenſores, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, & Bernardus, S. Pater Dominicus, S. Petrus martyr, S. Thomas de Aquino, S. Bonauentura, & alij ſancti, ac celeberrimi Doctores aliarum religionum, quorum doctrina fulget Eccleſia, vt Sole & Luna, multũ dediti erant ſtudio ſacrarum literarum, atque ſcholaſticæ doctrinæ, valde occupati in legendo, prædicando, & animarum ſaluti intendendo, & tamen laudibus Diuinis cũ alijs fratribus aſsiſtebant, ſcientes electos eſſe à Deo, vt laudes decantarent illius. Quod munus cũ ſit proprium angelorum in cœlo, non debent illud in terra negligere, aut deſpicere homines, qui ad ſtatum perfectionis anhelant.

17 *Non me inuocaſti* Iacob, *nec laboraſti in me Iſrael. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me*. Reddit magis commendabilem Dei miſericordiam, qui, nullis noſtris præcedentibus meritis, ſed demeritis plurimis, ſua nos mera liberalitate reparauit, & vocauit. Vn-

Vocatio Dei eſt abſque vllis nr̃is p̃cedẽtibus meritis.

de vocatio Dei nullo modo aſcribenda eſt viribus naturalibus noſtri arbitrij, aut vllis bonis operibus moralibus præcedentibus gratiam, ſeu gratuitam Dei motionem. Quamuis .n. liberum noſtrum arbitriũ, virtute ſuæ naturæ, aliqua bona opera moralia poſsit operari poſt lapſum, cũ nõ fuerit extinctum per peccatum, ſed læſum; tamen nullum opus naturæ habet ordinem ad gratuitam Dei vocationem, neque ad gratiam, nec poteſt eſſe proprie loquendo, diſpoſitio illius, etiam remota, nec meritum illius de condigno, vel de congruo. Nec eſt infallibile, quod prima dona gratiæ dentur bene operantibus, aut facientibus totum quod in ſe eſt, ex ſola facultate naturæ. Cuius ratio eſt, quam aſsignat S. Thomas. *Nam donum gratiæ excellit omnem præparationem virtutis humanæ*. Et ſicut lutum, quantumuis ſit ex natura ſua bene diſpoſitum, non conſequitur infallibiliter artificialem formam, ſed aliquando introducitur in illud, aliquando non, prout placet artifici: ita & Deus, ex duobus hominibus æqualiter per naturam præparatis, & diſpoſitis, vnum miſericorditer vocat, & ad ſe trahit, alium iuſte in ſua perditione relinquit. Habet enim poteſtatem, *ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam*. Sicut ergo gratiæ habituali repugnat, quod detur ex operibus, nam, vt argumentatur Apoſtolus, *ſi ex operibus, iam gratia non eſt gratia*, ita etiam repugnat, quod prima dona gratiæ præuenientis dentur ex operibus naturæ, aut cum illis ex certa lege infallibiliter connectantur. Nam vt idem Apoſtolus ait: *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Licet ergo Chriſtus Dominus omnes admoneat; *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis*: Et Paulus dicat; *Idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum, Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, tamen quod petamus, quod quæramus, quod pulſemus, quod inuocemus Deum, ſicut oportet, vt infallibiliter prima dona gratuita, vel iuſtificationis gratiam conſequamur,

S. Tho. 1. 2. q. 111. a. 3. in corp.

Rom. 9. e

Rom. 11 a

Rom. 4. a

Luca 10. b

Rom. 10. d

Petere, deſiderare, & pulſare nõ poteſt homo abſque auxilio grãæ

opus

opus eſt miſericordiæ Diuinæ, & auxilij eius, qui gratis omnino nos præuenit, vt hæc omnia faciamus. quod

Côc. Arau. 2. cap 3.

ſacrum Concilium Arauſicanum determinat, dicens. *Si quis per inuocationem humanam gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ prophetæ, vel Apoſtolo idē dicenti: inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.*

Iſai. 65. Rom. 10

Idē Conc. cap. 6.

Et capite 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes, & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? Et gratia Dei ſum id quod ſum.*

1. Cor. 4. Ibid. 15. Idem ca. 7.

Et capite 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiue ſaluari, ideſt Euangelizanti prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli: non quod idonei ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

1. Io. 15. a 2. Cor. 3. b

Ex quibus conſtat, gratiam Dei, ſeu motionem gratuitam, præuenire hominis voluntatem in peccato iacentis, vt medicum quærat, vt petat, & inuocet Deum, & ſanari appetat, & deſideret. Id quod in præſenti loco manifeſtiſsime tradit Iſaias, omnia opera naturæ, in negotio gratiæ, & iuſtificationis impij omnino excludens, ne glorietur omnis caro coram Deo. In primis excludit inuocationem humanam, cũ ait. *Non me inuocaſti* Iacob, quia nobis non inuocantibus, ſed peccatoribus exiſtentibus, ac reluctantibus Deo, ipſe miſericorditer nos præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt illum inuocemus, vt petamus, & deſideremus ſalutem. quod Concilium Arauſicanum locis allegatis docuit. Secundo excludit omne opus ex ſolis viribus naturæ procedens, cum ait. *Nec laboraſti in me Iſrael*, ideſt, labor operum, quæ non procedunt ex auxilio meo ſpeciali, nihil valet in ordine ad tuam iuſtificationem & ſalutem, vt verax inueniatur qui dixit. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Tertio excludit legis omnia ſacrificia, omnes oblationes, & victimas, quaſi omnino inutiles, vt propter hæc iuſtificationis gratia, aut Diuina miſericordia concedatur. *Non obtuliſti* (ait) *mihi arietem, &c.* ideſt, quãuis obtuleris ouem, & mactaueris victimam, & holocauſtum igne conſumpſeris, non tamen propter hæc ſalutem conſequeris, & gratiam. Non hæc à te requiro, quia *miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Nolo referas vllo modo ſpiritualem ſalutem in literam, quæ occidit, ſed in ſpiritum viuificantem, qui deſiderium ſalutis, fidem, & dilectionem inſpirat: vnde & ſuperius dixit. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit Dominus, plenus ſum. Holocauſta arietũ, & adipem pinguium, & ſanguinem*

Naturæ opera nihil valent de ſe ad conſequutionē gratiæ.

Tit. 3. b.

Matt. 9. b

Legis opera nihil cõducunt ad conſequutionē grã.

Iſai. 1. c

*vitu-*



*vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis?* Quarto excludit omnem oblationem aliarum rerum, quæ in cultum Dei exterius offeruntur, thuris videlicet, & calami, oſtendens minime his rebus Deum placari: Quod dicens *non inebriaſti me*, aptiſsime explicuit. Hac enim phraſi loquendi ſignificare voluit id quod per Pſalmiſtam dixit. *Nũquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* ideſt, non me lætificant, non ſunt mihi grata hæc ſacrificia, aut oblationes, quæ ex rebus materialibus offeruntur. Cor contritum, & humiliatum requiro. *Sacrificium Deo* (inquit Pſalmiſta) *ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum* Deus *non deſpicies.* Sed quod humiliatum ſit cor & contritum, ille largitur, quia *præparatur voluntas à Domino.* Per *calamum* autem, gloſa intelligit ſurculum, aut ramuſculum cuiuſdam arboris aromaticæ, quo in ſacrificijs vtebantur. Nicolaus de Lyra *Calamus* (inquit) *eſt vna de quatuor ſpeciebus aromaticis, quæ ponebantur in thymiamate.* Plinius conſentit, & ait. *calamum ſimilem arundini eſſe, tactu mollem, & ſuauiſsimi odoris.*

Pſ. 49. c

Pſal. 50.

Prou. 8.

Calamus quid ſit.

Plin. lib. 12 naturalis hiſt. ca. 20.

18 *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Hebræi præſentem locum exponunt de patiẽtia Dei, longaminiter peccatores ferente. Verumtamen multo melius cohærent ſequentia cum præcedentibus, ſi de Chriſto Domino intelligantur. Quia enim homo per ſe ipſum non poterat Deo pro peccatis ſuis ſatiſfacere, aut aliquid illi acceptabile offerre, filius Dei formam ſerui accepit, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Et in ſeruili habitu multos pro peccatis noſtris labores pertulit, & dolores. Ait enim Apoſtolus. *Quanto tempore heres paruulus eſt, in nihilo differt à ſeruo.* Dei filius, heres per naturam eſt patris, ſicut ait Apoſtolus. *Nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.* & cum eſſet magnus, pro nobis ex virgine natus eſt paruulus, in nihilo diſtans à ſeruo. Natus, plorat vt ſeruus, patitur vt ſeruus, circumciditur vt ſeruus, inter peccatores baptizatur vt ſeruus, ieiunat vt ſeruus, flagellatur vt ſeruus, ac denique inter duos latrones cruci affigitur vt ſeruus, *cum ſit Dominus omnium.* Igitur in perſona Chriſti ad peccatorem loquens, ait, *ſeruire me feciſti* ò homo *in peccatis tuis.* Hæc fuerunt tua merita, hæc dona, quæ ex tuo obtuliſti mihi, peccata videlicet, quæ me ſeruum fecerunt, & compulerũt mori. Non ergo tibi tribuas, quod ſaluus ſis factus, & mundatus à peccato, & reconciliatus Deo. *Ego ſum* qui te miſericorditer creaui, *ego ſum* q gratis te redemi & pro nihilo, .i. abſq; tuis præcedẽtibus meritis, ſaluũ feci. Non propter te, nõ propter bona opera, ſed *propter me* iniquitates tuas portaui. Iacob pro Rachel ſeptem annis ſeruiuit; tu autem triginta tribus *ſeruire me feciſti* pro peccatis tuis. Seruiui, & laboraui, vt mihi Eccleſiam tamquam ſponſam ſociarem, pro qua propriũ ſanguinem effudi, vt eam redderem glorioſam, *non habentem maculam aut rugã, aut aliquid huiuſmodi, ſed*

Philip. 2. a

Xpo multos dolores præbuit homo.

Galat. 2. a

Heb. 1. a

Ibid.

Peccata habet homo à ſeipſo.

Xps pro Eccleſia ſeruiuit 33. annis, ſicut Iacob 7. pro Rachel.

Epheſ. 5.

f

*vt ſit*

*vt ſit ſancta, & immaculata*. Venudatus eſt Ioſeph, & ſeruus factus in Aegypto, vt Chriſtum Dominũ, qui pro peccatis noſtris triginta argenteis diſtractus eſt, deſignaret. Vnde & Ambroſ. ait. *Venditus eſt Ioſeph in Aegypto, quia Chriſtus venturus erat ad eos, quibus dictum eſt: peccatis veſtris venditi eſtis, & ideo ſuo ſanguine redemit, quos propria peccata vẽdiderant. Sed venditus Chriſtus conditionis ſuſceptione, non culpæ: peccato alieno tenetur, quia peccatum ipſe non fecit*. Pretio igitur noſtro debitum, non ſua era contraxit. *Chyrographum ſuſtulit, fœneratorem remouit, exuit debitorem, vnus exſoluit quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire ſeruitio, ſuſcepit hoc ille pro nobis, vt ſeruitutem mundi repelleret, libertatem paradiſi reſtitueret, gratiam nouam, conſortij ſui honorem relinqueret*. Ex his manet confutata hęreſis Pelagiana, quæ, teſte Auguſtino, aſſeruit, gratiam ſecundum merita noſtra dari, libero tribuens arbitrio, quod in ſolam Dei miſericordiam, & in gratuitã electionem illius referendũ erat. Nos autem ab Apoſtolo edocti, & à ſancto Auguſtino, & alijs doctorib' ſacris, humiliter fateamur, nõ propter iuſtitias noſtras, aut propter bona opera moralia antecedentia, ſed propter magnam miſericordiam ſuam, de tenebris nos vocaſſe in admirabile lumen ſuum *vt in ſæculis ſuperuenientibus oſtẽderet abũdantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos, in Chriſto Ieſu*. In cuius ſignum loquens Moyſi, ad Iſrael ait. *Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem, cum propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Neque enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt poſſideas terras earum: ſed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ ſunt: & vt compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob. Scito ergo, quod non propter iuſtitias tuas* Dominus Deus *tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cum duriſſimæ ceruicis ſis populus. Memento, & ne obliuiſcaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum* Deum *tuum in ſolitudine. Ex eo die, quo egreſſus es ex Aegypto vſque ad locũ iſtum, ſemper aduerſum Dominum contendiſti*. Si ergo Deus non ſuſtinet, quod filij Iſrael ſibi tribuant, aut propriæ virtuti, quod trans Iordanem terram poſſederint optimã, quã deteſtabiles atque odibiles erũt Deo, qui in errorem Pelagij declinantes, propriæ induſtriæ, vel operibus tribuunt, quod educti à ſeruitute peccati, ad gloriam peruenerint, & libertatem filiorum Dei? *Ego ſum*, Dicit Dominus, *ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*.

Ambr. lib. de B. Ioſeph.

Aug. epiſt. 107. to. 2.

Opera bona moralia peccatoris ad quid valeant.

Eph. 2. b

Deut. 9. a

19 *Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul, narra ſi quid habes vt iuſtificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me. Et contaminaui Principes ſanctos: dedi ad internecionem Iacob, & Iſrael in blaſphemiam*. Vocat ad iudiciũ peccatores, vt oſtendat, quod non propter præcedentia eorum merita, ſed propter ſuam miſericordiam eos redimere, & à peccatis liberare decreuerit. *Iudicemur ſimul* (inquit) ideſt, ſtemus in iudicio, narra quã feciſti iuſtitiã, vt propter illam, miſericordiam conſequaris, & gratiam. Conſidera opera tua

ra tua



ra tua, & inuenies, nullum apud me valorem habere, vt veraciter dicere poſſis. *Omnes iuſtitiæ noſtræ tamquam pannus menſtruatæ*. Peccatore autem præ confuſione tacente, & nihil in ſe inueniente, quo poſſit Deum placare, contra illum obijcit Dominus. *Pater tuus primus peccauit*: ac ſi apertius dicat. In hoc cognoſces, me non propter te, aut patres tuos, ſed *propter me*, Saluatorem in mundum miſiſſe; quia *pater tuus primus*, ideſt Adam, *peccauit*, à quo peccatum originale traxiſti. Quid ergo ex corrupto capite, niſi corruptionem hereditare potuiſti? Nec ſolum ille primus omnium parens peccauit, & peccato ſuo totam cõmaculauit naturam, ſed etiam *interpretes tui*, ideſt, Moyſes, & Aaron, qui inter te & me ad modũ interpretum medij loquebantur, *præuaricati ſunt*. Vnus enim ex illis inſanienti populo, & idolum quærenti, permiſit vt fieret: alter vero primam fortaſſe vitam habuit peccatricem; nam percuſſum Aegyptium abſcondit in ſabulo. Principes etiam tuos contaminaui, ideſt contaminari permiſi, ita vt ex omnibus viris bellatoribus, qui egreſſi ſunt ex Aegypto, pauci ad terrã promiſſionis intrauerint. Denique dilectum meum Iacob, ideſt populum meum electum ob peccata ſua morti tradidi, & Iſrael paſſus ſũ incidere in peccatum blaſphemiæ: in quo ergo poteris habere fiduciam? Igitur non propter te, aut parentes tuos, non propter cognatos, & principes tuos, non propter ſacerdotes, & duces antiquos, ſed propter memetipſum auxiliatus ſum tibi, *omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei*.

Iſa. 64. b

Exod. 32.

Rom. 3. c

20 Hinc colligitur, non oportere nos eſſe anxios, vt patres illos veteres à peccatis leuibus excuſemus, quandoquidem *ſepties in die cadit iuſtus*, & reſurgit. Non ergo mirum quod Dauid ſecundum cor Dei ſemel aut iterũ grauiter deliquerit, & quod alij viri quamplurimi ſanctitatis inſignis, aliquando à propria concupiſcentia victi fuerint. Collige ſecundo, multoties accidere, eos, qui in oculis hominum apparent ſancti, & irreprehenſibiles, apud illum qui intuetur cor, multis imperfectionibus commaculatos eſſe, etiam ſi Moyſes aut Abraham, aut Samuel adducantur in medium. Quod & Propheta regius his verbis declarauit, dicens. *Moyſes, & Aarõ in ſacerdotibus ei⁹, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos, & in columna nubis loquebatur ad eos. Cuſtodiebãt teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis. Domine Deus noſter tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum*. Vide quot & quanta bona de tribus viris ſanctiſsimis dixerit, eos inter perfectos enumerando, & inter ſpirituales viros, cum quibus loquutus eſt Dominus, quorum & orationes audiuit. Sed quoniam in conſpectu Dei non iuſtificatur omnis viuens, eorum adinuentiones, & peccata commemorat, & *vlciſcens* (inquit) *in omnes adinuentiones eorum*. Quæ fuerint peccata Moyſi, & Aaron, ex Scripturis ſacris ſuperius adductis manifeſtiſsimum eſt: at Samuelis nullam adinuentionem, nullum delictum ſacra narrat hiſtoria. *Quid fecit Samuel infans* (ait Auguſtinus) *ad templum datus? omnes ætates ſuas inter ſancta Sacramenta Dei peregit, ab ineunte ætate famulus Dei: nihil vmquam dictũ eſt de Samuele, nihil ab hominibus.*

Prouer. 24. d

Sancti multi apparẽt in oculis hominũ q apud Deũ reprehenſibiles ſunt.

Pſa. 98. b

Moyſes, Aaron, & Samuel quales fuerint.

Samuel puniſ à Deo, & qualiter

Aug ſuper Pſalm. 98.

Nouerat

*Nouerat ibi forte Deus aliquid quod
purgaret : quia & quod perfectum
iam videtur hominibus, illius perfe-*
Simile. *ctioni adhuc imperfectum eſt. Ple-
raque faciunt artifices, & oſtendunt
imperitis, & cum iam iudicauerint
imperiti eſſe perfecta, expoliunt il-
la artifices, qui nouerunt adhuc quod
illis deſit, vt mirentur homines tan-
tam expolitionem rebus accidiſſe,
quas iam perfectas pronũciauerunt.
Fit hoc & in ædificijs, & in veſtibus,
& prope in omni genere artium, pri-
mum iudicant illud iam quaſi perfe-
ctum eſſe, vt oculi eorum amplius ni-
hil deſiderent. Sed aliud iudicat ocu-
lus imperitus, aliud iudicat artificis
regula. Sic & illi ſancti verſaban-
tur ante oculos Dei, tamquam ſine
culpa, tanquam perfecti, tamquam
angeli : nouerat autem quid illis de
eſſet, qui vindicabat in omnes affe-
ctiones eorum. vindicabat autem
non iraſcens, ſed propitius, ad hoc vin
dicabat, vt perficeret coeptum, non
vt damnaret eiectum.* Cũ ergo Deus
ſit ſupremus virtutis, & ſanctitatis
artifex, qui ſolus per naturam eſt ſan
ctus, & per gratiam alios ſanctifi-
cat, ipſe ſolus perfecte poterit iudi-
care, quid ſanctis viris deficiat, vt
conformes ſint imaginis filij ſui.

21 *Tu autem memento vt iudi-
cemur ſimul. Narra ſi quid habes
vt iuſtificeris.* Septuaginta interpre-
tes ſic transferunt iſtum locum. *Tu
vero memento & iudicemur. Dic tu
iniquitates tuas primus, vt iuſtifice-
ris*. S. Hieronymus aduertit, *illud,
iniquitates tuas primus*, additum
eſſe à ſeptuaginta ſenioribus, nec
haberi in textu Hebræo. Hac tranſ-
latione vtuntur communiter veteres
Ambro. Patres. Ambroſius lib. 2. de pœni-
Aug.to.10. tentia cap. 6. & 7. Aug. ſerm. 130.
Hieron. de tempore. Hieronymus in præſen-
ti. Chryſoſt. in illa verba Pſal. 50. Chryſ.to.1
*auerte faciem tuam à peccatis meis*.
Hylarius, ſuper Pſalm. 125. qui præ- Hylarius.
ſentem locum interpretantur de Sa-
cramento pœnitentiæ, de quo ſupe-
rius diximus, eſſe intelligenda ver-
ba illa eiuſdem Prophetæ. *Laua-* *Iſa. 1. c*
*mini, mundi eſtote, auferte malum
cogitationũ veſtrarũ ab oculis meis,
quieſcite agere peruerſe, & venite
arguite me : dicit Dominus : Si fue-
rint peccata veſtra vt coccinum, qua-
ſi nix dealbabuntr: & ſi fuerint ru-
bra quaſi vermiculus, velut lana
alba erunt*. Quæ duo loca, ſi ad-
inuicem conferantur, parum inter ſe
diſtare apparebit, & ambo ſimul vim
& efficaciam ſacramenti pœnitentiæ,
ſicut à Chriſto Domino inſtitutum Sacramẽti
eſt, & conditiones illius manifeſtiſſi- pœnitẽtiæ
me explicare. Ad cuius euidentiam natura;
conſiderandum eſt, quod ſacramen-
tum pœnitentiæ, eſt quoddam ſpiri-
tuale iudicium, in quo ſacerdos no-
mine Chriſti locum tenet iudicis. Ab
illo enim habet poteſtatem ligandi
atque ſoluendi, ſecundum illud quod *Ioan. 20*
dixit Apoſtolis, *Accipite Spiritum* In pœnitẽ
*ſanctum, quorum remiſeritis pecca-* tiæ ſacra-
*ta, remittuntur eis, & quorum reti-* mento pec
*nueritis retenta ſunt*. Peccator au- cator eſt ac
tem eſt reus, accuſator, & teſtis. Vt cuſator &
reus, iudicatur; vt accuſator, & te- teſtis.
ſtis, ſeipſum accuſat, ſacerdote pro
tribunali ſedente, & propria delicta
profert, & teſtificatur ore proprio
in præſentia iudicis, & tandem à mi-
niſtro Chriſti, & Eccleſiæ abſoluitur,
poſt ſuorum delictorum lacrymabi-
lem confeſſionem abſoluitur, vel ſi
impœnitens fuerit, & à peccatis re-
ſipiſcere noluerit, ligatur. Hæc om-
nia in verbis inductis Iſaiam prænũ-
tiaſſe reperies. Quod enim ſacra-
mentum pœnitentiæ ſit quoddam iu-
dicium inter peccatorem, & Deum,





quod in præſentia ſacerdotis peragi-
Sup.cap.1. tur, oſtendunt verba illa, quæ ponde-
num.52. rauimus cap. 1. *& venite, arguite me.*
Sed clarius id explicat, cũ ait. *Iudice-
mur ſimul*. Deꝰ obijcit peccatori in-
numera beneficia, quę miſericorditer
cõtulit illi, & ingratitudinẽ maximã,
qua talem & tã magnificũ benefacto-
rẽ innumeris peccatis offendit: ꝓpter
q̃ pœnã inferni toties promeruit ęter
nã. Peccator verò Dei clementiam &
bonitatẽ agnoſcens, ſuã deflens infir-
mitatem cum amaritudine animi, ad
memoriã reuocat q̃ cõmiſit peccata,
ea deteſtando ꝓpter Deũ, cum ſpe ve
niæ obtinendæ, & ꝓpoſito cauendi in
futurũ, & nullam inueniens ſuæ ingra
titudinis excuſationem, humiliter, &
patenter illa detegit ſacerdoti, ſe ac-
cuſat, & confitetur clare & diſtincte
oĩa peccata, eorũ grauitatem expen-
dendo; in quo munus accuſatoris exe-
quitur, teſtis, & rei. Sed dũ hęc opera-
tur præuentus auxilio gratiæ diuinæ,
cauſã ſuã tuetur, ſibi obiectis ex par-
Peccatorũ te Dei in iudicio reſpondet, & ſe prę-
conſidera- parat, vt cauſam vincat, & ſentẽtiã fa-
tio p̃mittẽ uorabilẽ obtineat. Quæ oĩa breui ſer-
da ante ſa- mone cõprehendit Propheta, cũ in ꝑ-
cramentũ ſona Dei loquens ait. *Tu aũt memẽto*
pœnitẽtiæ. *vt iudicemur ſimul.* præparationẽ .n.
inſinuat, qua peccator debet ad ſa-
cramentalẽ cõfeſſionẽ accedere: Me-
mento, inquit, quaſi interruptũ, & cõ-
ciſſum relinquens ſermonẽ, vt pœni-
tentes admoneat, eſſe quãplurima, q̃
illos oportet in illo articulo ad me-
*Hier. 2. d* moriã reuocare: ac ſi apertius dicat.
*Memento q̃a malũ, & amarũ eſt re-
liquiſſe te Dñm Deum tuũ. Memẽto*
*Eccl. 12. a* *creatoris tui, in diebus iuuẽtutis tuæ,
antequã veniat tẽpus afflictionis, &
appropinquent anni de q̃bus dicas, nõ*
*Eccli. 7. b* *mihi placent. Memẽto iræ, q̃a nõ tar-
dabit. Memor eſto vnde excideris, &
age pœnitẽtiã, & prima opera fac: Sin
aũt, venio tibi, & mouebo candelabrũ* *Apoc. 2. b*
*tuũ de loco ſuo, niſi pœnitentiã egeris.
Memẽto* q̃ feceris mala, & omnia tua
peccata, diligẽti inquiſitione præmiſ-
ſa, ad memoriã reuoca. Memor eſto *Ioel. 2. c*
Dñi Dei tui, *quia benignus, & miſe-
ricors eſt, patiẽs, & multæ miſericor-
diæ, & præſtabilis ſuper malitia.*

22 Cum aũt ſubdit. *Dic tu iniqui-
tates primus*, oris confeſſionẽ decla-
rat, qua peccator ſacerdoti peccata *Rom. 10 b*
ſua detegit: *ore .n. confeſſio fit ad ſalu
tẽ. Dic primus*, inquit. in quibus ver-
bis duo inſinuat cõſideratione digna.
Alterũ eſt, cõfeſſionẽ ſacramentalem
debere eſſe volũtariã, prõptam, & aſ-
ſiduã, ita vt peccator tẽpus cõfeſſio-
nis ab Eccleſia ſtatutum p̃ueniat. Dic *Eccl 5.*
tu prius iniquitates tuas. *Non tardes
conuerti ad Dñm, nec differas de die
in diem*, noli eſſe inimicus propriæ
ſalutis. Accede libenter ad pedes
ſacerdotis, medicus eſt .n. animæ tuæ.
Narra illi infirmitatem tuam : *dic tu
prius iniquitates tuas*, reuela plagas
animæ tuæ. non expectes q̃ miniſter
Chriſti importunis interrogationibꝰ
peccata extorqueat de ore tuo : eſto
prius ſollicitus in dicẽdo, ne ille mo-
leſtus ſit tibi interrogãdo. Alterũ ve-
ro eſt, confeſſionẽ ſacramentalẽ ver-
bis faciendã eſſe p̃ſenti ſacerdoti, nõ Aug. lib. de
autem ꝑ ſcripturã ſacerdoti abſenti, vera & fal-
Ideo inquit, *Dic iniquitates tuas, nar* ſa pœnitẽ-
*ra ſi q̃d habes* : nõ inquit, Scribe: mit- tia. & re-
te litteras, ſed *dic, narra*. In cuius ſi- titur cap.
gnum leproſis mundandis, vt notauit quem pœ-
Aug. præcepit Saluator. *Ite, & oſten* nitet, de
*dite vos ſacerdotibus, &c.* Vnde ſacer- poenit. d. 1.
dos qui pœnitẽtẽ abſentẽ abſolueret *Lucæ 17*
ꝑ litteras, etiã in caſu extremæ neceſ Abſolutio
ſitatis, & grauiter peccaret, & verum per litteras
nõ conficeret ſacramentũ, nec oppo non eſt ſa-
ſita ſententia vllã probabilitatẽ ha- cramenta-
bet, Sed de hoc in 4. ſententiarum, do- lis, nec in
ctores ſcholaſtici agunt ex profeſſo. aliquo ca-
ſu licita.
Doct. in 4.
d. 17. & 18

# CAPVT LXIV.

ET nunc audi Iacob ſerue meus,& Iſrael quē elegi : Hęc dicit Dñs faciens & formās te,ab vtero axiliator tuus : noli temere ſerue meus Iacob,& rectiſsime , quē elegi . 2. Effundā enim aquas ſup ſitientē,& fluenta ſuper aridam : effundam ſpiritum meū ſuper ſemen tuū , & benedictionē meam ſuper ſtirpem tuā . 3. Et germinabūt inter herbas quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas. 4. Iſte dicet : Dñi ego ſum:& ille vocabit in nomine Iacob,& hic ſcribet manu ſua : Dño: & in nomine Iſrael aſsimilabitur. 5. Hæc dicit Dñs rex Iſrael,& redemptor eius Dñs exercituum: Ego primus, & ego nouiſsimus, & abſq. me non eſt Deus . 6. Quis ſimilis mei ? vocet,& annunciet : & ordinē exponat mihi, ex quo conſtitui populū antiquum : ventura & quæ futura ſunt annuncient eis. 7. Noli timere,neq. conturbemini : ex tunc audire te feci , & annunciaui : vos eſtis teſtes mei.nūquid eſt Deus abſq. me,& formator,quē ego non mouerim? 8. Plaſtæ idoli oēs nihil ſunt,& amantiſsima eorū non proderunt eis . ipſi ſunt teſtes eorū,quia non vident, neq. intelligunt,vt confundantur . Quis formauit Deū, & ſculptibile conflauit ad nihil vtile? Ecce oēs particepss eius confundentur : fabri .n. ſunt ex hominibus: conuenient oēs,ſtabunt & pauebunt, & confundentur ſimul.Faber ferrarius lima operatus eſt:in prunis,&in malleis formauit illud,& operatus eſt in brachio fortitudinis ſuę:eſuriet & deficiet, non bibet aquā,& laſſeſcet . Artifex lignarius extēdit normā, formauit illud in rūcina: fecit illud in angularibus,in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominē habitantem in domo. Succidit cedros,tulit ilicē,& quercū , quę ſteterat inter ligna ſaltus. 9. Plantauit Pinū,quā pluuia nutriuit. Et facta eſt hominibus in focū: ſumpſit ex eis,& calefactus eſt : & ſuccendit, & coxit panes : de reliquo aūt operatus eſt Deū,& adorauit: fecit ſculptibile,& curuatus eſt ante illud . 10. Medium eius combuſsit igni, & de medio eius carnes comedit : coxit pulmentū, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt , & dixit : Vah calefactus ſum , vidi focum. Reliquū autem eius Deum fecit & ſculptibile ſibi:curuat ſe ante illud,& adorat illud,& obſecrat,dicēs: Libera me, quia Deus meus es tu . Neſcierunt, neque intellexerunt: obliti enim ſunt ne videant oculi eorum , & ne intelligant corde ſuo.

Non



Non recogitant in mente ſua,neque cognoſcunt, neque ſentiunt , vt dicant: Medietatē eius combuſsi igni, & coxi ſuper carbones eius panes:coxi carnes,& comedi,& de reliquo eius idolum faciā?ante truncū ligni procidam? Pars eius cinis eſt : cor inſipiens adorauit illud, & non liberabit animam ſuam,neque dicet : Forte mendaciū eſt in dextera mea. 11. Memento horū Iacob,& Iſrael, quoniā ſeruus meus es tu.formaui te,ſeruus meus es tu Iſrael,ne obliuiſcaris mei. 12. 13. 14. Deleui vt nubem iniquitates tuas,& quaſi nebulā peccata tua: reuertere ad me,quoniā redemi te . 15. Laudate cœli,quoniam miſericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, reſonate montes laudationem , ſaltus & omne lignum eius : quoniam redemit Dñs Iacob, & Iſrael gloriabitur . Hęc dicit Dominus redēptor tuus , & formator tuus ex vtero:Ego ſum Dñs,faciens omnia,extendens cęlos ſolus,ſtabiliens terrā,& nullus mecum. 16. Irrita faciens ſigna diuinorum , & ariolos in furorē vertens. Conuertens ſapientes retrorſum: & ſcientiā eorū ſtultam faciens. Suſcitans verbum ſerui ſui,& conſilium nunciorum ſuorum complens . Qui dico Ieruſalem : Habitaberis; & ciuitatibus Iuda : Aedificabimini , & deſerta eius ſuſcitabo . Qui dico profundo : Deſolare , & flumina tua arefaciam . Qui dico Cyro : Paſtor meus es,& omnem voluntatem meam complebis . 17. Qui dico Ieruſalem : Aedificaberis ; & templo : Fundaberis .

## SVMMA CAPITIS.

*PROSEQVITVR Iſaias in hoc capite materiam præcedentis . Et in principio illius blandè alloquitur electos Dei , miſericordiam illis repromittens, & aquas largiſſimas gratiæ quibus Spiritu ſancto de cœlo veniente, tota irrigetur Eccleſia, & fructus proferat ſpirituales . Vbi ſimul etiam agit de baptiſmo , cuius virtute regenerantur homines in ſpem vitæ æternæ. De quo à principio capitis, vſq; ad verſ.* Et germinabūt inter herbas.

*Secundò, explicat in quo ſumma religionis conſiſtat Catholicæ. quia non in iuſtitijs carnis, ſed in fide, ſpe, & in dilectione poſita eſt: quarum virtutum normam tribuit. Verſiculo.* Iſte dicet, Domini ego ſum .

*Tertiò, ſermonem transfert ad id, quod in capite præcedenti de vanitate dixerat idolorum, oſtendens, non poſſe Domino conferri . A verſiculo.* Hæc dicit Dominus rex Iſrael . *vſque ad verſiculum .* Memento horum Iacob . *Vbi latiſsimè oſtendit, omnia idola opera eſſe manuum hominum, ex diuerſis materijs, multò labore & induſtria, ac non modicis expenſis fabricata .*

*Quartò, ſermonem ad populum Chriſtianum conuertit, illum exhortās , vt abiectis idolis, in Deo omnem ſpem ſuam conſtituat : quoniā ipſe ſolus deleuit iniquitates eius . Verſ.* Memento horum Iacob . *Vbi more ſuo ad gratiarum*

Ee actio-

actionē pro acceptis beneficijs omnes inuitat, dicens: Laudate cœli quoniā misericordiam fecit Dñs, &c. *Et conſequenter commemorat, quæ fecit Dominus mirabilia, ne vnquam obliuioni tradantur, de quo agit vſq; ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1 *ET nunc audi Iacob ſerue meus, & Iſrael quē elegi: hæc dicit Dominus faciens, & formās te, ab vtero auxiliator tuus: noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſsime, quem elegi.* In capite præcedenti hæc eadem, aut alia fere cōſimilia verba pluries dixit, quibus electos ſuos maximè conſolatur, & nūc eadem repetit, ad firmandā ſuorum ſpem. Habet aūt hoc caput cum præcedenti magnam connexionem. Prędixerat .n. Dominus per Prophetam.

Iſai. 43. d

*Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recerdabor.* Nunc inſuper ſpiritualia dona, eaq. in maxima abūdatia repromittit. Quid ſimile reperies apud Ioelem;

Ioel 2. d

*Zelatus* (inquit) *eſt Dominus terrā ſuam, & pepercit populo ſuo: Et reſpōdit Dominus, & dixit populo ſuo: Ecce ego mittā vobis frumentum, & vinū, & oleū, & replebimini eis: & non dabo vos vltra opprobiū in gentibus.* Vide quāta bona remiſſionē peccatorum, gratis à Deo factam, conſequantur, quæ per frumentum, vinum, & oleum deſignauit. Et, vt eorum affluentiam deſignet, replebimini (inquit) eis. More autē ſuo Iſaias, vt attētum reddat auditorem, vocat populū fidelem Iacob, & Iſrael, quē Deus elegit, inſuper & quædā priſtina eius beneficia commemorat. *Ab vtero* (inquiens) *auxiliator tuus.* Dominus ſe auxiliatorē dicit ab vtero, eo quod Iacob tenentē plantam fratris ſui Eſau, in vtero matris adiuuerit, nullis eius præcedentibus meritis, iuxta Malachiæ ſententiam, quā referent Apoſtolus, ait.

Remiſſionē peccatorū quæ bona conſequantur.

Rom. 9. e

*Cū enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (vt ſecūdum electionē propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictū eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Nos autem gratias ſūmas Deo noſtro agere debemus: quoniā ab initio vitæ in hunc vſque diē ſeruauit nos: & multis auxit beneficijs, vt ex præteritis donis acceptis confirmemur, in poſterum Deū non defuturum. Iſraelem rectiſſimum appellat: alijs enim errātibus, Iſrael fidelis permanſit, & Deū agnouit, & rectus habitus eſt in teſtamēto eius. Iſrael, inquam, non carnalis, ſed ſpiritualis, qui in fide & dilectione imitatur Abrahā. Rectiſsimi fuerunt Apoſtoli, rectiſsimi ſancti Martyres, & Cōfeſſores, quos rectos corde dixit Dauid.

Pſal. 31. d

*Lætamini* (inquiens) *in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Et ideo rectiſſimi, quoniā electi ſunt ab illo ante mūdi conſtitutionē, vt eſſent ſancti, & immaculati coram eo. Rectiſsimi, quia viam rectam perambulant, non tortuoſam ſerpentis antiquæ, quia primæ regulæ, hoc eſt voluntati diuinæ conformes erant, nulla peccatorum obliquitate diſtorti.

2 *Effundam enim aquas ſuper ſitientē, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritū meum ſuper ſemē tuum, & benedictionem meā ſuper ſtirpem*





*tuam.* Cōſonant hęc verba cum, illis quæ in ſuperiori capite prædixerat.

Iſai. 43 e

*Ponā in deſerto viam, & in inuio flumina, glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darē potum populo meo, electo meo.* In vtroque loco admonemur, nos aridos eſſe & ſteriles, &, ſicut ait Propheta,

Pſal. 62. a

*terra deſerta, inuia, & inaquoſa*, ita vt omnes dicant Deo. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Quē fructū proferet terra inculta, & agreſtis, arida, & ſicca?

Gratia carens terra eſt arida.

Pſ. 142. a

At miſericors Dominus, quibus cōdonauit peccata, aquas largiſſimas repromittit, aquas ſalutares, quibus arida terra in delitias, & ſterilis in fœcunditatē vertatur, videlicet aquā cæleſtis ſapientiæ, atq. aliorum donorū, aquam viuam ſalientē in vitam æternā.

Pſal. 71 d

*Effundam* (inquit,) non erunt *ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, nō ad menſuram dabit Deus ſpiritum, ſed, iuxta Ioelis vaticiniū, effundet illum ſuper oēm carnē, abundēter, affluēter, ſicut expertus fuerat qui dixit,

Cant. 1. a

*Oleum effuſum nomen tuū. Et, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctū, qui datus eſt nobis.* Et notādū, quod eoſdem appellat Propheta, ſemen, & germen, ideſt, poſteritatem Iacob, quos prius dixerat ſitientē, & aridā, quia potens eſt Deus de arida, & terra ſitiēti, immo & de lapidibus iſtis filios Abrahæ, & Iacob ſuſcitare.

Abrahæ filios ex lapidibus facit Deus.

Per aquas & flumina, Spiritū ſanctum intelligit, ſicut ipſe Propheta exponit. Prius .n. dixit, *effundam aquas*, & ſtatim ſubdit, *effundā ſpiritum meum*, vt ſciamus, per aquas Spiritum ſanctū deſignari, ſicut & Ioan. 7.

Ioan. 7. f

*Si quis ſitit veniat ad me & bibat, qui credit in me (ſicut dicit Scriptura) flumina de ventre eius fluēt aquæ viuæ. Hoc aūt dixit de ſpiritu, quē accepturi erant credentes in eū.* Quē autē fructū terra proferat, ſuper quā diffuſus eſt ſpiritus Domini, manifeſtat, cū ſubdit.

3 *Et germinabunt inter herbas quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.* Senſus eſt. Florebit Iſrael atque in viriditate perpetua permanēs, ſpirituales proferet fructus, non ſecus quam ſi ſeminatus eſſet inter herbas, quæ cito creſcūt: Et, ſicut ſalices, iuxta fluentes aquas plātati perpetuum ſuccum habebūt, & humorē ſpiritus. Salices in ſacris literis, in bonā accipiuntur & in malā partē. In bonam. propter viriditatē, in malā, propter ſterilitatē. Vnde & Greg. ait.

Salices, in bonam, & malā partē accipiūtur

Greg. li. 33 mor. cap. 9

*Infructuoſæ quidē arbores ſunt ſalices, ſed tamē tātæ viriditatis ſunt, vt areſcere vel abſciſſæ radicitus; & proiectæ vix poſsint. Vnde in ſacro eloquio ſalicū nomine, aliquādo pro viriditate boni, aliquādo pro ſterilitate reprobi deſignātur. Niſi electorū vitā per cōſtantiam ſuæ viridatis exprimerent, nequaquam de ſanctæ Eccleſiæ filijs Propheta dixiſſet: Germinabūt inter herbas, ſicut ſalices iuxta præterfluentes aquas. Sāctæ .n. Eccleſiæ filij inter herbas ſicut ſalices germinant, dū inter areſcentē vitā carnaliū hominū, & multiplici numeroſitate; & perpetua mentis viriditate perdurāt. Qui bene iuxta præterfluētes aquas germinare perhibentur: quia vnuſquiſq; eorū vbertatē ad fructū percipit ex doctrina ſacri eloquij, quæ tēporaliter percurrit. Et rurſum, niſi per ſterilitatē ſalicū, vita peccantiū ſignaretur, nequaquā ex voce prædicantiū contra Babyloniā Pſalmiſta dixiſſet: In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Babylonis quippè medio ineſſe ſalices deſcribuntur: quia nimirū infructuoſi quique, atq; ab amore patriæ cæleſtis alieni, totis viſceribus cordis in hac ſæculi cō*

Catnales Salicibus cōferūtur.

Pſ. 136.

*fuſione radicantur*. Poteſt et ſterilitas ſalicum accipi in bonā partē, ita vt eos deſignent, *qui ſe caſtrauerunt propter regnū Dei*. Præterea hoc in ſalicibus eſt valde obſeruandū, quod quantumuis putentur ſingulis annis, & rami abſcindantur illarū, iterū tamē repululant, & maiores ramos nutriūt. In quo ſymbolū reperies iuſtorū, qui eo magis florent, & creſcunt, quo magis ſucciduntur, & maioribus tribulationibus opprimūtur. Deniq. vt notauit Hilar. talis naturæ ſunt ſalices, vt licet areſactæ ſint & emortuæ, reuiuiſcant, ſi aquis abluātur, & ſciſſæ dimittunt radices, ſi in loco humido figantur: Ita ergo peccatores mortui in delictis ſuis, ſicut ſalices aqua baptiſmatis abluti reuiuiſcūt, & rore cœleſti humectati, in charitate radicati & fundati creſcunt, & fructus ſpirituales producunt.

Virgines deſignātur per ſalices

Iuſti ſalicibus ſimiles

Hylarius ſuper Pſal. 136.

Salicis natura.

4 *Iſte dicet: Domini ego ſum: & ille vocabit in nomine Iacob, & hic ſcribet manu ſua Domino, & in nomine Iſrael aſsimilabitur*. Explicat hoc verſu ſummam Chriſtianiſmi, & religionis Catholicæ, quæ in fide conſiſtit, ſpe, & charitate. Fides aūt talis eſſe debet, vt nō ſolū credamus, Chriſtum eſſe verū Deum, ſed ēt conſtanter fidē eius ore proferamus, & ſcripto *Corde enim creditur ad iuſtitiā, ore autē confeſsio fit ad ſalutē*. Per illas voces. *Iſte, ego, & ille*, vniuerſitatē fideliū deſignat, hac phraſi loquendi paucitatē electorū inſinuās. Potuiſſet quidē vno verbo dicere: oēs confitebuntur palā, Domini ſumus, ſed vſus eſt circuloquutione, *iſte, ego, ille*, vt rē exprimeret cōſideratione dignā, electos videlicet præ paucitate numerari poſſe, & ſignari: cui conſonat illud φ prædixerat ſupra *Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſsio oleæ duarum, vel triū oliuarū in ſummitate rami, ſiue quatuor aut quinque in cacuminibus eius, fructus eius, dicit Dns Deus Iſrael. Iſte* ergo dicet, Dñi ego ſum, vel, vt transferūt 70. *iſte dicet, Dei ſum*, non erubeſcet Xpm, & ſermones eius, palā profitebitur ſe eſſe Chriſtianū, corā regibus & principibus audacter prædicabit, Chriſtū, in quo credit, eſſe verū Deū. Nō timebit eos, q occidunt corpus, & poſt hæc *nō habent amplius q̄d faciant. Ille vocabit*, ideſt, inuocabit in nomine Iacob, ſpē habebit in Deo Iacob. Cui conſonat illud, φ Paulus ait. *Omnis quicumq; inuocauerit nomen Dñi ſaluus erit*. Hoc nomen inuocabāt Apoſtoli, de quibus veritas dixit. *In nomine meo dæmonia eijcient linguis loquētur nouis, ſerpētes tollent, & ſi mortiferum q̄d biberint, non eis nocebit, &c.* Vnde & Petrus Apoſt. ſalutē claudo reſtituens, dixit. *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula*, & cū oēs eſſent ſtupefacti, vidētes ſignū φ fecerat Petrus, vt miraculū adſcriberet illi, in cuius nomine factū fuerat, reſpondit ad populū. *Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hūc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac & Deus Iacob, Deus Patrum noſtrorum glorificauit Filiū ſuum Ieſum, & in fide nominis eius, hunc, quē vos vidiſtis, & noſtis, cōfirmauit nomen eius. & fides, quæ per eum eſt, dedit illi integrā ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum*. Quod autē ſubdit, *& hic ſcribet manu ſua*: valde cōmendat confeſsionem fidei, qua credunt fideles omnia reuelata à Deo, & in Scripturis ſacris contēta, quæ deducuntur ex illis per bonam conſequentiā, & quæ per traditionē à ſanctis Apoſtolis accepimus, & per manus antiquorum doctorum

Chriſtianæ religionis ſumma in quibus conſiſtat.

Rom. 10 b

Electorum paucitas.

Iſai. 17.

Martyres palam confeſſi ſunt Chriſtum.

Rom. 10

Marci 16. d

Act. 3. b

Doctores ſcribentes ſuper ſacrā Scripturam laudantur.

vſque



vſque ad hæc noſtra tēpora, ac denique alia omnia, quæ à S. Pontificibus S. Romanę Eccleſiæ, aut per cōcilia ſacra legitime cōgregata diffinita ſūt. Commendat etiā ſanctam Euangeliſtarū ſolicitudinē, & antiquorum Patrum pietatem, qui non ſolum verbo, ſed & ſcripto fidei doctrinam docuerūt mundū, & illam proprio ſanguine ſubſcripſerunt. Commendat ſpecialiter S. Petri Martyris Veronenſis conſtantiam, qui cum verbo non poſſet fidem, pro qua patiebatur, fateri, digitū in proprio ſanguine, intingēs, ſcripſit ſuper terrā: *Credo in vnū Deū Patrem omnipotentem creatorem cœli, & terræ, viſibilium omniū, & inuiſibilium*. Charitatem autē, quæ radix eſt omnium virtutum, & finis ſeu cōſummatio religionis Chriſtianæ, de qua dicit Apoſtolus, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, inſinuat Propheta, cum ait. *Et in mine Iſrael aſſimilabitur*. Cui, niſi Sancto Iſrael .i. ſanctificanti Iſrael? Chriſto aſſimilabitur, agno immaculato, vt vere ſit diſcipulis eius. Aſſimilabitur autē in charitate, in dilectione: Ait enim. *In hoc cognoſcēt omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionē habueritis adinuicem*. Appetijt primus Angelus aſſimilari altiſſimo: Dicebat enim in corde ſuo. *In cœlū cōſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. ſedebo in monte teſtamēti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimlis ero altiſſimo*. Et dū aſcendere voluit, corruit in terram, cupienſque aſſimilari Deo, diſſimilis à ſe ipſo effectus eſt. Poſtmodum ſerpens antiquus ſuadēs mulieri, vt de ligno vetito manducaret, dixit ei. *Scit Deus quod in quocūque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dŷ ſcientes bonū & malum. Vidit igitur muliter quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit*. Et ecce qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti fuerant, eiecti de paradiſo, in regionem diſsimilitudinis appullerūt. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*. Et eorum inſaniā quaſi deridens, ait. *Ecce Adā quaſi vnus ex nobis factus es, ſciēs bonum, & malū*. Vt ergo miſecors Dominus ſimilitudinem Diuinam, quam primi parentes deformauerant, repararet, venit ad nos tunica noſtrę mortalitatis indutus, & ſicut ait Paulus. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq, ad mortem, mortem autem crucis*, vt qui ſimiles Deo eſſe quærebant, ſimiles fiant ſimilitudini mortis eius: mortificationem illius iugiter in ſuo corpore circumferentes. Illi ergo aſſimilātur electi, *quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Pro hac ergo ſimilitudine accipitur in præſenti verbum illud *aſſimilabitur*.

Euāgeliſtæ ſcripto donātes Euāgeliū laudantur.

Symb fid.

S Petrus martyr ſub ſcripſit fidē proprio ſanguine.

1 Cor. 13. a

Ioan. 13 d

Iſa. 14. e

Angel⁹ cupiens ſimilis eſſe altiſſimo, diſſimilis factus eſt.

Gen. 3. a

Homo cupiens ſimilitudinem Dei, diſſimilis factus eſt illi.

Ibid. e

Philip. 2. a

Chriſt⁹ venit in ſimilitudinem carnis peccati, vt homines faceret ſimilem Deo.

Rom. 8.

5 *Hæc dicit Dominus rex Iſrael & redemptor eius Dominus exercituū. Ego primus, & ego nouiſſimus, abſque me non eſt Deus*. Redit ad illid, quod propoſuit ſuperius, nempe, nullam eſſe potentiam idolorum, nullam eorum virtutem, nullamque Diuinitatem habere. Et in primis, ſuam ipſius oſtendit potētiam: deinde ſubſanare incipit idolorum vanitatem, & ſtultitiam hominū qui colunt illa. Quando mentio fit idolorum, intellige per idola, non ſolum ſaxea ſimulachra, lignea, vel argentea, ſed quid-

Peccatum omne mortale idolum eſt hominis.

quid

quid homines Deo præferunt, cuiuſmodi ſunt diuitiæ,delectationes carnales,& alia ſenſibilia,quæ hominem à Deo auertunt.Si enim hæc,idola hominum nō eſſent, non vtique dixiſſet

Philip. 3

Apoſtolus. *Multi ambulant,quos ſæpe dicebā vobis, nunc autem & flens dico,inimicos crucis Chriſti,quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*. Oſtendit ergo Deus maieſtatem ſuam multis modis. Suā enim infinitā potentiam declarat, cum hæc nomina tamquam propria ſibi vēdicat: *Dominus,Deus,Rex Iſrael,Dominus exercituum*. Manifeſtat ſuam miſericordiam, dum ſe vocat redemptorem,qui breui ſuos eripit ab imminētibus periculis,vt eius bonitas, & clemētia magis appareat. Habes ex hoc loco, Chriſtū redemptorem noſtrū, eſſe verum Deum, quod alijs quā plurimis teſtimonijs Scripturæ ſuperius

Sup. cap. 9. num. 46. & ſequentibus.

cōprobauimus. *Ego*(inquit) *primus, & ego nouiſſimus*. Inter reges,antiquitas generis maxime comendatur, ſed rex noſter nullum alium ſe antiquiorem habet.Ipſe ſolus eſt *primus*,

Chriſti diuinitas cō probatur.

qui eſt *Alpha,& Omega,principium,*

Apoc. 1.

*& finis*.Vnde & apud Danielem antiquus dierum dicitur,& Iudæis calūniantibus illū,atque dicētibus. *Quinquaginta annos nōdū habes & Abraham vidiſti?* reſpondit. *Amen amen*

Ioan. 8. c

*dico vobis,antequā Abraham fieret, ego ſum*. Magnificantur etiam reges, quando eorum regnum longo durat tempore,nec interrumpitur alienigenarum ſucceſſione,ſed ſemper relinquunt filios,qui pro patribus regnēt: At regnū Chriſti non ſolum erit perpetuum,ſed idem ipſe, qui pro nobis crucifixus eſt, regnabit in eternum. Ideo ait. *Et ego nouiſſimus*, videlicet,rex,quia nō erit alius præter me, vnde, & de regno illius ſcribit Da-

Dan. 7. d

niel. *Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur*. Et Angelus Gabriel ad Mariam Virginem. *Hic*

Luc. 1.

(inquit) *erit magnus,& filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius,& regnabit in domo Iacob in æternum,& regni eius non erit finis*. Vel ſic. Ego primus ſum,qui multis vos beneficijs auxi, & ego poſtremus, qui maiora poſtmodum beneficia conferam, mūdum proprio ſanguine redimens, ita vt ex illis cognoſcatis,quia ego ſolus ſum Deus. Ex beneficijs enim Deū verum cognoſcimus, quia dæmones, & idola nemini benefaciunt, cum ſibi auxiliari non poſſint.

6 *Quis ſimilis mei?vocet, & annunciet,& ordinem exponat mihi,ex quo conſtitui populum antiquū: ventura & quæ futura ſunt annuncient eis*. Oſtendit, nullum ex idolis poſſe ſibi comparari, vel in ſapientia, vel potentia,aut bonitate, ex hoc concludens,nullum alium eſſe verum Deū. Si ergo(inquit)colitis Iouē, aut Mercurium tamquam Deum, prodeat in publicum iudiciū, & oſtendat ex operibus,ſe Deum eſſe. *Vocet & annundiet &c.* Alludit ad id quod dixerat ſuperius: *Qui educit in numero mi-*

Iſa. 40. f

*litiam eorū, & omnes ex nomine vocat*,quaſi dicat.Nullus ex Dijs gentiū cœlos cōdidit ſicut ego, vt ſtellas vocare poſſit,& imperio illius obediāt aſtra.Deinde arguit Deos gentiū futura prædicere non valentes, ſicut &

Idolorum vanitas.

in multis alijs locis facit, præſertim cap. 41. *Accedant & annuncient nobis quæ ventura ſunt &c.* Ordinent (inquit)aliquid Dij gentiū, leges cōſtituant, ſibi inferiora moderentur,ſi poſſunt.Ego ſolus conditor, ego moderator ſū vniuerſi,ego poſui,& conſtitui, atque diſpoſui vnamquamque creaturam in numero,pondere & mē

ſura,



ſura, & ſuis terminis circumſcripſi, vt ſumma in ſummis, & infima in infimis locis ſint.Per populum antiquū, Hebrei intelligunt angelos,& ſtellas, quas ipſe Iſaias ſuperius dixerat militiam cœli, & dicuntur populus antiquus, quia duratio eorum eſt ſempiterna, eo quod ſecundum ſubſtantiā ſuam corruptioni non ſubiacent, aut mutationi Alij vero per antiquū populum, intelligunt Iſraeliticum, ad quem miſit Dominus Prophetas, qui futura prædicerent. Eum autem Populum antiquum vocat,eo quod omnibus alijs præferatur. Alios quidem antiquiores fuiſſe certum eſt.Sua Aegyptij gloriabantur vetuſtate,ſimiliter & Archades,& alij quamplurimi. Antiquitas ergo Iſraelis,non ex anno rum numero,aut externo rerū ſtatu, ſed ab electione Dei æſtimanda eſt. Vnde etiam fundamenta Hieruſalem æterna dicuntur, eo quod ab æterno præparata ſunt:& iuxta hanc explicationem ſenſus eſt. Ego,antequā fabricarentur Idola ab hominibus,ab æterna conſtitui,& decreui, me ædificarū populum fidelem,& Eccleſiam fundaturum,quæ in æternum permaneret. Quis ex Dijs gentium talia diſponere,quis vniuerſum mundū potuit gubernare?Cum enim omnes ſint immobiles,quomodo alia mouebūt,aut diſponent? *Annuncient ventura,& futura*. Inter ventura,& futura hoc intereſt,quod vētura de propinquis,futura autē de his dicantur, quæ multo poſt euentura ſunt: idola igitur ſtulta reputari debent,quæ nobis neque in proximo futura, neque in vltimis tēporibus euentura poſſunt annunciare. Stulti ergo & inſipientes ſunt,qui illa vel timēt,ūel adorant: ille nāque ſolus timēdus eſt,& adorādus, qui fecit cœlū,& terrā, & quæ ventura ſunt annunciauit nobis. Vnde & ſubditur.

7 *Nolite timere,neque conturbemini:ex tunc audire te feci,& annunciaui:vos eſtis teſtes mei:nūquid eſt Deus abſque me,& formator, quem ego nō nouerim?* Ac ſi dicat. Ne timea

Idola timēda non ſunt nec aliquid aliud præter Deum.

tis Idola in ſenſibilia & fatua, me ſolum timete,& glorificate,qui ex tūc, ideſt,quando aliquid facere decreui, ſignificaui vobis per Prophetas,& antequam fieret,annunciaui vobis. Hæc non fecerunt idola,ſed nec facere potuerūt, cuiꝰ rei vos teſtes eſtis. Quæcumque prædixi,vera eſſe noſtis;eueniebant enim omnia ſicut prædixerā. Spiritu igitur vehementi perquirit: nū eſt Deꝰ præter me?& grauitate magna reſpondet. Nō eſt formator mihi ignotꝰ,quaſi dicat. Ego ſolus ſū Deꝰ, & cōditor, qui me ipsū perfecte cognoſco, & omnia alia à me cōprehēdo. Illa autē idola neſciūt ſemetipſa.

8 *Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum,nō proderunt eis, ipſi ſunt teſtes eorū,quia non vident,neque intelligunt,vt confundātur. Quis formauit Deum,& ſculptile conflauit ad nihilum vtile?* Cum ergo idola ſe ignorent,ego(inquit)vanitatem illorum ob oculos ponam, & quā execrabiles ſint fabricatores eorum. Et,vt aptius cohæreāt,& melius intelligantur dicēda, confert vanitatem idolorum cū potentia Dei. Deus omni caret principio,ſicut veritas dicit. *Ego principium,qui & loquor vo*

Ioa. 8. d

*bis*, Idola autem,Plaſtas,ideſt,formatores,& factores habēt,qui,cū ipſi vani ſint, vanum etiā opus conficiunt. Preterea,vniuerſa quæ fecit Deus,bona ſunt. *Vidit enim cuncta quæ fece-*

Gen. 1.

*rat,& erant valde bona* Omnia creatori ſuo deſeruiūt,ſuis vſibus accommodata, quātumuis infima,& ocioſa videantur. Econtrario vero, quod pulcherrimum eſt in idolis, & maxime deſiderabile,ſicut aurum, argentum,

Creaturæ omnes etiā minimæ ſuo deſeruiunt creatori.

tūm,

tum, ſpecies & forma, nullam in ipſis afferunt vtilitatem. Id quod non ſolū artifices, ſed & idola ipſa teſtantur, quæ nec vident, nec agnoſcunt quidquam: nec ſe mouent, nec ad aliquid conducūt. Vnde & Paulus ait. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*. Ipſi ſunt teſtes eorum, nec oportet alios adducere, vt confundantur. Sequitur. *Ecce omnes participes eius confundētur: Fabri enim ſunt ex hominibus: conuenient omnes, ſtabunt, & pauebunt, & confundentur ſimul. Faber ferrarius lima operatus eſt, in prunis, & in malleis formauit illud &c.* vſque ibi: *Forte mendacium eſt in dextera mea*. Iterum inuehitur in idola, atque idolorum cultores, ſumpto argumēto à magnis ſumptibus, & ex penſis, atque à labore immenſo in fabricandis illis, cū nulla vtilitas inde proueniat fabricātibus, vbi exhauſtā habuerint ſubſtantiā in conſtructione illorū. Graphice depingit, & cū vehementiſsima deriſione ipſa ſimulachra, & eorum cultores. *Ecce* (inquit) *omnes participes eius*, ideſt omnes qui adhærent idolis, quique fiduciā & ſpem in illis conſtituunt, *confundētur*, & non erunt voticōpotes. Omnes enim ſunt viles fabri, *ex hominibus*, ideſt, non ex Angelis erūt, aut ex cœleſtibus virtutibus, ſed homines abiecti, & ſtolidi, oleum enim & operam perdent. *Faber ferrarius lima operatus eſt, &c.* Amplius explicat, fabros idolorum eſſe contemnendos, quorū ignominia & idola ſordidātur. Dignitas enim aut indignitas factoris, nō parum iuuat ad dignitatem, & æſtimationem operis. Confert igitur ſimulachrorum artifices cū Deo. Deus enim vno verbo condidit vniuerſum, quoniam *ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in æternum & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit*. At idola, quamuis vana & inutilia, vix multo labore, & expenſis fabricāt homines. Vide quæ patitur ferrarius, vt ferrum domet, & inde opus ſuum perficiat, ſitit ad ignem, ſudat, & deficit, nec tamen propterea ceſſat à labore, donec ex toto viribus deſtituatur. Vide, quot inſtrumentis quaſi armis vtitur, vt ferrum contundat. *Artifex lignarius extendit normam &c.* Sicut ſuperius dixit; *Forte lignum, & imputribile elegit &c.* notans fabri lignarij inſaniam: ita etiam in hoc loco iterum taxantur pauperes fabri lignarij, qui cum præ inopia nequeant aureas imagines fabricare, ſaltem vel ligneas cōſtruunt, viliori quidem materia, ſed non minori labore, ſtudio, & diligentia; magnā enim adhibent operam, vt cedrum, & electiſſimas arbores ſuccidant, ad fabricandum idola, & maiori ſolicitudine ſelecta quærunt ligna, quàm fuerint ab alijs plantata. Quod ſi contuleris diuitis, & pauperis ſtudium in fabricandis idolis, vincit pauperis induſtria. Vide etiam quam curioſe quæratur arbor, quam ſtudioſe ſignetur, quam officioſe decorticetur, quanto artificio formetur in idolum.

1.Cor.8. — Idola quot ſumptibus & laboribus fabricentur. — Pſa.148 — Deus excellentiſſimus artifex, qui vno verbo creauit vniuerſa. — Iſa. 40.

9 *Plantauit pinum, quam pluuia nutriuit, & facta eſt hominibus in focum, ſumpſit ex eis, & calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus eſt Deum, & adorauit: fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud.* Oſtendit primo in his verbis, gentes Idololatras non repentino quodā impetu rapi, ad fabricandum idola, ſed multo ſtudio, & longa meditatione; nec enim ſolum exquirunt arbores, quæ iam excreuerant, ſed etiam ipſas plātant, irrigant, & excolunt, atque

Idola quāto ſtudio fabricāt ſibi homines

expectant



expectant donec ad debitam perueniant magnitudinem, & aptæ ſint ad formandum ſimulachrum. Hęc exprimit, vt horrendam inſaniam eorum omnes admirentur. Cum autem ait. *Sumpſit ex eis & calefactus eſt, &c.* oſtendit vſum, & abuſum talium arborum. Vſus enim, in quem Deus ligna produxit, eſt, vt homini deſeruiant, & ſint ignis nutrimenta ad decoquendos cibos, atque ad ipſorum hominum ſolatium. Sed ecce hominum abuſum, qui aduerſus creatorem vtuntur creatura, non eſt factum lignum, vt fabricetur idolum; ſed vt per illud, ſicut & per reliquas creaturas, agnoſcamus Deum.

10 *Medium eius combuſſit igni, & de medio eius carnes comedit, &c.* vſque: *forte mendacium eſt in dextera mea*. Eandem ſententiam repetit eodem ordine, vt magis memoriæ commendetur. Primo enim ponit vſum, deinde abuſum lignorū, ex quibus formantur idola: & tandem cæcitatem mentis deſcribit eorum, qui procidunt ante opera manuum ſuarum, cum ſubdit. *Neſcierunt neque intellexerunt, &c.* Hæc eſt enim pœna condigna idololatrarū, vt in reprobum tradantur ſenſum. *Quia* (vt dicit Apoſtolus) *cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.* Sunt autem obſeruanda nomina diuerſa, quibus ſpurcitiam deſignat idolorum, & quantum illa deteſtetur Deus. Vocat enim ea, abominationem, mendacium, truncum lignum, & paſcentia cineres, eo quòd ad nihil aliud valeant. Dicuntur præterea mendacium; & mendacium forte, quia multa promittunt beneficia, & nullum exhibent. Vnde & Hieremias: *Stultus factus eſt* (inquit) *omnis homo à ſcientia, confuſus eſt artifex omnis in ſculptili: quoniam falſum eſt quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis. Vana ſunt, & opus riſu dignum: in tempore viſitationis ſuæ peribunt.* Et Baruch, multis & elegantiſsimis verbis, eorum vanitatem & imbecillitatem depingit. Et inter alia inquit, *Habet etiam in manu gladium, & ſecurim, ſe autem de bello, & à latronibus non liberat. Vnde vobis notum ſit quia non ſunt dij. non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt & dij illorum.* Multa etiam circa idolorum ſuperſtitioſum cultum habentur ſapientiæ 13. cap. & 3. Regum 18. ex quibus plenius intelligentur, quæ in hoc capite dicit Iſaias. Videantur etiam ſupra dicta capite 40. nu. 29. 30.

Rom.1.c — Idolorum ſpurcitia varijs nominibus explicatur. — Hier.10 c — Baruch 6. per totū cap. — Sap.13.

11 *Memento horum Iacob & Iſrael, quoniam ſeruus meus es tu, formaui te, ſeruus meus es tu Iſrael, ne obliuiſcaris mei.* Vt ſedulo & perpetuo in cultu Dei perſiſtamus, duo propoſuit, nempe ipſius Dei poten-

 tiam

tiam, & vanitatem idolorum, quæ duo iubet, vt recordemur ne deſimus officio noſtro; inſuper nos admonet memores eſſe, quod peculiaris eius populus ſimus. Dicit enim ac repetit, *ſeruus meus es tu, ſeruus meus es tu*. Nulli autem iuſtius ſeruimus quàm Domino & creatori. Et ne quis ab eius ſeruitio deſiſtat, teſtatur iam ſe bonitate ſua deleuiſſe mũdi peccata, ſanguine videlicet vni-

Peccata nubi conferuntur.

geniti filij ſui, ſicut calor ſolis nubes diſpergit & nebulam. Comparantur enim peccata nubi: Threnorum 3.

Thren. 3

*Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio*, quia peccata noſtra ſe interponunt inter nos & Deum, ne lumen ſolis videre valeamus. Vnde & inferius

Iſa. 59. a

dicitur. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret*. At oriens ex alto Chriſtus Dominus viſitauit nos, vt per calorem dilectionis eius, ſoluerentur peccata noſtra, & nebulæ diſpergerentur. Vnde & ſubditur.

12 *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te*. Notandus eſt Canon ſcripturæ, quo prophetæ per modum præteriti loquentes vaticinantur futura.

Prophetæ multa dicunt futura per modũ præteriti.

*Quaſi de præterito* (inquit Auguſtinus) *loquebatur, ſed ſolet fieri, vt de præterito loquens, futura prænunciet propheta. Nam quaſi de præterito loquebatur, cum in alio pſalmo diceret,*

Aug. ſuper pſ. 125. t. 8

Pſ. 21. c

*foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea. Non dixit, foſſuri ſunt; non dixit, dinumerabunt; non dixit, diuident ſibi veſtimenta mea; non dixit, ſuper veſtimentum meum mittent ſortem. futura enim erant, & quaſi facta cantabantur, omnia enim quæ futura ſunt, Deo iam facta ſunt*. Superius dixerat. *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*. Vbi de præſenti loquitur.

Iſai. 43. d

Et ſtatim ſubdit loquens de futuro. *Et peccatorum tuorum non recordabor*: Nunc autem de præterito ait, *deleui vt nubem iniquitates tuas*, vt ſciamus quoniam ipſe Redemptor omnium peccata abſtulit, tam eorum qui præceſſerunt, quam eorum qui ſunt, & in futurum naſcentur. *Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (ait Baptiſta.)

Ioan. 1. Teodoret.

Vbi, vt notauit Theodoretus, non dixit peccata mundi, ſed peccatum, vt videlicet per hoc quod dixit peccatum, vniuerſaliter peccatum videretur innuere: ſicut conſueuimus dicere quod homo eiectus eſt de paradiſo, ideſt omne genus humanum. Et inquit de præſenti, *tollit*, quia ſemper tollit peccata. Tempus enim præſens ſymbolum quoddã eſt æternitatis, quæ non habet ſucceſsionem, ſed ſemper eſt.

13 *Deleui vt nubem*, &c. Duplici ſimilitudine vtitur ad explicandum quomodo peccata deleat, & vtraque eſt conſideratione digna. Altera eſt nubis, quæ calore ſolis, & impulſu auſtri flantis reſoluitur in pluuiam, terram fœcundantem, ſemina nutrientem, & impinguantem. Non diſsimiliter peccatorum corda, & peccata ipſa inſpiratione Spiritus ſancti, & calore in lachrymas reſoluuntur doloris, quibus anima irrigatur, & quaſi rore cœleſti perfunditur, ac fœcundatur. Vnde & Propheta nubem ſuorum peccatorum conſiderans clamauit ad Dominum.

Pœnitẽtia reſoluit peccata, ſicut gelu auſter liquefacit.



Pſ. 125.

minum. *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro*. Quæ verba expendens Beatus Auguſtinus, ait. *Sicut conuertuntur torrentes in Auſtro, ſic conuerte captiuitatem noſtram. Quærebatur quid ſit, ſed patebit modo, adiuuante Domino, & veſtris orationibus. Quodam loco dixit ſcriptura, cum præciperet & moneret de operibus noſtris bonis: ait enim, ſicut glacies in ſereno, ita ſoluentur peccata tua. Ergo peccata ligabant nos. Quomodo? quomodo frigus ligat aquam ne currat, ita & nos alligati frigore peccatorum gelauimus. Auſter autem calidus ventus eſt. Quando flat Auſter, liqueſcit glacies, & implentur torrentes. Torrentes autem dicuntur flumina hyemalia. magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt. Gelaueramus ergo in captiuitate, conſtringebant nos peccata noſtra, flauit Auſter Spiritus ſanctus, dimiſſa ſunt nobis peccata, ſoluti ſumus à frigore iniquitatis, tanquam glacies in ſereno ſic ſoluuntur peccata noſtra. Curramus ad patriam quaſi torrens in Auſtro*.

Aug. ibid.

Eccli. 3. c

Pœnitẽtia reuiuiſcũt opera mortificata.

Vide ſupradicta capite primo, numero 54. ſuper illud pſalmi. *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea, flauit Spiritus eius & fluent aquæ*. Eſt & aliud conſiderandum in nube, quæ ex maritimis aquis generata, ſiuè ex vaporibus ex aquis amaris exhalata beneficio ſolis aquas dulces diſtillat, in ſymbolum lachrymabilis pœnitẽtiæ, quæ ex amaritudine peccatorum, dulces Deo & Angelis lachrimas diſtillare facit. de quibus plura diximus ſupra. Deniq; debemus aduertere, eſſe quaſdam nubes tetras, atque ex craſis vaporibus formatas, quæ non in aquam reſoluuntur, ſed in grandinem: & fulgura cauſant, & tonitrua. Tales ſunt peccatores, qui obdurati multitudine peccatorum, & frigore impœnitentiæ finalis congelati, magnam ſibi tempeſtatem parant. *Pluet enim ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*.

Pſ. 147.

ſup. ca. 15. num. 3.

Pſal. 10.

14 *Et ſicut nebulam peccata tua*. Ecce alteram ſimilitudinem qua peccata nebulæ comparantur, quia ſicut nebula flores & germina vinearum corrumpit, & fructus terræ diſſipat, & marceſcere facit, ita & peccatum omne meritum diſperdit, ſicut ſcriptum eſt. *Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono quod loquutus vt facerem ei*. Et iterum: *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*. Super quem locum B. Gregorius: *Genimina* (inquit) *ſunt animæ operationes bonæ. Cui tamen ſi peruerſo ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos iuſtitiæ pietatiſque ſunt opera, quæ corruptionis contagio monſtrantur immunda. Quid enim prodeſt ſi pie quiſquam neceſſitati compatitur proximi, quando impie in ſemetipſo deſtruit habitationem Dei? Si ergo per cordis munditiam libidinis flamma non extinguitur, incaſſum quælibet virtutes oriuntur, ſicut per Moyſen dicitur: Ignis exarſit ab ira mea, & ardebit vſque ad inferos deorſum: comedet terram & naſcentia eius. Ignis quippe terram atque eius naſcentia comedit, cum libido carnem, atque per hanc omnia acta conſumit. Nam quidquid procedit ex fru-*

Peccatã nebulæ cõferuntur.

Hier. 18 b

Iob 31.

Greg. 21. Moral. c. 9.

Opa mortua ſunt quæ fiunt in p.m.

ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis. Dicet ergo: Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina: quia ſi corruptionis malo non reſiſtitur; & illa proculdubio pereunt quæ bona videbantur. Cui conſonat illud Ioelis vaticinium.

Ioel. 1. d

Ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis. Sed & beſtiæ agri quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te; quoniam exſiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti. Quæ verba (vt Hieronymus explicat.) ad iuſtum quondam virum referri poſſunt, qui cum declinauerit, & fecerit malum, nequaquam ei virtutes priſtinæ proderunt, ſed iudicabit eum Dominus, in quibus inuenerit. Flamma, quæ ſuccendit omnia ligna regionis, illa credenda eſt, quæ immittitur ardentibus diaboli ſagittis, vt nihil in nobis bonarum frugum remaneat, ſed cuncta incendio conſumātur. Deniq; Hieremias lugubri lamētatione animæ vaſtitatem deplorans, quæ per peccatum ſpiritualia omnia perdidit lucra: Defecit (inquit) gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccauimus. At miſericors Dominus, eadem facilitate qua ventus fugat nebulam, omnes delet per poenitentiam iniquitates noſtras, & annos, quos comedit locuſta, & bruchus, reſtaurat, opera mortificata iterum viuificans, vt ad patriam nos perducant cæleſtem, ſicut repromiſerat per Ioelem. Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam miſi in vos. Et comedetis veſcentes & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum: & non confundetur populus meus in ſempiternum. Qui ergo talia experti ſumus Dei beneficia, iuſtum eſt, vt ad illum toto corde reuertamur. Reuertere ad me, quoniā liberaui te.

S. Hieron. — Thren. 5 e — Pœnitētia fugat peccata, vt vētus nebulā. — Ioel. 2. f

15 Laudate cœli, quoniam miſericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, reſonate montes laudationem, ſaltus & omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſrael gloriabitur. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero: Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens coelos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum. Quoniam beneficium maximum eſt, gratis nobis dimitti pecccata, qui tanto ære alieno detinebamur, ideo more ſuo propheta in iubilum erumpit, atque in gratiarum actionem, cupiens ſecum omnes creaturas laudare Deum, propter redemptionis beneficium exhibitum Eccleſiæ ſuæ, in qua nomen eius prædicabitur. Et vt credibilior fiat liberatio populi à ſeruitute Babylonica, & tyrannide peccati, & hæc reddatur certior prophetia, inquit, Hæc dicit Dominus, &c. Iterumque atque iterum ad memoriam reuocat Dei potentiam, & prius exhibita beneficia commemorat, & omnia quæ fecit in cælo, & in terra. Ego Dominus faciens omnia. Cui conſonat illud Apoſtoli. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula. Amen. Et 1. Corinthiorum 8. Scimus quòd nullus eſt Deus niſi vnus. Nam & ſi ſunt qui dicantur dij, ſiue

Deus oīa operatur, qui vnicū eſt rerum principiū — Rom. 11. d — 1. Cor. 8. b



ſiue in cœlo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi, & Domini multi:) nobis tamen vnus eſt Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Aduertit autem ſemel, & iterum Iſaias in hoc loco, ſolum Deum omnia condidiſſe, vt errorem illorum excludat, qui Angelis dixerunt demandatam fuiſſe mundi creationem, aut duo eſſe rerum principia, alterum bonorum, alterum malorum, ſicut Manichæi poſuerunt. Vtrumque errorem refert, & impugnat S. Thom. Et cum ait, extendens cœlos ſolus, non excluditur Filius, & Spiritus ſanctus, cum ſcriptum ſit. Quando præparabat cœlos aderam cum eo cuncta componēs, ſed ſolum excluduntur idola, & omne illud quod non eſt Deus, ſiue homo ſit ſiue Angelus. Nec obſtat illud Geneſis 1. faciamus hominem ad imaginē & ſimilitudinem noſtram. Non enim cum Angelis Deus ibi ſermonem fecit, ſed inter Diuinas perſonas initum eſt illud conſilium. Hinc etiam colligitur, angelos non fuiſſe creatos ante mundum iſtum corporeum, ſed ſimul cum illo: quod etiam conſtat ex illo Geneſis primo. In principio creauit Deus cœlum, & terram: quod non eſſet verum, ſi aliquid creaſſet antea. & Iob quadrageſimo dicitur. Ecce Behemoth quem feci tecum. Ex quo loco ſanctus Gregorius, probat, Angelos fuiſſe in initio temporis creatos. quam doctrinam latius probat lib. 32. moralium cap. 20. 24. & 25. eandem ſententiam tenet Auguſt. Epiphanius, Teodoretus & S. Thomas, enim ait: Non eſt probabile, vt Deus, cuius perfecta ſunt opera, vt dicitur Deuteron. 32. creaturam angelicam ſeorſum ante alias creaturas creauerit, quamuis contrarium non ſit reputandum erroneum, præcipue propter ſententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta eſt in doctrina Chriſtiana auctoritas, vt nullus vmquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit, ſicut nec Athanaſii documentis, vt Hieronymus dicit.

S. Th. 1. p. q. 46. ar. 3. — Prou. 8. d — Gen. 1. — Gen. 1. a — Iob 40. — Greg. 32. mor. cap. 9 — S. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 6. & 9. lib. 12 ca. 15. & 16. — Epiphan. lib 2. cont. hæreſ. hæreſ. 65. — Theodor. q. 3. in gen. — S. Th. 1. p. q. 61. ar. 3. in corp. — Gre. Naz. & Athanaſij auctoritas.

16 Irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens. Conuertens ſapientes retrorſum: & ſcientiam eorum ſtultam faciens. Suſcitans verbum ſerui ſui, & conſiliū nunciorum ſuorum complens. Hæc eadem prædixerat ſupra, quæ tamen nunc quaſi per recapitulationem iterum commemorat, ne vmquam à noſtra memoria excidant. Et in prima huius verſiculi parte, exprimitur Dei conſilium aduerſus Ariolos: In ſecunda vero nos reddit certiores, quod abſque dubio euenient omnia quæ Deus decreuit fieri. Ait ergo, quod non ſolum erunt irrita conſilia diuinorum, ſed & ipſos diuinos in furorem conuertendos, ita vt omnibus appareant inſipientes & ſtolidi, quaſi homines extra ſe poſiti, & iudicio rationis priuati. Hinc collige, contemptibilem eſſe aſtrologiā iudiciariam, & diuinandi curioſitatem damnabilem. Vnde & per Hieremiam dicitur. Iuxta vias gentium nolite diſcere: & à ſignis cœli nolite metuere quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt. Sicut ergo diſſipauit Dominus in Ægypto Magorum ſigna, qui in tertio ſigno defecerunt, & ipſa veritate coacti confeſſi ſunt, digitus Dei eſt hic, & Moyſē prodigijs clarificauit, & portentis: ita & in Babylone ariolos oſtēdit ſtultos, claris euadentibus tribus pueris, Daniele, & ſocijs eius. In ſecunda parte, quā proſequitur vſque ad finem capitis, oſtendit euentura

Arioli diuinantes q̄ vani ſint. — Hier. 10 a — Exodi 8 c

eſſe quæ prædixit circa aduentum Chriſti, & promulgationem legis Euangelicæ. *Suſcitans*, ideſt explens, *verbum ſerui ſui*, hoc eſt Chriſti, *& concilium nunciorum complens*, ideſt, conſilium Apoſtolorum, qui in Spiritu ſancto congregati inter ſe orbem terrarum diuiſerunt, vt Chriſti Euangelium gentibus nunciarent; vt muri Hieruſalem reædificarentur.

Chriſtum Prophetã futerũ prædixit Moyſes.

Deut. 18 e

Poteſt etiam per verbum *ſerui ſui*, verbum illud Moyſi intelligi. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb*, & paucis interiectis. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.*

Ibid.

Couſonatque verbũ verbo. Ibi enim ait. *Prophetam ſuſcitabit, Prophetam ſuſcitabo eis*. Hic autem inquit. *Suſcitans verbum*, ideſt, promiſsionem illam de Propheta ſuſcitando. Conſonat etiã vocabulum illud *ſerui ſui*, quo Moyſes in ſacris literis nominari cõſueuit. Sicut ad Hebræos 3.

Heb. 3.

*Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tãquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erãt*. Per nuncios autem, cæteros Prophetas intelligit, quos iuſsit annunciare reædificationem vrbis, & templi, non illius dumtaxat materialis, ſed & ſpiritualis Hieruſalẽ. Adimpleuit olim, quę loquutus eſt per Prophetas, reædificans templum ſuum, & reparans ciuitatem ſanctam, & nunc quoque in reparanda Hieruſalem cœleſti, miniſtris ſuis aderit, & ſicut Apoſtolis dedit Spiritum ſanctum ſuum, vt Eccleſiam Catholicam, quã ſuo proprio ſanguine fundauit Chriſtus, cõſtruerent ex lapidibus viuis, & quadratis, ita & Apoſtolorum ſucceſſores adiuuabit, vt fideles creſcant in templum ſanctum in Domino, iuxta illud verbum Apoſtoli. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto* Ieſu: *In quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templũ ſanctũ in Dño, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto*. Prædixit per Prophetam. *Aedificans Hieruſalem Dominus diſperſiones Iſraelis cõgregabit* hoc absq; dubio implebit. Promiſit ſe deſolaturum Babylonem, nõ excidet verbum eius, nec ſolum deſolabitur Babylon, ſed & flumina eius areſcent. Vnde & ſubditur.

Epheſ. 2 d

Pſ. 146.

17 *Qui dico Hieruſalem: habitaberis; & ciuitatibus Iuda: ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo. Qui dico profundo: deſolare, & flumina tua arefaciam: Qui dico Cyro: paſtor meus es, & omnem voluntatẽ meam complebis. Qui dico Hieruſalem: ædificaberis, & templo: fundaberis.* Per Hieruſalem, & ciuitates Iuda, Eccleſiam intelligit Catholicam, in qua vna eſt ciuitas Roma, vnus ſummus Põtifex Romanæ Eccleſiæ, legitimus ſucceſſor Petri, & vicarius Chriſti, cui omnes, iure Diuino ſubiecti ſunt particulares Pontifices ſingularum Eccleſiarum, quarum typum gerebant ciuitates Iuda, quarum caput erat Hieruſalem. Per profundum, ciuitatẽ intelligit Babylonis, eo quod non in mõtibus, ſicut Hieruſalem; ſed iuxta flumina ædificata erat. Vnde & filij Iſrael, qui captiui detinebantur in Babylone, ex infimo, quo iacebant loco, ad Sion ſuſpirantes, dicebant.

Eccleſia Romana eſt mater omniũ Eccleſiarum.





Pſ. 136. a

*Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In ſalicibus in medio eius ſuſpẽdimus organa noſtra.* Aedificãs ergo ciuitatem Hieruſalem, deſtruxit ciuitatem Babylonis per Cyrum regẽ Perſarum, & per exercitũ eius; & eius flumina exſiccauit. Videtur autem hic modus loquendi hyperbolicus, quo pręd icuntur flumina exſiccanda. Significat enim ingentem vaſtitatem futuram, & talem, vt flumina arefacta videantur, & vniuerſa terra in ſterilitatem, aquis defficientibus, verſa. Quod accidit in vaſtitatę illius ciuitatis, hoc ipſum euenire cernimus in euerſione ſpiritualis Babylonis, & ciuium eius, qui per amorem ſui, vſque ad contemptum Dei eam ædificant. Ad prædicationem enim Euangelij, & erectionem Eccleſiæ Catholicæ arefacta eſt, & deſtructa ſapientia huius ſæculi, & turris Babel quam ædificabant, confuſione linguarum penitus euerſa, Baſilius autem exponit hunc locũ, de fine mũdi: & iuxta hanc explicationem, per Hieruſalem, intelligenda eſt cœleſtis illa Hieruſalẽ, *quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum* Huius ciuitatis quam magnificũ ſit, & ſolidum ędifitiũ, quam pretioſis lapidibus conſtructum, quam pacificis, & nobilibus ciuibus ornatum, in ſuo Apocalypſi oſtendit mirabiliter Ioannes Euangeliſta, qui etiam deſolationẽ Babylonis propheticè deſcripſit. *Qui dico Cyro &c.* Cyrum Regem Perſarum paſtorem ſuum nominatim vocat, qui multo poſt tempore naſciturus erat, non quidem in Iudæa, ſed in terra non parũ diſtanti. Hic alienigena nomen paſtoris obtinuit, nec immerito, eo quod directurus erat populum Iſrael, non vt tyrãnus Princeps, ſed tamquam paſtor benignus, qui non ſuã quęrit, ſed ouiũ vtilitatẽ, qui & filios Iſrael de captiuitate Babylonis eduxit, & liberum illis aditum conceſſit, vt reuerterentur in Hieruſalem. Huius regis mentionem fecerunt Hiſtorici vetuſtiſsimi, Xenophon, Iuſtinus, Herodotus, & alij. *Legamus* (ait Hieronymus) *Xenophontis octo librorum Cyri maioris hiſtoriam, & prophetiã Iſaiæ cernemus impletam.* Hic Babyloniam, & Lydiã ſubegit, Aegyptum inſuper, & Aethiopiam, vſque ad Sabaim; cui Deus tam inſignes conceſſit victorias, vt liberos dimitteret Iudæos ad reædificandam ciuitatẽ Hieruſalem, & templum diruptum à Nabuchodonoſor rege Babylonis. Quæ omnia Chriſtum Dominum reſpiciunt, ipſe enim verè eſt paſtor noſter, & bonus paſtor, qui animam ſuã dat pro ouibus ſuis, qui & totum pene vniuerſum orbem Euangelij prædicatione ſubegit, efficiens, vt idololatræ conuerterentur ad Deum, & intellectum captiuarent in obſequium fidei: per quem à peccatorũ noſtrorum tyrannide liberati, tranſlati ſumus in admirabile regnum ſuum. *De quo nobis grãdis eſt ſermo, & interpretabilis ad dicendum*. Vt in ſequentibus manifeſtum fiet.

Eccleſiam ædificans Dominus euertit ciuitatẽ Babylonis.

Baſilius 3. Hexamerõ

Pſ. 121. a

Apoc. 21. 22. & 18

Cyrus paſtor dicitur, & quare.

Chriſt' verus eſt paſtor.

Heb. 5. c

# CAPVT XLV.

1. HAEC dicit Dominus chriſto meo Cyro, cu-
ius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante
faciem eius gentes, & dorſa regum vertam,
& aperiam coram eo ianuas, & portæ non
claudentur. 2. 3. 4. 5. Ego ante te ibo: &
glorioſos terræ humiliabo: portas æreas
conteram, & vectes ferreos confringam. Et
dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana
ſecretorum: vt ſcias quia ego Dominus, qui
voco nomen tuum, Deus Iſrael. Propter ſeruum meum Iacob, &
Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo: aſſimilaui te, & non
cognouiſti me, 6. Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non
eſt Deus: accinxi te, & non cognouiſti me: Vt ſciant hi, qui ab or-
tu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt: Ego Do-
minus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras. 7. fa-
ciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.
8. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, &
germinet ſaluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul. 9. Ego Dominus crea-
ui eum. Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamijs terræ: num-
quid dicet lutum figulo ſuo: Quid facis, & opus tuum abſque mani-
bus eſt? 10. Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid
parturis? 11. Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael plaſtes eius: Ven-
tura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mea-
rum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creaui
ego: manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum manda-
ui. 12. Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam:
ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non
in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.
13. 14. Hæc dicit Dominus: Labor Aegypti, & negotiatio Aethio-
piæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: Poſt te
ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teq. depre-

cabuntur:



cabuntur: Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere
tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator. 15. Confuſi ſunt, &
erubuerunt omnes: ſimul abierunt in confuſionem fabricatores er-
rorum. Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna: non confunde-
mini, & non erubeſcetis vſque in ſæculum ſæculi. Quia hæc dicit
Dominus creans cœlos, ipſe Deus formans terram, & faciens eam,
ipſe plaſtes eius: non in vanum creauit eam: vt habitaretur, forma-
uit eam. ego Dominus, & non eſt alius. 16. Non in abſcondito lo-
cutus ſum in loco terræ tenebroſo: non dixi ſemini Iacob: Fruſtra
quærit me. ego Dominus loquens iuſtitiam, annuncians recta. 17.
Congregamini, & venite, & accedite ſimul qui ſaluati eſtis ex Gen-
tibus: neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum
non ſaluantem. Annunciate, & venite, & conſiliamini ſimul: quis
auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non
ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque me? Deus iuſtus, &
ſaluans non eſt præter me. Conuertimini ad me, & ſalui eritis om-
nes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius. 18. In memetip-
ſo iuraui, egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuerte-
tur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Er-
go in Domino, dicet, meæ ſunt iuſtitiæ & imperium: ad eum ve-
nient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino iuſti-
ficabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.

## SVMMA CAPITIS.

*SERMONEM inſtituit Iſaias in hoc capite de Cyro Rege Perſarum, qui Redemptoris noſtri typum geſſit, eo quod à captiuitate Babylonis liberauit filios Iſrael, per quam captiuitas deſignabatur peccati: cuius Redemptor Chriſtus extitit. Vnde ſub perſona Cyri multa vaticinatur de Chriſto. Igitur in principio capitis explicat, qualiter Dominus vocauerit Cyrum, & magnam potentiam tribuerit illi & virtutem, vt inſignes aduerſus potentiſſimos Reges obtineret victorias.*

*Secundò, quaſi per apoſtrophem ad cœlos conuertitur, aduentum Chriſti deſiderans, vt mundum vniuerſum erueret à captiuitate peccati. Verſiculo.* Rorate coeli deſuper.

*Tertiò, duram prophetiam contra Regem Babylonis interſerit, cuius in præſenti mentionem facit, quoniam dura ſeruitute populum oppreſſit Iſrael.*

*Verſi-*

*Verſiculo*. Væ qui contradicit factori ſuo.

*Quartò, proſequitur quæ in initio capitis cœperat vaticinari de Cyro, denuncians, eius induſtria laxandam eſſe captiuitatem Babylonis. Verſiculo.* Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam.

*Quintò, facit tranſitum à Cyro ad Chriſtum: nam diuinitatem eius explicat, virtutem atque efficaciam qua gentes vniuerſas ad ſe traxit. Verſiculo.* Labor Aegypti, & negotiatio Aethyopiæ, &c.

*Sextò, agit de vanitate idolorum, oſtendens, non poſſe cum Deo vero conferri. Deus enim eſt vere Saluator, idola autem nullum poſſunt cultoribus ſuis auxilium præſtare. Agit de hoc ab illo verſiculo.* Congregamini, & venite, *vſque ad finem capitis*.

# COMMENTARIVM.

HAEC *dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur*. Vt notauimus ſupra, quæ dicuntur in hoc capite de Cyro Rege Perſarum ſunt principaliter de Chriſto intelligenda, cuius ille typum geſſit. In hac autem prophetia hoc eſt mirabile inter alia, quod Iſaias proprio nomine Cyrum alloquatur, qui centum quinquaginta annis poſt illum natus eſt. Hoc enim tempus interceſſit inter Iſaiam, & Hieremiam, qui prædixit, populum Iuda in Babylone futurum captiuum ſeptuaginta annis. Continet ergo verſiculus præſens inſignes victorias, quas Deus daturus erat Cyro Regi propter Iſrael, quem poſtmodum à captiuitate Babylonis liberauit, & vocatur chriſtus, ideſt vnctus, quia vnctus eſt à Deo in regem, vt Babylonem ſubuerteret, vt liberaret Iudæos & templum Domini inſtauraret (ſicut Theodoretus explicat) aut vero quia typus erat Chriſti, quem vnxit Deus oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Eadem ratione dictus eſt paſtor in capite præcedenti. propter paſtorem noſtrum Chriſtum Dominum, quem myſtice deſignabat. *Cuius apprehendi dexteram*, idem eſt, ac ſi diceret, quem adiuui, quem exaltaui, quē ſuſtinui fortitudine mea, ne caderet in prælio, ſed imperio ſuo multos alios reges ſubiugaret, triumphans, & agens proſpere aduerſus illos, ac tanta illum potentia roboraui, vt nullus poſſet ab illo ſe defendere, nec illi repugnare, ianuas ſaltē ciuitatis claudendo: omnia erunt ei peruia, & cum modica ſuorum militum iactura, reges potentiſſimos facile ſuperabit.

Sup ca.41. nu. 3. & 4.

Cyrus proprio nomine prædicitur 150. ann.

2.Para. cap. vlt. Hier.25

Iſai.44. d

2 *Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum: vt ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael. Propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo: aſſimilaui te,*

*& non*



*& non cognouiſti me.* Promittit nonnulla Cyro Regi. Primum eſt, auferenda illi eſſe de medio omnia offendicula, & impedimenta, quantumuis grauia ſint, etiam ſi videantur vectes ferrei, aut portæ æreæ. Nihil ei obſtabit, nihil poterit impedire, quominus ingrediatur cum exercitu ſuo quam voluerit ciuitatem, & eam ſibi ſubijciat. Omnia hæc fecit Cyrus, ſed Deus ſe facturum illa repromittit, quoniam eius virtute, atque potentia eiuſmodi conſequutus eſt victorias, cuius nutu & voluntate aduerſus barbaras nationes dimicauit. Secundo pollicetur illi immenſos theſauros, & theſauros abſconditos, ideſt, à nullo hactenus inuentos & conſequutos. Ferunt hiſtoriæ, potentiſſimum fuiſſe Cyrum, & ditiſſimum: cepit enim reges opulentiſſimos, cepit & ditiſſimā Babylonem, in qua multos & pretioſiſſimos inuenit theſauros, cepit & multarum gentium ſpolia, Deo mirabiliter adiuuante, & ante faciem Cyri præeunte. Quid non ſubieciſſet ſibi, qui talem habuit præeuntem cuſtodem? Loquens Dominus ad filios Iſrael, quos eduxit de terra Aegypti, vt in terram duceret repromiſſam, ait. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo. Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetq. te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumq. & Hauæum, & Iebuſæum, quos ego conteram.* At cum Cyro loquens, non Angelū, qui præcedat eū, repromittit: ſed *ego* (inquit) *ante te ibo*, vt oculos conijciamus ad illum, de quo Apoſtolus ait. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Per *arcana ſecretorum*, idem intelligit, quod per *theſauros abſconditos. Vt ſcias, &c.* Tertio, promittit illi cognitionem, qua certo intelliget ſe à Deo adiuuari. Perſuaſum ſibi habuit Cyrus diuinum fauorem; agnouit, non ſua potentia, ſed Dei virtute ſibi regna mūdi ſubiugaſſe: vnde & apud Eſdram ait. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa.* Alij autem reges, vt Nabuchodonoſor, & Sennacherib, ignorauerunt Deum, per quem reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt. Eſt etiam celebratum hiſtorijs, quod multis ante annis fuerit Cyrus prophetatus, & nomen illius proprium expreſſum, & vocatus à Deo nunc chriſtus, nūc paſtor, quod ex fine capitis præcedentis, & initio huius ſatis conſtat. Propterea ait. *Ego Dominus qui voco nomen tuum*, ideſt, qui tibi nomen impono, antequam in vtero natus ſis, & tale nomen, tamque honorificum, & præclarum, quale eſt nomen paſtoris, & Chriſti mei. Qualis ergo gloria noſtra erit, qui à Chriſto Chriſtiani dicimur? ille paſtoris nomen aſſumpſit, officium, & ſolicitudinem; nobis autem ouium paſcuæ ſuæ dignitatem conceſſit, ſicut ait Propheta. *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.*

Cyro Regi quanta promiſerit Dominus.

Exo.23. d

Angelus præceſſit filios Iſrael non Xps.

2.Cor.5. d

2.Paral. 36.d 1.Eſdræ 1.a

Pſal.94

3 *Propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo: aſſimilaui te, & non cognouiſti me. Ego Dominus, & non eſt amplius. Extra me non eſt Deus: accinxi te, & non cognouiſti*

*me:*

*me: vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me nō eſt.* Oſtēdit ſe tot beneficia exhibiturum Cyro, propter populum Iſrael ſibi dilectum, vt videlicet à captiuitate Babylonis eum eriperet, & in ciuitatem ſanctam Hieruſalem introduceret: ſic & Aegyptijs multa bona contulit propter Ioſeph; tāto enim amore electos ſuos Deus proſequitur, vt, propter illos, etiam extraneis multa impendat beneficia. Toties autem repetit ſe eſſe Dominum, vt omnes agnoſcant, à quo Cyrus tot conſequutus fuerit beneficia, ac ſi apertius dicat: Vide ò Cyre, & conſidera, quod omnem potentiam, & virtutem à me habes, non à te ipſo, nec à dijs gentium. Ego *aſſimilaui te* illis perſonis, quarum nomina, antequam naſcerentur, prædixi. *Aſſimilaui te* Chriſto, cuius figura extitiſti, te vocans paſtorem populi mei. *Et non cognouiſti me*, quia nondum fueras natus, cum *vocaui te nomine tuo*. Ego accinxi te ad bellū, & virtute magna corroboraui te, quod in vniuerſo mūdo erit notiſsimum. Me ergo tamquam Deum verum, & non idola, te oportet adorare. Sed tu *non cognouiſti me*. Vbi notandum, quod accingere aliquem, eſt vires illi addere, & potentiam. In qua ſignificatione frequenter accipitur in ſacris literis, vt in Pſalmo 92. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe*. Et Pſalmo 64. *Præparans montes in virtute ſua accinctus potentia*. Vel *accinxi te*, idem eſt, quod ad pugnam paraui. Sic accipitur hoc nomen *accinctus* tertij Regum 20. *Ne glorietur accinctus æque vt diſcinctus*. Et Lucæ 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus, exſpectantibus Dominum ſuū quādo reuertatur à nuptijs.* Quæri autem poteſt, quomodo verum ſit illud, *& non cognouiſti me*, cum conſtet ex libris Paralip. & Eſdræ, illum cognouiſſe Dominum Deum. Scriptum eſt enim: *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini, quē loquutus fuerat per os Hieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, qui iuſſit prædicari in vniuerſo Regno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domū in Hieruſalē, quæ eſt in Iudæa. quis ex vobis eſt in omni populo eius? ſit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcēdat.* Quæ verba iterum repetuntur in ipſo initio primi libri Eſdræ. Sed reſpondetur cum gloſa Lyrani, illud verbum, *& non cognouiſti me*, non eſſe referendū ad tempus, in quo Cyrus dixit, & ſcripſit ad vniuerſum regnum, quæ prædicta ſunt verba, ſed ad tempus, in quo per Iſaiā prophetauit, & vocauit Cyrum nomine proprio; tunc enim, cum nondum eſſet natus, Deum cognoſcere non potuit. Poſtmodum vero, cum prophetiam Iſaiæ legiſſet, admodum beneuolus effectus eſt filijs Iſrael, & familiaris, & tanta pietate cœpit Deum colere, vt liberam conceſſerit Iudæis facultatem, vt reædificarent templum, & diceret. *Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius. Sit Dominus Deus illius cum ipſo. Aſcendat Hieruſalem quæ eſt in Iudæa: & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus, qui eſt in Hieruſalem, & omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant adiuuēt eum viri de loco ſuo, argento, & auro, & ſubſtantia, & pecoribus:*

Cyro multa bona cōtulit Dominus propter populum Iſrael, vt eum liberaret.

Pſal. 92. a

Pſal. 64.

3. Reg. 20. c

Lucæ 12 e

2. Paral. 36. d

1. Eſdra 1. a

Cyr' vtrū habuerit cognitionē Dei veram

1. Eſdre 1.



*ribus: excepto quod voluntarie offerunt in templo quod eſt in Hieruſalem. In quibus verbis magna fides regis*, (vt inquit Beda) *magna claret pietas, fides quidem: quia populum Iſael præ ceteris Dei eſſe intellexit. Pietas: quia, nullo excepto, omnes qui vellent liberos in patriam redire permiſit. Fides, quia eundem Deum, & habitare in cœlis, & eſſe in Hieruſalem, & cum ſingulis reuertentibus aſcendere poſſe confeſſus eſt. Patet enim quia non corporeum & loco comprehenſibilem, ſed ſpiritum & vbique præſentem credidit: quem ita Hieroſolimis, & in templo habere locum confeſſus eſt: vt ſimul eum cœli regno præſidere nō dubitaret: ita in cœlis regnare credidit, vt cum ſuis fidelibus eſſet in terra, eorumque animos, & manus ad ſalutaria dirigeret opera.* Secundo poteſt dici, quod Cyrus, licet cognouerit Deum auctorem naturæ, non tamen habuit fidē illius, vt eſt auctor ſupernaturalis, nec conuerſus eſt ad illum per regenerantem gratiam, & charitatem. Tactus quidem fuit Dei notitia, vt hoc opus Dei, videlicet liberationis filiorum Iſrael à captiuitate Babylonis, exequeretur, ſed ipſe in ſua permanſit infidelitate, & cupiditate regnādi multos oppreſſit, vnde (vt obſeruauit Lyranus) *legitur in chronicis, quod Cyrus multis regnis impugnatis, & principibus ſuperatis Scythas bello impetebat; Tamyris autem regina Scytharū, diſsimulato dolore filij ſui, quem iam Cyrus in bello truncauerat, doloſe conuiuium præparauit, vbi temulentum, cum ducentis militibus Perſarum enecauit: caput vero Cyri amputari, atque in vtrem humano ſanguine plenum proijci iuſſit, ſatia te (inquiens) ſanguine quem quæſiſti.*

4 Hęc autem omnia, quę de Cyro dicuntur, non eſt difficile de Chriſto Domino exponere, cuius ille typus fuit, & figura. ſic explicat Athanaſius: Ieſus enim eſt vere Chriſtus Domini, vnctus oleo letitiæ præ participibus ſuis. Ille fuit verus Meſſias in lege promiſſus & prophetis, paſtor, & pontifex animarum noſtrarum. Ille vir dexteræ Dei, quem Deus apprehendit, & ſuſcepit, ſicut per Prophetam dicitur. *Adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua*. Et iterum: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.* Vere illi vt regi regum ſubiecti ſunt omnes reges terræ; vere per illum cōfracti ſunt vectes ferrei peccatorum noſtrorum, quibus tenebamur captiui, & portæ inferi apertæ, quas nullus, præter ipſum, valuit reſerare. De quo canit Pſalmiſta, *Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit. quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*. De quo & ſuperius dixerat. *Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*. Ille accepit theſauros abſconditos in Limbo, videlicet ſanctos patres, quos ab inferis eduxit. Accepit & à Patre dona, quæ mundo fuerant abſcōdita, & illa diſtribuit diſcipulis, ſecundum quod dicit Pſalmiſta, *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*. Et vt Paulus ait: *In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ* abſconditi. Quod autem addit, *& non cognouiſti me*, ad humanitatem refertur Saluatoris, cui, antequam aſſumeretur à Verbo in vnitatem perſonæ, antequam eſſet in rerū natura, aut poſſet Deum

Venerab. Beda.

Lyra ſuper prolog. Aggæi.

Tamyris regina ſcytharū occidiſſe dicitur Cyrū.

Athanaſ. lib. 2. de vnitate ſanctiſsimæ Trinit.

Pſa. 62. c

Pſ. 117. c

Chriſto adaptātur quæ de Cyro dicū tur.

Pſ. 10.6

Iſa. 22. f

Pſa. 67.

Colo. 2. a

ſet Deum cognoſcere, gratis, abſque vllis præcedentibus eiuſdem humanitatis meritis, ab æterno ſuprema dona gratiæ præparata ſunt. *Propter Iſrael, & Iacob*. Ideſt, vt nos redimeret à peccatis, & in Chriſto natura gratificaretur humana, quæ in Adam fuerat per peccatum corrupta: ideo enim Verbum Dei factũ eſt caro, vt carnem, quæ corruperat viam ſuam, ſanctificaret, vt nos iuſtificaret, & mundaret. Quod & Paulus Apoſtolus fatetur, cum ait. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri*. Quorum verborum ſenſus eſt, *Quamuis ipſa perſona Chriſti, ſemper fuerit filius Dei per naturam, prædeſtinatus tamen eſt ab æterno, & in temporis plenitudine factum eſt, per ineffabilem Dei gratiam humanæ naturæ collatam, vt exiſtens in humana natura, eſſet filius Dei. Vnde & Apoſtolus, prius filium Dei incarnatum eſſe præmiſerat, & poſtea ei prædeſtinationem attribuit, vt intelligatur prædeſtinatus eſſe ſecundum quod factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Prædeſtinatus autem eſt filius Dei ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt, vt homines redimeret, & diffundendo ſuper nos Spiritus ſancti dona, peccatores ſanctificaret. *Quæ quidem ſanctificatio* (vt ait S. Thomas) *incepit ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Chriſti Domini noſtri, ideſt, ex mortuis, ſecundum illud Ioannis 7. Nondum erat Spiritus ſanctus, quia nondum Ieſus fuerat glorificatus*. *Quod* (vt notauit idem S. Thomas) *non ſic eſt intelligendum, quaſi nullus ante Chriſti reſurrectionem ſpiritum viuificantem acceperit: ſed quia ex illo tempore quo Chriſtus reſurrexit, incepit copioſius, & communius ſpiritus ſanctificationis dari*. Hic ergo fuit incarnationis finis: venit enim vt medicus, ad ſanandas infirmitates noſtras: vnde & in ſymbolo Nizeno canit Eccleſia, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine. Et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, paſſus, & ſepultus eſt.*

Rom. 1. a

Ex S. Th. ſup. cap. 1. ad Rom. lect. 3.

Chriſtus qualiter p̄deſtinatus fuerit fili⁹ Dei.

S. Tho. ibi.

Ioan. 7.

Symbol[illegible] dei.

5 Quia vero iuxta regulã Tyconij, quæ cõpetunt capiti, poſsũt adaptari membris, Paulo Apoſtolo cõgruunt valde hæc quæ de Cyro ad literã dicta ſunt. *Ego* (inquit) *ante te ibo*. Poſtquam Chriſtus Dominus in carne immortali aſcendit in cœlum, iterum corporaliter deſcẽdit in terram, vt Saulum perſequentem conuerteret, & Apoſtolum efficeret ex perſequutore. Quod ſanctus Thomas expreſſe aſſerit, & colligit ex verbis illis eiuſdem Apoſtoli, *Nouiſsime autem omnium tãquam abortiuo viſus eſt & mihi*: & poſtqnam effecit illum vas electionis, capta præda, reuerſus eſt in cœlum, & Paulum ſecum rapuit, ſicut ipſe ait. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum*. Præcedit Chriſtus, & rapiens Paulum ait illi· *Ego ante te ibo*, iter pandẽs, ianuas cœli aperiens, vt videas, & annuncies quæ præparauit Deus diligentibus ſe. *Et glorioſos terræ humiliabo*, ac ſi diceret, tantis fauoribus & priuilegijs decorabo te, tot dona ſpiritualia conferam, vt glorioſi Principes terræ, immo & Eccleſiæ, corã te quaſi humiles appareant.

Paulo Apoſtolo adaptantur quę Iſaias dicit de Cyro.

1. Cor. 15.

2. Cor. 12. a

Paulus cæteris Apoſtolis confertur.

Quod



Quod eiuſdem Apoſtoli teſtimonio comprobatur: *Quibus neque ad horã ceſsimus ſubiectioni, vt veritas Euãgelij permaneat apud vos: Ab ijs autem, qui videbantur eſſe aliquid, (quales aliquando fuerint nihil mea intereſt, Deus perſonam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt, ſed è contra, cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circunciſionis: (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes) & cũ cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, tantum vt pauperum memores eſſemus*. Princeps Eccleſiæ humiliter accepit id quod Apoſtolus Paulus dixit. *Cũ autem veniſſet Cephas Antiochiã in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circunciſione erant. Et ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Iudæus ſis gentiliter viuis, & non Iudaice, quomodo gẽtes cogis Iudaizare?* Lege attente quæ de ſe ipſo referat Paulus primæ ad Corinthios vndecimo, & duodecimo, & videbis quanta de ſe dicat Apoſtolus, conludens in hæc verba. *Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus*. Lege & caput quintũdecimum Epiſtolæ primæ ad Corinthios, vbi ſe præfert in laboribus quos pro Chriſto paſſus eſt, alijs Apoſtolis: *Gratia Dei* (inquit) *ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Et cum talia teſtimonia de ſe perhibeat Apoſtolus: *Nos* (inquit) *non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſurã regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingẽdi vſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos: vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti, non in immenſum gloriantes in alienis laboribus*. Nonne theſauros abſconditos dedit Paulo, cum dedit illi cognoſcere, & amare Chriſtũ & hunc crucifixum, in quo ſunt omnea theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi: in quo & inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter? tanto ardore charitatis flagrabat erga nomẽ Domini Ieſu Chriſti, quẽ olim perſequebatur, amplius æmulator exiſtens paternarum ſuarũ traditionum, vt in quatuordecim Epiſtolis ſuis, nomẽ Ieſu Chriſti 460. * vicib⁹ nominauerit, vt notauit Georgius Ederus. nec mirũ, cum ipſe Dominus dixerit Actorum 9. *quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael*. Arcana ſecretorum reuelauit illi, quando *raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Confer verba ſequẽtia huius textus, videlicet, *vt ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum &c.* cum verbis, quæ habentur Actorum 9. & videbis, quomodo inter ſe cohæreat.

Galat. 2 a

Ibid. c

1. Cor. 11. & 12

2. Cor. 10. d

* Georgius Ederus li. 4. partition. theologic.

2. Cor. 12. b

Act. 9. a

Subito

*Subito* (inquit) *circumfulſit eum lux de cœlo: & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: quis es Domine? & ille: Ego ſũ Ieſus quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere? & Dominus ad eum: ſurge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* De Cyro dictum eſt. *Ego Dominus qui voco nomen tuum,* & *vocaui te nomine tuo.* Paulum vero Apoſtolum etiam vocauit Chriſtus nomine proprio: *Saule Saule quid me perſequeris?* De illo dicitur, *vt ſcias quia ego Dominus:* Paulo vero inquirenti, *quis es Domine?* Reſpondit Chriſtus: *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.* De illo dicitur, *aſſimilaui te & accinxi te,* ſed multo perfectius cernere id ipſum licet in Paulo, quem Dominus cinxit, vt portaret nomen eius *coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael.* Quem aſſimilauit lupo, Geneſis 49. vt Tertulianus explicat lib. 5. contra Marcionem. & Gregorius magnus, cuius verba adduximus ſupra capite 3. numero. 5. & capite 9. num. 11. Aſſimilatus eſt vaſi electionis, Actorum 9. Dictus eſt & appellatus gentium doctor, primæ ad Timotheum 2. Magiſter eorundem 2. ad Timotheum 1. Apoſtolus gentium ad Rom. 11. miniſter Chriſti inter gentes ad Rom. 15. vocatione inter Apoſtolos nouiſſimus, & minimus 1. Corint. 15. Et ipſe Apoſtolus confert ſe ipſum abortiuo. *Nouiſſime autem omnium tãquam abortiuo viſus eſt* (inquit) *& mihi.* Viterbien. vocat Apoſtolum Angelum gẽtium. Chryſoſtomus, qui de ſe ait, *fateor me flagrare amore huius viri,* ideſt Pauli, illum aſſimilari docet non ſolum perfectiſſimis viris, qui anteceſſerunt eum, ſed etiam Angelis ſupremis. *Cui te ô Beate Paule iuſtorum veteris teſtamenti, vel noui audeam comparare? Omnium quippe virtutem quaſi in arca quadam, ſed cum multo prorſus cumulo condidiſti. Denique, etiam ſi totum cõtra te aliquis ſigillatim iuſtorum appendat chorũ, inueniat trutinam virtutum ponderibus à tua parte depreſſam. Paulus vero ſecundus Abel, verum non ſemel, ſed per dies ſingulos immolatus. Paulus alter Noe, ſed abſque arca inſurgẽtes aduerſus ſe vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham, non modo à patria, vel gente, ſed poſt vocationem ſuam ab ipſa etiam vita prorſus abſciſſus. Paulus alter Iſaac, ſponte in hoſtiam colligatus. Paulus alter Iacob quaſi pro vno quodam totius mundi grege ſemper ineuigilans. Paulus alter* Ioſeph, *ſpirituali fame, tabeſcẽte mundo, veritatis alimenta diſtribuens. Paulus alter Moyſes, qui omnes gentes à tyrannide diaboli reduxit ad Chriſtũ. Paulus alter Aaron, totius mundi populus inunctus ſacerdos. Paulus alter Phinees impietatem* Iudæorum *atque gentilium, quaſi fornicationẽ mentium, vno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid, qui velut quendam Goliam in certamine diabolum prouocat. Paulus alter Helias, clarius raptus in cœlos Paulus alter Heliſæus, qui gentes ab interiore lepræ pollutione mundauit. Paul' alter Ezechias, qui ad vnã fidẽ Chriſti diuerſos populos attraxit. Paul' alter* Ioſias, *qui abominationes gentilium diſſipauit ac perdidit. Paulus alter* Ioannes, *pro Chriſto capite truncatus. Paulus alter Petrus, non de cœlo vocatus ad credendum. Paulus alter Gabriel, qui Chriſti ortum*

Paulũ proprio nomine vocat Chriſtus de cœlo.

Ibid.

Pauli epitheta.

Tert. lib. 5. cõtra Marcionẽ ſub initium.

Ex Georg. Edero. l. 4. partitionũ theologicarum. tabula 30.

Viterbien. in chronicis patt. 14

Chryſ. hom. 8. de laudibus aul. tom. 3.

Paul' præfertur Ioſeph patriarchæ, Dauid, & alijs





*cunctis gentibus annunciauit. Paulus alter Michael, qui Chriſtianorum dux eſſe ſortitus eſt. Etiam ſi Angelorum: etiam ſi iuſtorum hominum circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non tamen cumulo meritorum Paulus occurrat.* Alia quamplurima de laudibus Pauli docet Chryſoſtomus per diuerſas homilias, præſertim homilia quinquageſima tertia in Geneſim. homilia vltima in Acta Apoſtolorum & homilia ſecunda ſuper Pſalmum 50. ſed reuertamur ad contextum literæ.

6 *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malũ. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Oſtendit, ſolum Deum eſſe primum omnium rerum principiũ, nec reperiri aliquid in rebus creatis rationem entis habens, quod inquantum huiuſmodi, non reducatur in ipſum, tamquam in primam cauſam. Cum enim omne ens creatum, ſit ens per participationem, neceſſario debet reduci in ens per eſſentiam, quod eſt Deus. Nec tamen intelligas (vt hæretici dicunt) Deum ita eſſe primum omnium rerum principium, vt mala culpæ operetur in nobis, ſeu peccata, ſicut operatur opera bona: hoc enim aſſerere eſt impium, & contra expreſſam diffinitionem Concilij Tridentini, vbi ſic habetur. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſſiue ſolum, ſed etiam propriè & per ſe, adeo vt ſit proprium eius opus nõ minus proditio* Iudæ, *quam vocatio Pauli, Anathema ſit.* Et Concilium Arauſicanum ſecundum. *Aliquot* (inquit) *ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illis Anathema dicimus.* Neque cõtra iſtam duplicem diffinitionem infertur aliquid ex ſententia illorum, qui cum Diuo Thoma affirmant, peccatum, ſeu malum morale, eſſe pro formali aliquid poſitiuum. Hæc enim argumentatio, quam non nulli arbitrantur efficaciſſimam eſſe, nihil concludit, videlicet, Deus eſt cauſa cuiuſcumque entis poſitiui, ſed peccatum pro formali eſt aliquid poſitiuum, ergo peccatum pro formali eſt à Deo. Hoc enim argumentum facillimè diſſoluitur, dicendo, quod omne ens poſitiuum eſt à Deo. Si autem tale ens ſit poſitiuum deficiens, erit quidem à Deo inquantum poſitiuum, & inquantum ens, non autem inquantum eſt deficiens. Quia Deus, cum ſit ſumme bonus & perfectus, nemini eſt cauſa deficiendi, ſed efficiendi: defectus enim ſolum in cauſam deficientem debet reduci. Effectus autem, & omne ens per participationem, reducendum eſt, tamquam in primam cauſam, in ipſum Deum. Vnde iſtæ propoſitiones ſunt abſolutè negandæ, Deus eſt cauſa peccati. Deus eſt cauſa mali moralis, Deus mouet hominem ad peccandum. Deus cauſat actum peccati, inquantum eſt malus moraliter. omnes enim iſtæ, & aliæ huiuſmodi aſſertiones ſunt impiæ. Iſtæ verò poſſunt concedi cum addito, peccatum inquantum actus, inquantum natura quædam poſitiua, & inquantum ens, eſt à Deo, nam ſub hac ratione, peccatum eſt quoddam bonum, & conſequenter à primo bono, quod eſt Deus. Hæc eſt expreſſa ſententia ſancti Thomæ. Ait enim

Mala culpæ nõ operatur De'.

Conc. Tri. ſeſſ. 6 cã. 6. de iuſtif.

Concil. Arauſ. 2. can. 25.

Caiet. 1. 2. q. 18. art. 5. & q. 71. ar. 6. Et 2. 2. q 6 ar. 2. ſuper ſolutionẽ ad 2. Bannes. 1. 1. q. 48. a. 1. & q. 49. ar. 2.

Peccatũ pro formali eſt natura quædam poſitiua.

Peccatũ vt ens à Deo eſt, quia vt ſic bonum eſt.

S. Tho 2. ſent.diſ.37 q. 2.art 2 in corp.

*Quod actus in quantum actus à Deo eſt, & vt ſic non habet aliquid, quod deformitatem habeat: quod qualiter ſit, ita conſiderari poteſt. In omnibus enim, in quibus incidit defectus ex cauſa ſecunda, & non ex cauſa prima, oportet quod quidquid eſt in effectu deficiente, eſſentiæ & bonitatis, totum à prima procedat: quod autem defectus reducatur in cauſam ſecundam deficientem, patet in claudicatione, quæ eſt à virtute greſſiua mediante tibia, per cuius ſcilicet tibiæ curuitatem, obliquitas in greſſu claudicantis relinquitur: vnde quicquid eſt ibi de greſſu, totum eſt à virtute greſſiua, ſed defectus, vel obliquitas greſſus non eſt à virtute greſſiua, ſed à tibia tantum. Similiter etiam eſt ordo Dei ad voluntatē cauſatam, ſicut cauſa prima ad cauſā ſecundam. Ideo ex parte Dei nullus defectus incidere poteſt. Voluntas autem cauſata ad defectum, poſſibilis eſt: & ideo quicquid eſt in actu deficiẽti, ſcilicet peccato, de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, ſcilicet Deo procedit mediante voluntate: ſed ipſe defectus, qui eſt in actu, hoc modo eſt à voluntate, quod à Deo non procedit, & ideo quodcumq; nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſiue in generali, ſiue in ſpeciali, non poteſt dici, quod hoc à Deo ſit ſimpliciter: vnde non poteſt dici abſolute, quod peccatū ſit à Deo, vt homicidium, aut aliquid huiuſmodi, niſi cum hac additione, inquantum eſt actus, & in quantum eſt ens.*

S. Tho. 2. ſẽt.ad Anibald.d 37. q.vnica ar. 2.in corp.

Idem docet in alio ſecũdo libro ſententiarum ad Anibaldũ, vbi pertractans illam queſtionem: Vtrum omne ens ſit à Deo, reſpondet, *quod hæreticum eſt dicere, aliquod ens, inquantum ens, non eſſe à Deo.* Peccatum ergo, inquantum ens, à Deo eſt. Et omiſſis alijs pene innumeris locis eiuſdem ſancti Doctoris, notanda eſt maxime ad plenam intelligentiam huius controuerſiæ, doctrina quam tradit libro tertio contra gentes. Cum enim in capite 7. hanc ſtatuiſſet concluſionem, quod videlicet *malum non eſt aliqua natura poſitiua*, & in capite octauo propoſuiſſet primum argumentum contra prædictam determinationem. *(Nam ex propria differentia ſpecifica, vnumquodque ſpeciem ſortitur. Malum autem eſt differentia ſpecifica in aliquibus generibus, ſcilicet in habitibus, & actibus moralibus: Sicut enim virtus, ſecundum ſuam ſpeciem, eſt bonus habitus, ita contrarium vitium, eſt malus habitus ſecundum ſuam ſpeciem: & ſimiliter de actibus virtutum, & vitiorum: malum igitur eſt dans ſpeciem aliquibus rebus: eſt igitur aliqua eſſentia, & aliquibus rebus naturalis)* Poſtea in capite nono ſic reſpondet. *Contingit, quod eſt malum vni, eſſe bonum alteri: & ideo nec malum, ſecundum quod eſt differentia ſpecifica in genere moralium, importat aliquid, quod ſit ſecundum eſſentiam ſuam malum: ſed aliquid quod ſecundum ſe eſt bonum: malum autem homini, inquantum priuat ordine rationis, quod eſt hominis bonum. Ex quo etiam patet, quod malum & bonum ſunt contraria, ſecundum quod in genere moralium accipiuntur: non autem ſimpliciter accepta, ſicut ſecunda ratio proponebat: ſed malum priuatio eſt boni, inquantum eſt malum.* Itaque peccatum, inquantum eſt quædam natura, à Deo eſt, ſed inquantum peccatum, non habet aliam cauſam

S. Tho. 3. cont gent. cap.7.8.9.

ſam



ſam, niſi voluntatem deficientem. Hanc doctrinam deſumpſit ſanctus Thomas ex ſancto Patre Auguſtino, libro ſecundo de libero arbitrio, capite decimonono, & vigeſimo, vbi hanc proponit, & diſſoluit quæſtionem. Ait enim. *Sed tu fortaſſe quæſiturus es, quoniam mouetur voluntas, cum ſe auertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, vnde ei iſte motus exiſtat, qui profecto malus eſt, tametſi voluntas libera, quia ſine illa nec rectè viui poteſt, in bonis numeranda ſit. Si enim motus iſte, ideſt, auerſio voluntatis à Domino Deo, ſine dubitatione peccatum eſt, num poſſumus auctorem peccati Deum dicere? non erit ergo iſte motus ex Deo. Vnde igitur erit? Ita quærenti tibi, ſi reſpondeam, neſcire me, fortaſſe eris triſtior; ſed tamen vera reſponderim: ſciri enim non poteſt quod nihil eſt. Tu tamen pietatem inconcuſſam tene, vt nullum tibi bonum, vel ſentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non ſit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit, quæ non ſit ex Deo. Omnem quippe rem, vbi menſuram, & numerum, & ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris. Nulla ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo. Motus ergo ille auerſionis, quem fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quo pertineat, & ad Deum pertinere non dubites. Qui tamen defectus, quoniam eſt voluntarius, in noſtra eſt poſitus poteſtate.* Quibus verbis, omnem entitatem, quæ in actu peccati reperitur, Deo tribuit, malitiam autem moralem, & defectum, in ſolam voluntatem deficientem reducit. Quomodo autem Deus humanam dicatur obdurare voluntatem, aut mentis oculos excæcare, explicatum eſt ſuperius capite 6 nu.48.

Auguſt.

7 *Faciens pacem, & creans malum &c.* Vt ergo ad contextum propius accedamus, obſeruandum eſt, quod malum eſt duplex, aliud culpæ, de quo in præcedenti numero diximus, aliud eſt malum pœnæ, quod Dominus iuſte infligit, cum illud male agentibus, & peccatoribus in flagellum immittit. *Formans* igitur *lucem, & creans tenebras dicitur,* (vt ait Gregorius,) *quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem mentis lux accenditur. Faciens pacem, & creans malum, quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc, quæ bene ſunt condita, ſed male concupita, in ea, quæ nobis mala ſunt, flagella vertuntur. Per culpam quippe, diſcordes Deo exiſtimus: dignum ergo eſt, vt ad pacem illius per flagella redeamus: vt cum vnaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur.* Auguſtinus autem contra Adimanthum, illud verbum, *Faciens pacem*, ad bonitatem Dei refert: *creans malum*, ad ſeueritatem & iuſtitiam. & eodem modo explicat in capite vigeſimoſexto, de malo pœnæ, illud Amos tertio. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Eodem modo explicat vtrumque locum, Amos videlicet, & Iſaiæ, ſanctus Chryſoſtomus. *Neque enim* (inquit) *hic malitiam voluit intelligi, ſed peſtilen*

Malum pœnæ eſt à Deo, non malum culpæ:

Gregor. 2. mor.cap.4

Augu lib cõtra Adimanthum ca. 27 to 6

Amos 3.

Chryſ ho. 23. ſuper Matth. à medio.



tiam

*tiam profectò, & famem, cæteraq. huiuſmodi, quæ mala eſſe putantur à plurimis*. De ijs etiam malis intelligitur illud. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas, à Deo ſunt*. Ex quibus omnibus impugnatur error Manichæorum, ponentium duo prima rerum principia, alterum bonorum, alterum malorum, de quo in capite præcedenti dictum eſt.

*Eccli. 11. b*

8 *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra & germinet ſaluatorẽ: & iuſtitia oriatur ſimul: Ego Dominus creaui eum.* Poſt lætum nuncium, quo, per Cyrum liberandos eſſe Iudæos à captiuitate Babylonis, prædixerat, & multo fœlicius per Chriſtum, conuertitur propheta per apoſtrophem ad coelos, optans, accelerari tempus redemptionis promiſſæ. Conſimili affectu conuertitur infra ad Saluatorem repromiſſum. *Vtinam* (inquiens) *diſrumperes coelos & deſcenderes*. Ac ſi diceret. O vtinam coeleſtia & terreſtria nos adiuuent, vt tandem voti compotes efficiamur, & videamus deſideratum cunctis gentibus. O vtinam tollatur maledictio, qua propter peccata noſtra coelum nobis factum eſt æneum, & terra ferrea. O vtinam gratiam ſuam dent coeleſtia, quam ſuſcipere non detrectent, qui ſunt in terra. Peccata noſtra diuiſerunt inter nos & Deum, oppoſuimus nūbem, ne aſcenderet oratio. Superexaltet iam miſericordia iudicium, & vbi abundauit malitia, ſuperabundet & gratia. diſſoluantur ſolis ardore peccata noſtra, omnia impedimenta de medio tollantur. Pluant coeli rorem illum, qui olim ſuper vellus Gedeonis deſcendit, rorem inquam diu à nobis exſpectatum. Pluant nubes iuſtum, ideſt Chriſtum iuſtificantem mundum; fiat terra noſtra idonea, ad ſuſcipiendum & germinandum Saluatorem: veniat tempus ſalutis, quo iuſtè vindicet nos Deus ab hoſtibus noſtris. Hac igitur deprecatione affectuoſa vaticinatur ſimul, & explicat modum, & ordinem incarnationis Dominicæ, quem ſanctus Lucas Euangeliſta iam adimpletum narrauit; *Miſſus eſt* (inquiens) *Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat* Ioſeph, *de domo Dauid, & nomen Virginis Maria*. Vbi ſanctus Euangeliſta nuncium in primis introducit, Angelum videlicet, qui à Deo miſſus eſt, vt Dei voluntatem, & decretum, quo ab æterno ſtatuit pro hominibus in plenitudine temporis incarnari, notum illi faceret. Deinde ipſe Angelus quædam commemorat prophetarum oracula, quæ de Chriſto & eius regno loquebantur: ac tamdem conſtituit prudentiſſimum virginis reſponſum, hac prompta obedientia, & profundiſſima humilitate conſenſum præbentis, & dicentis. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Et poſt illius conſenſum. *Verbum caro factum eſt*: cuius natiuitatem enarrat ipſe Euangeliſta, cum ait. *Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio*. Hæc omnia eodem ordine vaticinatur in præſenti Iſaias, vt his verbis explicat ſanctus Ambroſius. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Dicendo, rorate cœli deſuper, myſterium*

Aduentus Chriſti, maxime fuit deſideratus.

*Iſa. 64. a*

*Thren. 3 e*

*Lucæ 1. c* Angelus mittitur ad Mariã.

*Ibid.*

*Ioan. 1.*

*Luca 2. a*

Amb. li. 3. de officijs diuin. ca. 6. to. 3.





*rium Angelicæ expreſſit alloquutionis, qua Verbum Deus in interiorem aurem credulæ virginis, ſicut pluuia in vellus deſcendit. & per hoc quod ait, & nubes pluant iuſtum, ſe, atque cæteros Prophetas, qui vt nubes iuſtum, ſcilicet Chriſtum, & fideles eius in terra cordis noſtri doctrina depluunt. Aperiatur* (*inquit*) *terra ſuſcipiendo verbum, & dicendo, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecũdum verbum tuum: & germinet ſaluatorem benedicta in æternum, Deũ nobis proferens, & hominẽ*. Conſonat hęc explicatio cũ textu Hebraico, vbi pro, *aperiatur terra, & germinet ſaluatorem*, habetur, aperiat ſe terra, & pullulet Ieſum, & illam tradit S. Auguſtinus, qui pluribus in locis verba hæc interpretatur de filij Dei incarnatione, & natiuitate; & præſertim in oratione de quinque hæreſibus cap. 4. docet, quæ in hoc loco dicuntur eundem habere ſenſum cũ illo. *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis*. Quod autem ait. *Et iuſtitia oriatur ſimul*, ad illud videtur referendum, quod Saluator ipſe per Ioannẽ teſtatur. *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Quem locum explicatum dedimus cap. 1. num. 33. Valet plurimum locus iſte, ad confirmandos pios homines in ſpe futuræ redemptionis. Quocumque populus intuebatur olim, nihil præter deſperationem videbat, attendendo ad peccata quibus inuolutus erat. Si in cœlum conuertebat oculos, illic ira Dei: ſi in terram, illic etiam plagæ, & flagella apparebant, iuxtà Domini ſentẽtiam, *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi*. Nihil ergo cœlum & terra, præter minas, & terrores oſtendebant peccatori. Nunc autem omnia in benedictionem eſſe dicit commutanda. Nam cœlum deſideratum tribuet rorem, & terra, non iam ſpinas, & tribulos, ſed ſaluatorem & ſalutem hominibus germinabit. Et eſt notandus ordo contextus. Vt enim terra fruges producat, neceſſe eſt, vt è cœlo virtutem accipiat, atque ex nubibus pluuiam, qua fęcũdetur, deinde herbas producit & fruges hominibus, & animantibus cæteris: ita & in Verbi incarnatione prius cœlum, ideſt virtus Spiritus ſancti, Mariam Virginem foecundauit, ac poſtmodum concepit, & peperit Saluatorem. Eundem ordinem apud Pſalmiſtam inuenies, cum ait. *Etenim Dominus dabit benignitatẽ, & terra noſtra dabit fructum ſuũ*. Quod autem Maria virgo deſignetur per terram, & terram noſtram, explicatum eſt ſuperius in illa verba, *& fructus terræ ſublimis*: qui locus conducit maxime ad plenã iſtius intelligentiam.

Annunciatio Dominica prædicitur ab Iſaia.

Aug. ſer. 12 de tep. de feſto natiuitatis ſaluatoris ſermone 9.

*Iſai. 9.*

*Ioan. 12 d*

*Gen. 3. e*

*Pſal. 84.*

Sup. cap 4. num. 6.

9 *Ego Dominus creaui eum*. Vox eſt Domini deſiderijs Prophetæ reſpondentis, ita vt ſenſus ſit. Quod tu optas tantopere, quod obortis lacrymis poſtulaſti, *ego Dominus creaui*, ideſt, creabo, & in temporis plenitudine certiſſime præſtabo. Mittam enim ſaluatorem populo meo, mittam Chriſtum meum, qui non à captiuitate Babylonica, ſed à tyrannide Principis tenebrarum populum captiuum eripiet, venundatum ſub peccato. Illud nomen, *ego Dominus*. magnam habet Emphaſim. *Ego* (inquit) *ego* qui Dominus ſum abſolutus, & creator vniuerſi, cui omnia obediunt ad nutum, *ego* per-

Incarnatio op. fuit omnipotẽti Dei & miſericordiæ.

ficiam opus iſtud. Non ergo diffidas, ne cuncteris, ſi non appareat vnde ſit venturus Saluator, ſi non videris cœlos, vt petiſti, diruptos, aderit enim per me ſalus populo. Tu quidem poſtulas, vt cœlum in hoc opere deſeruiat; & terra aer, *& nubes*, vt videlicet oriatur Meſſias, vt oriantur quæ prædixit & opere compleantur. Ego autem nō ratione naturali perficiam opus meum, ſed creabo eum, virtutem atque omnipotentiam meā oſtendens in illo. *Ego Dominus creaui eum* iuſtum, & Saluatorē, .i. Chriſtū. Ideo ergo ait: *Creaui*, vt oſtenderet, hoc incarnationis myſterium ſolius omnipotentiæ Diuinæ opus eſſe, ſicut & creatio, ad quam (vt probat S. Thomas) nulla creatura poteſt [S. Thom. 1. p q 45 ar. 5.] de potentia Dei abſoluta aſſumi, non ſolum, vt cauſa principalis, ſed nec vt inſtrumentum quidem. Eodem verbo creandi vſus eſt propter eandē rationē qui dixit *Quia creauit* Dominus *nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum*. [Hier. 31 d] Quo etiam oſtenditur, abſque vllis humanitatis Chriſti præcedentibus meritis, in tantam dignitatem euectam fuiſſe, vt diuinæ ſubſtātialiter vniretur naturæ in eadem perſona Verbi, ſumpta ſimilitudine a creatione, quæ fit ex nihilo, nullo præſuppoſito ſubiecto, nullis diſpoſitionibus præuijs.

10 *Væ qui contradicit factori ſuo, teſta de Samijs terræ: numquid dicet lutum figulo ſuo: quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt? væ qui dicit patri: quid generas? & mulieri: quid parturis?* Sumpta occaſione prophetiæ, qua tam magna eloquutus eſt de Cyro rege Perſarū, qui populum Iſrael à captiuitate Babylonis liberauit, cōuertitur ad prophetandum cōtra regem Babylonis, qui eundem populum tenebat captiuum. & ſenſus eſt: Sicut proſpere cedent omnia Cyro regi, ita & maledictio obueniet Balthaſar regi Babylonis, qui oblitus ſe eſſe lutum & puluerem, obmurmurare auſus eſt contra Deum factorem ſuum, & illum multis modis blaſphemare. *Væ* & illis q penetrare præſumūt abſcondita myſteria, & inacceſſa, & dicere Deo, *opus tuū abſque manibus eſt*, (ideſt,) male factum aut diſtortum, ac ſi pedibus fabricatum fuiſſet, & nō manibus. Qui curioſè inquirūt & cauſam quęrūt, quare Cyrum hominem gentilem ad liberandum captiuum populum elegerit, & regem Babylonis eadem gentilitate detentum, tot mala infligere populo Iſraelitico permiſerit, & per Cyrum poſtmodū penitus deſtruxerit. Iniquum certe eſſet, ſi lutum diceret figulo. *Quid facis?* aut Filius Patri, *Quid generas?* & Matri, *quid parturis?* Si quis enim filius talia diceret, omni maledictione dignus eſſet. Hoc teſtimonio vſus eſt Paulus, ad increpādam hominum ſuperbiam, qui impiè conqueruntur de Deo, eo quod pro ſua dumtaxat voluntate iſtum miſericorditer elegerit, illum in maſſa perditionis reliquerit. *O homo*, (inquit) *tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* [Rom. 9. e] Lege ſupra dicta. nā ex varijs locis Scripturæ, & ſanctorum Patrum oſtendimus [Sup. cap. 29. nu. 30.] id, quod in pręſēti aperte inſinuat Iſaias, nullā videlicet ex parte noſtra dari cauſam prædeſtinationis, & reprobationis. [Homo teſta eſt de Samijs.] Porro *teſta de Samijs terra*, vaſa quædam ſignificat in Samos inſula fabricata, de quibus Plinius, Samia vaſa Romæ laudantur. Erant vaſa



vaſa illa delicata & fictilia, qualia ex Inſulis Luſitaniæ aſportantur. Sanctus autem Hieronymus accipit hoc nomen in præſenti, vt genericum, pro quibuſcunque vaſis fictilibus, ſeu terreis, quæ explicuit Apoſtolus cum [1. Cor. 4. b] dixit: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis*.

11 *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael plaſtes eius, ventura interrogate me, ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creaui ego: manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum mandaui*. Hoc loco iterum loquitur cum gentibus, exprobrans eorum idola, quæ nihil poſſunt efficere, aut futurorum aliquid prædicere. Illud autem relatiuū, *eius*, refert Iſrael, ideſt, hæc dicit plaſmator Iſrael. Poteſt etiam referre Cyrum regem, aut Chriſtum Saluatorem noſtrum, quem in quantū eſt homo plaſmauit, corpus eius formans ex terra illa, de qua [Iſaiæ 45 b] dixerat ſupra, *aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Hortatur autem, vt interrogent ſuper futuris idola ſua, quandoquidem in ipſis gloriātur, ac ſi numinis aliquid haberent, & omnium cognitionem. *Mandate mihi*, idem eſt, quòd interrogate me, vt ex ore meo cognoſcatis futura, ideſt ex prophetis, & ſcripturis, qui, vt [Sup. cap. 1. num. 61.] ſuperius obſeruauimus, os ipſius Dei dicūtur, & labia, quibus nobis loquitur abſcondita à ſæculis myſteria. *Ego feci terram, &c.* Narraturus Dominus inauditam rem, & nouam, manifeſtat in primis potentiam ſuā, dicens ſe conditorem eſſe cœli & terræ, cuius nutu facta ſunt vniuerſa, qui de terra creauit hominem, & Domi- [Gen. 1. d] num effecit illius, dicens. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram*. Qui ad modum pellium tetendit cœlos, ſicut per Pſalmiſtam dicit: *Extendens cœlum ſicut pellem*: [Pſ 103. a] qui militiam eorum, ideſt ſtellas vocat, quas ideo militiam nominat, eo quod ad inſtar militum ordinem ſeruent, dum quædam oriuntur, quædam occidunt, diſponente Deo & ordinante, ſicut explicuimus ſupra, vbi eadem prædixerat Iſaias [Sup. ca. 40. nu. 13.] quæ modo repetit, vt firmius noſtræ adhæreant memoriæ.

12 *Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam. ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum*. Loquitur de Cyro Rege Perſarum, de quo ſupra dixerat. *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequeretur ſe*. [Iſai. 41. a] Cui interrogationi nihil reſpondentibus idolis, & præ confuſione ſubticentibus idolorum cultoribus, Dominus ipſe reſpondet. *Ego ſuſcitaui eum*. Ego excitaui, & vocaui, tangens & mouens cor eius, vt perficiat quæ præcepi illi. Excitabo autem ad iuſtitiam, ideſt, vt iuſtitiam faciat populo meo, liberando illum ab iniuſta captiuitate Babylonis, & regnum illud, & regem eius puniendo. In hoc quidem miniſter erit meæ iuſtitiæ & executor. Ego adiuuabo illum, & dirigam, ne contra eum poſſint Babylonij præualere, vias eius planas faciam, & iter proſperum; ipſe ædificabit ciuitatem meam Hieruſalem. Quod ad literam impletum eſt, cum Cyrus larga manu ſuppeditauit aurum & argentum, vt ædificaretur templum ſanctum Domini, literis cōſcriptis vniuerſos hor-

tans Iudæos vbique terrarum diſper-
ſos, vt conuenirent in Hieruſalem, &
muneribus ſuis voluntariè oblatis
pium opus adiuuarent. Ait enim.
*Quis eſt in vobis de vniuerſo populo
eius? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcen-
dat in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa,
& ædificet domũ Domini Dei Iſrael,
ipſe eſt Deus, qui eſt in Hieruſalem.
Et omnes reliqui in cunctis locis vbi-
cumque habitant, adiuuent eum viri
de loco ſuo, argento, & auro, & ſub-
ſtantia, & pecoribus, excepto quod
voluntariè offerunt templo Dei, quod
eſt in Hieruſalem*. Ipſe denique ca-
ptiuitatem dimiſit, nõ pretio aliquo,
ſed mere gratis. Hæc omnia multo
excellentius competunt Chriſto, vt ex
ſupra dictis patet. Ipſe enim fecit
iudicium & iuſtitiam, nos à poteſtate
diaboli eripiens. ſicut per Ioannem
*Ioan. 12* ait. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc
princeps huius mundi eÿcietur foras,
& ego ſi exaltatus fuero à terra, om-
nia traham ad me ipſum*. Ille ædifi-
cauit ciuitatem, Eccleſiam videlicet
*Mat. 18* Catholicam. *Tu es Petrus* (inquit)
*& ſuper hanc petram ædificabo Ec-
cleſiam meam, & portæ inferi non
præualebunt aduerſus eam*. Ille de-
mum gratis populum ſuum liberauit
à captiuitate peccati, ſicut inferius
*Iſa. 52. a* dicitur: *Gratis venundati eſtis, &
ſine argento redimemini*. Et per A-
*Titũ 3. b* poſtolum ait. *Non ex operibus iu-
ſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundũ
ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.*
Eramus ſerui peccati, & liberos nos
fecit, inopes, & ditauit, exules, & ad
patriam reduxit cœleſtem.

13 *Hæc dicit Dominus: Labor
Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, &
Sabaim viri ſublimes ad te tranſi-
bunt, & tui erunt: poſt te ambula-
bunt, vincti manicis pergent: & te
adorabunt, teq. deprecabuntur: tan-
tum in te eſt Deus, & non eſt abſque
te Deus. Vere tu es Deus abſcondi-
tus, Deus Iſrael ſaluator*. Omnia
hæc ad Iſrael dicta ſunt, vt nonnulli
exponunt, qui dicũt, in præſenti pro-
phetam loqui de pecunia tributaria,
in ſumptus templi ab iſtis populis
oblata, videlicet ab Aegypto, Aethio-
pia, & Sabaim. Sed multo magis
quadrat contextui, ſi de Cyro Rege
Perſarum verba hæc intelligantur, &
principalius explicentur de Chriſto,
cuius ille typum geſſit. nam omnes Cyro ſubiecti fuerũt quamplurimi.
populi prædicti, tributarij fuerunt
Cyro, qui regnauit vſque ad Aethio-
pes, inter quos eſt & Sabaim. Vnde
poſtea viſa reductione mirabili filio-
rum Iſrael à captiuitate Babylonis in
ciuitatem ſanctam Hieruſalem, &
templi ampltiudine, & gloria, lau-
dauerunt Deum, verè agnoſcẽtes, ip-
ſum ſolum eſſe, qui in ſe ſperantes li-
berat ex omnibus anguſtijs & peri-
culis. Vnde illa verba, *Et te adora-
bunt*, ad Deum Iſrael diriguntur, &
ſenſus eſt. Cum viderint Aegyptij,
Aethiopes, & ſublimes viri Sabaim,
prouidentiam magnam & curam, quã
tui populi electi habes, ò Deus Iſrael,
adorabunt te, & colent in muneri-
bus, & agnoſcentes confitebuntur
plane, te ſolum eſſe verũ Deum Iſrael,
& dicent, *Verè tu es Deus abſcondi-
tus*, quaſi dicerent. Olim Deus oc-
cultus eras, cum populus affligeretur
in Babylone, & putabaris non eſſe
Deus, nec prouidentiam tuorum ha-
bere. Vnde & quidam hæc de te men-
tiebantur. *Circa cardines cœli per-* *Iob 22. b*
*ambulat, nec noſtra conſiderat*. Nũc
autẽ cum miris modis populum tuũ
à captiuitate Babylonis liberaſti, ma-
nifeſtum eſt, te eſſe Deum & ſaluato-
rem Iſrael. Quæ enim feciſti mira-
bilia, obteſtantur, & omnipotentiam
tuam clare oſtendunt. Erat Deus
abſcon-



abſconditus gentibus, ſed non po-
pulo Iſrael. Dicit enim Propheta.
*Pſ. 47. a* *Magnus Dominus & laudabilis ni-
mis in ciuitate Dei noſtri, in monte
*Pſ. 75. a* *ſancto eius*. Et iterũ: *Notus in Iudæa
Deus: In Iſrael magnum nomẽ eius*.
Hæc ſecundũ hiſtoriã ita contigerũt.

14 Quia vero (vt ſæpius dixi-
mus) Cyrus Rex Perſarũ figura Re-
demptoris noſtri fuit, multo conue-
nientius, & magis propriè hæc ex-
plicantur de Chriſto, ſicut explicãt
Ambroſius, S. Hieronymus, & Tertu-
S. Amb. li. lianus, Cyprianus, & Epiphanius
vnico, de & alij ſancti Patres quamplurimi. Iu-
fid. cap. 2. xta quorum explicationem loquitur
S. Hier in Dominus per Prophetam cum Chri-
præſenti. ſto, gentium conuerſionem illi repro-
Tertul. lib mittẽs, & ſenſus eſt. Aegyptij, Æthio-
aduerſ. Pra pes, & viri ſublimes Sabaim, per quos
xeam. ca. 9 gentiles idololatræ intelliguntur, &
Epiphan. principes idola colẽtes, relicta vana
lib. 2 cap. ſuperſtitione, & confractis ſuis ſimu-
cont. Nouatian. lachris, ad prædicationem Euãgelij,
ad te conuertentur, *ad te tranſibunt*,
& ſerui tui erunt. Ambulabunt poſt
Chriſtũ ſe te *vincti manicis*, nõ ferreis, ſed ſua-
quutæ ſũt uiſſimis vinculis præceptorum tuo-
omnes gẽ- rum (ſic enim interpretatur Hiero-
tes vinctæ nymus) & vinculis charitatis aſtri-
manicis. cti. Mundi vincula ferrea ſunt, & in
tolerabilia; *Chriſti autem vincula* (vt
Hieron. in ait Hieronymus ad Fabiolam) *volũ-
epiſt. ad Fa taria ſunt, & vertuntur in ample-
biolam mã xus. Quicũque fuerit colligatus, di-
ſione 27. cet: ſiniſtra eius ſub capite meo, & de-
tom. 3. xtera eius amplectitur me*. Te ſequen
tur, poſt te ambulabunt, te audient
*Mat. 16 d* præcedentem, & dicentem. *Si quis
vult venire poſt me, abneget ſemetip-
ſum, & tollat crucẽ ſuam, & ſequa-
tur me*. Audient vocem poſt tergum
*Iſa. 30. e* monentis, *hæc eſt via, ambulate in
ea, & non declinetis ad dexteram ne-
que ad ſiniſtram: Te adorabunt* tam-
quam verum Deum, *te deprecabun-
tur*, & per te obtinebunt quæcumque
petierint in nomine tuo. Te agno-
ſcent tamquam verum Deum, coæ-
ternum Patri, & conſubſtantialem,
ſed Deũ abſconditum ſub forma ſer-
ui, quam accipies *in ſimilitudinem
hominum factus, & habitu inuentus* *Phil. 2.*
*vt homo*, abſconditum ſub ſpeciebus
ſacramentalibus, ſub quibus Deus,
& homo te ipſum tribues in cibum
ouibus tuis, & permanebis cum il-
lis in vno Eccleſiæ Catholicæ ouili
vſque ab conſummationẽ ſæculi. Nõ-
ne hæc adimpleta vidimus, cũ Apo-
ſtoli ſequuti ſunt Dominum, cum
*Magi ab oriente venerunt Hieroſo-* *Matt. 2*
*limam, dicentes. Vbi eſt qui natus
eſt Rex Iudæorum: Vidimus enim
ſtellam eius in Oriente, & venimus
adorare eum?* Paulus Apoſtolus te-
ſtatur, ſe eſſe Chriſti ſeruum, & vin-
ctum in Domino: ſæpius clamat in
ſuis Epiſtolis. *Paulus ſeruus Ieſu* *Epheſ. 4*
*Chriſti. Ego Paulus vinctus in Do-* *a*
*mino*. Et vere ſeruus, vt pote in præ-
lio iuſto à Chriſto captus. ſed glorio-
ſa ſeruitus. *Nam qui in Domino vo-* *1. Cor. 7.*
*catus eſt ſeruus, libertus eſt Domi-
ni*. Petro Apoſtolo præcedere vo-
lẽti, dixit Chriſtus, *vade retro ſatha-* *Marc. 8*
*na*, vt in memoriam illius reuoca *d*
ret, quod in præſenti dicit Iſaias.
*Poſt te ambulabunt*. Cum Magi pro- Chriſtus orãdus eſt vt Deus.
cidentes adorauerunt Chriſtum, *&
apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei
munera, aurum, thus, & myrrham*,
quid aliud perfeciſſe credendi ſunt,
niſi quod in hoc loco prophetatum
eſt: & adorabunt te, *teque depre-
cabuntur*? illis muneribus confeſſi
ſunt, Chriſtum eſſe verum Deum,
verum hominem, & verum mundi Magorum munera quid ſignificent.
redemptorem, qui pro nobis paſſus
eſt, & ſepultus; vnde & in eorum
laudem canit Eccleſia: *Tria ſunt mu-
nera pretioſa, quæ obtulerunt Magi
Domino*

In 9. reſpõ ſorio Epiphaniæ.

*Domino in die iſta: & habent in ſe diuina myſteria. In auro oſtenditur regis potentia, in thure, ſacerdotem magnum conſidera, & in myrrha Dominicam ſepulturam.* Ecce adimpletum quod multo antea cecinit

Pſ. 71.

Pſalmiſta. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine, vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes ſeruient ei.* Conſidera quæ fiunt in ſacra ſolemnitate corporis Chriſti, & videbis adimpletam iſtam prophetiam. Omnes enim deuote ambulant poſt ſacratiſſimam Eucha-

Xp̃i corporis ſolemnitas quãtis celebratur tripudijs.

riſtiam, omnes pergunt *vincti manicis*, vincti, & conuicti tam immenſo beneficio, quod liberaliter nobis exhibuit, omnes inſeruiunt ei, ſiue nobiles, ſiue ignobiles, ſiue reges, ſiue plebæi, iſte flores ſternendo per viã, ille ornamentis pretioſis parietes veſtiendo, illi pallium portando, iſti diuerſa alia obſequia læti exhibendo, & omnes ſimul humiliter, & veraciter confitendo, quia *in te eſt Deus*, in Euchariſtia videlicet ſub ſacris velaminibus occultatus. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus* Iſrael *ſaluator.* Vide quæ circa hoc diximus ſupra, vbi hæc eadem verba explicuimus de Chriſto Domino.

Sup. cap. 9. nu. 53. cap. 11. nu. 16.

15 *Confuſi ſunt & erubuerunt omnes: ſimul abierunt in confuſionem fabricatores errorum: Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna: non confundemini, & non erubeſcetis vſque in ſæculum ſæculi. Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipſe Deus plaſtes eius: non in vanũ creauit eam: vt habitaretur, formauit eam, ego Dominus, & non eſt alius.*

Hoc teſtabuntur vniuerſi populi, cum conuerſi fuerint ad Dominum, & Chriſti Euangelium ſuſceperint, Babylonios nẽpe, & omnes idololatras magna cum ignominia perituros; Iſraelem autem ſolum ſaluandũ. nam peribit mundus, & omnes amatores eius; ſpiritualis vero Iſrāel ſalutem æternam conſequetur & gloriam. Scriptum eſt enim. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et iterum: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Collige ex hoc loco, perpetuum fore regnum Chriſti, omnium autem aliorum, tẽporale eſſe: nam per eum condita ſunt vniuerſa, & omne iudicium dedit ei pater. Ipſe ſolus eſt Rex ſæculorum, & rex immortalis, habens in femore ſuo ſcriptum. *Rex regũ, & Dominus dominantium, cuius Regni non erit finis.* Sequitur. *Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, &c.* Vrget adhuc idola, & idolorum cultores, probans iterum, ſe ſolum eſſe verum Deum, vt magis cõuincatur eorum vanitas & dementia. quaſi dicat, Ego Dominus, qui coelum & terram creaui, atque ita eam diſpoſui, vt continuo fructificaret, & arboribus ornaretur in hominis ſeruitium, & animantibus. Accommodaui eam, vt aptum eſſet habitaculum filiorum Adam, ſeparans aquas in locum vnũ, præcipiens vt appareat arida vitæ animalium conueniens. Ex quo ſatis aperte colligitur, mundum non fuiſſe æternum (vt quidam ex philoſophis poſuerunt) ſed initium habuiſſe, iuxta illud Geneſis 1. *In principio,* (id eſt) in initio temporis, *creauit Deus cœlum & terram.* Hinc etiam improbatur hæreſis illorũ, qui

Marci. vlt.

Ioan. 3. c

1. Tim. 6

Symbolum Nizen.

Gen. 1. A

ſingu-



ſingulis creaturarum ſpeciebus, ſuos Deos ineptiſsime tribuerunt, alium panis, alium vini, alium aquarum afferentes conditorem, & cuſtodem. Quibus omnibus manifeſte repugnat, quod hic dicitur. *Ego Dominus & non eſt alius.*

16 *Non in abſcondito locutus ſum in loco terræ tenebroſo: non dixi ſemini Iacob: fruſtra quærite me, ego Dominus loquens iuſtitiam, annunciãs recta.* Cõfert Deum verum cum idolis, & aſsignat diſcrimẽ inter eos. dæmones quippe reſpondent in ſuis latibulis, in tenebris, & in antris, Deus autem non in abdito, ſed aperte in monte Synai loquutus eſt, ſonantibus tonitruis, micantibus fulgoribus, & buccinis ſtrepentibus. Idola, vanis promiſsis ſuos lactabant cultores; Deus vero non vana promiſit Iacob, nec ille fruſtra Deũ quęſiuit, & inuocauit, ſed libertatem, pacem, & felicitatem æternam illi repromiſit, & tribuit. Dæmones loquuntur mendacia, in adulterijs gloriantur, & rapinis, Deus autem quæ recta ſunt loquitur, & annunciat. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur. *Omnia mandata tua æquitas.* Et iterum, *æquitas teſtimonia tua.* Leges idolorum tyrannicæ, *lex* autem *Domini immaculata, cõuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis, iuſtitiæ Domini rectæ iuſtificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intẽdere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriã vultus eius, quæ euacuatur: quomodo nõ magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria.*

Chriſt' palã loquutus eſt, non in abſcondito

Pſa. 118

Pſa. 18.

2. Cor. 3 b

Lex Euangelica, non in abſcõdito publicata, ſed palam.

Sicut ergo lex antiqua non in abſcõdito data eſt, ſed in monte tradita Moyſi, ita & lex Euãgelica per Chriſtum prædicata eſt ſuper montem: Nam *videns Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum.* Et ad diſcipulos loquens, ait: *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta:* Et ad Pontificem. *Ego palam loquutus ſum mundo. Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus ſum nihil.* Quæ verba expendens B. Cyrillus, *Reuocat* (inquit) *in memoriam Chriſtus, quid de ſua perſona prædixerit per Iſaiam: non in occulto loquutus ſum in loco tenebroſo. Quid enim aliud eſt, ego palam loquutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, & in occulto loquutus ſum nihil?* Idẽ docet Hieronymus. *Melius* (inquit) *hoc dictum eſt de Euangelica prædicatione: Moyſes enim in abſcondita ſolitudine vni tantum loquutus eſt populo. Apoſtolorum autem ſonus in vniuerſum orbem exijt, & verba eorum vſque ad terræ terminos peruenerunt.* Vide qualiter verba Saluatoris prophetiæ reſpondeãt Iſaiæ. Numquam dixit Chriſtus; fruſtra quærite me; ſed magnum præmium & æternũ ſequentibus ſe repromiſit. *Gaudete* (inquit) *& exultate, quia merces veſtra multa eſt in cœlis.* Et iterum ſcriptum eſt. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cũ probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Quamuis ergo iuſti ſeruiant Deo non quidem ex Gehennæ metu, aut

Mat. 5. a

Mat. 10 c

Ioan. 18 e

Cyrill' lib. 11. in Ioã cap. 4.

S. Hieron.

Mat. 5. b

Iacobi 1

propter

propter mercedem,quam ſperant,ſed quia Deus mandauit præcepta ſeruari; & quia Deus ipſe bonus eſt, & ſuper omnia diligendus. eorum tamẽ ſeruitia irremunerata non erant. Lege totum Euangelium, & præſertim caput 5. Matthæi 6.& 7. in quibus iuſtitiam reprehendit Phariſæorum, & iuſtitiam quæ ex Deo eſt prædicat Chriſtus Dominus,& annũciat, & videbis de illo fuiſſe per Iſaiam dictũ. *Ego Dominus loquens iuſtitiam, annuncians recta*. Lex enim Euangelica eſt vere lex iuſtitiæ annuncians recta, ideſt docens, in quibus rebus vere ſit cultus Dei conſtitutus.

17 *Congregamini, & venite, & accedite ſimul qui ſaluati eſtis ex gentibus: neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deũ, non ſaluantem. Annunciate, & venite & conſiliamini ſimul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus,& non eſt vltra Deus abſque me? Deus iuſtus, & ſaluans non eſt præter me.* Quia Iudæi audire noluerũt Euangelium, vocat gentes, vt ad ſe accedant,& cum illis loquens,iterum arguit vanitatis cultores idolorum, adeſſeq. iubet omnes, & pronunciare de dijs ſuis, quos portant, & ſtultè nihilominus adorant, an talia prædicere potuerint, an iuſta præceperint, an mercedem ſe colentibus retribuerint, an ſaluauerint eos, vt appareat quod ipſe ſolus eſt verus Deus, futura prædicens antequam fiant, iuſta præcipiens, & in ſe ſperantes miſericorditer ſaluans, vt ſuperius dictum eſt. *Conſiliamini* (inquit) *ſimul*, non enim vult Dominus nolentes cogere ad fidem, aut quod temere credamus nobis propoſita. *Qui* enim *cito credit, leuis eſt corde*, ideſt, qui credit irrationabiliter, non expendendo ſignorum euidentiam, & alia huiuſmodi, ex quibus apparet euidenter, quod res fidei ſunt credibiles, iuxta illud dictum prophetæ. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Vnde ſanctus Thomas dicit, *quod ea quæ ſubſunt fidei, in generali conſiderata, ſcilicet ſub communi ratione credibilis, ſunt viſa ab eo qui credit. Non enim crederet niſi videret ea eſſe credenda, vel propter euidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi.* Ideo ergo Dominus iubet, vt conſilium ſuper hac re ſecum habeant, & deliberent attente conſiderantes, legem Euangelicam,& fidem Chriſtianam non eſſe aduerſam lumini naturæ, ſed illi conſonam: & ſic relinquant vanum idolorum cultum, & conuertantur ad Deum. Vnde & ſubditur. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus & non eſt alius.* Ne quis putaret Deum eſſe perſonarum acceptorem, vel ad ſolum carnalem Iſraelem promiſſiones factas fuiſſe, cæteros autem à regno coelorum excludendos eſſe, omnes fines terræ ad fidem inuitat, omnes barbaras nationes ad Euangeliũ vocat, & omnes gentes hortatur, vt relictis idolis conuertantur ad eum; omnibus ſalutem promittit æternã, ſi illum vt ſolum Deum venerentur, ſi poenitentiã agant de peccatis ſuis: ipſe enim paſtor eſt, & Epiſcopus animarum noſtrarum, nullum repellens ad ſe venientem; vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, ſed quod iſti venire velint, ex Deo eſt, & ex auxilio gratiæ eius, ipſa veritate atteſtante. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum.*

Eccli.19 a | Fidei myſteria credibilia ſũt nimis. | Pſ.92.a | S.Tho.2.2 q.1.art.4 ad 1. | Ioan.6.

18 *In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino, dicet, meæ ſunt iuſtitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.* Confirmat iuramẽto id quod ſimplici aſſertione ſuperius dixerat, videlicet, ſe ſolum eſſe verum Deum, qui mittere ſtatuit verbum ſuum, vt caro factum, homines à tyrannide peccati liberaret. Quod autem ait. Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur, diſtinctionẽ indicat perſonalem, quæ eſt inter patrem, & filium, vt notauit Auguſtinus. Dicitur autem filius Dei, verbum iuſtitiæ, quia factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redẽptio. Egreſſũ igitur verbũ non reuertetur, quia pater pater eſt, & filius filius eſt, nec filius eſt pater, nec pater filius, ne impudenter Sabellius dicat, ipſe eſt pater, qui & filius. Reliqua verba quæ ſequuntur, vaticiniũ continent illud, quod clarioribus verbis tãquam ad impletum enarrauit Paulus, cũ dixit. *Propter quod & Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtriũ & infernorũ, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris.* Anacletus autẽ Pontifex hæc ad vltimum refert iudicium, in quo victi. vel ſpontanei omnes ſubijcientur Deo: quam explicationem deſumpſit ex Apoſtolo dicẽte. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: viuo ego, dicit Dominus, quoniã mihi flectetur omne genu: et omnis lingua confitebitur Deo.* Vbi, vt notauit Franciſcus Adamus Sasbout, in ſuis breuiſſimis, ſed præclariſſimis cõmentarijs: ſuper Iſaiã, non eiſdem verbis, ſed eodem prorſus ſenſu allegauit iſtum locũ Iſaiæ. Pro eo enim ꝙ Iſaias habet, *in memet ipſo iuraui*, Apoſtolus inquit, *viuo ego, dicit Dominus*, & ꝓ eo quod ille dixit, *omnis lingua mihi iurauit*, Paulus inquit, *omnis lingua cõfitebitur Deo.* Ex quo apparet, iuramentũ non eſſe malum ſecundum ſe, ſed actũ potius religionis, ſi debitæ adſint circunſtantiæ, de quibus ſuperius dictũ eſt. Denique omnes electi acceptam referent iuſtitiam ſuã Deo, à quo omne bonum procedit, nec in ſe gloriabuntur, ſed in Domino, quoniam etiã ſi opera bona liberi arbitrij ſint in adultis ad ſalutem neceſſaria, non tamen erunt propter illa arrogantes; ſed verè agnoſcent, omnem piũ vſum proprię voluntatis ex ſolius efficacis gratiæ dono, & ex miſericordia Dei tãquam ex prima radice procedere. Licet enim homines volentes credãt, volentes opera meritoria vitæ operentur æternæ, Deus tamen eſt, qui in nobis, atque nobiſcum vt operemur operatur, & vt dicit Apoſtolus, *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.*

Chriſtus verbum iuſtitiæ dicitur. | Aug. in oratione de quinque hæreſibus. | *Phil.2.b* | Xpo omnes ſubijciẽtur in iudicio. | Anacletus tom.1.conciliorũ ep. prima. | Rom.14 b | Sasbout. | Philip.2 | Sup.cap.1. num.20. | Philip.2 | Lege ſupra dicta cap. 28 num.8. 9.

# CAPVT XLVI.

1\. CONFRACTVS eſt Bel, contritus eſt
Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtijs
& iumentis, onera veſtra graui pondere vſ-
que ad laſſitudinem. Contabuerunt, & con-
trita ſunt ſimul: non potuerunt ſaluare por-
tantem, & anima eorum in captiuitatē ibit.
2\. 3. Audite me domus Iacob, & omne re-
ſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo
vtero, qui geſtamini à mea vulua. Vſque ad
ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, & ego
feram: ego portabo, & ſaluabo. 4. Cui aſſimilaſtis me, & adæqua-
ſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Qui confertis aurum de
ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis: conducentes aurificem, vt
faciat Deum: & procidunt, & adorant. 5. Portant illum in humeris
geſtantes, & ponentes in loco ſuo: & ſtabit, ac de loco ſuo non mo-
uebitur. ſed & cum clamauerint ad eum, non audiet: de tribulatio-
ne non ſaluabit eos. 6. Mementote iſtud, & confundamini: redite
præuaricatores ad cor. Recordamini prioris ſæculi, quoniam ego
ſum Deus, & non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei: Annuncians ab
exordio nouiſſimum, & ab initio quæ necdum facta ſunt, dicens: Cō-
ſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet: 7. Vocans ab O-
riente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, & locu-
tus ſum, & adducam illud: creaui, & faciam illud. 8. 9. Audite me
duro corde, qui longe eſtis à iuſtitia. Prope feci iuſtitiam meam,
non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. Dabo in Sion ſalu-
tem, & non in Iſrael gloriam meam.





## SVMMA CAPITIS.

*QVONIAM in præcedenti capite comminatus fuerat Iſaias excidium ciuitatis Babylonis, quoniam filios oppreſſerat Iſrael, conſequenter in hoc capite, euerſionem denuntiat cuiuſdā idoli, quod tamquam Deum ſuum colebant Babylonij, & communi vocabulo dicebatur Bel. Cuius occaſione multa dicit contra eos qui idola colunt, oſtendens eorum imbecillitatem, & omnes exhortans, vt verum Deum agnoſcant, qui potens eſt in ſe ſperantes liberare atque ſaluare.*

## COMMENTARIVM.

1 *CONFRACTVS eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtijs, & iumentis, onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem. Contabuerunt, & contrita ſunt ſimul: non potuerunt ſaluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit.* Continet caput præſens prophetiam comminatoriam contra idolum, quod Babylonij colebant tamquam Deum, videlicet contra Bel, quod ita colebant increduli, vt ei victimas humanas non ſolum captiuorum ignobilium immolarent, ſed etiam proprios filios offerrent illi. Loquitur etiam contra Nabo, quod erat idolum Chaldæorum, quorum vtrumque diſſipatum eſt in contritione Babylonis, *Confractus* (inquit) *eſt Bel, &c.* Ac ſi dicat: ſicut Deus liberauit fideles ſuos, ita & impios atque idolatras cum idolis ſuis diſperdet. Nihil enim illa proderūt, nec iuuare poterunt, aut ſaluare, nō ſolum alios, ſed nec ſeipſa, ſed corruent ſicut Dagon in Azoto ad Dei præſentiam, eruntque onera iumentorum, quia videlicet, ipſis confractis, portabunt aurum & argentum, ex quibus fuerant fabricata. Ridiculi ſane dij, quos fures & latrones diripiunt, & aſini huc geſtant, atque illuc. Cum ergo idola in captiuitatem ſint redigenda, quomodo poterunt quempiā à captiuitate liberare? *Anima* ergo *eorum*, ideſt, ſacerdotes idola portantes, & ſperantium in ſimulachris ſuis, *in captiuitatem ibit.*

Bel idolū erat Babyloniorum.

1\. Reg. 5. Dagō corruit coram arca.

2 *Audite me domus* Iacob, *& omne reſiduum Iſrael qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſaluabo.* Alloquitur Dominus reli-

quias populi Iſrael, deterrens eos à cultu idolorum, proponens innumera beneficia, quæ ſuis electis exhibet. *qui portamini* ( inquit ) *a meo vtero:* 
Chriſtus vt nutrix fouet ſuos quaſi dicat. Quæ mater erga filium ſuum præſtat, quem tenerrime diligit, hæc ego, & multo maiora vobis exhibebo amoris ſigna. Mater curam filij deponit tandem, quando videlicet factus fuerit vir, portat filium in brachijs quamdiu paruulus eſt, non autem quando grandis eſt factus: Ego autem ſemper portabo vos in brachijs meis, à vulua *vſque ad ſenectam*, & numquam derelinquã vos. Infirmioris ætatis ſunt pueritia & ſenium, in quibus maiori cura indigent homines: in vtraque ętate ſuum patrocinium promittit fidelibus. Vnde & Dauid. 
*Pſal. 21* *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre Spes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus ſum ex vtero. De ventre matris meæ, Deus meꝰ es tu, ne diſceſ-*
*Pſal. 70* *ſeris à me*. Et in alio loco ait. *Ne proÿcias me in tempore ſenectutis, cũ defecerit virtus mea ne derelinquas me*. Notandus eſt in hoc loco mira-
Dei affectꝰ mirabilis erga homines. bilis Dei erga homines affectus. Agit enim officium matris, obſtetricis, pædagogi, cuſtodis, propugnatoris, & fit baculus ſenectutis noſtræ. Vnde & Deo tribuere debemus initium, medium, & finem bonorum operum. Portat nos *ab vtero*, vel *à vulua*, dũ ſua nos miſericordia præuenit. Portat *vſque ad canos*, dum eadem ſubſequitur, & ad maiora incrementa perducit. Inter pueritiam & ſenium non deſinit portare, nam media etiam Deo tribuenda ſunt. Qui ergo omnia portat verbo virtutis ſuæ, & hominem vtique, propter quem mundus iſte viſibilis factus eſt, portabit ſemper: Et ſicut paſtor fętas oues portat in humeris ſuis, & agnos leuat in ſinu ſuo: ita ( inquit ) ego portabo peccatores, & leuabo. Hoc ſuperius propheta prædixerat. *Iſa. 40.*
*Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit*.

3 *Ego feci, ego feram, ego portabo &c.* Oſtendit tacite in hoc loco diſcrimen inter verum Deum & idola. Prius enim prædixerat, idola iumentis vehi, atque geſtari, ita vt eorum pondere aggrauarẽtur, & laſſarentur vſque ad ſitim, Deus autem noſter tantum abeſt, vt ſit oneri populo ſuo, vt potius ipſum ſuper hnmeros ſuos portet, & ſuſtineat, & eorum pondera (ideſt) peccata, ſuper ſe ſuſcipiat, de quibus Propheta. *Quo-* *Pſ. 37. a*
*niam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*. Homines fabricauerunt idola manibus ſuis, ideo portant illa, Deus autem eſt conditor hominum; vnde & homines portat, & ſuſtinet. *Ego feci, & ego feram, Ego* creaui hominem de limo terræ, ſciens futurum peccatum illius. *Ego feram* pœnas illi debitas, & ego auferam culpas illius; *ego portabo* iudicium, & ego ſaluabo hominem quem creaui. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione ſeptuaginta interpretum, qui ſic transferunt iſtum locum. *Ego ſuſtineo vos, ego feci, & ego dimittam, ego ſuſcipiam & ſaluabo vos*. Et quia omnia per verbum Dei facta ſunt, congruum erat, quod per idem verbum caro factum reſtaurarentur. Nec erat decẽs, ſed nec poſſibile, quod vnus eſſet hominis creator, & alius redemptor
illius. Lege ſupradicta cap. 1. vbi Sup. cap. 1. num. 22.
diuerſis locis Scripturæ probatum reliquimus, Chriſtum Dei filium peccata mundi ſuper ſe portare.





4 *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Qui confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis: conducentes aurificem, vt faciat* Deum: *& procidunt, & adorant.*
Dei ſimilitudo creata dari nõ poteſt. Loquitur ad eos qui ex Iudęis in idololatriam inciderunt, & ad omnes alios colentes idola, oſtendens, nullũ Deum gentium eſſe ſimilem ſibi; nec poſſe aliquam creaturam illi comparari. Ex quo Dei maieſtatem colligere poſſumus, ad cuius excellentiam nihil aliud pertingere poteſt. quod & propheta Regius cęcinit, dicens.
*Pſ. 85. b* *Non eſt ſimilis tui in dÿs* Domine *non eſt ſecundum opera tua*. Et ite-
*Pſ. 34. b* rum ait. *Omnia oſſa mea dicent,* Do*mine quis ſimilis tibi*. Similis eſſe voluit altiſſimo Lucifer in cœlo, ſed ſtatim ad infernum detractus eſt, in profundum laci. Promiſsit ſerpens antiquus primis parentibus Dei ſimilitudinem, ſi ederent de ligno vitæ,
*Gen. 3. a* dicens ad mulierem. *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dÿ ſcientes bonum & malum,* & illico proiecti ſunt de paradiſo. Auſi ſunt Philiſtæi arcam teſtamenti iuxta Dagon conſtituere: & audaciæ ſuæ condignam pœnam receperunt. Non enim patitur Deus quod creatura ſuo velit adæquari creatori. Hinc probat S.
S. Tho. 1. p. q. 12. ar. 2. Thomas, per nullam ſpeciem intelligibilem creatam poſſe Deum clare videri, quia, videlicet, nulla forma creata poteſt eſſe ſimilitudo repræſentans videnti Dei eſſentiam vt in ſe eſt. quod triplici ratione demon-
Dion. li. 1. de diuinis nominibꝰ. ſtrat. *Primò, quia per ſimilitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci. Sicut per ſpeciem corporis non poteſt cognoſci eſſentia rei incorporeæ. Multo igitur minus per ſpeciem creatam quamcumque poteſt eſſentia Dei videri. Secundo, quia eſſentia Dei eſt ipſum eſſe eius, vt ſupra oſtenſum eſt, quod nulli formæ creatæ competere poteſt. non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repreſentãs videnti Dei eſſentiam. Tertiò, quia diuina eſſentia eſt aliquod incircumſcriptum, continens in ſe ſupereminẽter quidquid poteſt ſignificari, vel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam ſpeciẽ creatam repræſentari poteſt: quia omnis forma creata eſt determinata ſecundum aliquam rationem vel ſapiẽtiæ, vel virtutis, vel ipſius eſſe, vel alicuius huiuſmodi. Vnde dicere, Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere diuinam eſſentiam non videri*. Quia vero filij Iſrael proni ad idololatriã erant, iterum oſtendit vanitatem idolorum, & ſtultitiam eorum, qui colunt illa. *Qui confertis aurum de ſacculo, &c.* Ac ſi apertius dicat. Si vultis me conferre cum idolis, & ſi-
milem cum illis efficere, demon- Idolorum cultores taxantur.
ſtrabo vobis illorum originem, cum vos non poſſitis meum oſtendere. Illa enim non ſunt æterna, ſed ab hominibus conficta. contribuunt enim homines alioqui auari, aurum & argentum congerunt: conductoque aurifabro, Deum conflant, cui honorem mihi ſoli debitum impendant. Vbi taxatur illorum prodigalitas, in fabricandis idolis, quam etiam notauerat ſupra. Aurum quippe pretioſiſſimum, quaſi aquam de marſupio effundunt, & argentum in menſura ampliori ponderant, vt videre licet in filijs Iſrael, qui ad vocem vnius Aaron dicentis: *Tollite inaures au-* *Exod 32.*
*reas de vxorum, filiorumq. & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me*; ſtatim populus inaures detulit, vt formaret ex eis vitulum conflati-

lem, quem adorauerunt. Ecce idolũ extorquet ornamenta pretioſa à filijs Iſrael, quæ alioqui vix alius impetraſſet.

5 *Portant illum in humeris geſtantes, & ponentes in loco ſuo: & ſtabit, ac de loco ſuo non mouebitur, ſed & cum clamauerint ad eum, non audiet: de tribulatione non ſaluabit eos.* Oſtenſa origine idolorum, modo eorum imbecillitatem, atque impotentiam declarat. Adeò enim ſunt infirma & inualida, vt nec ambulare poſſint, nec moueri, ſed homines miſeri portant ea: & ſi depoſita fuerint, immobiliter ſtant, quomodo ergo poterunt auxiliari in ſe ſperantibus, aut vires debilibus ſubminiſtrare. Non ergo ſimulachra vos portant, ò idololatræ, non ſaluant in anguſtijs,

3. Reg. 18.d ſed nec audiunt clamantes. *Vſquequo ergo claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.* Attendite qualiter Elias euidenter cõprobauerit, idola veſtra eſſe figmenta, & vnum ſolum adorandum eſſe ve-

Ibid. rum Deum. *Inuocate* (inquit) *nomina deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei, & Deus qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus.* Pla-

Elias deridet ſacerdotes Baal. cuit populo Eliæ propoſitio, & prophetæ Baal, cum eſſent numero quadringenti & quinquaginta viri, *inuocabant nomen Baal de mane vſque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos: & non erat vox, nec qui reſponderet: tranſiliebantq. altare quod fecerant. Cumque eſſet iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiori: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine: nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes.* Clamauit vnus Elias, & orauit ad Dominum Deum ſuum, & Dominus exaudiuit vocem eius. *Exaudi me* (inquit) Ibid. f *Domine, exaudi me: vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquã, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait:* Dominus *ipſe eſt* Deus, *Dominus ipſe eſt* Deus.

6 *Mementote iſtud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor. Recordamini prioris ſæculi, quoniam ego ſum* Deus, *& non eſt vltra* Deus, *nec eſt ſimilis mei: annuncians ab exordio nouiſſimum, & ab initio quæ necdum facta ſunt, dicens: Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet:* Iterum atque iterũ reuocat in memoriam, quæ de vanitate prædixerat idolorum, ac de ſua ipſius maieſtate, & hortatur idololatras, vt *ad cor* redeant: ideſt, ad mẽ- Idola colentes, mẽte capti ſunt. tem. nam (vt notauit Hieronymus) qui ſimulachra venerantur, velut furioſi ſunt, & velut pueri, aut ebrij extra ſe poſiti. Neque enim homo ad imaginem Dei, & ſimilitudinem factus, à Deo diſcederet, & adoraret idola, niſi prius mente à ſeipſo receſſiſſet. *Recordamini* (inquit) ideſt, conferte tempus illud, in quo fabricatus eſt Bel, aut Nabo, cum illis antiquis ſæculis, & apparebit quod non ſit alius Deus præter me. Ego ſolus annuncio quæ futura ſunt in nouiſſimis temporibus, & illa certiſſime euenient, quia omnis voluntas mea fiet, nec illi poteſt quis reſiſtere. Omnia enim quæcumque volui feci in





cœlo & in terra. Vnde conſilium de Cyro mittendo, ad liberandum filios Iſrael ex captiuitate Babylonica, erit ſtabile & immobile; & ſimiliter conſilium meum, quo miſericorditer decreui filium meum vnigenitum mittere, vt hominem perditum ad cœleſtia reuocaret: idola autem nihil efficiunt, & ita nihil prædicunt. Quod ſi dæmones intra idola ipſa loquentes aliquid futurum annunciant, ſæpiſſime falluntur, & fallunt, & facile irritatur eorum conſilium.

7 *Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ; & loquutus ſum, & adducam illud: creaui: & faciam illud.* Interrogauerat ſupra idolorum cul-

Iſa. 41. a tores. *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequeretur ſe?* Quibus præ confuſione tacentibus nunc reſpondet. Ego ſum *vocans ab Oriente auem*, & ſimul explicat, quod nam ſit conſilium, quod ipſe ſtatuit. Nempe vocare Cyrum, qui tamquam auis citiſſime aderit. Superius illum iuſtum dixit, quia vindicauit filios Iſrael, regnum ſubuertens Babylonis: hic autem *auem* illum appellat, & virum voluntatis

Cyrus auis dicitur, & quare. ſuæ: *auem* quidem, nam adeo repentinus atque inopinatus Cyri aduentus fuit, ad liberandum filios Iſrael à captiuitate Babylonis, vt tamquam auis aduolaſſe ex terra longinqua videretur. Virum voluntatis ſuæ, quoniam decretum Domini, & voluntatem, qua ſtatuit Babylonem ſubuertere, exequutus eſt. Hoc conſilium, quod Deus ſtatuit, opere adimpleuit. Sed multo magis conijciendi ſunt oculi ad conſilium illud, quod Deus ſtatuit ab æterno circa ſalutem generis humani, quam nobis contulit per paſſionem & mortem vnigeniti filij ſui. Chriſtus enim tamquam auis de terra longinqua *ab Oriente* (hoc eſt) Chriſtus aui confertur & giganti. de coelo curſũ velociſſimo ad nos venit, ſecundum illud quod canit Pſalmiſta. *Exultauit vt gigas ad* Pſ. 18. *currendã viam, à ſummo cœlo egreſſio eius.* Ipſe eſt vir voluntatis patris, quoniam in omnibus factus eſt obediens illi, & *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2 Congruit huic explicationi verbum illud *creaui*, quo, vt obſeruauimus ſupra, myſterium incarnationis deſignatur. Lege ſupradicta cap. 41. num. 4. vbi ea, quæ dicuntur de Cyro, ad Chriſtũ principaliter aduertimus eſſe referenda.

8 *Audite me duro corde, qui longe eſtis à iuſtitia. Prope feci iuſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. Dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam meam.* Ne forſan Iudæi cauſarentur, & dicerent: Credimus equidem quod Deus veniet & ſaluabit nos, ſed longo iam tempore differtur ſalus, interim mala quamplurima patimur, & incommoda: ideo eos increpat, ſicut increpauit Chriſtus *incredulitatem eo-* Mar. 16 *rum, & duritiam cordis: quia ijs qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt.* Et ſicut ille duobus diſcipulis euntibus in Emaus dixit: *O ſtulti* Luc. 24. d *& tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt prophetæ:* ita & nunc incredulitatem Iudæorũ arguens. *audite me* (inquit) *duro corde*, qui non ſolum *à iuſtitia*, quæ eſt per fidem, longe eſtis, ſed etiam *à iuſtitia* legis Moſaicæ. Tales non attendunt Deum eſſe longanimem, nec reſpiciunt niſi præſentia, aut quæ prope futura ſunt. Expendere vtique debuiſſent illud quod per Abachuc prophetam Dominus ipſe teſtatur: *Quia adhuc viſus procul, & ap-* Abac. 2. a *parebit in finem, & non mentietur, ſi*

*moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Sed dicunt increduli: quomodo non tardabit, ſi procul veniet, & in finem apparebit viſio? quibus reſpondetur, quod mille anni ante oculos Dei,
Pſ.89.a *tanquam dies heſterna quæ præterijt.* Quamuis ergo *procul* eſſe videantur impijs, quæ Deus repromiſit electis, tamen *propè* ſunt, quæ ſtatuto à Deo tempore infallibiliter venient. Ideo ſubdit, *prope feci iuſtitiam meam*, ideſt, ſicut Cyrus, tamquam auis de terra longinqua euenit velociter ad liberandum vos de captiuitate Babylonis, ita & filius meus, qui vobis
1.Cor.1.d erit *iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, tamquam velox prædator adue-
Cant.2.b niet, *ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis capreæ, hinnuloq. ceruorum*, vt eruat vos de poteſtate principis tenebrarum, & transferat in admirabile regnum ſuum. Vos increduli dicitis: longe eſt iuſtitia, longe redemptio, & ſalus noſtra; ego autem *propè faciam iuſtitiam meam*, citò mittam Saluatorem, & dabo in Sion ſalutem, illam videlicet, quam per Meſſiam futuram eſſe prædixi, *Et in Iſrael* dabo *gloriam meam*, ideſt, vnigenitum filium meum. nam
Prouer.10.a *filius ſapiens gloria eſt patris.* Per Sion & Iſraelem, intelligendus eſt populus Chriſtianus, ſiue Eccleſia Catholica, intra quam reperitur ſalus, & non extra; cuius ſymbolum præceſſit in arca Noe: ſicut enim tempore diluuij nullus ſaluus factus eſt, præter Noe, & qui cum illo erant in arca; ita & modo nullus ſalutem cõſequitur æternam, niſi per fidem Ieſu Chriſti Eccleſiam intret Catholicam. Miſſus quidem fuit Redemptor noſter *ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, (Mat.15 c) ſed congregatis paucis reliquijs, poſt reſurrectionem præcepit Apoſtolis. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* (Mat.28 d)

9 Omnia, quæ de idolis, atque idolorũ cultoribus dicta ſunt in hoc capite & præcedentibus, poteris ſecundum moralem ſenſum ſatis commode explicare, ſi per idola intelligas vitia, quibus magnis ſudoribus, & expẽſis peccatores inſeruiunt, propter quę importabilia ſuſtinent onera, & maximis ſunt expoſiti periculis; cum tamen eos tempore tribulationis adiuuare non poſsint, nec ab imminentibus periculis eripere. Ad cuius amplificationem recolenda ſunt quæ circa hæc diximus ſupra cap. 17. num. 5.





# CAPVT XLVII.

1. DESCENDE, ſede in puluere virgo filia
Babylon, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ
Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mol-
lis & tenera. 2. 3. Tolle molam, & mole
farinam: denuda turpitudinem tuam, diſ-
cooperi humerum, reuela crura, tranſi flu-
mina. Reuelabitur ignominia tua, & vide-
bitur opprobrium tuum: vltionem capiam,
& non reſiſtet mihi homo. 4. Redemptor
noſter, Dominus exercituum nomen illius, ſanctus Iſrael. 5. Sede
tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis
vltra domina regnorum. Iratus ſum ſuper populum meum, conta-
minaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non poſuiſti
eis miſericordias: ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum valde. Et di-
xiſti: In ſempiternum ero domina: non poſuiſti hæc ſuper cor tuum,
neque recordata es nouiſſimi tui. Et nunc audi hæc delicata, & ha-
bitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego ſum, & non eſt præ-
ter me amplius: non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. 6. Ve-
nient tibi duo hæc ſubito in die vna, ſterilitas & viduitas. vniuerſa
venerunt ſuper te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, &
propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. Et fiduciam
habuiſti in malitia tua, & dixiſti: Non eſt qui videat me. ſapientia
tua & ſcientia tua hæc decepit te. Et dixiſti in corde tuo: Ego ſum,
& præter me non eſt altera. Veniet ſuper te malum, & neſcies or-
tum eius: & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare: ve-
niet ſuper te repente miſeria, quam neſcies. Sta cum incantatori-
bus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus labo-
raſti ab adoleſcentia tua, ſi forte quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri
fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſal-
uent te augures cœli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant
menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi. 7. Ecce facti ſunt quaſi

ſtipula, ignis combuſſit eos: non liberabunt animam ſuam de manu flammæ: non ſunt prunæ, quibus calefiant, nec focus, vt ſedeant ad eum. Sic facta ſunt tibi in quibuſcumque laboraueras negotiatores tui ab adoleſcentia tua, vnuſquiſque in via ſua errauerunt: non eſt qui ſaluet te.

---

## SVMMA CAPITIS.

*PROSEQVITVR in hoc capite Prophetiam contra ciuitatem Babylonis, quam in capite 45. breui ſermone tetigerat. Et in primis denunciat humiliandam eſſe, atque dura ſeruitute affligendam. De hoc agit in principio capitis.*

*Secundò aſſignat tres rationes propter quas in tantam miſeriam cecidit Babylon, quarum prima eſt. Quoniam afflixit nimis filios* Iſrael, *dum eos teneret captiuos. Hanc tangit ab illo verſiculo.* Iratus ſum ſuper populum meum, &c. *Secunda eſt, quoniam multis maleficijs, & incantationibus dedita erat. Hanc aſſignat ab illo verſiculo.* Vniuerſa venerunt ſuper te, &c. *Tertia fuit ſuperbia, atque arrogantia eius, quam tangit. Verſiculo.* Et dixiſti in corde tuo, &c.

*Tertiò, denunciat malum imminens Babyloni ineuitabile eſſe, à quo neque augures, neque conſiliarij, nec ditiſſimi negotiatores eam potuerunt liberare. Agit de hoc ab illo verſiculo.* Sta cum incantatoribus tuis. *vſque ad finem capitis.*

---

## COMMENTARIVM.

1 *DESCENDE, ſede in puluere virgo filia Babylon, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis & tenera.* Congruo ordine, poſtquam propheta in capite præcedenti, idolorum, quæ Babylonij colebant, prædixit ruinam, iam in hoc capite ipſius Babylonis denunciat excidium: conſueuit quippe Dominus, prius idola deſtruere, ac poſtmodum idolorum cultores diſſipare. Vt conſtat ex lib. 1. Reg. vbi hæc ſacra refert hiſtoria. *Tulerunt Philiſtijm arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. rurſumq. mane die altera conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen: porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.*

Idola pri° deſtruit Dominus & poſtea idolorum cultores. 1. Reg. 5. a

Ecce in primis percuſſus eſt Dagon propter peccatum quod Philiſtæi in Deum commiſerant, arcã teſtamenti iuxta idolũ ſtatuentes: & ſtatim populus morti traditur. Subditur .n. *Agrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos, & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medo regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate.* Igitur *in præſenti loco,* (vt dicit Hieronym°) *ſub perſona captiuæ mulieris, quæ quondam regina fuerat, Babylonis ſeruitus indicatur: diciturq. ei vt deſcendat de regni ſuperbia, & in puluere ſedeat. Virgo autẽ appellatur, & filia: vel quia omnes homines creaturæ* Dei *ſumus, nec eſt Babylonis, iuxta hæreticos, natura damnabilis: vel ob luxuriam & ornatum vrbis quondam potentiſſimæ. quæ cum ſenuiſſet, & vicina eſſet occaſui, virgunculam ac puellam ſe eſſe iactabat.* Aut vero virginem ex eo eam appellat, non quod pudica eſſet, aut caſta: ſed quia molliter ac delicate inſtar virginum educata, quia nullam vim paſſa fuerat ab hoſtibus, ſicut de Sydone dictum eſt ſupra. Et quoniã à Chaldæis condita erat Babylon, ideo filia Chaldæorum nuncupatur. Huic dicitur, *deſcende, ſede, &c.* Iam tempus eſt, vt relinquas faſtigium pompæ tuæ: ſicut te exaltaſti, ita & humiliaberis, vt cum rubore nouiſſimum locũ teneas, *non eſt ſoliũ filiæ Chaldæorum,* .i. iam non erit in ſolio, ſicut domina, ſed in terra ſedebit, quod pudoris indicium eſt. Vel ſic, *non eſt ſolium,* ideſt nulla miſericordia fiet Babyloni, ſed in menſura qua menſa eſt alios, remetietur & ipſi. Afflixit ſupra modum filios Iſrael, affligetur & ipſa ſine modo. In delicijs erat, nullumque experta laborem; ſed tamquam tenera, & delicata mollibus gradiebatur veſtita, ſed iam ſeruiet alienis, nuda & pudore ſuffuſa. Vnde & ſubditur.

Ibid. b

Hier. ſup. cap. 47. Iſaiæ.

Babylon quare virgo dicatur

2 *Tolle molam, & mole farinam; denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerũ, reuela crura, tranſi flumina.* Quæ nunc (inquit) domina es, venundaberis, & ſerua eris viliſſima, ac multis ærumnis, laboribus, & cõfuſionibus vexaberis. Officium aſinorum exercebis, moles quippe farinam, quod iumentorum eſt propriũ, non manebis in patrio regno, ſed abduceris in regionem ignotam. Præpara igitur te ad iter: ſolue ligaturas, diſcalcea pedes tuos, & nudando reuela crura, vt trãſeas flumina, deerũt carinæ, vrgebit te hoſtis vt tranſeas. *Reuelabitur ignominia tua & videbitur opprobrium tuum: vltionẽ capiã, & nõ reſiſtet mihi homo.* Ideſt, nullum reperies hominẽ miſericordem, qui pro te oret, qui tuæ occurrat miſeriæ, qui mederi velit vulnera tua, ſed omnes à te recedent etiã ipſi angeli cuſtodes, dicentes. *Curauimus Babylonẽ, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Tale iudicium veniet aliquando mundanis hominibus, ſicut contigit diuiti epuloni, *qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide:* Deſcendit enim poſtmodum in puluerem, *mortuus eſt & ſepultus in inferno,* & tranſiuit ignea flumina, ſeſſurus in extremis tenebris ſumma cum ignominia

Babylonis euerſio.

Hier. 51 a

Luc. 16. d

minia, vt molat, & sũma patiatur mala. Nam laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem. Iam non erit tener ac delicatus, ſed ſitiens in flammis clamabit, & obſecrabit, vt Lazarus intingat extremũ digiti in aqua, vt refrigeret linguã eius, nec obtinebit. Vbi tumor priſtinus? vbi delitiæ antiquæ? vbi purpura & byſſus? vbi pompa domus, vbi theſauri repoſiti? vbi honor & gloria mundi? Omnia repente commutata ſunt in ignem, & opprobrium perpetuum.

Greg. lib. 6. mor. cap. 11.

3 Quę hactenus dicta ſunt de Babylone, explicat in ſenſu morali B. Greg. de mente reproba: *hoc loco* (inquiẽs) *humana mẽs virgo non incorrupta (vt arbitror) dicitur, ſed in fœcunda.*

Peccator Babyloni confertur.

*Et quia Babylon confuſio interpretatur, rectè infœcunda mẽs Babylonis filia vocatur: neque in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vita cõponitur, quaſi confuſione matre generatur. Cui aptè per increpationem dicitur diuina voce, Deſcẽde, In alto quippe humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat: ſed ab hoc ſtatu deſcendit, cum turpiter victus, ſeſe defluentibus mundi deſiderijs ſubijcit. Cui bene mox additur, ſede in puluere. Deſcendens enim in puluere deſidet, quia cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus, in infimis vileſcit. Vbi adhuc ingeminando ſubiungitur: ſede in terra. Ac ſi aperte exprobrans dicat: quia cœleſti conuerſatione noluiſti te erigere, ſub temetipſo proſtratus in terrenis actibus humiliare. Vnde & protinus additur. Nõ eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia videlicet, qui ſe terrenis concupiſcentijs ſubijcit, ſedẽ iudicij amittit: nullique apud ſe ſolio præſidet, qui examine diſcretionis caret, & quaſi à iudicij ſui ſeſſione repellitur, quia per exteriores concupiſcentias vagatur.* Et poſt pauca. *Chaldæorum filia mollis & tenera non vocatur, quia mens prauis deſiderijs dedita, in eo quod anxie appetit, huius ſæculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla ſeruiat, quæ intus Deum vt filia nequaquam amat. Vnde & molam tollere, ac farinam molere iubetur. Mola in gyrum ducitur, & farina profertur. Vnaquæque autem mundi huius actio mala eſt, quæ dum multas curas congerit, humanas mẽtes quaſi per gyrũ vertit: atque ex ſe quaſi farinã proijcit, quia ſeducto corde, ſemper minutiſſimas cogitationes gignit.*

Farinam molere q̃d ſit.

*Non numquam vero qui quietus alicuius eſſe meriti creditur, poſitus in qualibet actione denudatur, vnde illic protinus ſubinfertur:* Denuda turpitudinem tuam, *diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina. In adminiſtratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens abiectaquè in actionis oſtentatione cognoſcitur, quæ quieta prius magna putabatur. humerum mens diſcooperit, quãdo opus ſui, quod ignorabatur, oſtendit. Crura reuelat, quia quibus deſideriorũ paſſibus, lucris mũdi inhiet, manifeſtat. Flumina etiam tranſit, quia actiones huius ſæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indeſinẽter appetit, dumque alias relinquit, alias exequitur, quaſi de flumine ſemper ad flumen tendit.*

4 *Redemptor noſter, Dominus exercituum nomen illius, ſanctus Iſrael.* Iubilum interſerit Propheta mente reuoluẽs Dei miſericordiam, qua filios Iſrael de captiuitate Babylonis liberauit, & iuſtitiam eius qua Babylonem diſperdidit, vt hinc duo colligamus: Alterum eſt, quod *lætabitur iuſtus* in die iudicij, *cum viderit vindictam, & manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*: Alterum vero eſt, electos non in propriam virtutem, ſed in Dei miſericordiam debere ſuam referre ſalutem, & dicere: *Redẽptor noſter* ſaluos nos fecit, *Dominus exercituum* victoriam nobis contulit, *ſanctus Iſrael* nos ſanctificauit: vnde non in ſe gloriabuntur, ſed in Domino, cum ſe viderint à captiuitate peccati liberatos. Lege quæ de Sanctorum lætitia diximus cap. 25. num. 23.

Pſ. 57. b



5 *Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis vltra domina regnorum.*

Babylonis viciſſitudo

*Iratus ſum ſuper populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum valde: Et dixiſti: In ſempiternum ero domina: non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es nouiſsimi tui. Et nunc audie hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo. Ego ſum, & non eſt præter me amplius: nõ ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatẽ.* Inſultat Babyloni captiuæ, magnam exprimens triſtitiã illius, ideo iubet illam ſedere, tacere, & in tenebras intrare, vt ſuam deploret miſeriam. Illi enim qui magna premuntur anguſtia, tenebroſa quærunt latibula, ne videant ſeipſos. Superius dixerat *deſcende, ſede;* modo ait, *ſede tacens;* quaſi dicat. Semper inſurrexiſti contra populum meum, nunc tandẽ ſede etiam inuita, ac inuoluntaria. Prius omnibus nationibus eras formidini, nunc amplius lædere alios non poteris. Inſultaſti captiuis tuis, nunc autẽ ſilere te oportet, & nec gemitu quidẽ dolorem tuum manifeſtabis, ſed intra temetipſam triſtitia conſumeris. Eras domina gentium, nunc autem viliſſima reputaberis, & tamquam ancilla ſeruies alienis. Si causã huius viciſſitudinis ſcire deſideras, attende quid feceris cũ populo meo. Ego iratus tradidi illum in manus tuas: non vt eum occideres, ſed caſtigares; tu autẽ abſque vlla clementia maiora addidiſti ſupplicia, nullã populo captiuo exhibens miſericordiam, nã & ſenẽ oppreſſiſti iugo grauiſsimo, qui propter ætatem miſericordia dignus erat, & afflicto afflictionem addidiſti. Clamabis ergo tu in afflictione conſimili, & nullus audiet vocem tuam. Audi & aliam tuæ vaſtitatis rationem. *Dixiſti: in ſempiternum ero domina,* (ideſt) ſemper regnabo. Superbia ergo tua deiecit te: corruiſti, quia non es recordata finis tui, nec conſideraſti nouiſſima tua.

Nouiſſimorum meditatio quã vtilis.

Hinc collige, quantum proſit ad ſalutem animæ nouiſsimorũ meditatio, cũ ideo ceciderit Babylon, quoniam recordata non eſt nouiſsimi ſui. Vnde & Sapiens ait, *Memorare nouiſsima tua, & in æternũ non peccabis.* Et Moyſes. *Vtinam ſaperent & intelligerẽt ac nouiſsima prouiderent.* Tandem Hieremias. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui,* ideſt, quia Hieruſalem non eſt recordata finis ſui, *ideo ſordes eius,* ſcilicet peccata *in pedibus eius,* ideſt, vſque ad finem vitæ, quæ in pedibus deſignatur, permanſerunt in illa. Quod autem ait. *Contaminaui hæreditatem meam,* dupliciter explicatur. Primò *contaminaui,* ideſt, contaminari permiſi, vt explicat gloſſa interlinealis: vel, *contaminaui,* ideſt, peccatis ſuis contaminatam eſſe oſtendi, cum illam tradidi in captiuitatem. Duas ergo aſsignat cauſas euerſionis Babylonis, prima eſt immiſericordia illius; ſecunda eſt ſuperbia & arrogãtia. Odit Deus maxime ſuperbos, & in

*Eccli. 7. d*
*Deuter. 32. d*
*Thren. 1 c*

& in ſe ipſis fidẽtes,quales erant Babylonij,nec mirũ,nã ſuperbia fons eſt immiſericordiæ,inuidiæ origo,& radix omniũ peccatorum. dũ ſola vult laudari, cõtemnit omnes, & dum ſuperbus ſuam non agnoſcit fragilitatem,æternitatem ſibi pollicetur. Dicit Babylon, *ego ſum*, nullus *præter me* regnabit, non ero *vidua* vel ſterilis, ſed populoſa & diues; ſemper ſeruabo tyrannidem regni mei, omnibus nationibus leges dabo; omnes Reges ſoluent mihi tributa, nullus mecum contendet dignitate. ſed audi iudicium eius. Subditur enim.

6 *Venient tibi duo hæc ſubito in die vna, ſterilitas, & viduitas: vniuerſa venerunt ſuper te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. Et fiduciam habuiſti in malitia tua, & dixiſti: non eſt qui videat me: ſapientia tua, & ſcientia hæc decepit te. Et dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & præter me non eſt altera.* Vide qualiter iuxta menſuram delicti, ſit & plagarũ modus. Dixerat Babylon in corde ſuo: *Nõ ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem,* ſed Dominus ait. *Sterilitas & viduitas venient tibi in die vna*, ideſt tempore vno. *ſterilitas*, quia orbaberis filijs; *viduitas*, quia occidetur Rex tuus: fietque hoc repente nam Babylon perijt;inter pocula occiſo Balthaſar, quod magis mirum fuit, videlicet hoc accidiſſe extemplo Babyloni, in qua tam copioſa erat augurum multitudo,qui nihil tale prædicere potuerunt, quin potius illi cauſa fuerunt totius obdurationis, & cæcitatis Babyloniæ, quoniam ſuis mendacijs ciues & principem dementabant illius, & hortabantur eos, vt populum Iſraeliticum affligerent: quod ex prophetia Danielis ſatis conſtat, ex qua poteris colligere, quanta Babylonij conſilio incantatorum machinati fuerint in miniſtros Dei, & ſeruos illius,qui erant in captiuitate. Hæc eſt ſapientia, & ſcientia, quæ decepit Babylonẽ; hæc merces deceptoriæ ſcientiæ, quæ inflat, obdurat, excęcat, & plane Deum eſſe negat,ſi rem expendas: Quid enim eſt dicere Deo,non vides, niſi dicere,nõ es Deus?Quid eſt fateri, *non eſt qui videat me*, quam Dei prouidẽtiam abnegare, & Deum cæcum facere, non ſine magna iniuria creatoris? Sequitur. *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas,quam non poteris expiare &c.* Clarius explicat, quam repẽtinus futurus ſit interitus Babylonis, quam vani, quam mendaces fuerint, & infirmi malefici, & incantatores eius, quam ſtulta eorum conſilia: ſi quidem malum imminẽs ciuitati præcauere non potuerunt,aut præuidere. *Sta cũ incãtatoribus tuis &c.* Vox eſt ironiæ plena contra ariolos, & magos Babyloniæ, quos ciuitas illa magnificabat; quos ab adoleſcentia ſua magnis ſumptibus nutriuit Babylon; quorum conſilio faciebat vniuerſa.Cætera patent vſque ibi.

7 *Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis conbuſſit: non liberabunt animam ſuam de manu flammæ: non ſunt prunæ, quibus calefiant, nec focus, vt ſedeant ad eum. Sic facta ſunt tibi in quibuſcumque laboraueras: negotiatores tui ab adoleſcentia tua, vnuſquiſque in via ſua errauerunt: non eſt qui ſaluet te.* Explicat, ad quantam miſeriam deuenerint augures, & incantatores Babylonis. Et ſenſus eſt. Ecce ſapientes tui, ò Babylon, nihil proderunt tibi, cum ſibi ipſis adiutorio eſſe non poſſint; quia tam facile conſumentur ſicut perit ſtipula, & abſumitur ab igne, & non ſicut ſtipes, vel truncus, diu ardens, & vtilis vt vel quis in eo ſedeat, vel illum conburendo, ſe ad ignem calefaciat, ſed abſque vlla vtilitate peribunt. Hi ſunt in qui ſperaſti, *vnuſquiſque* diuertet,& fugere attentabit per viam ſuam, vnus ad Orientem aſpiciet,alius ad Occidentem. Iſte contemplabitur vnam plagam cœli, ille alteram, vt ſaluti ſuæ conſulat ſi forte ex aſtris poſſit aliquid boni coniectari:ſed errabũt, quia nullum prorſus inuenient præſidium. Vide plura alia quæ circa ſuberſionem Babylonis notata ſunt cap. 13. num. 5.

Augures & incantatores qua pœna puniendi.



# CAPVT XLVIII.

1. AVDITE hæc domus Iacob, qui vocamini
nomine Iſrael, & de aquis Iuda exiſtis, qui
iuratis in nomine Domini, & Dei Iſrael re-
cordamini non in veritate, neque in iuſtitia.
2. De ciuitate enim ſancta vocati ſunt, & ſu-
per Deum Iſrael conſtabiliti ſunt: Dominus
exercituum nomen eius. 3. Priora ex tunc
annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audi-
ta feci ea: repente operatus ſum, & vene-
runt. Sciui enim quia durus es tu,neruus ferreus ceruix tua,& frons
tua ærea. 4. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi,
ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, & ſculptilia mea, & con-
flatilia mandauerunt iſta. Quæ audiſti, vide omnia: vos autem num
annunciaſtis? Audita feci tibi noua ex tunc, & conſeruata ſunt quæ
neſcis: nunc creata ſunt, & non ex tunc: & ante diem, & non audi-
ſti ea, ne forte dicas: Ecce ego cognoui ea. Neque audiſti, neque
cognouiſti, neque ex tunc aperta eſt auris tua. ſcio enim quia præ-
uaricans præuaricaberis,& tranſgreſſorem ex vtero vocaui te. 5.Pro-
pter nomen meum longe faciam furorem meum: & laude mea infrę-
nabo te, ne intereas. 6. Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum,
elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, vt
blaſphemer: & gloriam meam alteri non dabo. 7. Audi me Iacob,
& Iſrael quem ego voco: ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus.
8. Ma-

8. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cœlos: ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul. Congregamini omnes vos, & audite: quis de eis annunciauit hæc? 9. Dominus dilexit eum, faciet voluntatem ſuam in Babylone, & brachium ſuum in Chaldæis. Ego ego locutus ſum, & vocaui eum: adduxi eum, & directa eſt via eius. 10. Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius. 11. Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſrael: Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. 12. Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui, & lapilli eius: non interiſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea. 13. 14. Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate: auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extrema terræ. Dicite: Redemit Dominus ſeruum ſuum Iacob. Non ſitierunt in deſerto, cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ. Non eſt pax impijs, dicit Dominus.

## SVMMA CAPITIS.

INCREPAT *in hoc capite incredulitatem* Iudæorum, *& duritiam cordis: quoniam poſt tot accepta beneficia, non ſolum ingrati, ſed & rebelles ſuo extiterunt conditori, abnegantes illũ, & gentium idola colentes. Diuiditur autem præſens caput in ſex partes.*

*Primò hypocriſim eorum arguit, quoniam verbis dumtaxat colebant Deum, & gloriabantur ſe filios eſſe ciuitatis ſanctæ; corde tamen longe erant à Deo. De hoc agit in principio capitis.*

*Secundò, commemorat quæ populo ſuo ex antiquis temporibus beneficia exhibuit, futura illi prædicens antequam fierent; ne cum omnia adimpleta viderent, idolorum virtute dicerent eueniſſe. Verſiculo.* Priora ex tunc annunciaui.

*Tertiò, arguit ingratitudinem populi, qui Dei tranſgreſſus eſt præcepta. Verſiculo.* Scio enim quia præuaricans, &c.

*Quartò, denunciat populum ingratum extrema promeruiſſe ſupplicia, ſed Deum propter nomen ſuum miſericordiam illi præſtiturum. Verſiculo.* Propter nomen meum longe faciam furorem meum.

*Quintò, hortatur filios Iſrael, in perſona Chriſti loquens, vt accedant ad audien-*

*audien-*



*audiendum Euangelium, & credant, illum eſſe verum Deum, & mundi redemptorem, quem Pater miſit, vt liberaret populum ſuum. Verſiculo.* Accedite ad me, & audite hoc.

*Sextò, enumerat bona, quæ populus ille adeptus fuiſſet, ſi attendiſſet ad mandata Domini, & Euangelium eius humiliter excepiſſet. Agit de hoc ab illo verſiculo.* Vtinam attendiſſes mandata mea, *vſque ad finem capitis.*

## COMMENTARIVM.

1 AVDITE *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſrael, & de aquis Iuda exiſtis, qui iuratis in nomine Domini, & Dei Iſrael recordamini non in veritate, neque in iuſtitia.* Docuit hactenus Propheta, Babylonios nihil ſuis incantamentis, ſuis diuinationibus, & maleficijs, quibus ſeducti ſunt, profeciſſe, nunc ad Iudæos ſermonem conuertit, eorum hypocriſim redarguens, qui nomine Iſraelitæ dicebãtur, & gloriabantur, ſe noſſe Deum, factis vero negabãt. *Audite* (inquit) ò Iudæi deſcẽdentes ex Iacob, qui appellari gaudetis honeſtiſsimo nomine Iſraelis, cui luctanti cum Deo virtus hoc nomen dedit, ſed illius imaginem in nullo refertis, quique gloriamini nomine Iuda, cui principatus inter filios Iacob datus eſt; de illo enim dictum eſt. *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Qui iuratis* inſuper *in nomine Dei*, & illum præ labijs habetis, ac ſi toto corde diligeretis illum. Verum hæc non in veritate facitis, nec in iuſtitia, ſed ſolo ore appropinquatis Deo, corde autem longe eſtis ab illo. Appellamini Iſraelitæ, Iudæi habitatores vrbis Hieruſalem, populus Dei electus, & alijs vocabulis honorificentiſsimis decoramini; cum tamen vita veſtra non ſit illis conformis. Multi ſunt etiã inter Chriſtianos, qui in nomine Chriſti gloriãtur, cum tamen vocari Chriſtiani nõ mereãtur, ſimiles facti illis, de quibus dictũ eſt. *Panẽ noſtrũ comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Vide ſupra dicta cap. 29. num. 24. in illa verba *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Conſtat ex hoc loco, veritatem, & iuſtitiam eſſe conditiones neceſſario requiſitas ad religioſum iuramentum. Reprehenduntur enim Iudæi, quod iurarent in nomine Domini, non in veritate, neque in iuſtitia. Oportet ergo in veritate & iuſtitia iurare. *Iurabis* (inquit Hieremias) *viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia.* In veritate, ita vt nihil falſum iures; *in iuſtitia* iurabis, ſi nihil iures illicitum, quod iuſtitiæ generaliter dictæ aduerſetur: *in iudicio* iurat, qui non leuiter iurat, ſed ex neceſſaria cauſa, & cum diſcretione rationis. *Iudicio caret iuramentum incautum; veritate, iuramentum mendax; iuſtitia*

*iuſtitia*

Nomẽ Dei in ore, & corde portandum.

*Gen. 49. b*

*Iſai. 4. a*

In iuramẽto requiritur veritas & iuſtitia.

*Hier. 4. a*

*iuſtitia autem, iuramentum iniquum ſiue illicitum* (vt S. Thomas dicit.)

S. Tho. 22. q. 89. ar. 3.

2 *De ciuitate enim ſancta vocati ſunt, & ſuper Deum Iſrael conſtabiliti ſunt: Dominus exercituum nomen eius.* Erat & alia vana gloriatio inter Iudæos: iactabant ſe, quod vocarētur ciues vrbis ſanctæ Hieruſalem, quam Deus peculiariter cultui ſuo dicauerat, & ſe protecturum promiſerat. Et quia ſanctam terram inhabitabant, ſanctiores ſe eſſe credebant, nec patiebantur contra ciuitatem illam aliquem prophetare, aut mala futura prædicere. Vnde quia Hieremias denūtiauit. *Dabo domum iſtam ſicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ, locuti ſunt ſacerdotes, & prophetæ ad principes, & ad omnem populum, dicentes: iudicium mortis eſt viro huic: quia prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, ſicut audiſtis auribus veſtris.* In nomine ergo ciuitatis ſanctæ, & in nomine Domini exercituum, quem ore dicebant Deū ſuum, ſed non vt oportet colentes, ſe conſtabilitos, & ſecuros eſſe putabāt. Noſtra autem Hieruſalem, & ciuitas ſancta, Eccleſia eſt, de qua non ſolum eſt nobis gloriandum, fidelium nomen aſſumendo, ſed ſingulariter curandum eſt, vt membra viua ſimus huius corporis myſtici. Quid enim prodeſt domeſticos Dei appellari, & dici, niſi res cōcordet nomini, & opera exequamur ciuium tam ſanctæ ciuitatis?

Homo ſuis viribus nō innitatur.

*Hiere. 26. b*

Veritas odium parit

3 *Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repente operatus ſum, & venerunt. Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frōs tua ærea.* A capite 40. vſque ad iſtum locum, ſæpius inculcauit Iſaias, opus ſolius Dei eſſe, & non idolorum, futura prædicere, & ea facere euenire repente. Sunt enim qui prædicunt, ſe facturos aliqua, ſed non poſſunt ea poſtmodum præſtare. Sunt & alij, qui ſubito faciunt aliqua, ſed non potuerunt ea prædicere antequam euenirent; ideo ait, Deo conuenire prædicere facienda, & illa exequutioni mā dare, vt illius opera eſſe cognoſcantur. Sed Iudæi proterui impudenter reſiſtebant Deo, etiam videntes miracula, & vaticinia prophetarum audientes; ideo duræ ceruicis eſſe dicūtur. Et Chriſtus Dominus eos vocauit generationem adulteram & peruerſam, ſemper ſigna quærentem: tales etiam ſunt peccatores ſuis obdurati delictis. Qui non cōuertuntur ad Dominū, ſed impœnitētes permanent vſque ad finem vitę, ceruicem habent ferreā, non audientes vocem Dei ad pęnitentiam vocantis: & quod peius eſt, ſicut non reſpiciunt ad bonum, ita faciem obfirmant ad malum, omnem vincentes impudentiam, cum non eos pudeat ignominioſa vitia cōmittere, & pro nihilo habeant æternam damnationem incurrere. De quibus per Ezechielem dicitur. *Fili hominis mitto te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me, ipſi & patres eorum præuaricati ſunt pactum meum vſque in diē hanc. Et filij dura facie, & indomabili corde ſunt: ad quos ego mitto te.* Vbi Gregorius, *Ecce* (inquit) *eſt vna culpa ſuperbiæ, quia præuaricati ſunt pactum. Ecce altera obſtinationis, quia vſque ad diem hāc. Ecce in iniquitate filiorū culpa grauis impudentiæ, quia dura facie: quoniam mala quæ faciunt, iam non erubeſcunt, & numquam vel poſt culpas ad pœnitentiam redeunt: quia indomabili corde ſunt.* Igitur tam Iſaias,

Annūciare ventura ſoli Deo cōpetit.

Iudæorum duritia nō liquefiebat bonis operibus Chriſti.

*Mat. 12*

*Ezech. 2 b*

Greg. hō. 9 ſup. Ezechielem.

Peccatum fuge, ſed poſtquā cōmiſſū fuerit, pudeat te peccaſſe

quam



quā Ezechiel in verbis inductis impudentiæ notat filios Iſrael, neſcientes erubeſcere, quod deſperatæ malitiæ ſignum eſt.

4 *Prædixi tibi ex tunc: antequā venirent, indicaui tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, & ſculptilia mea, & conflatilia mandauerunt iſta. Quæ audiſti, vide omnia: vos autem num annunciaſtis? Audita feci tibi noua ex tunc, & conſeruata ſunt quæ neſcis: nunc creata ſunt, & non ex tunc: & ante diem, & non audiſti ea, nè fortè dicas: Ecce ego cognoui ea.* Miracula & ſigna atque prophetarū oracula eò tendunt, vt credamus eſſe vnum ſolum verum Deum, vt colamus eum, & ſalutem noſtram ab ipſo eſſe cognoſcamus, & occludatur os impiorum, qui hæc tribuunt idolis ſuis. Ita enim clamabant fabricatores vituli. *Hi ſunt dij tui* Iſrael, *qui te eduxerūt de terra Aegypti.* Ideo ergo inquit, ſe prædixiſſe futura *antequā euenirent*, vt illi, & nō idolis adſcribantur: quæ propterea nunc *idola*, nunc *ſculptilia*, nunc *conflatilia* vocat, vt idololatriæ inſaniam, & idolorū imbecillitatem, ac vanitatem oſtendat. Ecce (inquit) non poteris inficiari, quam plurima miracula à me eſſe facta. Audiſti ſigna & prodigia quæ feci per Moyſem in Aegypto: noſti quod mare rubrum diuiſerim, & ſicco pede per medium maris te fecerim tranſire. Sed fortaſſe dicturus es, hæc cū temporibus antiquis eſſe præterita, & pene tradita obliuioni. Audite ingrati, & duro corde, audite noua, quæ *ex tūc* prædixi. Ecce in proximis diebus præteritis prædixi, & operatus ſum miraculū illud inſigne, quod omnibus nationibus fuit notiſſimū. *Ecce ego reuerti feci vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz, in ſole retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcēderat.* Exercitus etiam Sennacherib vna nocte centū octuaginta quinque millia virorum per manum Angeli percuſſi. Quis ex vobis tam euidentiſſimis ſignis nuper factis contradicet? Ecce iſta *nunc creata ſunt*, (ideſt,) proximis diebus præteritis acciderunt; adhuc viuunt qui obſeſſi fuerunt à Rege Sennacherib & exercitu illius. Quod ſi non te mouent miracula recenter facta, & ante diem. *Ecce conſeruata ſunt quæ neſcis*, (ideſt,) alia quamplurima ſigna, & prodigia habeo in futurum reſeruata, vt ſuo tempore perficiam illa per vnigenitum filium meum, qui factus homo cæcos illuminabit, leproſos mundabit, & mortuus vitam reſtituet: ſed his omnibus aggrauabis aures tuas, nec audies me vocantem, & miſereri volentem. Vide ergo, quam inexcuſabile fuerit peccatum Iudæorum, & quam ferream ceruicem habuerint, cum tot ſignis & miraculis reuerſi nō fuerint ad Dominum. Vnde & ſubditur. *Neque audiſti, neque cognouiſti, neque ex tunc aperta eſt auris tua: ſcio enim quia præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te.* (Ideſt) ab initio vocaui te tranſgreſſorem, propter peccatum originale, quod ab vtero contraxiſti: vel ab vtero, (ideſt) à tempore quo vocaui te in deſerto, tranſgreſſor fuiſti præceptorum meorum.

*Exod. 32. a*

Laus ſoli Deo dāda.

*Iſa. 38. b*

*Iſa. 37.*

*Luc. 7. c*

*Luc. 17. c*

*Ioa. 11. e*

Iudæorum peccatum quā inexcuſabile.

5 *Propter nomen meum longe faciam furorem meum: & laude mea infrænabo te, ne intereas.* Qui tam impiè & ſcelerate vitam duxit, merebatur vtique pœnis æternis continuo cruciari; ſed Diuina bonitas & longanimitas non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum

Peccatoribus parcit Deus propter nomē ſuum.

*Pſ. 102. b*

iniqui-

iniquitates noſtras retribuit nobis. Non ergo propter nos, aut propter merita noſtra, nam illa erant multa, ſed mala: *ſed propter nomen meum*, vt ſcilicet ab omnibus glorificetur, cum viderint beneficia populo duræ ceruicis à me exhibita, auertam iram meam & ſeruabo te, ac liberabo de captiuitate Babylonis. Vnde & Dauid his verbis Diuinam
Pſ. 78. b interpellat miſericordiam. *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum: ne forte dicant in gentibus: vbi eſt Deus eorum? & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris*. Et plerumque in orationibus ſuis, vt notauimus cap. 37.
Sup. ca. 37. num. 4. num. . ſancti antiqui, non propter ſe, ſed propter Deum & nomen illius, petebant à Deo auxilium in calamitatibus imminentibus. Eandem ſententiam repetit, dicens, *& laude mea infrænabo te*, (ideſt,) vt ego lauder, vt nomen meum agnoſcatur, & celebretur inter gentes, refrenabo iram meã, non permittens te in peccata dilabi, & perire; id quod accideret, ſi exardeſcerem aduerſum te, & continerem in ira mea miſericordiam. Tu quidem es populus duræ ceruicis, ego benignus & mitis; tu frontem habes æneam; ego autem longanimè tibi exhibebo meipſum, ſi forte igne charitatis meæ liqueſiat duritia cordis tui. Vel *laude mea in*
Laudes Dei hominem continét, ne peccet. *frænabo te*, (ideſt,) animum tuum ad peccandum longa cõſuetudine propenſum, & ad idololatriam inclinatum contineam. Et ſicut dicit
Bern. ſer. 11. in cant. Bernardus. *Infrænabo os tuum laude mea, ne interitu facinorum tuorum nimiã incurras triſtitiam, atque inſtar effrenis equi deſperatus in præceps ruas & pereas. Freno te inhibebo indulgẽtiæ meæ, & meis laudibus erigã, reſpirabisq; in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me ſane benigniorem, quam te culpabiliorem inuenies. Hoc freno ſi infrenatus fuiſſet Cain nequaquam deſperando dixiſſet. Maior eſt iniquitas mea quam vt veniam merear.* Gen. 4. b Abſit, abſit, maior eſt enim Dei pietas, quam quæuis iniquitas. Ideo iuſtus non continue, ſed tantũ in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Poſtmodũ autẽ in Dei laudẽ, extrema ſermonis claudere conſueuit. Videte denique iuſtũ hoc ordine procedentem. *Cogitaui* (ait) *vias* Pſ. 118. *meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua*, vt videlicet qui contritionem & infelicitatẽ in vijs proprijs perpeſſus fuerat, in via teſtimoniorum Dei delectaretur, ſicut in omnibus diuitijs. Et vos igitur exemplo iuſti, ſi de vobis in humilitate ſentitis, ſentite & de Domino in bonitate. Sic enim legitis apud Sapientem. *Sẽ-* Sap. 1. c *tite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illũ.* Lege quæ de Diuinis laudibus diximus ſupra. Sup. cap. 6. num. 13. ca. 11. num. 1. & 3.

6 *Ecce excoxi te, ſed nõ quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer: & gloriam meam alteri non dabo.* Senſus eſt, Nolui te totum perire. Nam ſi te probaſſem ſicut probatur aurum vel argentum, à quo omnis ſcoria auſertur per ignem, nullus pene in te manſiſſet, paucisſimi ſalui eſſent: ſed probaui te *in camino paupertatis* & afflictio- Tentantur homines paupertate & diuitijs. nis, in captiuitate Babylonis, in fame, & peſte, atque alijs tribulationibus plurimis. Ex quo beatus Hieronymus Hieron. colligit, *diuitijs & paupertate pleroſque*

roſque



Hieron. *roſque tentari. Propter quod & Salomon diuitias, & paupertatem habere*
Prou. 30 *non vult, ſed tantum neceſſaria poſtulat, ne aut illis eleuetur cor eius in ſuperbiam, aut in iſta compellatur facere quod non vult, & Deum preſſus*
1. Tim. 5. *inopia blaſphemare. Vnde & Apoſtolus: habentes, inquit, victum & veſtimentum, his contenti ſimus.* Vide ergo afflictionum & paupertatis vtilitatem, hæc enim mala pœnæ, & alia conſimilia à Deo miſericorditer immittuntur, vt à peccatis retrahamur, & à Deo ira, & indignatio auertatur. Et aduertit iterum atque iterũ, *propter me, propter me* hoc *faciam*, ideſt, propter nomen meum, *& gloriam meam*, quam *alteri non dabo*; non enim permittam, quod dij gentium glorientur propter opera, & miracula quæ non fecerunt illi, ſed ego. Hoc ipſum prædixerat ſupra. *Ego Domi-*
Iſa. 42. b *nus hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Solum illos Deus vult ſuo nomine honorare, quos diligit tamquam filios ſuos, de quibus ait
Pſ. 81. b Propheta. *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*; nec dicitur alteri gloriam dare, qui filiũ glorificat ſua gloria, per quem, & nos in filios adoptatos, eiuſdem gloriæ voluit eſſe participes. Vnde & in Deo gloriabimur, & Deus in nobis glorioſus apparebit.

7 *Audi me Iacob, & Iſrael quem ego voco: ego ipſe, ego primus, & ego*
Sup. ca. 41. & 44. *nouiſſimus.* Hæc eadem prædixerat ſupra. Et nunc eadem repetit, & vt Iſrael diligentius audiat liberationẽ ſuam ex captiuitate Babylonis, rurſus eum reddit attentum, & rem futuram probat ex ſua æternitate & potentia. Vocat eum nominatim *Iacob*, ob familiaritatem; & Iſraelem, ob ſingularem dilectionem. Hoc enim nomen dedit olim Iacob, cum apparuit illi reuertẽti de Meſopotamia Syriæ, benedixitq. ei, dicens, *non vocaberis* Gen. 35 b *vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomẽ tuũ.* Obſerua quod in præſenti, poſtquam Myſterium Trinitatis innuitur. dixit, *ego voco*, ter repetit, *Ego Ego Ego*: tum vt myſterium Trinitatis in eſſentiæ vnitate deſignet; tum etiã vt tria tempora complectatur, Dei æternitatem oſtendentia, ſicut & Ioannes ait. *Gratia vobis, & pax ab eo,* Apoc. 1. a *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*: Ac ſi diceret: Gratia vobis ab eo qui ſemper eſt, nec principium habet, nec finem. quod alijs verbis explicuit Paulus. *Ieſus Chriſtus heri,* Heb. 13. b *& hodie ipſe & in ſæcula.* Deus enim proprie loquendo eſt ſupra omne tẽpus, & vno nunc perpetuo, & immobili omne æuum poſſidet, & omnia tempora.

8 *Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cœlos: ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul.* Sicut Ioannes ſuum exorditur Euangelium, dicens. *In principio erat* Ioan. 1. a *verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum.* vt doceret, Dei filium fuiſſe ab æterno, quando nullũ erat tempus: ita & nunc Iſaias docet Deum ante ſæcula extitiſſe: quia cœlum, cuius motus tempus mẽſura eſt, condidit, terramq. fundauit. Docet inſuper, Dei omnipotentiam, qui ſimplici verbo cœlum & terram produxit. *Vocabo* (inquit) *eos, & ſtabunt ſimul*, ideſt, cœlum & terra ad Dei preceptum ſimul prodierunt, & ſuo funguntur miniſterio, ſtabunt, & perſeuerabunt, Deo conſeruante. Sequitur. *Congregamini omnes vos, & audite: quis de eis annunciauit hæc?* Ergo cum tantus ego ſim, æquum eſt, vt omnes congregemini, & libenter audiatis mira quæ facturus ſum, & prædixi antequam euenirent, qualia nullus ex dijs Babylonis ſuſpicatus eſt,

 nec

nec prædicere potuit, ne dum facere. Miraculum autem quod audiri iubet, eſt hoc, Sicut Deus ſua potētia creauit cœlum & terram; ita & ipſe conteret regnum Babylonis, & excitabit aliud, vt liberentur dilecti ſui. Vnde & ſubditur.

9 *Dominus dilexit eum, faciet voluntatem ſuam in Babylone, & brachium ſuum in Chaldæis. Ego ego locutus ſum, & vocaui eum: adduxi eum, & directa eſt via eius.* (vt dicit Hieronymus,) de Cyro ſine dubio explicandus eſt ad literam præſens locus, quem Dominus dilexiſſe dicitur; quantum ad bonum Regni, & Monarchiæ, quia multa bona illi cōtulit, & quia tamquam miniſtrum illum elegit, vt populum ſuum à captiuitate Babylonis liberaret. Dicitur enim Dominus eos diligere, per quos ſuis benefacit, quibus & temporalem proſperitatem tribuit. *Ego loquutus ſum,* de Cyro videlicet, antequā naſceretur, & annunciaui per Iſaiā ortū illius, quē idola non potuerunt prædicere: *Et vocaui eum,* .ſ. Cyrū nomine ſuo, vt ſuperius prædixi, vel *vocaui,* ideſt euocaui, & excitaui eum, vt cōtra Babylonios pugnaret, ego adduxi illum & direxi viam eius, vt expugnaret Babylonem. Non fecerūt hæc idola, caue ergo, ne hanc libertatem illis tribuas, ſed mihi, qui redemptor tuus ſum. Ego adduxi & reduxi diſperſiones Iſrael in ciuitatem ſanctā. Hoc miraculum non contemnendum eſſe, ſed memoria perpetua magnificandum, docuit Pſalmiſta, cum dixit.

*Pſ. 146. a*

*Cantate Domino quoniam bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit iocunda decoraq. laudatio. Aedificans Hierusalē Dominus diſperſiones Iſraelis cōgregabit,* ideſt, filios Iſrael, qui erant diſperſi, & in Babylone captiui, congregabit in ciuitatem ſanctam Hieruſalem. Inter hæc tamen, memores ſemper nos eſſe oportet Saluatoris noſtri, quem Cyrus deſignauit. Ipſe enim vere eſt quem pater dilexit, qui & ipſius voluntatem perfecit, mundū à tyrannide peccati eripiens; ipſo atteſtante. *Quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* De illo loquutus eſt per prophetas ſuos, & vocauit eum per Iſaiam proprio nomine, antequā naſceretur. Ait enim: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Vnde & Angelus ad Mariam loquens, ait. *Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Et Lucas Euangeliſta. *Vocatum* (inquit) *eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Denique filium ſuum pater adduxit, cum illum ad nos miſit carne humana indutum, *& directa eſt via eius,* quia nihil diſtortum cōmiſit, quia *peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius,* quia proſpere illi ceſſerunt omnia, victoriāq. aduerſus mundum reportauit, ſicut teſtatus eſt diſcipulis ſuis. *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.*

Nomē Ieſu Chriſti ſemper memoria retinendum.

*Ioa. 8. d*

Xps prænūciatus fuit ante eius aduentum.

*Luca 1. f*

*Luca 2. e*

*1. Pet. 2. d*

*Ioa. 16. d*

10 *Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.* Vt gloſſa interlinealis aduertit, filius in præſenti loquitur ad gentes, ſicut & Matthæi 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Accedite* (inquit) *& audite,* (ſcilicet) Euangelium meū. Quæ nunc loquor in carne humana, iam à principio loquutus ſum per os prophetarum, non in abſcondito, ſed palam (vt ſuperius dixi) nec mirum, nam ego, qui tūc loquutus ſum per prophetas, aderam, non ſolum eo tempore quo illi prædixerunt futura: ſed etiam ab æterno, quando illa prædeſtinauerat Deus. Vnde & diuina ſapientia, per quam omnia condidit Pater. *Ab æterno* (inquit) *ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant: necdū montes graui mole conſtiterant: ante omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderā: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne trāſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ: cum eo eram cuncta componens:* Sed *nunc Dominus miſit me,* quia incarnari me conſtituit, *miſit me in mundum,* non vt iudicem mundum, ſed vt per me ſaluetur mundus, *& Spiritus eius,* ideſt, patris, quod quidem qualiter ſit intelligendum, non conuenit inter doctores. Aliqui enim dicunt, quod perſona diuina non mittitur niſi ab eo, à quo eſt æternaliter. & cum filius Dei miſſus dicitur à Spiritu ſancto, reſpondent, hoc eſſe referendum ad humanam naturam, ſecundum quam miſſus eſt etiam à Spiritu ſancto ad prædicandum, cui etiam ſpecialiter opus incarnationis tribuitur, ſecundum illud, quod in Symbolo fidei canit Eccleſia. *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, Natus ex Maria Virgine, Et homo factus eſt.* Aug. autē cenſet, quod filius mittitur & à ſe & à Spiritu ſācto vt ſic mitti in diuinis, non conueniat cuilibet perſonæ, ſed ſolum perſonæ ab alio exiſtenti: mittere autem conueniat cuilibet perſonæ. At ſanctus Thomas *vtrumque* (inquit) *habet aliquo modo veritatē: quia cum dicitur aliqua perſona mitti, deſignatur & ipſa perſona ab alio exiſtens, & effectus viſibilis, aut inuiſibilis, ſecundum quem miſſio diuinæ perſonæ attenditur. Si igitur mittens deſignetur, vt principium perſonæ, quæ mittitur, ſic non quælibet perſona mittit, ſed ſolum illa, cui conuenit eſſe principium illius perſonæ. Et ſic Filius mittitur tantum à Patre, Spiritus ſanctus autem à Patre & filio. ſi vero perſona mittens intelligatur eſſe principium effectus, ſecundum quem attenditur miſſio, ſic tota Trinitas mittit perſonam miſſam.* Præterea obſeruandum eſt, quod in hoc loco Iſaiæ omnes tres perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis exprimuntur: nam perſona Filij loquitur, & dicit, ſe miſſum à Domino, ideſt, à Patre. Filius enim mittitur à Patre, non tamquam inferior quatenus Deus, cum ſit illi cōſubſtantialis: ſed quia eſt à Patre. Vnde & ad Phariſæos loquens dixit. *Ego ex Deo proceſſi, & veni, neq; enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Spiritus ſanctus exprimitur illis verbis, & ſpiritus eius, ideſt, Patris. Eſt autē Spiritus ſanctus, ſpiritus Patris, quia æternaliter ꝓcedit à Patre. Nec tamen per hoc intelligendū eſt, Spiritum ſanctum à Filio non procedere. Fides enim Catholica docet oppoſitū, vt patet ex illo Ioannis. *Cum autē venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimoniū perhibebit de me.* Ecce Filius ſe miſſurū ait Spiritum ſanctum, atque adeo ſatis clare manifeſtat Spiritum ſanctum procedere à Filio. Et cap. 16. ait. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis:* Vna autem perſona diuina ni-

Doctrina Chriſti nō furtim ꝓdicata fuit nec in occulto.

*Mat. 11*

*Sap. 8. c*

Xps à Patre miſſus eſt in mundum.

Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 5. to. 3.

S. Tho. 1 p. q. 43. ar. 8. in corp.

Miſſio ī diuinis quomodo intelligatur.

*Ioan. 8. e*

Spſ ſanctus à Patre & Filio procedit.

*Ioan. 15. d*

*Ioan. 16.*

hil accipit ab alia, niſi per proceſſionem. Relinquitur ergo, Spiritum ſanctum procedere à filio. Item in pluribus locis ſacræ ſcripturæ, Spiritus ſanctus dicitur ſpiritus veritatis, (ideſt) Filij, vt patet Ioannis 13. Ad Romanos 8. & ad Galatas 4. Procedit igitur à filio. Hac enim ratione colligũt Doctores ex hoc loco Iſaiæ, Spiritum ſanctum procedere à patre; quia dicitur ſpiritus eius. Vnde vniuerſalis Eccleſia in Symbolo fidei canit. *Credo in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem, qui ex patre filioque procedit: qui cũ Patre & Filio ſimul adoratur & cõglorificatur.* Nec obſtat quod in præſẽti & in alijs Scripturæ ſacræ locis, præcipue veteris teſtamenti, non inueniatur verbis expreſſis, quod Spiritus ſanctus procedat à Filio, ſufficit enim quod inueniatur hoc quantum ad ſenſum, ſicut & reperitur, præſertim in locis inductis ex nouo teſtamento. *Regulariter etiam in ſacra ſcriptura:* (vt ait S. Thomas,) *tenendum eſt, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi; etiã ſi dictio excluſiua addatur; niſi ſolum in illis, in quibus Pater & Filius ſecundum oppoſitas relationes diſtinguntur. Cum n. Dominus, Matthæi 11. dicit. Nemo nouit Filium, niſi Pater, non excluditur quin filius ſeipſũ cognoſcat.* Sic igitur cum dicitur quod Spiritus ſanctus à Patre procedit, etiam ſi adderetur, quod à ſolo Patre procedit, non excluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti, non opponuntur Pater, & Filius: ſed ſolum quantum ad hoc, quod hic eſt Pater, & ille Filius.

Ioan. 13. Rom. 8. Galat. 4.

S. Th. 1. p. q. 36. ar. 2. ad 1.

Diuinæ perſonæ nõ diſtinguũt inter ſe. niſi per relationes.

12 *Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſrael: Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas.* Iterum prædicit, miſericorditer liberaturũ ex captiuitate Babylonis populum ſuum: in quã incidiſſe conſtat propter peccata ſua. Si attendiſſes (inquit) ad ea quæ docui te in lege naturæ, ſiue in lege ſcripta, ſiue in lege gratiæ, & non fuiſſes tranſgreſſus præcepta mea, nihil tibi eueniſſet mali. Semper enim docui te *vtilia*, mandata legis naturæ proponens, & legem adijciens, in qua cæremonias inſtitui, & ſacrificia, quibus me coleres tamquam verum Deum: *vtilia* ſane & accõmodata, vt viam præpararem legi Euangelicæ; *vtilia*, vt bona poſſideres temporalia, ſicut prædixeram ſupra. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis:* Ego ſum doctor fideliſſimus, non te ſeducens, ſed docens. Sed quamuis me non audieris, caſtigatum tamen te ex captiuitate Babylonica emittam, magna cum fœlicitate, & in terram ſanctam deducam te, *gubernans*, & dirigens in patriam tuam. Ego *redemptor*, non Idola, & *redemptor tuus*, (ideſt.) Quamuis Babylonij pereant, quamuis alias diſſipet nationes, tuus tamen eſt *redemptor*, in te ſuum nomen ſanctificans. Nobis autem, cœleſtis pater per vnigenitum filium ſuum viã aperuit excellentiorem, per quam electos ſuos dirigit & gubernat, vt ad patriam perueniant æternam. Chriſtus enim eſt *via, veritas, & vita*: Lex naturæ præcepta dedit inſita cum ratione, lex ſcripta alia plurima ſuperaddidit, ſed neutra præſtabat vires ad obſeruandum illa. Sola lex ſpiritus *adiuuat infirmitatem noſtram: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Hæc nos gubernat, dirigit, & iuuat,

Bona vniuerſa habet qui legem Dei cuſtodit.

Iſai. 1.

Ioan. 14 a

Rom. 8.

Lex gratiæ via eſt ad vitã æternam.

vt quod



vt quod iubet, opere impleamus: de qua ſtatim ſubditur.

12 *Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuũ, & ſtirps vteri tui, vt lapilli eius: non interijſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.* Enumerat bona, quæ conſequuntur ſeruantes Dei mandata, illa præcipue quæ tradita ſunt in lege Euangelica. quorum primũ eſt *pax*: & *pax* abundantiſſima, inſtar fluminis, quod per diuerſos riuulos ſe diffundit. *Pax multa diligentibus legem tuam,* ait Pſalmiſta, *& nõ eſt illis ſcandalum.* Qui enim ſeruat mandata, pacem habet cum Deo, cũ angelis, cum proximis, & cũ ſe ipſo. Nam vermis conſcientiæ nullum bellum contra rationem mouet, non latrat, non obmurmurat contra illam. Secundũ bonum eſt *iuſtitia* copioſiſſima *ſicut gurgites maris,* huc, illucque redundantes. Tertio repromittit ſeruantibus legem, magnam ſobolis poſteritatem, qualis & Abrahæ promiſſa eſt, iuxtà multitudinem arenæ maris, quæ dinumerari nõ poteſt, aut ſicut puluis terræ; ſicut dictum eſt ad Iacob. *Erit ſemen tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem.* Repetitque alijs verbis eandem ſimilitudinem, qua multitudinem poſteritatis deſignet. *Fuiſſet* (inquit) *ſtirps vteri tui,* (ideſt) filij tui, *vt lapilli eius,* (ideſt) maris: (vt explicat Lyranus) vel *vt lapilli eius,* (ideſt) arenæ, (hoc eſt) multiplicarentur filij tui, vt minutiſſimæ arenæ maris. & eſt loquutio hyperbolica. Ex quibus collige, patres, multoties ob peccata ſua orbari filijs, morique nullo relicto ſucceſſore, & relinquere alienis diuitias ſuas. Quia enim in vita ſua obliti ſunt conditoris ſui, iuſto Dei iudicio, nulla eis conceditur poſteritas, in qua nomen eorum, & memoria perſeueret. Vltimum bonum, quod accidiſſet Iudæis, ſi Dei præcepta ſeruaſſent, explicat, cum dicit, *non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea,* (ideſt,) nõ fuiſſent expulſi, aut educti filij tui à Hieruſalem, in cuius templo facies Dei eſſe dicitur, quia ibi cognitum erat nomen eius: ibi colebatur, & venerabatur maieſtas illius.

Pſ. 118.

Iſai. 66.

Gen. 15. b

Rom. 4. d

Gen. 28. e

Pater orbatur prole in pœnã ſuorum delictorum.

13 *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate: auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extrema terræ: dicite: Redemit Dominus ſeruũ ſuũ Iacob. Non ſitierunt in deſerto, cum educeret eos: aquã de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ. Non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Hortatur filios Iſrael, vt feſtinent exire de Babylone, vbi tenebantur captiui, quod & per Hieremiam repetit. *Fugite* (inquit) *de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam:* Et iterum. *Egredimini de medio eius populus meus, vt ſaluet vnuſquiſque animã ſuam ab ira furoris Domini.* Non enim eſt tutũ cũ peccatoribus habitare. Vrgebant Angeli Loth, vt egrederetur à Sodomis, ne puniretur cum impijs, & nos vrgent Scripturæ, vt de cõfuſione iſtius mundi egrediamur. Nec ſolum eos vt egrediantur, hortatur, ſed vt fugiant in voce exultationis, quia non ſolum fugiendum eſt velociter: ſed & cum exultatione, & perpetua gratiarum actione collaudantes Deum, qui nos eripuit de poteſtate tenebrarũ. *Non ſitierunt in deſerto &c.* Hebræi præſentem locũ exponunt, dicentes, eadem facta fuiſſe miracula in exitu à Babylone, quæ fecit Deus olim in

Hier. 51 a

Ibid. e

Societas improba cauſa eſt multoties ruinæ, & perditionis

 exitu

exitu Iſrael de Aegypto. Sed ſi hoc firmum haberet fundamentũ, meminiſſet vtique Eſdras horũ mirabiliũ. Alij exponunt locũ iſtum per hyperbolẽ, qua mira proſperitas iuſtorũ inſinuatur,& talis, vt etiam in medijs ſolitudinibus,& in sũmis periculis nullam experiantur penuriã, ſecundum illud quod dicit Pſalmiſta. [Pſal.36. e] *Iunior fui etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictũ, nec ſemen eius quærens panẽ:* Peccatoribus autẽ nulla tranquillitas remanet, nulla bonorũ abundantia, quib' ſẽpiternus imminet interitus.

14 De electis, prædixerat ſupra, eſſet *ſicut flumen pax tua;* ſed nũc de reprobis ait. Quoniã *non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Alij denique, quibus magis adhærendũ videtur, inter quos eſt S. Aug.& Cyprianus, hæc referũt ad populũ Chriſtianũ, & videtur Propheta tranſitũ facere à figura & typo, ad rem per typum deſignatã, ab Iſraele carnali, ad ſpiritualem, & à Cyro rege Perſarum, ad Chriſtũ redemptorẽ noſtrum. Et ſenſus eſt. *Egredimini de Babylone* (hoc eſt) à regno diaboli, *fugite à Chaldæis,* qui vos hactenus ſub peccato tenuerunt captiuos: Dicite quia *Dominus redemit ſeruum ſuum Iacob,* populũ videlicet Chriſtianũ, electum à Domino, & dilectum. Quod autem ſubdit. *Nõ ſitierunt in deſerto &c.* Commemoratio quædam eſt beneficiorum, quæ Deus exhibuit Iudæis, cũ eos eduxit de terra Aegypti; vt ex illis conijciamus, maiora eſſe beneficia, quæ Deus nunc exhibet fidelibus ſuis, aquã de petra producens, quam Chriſtus ſuis ſectatoribus repromiſit, dicẽs, [Ioan.7.f] *ſi quis ſitit veniat ad me & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

[Aug. ſer.2 feri 43. poſt 3. domin. i quadrag. & ſer. 93. de temp. Cypr. lib.2 epiſtolarũ epiſt. 3.]

[Diaboli poteſtas per Babylonẽ & Chaldæos deſignatur.]

& iterum: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã.* [Ioan. 4. b] *Excidit petrã* (inquit) *& fluxerunt aquæ;* quia (vt Hieronymus ait). [Hieron.] *Scinditur ſermo Diuinus & in multas partes diuiditur, vt quem totũ ſuſcipere non poſſumus, ſumamus in partibus.* [Petra Chriſtus nuncupatur.] Scinditur petra vt fluant aquæ, quia lãcea ſciſſum eſt,& perforatũ latus Chriſti dormientis in cruce, *& continuo exiuit ſanguis & aqua,* [Ioa.19.f] à quo & ſeptẽ fluxerunt Eccleſiæ ſacramenta, quibus corda fidelium fecũdantur. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* [Gen.2.b] Et Dei filius egreſſus eſt de paradiſo, & ſicut prædictum eſt ſupra, tãquam fluuius pacis ad nos declinauit, vt vniuerſa irrigaretur eius Eccleſia. Vnde & per Eccleſiaſticum ait. *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immẽſæ de fluuio. Ego quaſi fluuius dorix, & ſicut aquæ ductus exiui de paradiſo. dixi: rigabo hortum meũ plãtationum, & inebriabo prati mei fructum.* [Eccleſ. 24.d] Eſt ergo Chriſtus Dominus petra ſciſſa, ex qua fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, vt biberent in deſerto huius ſæculi, qui per fidem ad patriam tendũt cœleſtem, ſicut Apoſtolus ait. *Quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes mare tranſierũt, & omnes, in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritalẽ manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus, cui ſit honor in ſæcula.* [1. Cor. 10.a]

*Finis Libri Sexti.*





# LIBER SEPTIMVS COMMENTARIORVM IN ISAIAM PROPHETAM.

*Auctore.*

R. P. MAGISTRO F. DIDACO ALVAREZ Metimnenſi, Prouinciæ Hiſpaniæ, Ord. Præd. Romæ in Collegio S. Thomæ ſuper Mineruam ſacræ Theologiæ profeſſore, & Regente.

## *DE REGNO REGIS REGVM Domini Noſtri Ieſu Chriſti.*

IAM, Deo auxiliante, peruenimus ad ſeptimum huius prophetiæ ſigillum, in quo per 18. capita ſine velamine & figuris aperte vaticinatur Iſaias de regno Chriſti, & aduentu Redemptoris, conſentientibus etiam Hebræorum expoſitoribus; in hoc tamen à nobis diſſidentibus, quod illi adhuc cæci Meſſiam in lege promiſſum expectant, quem nos plenum gratia & veritate iam aduenisse firmiſsime credimus. Ex ſequentibus autem multa addiſcemus myſteria fidei noſtræ, quæ non tam vt propheta prædicere, quam vt Euangeliſta videtur enarrare. Et vt notauit Petrus Aureolus, & poſt illum Georgius Ederus in hac vltima parte huius prophetiæ, deducit Iſaias de Chriſto Domino concluſiones duodecim. Primò namq. exequitur quæ pertinent ad Saluatoris infantiam, & abſconſionem. Nam per triginta annos, vſque ad annum prædicationis, conuerſatus eſt in mundo quaſi ignotus, ſicut & alius purus homo: & hoc Propheta deducit

[Petrus Aureol' in cõpendio ſacræ ſcripturæ ſuper Iſaiam.]

[Georgius Eder' partitionum Theologicarum li.2 tab.174.& tribus ſequentibus.]

deducit cap. 49. cum ait. *In pharetra ſua abſcondit me, & dixit mihi.* & per totum capitulum deſcribit excellentiam illius ſicut latentis, & abſconſi.

Secundo vero exequitur ea, quæ pertinent ad multiplicem iniuriam, quam paſſus eſt, ac perſequutionem, cap. 50. quod incipit: *Hæc dicit Dominus, quis eſt hic liber?* Sequitur: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, corpus meũ dedi percutientibus & genas meas vellentibus, &c.*

Tertiò exequitur ea quæ pertinent ad ſapientiam, & prædicationem Chriſti, in cap. 51. & 52. Vbi dicit: *Audite me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum.* Et ſequitur. *Audite quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum.* Et infra: *poſui verba mea in ore tuo.* Et poſt hoc ſequitur: *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Vbi alia multa dicit quæ pertinent ad Chriſti prædicationem.

Quartò verò exequitur ea quæ ſpectant ad Chriſti tolerantiam, paſsionem & patientiam, & mortis perpeſsionem, circa finem cap. 52. *Ecce intelliget ſeruus meus, ſicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius,* & per totum 53. caput, vbi dicitur. *Non eſt ſpecies neque decor, &c.*

Quintò exequitur ea quæ pertinent ad Eccleſiam, & ipſius formationem, & hoc ordine congruo, quia formata eſt de latere Chriſti dormientis in cruce. Et ideo 54. capitulo incipit: *Lauda ſterilis quæ non paris,* & ſtatim ſequitur in cap. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Poſt hoc etiam cap. 56. oſtendit quomodo Eccleſia non arctatur ad vnum populum, vnde incipit. *Hæc dicit Dominus: beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendit iſtud. Et non dicat filius aduenæ qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo.* Deinde vero 57. & 58. ponit informationem moralem, & omnia iſta pertinent ad Eccleſiam.

Sextò verò exequitur ea quæ ſpectant ad Chriſti gloriam & reſurrectionem, & hoc 59. cap. & 60. vbi dicitur: *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, &c.* Et ſequitur. Quod ſaluauit ſibi brachium ſuum, indutus eſt iuſtitia vt lorica, & galea ſalutis in capite eius, & continuando cap. 60. additur. *Surge illuminare Hieruſalem, &c.* vſque in finem, quæ pertinent ad Chriſti gloriam, & reſurrectionem.

Septimò exequitur ea quæ pertinent ad Chriſti famam per orbem diffuſam, atque opinionem & diſſeminationem per orbem, cap. 61. per totum. *Spiritus Domini ſuper me,* vbi agitur de diſcipulis diſſeminatis per orbem, ad portandam famam Chriſti. Vnde ibidem dicitur, quod omnes qui viderint eos, cognoſcent eos, quia *iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.*

Octauò verò exequitur ea quæ ſpectant ad nominationem nouam, & ad intitulationem nominis Chriſti. quia hoc nomen nouum & glorioſum impoſitum eſt credentibus: & hoc cap. 62. per totum, quod incipit: *Propter Sion non tacebo.* Sequitur: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta, &c.*

Nonò exequitur ea quæ ſpectant ad regreſſum in cœlum, & glorioſam aſcenſionem, cap. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom?*

Decimò.



Decimò exequitur ea, quæ ſpectant ad Iudæorum nequitiam & excæcationem, Chriſto aſcendente in cœlum: & hoc circa medium cap. 63. *Miſerationum Domini recordabor:* Vbi reducit ad memoriam beneficia omnia quæ Deus contulit Iudæis, præcipue beneficium eductionis de Aegypto, & aduentus Chriſti, in principio 64. cap. *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes:* & non obſtantibus beneficijs his excæcati ſunt. Et deplorat eorum excæcationem, vbi ait cap. 63. *Attende Domine de cœlo, & vide de habitaculo ſancto tuo. quare errare nos feciſti de vijs tuis? induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.* Sequitur cap. ſequenti: *Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ, &c.*

Vndecimò exequitur ea, quæ ſpectant ad finalem miſericordiam, & ad reuerſionem Iudæorum ad Chriſtum, cap. 65. per totum, quod incipit: *Dixi, Ecce ego ad gentes.* Sequitur: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Et infra: *Sic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum, & educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes ſanctos meos.*

Duodecimò, & vltimo exequitur ea, quæ ſpectant ad finale iudicium, & præmium bonorum, ac malorum punitionem, cap. 66. quod incipit: *Hæc dicit Dominus, cœlum ſedes mea.* & ſequitur de gloria bonorum: *Lætamini cum Hieruſalem, & replemini ab vberibus conſolationis eius.* & de pœna damnatorum: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur:* & ſic finitur ſecundus tractatus, & totus liber. Hactenus Aureolus.

# CAPVT XLIX.

1. AVDITE inſulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.
2. 3. 4. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum: in vmbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me. 5. Et dixit mihi: Seruus meus es tu Iſrael, quia in te glorlabor. 6. Et ego dixi: In vacuum laboraui, ſine cauſa, & vane fortitudinem meam conſumpſi: ergo iudicium meum cum Domino, & opus meũ cum Deo meo. 7. Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum, &

Iſrael

Iſrael non congregabitur: & glorificatus ſum in oculis Domini, &
Deus meus factus eſt fortitudo mea. 8. Et dixit: Parum eſt vt ſis
mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuerten-
das. Ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad ex-
tremum terræ. 9. Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius,
ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum do-
minorum: Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt
propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael qui elegit te.
10. Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die ſa-
lutis auxiliatus ſum tui: & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt
ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas: vt diceres his,
qui vincti ſunt: Exite: & his, qui in tenebris: Reuelamini. 11. 12.
Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum. Non eſu-
rient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol: quia miſerator
eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam om-
nes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur. 13. Ecce
iſti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra
auſtrali. Laudate cœli, & exulta terra, iubilate montes laudem;
quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum
miſerebitur. 14. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Domi-
nus oblitus eſt mei. 15. Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem
ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego ta-
men non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui
coram oculis meis ſemper. 16. Venerunt ſtructores tui: deſtruentes
te, & diſſipantes à te exibunt. 17. Leua in circuitu oculos tuos, &
vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: viuo ego, dicit Do-
minus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis
tibi eos quaſi ſponſa. 18. Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, &
terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus, & longe fu-
gabuntur qui abſorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij ſte-
rilitatis tuæ: Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi vt habitem.
19. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis, &
non pariens, tranſmigrata, & captiua: & iſtos quis enutriuit? ego
deſtituta & ſola: & iſti vbi erant? 20. Hæc dicit Dominus Deus:
Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignũ
meum. 21. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper hume-
ros portabunt. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ:
22. Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuo-
rum lingent. Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confun-
dentur



dentur qui expectant eum. 23. Numquid tolletur à forti præda? aut
quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit? Quia hæc dicit
Dominus: Equidem, & captiuitas à forti tolletur: & quod ablatum
fuerit à robuſto, ſaluabitur. Eos vero, qui iudicauerunt te, ego iu-
dicabo, & filios tuos ego ſaluabo. 24. Et cibabo hoſtes tuos car-
nibus ſuis: & quaſi muſto, ſanguine ſuo inebriabuntur: & ſcies
omnis caro, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus for-
tis Iacob.

## SVMMA CAPITIS.

*INTRODVCIT in hoc capite Chriſtum Dominum, Eccleſiam ſanctam, quam per inſulas & populos deſignat, alloquentem; denuntiatque illum à Patre ad ſalutem totius generis humani eſſe miſſum. Circa quod, Primò ponit verba ipſius redemptoris in principio capitis.*

*Secundò, conqueritur de illis, in quibus ob eorum malitiam paſſio ipſius, & mors nullum ſortita eſt effectum. Verſiculo.* Et ego dixi in vacuum laboraui.

*Tertiò, ſubiungitur conſolatio, qua pater æternus filium ſuum vnigenitum alloquitur, illi oſtendens innumerabilem ex gentibus multitudinem, quæ ad Eccleſiam Catholicam peruentura erat, & Euangelium ſuſceptura. Verſiculo.* Et nunc hæc dicit Dominus.

*Quartò, declarat quam abundanti doctrina ſint fideles in Eccleſia paſcendi; quam copioſa Spiritus ſancti gratia fouendi. Verſiculo.* Super vias paſcentur, &c.

*Quintò, proponit immenſum pietatis affectum, quo Dominus curam ſuorum habet multo maiori amoris ardore, quam mater ſoleat vnigenitum ſuum diligere. Verſiculo.* Numquid obliuiſci poteſt, &c. *Vbi conſequenter eiuſdem Eccleſiæ humilitatem proponit vere agnoſcentis, non ſua, ſed Domini virtute tot filios genuiſſe. Verſiculo.* Et dices in corde tuo, &c. *Ac denique eius gloriam, & excellentiam declarat, quam principes vultu in terram demiſſo adorabunt, cuius nutritij reges & nutrices reginæ erunt. Quod proſequitur vſque ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1 *AVDITE inſulæ, & attendite populi de lõge, Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.* Eccleſiæ ſuæ loquitur Chriſtus, quæ ex populis inſularibus & remotioribus, ex Iudæis,& gentibus congregata eſt. Rem autem omnium maximam dicturus, ſilentium omnibus indicit, vocemque ita extollit, vt in inſulis & remotiſsimis locis, qui non audierant, auribus percipiant verba eius. Incipit autem à myſterio incarnationis, quod initium fuit ſalutis humanæ, & principium regni Chriſti, qui, antequam ex vtero virginis naſceretur, rex fuit regum, & Dominus dominantium; quod & Magi illum quærentes agnouerunt, dum *ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Quod autem ait, *Dominus ab vtero vocauit me,* illud reſpicere videtur quod refert Lucas Euangeliſta. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Vel vocari ab vtero, idem eſt, quod electum fuiſſe, & deſtinatum ad ſalutem generis humani. Vnde & ſuperius dixerat. *Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere: feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuã, auferetur fortitudo Damaſci,& ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum.* Et eſt phraſis vſitata in Scriptura,

Chriſtus ante ortũ Rex fuit.
Matt.2.
Luc.2.
Vocari ab vtero quid ſignificet.
Iſai.8.a

ſecundum quam, ab vtero vocari dicuntur, qui ad magnum aliquod miniſterium ſunt electi, ſicut ad Galatas primo. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus.* Tertio poſſunt hæc verba accipi, vt Diuinitatem ſignificent Chriſti, ita vt ſenſus ſit, *Dominus ab vtero vocauit me,* filium videlicet ſuum vnigenitum; ſiue per vterum intelligas virginis vterum, ex quo temporaliter Deus & homo natus eſt, ſiue ſecundum intellectũ Patris, per cuius actum genitus eſt ab æterno Dei filius, ſecundum illud quod ipſe teſtatur per Pſalmiſtam. *Tecum principium in die virtutis tuæ: in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Et iterum. *Ipſe inuocauit me: Pater meus es tu: Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ: & ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.* Conſonat huic explicationi illud Apoſtoli. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Põtifex fieret: ſed qui loquutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sequitur hanc explicationem B. Ambroſius: *ex vtero* (inquiens) *vocauit Dominus nomen meum, illud nempe Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, ideſt nobiſcum Deus, quod*
quid

Gala.1.c
Pſ.109.a
Pſal.88.d
Heb.5.a Honores non ſunt quærendi.
Amb. ſup. Pſal.35.



*quid eſt aliud, niſi quod filius* Dei *nomen eſt Chriſti, quod & angelus explicuit, dicens ad virginem, Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.*

Lucæ 1.

2 *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum: in vmbra manus ſuæ ꝓtexit me, & poſuit me ſicut ſagittã electã: in pharetra ſua abſcondit me.* Docet his verbis initium regni Chriſti à prædicatione cœpiſſe Euangelij, in quo maxime virtus illius oſtenditur & potentia: nam multo magis glorioſum eſt, regnum ſimplici verbo ſibi ſubiugare, quàm gladio, qui enim gladio vtuntur aduerſus rebelles; impotẽtiam ſuam oſtendunt, qui autem omnia verbo efficiunt, vere potentes manifeſtantur. Verbo creauit Deus vniuerſum: *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux. Dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & factum eſt ita.* Eodem etiam verbo, quo mũdum creauit, illum conſeruat, Apoſtolo dicente, *portanſque omnia verbo virtutis ſuæ.* Voluit ergo, non armorũ ſtrepitu, ſed verbi prædicatione rebelles homines, & idololatras ſibi ſubijcere: & ad ſe conuertere: vnde & Apoſtolus ait. *Non erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* De quo idem Propheta prædixerat ſupra, *& percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Multis nominibus in ſacro eloquio virtus & efficacia verbi Diuini exprimitur, & prædicationis Euangelicæ. Dicitur ſemen Lucæ 8. *Semen eſt verbum Dei,* quia (vt notauimus ſupra) animam ſterilem efficit fœcundam. Appellatur aqua ſeu pluuia, quoniam inebriat corda fi-

Pſ.148.
Gen.1.a
Verbo Domini vniuerſa creata ſunt.
Hebr.1.
Rom.1.
Iſa.11.a
Verbũ Dei adeò efficax eſt, vt corda duriſſima ad ſe conuertat.

delium, & germinare ea facit; quoniam animam mundat & lauat, ſecundum illud Ioannis 15. *Iam uos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis.* Malleo confertur, & igni, quoniam dura peccatorũ pectora contundit & frangit. Hierem. 23. *Nũquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petrã?* ſed præſertim gladius dicitur, & ſagitta electa. Et quidem verbum Chriſti eſſe gladiũ acutũ ex multis locis ſcripturæ conſtat. Dicit enim Apoſtolus. *Et galeam ſalutis aſſumite, & gladiũ ſpiritus quod eſt verbum Dei.* Et iterum. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Quod autẽ verbum Dei etiam ſit ſagitta, conſtat ex Pſalmiſta dicente. *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.* Vbi Auguſtinus. *Sagittæ* (inquit) *potentis acutæ, verba Dei ſunt. Ecce iaciuntur, & transfigunt corda: ſed cum transfixa fuerint corda ſagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur: Nouit Dominus ſagittare ad amorẽ: & nemo pulchrius ſagittat ad amorem, quàm qui vere ſagittat: immo ſagittat cor amantis, vt adiuuet amantẽ: ſagittat, vt faciat amantem. Sagittæ autem ſunt, cũ agimus verbis. Carbones autẽ vaſtatores, qui ſunt? Parum eſt, verbis agere contra linguam ſubdolam & labia iniqua: parum eſt verbis agere, & exemplis agendum eſt. Exempla ſunt carbones vaſtatores. Accepiſti tu præceptũ Euangelicum? habes ſagittam, ſed carbo-*

Ioan.15.
Hier.23.
Verbũ Dei gladius dicitur.
Epheſ.6
Heb.4.c
Verbũ Dei ſagitta.
Pſ.119.
Aug tom. 8 ſup eundem Pſal.
Deus vtitur ſagittis tamquã venator animarum

*carbones nondum habes. Timendum eſt ne ſagitta ſola non valeat aduerſus linguam doloſam. Sunt & carbones vtputa: incipit enim tibi dicere Deus; Tu non potes, quare ille poteſt? quare alter potuit? Numquid tu delicatior es illo ſenatore? Numquid tu infirmior es illo ſenatore? Nũquid tu infirmior es illo aut illo in valetudine? Nũquid tu infirmior es fœminis? fœminæ potuerunt, viri non poſſunt? delicati diuites potuerunt, pauperes non poſſunt?* Alia litera, quam Scholiaſtes tribuit Aquilæ (vt conſtat ex Biblia ſeptuaginta interpretũ, Romæ excuſa, 1588.) transfert, cum carbonibus iuniperinis, & S. Hieronymus ſcribit: *cum carbonibus Iuniperorum. Fertur autem lignum hoc* (vt ibidem aduertit idem ſanctus Doctor) *ignem multo tempore conſeruare: ita vt ſi prunæ ex eius cinere fuerint opertæ, vſque ad annum perueniant. Ex quo diſcimus, poſt ſepulchra concupiſcentiæ, & veſtibula, tranſire ad nos lignũ, quod multo tempore calorem tenet, vt ſimus feruentes ſpiritu, & claro ſonitu atque alta voce Euangelium Domini prædicemus. Poſuit me* (inquit) *ſicut ſagittam electam*, (ideſt,) miſit me, vt eſſem ſagitta munda, nullam habens rubiginem, nihilque admitterem falſitatis, ſed eloquia proferam, qualia deſcripſit Pſalmiſta. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum probatum terræ purgatum ſeptuplum.*

Prædicatoris verba ſagittæ ſunt potentis acutæ. Sed facta carbones ſunt deſolatorij

Hier. ad Fabiolã manſione 15. tom. 3. Ignis in Iunipero omni tẽpore conſeruatur.

Pſ. 11. b

3 Ex quibus poteris colligere, quanta auctoritate & poteſtate Chriſtus prædicauerit Euangelium, cui nullus, quantũuis eſſet illi aduerſus, obijcere potuit crimen aliquod, aut maculam opponere, per quam ipſum verbum Dei obſcuraretur. Audi quid de illius doctrina dicat Euangeliſtæ. Matthæus ait. *Factum eſt, cum conſũmaſſet Ieſus verba hæc, admirabãtur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.* Quod & Marcus repetit. Et ſanctus Lucas. *Stupebant* (inquit) *in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.* Duo diſcipuli euntes in Emaus, adhuc in fide fluctuantes, dixerunt, quod Ieſus Nazarenus *fuit vir Propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo.* Scribæ & Phariſæi verbis Redemptoris confuſi, *amplius non audebant eum quicquam interrogare.* Eadem virtus verbi Dei non ſolum in Chriſto, ſed etiam in diſcipulis eius reſplenduit, quibus ipſe ait: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Vnde & de Beato Stephano hæc refert Lucas Euangeliſta. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſiũ, & Alexandrinorum, & eorum qui erãt à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano: & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Denique, per ſignum crucis, omnis ſuperbia mundi humiliata eſt, & ſapientia huius ſæculi, quæ inimica eſt Deo, infatuata. Meminit autem non ſolum gladij acuti, ſed & ſagittæ, quia vicinos & remotos virtute verbi ſubegit: illos verbo tamquam gladio vulnerans, hos tamquã ſagitta transfigens, Propheta atteſtante. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum regis.* Super quæ verba ſanctus Hieronymus ſcribens ad Principiam virginem. *Hic verſiculus* (inquit) *tibi potiſſimum aptus eſt, quæ iaculo Domini*

Verbum Chriſti tãtã habuit auctoritatẽ, vt nulˀ dolus aduersˀ illud valeat præualere.

Mat. 7. d

Mar. 1. c

Luc. 4. f

Luc. 24. c

Luc. 20. g

Luc. 21. d

Act. 6. a

Poteſtas verbi Diuini, etiam in diſcipulos tranſmiſſa eſt.

Pſa. 44.

Hieron. in epiſt. ad Principiã virginem ſup. Pſ. 44 tom. 3.



*mini vulnerata, cum ſponſa in cantico canis: Vulnerata charitate ego ſum. Nec mirum ſi ſponſus tuus habeat plures ſagittas: de quibus in Pſalmo dicitur: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs: cum patris ipſe ſit iaculũ: & loquatur in Iſaia: Poſuit me quaſi ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me. His ſagittis & Cleophas in itinere cum altero vulneratus aiebat: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Et in alio loco legimus: ſicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. His ſagittis totus orbis vulneratus & captus eſt. Paulus ſagitta fuit Domini: qui poſt quam ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum miſſus, arcu Domini huc illuc volitauit, ad Hiſpanias ire feſtinat: vt velox ſagitta ſub pedibus Domini, Orientem, Occidentemque proſternat. Et quia plures ſunt potentiſſimi regis inimici, qui vulnerati fuerant ignitis ſagittis diaboli, & quaſi ceruus ſpiculo percuſſi in iecore, ſagittæ Domini mittuntur ignitæ cum carbonibus deſolatorijs, vt quicquid vitij in corde inimicorum regis fuerit, excoquant, & ſalutari igne ignem eijciant perditorem.*

Cant. 2.

Pſ. 119.

Luc. 24.

Pſ. 126.

Annũciantes verbum Chriſti, ſagittæ appellantur.

4 *In pharetra ſua abſcondit me.* Sicut Deus Chriſtum ad hoc elegit, & miſit in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati: ita & ſeruauit illum & cuſtodiuit, vt opportuno tẽpore ſuum expleret munus, & officium. Neque enim defuit perſequutionis æſtus, ignis probationis. Nam & Herodes perſequutus eſt Chriſtum recenter natum, & vt inter infantes illum occideret, morti tradidit omnes pueros *qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius à bimatu & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis.* Propter quod in Aegypto quaſi exul à propria patria commoratus eſt, & multa paſſus incommoda. Et cum Iudæi duxiſſent poſtmodum Ieſum vſque ad ſupercilium montis, vt præcipitarent eum, ipſe *tranſiens per medium illorum ibat.* Deus enim tamquam ſagittam in pharetra illum cuſtodiebat, vt ſuo tempore principem tenebrarum debellaret. Eadem conſolatio relinquitur verbum Dei annunciantibus, quorum nec pilus quidem de capite peribit, quoniam omnes numerati ſunt. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum* (ait Pſalmiſta) *vnum ex his non conteretur.* Poſſunt ſecundo hæc verba referri ad humanitatem Chriſti; in qua Diuinitas eſt abſcondita, tamquam ſagitta in phraretra. Quã explicationem ſequitur Chryſoſtomus. *Sagitta* (inquiens) *electa verbum Dei eſt ante ſæcula ex patre natum. Nam occultauit in pharetra corporis dignitatem deitatis à dracone*, vt videlicet draconem ipſum interficeret. Eadem ratione verbum Dei incarnatum hamus dicitur, vt explicuimus ſupra, quia ſub infirmitate carnis abſcondit aculeum Diuinitatis, quo Leuiatam, ideſt diabolus captus eſt.

Veritate orta malitia & inuidia inſidiãtur illi.

Mat. 2.

Luc. 4. e

Xps in pharetra poſitus, ſignificat Deum in humanitate recluſum.

Pſ. 33. d

Chryſ. ſer. aduersˀ hæreticos to. 5. column. 2.

Verbũ Dei appellatur hamus. Sup. cap. 5. num. 4. ca. 9. num. 21

5 *Et dixit mihi: ſeruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor.* Iſrael idem ſignificat quod videns Deum. Vnde in præſenti pro Chriſto Domino accipitur, (iuxtà explicationem Ambroſij:) quoniam anima Chriſti ab inſtanti conceptionis, vidit Deum per eſſentiam. Vel (ſecundum Hieronymum) ex eo Chriſtus Dominus Iſrael dicitur, quoniam ex Iſrael deſcendit, ſecundum carnem, ſecundum quam ſeruum in præſenti illum pater appellat, de quo etiam prædixerat ſupra, *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam*

Iſrael quid ſignificet.

Amb. lib. 7 epiſtolarũ epiſt 47. ad Hirenæũ.

Iſa. 24.

K

*piam eum, electus meus cõplacuit ſibi in illo anima mea*. Conſtituit autem differentiam inter Iſrael carnalem, & ſpiritualem, *In te* (inquiens) *gloriabor*; ac ſi apertius dicat: Poſteritas alterius Iſrael carnalis, non me glorificauit, ſed potius reliquit, & ad colendum idola ſe tranſtulit: tu autem ita mihi inſeruies, vt & ſpiritualem populum præpares, & ſubijcias mihi. Vide quanta ſit dignitas huius nominis, ſiquidem & Chriſtus, qui ſecundum Diuinitatem coæternus eſt Patri & coequalis, ſecundum humanitatem ſeruus illius dicitur & eſt, & hoc nomine gloriatur. *Filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionẽ pro multis.* Seruus quidquid eſt, Domini eſt, non ſuam voluntatem facit, non propriã gloriam quærit, ſed Domini, Chriſtus ergo quoniam inquantum homo ſeruus eſt Patris, minoratus in paſsione *paulo minus ab angelis*, non fecit voluntatem ſuam, nec propriam gloriã quæſiuit: ſed patris qui miſit illum, ait enim *ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio*. Et alibi, *qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*. Et rurſus. *Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet*. Hinc & Scriptura ſacra nomen ſerui ſpecialiter filijs Dei tribuit & electis eius: quia *ſeruire Deo regnare eſt*. Vnde & Dominus ad Sathan inquit: *Numquid conſideraſti ſeruum meum* Iob: Et Paulus Apoſtolus in ſuis Epiſtolis alios titulos quaſi pro nihilo habens, iſtum vt magis honorificum & glorioſum aſſumit. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti*: *Paulus vinctus in Domino*, & bene ſeruus, vt pote in bello iuſto captus, & Chriſti ſanguine redemptus.

Mat. 20 d

Chriſtus quatenus homo ſeruus dicitur patris.

Ioan. 8. d

Ibid. f

Iob 2. a

Rom. 1. a

Epheſ. 4 a

6 *Et ego dixi: in vacuum laboraui, ſine cauſa & vane fortitudinem meam conſumpſi: ergo iudiciũ meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo*. Conqueritur Chriſtus, & iuſte ſane, quod cum tot labores pro ſalute hominum perpeſſus fuerit, illi adhuc in ſuis peccatis obdurati maneant tãquam ingrati. Dolet quod abuſi fuerint peccatores benignitate ſua: & quod in vanum laborauerit vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vnde & Iudæorum impœnitentiam atque ingratitudinem deflebat Chriſtus. *Væ*, (inquiens) *tibi Chorozaim, væ tibi Betſaida: quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. *Videns* etiam *ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens, quia ſi cognouiſſes & tu*. Ac denique incredulitatem Iudæorum redarguens, *dixit*. *O generatio infidelis & peruerſa vſquequo ero apud vos & patiar vos?* Eundem affectum hæc verba, quæ in perſona Chriſti profert Iſaias, oſtendunt. *In vacuum laboraui*, fatigatus ſum ouem perditam requirens, cœleſtem doctrinam docui, innumera in confirmationem illius miracula feci, tanta paſſus ſum, tam ignominioſe occiſus ſũ, & nihil adhuc profeci apud gentem iſtam: Tanta eſt ingratitudo & obduratio eius. Eandẽ querimoniam per Hieremiam repetit. *Defecit* (inquit) *ſufflatorium in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ*. Et rurſus per Ezechielem ait. *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neq; per ignem*. Quæ loca latius explicuimus ſupra. Quia vero prædicator Euangelij

Mat. 11 c

Luc. 10. c

Chriſtus flet miſerias & obdurationes noſtras.

Luc. 9. e

Hier. 6.

Ezech. 24.

Sup. cap. 1 nu. 23. 24





gelij, non perdet mercedẽ ſuam, etiãſi audientes illum nihil proficiant, ideo ait, *ergo iudicium meum cum Domino, &c.* ac ſi dicat: Dominus nouit innocentiam meam, fideleq. miniſterium, & opus quod pro ſalute hominum conſummaui, ab illo ergo mercedem meam recipiam. Hinc plurimum conſolari debent miniſtri Euangelij, cum viderint verbum Dei in audientium cordibus perire, nullumque fructum afferre. Quamuis enim prædicatione ſua alijs videantur inutiles; ſibi tamen magnam coronam acquirunt. Dicit enim Apoſtolus. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem*. Vbi obſeruandum, quod nõ dixit, vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum rerum euentum, aut ſecundum fructum quem proferunt auditores: *ſed ſecundum proprium laborem*; quoniam merces operarij non minuitur ex malitia aliorum. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione ſeptuaginta virorũ, quæ ſic habet. *Propter hoc, iudicium meum apud Dominũ, & labor meus coram Deo*, ideſt, *labor meus* erit nihilominus gratus Deo. Appellat autẽ opus ſuum quicquid operatus eſt, vt redimeret homines: videlicet angores, fatigationem, ſitim, famem, paupertatem, paſſionem & mortem. de quibus omnibus loquutus eſt, cum dixit: *Opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam*. Vnde & Chryſoſtomus ait. *Numquid fruſtra currimus, fruſtra laboramus? numquid ſuper petram ſemen iacimus? numquid ſecus viam? an inter ſpinas latent ſemina cadentia? Contendimus enim, & maiorem in modum formidamus, ne agricultura nobis ſterilis euadat. Neque hoc dico, quod verear, ne in laboris huius mercede capiam*

Prædicator Euangelij magnũ præmium recipiet.

1. Cor. 3. b

Ioan. 17. a

Chryſ. ho. 12. in Ioã. in princip. tom. 3.

*detrimentum: non enim eadem conditione, qua agricolæ, ſunt verbi Diuini præceptores. Siquidem agricolæ poſt annuos ſudores, & miſeram illam laborioſamq. vitam, ſi terra aliquando pro operis in ſe impenſis non reſpondeat, nemo alius eius damnum inſtaurare poteſt, ſed pudibundus, triſtisq. ab area domum ad vxorem, & filios reuertitur, & quem longi laboris mercedem petat, habet neminẽ: in nobis autem nihil huiuſmodi vſu venit, ſed licet culta terra nullum afferat fructum, & eius, & noſter Dominus vana nos ſpe dimiſſos non fruſtratur, ſed remunerat. Vnuſquiſq; enim (inquit) propriam mercedẽ accipiet ſecundum proprium laborem, non ſecundum rerum euentũ. Et tu, inquit, fili hominis teſtificare populo huic, ſi forte audiant, ſi forte intelligant: & per Ezechielem: ſi voluntas prædicat, quid fugere, quid eligere oporteat, animam tuam libera, quamuis nemo attendat. Verum enimuero licet firmum hoc ſolatium, & remunerationis fiduciam habeamus, cum nihil vos bene operando proficere videamus, nihilo melius afficimur, quã agricolæ illi, qui demiſſo vultu, & rubore perfuſi anguntur, & ſuam deflẽt calamitatẽ. Hoc magiſtri miſericordia eſt, hoc patris cura*. Poſſunt aliter explicari verba illa: *Ergo iudiciũ meum cum Domino*: ita vt ſenſus ſit. Poſtquam nihil proficiunt Iudæi verbis meis & miraculis, quæ in medio eorum operatus ſum, conuertar ad Dominum, orans pro illis, quod & Chriſtus opere adimpleuit, cum clamans ad patrem dixit. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt*. Quod & S. Paulus imitatus eſt, frequentibus orationibus deprecans Deum, vt à cordibus eorum auferret velamen. Ait enim: *Fratres, voluntas quidem*

Prædicator veritatis non pdet mercedẽ ex eo qđ audientes renuãt veritatem.

Ezech. 3 e

Orandum ſemper eſt pro errantibus à via.

Rom. 10 a

*cordis mei, & obſecratio ad Deum,ſit pro illis in ſalutem.*

7 *Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum, & Iſrael non congregabitur: & glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea.* Tangit præmium, quod per paſſionem ſuam & mortem cōſequutus eſt Chriſtus Dominus,etiam ſi Iudæi cæci in ſua permanſerint incredulitate. Illa autem particula,*& nunc*,videtur aduerſatiua,ita vt ſenſus ſit. Miſerat quidē me pater cœleſtis ad oues quæ perierunt domus Iſrael,vt eas ad patriam cęleſtem reuocarem, in propria perſona miniſter fui circumciſionis, ideſt, Iudæis circumciſis prædicaui propter veritatē Dei,ad confirmandas ꝓmiſſiones patrum: ſed Iſrael congregari noluit,nec vocē meam audire:nihilominus tamen ego conſequutus sū coronā,quam per paſſionem & mortem promerui,nam *& glorificatus ſum in oculis Domini*,ideſt, gloriā corporis cōſequutus in reſurrectione, *& Deus meus factus eſt fortitudo mea*, tertia die me ſuſcitans à mortuis,& vindicans me de inimicis meis.Hæc fuit merces Chriſti, hoc præmium ꝙ po-

Ioa.17.a

ſtulauit à patre,cum dixit.*Ego te clarificaui ſuper terrā:opus conſummaui,quod dediſti mihi vt faciā: & nūc clarifica me tu pater apud temetipsū, claritate quam habui, priuſquā mundus eſſet apud te.Ideſt,illam claritatē quā habui apud te in prædeſtinatione tua, tēpus eſt vt habeam etiā viuēs in*

Aug.tract. 105. ſuper Ioan.to 9. Hilar. de Trinit. l. 3

*dextera tua*, vt Aug. explicat ſuper Ioan.Vel vt dicit Hilar. *Orabat vt id ꝙ ex tēpore erat,gloriæ eius quæ ſine tpe eſt, claritatē acciperet, vt in Dei virtutē, & ſpiritus incorruptionem transformata,carnis corruptio abſorberetur.* Hanc claritatē & gloriam ꝑ paſſionem & mortē ſuam Chriſtum Dominum conſequutū fuiſſe teſtatur

Philipp. 2.a

Apoſtolus.*Humiliauit* (inquiens) *ſemetipsū factus obediēs vſque ad mortē, mortem autem crucis. Propter ꝙ & Deus exaltauit illū,& donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine* Ieſu *omne genu flectatur,cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus* Ieſus *in gloria eſt Dei patris.*

Qui ſe humiliat exaltabitur.

8 *Et dixit: parū eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus* Iacob,*& fæces* Iſrael *conuertendas.Ecce dedi te in lucē gentiū, vt ſis ſalus mea vſque ad extremū terræ.* Poſtquam in verſiculo præcedenti explicuit prēmium, quod in propria perſona Chriſtus accepit ꝓpter meritū paſſionis & mortis,nunc iam vaticinatur prēmium ꝙ in corpore ſuo myſtico ſuſcepit;videlicet in Eccleſia Catholica ex Iudæis & gentibus congregata, in qua illum glorificauit pater; nam quamuis pleriq; ex Iudæis in ſua permāſerint incredulitate, reliquiæ tamen ſecundū electionē ſaluæ factæ ſunt. *Cæcitas ex*

Rom.11 d

*parte contigit in* Iſrael (ait Apoſt.) *donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis* Iſrael *ſaluus fieret*,ideſt,ſalui fierēt omnes qui pertinēt ad ſpiritualē Iſraelem.*Non autē ꝙ exciderit verbū Dei. Non .n. omnes q ex circūciſione sūt* Iſrael,*ij sūt* Iſraelitæ; *neq; qui ſemē ſunt Abrahæ,omnes filij: ſed in* Iſaac *vocabitur tibi ſemen: ideſt, non qui filij carnis,hi filij Dei:ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Hi ergo ſunt hæreditas Chriſti, quā ſibi proprio ſanguine acquiſiuit. Hi ſunt poſſeſſio illius & merces, de qua pater ad filium per prophetā loquēs ait.*Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* quem locū explicās Aug. *Quis*(inquit)*Chriſtianus vmquā dubitauit hoc de Chriſto eſſe prædictum,aut hanc hæreditatem aliud quam Eccleſiā eſſe intellexit?*

Rom.9.b

Eccleſiam Catholicā Xp̄s ſuo ſāguine hæreditauit.

Pſal.2. Aug.lib.de vnitate Eccleſ.cap.8, to.7.



Hinc eſt illud quod in laudem Redēptoris canit idem propheta. *Aſcen-*

Pſal. 67 Aug. ſup. eundē Pſa. tom. 8.

*diſti in altum, cœpiſti captiuitatē, accepiſti dona in hominibus.* Quem locū, vt ait Aug. Apoſtolus ſic commemorat, ſic exponit de Domino Chriſto

Epheſ.4

loquens, *vnicuique autem veſtrum,* (inquit) *gratia data eſt ſecundū menſuram donationis Chriſti, propter ꝙ dicit: Aſcendit in altum, captiuauit captiuitatem,dedit dona hominibus: quod autē aſcendit, quid eſt niſi quia & aſcendit in inferiores partes terræ? qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Chriſto ergo ſine dubitatione dictum eſt,aſcendiſti in altū,captiuaſti captiuitatem.accepiſti dona in hominibus. Nec moueat quod Apoſtolus idem teſtimonium commemorans non ait,accepiſti dona in hominibus: ſed, dedit dona hominibus.* I*lle quippe auctoritate Apoſtolica ſecundum hoc locutus eſt, quod Deus filius cum patre fecit. Secundum hoc quippe dedit dona hominibus,mittens eis Spiritū ſanctum,qui Spiritus eſt Patris & Filij: ſecundum illud vero quod idem ipſe Chriſtus in corpore ſuo intelligitur, quod eſt Eccleſia, propter quod & mēbra eius ſunt ſancti & fideles eius: vnde eis dicitur: Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra, proculdubio & ipſe accepit dona in hominibus. Chriſtus quippe aſcendit in cœlū, & ſedet ad dexteram patris: ſed niſi & hic eſſet in terris,non inde clamaſſet. Saule Saule quid me perſequeris? Cū idem ergo ipſe dicat: quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; quid dubitamus eum accipere in membris, quæ dona mēbra eius accipiunt?* Igitur non in modicam gloriam Chriſti cedit & claritatem eius, quod in nomine eius ſalui fiāt non ſolum Iudæi, ſed etiam gentes, quarum conuerſionē in præſenti vaticinatur, ſicut Paulus & Barnabas explicauerunt: dicētes. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: poſui te in lucem gentium,vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Per fæces Iſrael illas paruas reliquias intelligit populi Iſraelitici,quæ ſecundum electionem ſaluę factæ ſunt. Fæces quidē reputabantur à mūdanis hominibus, abiecti & contemptibiles: de quibus dicit Apoſtolus. *Vſque in hanc horā & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operātes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus:tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Sed glorioſi & honorabiles facti ſunt apud Deum,propheta atteſtante. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.* Vnde & ſubditur.

Corp⁹ Xpi Eccleſia ē: mēbra eius ſunt ſancti

1. Cor. 12.

Act. 9. Mat.25

Act. 13. g

1. Cor.4

Incuruatur homo in hoc ſæculo vt in futuro exaltetur.

Pſ. 138. e

9 *Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius, ad contemptibilē animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum Dominorū: Reges videbunt, & cōſurgent principes, & adorabunt propter Dominum,quia fidelis eſt,& ſanctum Iſrael qui elegit te.* Loquitur cum Eccleſia ex Iudæis, & gentibus congregata, quam contemptibilem animam appellat, abominatam gentem,& ſeruum Dominorum,quia cō-

cõtẽptibilis apparet in hoc ſæculo, humilis & abiecta, & illam aduerſæ poteſtates conculcare, & in ſeruitutem redigere conantur, & in martyribus dilacerare; in cuius nomine ait pro-

*Pſ.43.d* pheta. *Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Et iterum: *Miſe-*

*Pſ.112.* *rere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione. Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.* Vnde & ſuperius. *Ite* (inquit) *angeli ve-*

*Iſa.18.a* *loces ad gentem conuulſam & dilaceratam, ad gentem expectantem & conculcatam.* Vbi, vt obſeruauimus

Sup.ca 18. nu.4 & 5. Eccleſia cõuulſa dicit propter tyrannos. eodem loco, Eccleſia ſponſa Chriſti conuulſa dicitur, dilacerata, & conculcata, propter maximas tyrannorum perſecutiones contra illam inſurgentium. Ipſa eſt *Lampas con-*

Iob 12. Vide ſupra c.24.n.19. *tempta apud cogitationes diuitum*, quam mundus abominatur, & odio proſequitur; ſicut & diſcipulis ſuis

*Ioa.15.c* Chriſtus enunciauit, dicens. *Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis: mundus quod ſuum erat diligeret: quia vero de mundo non eſtis,*

Perſequutiones patienter ſũt ꝑpter gloriam Xpi tolerandæ. *ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; ſi ſermonem meũ ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meũ: quia neſciunt eum qui miſit me.* Sed ſicut Chriſtus contemptibilis fuit in paſſione, ac deſpectus vultus eius, & tamquam vermis conculcatus: poſt modum vero in reſurrectione exaltatus eſt: ita vt in nomine eius *om-*

*Philip.2* *ne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris;* ſic & Eccleſia paſſa eſt à principio preſſuram maximam in electis, in Apoſtolis, & Martyribus, quorum vitam reprobi inſaniam reputabant, & finem eorum ſine honore: nunc vero Reges, & principes conſurgunt, immo & procidentes venerantur Eccleſiam, Chriſti Vicarium in terra adorantes, Romanum videlicet Pontificem, & pedes oſculantes illius, vere agnoſcentes, quoniam Dominus Deus cum ſuis habitat in Eccleſia, quam vnius viſibilis capitis miniſterio dirigit & gubernat. Quod & Zacharias ſub nomine Hieruſalem multo antea prædixerat. *Et venient populi multi,* *Zach.8. d*

*& gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Hieruſalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium; & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.* Quem locum ſanctus Hieronymus, & Cyrillus de aduentu Saluatoris dicunt eſſe intelligendum. Et ſenſus eſt. Non pauci, ſed populi multi venient ad Chriſtum, & ſequentur illum, prædicantibus Apoſtolis: nec ignobiles dumtaxat, ſed etiam robuſtiſſimi principes, qui armis ſubijciebant orbem, ſe libentiſſime Euangelio ſubijcient & Eccleſiæ. Venient ex omnibus linguis gentium decem homines, ideſt, plurimi; (numerus enim denarius multitudinem ſignificat in Scriptura, ſecundum Cyrillum: ſicut cum ait. *Hieron. Cyrillus.* *Numerus denarius quid ſignificet.*





*Gen.31.* *Sed & Pater veſter circumuenit me & mutauit mercedem meam decem*

*Iob 19.* *vicibus,* ideſt multis. & Iob inquit *En decies confunditis me*, ideſt pluries.

Pontificis fimbriam portãt principes. Hi ergo venientes fimbriam viri Iudæi apprehendẽt, ideſt Petri Apoſtoli, & cuiuſcũque Romani Pontificis, qui vicarius eſt Chriſti ex Iudæis nati, inſeruientes illi, fimbriam humiliter portantes, & illum præcedentem ſequentes, tamquam ſerui Dominũ. Hũc autem honorem Romanis Pontificibus exhibebunt reges & principes: quoniam Deus cum illis eſt, quia

Pontifici Romano tradita eſt plena poteſtas ligandi & abſoluendi. vicarij ſunt Chriſti, quia claues obtinent regni cœlorum, & *quodcumque ligauerint ſuper terrã, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſoluerint ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Quod & Iſaias in præſenti clarius explicuit, dum ait. *Et adorabunt propter Dominum quia fidelis eſt,* opere adimplẽs quod promiſit, *& ſanctum Iſrael qui elegit te:*

Beneficia omnia quæ mater Eccleſia habet, à Chriſto accepit ac ſi dicat. Attende ò Eccleſia vnde tãta gloria tibi proueniat, vnde procedat qua polles dignitas, non tibi eã tribuas, ſed Chriſto, de cuius plenitudine accepiſti quicquid in te honore dignum inueneris & gloria. *Pulchra vt luna* prædicaris, quoniam à Sole, ideſt à Chriſto, claritate, qua ſplendes, participas.

10 *Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui: & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas: vt diceres his, qui vincti ſunt: exite: & his, qui in tenebris: Reuelamini.* Etiam in hoc verſiculo Propheta loquitur cum Eccleſia Catholica, & per tempus placitum ac diem ſalutis, tempus intelligit aduentus Chriſti & prædicationis Euangelicæ, vt Auguſtinus ex-

plicat, id quod ex Apoſtolo colligit, Aug.lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 7. à principio tom. 7.

qui iuxta tranſlationem ſeptuaginta virorum præſentem locum adducẽs, inquit. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* *2.Cor.6. a* Et vt explicaret quodnam eſſet illud tempus acceptabile, & qui eſſent dies ſalutis deſiderabiles, ſubdit. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* *Ibid.* Quaſi dicat. Tempus hoc eſt acceptabile & beneplacitum Deo, in quo vnigenitus filius proprio ſanguine nos reconciliauit patri, in quo & ſalus, quam cœleſtis medicus attulit nobis, annũciatur in vniuerſo mundo. Tẽpus acceptabile dicitur in quo Xps nos ſuo proprio sãguine redemit Quamuis enim ſemper Deus miſericors fuerit, tempus tamen determinatum conſtituit, in quo maiora ſuæ benignitatis oſtendit ſigna, & annum placabilem deſtinauit: de quo inferius ait. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino.* *Iſa.61.a* In hoc ergo tempore acceptabili *exaudiui te* (inquit) ò Eccleſia. Nam cum Apoſtoli poſt *Actor.1* aſcenſionem Chriſti eſſent perſeuerantes vnanimiter in oratione, & expectantes aduentum Spiritus ſancti qui cõfirmaret eos, ego exaudiui orationes eorum, & in linguis igneis miſi Spiritum ſanctum meum, vt purificaret corda eorum; & infirmitatem puſillorum adiuuaret, quo protegente, ſeruati ſunt Apoſtoli à perſecutione inimicorum, & tanta virtute roborati ſunt, totque miraculis clarerunt, vt facti fuerint in fœdus populi, vt per eos gentes confœderarentur Deo. Prius illi coniuncti ſunt

Deo: & per eos poſtmodum alij crediderunt in illum. Hoc enim peculiare eſt ſanctis, vt nõ cõtenti ſua ſint iuſtitia, niſi & alios ad eam vocent, & adducant, vt notauimus ſupra in illa verba: *& ibunt populi multi & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Per terram, Iudæos intelligit terrenos, & terrenas promiſſiones diligentes. Quos ſuſcitauerunt Apoſtoli, dum ſomno mortifero eſſent oppreſſi, vt euigilarent, & ſe à peccatis auerterent. Clamat S. Paulus. *Surge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Et iterum. *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.* Et rurſus. *Euigilate iuſti, & nolite peccare.* Per hæreditates, idololatras ſignificat per varios errores fluctuantes (vt explicat gloſa interlinealis.) Populus Iudæorũ vinctus erat varijs legis præceptis, & funibus peccatorum ſuorum conſtrictus. populus gentium ſedebat in tenebris, & vmbra mortis, ignorantiam Dei habens. Illis dictum eſt per Apoſtolos: *exite;* à duro videlicet iugo legis, exite de carcere, & vincula peccatorum dirumpite: His vero: *reuelamini,* ideſt, illuminamini, vel illuſtramini, lumine videlicet Euangelij. Vinctis etiam dixit Chriſtus Dominus, *exite,* cum deſcendens ad inferos, patres antiquos, qui vinculis mortis tenebantur, abſoluit: Sedẽtibus in tenebris locutus eſt, dicens: reuelamini, cum ſua præſentia beatificauit illos, & omnem eorum miſeriam ſubleuauit.

Sup.cap.2. num.8. — Ephes. 5 — Rom.13. d — 1. Cor. 15. d — A limbo Chriſtus eduxit ſanctos Patres

11 *Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum. Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol: quia miſerator eorũ reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos, & ponam omnes mõtes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur.* Magnam his verbis felicitatem repromittit fidelibus, qui Chriſti, & Apoſtolorum prædicatione cõuertendi erant ad veritatem Euangelicam. Omnia (inquit) erunt illis fœcunda, ſuauia, & pacifica. Eritque tanta abũdantia paſcuarum, & aquarum decurrẽtium, vt etiã ſuper vias, quæ alias ſolent eſſe aridæ, vtpote tranſeuntium pedibus cõculcatę, paſcuæ inueniantur vberrimæ. Et ſenſus eſt: Vbique inueniẽt paſcua, ideo nulla erit illis vel fames, vel ſitis, ſed nec vlla aduerſitas, quia non percutiet eos perſecutionis æſtus: nec mirum, quoniam Dominus dux erit eorũ, præibitque illos, ſicut olim filios Iſrael exeuntes ex Aegypto anteceſſit Angelus. Et quemadmodum in deſerto *percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundauerunt,* adeò vt populus biberet, & iumenta, ita & miſericors Dominus potabit ſuos ſcaturientium aquarum fontibus, ideſt gratiæ & doctrinæ cœleſtis abundantia, quã nomine aquarum deſignat. Vnde & Pſalmiſta canit. *Dominus regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Denique nullus eis labor erit in itinere; nulla fatigatio, nam montes

Fidelibus quãta ſint bona repromiſſa. — Pſ.77.c — Pſal.22.





qui olim inacceſſi videbantur, erunt eis in viam, ideſt, plani & peruij, ita vt omnis abſit difficultas incedendi per illam: & ſemitæ meę, ideſt conſilia, per quæ nullus audebat olim ambulare, exaltabuntur, ideſt in magno habebũtur pretio, poſtquam Chriſtus Dominus tales ſemitas perãbulans conſecrauit illas. Execrabantur homines vitam pauperem, humilem & abiectam, mortificationem carnis & crucis. Vnde quidam adoleſcens audiens verba illa: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me:* abijt triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones. Venit Chriſtus, & ſemitas conſiliorum ingrediens, eas amabiles reddidit, & deſiderabiles. *Aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mittes: quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugẽt: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati, qui eſuriũt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate; quoniam merces veſtra copioſa eſt in coelis.* Ad cœleſtis magiſtri vocem, quamplurimi ſeipſos abnegantes, & renunciãtes ſæculo, ſe Deo conſecrauerunt, veſtigia tanti præceptoris ſequentes, & ſic exaltatæ ſunt ſemitæ eius. Vel ex eo exaltatæ dicuntur: quoniam doctrina hæc, quæ paupertatem docet, & ſui ipſius abnegationem ſuadet, alta eſt, & ſecreta, quam nullus cognouit niſi quem erudierit Dominus, & de lege ſua docuerit. Vnde & inferius ait. *Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.*

Mat.19. c — Matt.5. a — Luca 6. d — Pſ.36. a — Iſai.61.a — Pſ.23. a — 1.Pet.2. d — Semitæ Xpi quare exaltatæ dicanť. — Iſai.55.c

12 Quod ſiquis dicat, vbi hæc ſit fœlicitas iuſtorum, vbi rerum omnium abundantia illis in præſenti repromiſſa, cum videamus Chriſtum morti traditum, Apoſtolos afflictos, Martyres dilaceratos, & prima in Chriſtianiſmo diſciplina ſit abnegatio ſui ipſius, & vita electorum longum martyrium, in promptu eſt reſponſio, videlicet, Prophetam animi fœlicitatem reſpexiſſe, non corporis, quamuis hæc quoque ſit tempore ſtatuto futura. Nunc autem tribulatio, anguſtia, fames, nuditas, periculum, perſequutio, gladius nihil mali, vitam illam incorruptibilem quærentibus, & deſiderantibus affert. *Quoniam licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videtur, ſed quæ non videntur. quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Sunt nobis paſcua, potus videlicet, & panis coeleſtis, de quo Chriſtus ait. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat meam carnẽ, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quo cibo & potu multo delicatius paſcimur & pota-

Fœlicitas iuſtorũ vbi ſit conſtituta. — 2.Cor.4. d — Ioan.6.f — Xpi caro cibus eſt, & ſanguis potus.

mur, quam antiqui patres in deſerto: Nam illi manducauerunt manna & mortui ſunt: Sed *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Sunt & nobis fluenta gratiarum Spiritus ſancti dona, de quibus ait Chriſtus. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de vẽtre eius fluẽt aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum*. Hæ ſunt veræ diuitiæ, & ſtabilis rerum abundantia, quam ſpiritus tribuit, cuius gratia in cordibus noſtris diffuſa, omnes difficultates ſuperamus; & via quæ ducit ad vitam, facilis fit nobis & peruia: eius virtute omnia ſuſtinẽt electi, omnia credunt, omnia ſperant, ac denique in omnibus exhibent ſemetipſos, *ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famã: vt ſeductores, & veraces, ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce viuunt: vt caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes: ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*.

Ioan. 7. f

2. Cor. 6 b

Chriſti veſtigia ſectãtes, omnes labores ſuſtinent.

13 *Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra Auſtrali. Laudate cœli, & exulta terra, iubilate montes laudem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſeribitur*. Loquitur ad literam de vocatione gentium ad veritatem Euangelicam, & conuerſione totius fere orbis ad Chriſtum (vt explicat S. Auguſtinus, & Hieronymus.) Et conſonat hic locus cum illo Matth. 8. *Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum*. Notanda eſt autẽ phraſis, qua Iſaias explicat multitudinem gentium ex omni plaga mundi ad Chriſtum conuolantium: *Iſti* (inquit) *de longe venient*, (ideſt) ex remotiſsimis terræ partibus, ex tenebris venient ad lucem, ex idololatria ad veritatem Euangelicam, quibus & Apoſtolus ait. *Memores eſtote quod aliquãdo vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circunciſio in carne, manu facta: quia eratis in illo in tempore ſine Chriſto, alienati a conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſsionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquãdo eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Illi venient ab Aquilone*, (ideſt,) venient ex terra illa frigida. de qua Propheta dixerat: *ab Aquilone pandetur omne malum ſupra omnes habitatores terræ*. Poſſunt etiam & magis ad literam verba illa: *de longe, ab Aquilone, & mari, & terra Auſtrali*, ſic accipi vt ſignificent omnes quatuor orbis plagas: & ſenſus eſt, *venient de longe*, (ideſt) ab Oriente, *ab Aquilone* (ideſt) à Septemtrione, *à mari*, ab Occidente, *de terra Auſtrali* (ideſt) à meridie: vt ſciamus, ex omnibus mundi partibus ad Euangelium gentes conueniſſe. *Laudate cœli & c.* More ſuo, præ gaudij magnitudine, vberrimos fructus conſiderans, quos in mundo attulit prædicatio Euangelij, ad gratiarum actionem inuitat vni-

Aug. lib. de vnitate Eccleſ. cap. 7. tom. 7.

Mat. 8. b

Venire de longe quid ſit.

Epheſ. 2 c

Longè eſt homo à Deo p peccatum; prope autẽ per gratiam.

Hier. 1. c

Euangeliũ diuulgatũ eſt per vniuerſum orbem.

uerſum.



uerſum. Non enim eſt grati animi beneficia Dei tradere obliuioni. Iuſtorum ergo erit gratiarum actionibus ſibi augere beneficia. Eſt autem ſpecialiter laudandus Dominus, quia pauperum ſuorum miſertus eſt. Suorum (inquit:) ſunt enim pauperes qui non Dei, ſed diaboli pauperes ſunt: qui non propter Deum, ſed propter gloriam mundi renunciant diuitijs, ſicut antiqui philoſophi, q̃ vt nomen ſibi acquirerẽt perpetuum, & ab hominibus laudarentur, diuitijs, & delicijs renunciarunt. Pauperes Dei ſunt, qui propter Deum reliquerunt omnia; qui abnegantes ſemetipſos ſemper mortificationem Ieſu Chriſti circumferunt in corde ſuo. Tales pauperes conſolatur Dominus. Tales conſolatus eſt Chriſtus, cum dixit. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites, quoniã ipſi poſſidebunt terrã. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Et iterum. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum*. Vnde & cum Petrus Apoſtolus, nomine ſuo, & omniũ qui diuitijs renunciauerunt & ſæculo, dixiſſet ad Ieſum. *Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* ille reſpondit. *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit domũ, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Vide quam ſolicitus ſit Chriſtus, vt conſoletur pauperes, & quomodo adimpleat id quod inferius clare prædixerat per Iſaiam. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum manſuetis miſit me*. vel, *Euãgelizare pauperibus miſit me*, vt transferunt ſeptuaginta. Quod & duobus diſcipulis Ioannis reſpondit, cum dixit. *Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur*. Aequum enim erat, vt qui propter Chriſtum omnes abnegauerant delicias, & vanitates ſæculi, à Chriſto conſolarentur, & primi audirent bonum nuncium.

Pauperes Dei quidã ſunt, quidã diaboli *

Matt. 5.

Luc. 12. d

Mat. 10 d

Iſaiæ. 61

Mat. 11 a

14 *Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*. Proponit Deo quandam piam querimoniam Eccleſia, quæ ſe luget ab eo derelictã atque obliuioni traditam. Sed poterit alicui talis querela videri irrationabilis, cum in verbis præcedentibus prædixerit Propheta, conſolatum fuiſſe Dominum populum ſuum, & ex quatuor mundi partibus ad Eccleſiam quam plurimos adduxiſſe. Quomodo enim derelictam ſe dicit, quæ tot filijs abundat? Quomodo obliuioni eſt tradita, quam Dominus conſolatus eſt? non ne vna eſt omnium ſæculorum Eccleſia, vna domus Dei, vnũ ouile? ſed bonos & malos intra ſe cõtinet. *Simile eſt enim regnum cœlorum*, ideſt militans Eccleſia, *ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti*. Gaudet igitur Eccleſia, exultat, lætatur, electos quos nutrit conſiderans, quos & conſolatur Dominus; ſed propter reprobos, & peccatores ſe derelictã dicit, & obliuioni traditam. Item etiam propter varios rerum euentus modo lætatur pia mater Eccleſia, modo plorat. Cum videt quamplurimos ad fidem

Eccleſia lætatur i electis, ſed ꝓpter reprobos contriſtatur.

Ieſu

Ieſu Chriſti accedere, & quotidie in vita ſpirituali proficere, gaudio ſpirituali repletur. Lætatur eius miniſtri Iſai. 9. *ſicut qui lætatur in meſſe: ſicut exultãt victores capta præda, quãdo diuidũt ſpolia.* At cũ tyrannos dilacerantes intuetur fideles ſuos, & filios quos diligit perſequentes, cum peccatores conſiderat à Deo recedẽtes, qui vincula præceptorum Dei diſrumpere conantur, & fidei vnitatem ſcindere, eorum deflet miſeriam, & ſe quaſi orbatam deplorat, non ſecus atque Elias propheta, qui à perſecutione Iezabel fugiens, *perrexit in deſertum* 3. Reg. 19.a *viã vnius diei. Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait. Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum quam patres mei.* Et cum perueniſſet ad montem Dei Oreb, interrogatus à Domino: *quid hic agis Elia? Ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam vt auferant eam.* Sicut ergo Elias zelo Domini repletus triſtatur quod ſolus fuerit relictus; ita & nũc Eccleſia ſe tamquam derelictam deplorat. Sed audiamus qualiter Dominus conſolatus fuerit Eliam. Ibid. d *Et dereliqui* (inquit) *mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum oſculans manus.* Arbitrabatur Elias ſe ſolum eſſe derelictum, & Dominus ait, ſe reliquiſſe ſibi in Iſrael ſeptem millia virorum, qui & ſi ignoti eſſent Eliæ, ipſi tamen Deo erant cogniti. Non diſſimiliter cõſolatur Dominus in hoc loco Eccleſiam ſuam, quæ ſe dicit derelictam: Subditur enim:

15 *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Ac ſi apertius dicat: quid conquereris ò Eccleſia, quod te obliuioni tradiderim, putas ne quod dereliquerim te, vel oblitus tui fuerim aliquãdo? nihil tale ſuſpicari licet de fonte miſericordiæ. Nulla quippe mater tanto prolem quam peperit amore proſequitur; ſicut ego te diligo. Quid vmquam propter filios ſuos paſſa eſt mater; quid vmquam fecit, quod ego propter te operatus non fuerim? Mater ieiunat, vt paſcatur filius; vigilat vt ille dormiat; fert inopiam, vt ille ditetur; contemni ſe patitur, vt ille glorioſus ſit & excelſus. Hæc eadem & multo maiora pertuli propter te incommoda. Nam cum iniquis reputatus ſum, & inter duos latrones poſitus, vt te inter angelos collocarem; ſitim extremam paſſus ſum, & in ſiti, felle, & aceto potatus, vt te aqua cœleſtis gratiæ ſatiarem: laboraui, ſeruiui, mortuus ſum, vt filios tuos ſanctos redderem, & liberos, & à morte perpetua liberarem. Quod ſi mater exuat maternum erga filium ſuum affectum, ego tamen ſemper ero tui memor. Nam quomodo noſtri poterit obliuiſci *qui proprio filio ſuo nõ pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illũ? quomodo non etiam cũ illo omnia nobis donabit?* Rom. 8. f Sequitur. *Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper. Venerunt ſtructores tui: deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.* Oſtendit ſigno manifeſto id, quod dixerat. *Ego tamen non obliuiſcar tui.* Ea enim quorum obliuiſci nolumus, manibus circumferimus, aut eorum memoriale digitis apponimus, vt oculis

Sicut mater cum filio, ſic Eccleſia cum fidelibus ſuis ſe gerit.

Chriſtus quãta p̃ nobis paſſus ſit.

ſemper



ſemper obiecta numquam excidant à memoria. Nihil ergo aliud ſignificare vult illis verbis; *In manibus meis deſcripſi te*, quam quod in memoria Dei æterna eſt iuſtus, ſemperq. illi præſentiſſimus. Omnia nuda ſunt, & aperta oculis maieſtatis eius, omnia intuetur. Sed ſpecialiter *oculi* Pſal. 33. c *Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Deſcriptos eos habet in manibus, non atramento quod deleri poſſit, non literis corruptibili calamo formatis, ſed proprio ſanguine & ſtilo ferreo. Ideo & clauorum vulnera, pedibus & manibus obſignata, reſurgens à mortuis delere noluit, nec latus lancea perforatum concluſit, vt in pedibus eius & manibus fideles ſe viderent deſcriptos. Ingreſſus eſt Ieſus, poſtquam reſurrexit à mortuis, ad diſcipulos ſuos ianuis clauſis, & *ſtetit in medio eorum & dixit eis: Pax* Luc. 24. e *vobis: ego ſum, nolite timere. Conturbati vero & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis. Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes.* ac ſi diceret. Ne arbitremini, me ita per reſurrectionis gloriam mutatum fuiſſe, vt alius ſim ab eo, cũ quo prius conuerſati eſtis. Depoſui quidem mortalitatem, ſed non pietatem & miſericordiam. Ego ipſe ſum magiſter, & paſtor veſter: *Ecce vulnera*, quæ pro vobis pertuli, ipſa teſtimonium perhibent de me, *Ecce vos deſcripſi in manibus meis*, nec obliuioni tradidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem, ideſt Eccleſiam, ad quam ædificandam veni in mundũ. nam *muri tui coram oculis meis ſemper*. Orabat propheta Regius. Pſal. 50. *Benigne fac in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem*, ideſt, vt ædificetur ciuitas ſpiritualis, quæ ex fidelibus conſtat tamquam ex lapidibus quadratis, & ſectis, de qua ſanctus Gregorius. *Huius* (inquit) *Hieruſalem muri ædificantur, cum fideles ad vitam prædeſtinati, ad perfectionem iuſtitiæ deducuntur. figurã autem huius ciuitatis illud Salomonis templum geſtauit, in cuius ædificatione lapidibus exſtructa, mallei ſonitus auditus non fuit. In ſacris enim ædificijs permanſuri, adhuc foris per flagella tundimur, vt in templo Domini poſtmodum ſine aliqua percuſſione diſciplinæ diſponamur: quatenus quicquid in bonis ſuperfluũ aut diſtortum eſt, modo percuſſio reſecet, & tunc ſola in cœleſti ædificio concordia veritatis liget. Nec mirum ſi templum eadem ciuitas dicatur, quæ etiam tabernaculum dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Apoc. 21. Huius ciuitatis ædificium & muros eius præ oculis ſemper habet Chriſtus, ſuper quos conſtituit cuſtodes, angelos videlicet, qui muros ipſos & ciuitatem protegant & defendant.

16 *Venerunt ſtructores tui: deſtruentes te, & diſſipãtes à te exibũt.* Structura ſpiritualis eſt Eccleſia, ſtructores Eccleſiæ ſunt Apoſtoli, & Apoſtolici viri. Vnde & vnus illorũ ait. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* 1. Cor. 3. b Hi venerunt ad Chriſtum qui eſt ſupremus artifex, & ſtructor Eccleſiæ, qui ædificauit ſibi domum, & ab eo edocti, per vniuerſum orbem

Xpi ſanguine ſcripti ſumus oẽs in mente Dei.

Greg. ſup pſ. 4. pœnitentialem. tom. 2.

Templum aliquando ſumitur p̃ ciuitate.

diſperſi

Hieruſalē ſpiritualis ædificatio per Chriſtum facta.

diſperſi ſunt, vt lapides colligerent deſtinatos à Deo, vt ex eis cœleſtis Hieruſalem ædificaretur. Deſtructores Eccleſiæ fuerunt Scribę & Phariſæi, per traditiones ſuas præcepta Dei diſſipantes. deſtructores ſunt Hæretici, & Schiſmatici ſcindētes fidem, Eccleſiam impugnantes, & pacem perturbātes illius: hi nimirum, exibunt ab Eccleſia, quia, licet per characterem ad eam pertineant, per excommunicationis tamē ſententiā ſunt ab illa, tāquam membra putrida, ſeparati, & foras proiecti, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. *A nobis prodierunt* (inquit Ioannes) *ſed non erant ex nobis, nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis*. Ex quibus collige, ſemper Eccleſiam habere aduerſarios, quamdiu militat in hoc ſæculo. Semper inſurgunt impedientes eius ædificia, & parietes illius euertere volentes. Vnde oportet manu vna ædificare, altera deſtruere poteſtates aduerſas: nam ſemper nobiſcum habitat Iebuſæus, & *aduerſarius noſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*.

Hieruſalē deſtruētes ſunt Hæretici, & eius perſecutorès.

*1. Ioan. 2. c*

*1. Pet. 5. e*

17 *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa*. Superius dixerat, gentes venturas eſſe ad Eccleſiam ex quatuor mundi partibus: Nunc eam hortatur, vt in circuitu eleuet oculos ſuos, ad Orientem reſpiciendo, ad Septemtrionē & Meridiem, & videat maximam multitudinem veniētium ad fidem, vt in vno tamquam oues congregentur ouili. *Viuo ego &c.* Etiā iurare hoc dignatur Dominus, quoniam res magna erat, & pene incredibilis, congregandas videlicet gentes in vnam Eccleſiam, &, relicta Idololatria, Euangelium fore humiliter ſucepturas. Vt ergo fidem faciat, & firmum maneat quod prædixit, iurat per ſemetipſum, & hoc teſtatur quod Eccleſia induenda ſit, & ornanda fidelium aduenientium multitudine, ſicut ornatur ſponſa monili ſuo. Rationem autem propter quam fideles, Chriſti & Eccleſiæ veſtimenta dicuntur, aſſignauimus ſupra, vbi moralem explicationem huius loci videre poteris.

Congregatio fideliū facta ex vniuerſo orbe.

Eccleſiam Deus iuramento firmauit.

Sup. tom. 1 in obſeruationib. in troduct. ad intelligentiam Prophetarum num. 11.

18 *Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus, & longe fugabūtur qui abſorbebant te*. Explicat amplius, quanta ſit futura multitudo credentium, & quanta ſecuritas & pax. Tantus (inquit) erit credentium numerus, vt eos capere non poſſint deſerta loca & ſolitudines tuæ: *& terræ ruinæ tuæ* (ideſt) quæ præ timore ruinæ habitari non poterat. Eſt hæc loquutio hyperbolica, qua mirifice explicatur maxima gentium multitudo venientium ad Chriſtum: de qua ſuperius fuerat loquutus. Tanta inſuper erit ſecuritas & abundantia pacis, vt non ſolum foras mittantur inimici Eccleſiæ, ſed etiam longe fiant *qui abſorbebant* eam, ideſt ſatellites & miniſtri illius. de quo ſcriptum eſt. *Abſorbebit fluuium & non mirabitur: & habebit fiduciam quod influat* Iordanis *in os eius*. Quem locum ſanctus Gregor. explicans ait. *Fluuij nomine, humani generis decurſio deſignatur, quæ velut a fontis ſui origine naſcendo ſurgit, ſed quaſi ad ima defluens moriendo pertranſit. Appellatione autem Iordanis, fideles intelliguntur, qui iam imbuti ſunt ſacra-*

Loca deſerta replebūtur multitudine fidelium.

Sup. cap. 2. num. 6.

*Iob 40. c*

Greg. 33. mor. cap. 6.

*mento*



*mento baptiſmatis? Quia enim redemptor noſter in hoc flumine baptizari dignatus eſt, eius nomine debent omnes baptizati exprimi, in quo hoc ipſum contigit ſacramentum baptiſmatis inchoari. Quia igitur Behemoth iſte à mundi origine exortum (vix paucis electis euadentibus) humanum genus in ima defluens, vſque ad redemptoris tempora quaſi quendam in ſe fluuium traxit, bene nunc dicitur: abſorbebit fluuium, & non mirabitur. Quia vero & poſt mediatoris aduentum quoſdam qui recte viuere negligunt, etiam fideles rapit, recte ſubiungitur: Et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius; ac ſi aperte diceretur: Ante redemptorem mundi mundum non miratus abſorbuit, ſed quod eſt grauius, etiam poſt redemptoris aduentum quoſdam, qui baptiſmatis ſacramento ſignati ſunt, deglutire ſe poſſe confidit. Alios namque ſub Chriſti vnitatis nomine poſitos deuorat, quia in ipſo eos fidei errore ſupplantat. Alios à rectitudine fidei nequaquā deuiat, ſed ad vſum prauæ operationis inclinat. Alios quantum vult in operatione immunditiæ inflectere non valet, ſed apud ſemetipſos intus in ſtudio intentionis intorquet: vt dum à charitate mentem diuidunt, rectum non ſit quicquid intrinſecus operentur. Et fidem tenent, ſed vitam fidei non tenēt: quia aut aperte illicita faciunt, aut ex peruerſo corde quæ agunt, praua ſunt, etiam ſi ſancta videantur*. Hic ergo Behemoth, qui electos abſorbere conatur, fugabitur à Domino, ne iuſtis noceat: quod ex parte adimpletum eſt in Eccleſia militante; quando Chriſtus Dominus in cruce exaltatus aereas debellauit poteſtates, & principem huius mūdi eiecit foras; ſed in patria perfectiſſime complebitur, quando fiet quod ſcriptum eſt. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruiētes, & omnis qui amat, & facit mendaciū.* Sequitur. *Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi vt habitem*. Explicat magis verbis iſtis quod de multitudine credentiú prædixerat, quæ tanta erit, vt anguſtus locus, quem inhabitāt, videatur: atque adeo ampliari petant, & extendi. Quod iterum abundantius explicat, cum à Eccleſiam loquens. *Dilata* (inquit) *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dexteram enim & læuā penetrabis: ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit*. Hoc ipſum verba illa Zachariæ ſignificāt. *Abſq; muro habitabitur Hieruſalē præ multitudine hominū, & iumentorū*, vt ſupra explicatum eſt. Per filios autem ſterilitatis, filios intelligit ſterilis, abſtracto ſumpto pro concreto, ideſt filios Eccleſiæ Catholicæ, de qua infra inquit. *Lauda ſterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum, dicit Dominus*. Erat olim fœcunda Synagoga: multos filios Deo genuerat Iudæa: quos recenſet Apoſtolus ad Hebræos. Sterilis erat gentilitas & deſerta; nondum enim tempus aduenerat, quo per baptiſmum filios pareret. Paruula erat, vbera non habens: at poſtquam Chriſtus ſponſus eius eam ſibi in fide diſpōſauit, poſtquam *ſeipſum tradidit pro ea, vt illā ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem macu-*

Veſtis non facit monachum.

Mors redēptoris venenū fuit diabolo.

*Apoc. 22 c*

*Iſai. 54. a*

*Zacha. 2*

Sup cap. 8. num. 15.

*Iſai. 54. a*

Sterilis & fœcunda quæ ſint.

*Ephes. 5 f*

Pulchritudo Eccleſiæ deſcribitur.

*macu-*

*maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata*, vices commutatæ ſunt; nam ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Tot filios & filias repente genuit, & peperit ſterilis, vt in magnam admirationem prorumpat. Vnde & ſubditur.

19 *Et dices in corde tuo. Quis genuit mihi iſtos? Ego ſterilis, & non pariens, tranſmigrata & captiua. Et iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola. Et iſti vbi erant?* Similis eſt hæc admiratio illi, quæ habetur in Pſalm. 86. *Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ & tyrus & populus Aethiopum hi fuerunt illic. Numquid* Sion *dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus?* Vbi iuxta interpretationem S. Auguſtini, & communem Patrum, ſermo eſt de Eccleſia Catholica, cuius fundamenta Deus conſtituit in montibus, hoc eſt ſuper Apoſtolos, & Prophetas. Et loquitur Pſalmiſta nomine Eccleſiæ, quæ in ſe congregatas videns barbaras nationes, & alienigenarum populos, quos per Raab, Babylonem, alienigenas, & populos Aethiopũ deſignauit, præ admiratione dicet. Nũquid homo, & homo natus eſt in ea. (ideſt) numquid iſte homo natus eſt hodie in me, & ille homo, & alij pene innumeri, quos perpetua ſucceſſione Deo generare me video? Vnde mihi tanta filiorum multitudo? Vnde iſta immenſa proles? Et reſpondens huic interrogationi, ſubdit. Ipſe fundauit eam Altiſſimus, ideſt nõ ex me, ſed virtute Altiſſimi, cum eſſem ſterilis, fœcundiſſima effecta ſum. Vnde & *Sion* ciuitas Dei nominatur, quia ſicut ciuitas, non in vno, ſed in multis ædificijs conſiſtit; ita & Eccleſia ex multitudine fidelium conſtat. Sanctus Hieronymus fere hoc modo explicat locum iſtum, ſub his verbis. *Quoniam dixit. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, & tamen ipſam ciuitatem Eccleſiam intelligimus de gentibus congregatam, propterea nunc de vocatione gentiũ dicitur: Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me. Quicumque peccator eſt, ſecurus ſit. Dominus memor fuit Raab. Securũ dixi, ſi reuertatur ad Dominum. Cæterum ſecuritas ſine lacrymis non habet remedium. Memor ero Raab. Raab illius meretricis, quæ ſuſcepit exploratores Ieſu, quæ erat in Hiericho, quo venerat* Ieſus, *& miſit duos exploratores. Hiericho mũdus iſte, qui in ſeptem diebus ſubuertitur.* Et paucis interiectis. *Iuxtà Anagogem, Raab dupliciter interpretatur: aut interpretatur latitudo, aut certe interpretatur ſuperbia. Ergo videte quid dicat, illa quæ quõdã ambulabat in lata & ſpatioſa via quæ ducit ad mortẽ, illa quæ ſuperba erat & habebat impetum ad ruinam, poſtea conuerſa eſt in humilitatem. Memor ero Raab & Babylonis. Babylon interpretatur confuſio. Videte quid dicat: non ſolum Raab memor ero, ſed etiã Babylonis: quæcumq; anima à vitijs peccatisq. cõfuſa eſt. Raab & Babylonis ſciẽtium me. Videte qd dicat. Licet aliquis Raab fuerit, licet Babylon fuerit: tamen memor ero quicumque me ſcierit. Ergo ſi fuerimus Raab & Babylon, etiã debemus eſſe ſecuri, & dicere. Deus dixit: Memor ero Raab & Babylonis. Sed videte quid ſequitur: ſcientium me. fuerunt Raab & Babylon, ſed poſtea conuerſi ſunt ad me. Memor ero Raab & Babylonis, ſcientium me. Illa quæ quondam erat in latitudine peccatorum, aſcendit poſtea*

*ad me-*

Pſa. 86.

Apoſtoli, mõtes dicuntur.

Sion. ciuitas Dei dicitur.

S. Hieron. in Pſal. 86 tom. 8.

Ioſue 2.

Raab quid ſignificet.



*ad memoriã Dei. Hucuſque quaſi per ænigma locutus eſt: nunc vero apertius loquitur ad vocationem gentiũ. Videte enim quid dicat. Ecce Alienigenæ &c. Alienigenas vocat, ad diſtinctionem Iſrael. Nos enim ſumus alienigenæ, & Tyrus. Tyrus interpretatur tribulatio, hoc eſt zor: Et populus Aethiopum, niger, & in peccatorum ſordibus inuolutus. Et populus Aethiopum. Hoc eſt quod dicitur: Aethiopia præueniet manus eius Deo. Ecce alienigenæ, & Tyrus & populus Aethiopũ. Quod dicitur, hoc eſt, illi: qui ante alieni erant in tribulatione: qui erant poſiti in corde maris. Dicitur enim de Tyro, Tyrus poſita in corde maris. Illi igitur qui prius erant in mari, & fluctibus tundebantur, poſtea inuenti ſunt in Eccleſia. Et populus Aethiopum: nos quondam Aethiopes fuimus: Aethiopes vitijs atque peccatis: quoniam peccata nos nigros fecerant, ſed poſtea audiuimus, lauamini mundi eſtote. Et diximus: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Nos ergo Aethiopes verſi ſumus in candorẽ. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopũ, hi fuerunt illic. Vbi fuerunt? vbi glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* De his ergo Eccleſiæ filijs loquitur in præſenti Iſaias, & eorũ innumerabilẽ multitudinem admiratur. Cuius prophetiam iam adimpletam eſſe videbis, ſi Chriſti fideles, qui nunc ſunt, cũ filijs compares Synagogæ. Iſti enim tam pauci erant, & exigui, vt eos reliquias ſæpius dixerit, & fæces Iſrael, illi vero in tanta multitudine ſurrexerũt, vt omnes in admirationem adducant. Expendatur illud verbum, *quis enutriuit*: non enim dicit Eccleſia, quomodo viuunt, aut conſeruantur hi filij mei quos Domino genui? ſed, *quis enutriuit eos*, vt res appareat mirabilior. Satis quidem eſſet mirabile, inter tot perſequutiones hoſtium, inter tot inſidias diaboli, inter tot falſos fratres, ac inter tot diſcrimina Eccleſiam perſiſtere, & eius filios adhuc viuere: at non ſolum ſubſiſtit Eccleſia inter hęc aduerſa, ſed multiplicãtur, & nutriuntur atque educantur eius filij: vt intelligas, nihil defuiſſe illis in medijs anguſtijs ad delicatiſſimam eorum educationem: tantum abeſt, vt mundus, vel quę in mũda ſunt offendicula, augmentum Eccleſiæ potuerint impedire.

20 *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meã, & ad populos exaltabo ſignum meũ. Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quẽ non confundentur qui expectant eũ.* Prædicit aliud non minori admiratione dignum, quod videlicet vocaturus ſit gentes, & ad Eccleſiam tracturus, non in ſapientia verbi, ſed per ſtultitiam prædicationis, ſicut ſcriptum eſt. *Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Per crucem ſuam vniuerſum orbem ad ſe ipſum traxit Chriſtus, ipſo atteſtante. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mũdi eijcietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quod in præſenti verſiculo denunciat Iſaias. Nam leuare manum, ſignum vocationis eſt per verbum. Leuauit igitur Chriſtus Dominus ad gentes manum ſuam, cum per Apoſtolos gentes ad fidem vocauit, cum eos miſit per vniuerſum orbem, dicens: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Pa-*

*tris,*

Tyrus, alienigenæ, & popul' Aethiopum, quid ſignificent.

Pſa. 50.

1. Cor. 1. c

Ioan. 12.

Leuare manum quid ſignificet.

Mar. 16 c

Mat. 28 d

*tris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*: Poteſt ſecundo verbum iſtud, *leuabo manum meam*, referri ad crucis myſterium, in qua manus ſuas leuauit Chriſtus, & aperuit brachia, vt peccatores ad ſe venietes ſuſciperet & complecteretur,

Iſai. 65. ſicut inferius ait. *Ecce ego ad gentē, quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Quod autem ait *exaltabo ſignum meum*: ad ſignum crucis referendum eſt, cuius exaltationem celebrat Eccleſia, hoc enim eſt ſignum, hoc vexillum, ſub quo militant Deo omnes Chriſti fideles, & congregantur qui ſunt per orbem diſperſi vt ſuperius explicatum eſt.

Arma quibus fideles defenduntur ab inimicis, ſunt ſignū crucis.

Sup. ca. 11. num. 19. & cap. 18. num. 6.

21 *Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. & erūt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*: Explicat qualiter, & à quibus nutriendi ſint & educandi filij Eccleſiæ, & conſtituit differentiam inter Synagogam, & illā. Synagoga quippe tales filiorum ſuorum habuit nutrices, quæ ſuam potius quàm filiorum quærerent vtilitatem. non enim lactabant paruulos lacte puro cœleſtis doctrinæ, ſed multis erroribus permixto. Hi erant Scribæ, & Phariſæi, & pſeudoprophetæ, de quibus Chriſtus Dominus.

Mat. 23 b *Væ* (inquit) *vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim nō intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes lōgas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridā, vt faciatis vnum proſelytum: & cū fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.*

Hypocritarum ſimulationes reprehenduntur.

At filios Eccleſiæ non Scribis, & Phariſæis, aut pſeudoprophetis commiſit nutriendos, ſed Apoſtolis, & principibus, Reginis, & Regibus, qui inſeruierūt Eccleſiæ, vt in remotiſsimis inſulis propagaretur Euangelium, & filios eius portauerunt in vlnis ſuis. Comparat Reges conducticijs hominibus, qui alienos liberos alunt, & Reginas nutricibus, quæ operam ſuam locant; quoniam Reges & Reginæ omnia neceſſaria ad alendam Eccleſiæ ſobolē ſubminiſtrabunt. Nam cum antea Chriſtum è finibus ſuis eiecerint, eum deinceps agnoſcent ſummum Regem, omnemque honorem & obſequiū illi exhibebunt, & fidelibus ſuis eos in humeris portando. Quod in Helena, & Conſtātino & Regibus Catholicis adimpletum vidimus; omnē quippe dederunt operam, vt religio propagaretur Chriſtiana. Nec mirum, quod Reges, & Reginæ eos nutriant, atque in vlnis ſuis portent quos nutriuit Dominus, & ſuper humeros ſuos portauit, ipſo atteſtante.

Oſea 11. a *Ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis: & neſcierunt quod curarem eos.* Hinc colligant paſtores & prælati Eccleſiæ infirmis condeſcendere, & eorum imbecillitatem portare, ſicut Chriſtus qui agnos ſuos leuauit in ſinu, & ouē perditam ſuper humeros ſuos portauit. de quo videantur ſupra dicta.

Prælati neceſſitatib' egenorum ſubuenire debent.

Sup. ca. 22. nu. 22. cap. 40. nu. 13.

22 *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eum.* Denunciat futurum eſſe, vt tanta reuerentia Reges, & Reginæ venerentur Eccleſiam, *vt vultu in terram demiſſo* adorent eā.

quod



quod ad literam videmus impletum, cum pedem Sanctiſſimi exoſculantur principes, & Chriſti Vicariū Romanum Pontificem venerantur.

Pontifici Romano cuncti curuantur tāquam Xpi Vicario.

Pſal. 71. Lyra.

*Coram illo procedent Aethiopes* (ait propheta,) *& inimici eius terram lingent, ideſt Aethiopes qui prius erāt inimici eius per idololatriā, inclinauerunt ſe ad adorandum Chriſtum deuotè, ac ſi terram præ deuotione & humilitate vellent lingere*, vt explicat gloſſa Lyrani ſuper eundem Pſal. 71. Hinc primum collige, poteſtatem Eccleſiaſticam non eſſe à poteſtate ſæculari cōtemnendā; ſed Pontifices omnes à regibus & principibus eſſe maximè venerandos & colendos.

Eccleſiaſticæ res ſummæ reuerētia venerādæ ſunt.

Vnde cū Imperator Conſtantinopolitanus, Conſtātinopolitanum Patriarcham minus reuerēter, quam par eſſet, tractaret; Innocētius tertius, ſuper hoc illū grauiter reprehendit, oſtendens, Epiſcopos non debere ſubeſſe principibus; ſed præeſſe.

Innocen. 3 in cap. ſolitæ benignitatis de maioritate & obedien. habet li. 1. decretaliū tit. 33.

*Potuiſſes* (inquit) *prærogatiuam ſacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictū eſt, non à quolibet, ſed à Deo, non regi, ſed ſacerdoti, non de regia ſtirpe, ſed de ſacerdotali propaſia deſcendenti, de ſacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, vt euellas, diſſipes, & ædifices, & plantes. Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti: vtrumq. magnum ſed alterum maius. Ad firmamentū igitur cœli hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo magna luminaria, ideſt duas inſtituit dignitates: quæ ſunt pontificalis auctoritas, & regalis poteſtas. Sed illa quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, maior eſt, quæ vero carnalibus, minor: vt quanta eſt inter ſolem & lunam, tāta inter pontifices & reges differentia cognoſcatur. Hæc autē ſi prudenter attenderet imperatoria celſitudo, non faceret, aut permitteret Conſtantinopolitanum Patriarcham, magnum quidem & honorabile membrum Eccleſiæ, iuxta ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtra parte ſedere: cum alij reges & principes Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuis ſicut debent reuerenter aſſurgant, & eis iuxta ſe venerabilem ſedem aſſignent.*

Secularis poteſtas nō audeat vllo modo Eccleſiaſticis præferri.

Hier. 1.

Gen. 1.

Poteſtas Eccleſiaſtica & ſecularis differunt ſicut ſol & luna.

Collige ſecūdo, in quanto pretio Deus velit ſanctos ſuos haberi, quos ita videmus reges & principes venerari. Ne ergo impij Lutherani cultui ſanctorum detrahant, cum tot retro ſæculis certiſſimum ſit, ſanctis Dei cultoribus etiam viuentibus tantum honoris deferri. Ex quibus omnibus ſatis conſtat Deum eſſe verum Dominum, qui quæcumque promiſerit, potens eſt & facere; ac propterea nullatenus confundentur, qui expectant illius promiſſa, etiamſi quandoquè longo tempore differri videātur.

De' magni æſtimat venerationē ſanctorum.

Deus non deficit in promiſsis.

23 *Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit? quia hæc dicit Dominus: Equidem, & captiuitas à forti tolletur: & quod ablatū fuerit à robuſto ſaluabitur. Eos vero qui iudicauerunt te, ego iudicabo, & filios tuos ſaluabo.* Aliam conſtituit Eccleſia obiectionem, qua ſe derelictam à Domino cauſatur, & traditā impijſſimis hoſtibus, atque fortiſſimis in prædā, ita vt impoſſibile appareat ab ipſis vindicari, aut eorum captiuitatem effugere & ſaluari. Cui tamen Dominus reſpōdet: quia ego fortior ſuperueniā, & à forti prædam rapiam, & liberabo de manibus eius filios meos, & (nemine reſiſtēte) ſaluabo. Per fortem autem & robuſtum, diabolum intelligit, qui omnes nationes ſuo ſubiugauerat imperio: Chriſtus autem

Eccleſia & ſi videatur abiecta, fiduciā tamē habet, cum protegatur à Domino.

Diabolus, fortis dicitur.

 for-

fortior eſt illo, qui principẽ tenebra-
rum ſuperauit,& vicit,& ſpolia abſtu
lit de manu eius. Conſonant huic lo-
co verba illa Redemptoris noſtri. Cũ
Luc. 11. *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum
in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem
fortior eo ſuperueniens vicerit eum,
vniuerſa arma eius auferet, in qui-
bus confidebat, & ſpolia eius diſtri-
buet.* Hanc explicationem ſequitur B.
Hier ſuper cap. 49. Iſaiæ. Hieron. *Fortis*, inquiẽs, *& gigas dia-
bolus eſt: qui omnes gentes ſuo ſubiu-
garat imperio, audens dicere Saluato-
ri. Hæc omnia mihi tradita ſunt, &
Mat 11 dabo tibi ea, ſi procidens adoraueris
Ibid 4. me. Mundus enim in maligno poſitus
Ioan. 5. d eſt, quem nullus iuſtorum vincere po-
Amos 3. tuit. nec iuxta Amos, prædam de ore
a leonis auferre. Propoſita igitur quæ-
ſtione, quod nullus poſſit fortem & gi-
gantem vincere, nec ſaluare quod ab
eo raptum erat: reſpondit Dominus
ſuo aduentu omnia perpetrãda: quod
ſcilicet captæ prius gentes à gigante
tollantur, & omnis illius ſupellex,
vniuerſaq. familia Apoſtolis diuida-
tur. Impleto illo quod ſcriptum eſt.
Pſ. 67. b Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpe-
ciei domus diuidere ſpolia. Iſte eſt .n.
qui aſcẽdens in altum, captiuam du-
xit captiuitatẽ: dedit dona in homini-
bus, quia videlicet ꝗ prius capti erant
in mortem, recepit in vitã. Vnde ma-
nifeſtius interpretatus eſt Symma-
chus: Sed & captiuitas fortis auferé-
tur, & rapina horribilis ſalua erit:
fortem atque horribilem, diabolũ vo-
lens intelligi, qui Domini virtute ſu-
Sup. c. 8. n. 6. & 9. n. 10. peratus eſt:* Vide ſuperius adnotata.

24 *Et cibabo hoſtes tuos carni-
bus ſuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo
inebriabuntur: & ſciet omnis caro
quia ego Dominus ſaluans te, & re-
demptor tuus fortis Iacob.* Ideſt ita
torquebo hoſtes tuos, vt præ fame
brachia ſua deuorare velint, & ſan-
guine ſuo inebriari. Grauiſſimis ma-
lis affligam eos, nimirum conſcientię
morſibus, æternisq. ſupplicijs; eritq.
tandem iuſtitia Dei perſpicua: quo-
niam humiles exaltabuntur, & impij
in æternum peribunt. Vbi obſeruan-
dum, quod in ſacris literis maxima
fames futura deſignatur, cum homi-
nes prædicuntur carne humana, qua
veſci refugit natura, cibandi: Sicut
ſupra dixerat. *Vnuſquiſque carnem* Iſa. 9.
*brachij ſui vorabit.* Et Threnorũ 4.
*Manus mulierum miſericordium co-* Thren. 4
*xerunt filios ſuos: facti ſunt cibus ea-
rum in contritione filiæ populi mei.*
Aliqui, inter quos eſt Leo de Caſtro, Leo.
hæc referunt ad vindictam, quam per
Romanos Imperatores Veſpaſianum
& Adrianũ, Deus ſumpſit de Iudæis
perfidis, quadraginta annis poſt paſ-
ſionem Domini, eo quod Dei filium
tradiderunt morti. Tunc enim illa
maledictio, *ſanguis eius ſuper nos &* Mat. 27
*ſuper filios noſtros*, ſuper eos cecidit. e
Et quoniam ſanguinem iuſti iniuſte
effuderunt, iuſto Dei iudicio ſanguis
eorum in tanta abundantia effuſus
eſt, vt eo inebriata corpora illorum
viderentur. Et tunc apparuit Chri-
ſtus *fortis Iacob:* quoniam aduerſus
Iudæos victor euaſit: ac ſe dominato-
rem terræ & ſaluatorem oſtendit.





# CAPVT L.

1. HAEC dicit Dominus: Quis eſt hic liber re-
pudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut
quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? ecce
in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſce-
leribus veſtris dimiſi matrem veſtram. 3.
Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat
qui audiret. 4. Numquid abbreuiata & par-
uula facta eſt manus mea, vt non poſſim re-
dimere? aut non eſt in me virtus ad liberan-
dum? Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flu-
mina in ſiccum: computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.
5. Induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.
6. 7. Dominus dedit mihi linguam eruditam vt ſciam ſuſtentare eũ,
qui laſſus eſt verbo. 8. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt au-
diam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego au-
tem non contradico: retrorſum non abij. 9. Corpus meum dedi
percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auer-
ti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. 10. Dominus Deus au-
xiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam vt
petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. 11. Iuxta eſt
qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt ad-
uerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator
meus: quis eſt qui condemnet me? 12. Ecce omnes quaſi veſtimen-
tum conterentur, tinea comedet eos. 13. Quis ex vobis timens Do-
minum, audiens vocem ſerui ſui? qui ambulauit in tenebris, & non
eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuũ.
14. 15. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambu-
late in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis: de ma-
nu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.

## SVMMA CAPITIS.

*PROPONIT in hoc capite quandam Iudæorum querimoniam, aſſerentium, Deum abſque vlla prorſus ratione ab eis receſſiſſe, & gentibus fuiſſe coniunctum. Quam obiectionem reijcit, oſtendens, ſe propter innumera populi peccata illum reliquiſſe, quod probat in principio capitis, condignam incredulitatis Iudæorum pœnam ſubiungens. Deinde aduentum Chriſti vaticinatur, qui lingua erudita prædicauit Euangelium, & quæ dixit, opere adimpleuit. Verſiculo.* Dominus dedit mihi linguam eruditam, &c.

*Tertiò, paſſionis eius immiſcet ſermonem, commemorans alapas, & flagella, ac plagas, quas pro nobis pertulit in carne ſua. Verſiculo.* Corpus meum dedi percutientibus. *Vbi maximam virtutem Chriſti Domini declarat, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.*

## COMMENTARIVM.

1 HAEC *dicet Dominus: quis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.* Excæcationem Iudææ prædicit his verbis Iſaias futuram; eo quod Chriſtum Dominum eam vocantem non audiuit. Erat quidem olim Synagoga & filia regni, & Dei ſponſa, ſecundum illud. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dominus:* Sed ꝓ idololatriā poſtmodum à Deo receſſit, dicens, *Vadā poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum;* & ſuum redemptorem morti tradidit, propter quod illam dimiſit: ſed abſque libello repudij. non enim tam iratus fuit miſericors Dominus, vt omnino eam repelleret & repudiaret, ne pateret ad ſponſum ſuum reditus. Nam ſicut ait Apoſtolus: *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Non ex toto dimiſit eā, quādoquidem reliquiæ in Apoſtolis ſeruatæ ſunt, & in illis paucis, q̄ ex Iudæis crediderunt in Chriſtū. Hoc deſignat præſens interrogatio, qua Dominus ad Synagogam ſermonem conuertens, ait. *Quis eſt hic liber repudij, &c.* Ac ſi apertius dicat. Quid obmurmuras cōtra me, dicens: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei,* cum tu prius me reliqueris, & ad Deos tranſieris alienos. Quod ſi in perpetuum te eſſe derelictam arbitraris, oſtēde quæſo libellum repudij, aut in quo tecum im miſericorditer egerim, ſicut feneratores facere conſueuerunt, qui, dum illis non redditur vſura, vxores & pueros vendere ſolent. Cum ergo miſericors ego ſim, & diues, qui nullius egeo, certum eſt, ò Iudæi, vos fuiſſe propria culpa dimiſſos, peccata veſtra vos diabolo vendiderunt, non ego. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter me, & vos, & ſicut filius prodigus diſſipauit ſubſtantiam ſuam *viuendo luxurioſe:* ita & vos fornicati eſtis cum amatoribus plurimis. Conſtat ex hoc loco, nullum à Deo iniuſte damnari, nullamque poſſe homines coram eo rationabilem excuſationē obtendere, nec illi eſſe tribuendum, quod pereant reprobi, ſed malitiæ, & iniquitati eorū, qui Dei beneficijs abuſi ſunt, & eum vocantem audire nolunt. Vnde per Hieremiam ait. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Scito, & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. A ſæculo confregiſti iugum meum. rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiam.* Hinc eſt illa vox filiorum Iſrael. *Domino Deo noſtro iuſtitia, nobis autem confuſio faciei noſtræ: ſicut eſt dies hæc omni Iuda, & habitantibus in Hieruſalē, Regibus noſtris, & principibus noſtris, & ſacerdotibus noſtris, & patribus noſtris. Peccauimus ante Dñm Deum noſtrū, & non credidimus, diffidentes in eum: & non fuimus ſubiectibiles illi, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in mandatis eius quæ dedit nobis.*

[Margin: Oſeæ 2.d — Synagoga olim chara erat Deo; nunc autē odio habita propter malitiam. — Ibid. a — Rom. 11 a — Iſa. 49.d — Deus neminem derelinquit. — Luc. 15. e — Deus neminem iniuſte punit. — Hier. 2. d — Baruch. 1. c]



2 *Quis eſt hic liber repudij &c.* Notandum eſt, quod libellus repudij dabatur vxoribus, quæ repudiabantur iuſte. & in illo maritus conteſtabatur, vxorem pudicè atque honeſtè vixiſſe, vt conſtaret, nullam aliam eſſe repudij cauſam, quam ꝙ mulier nō placeret marito. Dicitur. n. Deut. 24. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquā fœditatem: ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Et vt notauit Abulēſis ſuper Matthæū, Iudæi pro quacumque cauſa repudiabant vxores: immo & ſine cauſa, ſcilicet, ex eo tantum quod diſplicerent eis. Erat autem libellus repudij, quædam parua charta, per quam vir oſtendebat quod à ſe abijciebat vxorem. Oſtendit ergo Dominus, ſe non eſſe auctorem diuortij, ſed propria culpa nos ab illo diuertiſſe, & ſecutum fuiſſe vnumquemque libidines ſuas, ita vt coniugij vinculum penitus abruperit. Eſt inter nos & Deum coniugiū ſpirituale, quod eius fide conſecratū eſt, & Chriſti ſanguine obſignatum. Et quemadmodum nos velut chariſſimam coniugem recipit, cum fidem illi ſeruamus: ita & cum fidem frangimus eidem, velut maritus vxorem adulteram, nos reijcit, propter peccata noſtra,

3 *Quia veni, & nō erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.* Docet hoc verſu quæ fuerit iniquitas Iudæorū, propter quam à Deo repulſi ſunt, quia videlicet non ſuſceperunt Chriſtum Dominum, nec vocem illius audire voluerunt, ſicut Ioannes ait. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Venit Chriſtus in mundum

[Margin: Deut. 24. a — Abul. ſup. cap. 5. Mat. poſt quæſ. 251. — Liber repudij quid ſit — Peccator propria culpa perit. — Ioan. 1.]

dum, & magnam inuenit ſolitudinē: nullus enim apparebat homo, qui agnoſceret tempus viſitationis ſuæ, nullus reſpondebat clamanti, & ad pœnitentiam vocanti, ſed auctorem ſalutis deridebāt, dicentes: *quia Samaritanus es tu & dæmonium habes.* Et iterum, *in Belzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Et rurſus. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: ſalua temetipſum, deſcendens de cruce.* Similiter & Principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis, & ſenioribus dicebant. *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluū facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo: liberet nunc, ſi vult, eum: dixit enim: quia filius Dei ſum.* Quorum obiectionibus verba ſequentia reſpondent.

Ioan. 8. f — Luc. 11. b — Mat. 27 e

Chriſtus ex eo quod veritatem docebat, cōtemnebatur.

4 *Numquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum: computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.* Quorum verborum ſenſus eſt. Non eſt debilis virtus Domini, vt ſe & alios liberare non poſsit, & captiuos redimere tam à captiuitate Babylonis, quàm à ſeruitute peccati. Quod vt euidenter oſtendat, profert in medium ſuæ omnipotētiæ ſigna, & quæ olim fecit miracula, ex quibus omnes agnoſcant, eadem nunc facere poſſe, & multo maiora: & in primis commemorat potentiam ſuam, qua ſicco pede per mare rubrum traduxit filios Iſrael in terrā promiſſionis. *Ecce* (inquit) *in increpatione mea deſertum faciam mare*, (ideſt) deſertum feci, & exſiccaui. Sicut enim in prophetis multoties ponitur præſens, aut præteritum pro futuro, ob certitudinē prophetiæ: ita non infrequenter futurū ſcribit pro præterito, vt ſciamus, præterita miracula reſpicere futura, & eorum eſſe præſagium. Conſonant huic explicationi illa verba Pſalmiſtæ. *Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.* Quod enim Dauid enarrat per modū præteriti, hoc Iſaias denunciat per modum futuri. Ille ait, *increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt*, iſte inquit, *increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccū.* Et loquitur de Iordane exſiccato Ioſue 3. quem poſtquam, arca fœderis Domini præcedente, ſicco pede tranſierunt filij Iſrael, tulit Ioſue de Iordanis alueo duodecim lapides, *& poſuit eos in Galgalis, & dixit ad filios Iſrael: Quando interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos, & dixerint eis: quid ſibi volunt lapides iſti? docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alueum tranſiuit Iſrael Iordanem iſtum, ſiccante Domino Deo veſtro aquas in conſpectu veſtro, donec tranſiretis: ſicut fecerat prius in mari rubro, quod ſiccauit, donec trāſiremus: vt diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Domini manum, vt & vos timeatis Dominum Deum veſtrum omni tempore.* Nec huic obſtat explicationi quod in plurali dicitur: *Ponam flumina in ſiccum:* Quoniam Iordanis nomine, intelliguntur & alia flumina, quæ in Iordanē fluunt, ſicut in Pſalmo. *Tu ſiccaſti fluuios Ethā*, quibus exſiccatis piſces mortui ſunt. Ille ergo qui olim ſiccauit Iordanem, potens eſt & nunc facere, vt per Iordanem, hoc eſt per ſacrum baptiſma ſicco pede ad patriā transeamus cœleſtem.

Virtus Diuina quam magna. — Pſ. 105. b — Ioſu 4. d — Pſ. 73. e

Lapides quos tulit Ioſue de Iordane quid ſignificent.

Per Iordanem ſacrū baptiſma intelligit.

5 *Induā cœlos tenebris, & ſaccū ponam operimentum eorū.* Commemorat





morat aliud non contemnendum miraculū, quod per Moyſē fecit Dominus in terra Aegypti. *Extende* (inquit) *manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Aegypti tā denſæ vt palpari queant.* Extenditque *Moyſes manum in cœlum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat: vbicumque autem habitabant filij Iſrael lux erat.* Ex hoc miraculo ad aliud non minoris admirationis nos vult reſpicere, quo, excæcatis Iudæis, gentes miſericorditer illuminauit. Poſſunt etiam hæc verba reſpicere prodigiū illud, quod Chriſto moriente accidit in Hieruſalem, de quo Euangeliſta. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Senſus ergo eſt. Ego ipſe qui olim tenebras immiſi in Ægyptum, fortis ero & potens, vt cæcitate percutiam obduratos Iudæos, qui doctrinam Euangelij ſuſcipere noluerunt.

Exod. 10 f — Mat. 27 t

Excæcatio populi Aegypti, figura fuit excæcationis quæ modo eſt in Iudæis.

6 *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo:* Obijcit Iudæis infidelitatis peccatum, & duritiam cordis eorum magis execrabilē eſſe demonſtrat, ex ſumma eloquentia & ſapientia Chriſti, atque ex admirabili humilitate, & patientia, qua velut innocens agnus conuerſatus eſt inter eos. Vnde verba hæc non de ipſo Iſaia, (vt volunt Hebræi, atteſtante Hieronymo,) ſed de Chriſto Domino ſunt ad literam intelligēda, cui Deus pater dedit *linguam eruditam*, linguam cœleſti doctrina ornatam. Diffuſa enim erat gratia in labijs eius. Vnde omnis populus pendebat ab ore eius, omnes admirabantur ſuper prudentia & reſponſis eius. Vnde interrogante Domino, & loquente ad duodecim. *Numquid & vos vultis abire? reſpondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et vt inimici noſtri ſint iudices, hoc ipſum miniſtri Phariſæorum, publica voce confiteri, auditis ſermonibus illius, coacti ſunt. Dicebant enim. *Numquam ſic loquutus eſt homo, ſicut hic loquitur.* Verum non cum omnibus, ſed cum laſſo loquebatur, ideſt cum ſitientibus, & audire cupientibus verba vitæ, quos, ne deficiant, verbo virtutis ſuæ ſuſtinet atque confortat. Per laſſum etiam eos intelligit, qui laſſati ſunt in via iniquitatis, qui & ambulauerunt in vias difficiles. Hos enim Chriſtus Dominus, doctrinam prædicans Euangelicam, iam pene deficiētes erexit, & appropinquātes ad portas mortis in viam ſalutis reuocauit. Videtur hic locus tacitè reſpondere admirationi Iudæorum, dicentium *Vnde huic literas, cum non didicerit.* Et ſenſus eſt; Non miremini, quòd tā admirabili doctrina fulgeam; non enim humano ſtudio ab hominibus hæc didici, ſed à patre meo, qui mihi & ſapientiam, & *linguam eruditam* tribuit. Vnde & interrogantibus; *Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* Reſpondit. *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me*, ideſt non à meipſo, ſed à Patre, à quo habeo eſſe, habeo & doctrinam quam doceo. Septuaginta interpretes, vbi nos legimus, *vt ſciam ſuſtentare eum, &c.* transferunt, *vt ſciam quando oporteat loqui verbum.*

Ioa. 6. g — Ioan. 7. g — Ioan. 7. c

Virtus verbi Dei.

Scientia Xpi multū differt ab humana.

7 Ex quo apparet, quanta prudētia debeant eſſe præditi Euāgelij prędicatores, vt ſciant, quando loqui, quando retinere debeant verbū Dei, vt illud annuncient in tempore ſuo. Hinc Pſalmiſta. *Domine* (inquit) *labia*

Pſal.50 *bia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Quæ verba exponens Beatus Gregorius ait. S.Greg. *Non aliter iuſtitiam tuam proferre potero, niſi tu labia mea aperias. Tu es enim qui ora ſuperborum obſtruis, & linguas infantium diſertas facis. Hactenus os meum ego ipſe aperui, & ideo ex vaniloquio peccatum contraxi. nunc vero vt tu aperias deſidero, quia nihil, niſi quod ſuggeſſeris, loqui concupiſco. Illius labia Deus aperit, qui non ſolum quid loquitur, ſed etiam quando, & vbi, & cui loquatur attendit. Sapientia namque Dei dicit: Dominus dedit mihi linguam eruditam, quando ſcilicet oporteat ſermonem dicere. Merito ergo ſapiens eſt, quia accepit à Domino quo tempore ſibi loquendum ſit. Vnde non inconueniēter ait ſcriptura:* Ho- Eccli.20 *mo ſapiens tacebit vſque ad tempus.* Eccli.28 *Hinc rurſum ſcriptum eſt:* Ori tuo *fac oſtium & vectem, & in verbis tuis iugum & ſtateram. Et fortaſſe hoc oſtium ſibi propheta poſtulabat à* Pſ.140. *Domino, cum dicebat: Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Debemus enim os noſtrum claudere, & diligentius obſerare, ne quis in iram excitet vocem noſtram, & contumeliam rependamus contumeliæ.* Iugum *etiam in verbis noſtris eſſe, & ſtatera præcipitur, vt omne quod loquimur, & humilitate condiatur, & menſura ponderetur. Proferamus ergo ſermones examinatos libra iuſtitiæ, vt ſit grauitas in ſenſu, modus in verbis, pondus in ſermone. Nec prius loquendo os aperiamus, quam expediat, ſed examinemus verba noſtra, ſi tacendum hoc, ſi dicendum aduerſus hunc, ſi tempus ſit ſermonis huius, poſtremo ſi à virtute modeſtiæ non diſſentiat. Nihil indecens, nihil inhoneſtum, nihil inuidum ſonans erumpat.* Audi quidnam de illis qui opportuno tempore verbum Chriſti prædicant, Sapiens dicat. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Prou.25 b *Sacra eloquia rectiſſime lectis comparantur argenteis: lectis videlicet, quia requiem præſtant animabus audientium. Argenteis autem, quia ſplendida fulgent virtutibus patrum. Vnde ſcriptum eſt: Eloquia Domini eloquia caſta, argentū igne examinatum.* Pſ.11.b *quorum ornatui lectorum, mala ſuperaddit aurea. quiſquis eadem diuina eloquia, & ſpiritualibus plena ſenſibus, & myſterijs exponendo demonſtrat Qui nimirum ſenſus apte mala vocantur, quia de arbore vitæ, ideſt Dei ſapientia ſunt orti. Apte aurea mala, quia notitiā amoremq. perpetuæ claritatis mentibus infundunt. Mala ergo aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo; quia qui verbū Dei opportune nouit iuxta audientiū capacitatem prædicare, modo exempla ac dicta patrum, per quorum cuſtodiam ad requiem perueniatur æternam, iuxta literam replicant, modo ſuauiores in his ſenſuum ſpiritualiū fructus, quibus pia audientium deſideria paſcat, remoto literæ velamine pandit.* In huius rei ſignum, inter alias benedictiones hæc vna legem Dei ſeruantibus repromittitur, quod pluuiam in tēpore ſuo ſint accepturi. Scriptum eſt enim. Leuit. 26.a *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis: & terra gignet germen ſuum, & pomis arborum replebuntur. Quod* (vt ait Origenes) *de temporali pluuia intelligi non valet, quia de hac ſcriptum eſt: Quia pluit Dominus ſuper iuſtos & iniuſtos: ſed intelligendum eſt de* Matt.5.

Hier.ſuper cap.25. prouerb. to.7.

Homo ad bonum faciendū, nō eſt ſufficiens incipere, niſi diuino adiuuetur auxilio.

Verba penſanda ſunt antequam proferantur.

LegemDei cuſtodientibus repromittitur aqua cæleſtis gratiæ. Orig. ho. 16. ſup ca. 26. Leuit. tom 1.

pluuia



*pluuia ſpirituali, de qua in Deuteronomio dicitur. Audite cœli quæ* Deut.32 *loquor, audiat terrra verba oris mei. Concreſcat vt pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum: quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Dabo ergo (inquit) vobis pluuiam in tempore. Neceſſario addit & in tempore, ſicut enim imber iſte terrenus, ſi importune veniat, ideſt cum meſſis colligitur, cū frumenta teruntur in areis, obeſſe magis, quam prodeſſe videbitur: ita & ij, quibus pluuia verbi Dei miniſtranda committitur, obſeruare debent id, quod dicit ſcriptura: vt in tempore præbeant ideſt, ne ebrio, ne occupato in alijs animo, cum attentus eſſe non poteſt; vel cum alieni vitij languore conſtrictus eſt, & non doctori, ſed morbo proprio interior præſtatur auditus Prudenter ergo conijciat, vbi poteſt vacare mens, vbi ſobrius, vbi intentus auditor eſt, & ibi pluuiam miniſtret in tempore, ſicut & tritici menſuram ſeruus fidelis, & prudens in Euangelio con-* Mat.24 *ſeruis dare iubetur in tempore. Sed & aliter poſſumus intelligere quod mandatur imber in tempore dandus. Puer eſt aliquis, & paruulus in fide, indiget pluuia ſed lactis pluuia. Sicut .n. dicit ille, qui ſciebat pluuias in tpe* 1. Cor.3 *diſpenſare. Lac vobis potum dedi non* Heb. 5. *eſcam, nondum enim poteratis. Profecit poſt hæc in fide, creuit ætate & ſapientia, aptus ſine dubio factus eſt, qui ſolidiorem percipiat cibum. Oportet ergo metiri doctrinam pro viriū qualitate.* Lege Hieronymum in illa verba Iob 26. *qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter* S Greg.in paſtorali 3 p. cap. 5. *deorſum.* Lege & S. Gregorium in paſtorali, qui optime hanc proſequūtur materiam.

8 *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorſum non abij.* Hæc verba ſunt etiam ad literam de Chriſto Domino intelligenda, qui quod verbis docuit, opere adimpleuit. Prædicauit hominibus obedientiam: Et ipſe *factus eſt obe-* Phili.2. *diens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Hanc eius obedientiā in præſenti ſignificat Iſaias nomine erectionis & apertionis auris: quā eiſdē fere verbis Saluator ipſe p Pſalmiſtā ad patrem loquens expreſſit dum di- Pſ.39 b xit. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi,* vel, vt transferunt nonnulli alij interpretes, *aures autem fodiſti mi-* Heb.10. *hi*, aut *perforaſti mihi*: quod ſignum eſt perfectiſsimæ ſubiectionis, & humilitatis eximiæ. Nam ſeruis cōſueuerūt aures perforari, vt admoneantur, Dominis ſuis eſſe ſubiectos atque in omnibus obedientes. Quod autem ait, *Mane, & mane erigit mihi aurem,* idem ſignificat quod ſemper, ſeu quotidie. In omnibus enim voluntatem patris ſui fecit Chriſtus, ſicut ipſe ait. *Tunc cognoſcetis quia* Ioan. 8. d *ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater, hæc loquor: & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Iuxta explicationem Lyrani, *mane, & mane* Lyra. duplex mane ſignificat, aliud eternitatis, in quo diuinam ſcientiam cum natura diuina, aliud generationis temporalis, in quo ſcientiam inditā cum natura humana accepit à Patre. Poteſt aliter accipi *mane & mane*, ita vt ſignificet valde mane, ideſt ab inſtanti conceptionis meæ, in quo ingrediens mundum dixi. *Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuā.* Vbi duo ſunt valde notanda. Alterum

Obediētia Chriſti.

Mane & mane quid ſignificet.

rum eſt, Deum ſua miſericordia, antequam ipſi volendo ad eum recurrant, deſiderando, pulſando, homines præuenire vocando, aures illis aperiendo, illuminando, fidem inſpirando, atque ſui amorem infundendo. Quod & ſacrum Concilium aperte definiuit, dum ait. *Si quis ſine gratia credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationē ſancti ſpiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedietiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod nō accepiſti? & gratia Dei ſum id quod ſum.* In cuius ſignum regnū cœlorum ſimile eſſe dicitur *homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam,* quoniam illuceſcente vſu rationis, illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum, & illum in benedictionibus præuenit dulcedinis. Alterum vero eſt, tempus matutinum aptiſſimum eſſe ad vacandum Deo, & conſequendum miſericordiam illius. Eos enim qui manè vigilant, exaudit. Scriptum eſt enim. *Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam. Manè aſtabo tibi & videbo.* Et iterum. *Qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Illi ergo vituperandi ſunt valde, qui manè ſurgunt ad ebrietatem ſectandam, & tempus aptum ſpiritualibus exercitijs in delicijs conſumunt & voluptatibus carnis. contra quos plura dicta ſunt cap. 5.

Conc. Arauſ. 2. can. 6.

Nihil habet homo quod non ſit à Deo.

1. Cor. 4. Ibid. 15.

Mat. 20

Orōnes matutinæ ſunt nimis gratæ Deo.

Pſal. 5.

Prou. 8. b

Sup cap. 5. nu. 15. 16.

9 *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Oſtendit qualis fuerit, & quanta obedientia Chriſti, pro qua tot ſuſtinuit flagella, tot plagas, tot opprobria, qualia in paſſione pertuliſſe quatuor narrant Euangeliſtæ. Vnde hic locus nō de Iſaia (vt imaginantur Hebræi;) ſed de Redemptore noſtro eſt ad literam intelligendus, vt communiter explicant ſancti Patres, Ambroſius, Cyprianus, Auguſtinus, S. Leo Papa, & alij. Et cum potuiſſet propheta mortem Chriſti commemorare, & crucem; non huius meminit, ſed flagella refert, alapas quas pertulit, & ſputa, vt Iudeorum notaret inſaniam. Cū enim Chriſtus inter illos ſapientiſſime loqueretur, abſcōdita à ſæculis in Deo myſteria proferēs, illi magiſtrum ſuum vt inſipientem percutiebant, & mille afficiebant ignominijs, quæ omnia patiētiſſime pro nobis ipſe pertulit. Et cum ſputamentum pro extrema habeatur iniuria, hanc etiam Chriſtus ſuſtinuit, vt opprobrijs ſaturaretur, ſicut Hieremias clamat. *Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobrijs.* Septuaginta interpretes ſic transferunt iſtū locum. *Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas, & faciem meam non auerti à confuſione ſputorum.* Cui conſonat illud, quod in perſona Chriſti dicit Pſalmiſta: *Quoniā ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Quoniam iniquitatē meam annunciabo, & cogitabo ꝓ peccato meo.* Vere enim Chriſtus in flagella paratus erat, dum manibus in columna ligatis, verbera quæ promeruerāt peccata noſtra humiliter expectabat. Dolebat, & vere dolebat, nō de vulneribus proprijs, ſed de peccatis alienis, quæ ſuper ſe ſuſcepit. Ideo adhuc flagellatus

Amb. ſer. 5 in pſ. 118. Cypr. li. 2. aduerſ. Iudæos c. 12. Aug. ſerm. 114. de tpe. Leo ſer. 4. & 15. de paſſione Domini.

Thren. 3

Pſ. 37. d





gellatus, alapis cæſus, ſputis oblitus, & ſpinis coronatus, atque amictu illuſoriæ veſtis deluſus pro peccato ſuo cogitabat: cogitabat vtique patibulū crucis ſubire, & pro ſe crucifigētibus mori. Habes ex hoc loco, Chriſtū Dominū nō ſolū Deū eſſe, ſed etiā verū hominē. Deitatis ipſius teſtimoniū peribent eximia charitas eius, qui cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, patientia & conſtantia eximia, qua tot ſuſtinuit ſupplicia: humanitatem verò indicant flagella, quæ pertulit, dolores, opprobria, & mors, quæ omnia S. Aug. ſcribens ad ſororē his verbis proſequitur. *Sequere* (inquit) *Chriſtū meum vſque ad atrium Principis ſacerdotū, & ſpecioſiſſimā eius faciē, quam illi ſputis illinunt, tu lacrymis laua. Intuere quam pijs oculis, quam miſericorditer, quā efficaciter tertio negantē reſpexit Petrū, quando ille conuerſus, & in ſe reuerſus fleuit amare. Vtinam, bone Ieſu, tuus me dulcis reſpiciat oculus, qui toties ad vocē ancillæ procacis carnis meæ peſſimis operibus, affectibuſque negaui. Sed iam mane facto, traditur Pilato. Ibi accuſatur, & tacet: quoniā tanquā ouis ad occiſionem ducitur, & ſicut agnus corā tondente ſe, ſic nō aperuit os ſuū. Vide, attēde, quomodo ſtat ante præſidem inclinato capite, demiſſis oculis, vultu placido, ſermone raro, paratus ad opprobria, promptus etiā ad verbera. Scio non potes vlterius ſuſtinere, nec dulciſſimū dorſum eius flagellis atteri, nec faciē alapis cædi, nec venerandū illud caput ſpinis coronari corona ſpinea, nec dexterā, quæ cœlum, & terram continet, arūdine dehoneſtari, tuis oculis aſpicere poteris. Ecce educitur flagellatus, portans ſpineā coronam, & purpureum veſtimētū. Et dicit Pilatus; Ecce homo. Verè homo eſt, quis dubitet? teſtes ſunt plagæ virgarum, liuor vlcerum, fœditas ſputorum. Iam nunc cognoſco, Zabule, quia eſt homo: vere homo eſt, inquis. Sed quid eſt, quod in tot iniurijs non iraſcitur vt homo, nō mouetur vt homo, non ſuis tortoribus indignatur vt homo? ergo plus eſt quā homo, ſi quis cognoſcit illū. Cognoſcitur certe homo, impiorū iudicia ſuſtinens: ſed cognoſcetur Deus, iudiciū faciens.* Hinc & Centurio, vidēs quia Ieſus ſic clamās exſpiraſſet, ait. *Vere hic homo filius Dei erat.* Quibus verbis vere filium Dei, & vere hominē eſſe Chriſtum fatetur. Hominē, quia mortuus eſt: Deū quoniam cum clamore valido tāquā Dominus vitæ & mortis, cum voluit, *emiſit ſpiritum.*

Aug. lib. de vita eremitica ad ſororē ca. 59 tom. 1. in impreſſione Lugdunenſ.

Paſſionis Chriſti cōtemplatio deuotiſſima.

Chriſti patientia, illū Deum eſſe oſtendit.

Ioa. 19. a

Marci. 15.

10 *Dominus Deus auxiliator meus, & ideo nō ſum cōfuſus: ideo poſui faciē meam vt petram duriſsimā: & ſcio quoniam non confundar.* Oſtēdit conſtantiā, & fortitudinem, qua paſſionē & mortē aggreſſus eſt Chriſtus Dominus, ſciens ſe tertia die reſurrecturū, & minime confuſum iri. Hanc conſtantiam deſignat, dum ait, Dominū Deum vt petram duriſſimā poſuiſſe faciē ſuam, quod alijs verbis explicuit Euangeliſta, dum ait. *Et ipſe faciem ſuam firmauit, vt iret in Hieruſalem.* Hac phraſi loquēdi vtitur frequēter Scriptura, ad animi cōſtantiam deſignandā. ſicut Ezechielis 3. *Ecce dedi faciē tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorē frontibus eorum. Vt adamantē, & vt ſilicē dedi faciem tuā, ne timeas eos neque metuas à facie eorum.* In omnibus ergo Deus pater auxiliatus eſt Xpo Domino & inſuperabilē fecit atque victorē, confuſis oībus falſis teſtibus, & hoſtibus eius deuictis: vnde & præcipua in redarguēdo auctoritate eſt vſus aduerſus Phariſæos, & hypocri-

Obfirmare faciē qd ſignificet.

Luc. 9. f

Ezech. 3 b

pocritas, contra numularios, ac cæteros templi profanatores, nam *cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, et boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis*. Non eſt cōfuſus Chriſtus, quia innocens mortuus eſt, quia nullam commiſit culpam, quæ ſola confuſionem parit.

Ioan. 2. c

Templum Dei locus eſt orónis, non negotiationis.

11 *Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me?* Oſtendit his verbis Chriſtus Dominus, in cuius perſona loquitur Iſaias, ſe iuſtum & innocentem eſſe, atque adeo non pro peccatis proprijs, ſed alienis flagella, & opprobria (vt prædixerat) ſuſtinuiſſe. Vnde & ad iudicium ſuos vocat aduerſarios, vt opponant, & obijciant, ſi quid contra eum habent. *ſtemus ſimul*, idem eſt, quod diiudicemur, diſceptemus in iudicio. *Iuxta* (inquit) *eſt qui iuſtificat me*. Qui me ſanctificauit & miſit in mundum. quis contradicet mihi? ſi ſanctificatis per Chriſtum dicere licuit. *Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me*: Si Paulus Apoſtolus, omnium electorum nomine, confidenter ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* quanto magis Chriſtus Dominus, per quem omnes ſanctificati ſunt, qui non ſolum iuxta patrem eſt, ſed vnum cū patre, dicere poterit; *Quis contradicet mihi, quis eſt qui condemnet me?* Similem quæſtionem, antequam pateretur, propoſuit aduerſarijs ſuis, dicens. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Decebat enim vt omnes agnoſcerent illū innocenter pati, & abſq; vlla cauſa. Vnde & ad patrē loquens ait. *Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo eripe me*. Vbi vt notauit Auguſtinus, non dixit, diſcerne pœnam meam, ſed *cauſam meam*; illā videlicet pro qua patior: nam martyrem non facit pœna, ſed cauſa. Non diſcernebatur in pœna Chriſtus à latronibus, inter quos medius appenſus eſt patibulo, vnde & inferius dicitur; *& cum iniquis reputatus eſt*. ſed diſcernebatur in cauſa. Diſcreuit illum vnus ex latronibus dicens ad alterum. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali geſſit*. Ecce nō diſcernit pœnam innocentis; ſed in eadem damnatione eſſe ait: cū latrone, ſed diſcernit cauſam. *Hic vero* (inquiens) *nihil mali geſſit*, cū nos digna factis recipiamus. Hinc eſt illa vox ſæpius repetita Præſidis. *Ego nullam inuenio in eo cauſam*. Quomodo enim cauſam mortis inueniret in vita, aut peccatum in eo qui venit peccata mundi delere? Vnde & Petrus Apoſtolus ait: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis*. Vnde & per Pſalmiſtam ait: *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis*. Hoc eſt enim *gratis*, ſine cauſa, quod alijs verbis ſtatim explicat, cum ſubdit.

Xps nō ꝓpria culpa pertulit flagella, ſed aliena.

Iob 17. d

Rom. 8. f

Ioan. 8. f

Pſ. 42. a

Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.

Marc. 15. c

Luc. 23. f

Xpi inimici, ipſum confeſſi ſūt innocentē.

Ioa. 18. g

1. Pet. 2. d

Pſ. 68.



Ibid. *Cōfortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: quæ non rapui, tunc exſoluebā*. Quod enim prius dixerat, *oderunt me gratis*, hoc iterū replicant ſequentia verba, *qui perſequuntur me iniuſte*. Quod ergo *gratis*, hoc eſt, *iniuſte*. *Talis eſt vox martyrum* (ait Aug.) *non in pœna, ſed in cauſa, non perſecutionē pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proſcribi, non occidi laus eſt, ſed habēdo cauſam bonā iſta pati, hæc laus eſt. Laus .n. eſt in cauſæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. Nam quantacūque fuerint ſupplicia martyrum, nūquid æquātur ſupplicijs omniū latronum, omnium ſacrilegorum, omniū ſceleratorum? quid enim? & hos odit mūdus? odit plane. Excedunt enim mūdi medietatem amplitudine malitiæ, & ab ipſa mundanorum quodammodo hominū ſocietate alieni ſunt, infeſtantes pacē etiam æternam, & patiūtur multa mala, ſed non gratis. Denique vide vocē illius latronis cum Domino in cruce pendentis, cum inſultaret ex alia parte vnus duorū latronum Domino crucifixo, & diceret, ſi filius Dei es libera te: compeſcuit illum alter & dixit: Tu non times Deum, vel quia in eadē damnatione poſitus es? & nos quidē recte pro factis noſtris. Ecce non gratis, ſed confeſſione effudit ex ſe ſanguinē, & factus eſt aptus cibo Domini. Excluſit iniquitatem ſuā, accuſauit eam, & caruit ea. Ecce ibi duo latrones, & ibi Dominus: & illi crucifixi, & ille crucifixus: & illos odio habuit mundus, ſed nō gratis: & illum odio habuit, ſed gratis. Quæ nō rapui tunc exſoluebam.) hoc eſt gratis, non rapui, & exſoluebam, non peccaui & pœnas dabam. Solus enim ipſe talis, ipſe vero nihil rapuit, ſed etiā quod nō de rapina habebat, hoc ſe euacuauit, vt ad nos veniret. Non enim rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, & tamen ſemetipſū exinaniuit, formā ſerui accipiens. Omnino non rapuit. Sed quis rapuit Adā. Quis rapuit primo? ille ipſe qui ſeduxit Adam. Quomodo rapuit diabolus? Ponam ſedem meā ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo. Vſurpauit ſibi quod non acceperat. ecce rapinam: vſurpauit ſibi diabolus quod non acceperat, perdidit quod acceperat, & de ipſo calice ſuperbiæ ſuæ, ei quē decipere volebat, propinauit. Guſtate, inquit, & eritis ſicut Dij. Rapere voluerunt Diuinitatem, perdiderunt fœlicitatem, ille ergo rapuit & i leo exſoluit. Ego autem, inquit, quæ non rapui tunc exſoluebam. Ipſe Dominus propinquans paſſioni, in Euāgelio ſic loquitur, Ecce venit Prīceps huius mūdi, (ideſt diabolus,) & in me nihil inueniet (ideſt) quare me occidat non inueniet. Sed vt ſciant omnes quia voluntatem patris mei facio, ſurgite eamus. Et vt ad paſſionē ſoluere quod non rapuit. Quid eſt enim in me nihil inueniet? Nullam culpam.*

Aug. to. 8. ſup. eundē Pſalm.

Luc. 24.

Philip. 2

Debitū primi parētis Chriſt⁹ ſua morte perſoluit.

Gen. 3.

Iſai. 14.

Gen. 3.

Ioan. 14

12 *Ecce omnes quaſi veſtimentū conterentur, tinea comedet eos.* Comparat perſequutores Chriſti veſtimēto veteri, quod comeditur à tinea, vt deſignet, poſt paſſionē eius breui cōſumendos fore. Quandiu Dominus vtitur veſtimento, bene ſe habet veſtis, ornat corpus, ac viciſſim ornatur: ſi verò abijciatur in angulum, veteraſcit, & a tineis deuoratur. Tales fuerunt Iudæi, qui dum adhærebant Deo, colentes illum & glorificantes, mūdi erant & nitidi: at proiecti propter incredulitatē ſuam, à Romanis cōſumpti ſunt. S. Hieronymus, per tineam, cōſcientiam peccati intelligit, ſeu vermē conſcientiæ, qui peccatorum corda corrodit atque cōſumit, ſicut tinea veſtimentum. Tinea non aliunde

Iudæi dilecti erāt ante Chriſti mortē, poſt vero odio habiti ſū

aliunde quàm ex veſtimento, quod conterit, naſcitur, ita & peccatū cor hominis, à quo prodijt, mordet. Vnde Gregor. [S. Greg. 11 mor. ca. 25] *Homo quaſi putredo conſumitur, dum carnis ſuæ corruptione cōteritur. Cui quia immūda tētatio non aliunde, ſed à ſemetipſo naſcitur, more tineæ carnē tentatio, quaſi veſtem de qua exijt conſumit. In ſemetipſo quippe habet homo vnde tentetur. Quaſi ergo tinea veſtem conſumit, quæ ex veſte eadē proceſsit. Sciendum quoque, quod tinea ſine ſonitu perforat veſtimentum, & plerumque cogitatio ita transfigit mentē, vt mēs ipſa non ſentiat, niſi poſtquam fuerit eius aculeo tranſfixa. Bene ergo dicitur quod homo tamquam veſtimentū à tinea conſumitur, quia nonnunquā tentationum noſtrarum vulnera non agnoſcimus, niſi poſtquam ab eis confoſsi in mœrore fuerimus.*

[Peccatū deſtruit animam, ſicut tinea veſtē.]

13 *Quis ex vobis timēs Dominū, audiens vocē ſerui ſui? qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini & innitatur ſuper Deū ſuum.* Alloquitur his verbis Propheta eos, qui per ignorantiam peccauerunt, occidentes Chriſtum: pro illis enim orauit Saluator, [Luc. 23. e] *Pater dimitte illis, quia neſciūt quid faciunt.* Et Petrus Apoſtolus. [Act. 3. c] *Et nūc fratres ſcio quia per ignorantiā feciſtis, ſicut & Principes veſtri. Deus autē quæ prænunciauit per os omniū prophetarum, pati Chriſtum ſuū, ſic impleuit. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleant peccata veſtra:* Senſus ergo eſt. Si quis ex vobis peccauit per ignorantiam, & non fulſit ei lux fidei, ſed ambulauit in tenebris, & poſtmodum audierit vocem ſerui ſui, (ideſt Chriſti) quem miſit pater hora cenæ dicere inuitatis vt venirent, quia parata ſunt omnia, confidat in nomine Domini, & innitatur firma ſpe in Deum, & diligat illū: nō enim derelinquetur à Domino.

[Peccatum cū commiſerit quis, feſtinet pœnitentiam agere de illo.]

Nam peccatum quod eſt in filium, remittitur facile: peccatum autem quod eſt in ſpiritum ſanctum, non remittetur, ſcriptum eſt.n. [Mat. 12 c] *Omne peccatū & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemia nō remittetur. Et quicumque dixerit verbum cōtra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum ſanctū, nō remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Sapiētia, cui opponitur ignorantia, attribuitur filio; bonitas, cui aduerſatur malitia, Spiritui ſancto appropriatur. Qui ergo contra filium blaſphemiam per ignorantiam dixerit, veniam conſequetur. Qui autem contra bonitatem Spiritus ſancti per malitiam deliquerit, non conſequetur miſericordiā. [1 Tim. 1. c] *Qui prius blaſphemus fui,* (ait Apoſtolus) *perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiā Dei conſequutus ſum: quia ignorans feci in incredulitate.* Si ergo miſericordiam conſequutus eſt, quia ignorans, ergo qui nō ignorās, ſed ex certa ſciētia, & ex malitia blaſphemus eſt, & perſecutor, & impœnitens, non conſequetur miſericordiā, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

[Peccatum per malitiam cōmiſſum nō dimittitur.]

14 *Ecce vos omnes accendentes ignē accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis: De manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.* Loquitur Chriſtus contra Iudæos, & obſtinationem cordis eorum redarguit, quia non ſolum non ſunt conuerſi ad prædicationem Euangelij, ſed peccata peccatis addētes magis ac magis ignem iræ Dei ſuccendebāt, theſaurizantes ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Hæc referunt Cyrillus, & Hieronymus ad ignem, quo vniuerſa Iudæa quadra-

quadra-



quadraginta annis poſt paſsionē Domini flagrauit, quem ipſi Iudæi ſæuientes in Chriſtū, in Apoſtolos, & Martyres ſuccenderunt multis criminibus quaſi lignis. Origenes præſentē locum refert ad ignem inferni, qui peccatis damnatorum nutritur, ſecundum illud quod dictū eſt ſupra. [Iſa. 30. g] *Nutrimenta eius ignis & ligna multa: & flatus Domini ſicut torrēs ſulphuris ſuccendens eam.* Qem locum ſupra cap. 30. num. 52. 53. diffuſe expendimus. Quod autem ait: *Ambulate in lumine ignis ueſtri,* irriſio quædam eſt, ac denunciatio futuri ſupplicij. Prædixerat Iudæis Chriſt. Dominus, & exhortatus fuerat illos. [Io. 12. e] *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ābulat in tenebris, neſcit quo vadat, dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis.* Sed quoniam illi prædicantem Dominū & ſpreuerunt & illuſerūnt, per irriſionem & ipſis dictum eſt, *Ambulate in lumine ignis veſtri,* agnoſcite in tormentis, quod addiſcere noluiſtis in proſperis, ſcitote in flammis, me eſſe Dominum Deū, quem furore & inuidia ſuccenſi iniquè damnaſtis ad mortem, clamantes & dicētes, [Luc. 23. e] *Tolle tolle crucifige eū.* Et ne Iudæi increduli ab alio quàm à Domino hæc dicta eſſe putarent, *de manu mea* (inquit) *factū eſt hoc vobis,* vel vt transferunt 70. *Per me facta ſunt hæc vobis.* ideſt, fient, non alius inferet vobis pœnam iſtam: ſed ego ipſe quem contempſiſtis, quem blaſphemaſtis, quem ſuſpendiſtis in ligno. *In doloribus dormietis* qui dormiſtis, & laſciuiſtis in lectulis eburneis, qui induebamini purpura & biſſo, & delicijs affluere conſueuiſtis, eruntque dolores veſtri ſempiterni, neque erit, qui vos eruat, quoniam ſicut vſque in finē dormiſtis in culpa, ſine fine dormietis in pœna. Iacebitis in dolore, nemo veſtri miſerebitur, nemo vos iuuabit, nec erit qui vobis manus porrigat adiutrices, vt à flammis aliquando poſſitis liberari.

[Delicijs in hoc ſæculo affluentes in futuro non habebunt hæreditatem.]

15 Ex toto diſcurſu huius capitis colligere poſſumus, quodnam ſit officium Chriſtiani ſacerdotis. Debet enim habere conditiones in hoc capite expreſſas. Loquatur conſtanter verbum Dei, veritatem prædicās & annuncians. Temporis opportunitatem obſeruet, ſitientibus, & eſuriētibus, non porcis, aut canibus eloquia Diuina diſpenſet. Doctus ſit à Domino, mandatis ipſe prior obediat; Deo non obmurmuret, conſtanter ignominias & afflictiones ferat. Innocentia vitæ ſit conſpicuus & irreprehenſibilis. Zelo ferueat, & impios citrà adulationem, aut perſonarum acceptionem redarguat. Talem enim diſpenſatorem diligit Deus: talem confitebitur in cœlis coram angelis ſuis, & poteſtatem illi ſuper decem tribuet ciuitates. [Lucæ 19]

[Sacerdotis proponuntur conditiones.]

CAPVT

# CAPVT LI.

1. AVDITE me qui ſequimini quod iuſtum
eſt, & quæritis Dominum: attendite ad pe-
tram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci,
de qua præciſi eſtis. 2. 3. Attendite ad A-
braham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ
peperit vos: quia vnum vocaui eum, & be-
nedixi ei, & multiplicaui eum. 4. Conſo-
labitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur
omnes ruinas eius: & ponet deſertum eius
quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Gaudium
& lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. 5. Atten-
dite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me ex-
iet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet. 6. Prope
eſt iuſtus meus, egreſſus eſt ſaluator meus, & brachia mea populos
iudicabunt: me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.
7. Leuate in cœlum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia
cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, &
habitatores eius ſicut hæc interibunt: Salus autem mea in ſempiter-
num erit, & iuſtitia mea non deficiet. 8. Audite me qui ſcitis iu-
ſtum, populus meus lex mea in corde eorum: nolite timere oppro-
brium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. 9. Sicut enim
veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit
eos tinea: Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in
generationes generationum. 10. Conſurge, conſurge, induere for-
titudinem brachium Domini: conſurge ſicut in diebus antiquis, in
generationibus ſæculorum. Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum,
vulneraſti draconem? 11. Numquid non tu ſiccaſti mare, aquam
abyſſi vehementis: qui poſuiſti profundum maris viam, vt tranſi-
rent liberati? 12. Et nunc qui redempti ſunt à Domino, reuerten-
tur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita
eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.





13. Ego, ego ipſe conſolabor vos: quis tu vt timeres ab homine
mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet? 14. Et
oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit ter-
ram: & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribu-
labat, & parauerat ad perdendum: vbi nunc eſt furor tribulantis?
15. Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vſque ad
internecionem, nec deficiet panis eius. 16. Ego autem ſum Do-
minus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius:
Dominus exercituum nomen meum. Poſui verba mea in ore tuo,
& in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes ter-
ram: & dicas ad Sion: Populus meus es tu. 17. Eleuare, eleuare,
conſurge Hieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius:
vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces.
18. Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs, quos genuit: & non
eſt qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs, quos enutriuit.
Duo ſunt quæ occurrerunt tibi: quis contriſtabitur ſuper te? vaſti-
tas, & contritio, & fames, & gladius, quis conſolabitur te? 19. Fi-
lij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut
oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei
tui. 20. Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non à vino. Hæc di-
cit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro po-
pulo ſuo: Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis in-
dignationis meæ, non adijcies vt bibas illum vltra. 21. Et ponam
illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ
tuæ: Incuruare, vt tranſeamus: & poſuiſti vt terram corpus tuum, &
quaſi viam tranſeuntibus.

## SVMMA CAPITIS.

*AD fideles diriguntur, quæ Iſaias dicit in hoc capite, illos enim hortatur, vt obedientiam Abrahæ imitentur, quam ſuperius commendauerat. Hoc proponit in ipſo ſtatim initio capitis.*

*Secundò denunciat, legem Euangelicam à Domino eſſe prædicandam in ſalutem, non ſolum Iudæorum, ſed etiam gentium. Verſiculo.* Attendite ad me popule meus.

*Tertiò, conſolatur electos, illos exhortans ne timeant eos, qui occidunt corpus, ſed omnem ſpem ſuam in Deum conſtituant, cuius potentia aduerſarij eorum conſumentur. Verſiculo.* Audite me qui ſcitis iuſtum.

*Quartò, futuræ libertatis beneficium annunciaturus, Eccleſiam hortatur, vt eleuetur & conſurgat, eam in hoc docilem reddens & attentam. Verſiculo.* Eleuare, eleuare.

*Quintò denique, futuram libertatem denunciat, non ſolum à captiuitate Babylonis, ſed multo magis à ſeruitute peccati, quam docet non per filium aliquem ciuitatis Hieruſalem, ſed per Chriſtum Dominum eſſe futuram. Verſiculo.* Idcirco audi hoc paupercula & ebria.

## COMMENTARIVM.

AVDITE *me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum: attendite ad petrã vnde exciſſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis.* Poſtquam in præcedenti capitulo, Phariſæorum perfidiam declarauit, iam nunc fideles reliquos ad fidem Ieſu Chriſti, ad patientiam, & longanimitatem adhortatur, propoſito in medio exemplo fidei, atque patientiæ Abrahæ, ne inter degeneres filios habeantur. Fuit autem Abrahæ tanta ſpes in diuinis promiſsis exſpectãdis, vt ad triginta annos peſeueraret in patientia, & ad centeſimum accedens, de prole ſibi promiſſa non deſperaret, licet tam ineptus ad generationem eſſet ac petra, propter quod Apoſtolus tale de illo teſtimonium perhibet. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuũ. Et non infirmatus eſt fide, nec cõſiderauit corpus ſuum emortuũ, cum iã ferè centum eſſet annorum: & emortuam vuluam Saræ: in repromiſſione etiã Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriã Deo: pleniſſime ſciens quia quæcũque promiſit, potens eſt & facere.* Senſus ergo eſt. O vos Apoſtoli, & Chriſti diſcipuli, verè filij Abrahæ, qui non ſuccẽditis ignem iræ Dei cum impœnitentibus

Abrahæ fides proponitur.

Rom. 4.





bus Phariſæis, ſed ſectamini quod iuſtum eſt, ideſt, Chriſti Euangelium, & fidem, in quo perfecta continetur iuſtitia. vel *quod iuſtum eſt*, ideſt, Chriſtum, qui per eſſentiam iuſtus eſt, à quo & omnis noſtra iuſtitia deriuatur: *Factus enim eſt nobis, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.* Vos qui inquiritis Dominum, vt voluntatem eius faciatis, *audite me* obſecro, & reſpicite *ad petram vnde exciſi eſtis.* Abraham appellat petram, & Sarã cauernam laci, quoniam tam inepti ad generationem videbantur, ſicut duræ & inſenſibiles petræ. Poteſt etiã eſſe iſta ſimplex metaphora, ſumpta à lapidibus exciſis ex rupe, qua ſignificat Iudæos ex Abraham & Sara eductos eſſe multo labore, ſicut lapides ex rupe atque cauerna exciduntur. S. Hieron. per petram Chriſtum intelligit, de qua Apoſtolus ait. *Petra autem erat Chriſtus.* De quo & ſcriptũ eſt: *ſtatui ſupra petram pedes meos.* Et iterum. *In petra exaltauit me:* & per cauernã laci, vulnera Saluatoris, & latus lancea perforatum. *Poſſumus etiam* (inquit) *exciſſam petram, ſepulchrum dicere ſaluatoris, in quo conditus eſt: & reſurgens à mortuis, innumerabiles filios genuit: & appellatus eſt Abrahã, ideſt pater multarũ gentium: ſicut Sara prius ſterilis, interpretatur Eccleſia, quæ alio nomine appellatur Sion, quam Dominus conſolatus eſt, & poſuit deſerta eius quaſi paradiſum. Plures enim filij deſertæ magis, quam eius quæ habet virũ.* Cõſonat hæc explicatio cum tranſlatione 70. virorum, quæ ſic habet. *Inſpicite in ſolidam petrã quam exciditis, & in foueam laci quam fodiſtis*, iuxta illud Patriarchæ Iacob vaticinium, quod de Simeon, & de Leui fratribus prædixit, *quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Hæc explicatio ſpiritualis videtur. Prima vero eſt literalis, quam etiam ſequitur ſanctus Hieronymus, & eſt magis conformis contextui. Subditur enim.

Xps appellatur iuſt⁹ antonomaſticè.

Petra Xps eſt, partes petræ fideles.

1. Cor. 10 a

Pſ. 39. a

Pſal. 26.

Vulnera Xpi cauerna laci dicuntur.

Eccleſia nũcupatur Sara, & Sion figuratiuè.

Gen. 49.

2 *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.* Hic verſus exponit præcedentem. Etenim quod prius dixerat: *attendite ad petram vnde exciſi eſtis*, modo ait, *attendite ad Abraham patrem veſtrum:* & quod præmiſerat, *& ad cauernam laci de qua præciſi eſtis*, explicant hæc verba. *Et ad Saram quæ peperit vos*, clarè oſtendens, Abraham eſſe petram, & Saram cauernam laci, de qua loquebatur. *Vnum* (inquit) *vocaui eum*, ideſt ſolum, quia ſolus vocatus eſt Abraham, qui nondum habebat ſobolem, cum dixit Dominus ad illum. *Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* Solus vocatus eſt, & ſine liberis exijt de terra ſua, verum poſtea benedixit eum Deus in ſemine ſuo, ideſt Chriſto, & multiplicauit ſicut ſtellas coeli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. Dixit enim ad illum: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Propter hoc ergo Abraham commendatur ab Apoſtolo, quod non hæſi-

Gen. 12. a

Gen. 15. b

hæſitauerit diffidentia, neque conſiderauerit corpus ſuum emortuum, cum iam ferè centum eſſet annorum, ſed contra ſpem naturæ in ſpem credidit gratiæ, innixus promiſsioni Diuinæ, cum videretur ipſe ſilici perſimilis, & vxor eius cauernæ æqualis.

Miracula antiquorũ quare cõmemoret ſcriptura.

3 Hinc collige in ſacris litteris recenſeri multoties miracula, virtutes, & opera inſignia ſanctorum, qui multis retrò ſæculis præceſſerunt, vt videres quanta per illos operatus ſit Dominus, ad eorum imitationem accendamur, fidem, ſpem, charitatem, & longanimitatem eorum ſectantes.

Baſil.ho.9. in Gordianum martyrem to.1

*Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat ſplendor, ex vnguento quoque præſtanti diffunditur odor, ſic è ſanctorum commemoratione, geſtorum ad omnes prouenit vtilitas.*

*Baſi.epiſt. 1.ad S.Gregor.Theologum.

**Et ſicut pictores cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar idemtidem reſpectantes, lineamenta eius transferre conantur magno ſtudio ad ſuum opificium, ita qui ſeſe meditatur omnibus numeris virtutis abſolutum reddere, veluti ſimulachra quædam ſpirantia, ac actuoſas ſanctorum vitas aſpicere oportet, probaque opera illorum, ſua imitando facere.* In cuius ſignum; *Tollens Iacob virgas populeas virides, & agmygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractiſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent: factumque eſt, vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa.* Quæ

Gen. 30. f

Iacob quare ante canales virgas poſuerit.

verba exponens B. Gregorius, ait: *Quid eſt virgas virides & amygdalinas, & ex platanis ante gregum oculos ponere, niſi antiquorum Patrum vitas, atque ſententias in exemplum populis præbere? Quæ nimirum, quia iuxta rationis examen rectæ ſunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem ſubtrahit, vt in his, quæ exſpoliãtur, intimus candor appareat, & ex parte corticem ſeruet. Ante conſiderationis enim noſtræ oculos præcedentium patrum ſententiæ, quaſi virgæ variæ ponuntur. Has aſpicientes oues, quia rationales noſtri ſpiritus, dum in earum intẽtione defixi ſunt, tales operum procreant, qualia exempla præcedentium conſiderant.* Et in alio loco explicans illa verba. *Fili hominis oſtende domui Iſrael templum, vt confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus quæ fecerunt: Templum* (inquit) *Dei filijs ad confuſionem oſtenditur, quando vniuſcuiuſque anima iuſti, quam inſpirando Deus inhabitat, quanta ſanctitate fulgeat, ad confuſionem ſuam peccatoribus demonſtratur, vt in illa bonum quod negligunt, videant, & in ſe ipſis malum quod operantur, erubeſcant. Metiri verò fabricam, eſt penſare ſubtiliter iuſtorum vitam. Sed dum metimur fabricam, neceſſe eſt, vt ex cunctis quæ facimus, erubeſcamus, quia bonorum vitam, quanto ſubtilius penſando diſcutimus, tanto ſeuerius in nobis omnia iniquè geſta reprobamus. Bene autem Propheta dicitur, vt oſtendat templum. Quia enim iuſtorum rectitudinem conſiderare peccator diſſimulat, ſaltem hanc ex voce prædicantis agnoſcat. Templũ quippe peccatoribus oſtendere, eſt*

Greg. 21. moral. 21.

Virgæ amygdalinæ & virides quid ſignificent.

24. moral. cap.6.

Ezech. 43.c

Quid ſit metiri fabricam.

ſponte



*ſponte ſua conſiderare nolentibus rectiorum opera narrare. Qui itaque ſicut diximus, perduci ad ſumma deſiderant, ſemper neceſſe eſt, vt meliorum profectibus intendant, quatenus tãto diſtrictius in ſe culpas iudicent, quanto in illis altius quod admirentur, vident.* Lege Auguſtinum in illa verba, *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs*, & S. Hieronymum de inſtitutionibus Monachi.

S. Aug in comment. ſup. Pſal. 139.

S. Hieron. epiſt.13.ad Paulin. to. 1.

4 *Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius: & ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini.* Ideo Propheta exẽplum Abrahæ propoſuit, qui cum abſque liberis eſſet, tempore quo à Deo vocatus eſt, innumerabiles poſtmodum, ob fidem ſuam, habuit filios, vt ex hoc Eccleſia Catholica, quæ deſerta videbatur & ſterilis, ſuam in Deum ſpem erigat. Quamuis enim afflicta iudicetur & ſterilis, innumerabilẽ tamen fidelium multitudinem habituram eſſe denunciat. *Conſolabitur ergo* (inquit) *Dominus Sion.* Ac ſi apertius dicat: Si Abrahã filijs orbatum conſolatus eſt, ſi Saram ſterilem, fœcundam effecit, diuinitus illi ſobolem tribuens multo ergo magis *cõſolabitur Dominus Sion* (ideſt) Eccleſiam ſuam Catholicam. Quamuis enim nunc omnia colapſa videantur, atque in ſolitudinem redacta, adueniente tamen Chriſto, ita reflorebunt deſerta, vt cum paradiſo voluptatis conferri poſſint. Sequitur. *Gaudiũ & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Prædicit gaudium, & lætitiam, quam habituri erant Apoſtoli, ac cæteri diſcipuli Chriſti Domini, in glorioſa reſurrectione eius, atque in die ſancto Pentecoſtas, de quibus dicit

Simile.

Euangeliſta. *Gauiſi ſunt diſcipuli, viſo Domino.* Et iterum. *Et ipſi adorãtes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno, & erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Et iterum ſcriptum eſt. *Diſcipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu ſancto.* Ecce gaudium, ecce lætitiam, ecce gratiarum actionem, ecce vocem laudis, quam in Sion futuram eſſe prædicit, hoc eſt in Eccleſia militante. Poſſunt etiã hæc referri ad Eccleſiam triũphantem, in qua verum gaudium nullis periculis ex poſitum inuenitur, vera lætitia & gratiarum actio, *quoniam abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Tunc omnes electi adorabunt Deum, dicentes. *Benedictio, & claritas; & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorũ amen.*

Ioa 20.e

Luc. 24. g

Act. 13. g

Apocal. 21.b

Apocal. 7.e

5 *Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet.* De rebus magnis ſermonẽ facturus, de aduentu videlicet redemptoris, & prędicatione legis Euangelicæ, attentos reddit auditores & dociles; magnitudo enim rerum dicendarum id exigit. & quoniam in verſiculo præcedenti, præmiſerat conſolaturum eſſe Dominum Sion, nunc oſtendit modum ſalutis & conſolationis eius, quoniã videlicet daturus erat legem Euangelicam, non in metu & terrore, ſicut olim in monte Synai: ſed in ſpiritu dilectionis. Vnde & Apoſtolus ait. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilẽ mõtem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum,*

Lex gratiæ nõ in tonitruis data eſt, ſed in ſpiritu dilectionis.

Heb 12. e



quam

*quã qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: ſed acceſſiſtis ad Sion montẽ, & ciuitatẽ Dei viuentis, Hieruſalem cœleſtẽ, & multorum millium angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorũ, qui cõſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorũ perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.* Hæc eſt lex ſpiritus, de qua per Hieremiam ait. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominũ: omnes enim cognoſcent me a minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Et ſicut ſupra prædixerat de lege gratiæ; *Quia de Sion exibit lex, & verbũ Domini de Hieruſalem:* Ita & nunc ait, *quia lex à me exiet,* (ideſt) ex viſceribus meis prodibit, quoniã nõ erit lex timoris, ſed amoris, in cuiꝰ lumine requieſcẽt populi. Vbi manifeſte docet, gentes ad Euangelium vocandas eſſe. Lex antiqua quieuit in populo Iudæorũ, quia illi ſolummodo data eſt; Lex autem gratiæ quoniam non vni populo, ſed in vniuerſo mundo prædicanda erat, nõ quieuit in populo Iudæorum; ſed *requieſcet* (inquit) *in lucem populorum,* ideſt cum populos illuminauerit vniuerſos. Verbum ergo Domini & iudicium Dei, quo per crucem nos ſaluos fecit, quo iudicauit mundum, & principem illius eiecit foras, gentibus lucem affert. Quod & ſanctus Simeon puerum Ieſum ſuſcipiens decantauit, dicens. *Quia viderũt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationẽ gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Ne autem quis arbitraretur, longo poſt tẽpore quod promiſerat eſſe futurum, Subdit.

Hier. 31 f

Lex Moyſi ſcripta fuit in lapidibꝰ; lex autem gratiæ in cordibꝰ carneis.

Iſai. 2. a

Lex gratiæ eſt lex amoris.

Lex antiqua data eſt vni populo, lex vero gratiæ vniuerſo orbi.

Luc. 2. d

6 *Prope eſt iuſtus meus, egreſſus eſt ſaluator meus, & brachia mea populos iudicabunt: me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt:* Superius adhortatus fuerat, vt exemplo fidei Abrahæ ſalutem expectemus certiſsime futuram, quam ſuis Dominus repromiſit. Nunc autem, ne frangeretur eorum ſpes, inquit, non longe eſſe ſaluatorẽ, ſed *prope egreſſus* (inquit) *eſt ſaluator,* ac ſi dicat. Iam e domo ſua egreſſus eſt, iam eſt in itinere, iam appropinquat nobis. *Apparebit in finem & non mentietur, ſi moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Sequitur. *Brachia mea populos iudicabunt.* Dicit brachia, in plurali, vt indicet admirabilem fortitudinem ſuam ad expugnandos inimicos, populi autem quos iudicabunt brachia Dei, illi ſunt de quibus loquitur Pſalmiſta. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum: aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.* De quibus etiam prædixerat ſupra. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos.* Sequitur. *Me inſulæ expectabunt.* Iacob prædixerat, Chriſtum futurum gentium expectationem, & ſpem omnium populorum. *Non auferetur* (inquit,) *ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Per inſulas, habitatores inſularum intellige, gentes videlicet

Abach. 2. a

Pſa. 2. a

Iſa. 2. a

Gen. 49.

Signum aduent' Chriſti.





delicet in finibus terræ exiſtẽtes, quæ longe à Deo erant, & à cognitione veritatis: nam & illis prædicatum eſt Euangelium, ſicut dicit Apoſtolus. *Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis qui prope.* Nec ſolum *expectabunt,* ſed etiam *ſuſtinebunt,* ideſt, magna expectatione atque longanimitate ſe conuertent ad brachium meum, vt illius auxilio adiuuentur, quod & nũc adimpletum eſſe videmus: nam quod Iſrael non eſt conſequutus, electio conſequuta eſt, nã ſalutem quam Iudæi accipere renuerunt, gentes obtinuerunt per Chriſtum.

Epheſ. 2 d

Brachium Domini Xps eſt.

7 *Leuate in cœlũ oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt: Salus autem mea in ſempiternũ erit, & iuſtitia mea non deficiet.* Firmat his verbis ſpem noſtram, ne de promiſſione Diuina dubitemus, quam magis firmam atque indefectibilem eſſe aſſerit, quam ſit cœlum & terra. Et ſenſus eſt: Reſpicite cœlos, terram conſiderate, illi, cum ſint incorruptibiles, potius deficient ſicut fumus, & terra conſumetur tamquam veſtimentum, potius quam deficiant verba mea, & ſalus quam repromiſi. Vnde & Saluator ait. *Amen dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnũ aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant: cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Hanc eandem ſententiam eiſdem fere verbis expreſsit pſalmiſta, dum ait: **Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentũ veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur:** *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Vide quam magni faciat ſalutem noſtram, cum potius cœlum, & terram perdere velit, quam quod ſalus nobis repromiſſa deficiat. In cõparatione quippe illius omnia alia creata quaſi pro nihilo reputat.

Sperantes in Domino certiſſime liberabunt.

Matt. 5.

Pſ. 101. d

8 *Audite me qui ſcitis iuſtum, populus meus lex mea in corde eorũ: nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis.* Conſolatur iterum electos ſuos, auferens ab illis humanum timorem, & rurſus exhortatur ad audiendum, commendans eos à lege Euangelica, quæ eſt lex ſpiritus, ſcripta non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Vos (inquit) qui cognoſcitis *iuſtum,* ideſt Chriſtum, qui legem meam Euangelicam in corde veſtro habetis conſcriptam, ne timeatis *opprobrium hominum,* nec *blaſphemias eorum* metuatis. Quod & Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos pluries admonuit. *Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis: Sic enim perſequuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et iterum: *Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis: non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.* ***Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meũ: quia neſciunt eum, qui miſit me.*** Non minimum obſtaculum atque impedimentum eſt virtuti,

Timor inimicorũ nõ apprehendet ſperantes in Dño.

Matt. 5. a

Ioa. 15. c

virtuti,pendere ab humana laude. Sunt enim qui paupertatem, ægritudinem,tormenta,& alia duriſſima facillime ferant, ſola autẽ irriſione aut murmuratione hominum ab inſtituto deterrentur: & quod non potuerũt obtinere ſupplicia, ſubſannatio inſanientium hominum impetrauit. Ideo meminiſſe oportet documenti Apoſtoli. *Si hominibus placerem,Chriſti ſeruus non eſſem.* Non enim contẽptus hominum, vere contemptus eſt, dummodo probemur à Domino. Et Sapiens non ſimpliciter laudari honeſtum putat, niſi laudemur à bonis: immo male audire apud mundanos, ſumma laus eſt, atque beatitudo. Contemnenda ſunt opprobria hominum, ſicut & laudes eorum, & præconia, illa nihil nocent; hæ ad nihil conducunt, ſed coronis ex fœno confectis comparantur. *Quemadmodum enim pueri ludentes ex fœno coronas inuicem imponunt,coronatum autem ſæpenumero eius rei ignarum, poſt tergum irrident: ita ſane & nunc, qui te in faciem prædicant, apud ſeipſos clanculum ſubſannant. Atque ita quid aliud fit, quam quod & nobis inuicem fœnum coronantes imponimus? Et vtinam nihil aliud, quam fœnum. Nunc autem multo etiam nocumento plena eſt hæc noſtra corona: nam omnia noſtra recte facta perdit.Conſiderata itaque ipſius inutilitate, damnum iſtud effugito. Sed dic quæſo, quot velis habere laudatores? centum? ſeu bis, ſeu ter, ſeu etiã quater totidem? immo ſi volueris,pone, vel decies, vel vigeſies totidem: quin ſint duo millia, aut etiam quatuor, vel ſi ita placuerit, innumeri qui applaudant, nihil tamen illi omnes à graculis deſuper garrientibus different. Immo ſi Angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumque præconium aranearum textura, fumoque, & ſomnijs infirmius. Audi vero quomodo Paulus iſta diligenter confirmet, non ſolum inania hæc non quærens, ſed & deprecans, cum dicit: mihi vero abſit gloriari, niſi in cruce Domini. Hanc itaque gloriationem tu quoque æmulare.*

Sanctitas ſimulanda non eſt,ꝓpter humanam laudẽ

Galat. 1. b

Chryſ ho. 17. ad Rõ. circa finẽ.

Gloria mũdi vana eſt, ideo fugiẽda.

9 *Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea: ſalus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in generatione generationum.* Aſſignat rationẽ, propter quam ſtultum eſt timere homines, aut illorum opprobria & blaſphemias: id quod ex eorum imbecillitate demonſtrat. quaſi dicat. Nonne ſtultum eſt timere eum qui à vermiculis corroditur & abſumitur, & quem manet grauis interitus? tam facile enim peribunt homines te blaſphemantes, ſicut veſtimentum conteritur à tinea. Eſt autem impiorum hominum tinea, aut vermiculus conſcientiæ cruciatus & remorſus, qui illos perpetuo torquebit. Igitur opprobria hominum contemnenda ſunt, ſicut & laudes, quoniam cito tranſeunt. Vnde & Chryſoſtomus. *Illud* (inquit) *perpendas, quod multorum ſententia ſit corrupta, corruptumq. iudicium: immo non ſolum corruptum, ſed & quod ſubito marceſcat. Nam etiamſi ad horam admirentur, puncto tamen temporis vix præterito, omnium obliuiſcuntur. Atque ita fit, vt à Deo ſibi datam coronam eripiant, & eam quam ab ipſis expectabas, conſeruare tibi nequeant. Quamquam etiam ſi manſerit, multæ tamen miſeriæ fuerit, diuinam illam iſta commutaſſe. Cum vero nec iſta maneat,ſed prorſus diffluat,quã habebimus excuſationem,qui propter inſta-*

Chryſ ho. 17. ſuper epiſt. ad Rom.to.4. Laus humana in puncto perit.



*inſtabilem, perpetuã illam perdimus, propter paucorum præconia,tanta bona perdentes? Quamquam, etiam ſi multi fuerint laudatores, & ipſi tamen quoque digni ſunt, qui velut miſeri non æſtimentur: idque tum magis cum plures ſunt qui hoc faciunt. Si vero mirum videtur quod dico,audi Chriſtum ipſum idem cenſentem. Væ enim vobis, inquit, quando laudauerint vos homines: & valde merito: Si enim cuiuis arti,nõ quoſuis, ſed ipſos opifices iudices requiris, quomodo virtutis probationẽ multis committis, & non præ omnibus vni illi, qui cum omnia ſciat, ſolus etiam vel exturbare, vel coronare poteſt? hoc itaque Chriſti verbum inſcribamus, & parietibus, & ianuis, & menti, dicamusque continue nobis ipſis:* Væ nobis, *ſi quando laudauerint nos omnes homines. Nam ipſi etiam laudatores te poſtremo velut vanæ gloriæ, vani honoris, præconijque, quod ab ipſis ſit, ſtulte amantem vituperabunt.* Opponit autem Propheta ſtatim ex aduerſo veram gloriam,quæ ex Deo eſt, & verã ſalutem,quam ſperare debemus, vt pote immarceſcibilem & perpetuam, atque timere, ne illam in ſempiternum amittamus. *Salus,* inquit, *mea in ſempiternum erit.* Ideſt, non ſicut gaudium hypocritę, quod eſt ad inſtar puncti; ideo me timere debetis,qui virtutem habeo ad viuificandum in æternum & ſaluandum; qui poſſum & animam,& corpus mittere in gehennam. Vnde & Saluator ait. *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit,habet poteſtatem mittere in gehennam,ita dico vobis, hũc timete.*

Laus & corona à Deo expectãda eſt, non ab homine.

Luca 6.

Luc. 12.

Mortẽ corporis ne timeas, animæ autem caue.

10 *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini; conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum.* Vertit Propheta ſermonem ad brachiũ Domini,quod eſt Chriſtus, cuius aduentus futurus erat ſalus populorum in generationes generationum. *Per brachium* ergo *Domini*(ſicut Tertullianus explicat) intelligit Chriſtum, de quo ait Pſalmiſta. *Saluauit ſibi dextera eius & brachium ſanctum eius.* Aut per *brachium* auxilium intelligit diuinum, cuius virtute ſaluamur. *Conſurge* (inquit) *ò brachium Domini,* excitare (ait) quaſi dormiat. Dormire videtur, quando permittit populum ſuum ab aduerſarijs exprobrari, atque innumeris perſequutionibus opprimi. Nec mireris quod tanto affectu optet vindicari ab improperijs hominum: non enim tamquam proprij cõmodi ſtudioſus id facit populus Dei, aut ex ira inimicorum ſuorum & odio, ſed zelo gloriæ Diuinæ, quæ in cõtẽptu ſeruorũ eius obſcuratur. Vnde Propheta regius, cũ multa mala,quæ ab inimicis ſuis patiebãtur electi,retuliſſet,clamauit ad Dominum. *Exſurge, quare obdormis Domine? exſurge, & ne repellas in finem. Quare faciẽ tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ? Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: cõglutinatus eſt in terra vẽter noſter. Exſurge Domine,adiuua nos propter nomẽ tuum. Propter nomen tuum*(inquit) vt videlicet nomen tuum notum fiat in gentibus,& omnes agnoſcãt, *quia nõ eſt alius qui pugnet pro nobis,niſi tu Deus noſter.* Surge *ſicut in diebus antiquis*, ideſt, quã olim virtutẽ tpe Moyſi oſtendiſti,eandẽ & nũc declara.& hoc bis dicit, nam dies antiquos vocat generationes ſæculorũ.

Chriſtus brachium Dei eſt.

Tertul.

Pſ. 97. a

Pſ. 43. d

11 Num-

11 *Numquid non tu percuſsiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Numquid tu non ſiccaſti mare, aquã abyſſi vehementis: qui poſuiſti profundum maris viam, vt tranſirẽt liberati?* Hæc referenda ſunt ad brachium Domini, cuius admiranda geſta cõmemorat: vt ex illis erigamur ad maiora expectanda. Nonne (inquit) ille es tu qui olim percuſſiſti Aegyptum ſuperbam. nonne virtute tua *draconem*, ideſt regem Aegypti vulneraſti, ſubmergẽs illum in aquis vehementibus? *draconem* vocat regem Aegypti, ſicut Ezechielis 29. *Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum.*

Rex Aegypti appellatur draco. *Ezech. 29. a*

Et dicitur, *draco*, propter doloſitatem, *magnus*, propter poteſtatem. Tu ſiccaſti mare rubrum, per quod filij Iſrael tranſierunt ſecure, & liberati ſunt ab equitibus Pharaonis. Eã dem igitur (oramus) vt potentiã oſtẽdas nunc in nobis, aduerſus eos qui nomen tuum blaſphemare non ceſſant. Concepta autem fiducia impetrandi quod poſtulat, ſubdit ſtatim.

12 *Et nunc qui redempti ſunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion, laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.* Ideſt, ſicut olim filij Iſrael euaſerũt minas Pharaonis, & opprobriũ Aegypti, ita & nunc quoque liberabo vos à peccatis veſtris, à laqueis, & tentationibus principis tenebrarum; & ſicut illos tranſacto mari rubro in terram introduxi lacte & melle manantem, ita & per lauacrum regenerationis ad patriam vos deducam cœleſtem, vbi ſecure laudabitis Deum, vbi nullus erit dolor aut gemitus, ſed *lætitia ſempiterna*, quæ talis erit, ac tanta, vt ſuperexcedat capita veſtra. Quod & ſaluator his verbis explicuit. *Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Luc. 6. e

S. Hieronymus pręſentem locum de gaudio explicat eorum, qui renunciantes ſæculo & delicijs carnis, reuertuntur ad Dominum, *hanc enim* (inquit,) *habebunt coronam, iſtoque diademate protegẽtur, vt ſemper gaudeãt & laudent Dominum, quia pro dolore, mœrore, & gemitu ſucceſſerint gaudia.* Lætitia iuſtorũ eſt ſempiterna, tum quia non interrumpitur morte, ſed in patria cõſummatur cœleſti, tum etiam quia nulla humana triſtitia perturbatur. Solis iuſtis illud competit, quod dicit Apoſtolus, *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* & illud, *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: nam de impijs ſcriptum eſt. Non eſt gaudere impijs, dicit Dominus.* Hinc eſt illud quod de lætitia iuſtorum canit Pſalmiſta. *Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: concidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Quæ verba exponens Beatus Baſilius ait. *Non cuilibet animæ gaudium à Deo inſignitur, ſed ei quæ peccatum ſuum vehementi luctu, & aſſidua lamentatione plorauerit, veluti ſi ſeipſum mortuum lugeat, qui ſane fletus poſtremo in gaudium reuertitur. Sed & lamentantur nobis Prophetæ, ad luctum nos prouocantes, vt ſimul ad confeſſionem, & cognitionem peccatorum noſtrorũ delati, ex propheticis ſermonibus noſtrũ lugeamus exitium, laboribus multis, & ærumnis noſtrã carnem affligendo. Ei ſane qui talis eſt, lugubris veſtis diſrumpitur, quã ſibi circumpoſuerat, ſuum lugens peccatum. Huic tandem circumponitur amictus lætitiæ, & pallium ſalutis, ſplendida hæc, & nuptialia indumenta, quibus ſi quis fuerit ornatus, non excludetur aditu nuptialis thalami.*

S. Hieron. Lætitia iuſti æterna eſt, quia nõ terminatur morte. Phil. 4. a 2. Cor. 6. Iſai. 57. Pſa. 29. Baſil. ho. 7 in Pſal. 29. to. 1.

 carnem



Saccus ad pœnitentiam facit, cum ſit humilitatis ſignum. olim namque patres in ſacco & cinere ſedentes, pœnitentiam egerunt. Sciditur ſaccus pœnitentiæ, & apparent indumenta lætitiæ. *Circumdediſti me lætitia*, non ait. dediſti, ſed *circumdediſti*, vt ſcias, gaudium electorum eſſe plenum, & vndequaque perfectum; quia procul eſt peccatũ quod pungebat. Vnde & ſubdit, *vt cantet tibi gloria mea, & non compungar; ſtimulis* videlicet *peccatorum* (vt explicat Auguſtinus.) *Gemit tibi humilitas mea, cantabit tibi gloria mea. Iam in finem, Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Quid eſt in æternum confitebor tibi? in æternum laudabo te, quia diximus eſſe confeſſionem & in laudibus, non tantum in peccatis. Confitere ergo modo, quod tu feciſti in Deum, & confiteberis quid tibi fecerit Deus. Quid feciſti? peccata. quid Deus tibi confitenti iniquitatem tuam? dimittit tibi peccata, vt ei poſtea laudes ipſius confitens, in æternum non compungaris peccato.*

Aug. ſuper pſ. 29. to. 8.

13 *Ego, ego ipſe conſolabor vos: quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet?* Maximam hic verſiculus affert conſolationem electis, quos per ſeipſum in aduerſis ſe conſolaturum Dominus pollicetur. *Ego, ego ipſe conſolabor vos*, inquit: quaſi dicat. Nõ mittam Angelum ad liberandum vos, non Archangelum, aut aliam quantumuis ſupremam creaturam, ſed vnigenitum filium meum, qui moriens, æternam vitam vobis tribuet, & à damnatione peccati liberabit. Ipſe Paracletum vobis mittet, poſtquã in cœlum conſcenderit. me ergo ſemper conſolatorem habebitis. *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Ex quibus collige quam propriũ ſit Deo miſereri ſemper, & parcere. Ideo enim hæc per ſeipſum exhibet, vt ſciamus, opera miſericordiæ ex intimis viſceribus illius procedere; cum tamen non per ſeipſum, ſed per Angelos malos peccatores puniat, ſecundum illud Pſalmiſtæ. *Immiſſiones per Angelos malos.* Quẽ locum explicatum dedimus ſupra. Cum ergo ſolus Deus poſſit nos in omni tribulatione noſtra conſolari, ille ſolus amandus eſt, ille timendus, non homo, qui mortalis eſt, qui quaſi fœnum egreditur & conteritur. Septuaginta interpretes, vbi nos legimus. *Quis tu, vt timeas ab homine mortali*; transferunt: Scito *quæ fueris, vt timeas ab homine mortali.* Vbi non in maſculino, ſed in foeminino genere loquitur, vt tacite increpet noſtram timiditatem foemineam; ac ſi apertius dicat. Quæ eſt iſta muliebris puſillanimitas tua, aut quæ timiditas foeminea? Cum tantum ſolatium à me ſpectes, cum tantam in me potentiam agnoſcas, adhuc times hominem, quem neceſſe eſt mori, *qui fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet?* Solus ergo Deus timendus eſt, ſicut prædixerat ſupra. *Et timorem eius ne timeatis; neq; paueatis: Dñm exercituũ ipſum ſanctificate; ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter.* de quo plura diximus*.

2. Cor. 1. Pſal. 77. Sup. c. 1. n. 63. c. 6. nu. 49. Iob. 14. a Iſa. 13. c *ſup. c 8. n. 22 c. 7. n 8. c. 11. n. 6.

14 Et

14 *Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram, & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum: vbi nunc eſt furor tribulantis?* Vt confirmet adhuc ſpem in Deum, reducit ad memoriam omnipotentiam eius, qui ſolo verbo creauit cœlos, qui extendit eos ſicut pellem, & fundauit terram. Recolit etiam ſæuitiã exercitus Pharaonis in profundum maris demerſi, & regis Aſſyriorum, qui Diuino miraculo vna nocte extinctus eſt, interficiente Angelo centum octoginta quinque millia virorum, quamuis inſaniret & fureret, minans ſe ſubuerſurum Hieruſalem. Hos (inquit) *formidaſti* non ſemel aut iterum, ſed *iugiter tota die*, & non timuiſti Dominum factorẽ tuum. *Vbi nunc eſt furor tribulantis?* Vbi Pharao? vbi currus & equites eius? vbi Rex Aſſyriorum? vbi Principes & robuſti eius? Omnes contriti ſunt; omnes quaſi fœnum aruerunt. Sequitur. *Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vſque ad internecionem, nec deficiet panis eius.* Adducit aliam rationem, propter quam non mortalis homo, ſed ſolus Deus eſt metuendus: quia videlicet in poteſtate eius ſunt corda Principum, & Dominus poteſt ab ira transferre ea in lenitatem, & à voluntate occidendi, in voluntatẽ benefaciendi, ſicut ſcriptum eſt.

Homo nullo modo eſt metuẽdus, ſed ſolus Deus.

Prou. 21

*Cor regis in manu Domini, ſicut diuiſiones aquarum, quocumque voluerit vertit illud.* Quod & in Rege Aſſuero eſt videre. Ingreditur Eſther non accerſita, *& ſtetit contra regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cũque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſũ ſuper ancillã reclinauit caput. Conuertitque* Deus *Spiritum regis in manſuetudinẽ, & feſtinus ac metuens exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Ecce qualiter Dominus occulta poteſtate tranſtulit cor regis ab odio in lenitatem, vt ſupra elegantiſſimis S. Auguſtini verbis declaratum eſt. Ait ergo. *Cito veniet gradiens* (ideſt) ecce Dominus coget inimicum, qui tribulat te vt idem è captiuitate liberet: quantũ enim ſæuijt, tantũ nunc accelerat, vt Iſrael non moriatur in captiuitate: & qui fame cruciabat, ecce properat vt te cibet pane: & cum ſit tãta multitudo exiſtentium in captiuitate, non *deficiet panis eius*. ergo cũ ſit tam potens Dominus Deus tuus, tam debilis inimicus, & iam iam appropinquet redemptio tua, quare tam puſſilaminis es? quare deficit ſpes tua? Ex his conſtat, Deum multoties ad oſtentationem potentiæ, & virtutis ſuę liberare ab afflictionibus electos ſuos per manus ipſas affligentium illos. Sic accidit in Aegypto filijs Iſrael, opprimebant eos Aegyptij in operibus duris luti & lateris, & induratum eſt cor Pharaonis, Dominus autẽ tot multiplicauit in Aegypto plagas vſque ad interfectionem omnium primogenitorum: vrgebat Deus Pharaonem, & Aegyptios, & ipſi tandẽ vrgere cęperunt filios Iſrael vt exirent de Aegypto. Nam *uocatis Pharao Moyſe & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo*

Eſther. 15.b

ſup. cap. 10 num. 11.

Exod. 12







*meo, vos & filij Iſrael: ite, immolate Domino ſicut dicitis. Oues veſtras & armẽta ſumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebantque Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. Tulit igitur populus conſperſam farinã, antequam fermentaretur: & ligans in palijs, poſuit ſuper humeros ſuos. Feceruntque filij Iſrael ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Aegyptijs uaſa argentea & aurea, ueſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, vt commodarent eis. Et ſpoliauerunt Aegyptios.* Ad hanc ergo liberationem ex Aegypto alludere videntur verba illa *nec deficiet panis eius*; prius enim quã conſumeretur panis, quẽ populus Iſrael ſecum ex Aegypto deferebat, vindictam ſumpſit Deus de inimicis ſuis. Vide diſpenſationem eius & potentiã, quis tam ſapiẽs eſt, & miſericors, vt ex malis eliciat bona, & quò maiori diligentia inimicus perſequitur electos, eo magis per eum vult accelerare ſalutem. Aegyptij vrgebant Iſraelitas, vt exirent, & illa feſtinatione obtinuerunt ſibi mortem: tantũ abeſt, vt quis poſſit ad internecionem vſque perſequi in Diuino confidentes auxilio.

15 *Cito veniet gradiens, &c.* 70. interpretes ſic transferunt iſtum locum, *In ſaluando te non morabitur neque tardabit, & non occidet in corruptionem, & non deficiet panis eius.* Symmachus vero ſic vertit. *Cito infernus aperietur, & nõ morietur in corruptionem.* Et eſt ſermo de Chriſto, vt nonnulli explicant expoſitores: Ipſe enim pro nobis moriens velociter in infernum deſcendit, vt captiuos liberaret a morte. Mortuus quidem eſt, ſed *non in corruptionem*: quia non eſt in cineres redacta caro eius. Ait enim ad patrem, *Quia non derelinques animam meam in infernum; nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Denique panis eius, ideſt cœleſtis doctrina non deficiet, quia ne deficeret, orauit ad Patrem, ſicut Petro Apoſtolo teſtatus eſt, dicens, *Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua.* Poteris etiam per panem eius, Sacroſanctum intelligere Sacramentum Euchariſtiæ, de quo Iacob morti propinquus ait, *Pinguis eſt panis eius, & præbebit delicias regibus.* Hic panis nunquam deficiet in Eccleſia, quoniam in altari pro viuis & mortuis offertur quotidie & ſumitur, vnde & Saluator ait. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.*

Chriſti deſcenſus ad inferos, corpore incorrupto manẽte.

Pſ. 15. c

Gen. 49.

Matt. 28.

16 *Ego sũ Dominus Deus tuus qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius: Dominus exercituum nomen meum. Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram, & dicas ad Sion: populus meus es tu.* Iterũ commemorat prodigia, quæ fecit Dominus in exitu Iſrael de Aegypto, in quo Moyſes & Maria, & alij cantauerũt Domino liberationis canticum, dicẽtes, *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutẽ, &c.* Hæc enim ſunt verba quę poſuit Dominus in ore Iſrael, vt glorificaret Chriſtum, & enarraret mirabilia eius. Poſſunt etiã hæc verba referri ad illa, quę Chriſtus Dominus loquutus eſt in Euãgelio: Hæc enim poſuit in ore Eccleſiæ, vt plãtaret cælos, ideſt Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum conuerſatio in cælis eſt: & fundaret terram, ideſt

Exod. 15. a

cæteros fideles, q velut terra imbri-
bus irrigantur coeleſtibus, & fructus
proferunt bonorum operum. Vel ſic,
Protexi te vt plantes coelos, ideſt
tādiu te defendam & protegam, do-
nec in coelum te transferam, & ibi ad
me ipſum te recipiam. Alij vero ſic
exponunt: protexi te, donec veniat tā
ta rerum innouatio, vt coelum nouū
& terram nouam plantatam eſſe vi-
Iſa. 65. deatur, ſicut dicitur infrà. *Ecce ego*
*creo cœlos nouos & terram nouam.*
Chaldæus paraphraſtes ſic ait, *donec*
*ſurgat populus qui conferetur ſtellis*
*cœli*, in puritate videlicet & claritate,
& confirmetur in eadem puritate, ſi-
cut terra, quæ immobilis perſeuerat
& in æternū ſtat, & agnoſcatur Sion,
ideſt, filia Siō mira gratulatione gau
dens, ſe Dei populo adiunctam. Igi-
tur cum toties polliceatur Deus, ſe
protecturum populum ſuum, ma-
gna ſtultitia eſt, timere homines mo-
rituros, ab eo iudicandos, & forſitā
Miniſtri Dei timendi ſunt & venerandi. damnandos. Non tamen propterea
intelligas, non eſſe metuendos homi-
nes in vniuerſum: non enim loqui-
tur de miniſtris Dei, aut rectis homi
nibus; hi enim timendi ſunt & vene-
Luc. 10. c randi. Scriptum eſt enim. *Qui vos*
*audit, me audit, & qui vos ſpernit*
*me ſpernit. Qui autem me ſpernit,*
*ſpernit eum qui miſit me.* Et iterum,
Rom. 13 a *vis non timere poteſtatem? bonum*
*fac & habebis laudem ex illa. Dei*
*enim miniſter eſt tibi in bonum. Si*
*autem malum feceris, time: Nō enim*
*ſine cauſa gladiū portat. Dei enim*
*miniſter eſt: vindex in iram ei qui*
*malum agit.* Sed loquitur de illis
qui obſtaculo ſunt vitæ iuſtorum at-
que impedimento, qui peruerſi ſunt
& proficiunt in peius, de quo vide
ſupra dicta cap. 30. num. 47.

17 *Eleuare, eleuare, conſurge*
*Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Do-*
*mini calicem iræ eius: vſque ad fun-*
*dum calicis ſoporis bibiſti, & pota-*
*ſti vſque ad fæces.* Prius quam Pro-
pheta liberationis beneficium denun
ciet, Hieruſalem admonet, ideſt po-
pulum Dei, vt conſideret in quanta Miſeria antiqua cōſideranda ſēper.
iacuerit miſeria, idque ſimilitudine
explicat calicis epotati: & nomine
calicis, intelligit flagella à Deo in
miſſa, & afflictionem maximam quā
in captiuitate paſſus fuerat: eo quod
ſicut vino ſtatus mentis euertitur, ſic
& afflictiones, quæ bibuntur, ita ho-
minem concutiunt, vt omnibus ſuis
viribus deſtitutus videatur. Hinc &
Saluator, paſſionem ſuam calicem
dixit, dum orauit ad patrem: *Pater*
*ſi poſſibile eſt trāſeat à me calix iſte.* Mat. 26 d
& Hieremias Propheta vim huius ſi-
militudinis explicans, ait. *Quia ſic* Hier. 25 d
*dicit Dn̄s exercitum Deus Iſrael:*
*Sume calicē vini furoris huius de ma*
*nu mea: & propinabis de illo cunctis*
*gentibus, ad quas ego mittam te, &*
*bibent, & turbabuntur, & inſanient*
*à facie gladij, quem ego mittam inter*
*eos. Et accepi calicem de manu Do-*
*mini, & propinaui cunctis gentibus,*
*ad quas miſit me Dominus: Hieru-*
*ſalem, & ciuitatibus Iuda, & regi-*
*bus eius, & principibus eius: vt da-*
*rem eos in ſolitudinem, & in ſtupo-*
*rem, & in ſibilum, & in maledictio-*
*nem, ſicut eſt dies iſta:* Bibent, in- Tribulatio vino inebrianti cōfertur.
quit, & turbabuntur, & inſanient, vt
ſciamus, magnitudine tribulationis
quaſi vino inebriandas eſſe gentes.
Potare calicem vſque ad fæces, eſt
conſummare paſſionē, cum nihil re-
linquitur bibendū. Sicut enim Chri-
ſtus Dominus pro nobis paſſus, ni-
hil reliquit eorum quæ de ipſo ſcri-
pta fuerant, ſed omnia cōſummauit,
& dixit. *Conſummatū eſt*, ita & Deus Calix tribulationis, calicē gloriæ promeretur.
calicem afflictionum vſque ad vlti
mum epotandum ſuis propinat, vt
poſtmo-



poſtmodum in perpetuum gaudeant
calice retributionis æternæ, cum di-
Cant. 5. a cetur illis. *Comedite amici, & bibi-*
*te & inebriamini chariſsimi.* Ob-
ſeruanda eſt autem vulgaris meta-
phora, qua Dominus pœnam, quam
infligit ſuis, potionem vocat & paſ-
ſionem, calicem. Hoc enim ad mo-
Calici confertur tribulatio, & quare. derationem Diuini iudicij exprimē-
dam facit, quoniam ſi durius ani-
maduertere in populum ſuum videa-
tur, modum tamen adhibet & men-
ſuram, nec patitur electos tentari
vltra id quod poſſunt. Dat ſine men-
ſura ſpiritum qui adiuuet infirmita-
tem noſtram, ſicut teſtatur Ioannes.
Ioan. 3. *Non ad menſuram dat Deus ſpiri-*
*tum.* At tribulationes in menſura
ſuis epotandas tribuit, Propheta at-
Pſa. 79. teſtante. *Cibabis nos pane lacryma-*
*rum, & potum dabis nobis in lacry-*
*mis in menſura. Quid eſt in men-*
Aug. ſup. eundē Pſa. *ſura?* (ait Auguſtinus,) *Apoſtolum*
*audi. Fidelis Deus, qui non vos per-*
1. Cor. 10. *mittit tentari, ſupra quam poteſtis*
*ferre. Ipſa eſt menſura pro viribus*
*tuis, ipſa eſt menſura vt erudiaris,*
*non vt opprimaris.* Eſt & alia ratio,
pp quā omnes afflictiones hui' ſecu-
li nomine calicis ſignificare voluit, qa
videlicet cito tranſeunt, nec diutius
durant quam potus calicis: Propter
quod Apoſtolus, omnia tormēta quæ
paſſi ſunt Martyres, momentaneum,
2. Cor. 4. & breue tribulationis eſſe dixit. *Id*
*.n. quod in præſenti eſt momentaneū*
*& leue tribulationis noſtræ, ſupra mo*
*dū in ſublimitate æternū gloriæ pon-*
*dus operatur in nobis, nō contēplanti-*
*bus nobis quæ videntur, ſed quæ non*
*videntur: quæ enim videntur, tēpo-*
*ralia ſunt, quæ autem non videntur,*
*æterna ſunt.* Cui conſonat illud quod
Iſa. 54. dicitur infra. *Ad punctum in modico*
*dereliqui te. & in miſerationibus ma*
*gnis congregabo te. In momento in-*
*dignationis abſcondi faciem meam*
*parumper à te, & in miſericordia*
*ſempiterna miſertus ſum tui.* Ca-
licem denique paſſiones, quæ ſuſtinē
tur pro Chriſto, eſſe agnoſces, ſi con
ſtantiam Martyrum conſideres. Ter-
ribile quidem erat pati, terribile &
mori, immo & terribilium omnium
terribilius: at poſtquam Chriſtus
Domin' pro omnibus guſtauit mor-
tem, iam non terribilis electis, ſed
ſuauis, non ſecus atque calix aquæ
frigidæ reputatur. Vnde & Pſal-
miſta in perſona omnium Martyrū
ait. *Quid retribuā Domino pro om-* Pſ. 115.
*nibus quæ retribuit mihi? Calicem ſa* a
*lutaris accipiam: & nomen Domini*
*inuocabo. Calicem ſalutaris* vel ſa-
lutis, dicit mortem, per quam fit trā-
ſitus ad vitam. *O homo quis tibi de-*
*dit calicem ſalutaris*, ait Auguſti- Aug. ſup. eundē Pſa. tom. 8.
nus, *quem accipiens & inuocans no-*
*men Domini retribues ei, pro omni-*
*bus quæ retribuit tibi? quis, niſi ille*
*qui ait. Poteſtis bibere calicem quē* Mat. 20
*ego bibiturus ſum? Quis tibi dedit*
*imitari paſsiones ſuas, niſi qui pro-*
*pter te paſſus eſt prior? ideoque pre-*
*tioſa in conſpectu Domini mors ſan-*
*ctorum eius. Emit enim eam ſan-*
*guine ſuo, quē prior fudit pro ſalute*
*ſeruorū, ne pro nomine Domini ſerui*
*fundere dubitarent.* Vbi obſeruan-
dum cum Chryſoſtomo, quod non di Chryſ. lib. 2 de compūct. cord. tom. 5.
xit, pro omnibus quæ retribuit no-
bis, ſed, quæ retribuit mihi; quoniam
*hic eſt affectus ſerui fidelis, vt bene-*
*ficia Domini ſui, quæ cōmuniter data*
*ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſti-*
*ta reputet, & quaſi ipſe ſit omnium*
*debitor. Hoc fecit vt Paulus, qui mor-*
*tem Domini, quæ pro vniuerſo im-*
*penſa eſt mundo, ſoli ſibi præſtitam*
*dicit.* Qui tradidit ſemetipſum pro
*me. Hoc autem dicebat, non coan-* Galat. 2.
*guſtare volens altiſſima per orbem*
*terra-*

*terrarum diffuſa Chriſti munera, ſed quaſi qui pro omnibus ſe ſolum iudicaret obnoxium. Et reuera, quid intereſt, ſi & alijs præſtitit, cum quæ tibi præſtita ſunt, ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli alij ex ijs aliquid fuerit præſtitum? Ideo denique & illa boni paſtoris parabola, non dicit; quia venit oues multas quærere, ſed vnam: vna namque eſt, quia ſic omnibus, quaſi vni,* Diuina *beneficia conferuntur.*

18 *Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs quos genuit: & non eſt qui apprehẽdat manus eius ex omnibus filijs quos enutriuit.* Senſus eſt. Vide ô Hieruſalem, qualis & quãta fuerit calamitas tua, cum iratum aduerſum te Deum habuiſti. Omnes enim ſimul perierunt, nec erat qui te ſuſtentare poſſet aut conſolari. Non ſatis erat affligi, deerat & conſolator, deerat & rector, nec filius audebat matri ſuccurrere, nam omnes inuoluerat eadẽ calamitas, omnes oppreſſerãt aduerſarij. Quod ad literam impletum eſt in vaſtitate Iudæorum, & euerſione ſanctæ ciuitatis poſt paſſionem Domini, cuius calamitatem deplorauit Ieremias. *Non eſt,* (inquit) *qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.* Et vt magis explicet eius ruinam, ſubdit. *Duo ſunt quæ occurrerũt tibi, quis cõtriſtabitur ſuper te? vaſtitas & contritio, & fames, & gladius, quis conſolabitur te?* Duplicem afflictionem narrat qua oppreſſa fuit ciuitas Ieruſalem, altera interna, nam domi manentes premebat fames; altera externa, nam eos qui egrediebantur, foris vrgebat bellum: vnde nullibi tuti eſſe poterant aut ſecuri. Cum ergo vndique fuerit ciuitas oppreſſa, intus videlicet, & foris, quis conſolabitur eam? Nec ſolũ de fame, quæ

Hieruſalẽ calamitas qualis fuerit.

Thren. 1

corpus cruciat, ſunt hæc intelligẽda, ſed etiam de illa quæ animam debilitat, videlicet de fame audiendi verbum Dei, de qua per Prophetam dicitur. *Mittam famen in terram non famen panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Animæ autem quæ huius panis cœleſtis patiuntur famem, interius ſæuitiam, foris tyrannidem & gladium experiuntur inimici.

Amos 8. d

19 *Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.* Probat quod ſuperius dixerat, *non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs quos genuit:* nam omnes natura erant filij iræ. Filij tui præſtantiores non ſolum defecerunt, ſed abſque omni miſericordia proſtrati ſunt, & cum ſeipſos iuuare non valeant, quomodo tibi auxiliari poterunt? Et vt magis explicet eorum miſeriam, eos comparat boui ſilueſtri irretito, hoc enim animal ſignificat *Oryx*, (vt dicunt Hebræi,) vel ſecundum alios, *Oryx* eſt animal quoddam ex caprarum genere. Sed quidquid ſignificet, ſenſus huius metaphoræ legitimus eſt. Sicut beſtia agri, aut taurus, vel ceruus laſſatus, & irretitus à canibus comprehenditur & occiditur, ita filij tui capientur ab hoſtibus te perſequẽtibus, & tradentur morti; nec erit vlla euadendi ſpes. Hoc fuit ad literam impletum in euerſione ciuitatis poſt paſſionem Domini, & ſpiritualiter adimpletur quotidie in illis, qui funibus peccatorum ſuorum cõſtricti atque illaqueati capiuntur à diabolo, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Denique, vt grauitatem cognoſcamus iudicij, quo Deus filios Hieruſalem hoſtibus tradidit, iuſtam Domini indignatio-

Oryx animal eſt ſilueſtre.

Iudæi capti ſunt ſicut beſtiæ agri

gnatio-



gnationem, ſubiungit, quam duobus nominibus explicat, *indignatione* videlicet, & *increpatione*. *Pleni,* inquit, *indignatione Domini*, vt nullus ſit miſericordiæ locus. Et iuſte quidem, nam ſibi ipſis mala quæ paſſi ſunt imprecari non trepidauerunt, ſed audacter dixerunt. *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Nicolaus de Lyra, & alij nonnulli hæc referunt ad tempora Antichriſti, in quibus, Deo permittente, quamplurimas patietur tribulationes Eccleſia, vt, qui probati ſunt, manifeſti fiant. quæ interpretatio non eſt reijcienda, quoniam omnia mala, quæ hucuſque paſſa eſt Eccleſia, ſigna ſunt quædam eorum, quæ in vltimis temporibus imminebunt illi.

20 *Idcirco audi hoc paupercula & ebria, non à vino. Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro populo ſuo: Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundũ calicis indignationis meæ, non adijcies, vt bibas illum vltra.* Iterum monet, vt in memoriam reuocet afflictionem futuram, vt beneficij magnitudinẽ tanto pluris faciat, quanto poſt maiora pericula fuit ſubſequutum. Ebriam vocat illam, & *non à vino*, vt magnitudinem calamitatis deſignet, quæ nulla conſolatione releuari potuit, nam qui vino inebriantur, lætari ſolent, & vna nocte digeſto, ebrietas tranſit: in illa autem tribulatione niſi Deus adiuuiſſet miſeros, actum eſſet de illis, quoniam nulla alia apparebat via, qua poſſet occurri periculis imminentibus. Et ſi hæc ad Antichriſti tempora referantur, ſenſus eſt ſatis planus, nihil enim aliud præſens locus ſignificat, niſi quod in Euangelio Chriſtus Dominus explicuit, dicens: *Erit enim tũc tribulatio magna, qualis non fuit ab*

Ebrij, & non à vino qui dicantur.

Mat. 24 a

*initio mundi vſque modo, neque fiet: Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Si verò ad euerſionem ciuitatis, ſenſus eſt: *Dominator tuus* peculiaris, qui alioqui vniuerſorum eſt Dominus, & *Deus tuus*, qui olim contra Pharaonem, & Sennacherib pro populo ſuo dimicauit, nõ erit immemor tui, quãtumuis ab inimicis ſis oppreſſa. Plagis tuis finem imponam. Non enim in perpetuum tribulaberis. bibes quidem *calicem ſoporis*, ſed non *fundum calicis indignationis meæ*; nam fæces eius bibent omnes peccatores terræ, illi videlicet, qui tribulauerunt te. Hoc reprobis cõtingit, ignibus æternis cruciandis, qui, dum ſunt in hoc ſeculo, calicem Domini non bibunt; liberi enim ſunt ab omni afflictione, lætantur cum male fecerint, ducunt in bonis dies ſuos, ſed in puncto ad infernum deſcendunt; vbi *calicem indignationis* Dei potabunt in æternum. Iuſti autem in hoc mundo calicem paſſionis cum Redemptore bibunt, ſed poſt mortem calicem iſtum Dominus ab eis tollit, ne deinceps vllam ab inimicis tribulationem patiantur.

Fæces bibere quid ſit.

21 *Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ: incuruare, vt tranſeamus, & poſuiſti vt terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.* Senſus eſt: Non ſolum liberabitur populus Dei à plagis quas patitur in hoc ſeculo, ſed eas in hoſtes ſuos conuertet omnipotens: in eos videlicet, qui dixerunt, *incuruare vt tranſeamus*. Verba hæc inſolentiam deſignant tyrannorum, qui ſibi quiduis licere in ſanctos Dei arbitrantur, & vltra modum affligunt illos, pedibuſque ſuis conculcant eos, abſque vlla

Tyrannorum crudelitas in ſanctos.

miſericordia ſuper illos ambulantes, ſicut homines tranſire ſolent per pla. teas,& lutum earum conculcare. Hæc autem myſticè intelliguntur de aduerſis poteſtatibus, qui dicunt animę noſtræ; *incuruare vt tranſeamus*. In

Hieron. quo notãdum eſt cum B. Hieronymo, quòd non eam incuruãt inimici coactam, nec vim inferunt ei, vt prius erecta inclinetur in terram, ſed proprio arbitrio relinquunt, illa autem volũtate ſua ponit ceruices, vel dorſum, ſiue totum corpus ſuum ijs, qui

Greg. ho. 31. in Euang. to. 2. eam conculcant. Vnde Beatus Gregorius: *Recta*, inquit, *ſtat anima, cum ſuperna deſiderat, & nequaquã flectitur ad ima. Sed maligni ſpiritus cum hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per eam tranſire non poſſunt: tranſire namque eorum, eſt immunda illi deſideria ſpargere. Dicunt ergo, incuruare vt tranſeamus: quia, ſi ipſa ſe ad ima appetenda non deÿcit, contra hanc illorum perverſitas nullatenus conualeſcit: & tranſire per eam nequeunt, quam cõtra ſe rigidam in ſuperna intentione*

Homo faciẽ in cælum erecta quare creatus ſit. *pertimeſcunt. Nos ergo fratres chariſſimi, nos viam malignis in nobis ſpiritibus damus, cum terrena concupiſcimus, cum ad temporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiſcere, & dorſa mentium aſcendentibus aduerſarijs præbere. Terram ſemper intuetur, qui curuus eſt, & quo præmio ſit redemptus, non meminit qui ima quærit. Hinc etiã per Moyſen dicitur, vt qui gibbo premitur, nequaquam ad ſacerdotium* Leuit. 21 *prouehatur. Et quotquot* Chriſti *ſanguine redempti ſumus, membra eiuſdem ſummi ſacerdotis efficimur. Vnde & nobis per Petrum dicitur: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* 1. Pet. 2. *Sed qui gibbum tolerat, ima ſemper intuetur. A ſacerdotio ergo repellitur: quia quiſquis ſolis terrenis intentus eſt, ipſe ſibi teſtis eſt, quod membrum ſummi ſacerdotis non eſt. Hinc rurſus piſces, qui pinnulas nõ habent, ab eſu fidelis populi prohibentur. Piſces qui pinnulas ſquamarum habent, dare etiam* Leuit. 11 *ſaltus ſuper aquas ſolent. Quid ergo pinnatis piſcibus niſi electæ animæ figurantur? Quæ profecto ſolæ in cæleſtis Eccleſiæ corpus tranſeunt. quæ modo virtutum pinnulis fultæ, ſaltus dare per cæleſte deſiderium ſciunt, vt ſuperna per contemplationem appetant, quamuis in ſeipſis iterum ex mortali carne relabantur. Si ergo iam bona cæleſtis patriæ agnouimus, diſpliceat nobis, fratres chariſſimi, quod curui ſumus.*

Piſces pinnulas habentes electos deſignant.





# CAPVT LII.

1. CONSVRGE, conſurge, induere fortitu-
dine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ
tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti: quia non adii-
ciet vltra vt pertranſeat per te incircumciſus
& immundus. 2. Excutere de puluere, con-
ſurge; ſede Ieruſalem: ſolue vincula colli tui
captiua filia Sion. 3. Quia hæc dicit Domi-
nus: Gratis venundati eſtis, & ſine argen-
to redimemini. 4. Quia hæc dicit Domi-
nus Deus: In Aegyptum deſcendit populus meus in principio, vt co-
lonus eſſet ibi: & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Et
numquid mihi eſt hic, dicit Dominus, quoniam ablatus eſt popu-
lus meus gratis? Dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, &
iugiter tota die nomen meum blaſphematur. 5. Propter hoc ſciet
populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipſe qui loquebar,
ecce adſum. 6. 7. 8. Quam pulchri ſuper montes pedes annuncian-
tis & prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis ſalutem,
dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. 9. Vox ſpeculatorum tuorum:
leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt,
cum conuerterit Dominus Sion. 10. Gaudete, & laudate ſimul de-
ſerta Ieruſalem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, rede-
mit Ieruſalem. 11. Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in
oculis omnium Gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei
noſtri. 12. 13. 14. 15. Recedite, recedite, exite inde, pollutum no-
lite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domi-
ni. 16. Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis:
præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael. 17.
Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis
erit valde. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit in-
ter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. 18.
Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum:

quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt.

## SVMMA CAPITIS.

*EXCITAT Iſaias Eccleſiam Catholicam, vt ſe præparet ad excipiendum Chriſtum, vincula peccatorum excutiens, & ſe nouis ornamentis induens, quam exhortationem in principio capitis conſtituit.*

*Deinde ſub Aegypti captiuitate corporali, ſpiritualem deſcribit, qua omnes ſub peccato captiui tenebantur. Ad quam ſoluendam venit Chriſtus, Verſiculo.* In Aegyptum deſcendit populus meus, &c.

*Tertiò, denunciat Chriſti aduentum, & Apoſtolorum prædicationem commendat, ac multa reſerat gratiæ myſteria. Verſiculo.* Propter hoc ſciet populus meus, &c. *Vbi ſpecialiter explicat excellentiam Chriſti, gloriam & diuinitatem illius, vt opprobrium paſſionis, de qua ſermonem ſtatim erat facturus, & ignominia mortis eius magis appareat.*

## COMMENTARIVM.

1. *CONSVRGE, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti, quia non adijciet vltra, vt pertranſeat per te incircũciſus & immundus.* In ſuperiori capite multa de tribulationibus, quas in hoc ſeculo patitur Eccleſia, prædixerat Iſaias; iam nunc de fine earundem incipit agere, ac de Redemptore, cuius virtute liberantur fideles à captiuitate peccati, & preſſuris huius ſeculi. Et primo Eccleſiam inuitat, vt ſurgat, quam Sion appellat, & Ieruſalem ciuitatem ſancti, (ideſt) Chriſti, qui per eſſentiam ſanctus eſt: vel, ciuitatem ſanctam (vt transferunt Septuaginta.) Verè enim ſancta eſt Eccleſia, quam ſanctificauit Chriſtus, & proprio ſanguine mundauit, ſicut dicit Apoſtolus: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi.* Per veſtimenta gloriæ, virtutes intelligit, de quibus Apoſtolus. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* His enim glorioſa redditur Eccleſia. *Conſurge* ergo, inquit, in baptiſmo: *Conſurge* per nouitatẽ vitæ, & contra potentiã dæmonum fortis eſto: ſi enim contra illos præualueris, non nuda apparebis in iudicio, ſed induta veſtimentis gloriæ

[Margin: Eph. 5. *r* — Eccleſiam, vt conſurgat, hortatur Iſaias. — Rom. 13]



gloriæ, & eris ſecura, & non timebis hoſtes tuos, quia nullus tunc erit inimicus, nullus pollutus, qui te perſequatur, & intelligit per incircumciſos, illos qui corde incircumciſi ſunt, ideſt tyrannos, & carnales homines voluptatibus atque delitijs deditos, aut etiam infideles. quos Stephanus incircumciſos auribus dixit. Vel per incircũciſum intelligit diabolum, qui poſt diem iudicij non poterit amplius in electos ſæuire. Vnde quæ dicuntur in hoc loco, non ſunt referenda ad tempora Conſtantini, vt vult Lyranus, nec ad ſtatum Eccleſiæ militantis poſt primum Chriſti aduentum, vt explicat Sasbouth Delphius, & nonnulli alij expoſitores: ſed potius ad tempus Eccleſiæ triumphantis, vt interpretatur Auguſtinus: *Quomodo ergo* (inquit,) *teſtimonium propheticum quod in ſua reſponſione poſuerunt, quãdo Eccleſiæ dictum eſt: Non adijciet vltra per te tranſire incircumciſus & immundus, ad hoc tempus pertinere intelligitur, quando Eccleſiæ retibus comparata eſt, quibus in mari adhuc poſitis piſces malos bonis permixtos, vel occultos eſſe confeſſi ſunt? Vnde manifeſtum eſt, nonniſi de futuro ſeculo poſt iudicium, nullum incircũciſum & immundũ per Eccleſiam trãſiturum violentiã veritati inferentẽ, quæ ſuos non in carne, ſed in corde torquet inimicos, vt illã etiam confiteantur inuiti.* Nota vim illius verbi, pertranſiet, quaſi dicat: Omnes electos meos expoſui ludibrijs, & opprobrijs hominum, vt conculcarentur quaſi lutum platearum: ſed iam deinceps non poterunt eos tangere, aut contriſtare. Et videtur hoc verbum reſpondere illi ſententiæ capitis præcedentis: *Et dixerunt animæ tuæ, incuruare vt tranſeamus:* ac ſi dicat, non vltra incuruaberis, vt tranſeant per te inimici tui, & te conculcent. In ſenſu ſpirituali hæc de anima poſſunt intelligi, quæ exuens veterem hominem, induit nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt. Cum enim ſurrexerit à peccato, & induta fuerit fortitudine, nequaquam vltra tranſiet per eam incircumciſus & immundus, ideſt malignus ſpiritus, ſed ipſa potius ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabit, & conculcabit leonem & draconem. Sicut enim Saluator diſcipulis ſuis dixit. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit,* ita & iuſtis hæc facultas cõceditur, vt ſpiritualia nequitiæ, ac diuerſa genera peccatorum, quæ per huiuſmodi animalia deſignantur, cõculcent, & ſubijciant.

2 *Excutere de puluere, conſurge; ſede Ieruſalem: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.* Comparat Hieruſalem mulieri volutatæ in luto, aut puluere, & hortatur eam, vt illum excutiat, & vincula peccatorũ, quibus tenebatur, diſſoluat, & ſe præparet ad Euangelium ſuſcipiendum, & Chriſtum, per quem à captiuitate peccati erant homines liberandi. Puluis ſunt peccata venialia, à quibus mundi eſſe non poſſumus, dum ſumus in hoc mortali corpore. Lutum autem, peccata mortalia deſignat, quæ animam ſordidam efficiunt. Qui ergo redemptorem expectat, & eum digne intra hoſpitium cordis vult ſuſcipere, non tantum lutoſam atque immundam debet per pœnitentiam abſtergere animam: ſed etiam à pedibus puluerem leuium peccatorum excutere. *Nam qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet.* Poteſt etiã per puluerem intelligi lex antiqua,

[Margin: Incircumciſi dicuntur peccatores. & dæmones. — Act. 7. — Lyra. — Sasbouth. — Aug. lib. vno cõtra Dõatiſtas cap. 8. to. 7 Eccleſiam triumphãtem nullus inhabitabit immũdus. — Renouatẽ per gratiã diabolum ſuperant. — Pſal. 90 — Luc. 10. e — Peccata venialia conferuntur pulueri, mortalia luto. — Ioan. 13]

quia non cœleſtia promittebat, ſed terrena, quæ pulueri aſſimilantur.

Lex antiqua pulueri cōfert.

Quam etiam deſignant vincula colli, eo quod lex illa conſtrictum tenebat hominem ſub peccato, nec vires aduerſus illud ſubminiſtrabat. Aut vero quoniam iugum erat importabile, de quo Petrus Apoſtolus dixit. *Nunc*

Act. 15. b

*ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Vt ergo ſe præparet ad Euangelium, hortatur Ieruſalem excutere iugum legis antiquæ: hæc enim ſeruari non poteſt, adueniente lege gratiæ, Apoſtolo dicente,

Gal. 5. a

quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Pro vinculis ergo colli, quæ ſigna ſunt ſeruituris, geſtemus monilia ſponſæ, quæ

Prou. 5.

ſigna ſunt libertatis. Vel per vincula intelligit peccata, nam *funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur.*

3 *Quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Alludit ad id quod ſupra dixerat:

Iſai. 50.

*Quis eſt creditor meus cui vendidi vos?* Hic eodem modo teſtatur, gratis venundati eſtis. quaſi dicat, ſe nihil pretij accepiſſe, nec obſtrictum eſſe creditori, qui poſſit eos veluti iure mancipij retinere. Hoc autem valet plurimum ad diuinam promiſſionem confirmandam, & ſpē corroborandam in Deum: nam dubitare poterant Iudæi de libertate illis repromiſſa, quod iam diuturna poſſeſſione ipſos retinuiſſet Chaldæi, qui potentiſſimi erant omnium nationum, aut etiam princeps huius mundi, de quo per Prophetam dicitur:

Iob 41. d

*Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret.* Captiuauerat quippe genus humanum, & per peccatum ipſum ſuæ addixerat ſeruituti. Huic dubitationi occurrit Dominus, dicēs: Ego vos eis non vendidi, neque alienaui: poſſum ergo voſmetipſos repetere, quia nullo iure Chaldæi vos retinere, aut libertatem veſtram impedire poſſunt. Inuidia diaboli mors intrauit in mundum, & accedente culpa primorum parentum, illius poteſtatem accepit. Vnde per Salomonem ait. *Deus mortem non fecit, ſed nec lætatur in perditione viuorum. Impij autem manibus, & verbis accerſierunt illam.*

Sap. 1. d

Ideo ergo ait, ſuos gratis venditos eſſe, quia nihil in Deo poterimus inuenire, de quo iure conqueramur. Noſtra enim ſponte venditi ſumus viliſſimo mancipio. & ſicut gratis venditi; ita & gratis redempti ſumus per miſericordiam Dei, non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine agni quaſi immaculati.

Gratis venditi gratis & redēpti ſumus.

Clamat Apoſtolus tyrannidem ſentiens inimici. *Video autem aliam legem in mēbris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Rom. 7. d

Et nullum alium Redemptorem, præter Chriſtū & gratiam illius agnoſcens, ſubdit. *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

4 *Quia hæc dicit Dominus Deus: In Aegyptum deſcendit populus meus in principio, vt Colonus eſſet ibi: & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Et nunc quid mihi eſt hic, dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis? Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomē meum blaſphematur.* Promittit libertatem populo ſuo tum à captiuitate Babylonica, tum etiam à ſeruitute peccati. Et





per Aſſur populum Aegypti deſignat, qui ex Aſſyrijs fuit oriundus, vnde Ezech. 31. Aegyptij Aſſyrij dicuntur. Poteſt etiam per Aſſur Rex intelligi Aſſyriorum, & eius exercitus, qui poſtea infeſtiſſimi fuerunt filijs Iſrael. & vbi nos legimus, *calumniatus*, &c. Chald. habetur, *oppreſſit eū.* Argumentatur ergo à minori ad maius in hunc modum. Si Dominus in Aegyptios animaduertit, quod acerbè, & inique populum ſuum tractauerint, opprimendo illum operibus duris luti, & lateris; multo magis puniet Chaldæos, qui crudeliter in ipſum ſæuierunt: nam imperiū Pharaonis in Iudæos fuit ortum ex cauſa iuſta, eo quod Iacob ſpontè in Aegyptum cum ſua familia deſcendit, & ſubditus effectus eſt poteſtati Pharaonis, qui ob beneficium à filio ſuo Ioſeph acceptum, regionem illi amplam dedit. Poſtmodum vero ſucceſſores Pharaonis extiterunt ingrati, & immemores Ioſeph, atque accepti ab illo beneficij totam poſteritatem varijs modis afflixerunt. Sed longe indignius facinus fuit Chaldæorum, qui debellantes iniquè filios Iſrael, & à proprijs eijcientes, in duram ſeruitutem rapuerunt. Si igitur Aegyptios ingratos puniuit Dominus; an non vlciſcetur in Chaldæos crudeles? non obſtitit Pharao, quamuis legitimus eſſet Dominus terræ Aegypti, an violenti prædones mihi obſtabunt? Ex vtraque autem captiuitate, à qua miſericorditer eripuit filios Iſrael, vult principaliter ſpem noſtram erigere, vt credamus & ſperemus firmiter, ipſum verè eſſe Redemptorem, qui nos liberabit à ſeruitute peccati, quæ verè ſeruitus eſt

Peccati ſeruitus ē vera captiuitas.

dicenda, & iniqua ſeruitus: nam diabolus nullum habet ius in animas, ſicut nec Babylonij habuerunt in corpora. Gratis peccatores ſe tradiderunt diabolo, & à legitimo Domino in poteſtatem tyranni propria ſe voluntate tranſtulerunt, cùm non poſſent dominium ſui à primo Domino auferre, & alteri tradere. Vnde cū liber eſſet homo, propria volūtate ſeruus factus eſt: nam *qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati.*

Ioan. 8. d

Iuxta quod Apoſtolus ait. *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.*

Rom. 6.

* *O miſerabilis ſeruitus, plerumq; homines cum dominos malos patiuntur, venales ſe petunt, non quærentes Dominum non habere, ſed ſaltem mutare: ſeruus peccati quid faciet? quem interpellet? Apud quē ſe venalem petat? Deinde ſeruus hominis aliquādo ſui domini duris imperijs fatigatus, fugiendo requieſcit: ſeruus peccati quo fugiet? ſecum ſe trahit quocumque fugerit, non fugit ſeipſam mala conſcientia, non eſt quo eat, ſequitur ſe, immo non recedit à ſe, peccatum enim quod facit, intus eſt. Fecit peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem, voluptas tranſit, peccatum manet, præterit quod delectabat, remanſit quod pungat: mala ſeruitus. Ad Chriſtum omnes fugiamus, contra peccatum Deum interpellemus: venales non petamus, vt eius ſanguine redimamur, Dicit enim Dominus: Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini: ſine pretio, ſcilicet veſtro, quia meo. Hoc Dominus dicit, ipſe enim pretium dedit, non argentum, ſed ſanguinem ſuum: nam nos & ſerui & egeni remanſeramus. Liberat ergo ab hac ſeruitute ſolus Dominus: qui illam non habuit, ipſe de illa liberat, ſolus enim in hac carne venit ſine peccato: nam quos videtis in ma-*

*Aug. tra. 41. in Ioa. to. 9.

*nibus matrum paruulos fieri, nondum ambulant, & iam ſunt compediti, traxerunt enim de Adam quod ſaluatur à Chriſto. Pertinet etiam ad ipſos cum baptizantur iſta gratia, quam Dominus pollicetur, quia de peccato ſolus liberare poteſt, qui venit ſine peccato, & factus eſt ſacrificiũ pro peccato.* Ait ergo Saluator. *Et nunc quid mihi eſt hic, dicit Dominus?* Quare hominem à captiuitate peccati non libero, ſicut à ſeruitute Pharaonis liberaui? Blaſphematur nomen meum iugiter, quia non libero populum meum. Septuaginta. *Propter vos nomẽ meum blaſphematur in gentibus ſemper.* Vt quid ergo immoror? quare ad liberandum hominem non deſcendo? Maximum affectum dilectionis erga nos oſtendit, qua nos viſitauit oriens ex alto. Non enim patiebatur eximia Dei charitas, hominem ſub peccato videre captiuum, & illum ſolum relinquere. Vnde & ſubditur.

Chriſti affectus erga homines.

Vide circa hoc ſupra ca. 18. n. 8.

5 *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Ideſt quia multas patitur calumnias populus meus, *ego* veniam & liberabo eos. Non mittam Prophetam, non angelum, ſed *ego ipſe qui loquebar*, & ſalutem repromiſeram infirmis, & libertatem captiuis, *Ego ipſe* adero & conuerſabor cum illis, *Ego* ero vobiſcum Deus, vnde & Emanuel dictus eſt. Inique agebant dominatores populi Iſraelitici, Aegyptij videlicet, & Babylonij, ſupplicijs afficiebant captiuos, alligando eis onera grauia & importabilia. ibi erat crudelitas hoſtium, & humanarum imbecillitas virium, quæ omnia figura erant & ſigna captiuitatis, qua princeps huius mundi ſibi per peccatum ſubiecerat vniuerſum; at Dei filius, *Ecce*

Filius Dei vt nos redimeret, nõ angelũ miſit, ſed ipſe venit.

inquit, *adſum*, *Ego* affuturus ſum in carne mortali, & non propter merita veſtra, ſed propter bonitatem meã redimam vos, vt ſciatis nomen meũ. *Ego ipſe* ſuperbiam comprimam aduerſariorum veſtrorum, & eorũ crudelitatem diſſipabo, ac vobis vires efficaciſſimas tribuam, ne aduerſus vos præualere valeant. Conſonat hic locus verbis Apoſtoli dicentis. *Multifariam multiſq. modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Quod enim per Prophetam inquit. *Ego ipſe qui loquebar*, Apoſtolus explicat. *Multifariam multiſq. modis olim Deus loquens patribus in prophetis*, & quod ille ait, *Ecce adſum*, hoc deſignant verba illa, *Nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio*. Ait ergo: *ego qui loquebar multifariè, multiſque modis*. ego qui redemptionem populo meo promiſeram, *Ecce adſum*. Vbi obſeruandum, quod illud aduerbium, *Multifariè*, (vt interpretatur Anſelmus) ad varios modos loquendi per verba refertur. Aliquando enim loquebatur Deus per verba propria; aliquando verò per metaphoram, qua ſæpe vſus eſt Spiritus ſanctus in ſacro eloquio. nam (vt ait S. Thom.) *Deus omnibus prouidet ſecundum quod competit eorum naturæ: eſt autem naturale homini, vt per ſenſibilia ad intelligibilia veniat: quia omnis noſtra cognitio à ſenſu initium habet. Vnde conuenienter in ſacra ſcriptura traduntur nobis ſpiritualia ſub metaphoris corporalium, & hoc eſt, quod dicit Dionyſius primo capitulo cæleſtis hierarchiæ: Impoſſibile eſt nobis aliter lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum*

Heb. 1. a

Anſelm. ſup. cap. 1. Hebr.

S. Th. 1. p. q. 1. ar. 9. in corp.

Senſibilia ducit hominem ad cognitionẽ ſpiritualiũ

Dion. ca. 1. cæle. hier. circa med.





*laminum reuelatum.* Aliquando loquebatur blandiens, vt amore ad Diuina præcepta obſeruanda nos alliceret, aliquando mutans vocem loquebatur, terrens, vt metus pœnarũ à peccatis arceret, quos amor emollire non potuit. Nec ſolum *multifariè*, ſed etiam *multis modis* loquebatur olim, quod ad diuerſos modos loquendi per res exteriores refertur, hos varios modos loquendi Oſeas tetigit, dum ait. *Et loquutus ſum ſuper prophetas, & in manu prophetarum aſſimilatus ſum.* Quem locum ſancti Doctores interpretantur de Chriſto, qui in diuino eloquio per miniſterium prophetarum fuit rebus multis aſſimilatus, nunc agno Iſaiæ 26. *Emitte agnum domine dominatorem terræ.* nunc vermiculo, Pſal. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* nunc paſtori, Iſaiæ 40. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet.* His & alijs quam pluribus rebus ſenſibilibus aſſimilatus eſt Chriſtus in veteri teſtamento, vt omnibus ſimul aliquo modo eius excellentia nota fieret hominibus. Nunc autem omnes varios loquẽdi modos vnico verbo abſoluit, cũ ad nos veniens dixit *Ecce adſum*. cum aperiens os ſuum docebat diſcipulos ſuos, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, &c.* Quod ſatis apertè expreſſit qui dixit. *Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Et notandum valde cum B. Anſelmo quod non ſine magno myſterio coniunxit Apoſtolus tempus præteritum cum præſenti, dicens, *olim loquens*, olim quippe aduerbium eſt, tempus præteritũ importans, loquens, verò eſt participium

Chriſtus multis rebus aſſimilatur p prophetas.

Oſeæ 12.

Iſai. 26.

Pſal. 21.

Iſai. 40.

Matt. 5. a

Baruch. 3.

Anſelm. ſuper ca. 1 ad Hebr.

pium præſentis temporis, vt ſciamus quoniam verba, quæ Deus patribus per prophetas loquutus eſt, omnia etiam nobis vſque in præſentem diẽ loquitur in ſcripturis, vt ſicut ipſi, ita & nos, eadem credendo, atque opere complendo, vitam cõſequamur æternam. *Omnia quæcumque ſcripta ſunt* (ait Apoſtolus) *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patiẽtiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Vnde & ſapientia ipſa de ſe loquens, ait. *Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam, & non deſinam in progenies illorum vſque in æuum ſanctum.* Et iterum. *Adhuc conſiliabor, vt enarrem.* Adhuc inquit, quoniam non ſolum olim diuina ſapientia antiquis patribus loquebatur in prophetis, ſed *adhuc* loquitur, & vſque in finem ſeculi loquetur, vt ex eiſdem verbis, quibus patribus locutus eſt *olim* fidei Chriſtianæ veritas comprobetur, & credamus, veniſſe iam, & adeſſe, qui *multifariè, multiſq. modis loquebatur*.

Scriptura ſacra oĩbus loquitur.

Rom. 15

Eccliſ. 24.

6 *Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus.* Verba hæc, (vt notauimus ſupra), de Apoſtolis ſunt ad literam intelligenda, & de prædicatoribus Euangelij, qui bonum nuncium attulerunt mundo, annunciantes iam aduenisse Saluatorem, & pacem nobis attuliſſe, & regnaſſe ſuper nos, principe tenebrarum deuicto. Cum enim aduentum prædixiſſet Redemptoris noſtri, æquum erat, vt ſermonem de nuncijs, & præcurſoribus illius inſtitueret, de illis videlicet, quos Chriſtus Dominus *miſit binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem,*

cap. 7. n. 19

Prædicatorum pedes quam ſpecioſi.

Luca 10 a

*tem, & locum, quo erat ipſe venturus.* Sic explicat iſtum locum Apoſtolus Rom. 10 ad Rom. 10. *Quomodo* (inquit) *credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt niſi mittantur?* Sicut ſcriptum eſt: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, ſed non omnes obediunt Euangelio.* Vbi prædicta verba explicat de prædicatoribus Euangelij, de quibus etiam dicitur. Nahū. 1 Nahum. 1. *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem.* Ait ergo *quam pulchri, &c.* Quaſi dicat, fœlix atque dignitatis eximiæ erit ille, qui tam læta annunciauerit vniuerſo mundo, qui rem tot retro ſeculis expectatã prædicauerit. 1. Tim. 4 e *Fidelis ſermo* (inquit Apoſtolus) *& omni acceptione dignus, quia Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Quid magis gratum poterat nunciari, quàm ſalus infirmis, venia peccatoribus, pax inimicis, & libertas captiuis? Quod ergo ait, *quam ſpecioſi pedes:* (vt explicat ſanctus S. Thom. ſuper c. 10. ad Rom. lect. 2. Thomas) dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt per pedes intelligãtur eorum greſſus, quia ſcilicet ordinatè procedunt, non vſurpantes ſibi prædicationis officium. Canticorum Cant. 7. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis.* Alio modo poſſunt intelligi per pedes affectus, qui rectitudinem habẽt, dum non intentione laudis, aut lucri verbum Dei annunciant, ſed propter hominum ſalutem, & Dei gloriam: Ezech. 1 Ezech. 1. *Pedes eorum pedes recti.* Poteris etiam per pulchritudinẽ pedũ, ſummam vitæ ſanctitatem intelligere, qua Euangelij prædicatores pollere debent, ita vt non ſolum caput ſit mundum, ſed etiam pedes, qui terram contingunt. Propter quod Chriſtus Dominus diſcipulorũ ſuorum pedes lauit, vt eos admoneret, Euangelium mundos etiam pedibus miniſtros requirere, vnde & Petro dicenti: *Domine non tantum pedes* Ioan. 13 a *meos, ſed & manus & caput:* Reſpondit Dominus. *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet,* (ideſt) extremam corporis partem, quæ magis expoſita eſt periculo, & facilius ſordibus maculatur. Adiunxit autem propheta, *ſuper montes*, nam Euangelium ita aperte eſt prædicandum, ita clare & diſtincte, vt ab omnibus audiri poſſit & intelligi, nam qui ſuper montes clamant, latè audiuntur. Sicut enim Chriſtus *veniens euange-* Epheſ. 2 *lizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem ijs qui prope*, ita & prædicatores Euangelij alta voce annunciare debent pacẽ, vt ab ijs qui prope, & ab ijs qui longe ſunt audiantur. Vnde & ſuperius ait. *Super montem* Iſa. 40. b *excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem: Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda; Ecce Deus veſter. Noli timere* (inquit) libere & aperte prædica veritatem, non taceas timore, aut vanis pollicitationibus coactus. Denique *ſuper montem* prędicaturus aſcendit, qui in culmine perfectionis conſtitutus atque diuinarum ſcripturarum ſpeculator factus, Chriſtum annunciat, vt ſuperius diximus. Sup. c. 40 nu. 18. ſupra montes prædicat, quia & Chriſtus legem daturus Euangelicam, ſuper montem aſcendit, quia viam excellentiorem nobis demonſtrauit.

7 *Prædicantis pacem.* Tangit his verbis prædicationis materiam, *quæ quidem* (vt ait ſanctus Thomas) S. Th. cap. 10. ad Rõ. lect. 2. *eſt duplex. Prædicant enim ea quæ ſunt vtilia ad vitam præſentem, quod deſi-*



*deſignat, cum dicit, euangelizantium pacem, ſcilicet triplicem. Primo quidem annunciant pacem, quam Chriſtus fecit inter homines & Deum.* 1. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum recõcilians ſibi.* Rom. 5. *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pacem habeamus per Ieſum Chriſtum ad Dominum. Secundo, annunciant pacem habendam cum omnibus hominibus.* Rom. 12 *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes. Tertio, annunciant ea per quæ homo poteſt habere pacem in ſemetipſo.* Pſ. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam ait Proph. Et ſub his tribus continẽtur omnia quæ in hac vita ſunt utilia ad ſalutem, vel quantum ad Deum, vel quantum ad proximum, vel quãtum ad ſeipſum. Prædicant etiam ea quæ ſperamus habere in alia vita, & quantum ad hoc dicit, euangelizantium bona.* Poteſt etiam per *pacẽ*, Chriſtus intelligi, quem annunciauerunt Apoſtoli. Eph. 2. c *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Et conſonat hæc explicatio cum textu Hebraico, vbi in ſingulari habetur. *Annunciantis bonum;* & ita transfert editio vulgata, quamuis Septuaginta interpretes vertãt in plurali *euangelizantis bona;* Orig. in præfatione ſup. Ioann. Vbi Origenes, per *bonum*, Chriſtum intelligit, quem qui euangelizat, omnia bona annunciat, ſeu bonum per eſſentiam, ipſe eſt enim ſummum bonum, omnia cõtinens bona, quoniam in ipſo *inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Coloſſ. 2. b Idem ſignificant verba ſequentia, *prædicantis ſalutem*, ideſt, Ieſum, ſeu Saluatorem. Sic enim habetur Hebraicè, vt notauit Euſebius Euſeb. li. 6. demonſtr. Euãgelica cap. 24. Cæſarienſis. Chriſtus eſt ſalus noſtra, vt ſæpius tradit Scriptura. potiſſime Actor. 4 Actorum 4. *Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

8 *Dicentis Sion, regnabit Deus tuus,* Sion eſt vocatiui caſus, ac ſi dicat: O Sion. Poteſt etiam eſſe datiui dicentis Sioni, videlicet Eccleſiæ Catholicæ. Regnabit Deus tuus. hoc eſt, Chriſtus, de quo Angelus Gabriel ad Virginem loquens ait. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Luca 1. Regnauit (vt inquit Apoſtolus,) *mors ab Adam* Rom. 5. a *vſque ad Moyſem etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.* Venit Chriſtus, & deſtruxit eum qui habebat mortis imperium, *vt ſicut regnauit peccatum in mortẽ:* Ibid. d *ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hoc ergo eſt bonum nuncium quod *Sion* (ideſt) Eccleſiæ annunciauerunt Apoſtoli. *Regnabit Deus tuus;* non iam peccatum regnabit in veſtro mortali corpore, non dominabitur vobis diabolus, nam princeps huius mundi eijcietur foras; ſed regnabit in vobis Dominus Deus veſter & corda fidelium gubernabit. Cui conſonat illud Pſalmiſtæ. *Regnabit Dominus in* Pſ. 145. *ſecula, Deus tuus Sion in generatione & generationem.* Chald. pro Regnabit. habetur: *Reuelatum eſt regnum Dei tui.* Rex erit manifeſtus. non iam ſub velamine, nec ſub vmbris legis antiquæ.

9 *Vox ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.* Prædicabunt, inquit, alta voce Apoſtoli, non ſolum quæ à longe videntur, vt ſpeculatores faciunt; ſed quæ viderunt ipſi proprijs oculis, & contrectauerunt manibus ſuis. Vnus ex ſpeculato-

culatoribus iſtis nomine omniũ aliorum ait. 1. Io. 1. a *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto.* 2. Pet. 1. e Alius clamat. *Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam; ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* Leuantes vocem *ſimul laudabunt*, quia cum magno gaudio, atque mentis iubilo annunciabunt Chriſtum, cuius oculos proprijs oculis viderunt, non ſolum in vita mortali, ſed etiam poſtquam ſurrexit à mortuis. Audi vocem *ſpeculatorum* (ideſt) Apoſtolorum, qui ad ſe ingredientẽ Chriſtum ianuis clauſis viderunt. Ioan. 20 *Vidimus*, inquiunt, *Dominum*. Et iterum: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Præ gaudio enim nihil aliud dicere poterant aut repetere, niſi quod oculo ad oculum viderant. Ipſi laudauerunt ſimul, qui ſimul congregati confeſſi ſunt Chriſtum Dominum à mortuis ſurrexiſſe. Hinc primum collige, laudes Diuinas eò eſſe magis gratas Deo, quò à pluribus in vnũ congregatis procedunt. Vbi obſerua, quod cum in plurali ſpeculatores nominauerit, & in plurali dixerint, *ſimul laudabunt*, vocem tamen in ſingulari poſuit: *Vox* (inquiens) *ſpeculatorum tuorum leuauerunt vocem. Vocem* (inquit) non, voces, quoniam vno ſpiritu, vno ore laudare cõdecet Deum, ita vt, cum plures ſint,

Laudãdus Deus vno ſpiritu.

vnius tantum vox audiri videatur. Vnde & Ioannes, cum vidiſſet agnũ, *& cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius ſcriptum in frontibus ſuis*, vnam vocem omnium ſe audiſſe teſtatur. *Et audiui* (inquit) *vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam tonitrui magni: & vocem quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi cãticum nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores.* Apoc. 14 a Aut vero ideo dixit, leuauerunt vocem, quoniam eandem veritatem, idem Euangelium, eundẽ Chriſtum annunciauerunt Apoſtoli, quod & facere tenentur eorum ſucceſſores, atque alij viri Apoſtolici, quos alloquens Paulus ait. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt idipſum dicatis omnes, & nõ ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* 1. Cor. 1. b Collige ſecundo, quod viri Apoſtolici hæc duo ſimul debent coniungere in ſeipſis, videlicet prædicationem Euangelij, & Diuinas laudes, vt ſimul doctorum & Angelorum officium exerceant, vtrumque enim in præſenti coniunxit Iſaias, *Vox*, inquit, *ſpeculatorum.* Ecce doctorum officium. *ſimul laudabunt.* Ecce munus Angelorum. Vnde non ſunt audiendi, ſed nec tolerandi qui dicunt, contemptibiles in Eccleſia atque inutiles, qui alios docere non poſſunt aut inſtruere, eſſe choro deputandos, atque Diuinis laudibus, quaſi hoc munus eſſet alienum à viris perfectis & Apoſtolicis, cum tamen ab antiquis temporibus, nullus perfectam doctoris Euangelici fuerit vitam conſequutus, qui non ſimul prædicationi, & doctrinæ laudes aſſociauerit diuinas. Petrus ſummus



mus Eccleſiæ paſtor & doctor, atque Ioannes occupatiſſimi erant in conuertendis & erudiẽdis populis, atque animarum ſaluti deditiſſimi, & tamẽ Act. 3. a aſcendebant *in templum ad horam orationis nonam*, & ſuis temporibus in diuinis occupabãtur laudibus, memores Regis ſancti Dauid, qui curis regni laudes aſſociabat diuinas: ait Pſ. 118. enim. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* Pſ. 54. e Et iterum: *Veſpere & mane, & meridie narrabo & annuntiabo.* Et rurſus: *Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Lege ſupradicta cap. 6. nu. 13. Pro, *ſpeculatorum*, vertunt 70. *cuſtodum*, Chald. *gubernatorum*, quia Prælati, atque omnes prędicatores Euangelij, cuſtodes vineæ Dominicæ, & gubernatores fidelium oportet vt ſint. Quod autem ait, *cum conuerterit Dominus Sion*; idem eſt ac ſi diceret, cum proprio ſanguine redemerit Sion & ſaluauerit, vt ex verbis ſubſequentibus conſtat.

10 *Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem.* Prouocat ad laudem loca deſerta Ieruſalem, per quæ gentilitatem intelligit, ſicut inferius, cum Iſa. 54. a ait: *quia multi filij deſertæ, magis quam eius quæ habebat virum.* Et gaudij cauſam eſſe ait, quia videlicet Chriſtus Dominus redemit Ieruſalẽ, non illam carnalem, quæ quadraginta annis poſt paſſionẽ Domini euerſa eſt, ſed ſpiritualem, per quam Eccleſiam ſuam intelligit. Vbi obſerua, quod eandem rem, ob ſui magnitudinem, diuerſis nominibus explicat. Quod enim in verſu præcedenti dixerat: *Cum conuerterit Dominus Sion*, hoc in præſenti vocat conſolationem populi ſui, & redemptionem

Ieruſalem Eccleſiam deſignat.

Iſrael. Gloſſa interlinearis, per *deſerta Ieruſalem*, reliquias intelligit Iudæorum, Apoſtolos videlicet, & alios paucos, quos ſuperius idẽ propheta *reſiduum* dixit. Iſa. 46. a Gloſſa ordinaria inquit, per hæc verba prophetam cõſolari primitiuam Eccleſiam, ad quam, excæcatis Iudæis, in locum eorum gentes ſubintrauerunt. quæ explicatio eſt valde conformis contextui. Subditur enim.

11 *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium: Et videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Septuaginta interpretes, *reuelauit* (inquiunt) *Dominus brachium ſanctum ſuum in conſpectu cunctarum gentium. Et videbunt omnes fines terræ ſalutem, quæ eſt à Deo noſtro.* Quibus verbis ſignificat propheta, Deum manifeſte, & non in abſcondito liberaturum populum vniuerſum, nec concludendam eſſe ſalutem in Iudæa, ſed extendendã vſque ad fines terræ. Vnde & per Pſalmiſtam ait: Pſ. 97. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Notum fecit* (vt ait Auguſtinus) *ipſum brachium, ipſam dexteram ipſum ſalutare, ideſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. De quo dictum eſt. Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Lucæ 3. & 2. *De quo etiam dixit ille Simeon, qui infantem accepit in manus. Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum. Cui notum fecit? parti, aut vniuerſo? non parti alicui. nemo fallat, nemo decipiat, nemo dicat: ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic.* Mat. 24 *Qui dicit, ecce hic eſt, ecce illic, partes oſtendit. Cui notum fecit Dominus ſalutare ſuum? Audi quid ſequitur: Ante conſpectum gentium* reuela-

Brachium parare qd ſit.

Aug. ſuper eumdem tom. 8.

Salutare Dei viſum eſt, quando Chriſtus in terram deſcẽdit.

*reuelauit iuſtitiam ſuam. Dextera Dei, brachium Dei, ſalutare Dei, & iuſtitia Dei, Dominus eſt Saluator noſter Ieſus Chriſtus.* Ad hunc locum videtur alluſiſſe ſanctus Simeō, cum poſt verba inducta ſubdit: *Quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentiū, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Vbi expreſſum vides verbum, parauit, quo vſus eſt Iſaias, vt ſignificaret, non ex proprijs meritis, ſed ex Dei miſericordia hanc proceſſiſſe ſalutem. Iuxta quod Apoſtolus ait. *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt nequis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Vbi, *præparauit*, idem ſignificat, quod ante parauit, ante ſecula omnia, ante omne opus bonum noſtri arbitrij, etiam præuiſum, ne glorietur omnis caro coram illo.

*Eph. 2. b* Opera noſtra nō prę cedunt gratiā, quæ ſola Dei miſericordia datur.

12 *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini.* Hæc verba diuerſimode à doctoribus interpretantur. Primo, ita, vt ſit quædam vox Apoſtolorum, quos ſuperius ſpeculatores nominauit, adhortantium fideles, vt Babylonem ſpiritualem relinquant, & veterem hominem deponant. *Recedite,* inquiunt. Nec ſatis erat, hoc ſemel dixiſſe, ſed iterum atque iterum id ipſum repetit, vt maximum periculum ex prauorum hominum conſortio illis imminere deſignet. Quod & per Hieremiam clarius admonet, dicens: *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini. & eſtote quaſi hædus ante gregē.* Et Ioānes Euāgeliſta idipſum explicuit, dū ait. *Nolite diligere mundū, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo: quoniā omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius.* Non ſit vobis conſuetudo cum pollutis, & impijs, cum ſceleratis, & idolis ſeruientibus, ne inquinemini ab eis. Hunc locum Iſaiæ commentari videtur Apoſtolus, ſcribens ad Corinthios. *Nolite iugum ducere cū infidelibus. quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erūt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Et iterum ait: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Et ſi noſſe deſideras, quid ſit non communicare operibus infructuoſis tenebrarū; quid ſit recedere inde, & pollutum non tangere; audi Auguſtinum. *Duobus modis,* inquit, *non te maculat malus, ſi ei non conſentias, & ſi redarguas: hoc eſt non communicare, non conſentire. Cōmunicatur quippe, quando facto eius conſortium voluntatis, vel approbationis adiungitur: hoc ergo admonens Apoſtolus ait: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem, & redarguite. Et quia parum*

*Hiere. 50. b*

*1. Io. 2. c*

Res humanæ & cæleſtes non ſe compatiūtur ſimul.

2. Cor. 6. c

Societas improba fugienda.

*Epheſ. 5*

Boni quādo à reprobis nō maculentur.

Aug. ſerm. 18. de verb. Domini circa finē to 10.

Pollutum non tāgere quid ſit.

*erat*



*erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, magis autem, inquit, & redarguite. Vide te quemadmodum vtrumque complexus eſt, nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid eſt, nolite communicare? nolite conſentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid eſt, magis autem & redarguite? Reprehendite, corripite, coercete,* & paulo inferius. *Quomodo ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire & recedere iubemur, ne tangamus immūdum? nos iſtam receſſionem ſpiritaliter intelligimus, illi corporaliter. nam & ego clamo cum propheta: & qualiacumque ſumus vaſa, vtitur nobis Deus in diſpenſatione veſtra. Clamamus & nos & dicimus vobis. Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis, ſed contactu cordis, non corporis. Quid eſt enim tangere immundum, niſi conſentire peccatis? quid eſt autem exire inde, niſi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro vniuſcuiuſque gradu atque perſona ſalua pace fieri poteſt? Diſplicuit tibi quod quiſque peccauit, non tetigiſti immundum. Redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exigit, congruam, & quæ vanitate non violet diſciplinam, exiſti inde.* Et in fine eiuſdem ſermonis ſic concludit. *Si ergo, fratres mei, quotquot habebitis inter vos, qui adhuc amore ſæculi pergrauantur, auaros, periuros, adulteros, ſpectatores nugarum, conſultores mathematicorum, phanaticorum, augurum, auſpicum, ebrioſos, luxurioſos, quidquid inter vos malorum eſſe noſtis, quantum poteſtis improbate, vt corde recedatis, & redarguite, vt exeatis inde, & nolite conſentire, vt immundum non tangatis.* Septuaginta pro, *mundamini,* vertūt, *ſeparamini,* ſcilicet à peccatis & peccatoribus. in quo ſanctitas notatur qua pollere debent altaris miniſtri, ſic Chriſtus dicitur *Segregatus à peccatoribus.* Chald. habetur, *electi eſtote,* & in idem redit, eligitur enim id quod eſt optimum.

Peccatores à iuſtis arguendi.

13 Hinc collige, non eſſe tutum cum ſcorpionibus habitare, & cum peruerſis hominibus conſuetudinem ducere; nam *modicum fermentum totam maſſam corrumpit,* & cū peruerſis peruertuntur multoties etiam ſancti. propter quod ſapiens tale nobis præbet conſilium. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo: ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalū animæ tuæ.* Magnum miraculum reputauit Scriptura, quod filij Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio mari; ſed vt notauit Baſilius, Opus maiori admiratione dignū eſt, quod iuſtus in medio nationis prauę, atque peruerſæ tutus viuat ſine macula, & in medio peccatorum incedentē nulla libidinis vnda reſpergat. De quo plura diximus ſupra. Collige ſecundo, quanta diligentia & ſollicitudine velit Dominus nos præcauere peccata, ſiquidem non ſolum prohibet ne immunda faciamus, ſed etiam ne tangamus immunda, nec appropinquemus illis, ſed longe ab eis recedamus. quod & ſanctus Chryſoſtomus aduertit. *Et non dixit* (inquiens) *ne facito immunda, ſed maiorem diligentiam requirens dicit: ne tetigeritis neque appropinquaueritis. Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Et qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Solo tactu mundus immundos reddit homines: quapropter recedere

Cum peccatoribus habitare, quam periculoſum ſit.

*Prouer. 22.*

Baſil. ho. 6 ſuper c. 16 Exod to. 1.

Sup. cap 6. nu 20. cap. 23. nu. 3.

Chryſ ho. 13. ſuper ſecūdā epiſt. ad Corin. poſt med.

*Eccli. 13 a*

*Ibid. 34 d*

dere

dere debet ab illo, qui mundus apud Deum eſſe deſiderat. In cuius ſignũ tactus rerum immundarum, ſicut erãt cadauera mortuorum, mẽſtruatæ fœminæ, & à beſtijs occiſi, prohibebatur in lege, alioqui tangentes ea iudicabantur immundi. quæ omnia immunditiam ſignificabãt peccati, à qua valde remotos nos vult eſſe Dominus. Quãplurimi ſancti inter peruerſos cohabitantes, vix vnum peccatorem ſanctificant; & vnus impius, plures ſanctificatos coinquinat. *Factum eſt enim verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: interroga ſacerdotes legem, dicens: Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid ſanctificabitur? Reſpondentes autem ſacerdotes, dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur. Et reſpondit Aggæus, & dixit: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meã, dicit Dominus, & ſic omne opus manuũ eorum: & omnia quæ obtulerũt ibi, contaminata erunt.* Quæ verba exponens Auguſt. *Tactus* (inquit) *ille opera ſignificat. Si ſãctus, inquit, tetigerit immundum, non ſanctificabitur, ſi immundus tetigerit ſanctũ, inquinabitur, ideſt facilius ſanctus, qui iunctus fuerit genti huic peſſimæ peſſimatur, quàm gens iſta in melius cõmutatur, quia procliuius ad imitationem malorum curritur, quam ad virtutes bonorum animus excitatur, ſicut melli plurimo parum abſinthij iniectum, velocem amaritudinem trahit, mellis verò etiam ſi duplum*

*Aggæi. 2*

Aug. lib. cont. Fulg. Donatiſt. cap. 16.

*inijciatur, non poterit eius obtineri dulcedo. Exeundum ergo nobis eſt è medio malorum mẽte, non carne: operibus, non corporibus.*

14 *Recedite, &c.* Secundo explicatur iſte locus de Apoſtolis: ita vt Chriſtus Dominus ad eos ſermonem conuertat, & ſenſus ſit. *Ego elegi vos, & poſui, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat:* Ego præcepi vobis, *in viam gentium ne abieritis,* quia *non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael* prędicate illis & annunciate ſalutem: at poſtquam excæcati ſunt filij Iſrael & obdurati, nec volunt vos audire, ſicut nec me audierunt, *recedite, recedite* ab eis, relinquite illos: & *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Sic interpretatur iſtum locum Tertullianus, & Adamus Saſbout Delphius, & nonnulli alij expoſitores, quorum explicationi conſonat illud, quod Paulus & Barnabas dixerunt Iudæis. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus.* Tertiò explicatur hic locus de filijs Iſrael exiſtentibus in captiuitate Babylonis, quibus recedendum eſſe aliquando ab illa captiuitate denunciat, interim eos admonens, ne idolis gentium, ac prauis eorum moribus inquinentur. Sic interpretantur Hebræi; ſed prima & ſecunda interpretatio eſt magis cõmunis inter patres, & potiſſimè ab Iſaia intenta, qui ſub nomine captiuitatis Babylonis, tyrannidem (vt ſupra diximus) deſcribit peccati, à qua gratia Dei nos per Ieſum Chriſtum liberauit.

*Ioa. 15. e* — *Mat. 10 a* — *Mat. 15 c* — *Mat. 28* — Tertull. li. 3. aduerſ. Marcionẽ. Adamus Saſbout. — *Act. 13. g*

Apoſtolis vt à Iudæis recedant præcipitur

15. *Mundamini qui fertis vaſa Domi-*



*Domini.* Hebræi explicant hæc verba de vaſis templi, quæ adducenda erant in Hieruſalem, captiuitate Babylonis ſoluta: quaſi dicat: Videte & attendite, vt portaturi ex Babylone vaſa templi, mundi ſitis, quandoquidem Balthaſar abutens illis, atque in profanos vſus conuertens interijt vna nocte. Sed multo melius hæc intelligũtur de Apoſtolis & prælatis Eccleſiæ, de prædicatoribus & miniſtris Euangelij, quos mundos vult eſſe Dominus, vt aliorum ſordes abſtergant. Sic explicat ſanctus Gregorius. *Vaſa* (inquit) *Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna ſacraria perducendas in ſuæ conuerſationis fide ſuſcipiunt. Apud ſemetipſos ergo quantũ debeant mundari conſpiciant, qui ad æternitatis templum vaſa viuentia in ſinu propriæ ſponſionis portant. Hinc diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligantibus imprimatur: quatenus ſacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ poſſideant, ſed ratio ſola conſtringat, ne indiſcretum quid vel inutile cogitet: qui eſt ad exemplum alijs conſtitutus, ex grauitate vitæ ſemper debet oſtendere, quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim nomina Patriarcharum deſcribantur. Aſcriptos etenim patres ſemper in pectore ferre, eſt antiquorum vitam ſine intermiſſione cogitare. nam tunc ſacerdos irreprehẽſibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indeſinenter intuetur, cum ſanctorum veſtigia ſine ceſſatione conſiderat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat.* Portant etiam *vaſa Domini* ſacerdotes, quoniam ſeptem Eccleſiæ ſacramenta,

Vaſa Domini portantes mũdetur priꝰ.

Cõfeſſarij, & prædicatores, qui aliorũ ſordes tergũt, non ſint immundi.

Greg in 2. parte curæ paſtor. c. 2. tom. 1.

*Exod. 28.*

Rationale iudicij in pectore Aaron quid ſignificet.

Sacerdotes vaſa Dñi portant, id eſt ſeptem Eccleſiæ ſacramenta.

quæ velut totidem vaſa oleum Diuinæ gratiæ continent, & eam digne ſuſcipientibus conferunt, populo adminiſtrant: Aut vero quoniam electi ſunt, vt portent nomen Chriſti per vniuerſum mundum; ſicut vni illorũ dictum eſt. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael.* Et quoniam mortaliter peccant, qui ſacramenta nouæ legis in peccato mortali adminiſtrant; ideo admonentur ſacerdotes, vt mundentur prius, ne, dum alios mundant, ſeipſos deturpent. Præterea etiam *vaſa Domini,* vt docet Chryſoſtomus in illa verba Dauid. *Quis ego ſum,* ſunt omnes fideles pleni Dei gratia, qui Deũ portant in cordibus ſuis: omnibus enim dixit Apoſtolus. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Et ſpeciali quadam ratione vaſa Domini, ſunt electi, & vaſa in honorem facta; quoniam prædeſtinati ſunt in adoptionem gloriæ filiorum Dei; his ergo ait. *Mundamini,* ſanctificamini, ſicut & ſupra dixerat. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, &c.* Mundandi ergo ſunt, qui portant illum ante cuius conſpectum cælum ipſum non eſt mundum, nec ſtellæ. Scriptum eſt enim. *Quid eſt homo, vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere? Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in cõſpectu eius.* Et iterum. *Numquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ nõ ſunt mundæ in conſpectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Hinc & Ioannes Euangeliſta nos admonet, dicens: *Qui iuſtus*

*Act. 9. c*

Sacramẽta adminiſtrãtes in peccato .m. peccant m.

*2. Cor. 4 b*

Iuſti ſunt vaſa Dñi

*Iſai. 1.*

Mundus nullus eſt in conſpectu Dei.

*Iob 15. b* — *Iob 25. a*

*Apoc.22 c* *ſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc*. Hinc & Apoſtolus ait: *Neſcitis quia templum* *1.Cor.3.* *Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis* *1.Cor.6. d* vos. Et iterum: *An neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore* *Vaſa Dñi, ſimr Dñi ign ficāt.* *veſtro*. Alij denique per *vaſa Domini*, intelligunt arma Domini, illa videlicet, quibus Apoſtolus armatos vult eſſe fideles, dum ait: *Propterea* *Eph.6. c* *accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite: & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*

16 *Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael*. Reddit rationem eius quod ſupra dixerat: *Recedite, recedite, exite inde*. Et iuxta explicationem S. Hieronymi, ſenſus eſt: Recedetis quidem à Ieruſalē ô Apoſtoli, non vt victi à Iudæis, ſed vt victores, excutientes puluerem pedum veſtrorum in teſtimonium illis. *Apoſtoli puluerem pedum excutiunt Iudæis.* Nec vt timidi properabitis ad prædicandum gentibus Euangelium. Præcedet enim vos Dominus tanquā dux & auxiliator veſter, nec permittet quod portæ inferi aduerſus vos præualeant, quin potius, veſtro miniſterio congregabit in vnam Eccleſiam filios Dei, qui erant diſperſi, non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, *vt fiat vnum ouile & vnus paſtor*. *Ioa.11.g* Si autem verba hæc ad omnes fideles referantur, ſenſus eſt. Quantumuis aduerſarij veſtri aduerſus vos præualere videantur, in exilium vos mittentes, aut corpora veſtra trucidantes, non tamen victi exibitis de hoc mundo, ſed victores, quoniam Dominus Deus veſter potenter ſua vos miſericordia liberabit. *Victores contra tyrannos eua ferunt martyres.* Non opus erit armis aduerſus inimicos veſtros pugnare in tumultu, ſicut dum ex Aegypto aſcendiſtis: quoniam Dominus præcedet vos, & pugnabit bella veſtra. Chriſtus enim prior mortuus eſt, & mortem deuicit, reſurrexit primogenitus mortuorum, vt & nos reſurgamus, *aſcendit in cælum*, vt præpararet nobis locum, congregauit nos exaltatus in cruce, & omnia trahens ad ſeipſum. Populo Iſrael dictum eſt olim, & Moyſi, *præcedet te* *Exod. 23.e* *Angelus meus*. Apoſtolis autem, & eorum ſucceſſoribus, atque omnibus qui crediturì erant per illos in Chriſtum, dicitur, *præcedet vos Dominus*. Et iterum: *Aſcendet pandens iter ante eos: diuident & tranſibunt portā,* *Michææ 2.d* *& ingredientur per eam: & tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*. Vnde & Eſdras, dū rediret ad Iudæam, noluit ab hominibus vlla expetere ſuffragia, quoniam antea prædicauerat, ſuos Diuino auxilio profecturos. Ne ergo illi derogari videretur, omnia humana præſidia contempſit. Aliter poteſt intelligi verbum illud *non in tumultu*, hoc eſt pacifica erit, & quieta liberatio facienda per Chriſtum, quia non ſtrepitu fiet armorum, ſed ſuppliciorum tolerantia, de quibus ſubditur.

17 *Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis*





*mis erit valde. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum*. Ponit modum libertatis repromiſſæ, quam futuram eſſe ait per paſſionē ignominioſam, *Paſſionis Xpi ignominia ſimilis magnitudini diuinitatis ei⁹.* & mortem vnigeniti filij Dei: & comparat ignominiam paſſionis eius cū excellentia omnium donorum, quæ habuit Chriſtus præ participib⁹ ſuis, vt ex eorum eminentia, ignominiæ magnitudinē colligamus. Fuit quidem exaltatus Chriſtus ſuper omnes, inquantū homo, quoniā habuit omnē plenitudinem ſcientiæ, & omnē gratiam; vnde & ſuper eum multi admirantes obſtupuerunt. Scriptum *Luc.2.g* eſt enim. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia* *Luc.9.e* *& reſponſis eius*. Et iterum. *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibus mirantibus in omnibus quæ faciebat*. Et multi præ ſtu- *Mat.8.c* pore dicebant: *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei*. & hoc eſt quod ait. *Ecce ſeruus meus*, ideſt *Scientiæ plenitudo in Chriſto* Chriſtus, qui ſecundum humanitatē ſeruus eſt Dei patris, eo quod *non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. Ecce intelliget*, ideſt, omnem habebit plenitudinem ſcientiæ. Intellexit enim & cognouit omnia, quæ Deus ſcit, ſcientia viſionis, vſque ad occultas cogitationes cordium. *Eph.1.d* Exaltatus eſt & eleuatus; *quoniam ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus* *Eph.2.b* *adimplet*. Et quoniam *Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris*. Sicut ergo in donis gratiæ & gloriæ omnes alios exceſſit, ita & in ignominia paſſionis. ſic interpretatur hunc locum ſanctus Thomas. Aduertens *quod ſimilitudo iſta attenditur, non quantum ad nume-* *S.Tho.3 p. q 46. ar.5. ad ſecundū* *rum paſſionum & gratiarum, ſed quantum ad magnitudinē vtriuſque: quia ſicut ſublimatus eſt in donis gratiæ ſuper alios, ita deiectus eſt infra alios per ignominiam paſſionis*. Cōſidera, quantum ſe deiecerit Dominus maieſtatis, quantumque ſe exinanierit, propter te formam ſerui accipiens: ſiquidem propheta modum non reperit, quo ignominiam paſſionis eius exprimeret, niſi eam conferendo magnitudini claritatis illius. Gloriam ſuam in monte Tabor tribus dilectiſſimis oſtendit diſcipulis. *Aſſumpſit enim Petrum & Iacobum,* *Mat.17 a* *& Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos*. Ignominioſam vero mortem illius in monte *Transfigurationis Xpi gloria cum ignominia paſſionis eius confertur.* Caluario omnes viderunt nationes. Ibi reſplenduit *facies eius tamquam Sol, veſtimenta autem eius, facta ſunt alba ſicut nix*. Hic ſpecies illius deformata eſt, ſecundum illud quod dicitur infra. *Vidimus eum, &* *Iſai. 53.* *non erat ſpecies, neque decor*. Ibi inter duos prophetas emicuit, hic medius inter duos latrones pependit. Ibi vox patris audita eſt. *Hic eſt filius* *Mat.17 a* *meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite*, hic voces ſacrilegæ Iudæorum audiuntur, per irriſionem dicentium, *ſi filius Dei eſt* *Mat.27 c* *deſcēdat nūc de cruce, & credimus ei*. Ibi eius veſtimenta candida, hic proprio ſanguine conſperſa. Sicut ergo ibi apparuit glorioſus, ita hic fuit cōtumelijs quamplurimis, & opprobrijs expoſitus. *Nuſquam Angelos* *Heb.2.d* *apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehen-*

*prehendit*, & tamen inter Angelos ſublimis eſt atque excelſus, & inter filios hominum abiectus.

18 *Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuũ: quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt*. Pro, *aſperget*, alij vertunt, *ſtillabit*. ſtillare autem in Scriptura pro, loqui, accipitur, ſicut Ezechielis 20. *Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Auſtri, & ſtilla ad Aphricum, & propheta ad ſaltũ agri meridiani*. Et Amos 7. *Non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper domum idoli*. Et ſenſus eſt. Excæcatis Iudæis, & obduratis, *aſperget* Dominus *gentes multas*, (ideſt) alloquetur gentes, docens illas viam veritatis; Vel, *aſperget*, ideſt, mundabit aqua baptiſmatis, de qua per Ezechielem ait. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos*. *Aſperget* etiam lauachro pœnitentiæ, quo emundari exoptabat propheta Regius, dicens: *Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*. Chald. pro, *Aſperget*, habetur *diſperget*, hoc eſt dilatabit Eccleſiam ſuam, eam vbique terrarum amplificans, vt omnes gentes eum venerentur. Et non ſolum *gentes*, ſed etiam Reges Chriſtum Dominum tamquam excelſum & ſublimem colent, & vt verum Deum, nec audebunt contra fidem illius obmurmurare, aut aliquid loqui, ſed captiuabunt intellectum in obſequium fidei; cum tamen Iudæi multa procaciter contra Redemptorem ſuum ſuperbo ore conuitia iactauerint. In quo profecto manent inexcuſabiles: nam gentes, quibus non erat repromiſſus Chriſtus, aut annunciatus, crediderunt in illum. Iudæi autem quibus fuit donatus Saluator, inter quos natus eſt, conuerſatus, & mortuus, blaſphemauerunt illum, & eijcientes extra caſtra, occiderunt. Qui non legerunt Moyſem, & Prophetas, cognouerunt Chriſtum, & in lege docti atque enutriti, qui in figuris acceperunt illum, ad ſe venientẽ ignorauerũt. Hoc deſignat propheta, cum ait, *quia quibus non eſt narratum de eo, &c.* In quibus verbis, vt notauit ſanctus Thomas, denunciat, *quoniam gentiles, excellentiori modo ad cognitionem Dei eſſent peruenturi, quàm Iudæi, qui antea cognouerant. Primo, nam Iudæi in notitiam myſteriorum Chriſti peruenerunt per verba annunciata eis à prophetis, ſecundũ illud: Prophetæ, quæ de futura in vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes id quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. Sed gentiles huiuſmodi Chriſti myſteria iam realiter impleta vident, ideo dicunt: Quoniam gentes, quibus non eſt annunciatũ per prophetas de eo, ideſt de Chriſto, ſicut annunciatũ eſt Iudæis, videbũt res iam impletas. Multi Reges & prophetæ voluerũt videre quæ vos videtis, & non viderunt*. Secũdo, etiam habuerunt excellentiam quantum ad modum cognoſcendi, quia Iudæi ex annunciatione prophetarum ſolum auditum habebant. *Auditum audiuimus à Domino, & legatos ad gentes miſit*. Sed gentiles ex viſione intellectum perceperunt. Vnde dicitur, & gentiles, ſcilicet qui ante non audierunt prænũciari Chriſtum per prophetas, contẽplati ſunt, ſiue intelligent, vt transferunt Septuaginta interpretes. In quo profunda notatur meditatio, & deuotio humilis, qua legem ſuſceperunt Euangelicam, & Chriſti ſe iugo voluntarie ſubdiderunt.

Stillare qd ſignificet.

*Ezech. 20. g*

*Amos 7. d*

Aſpergere eſt mũdare.

*Ezech. 36. e*

*Pſal. 50.*

Iudæos cõfudit fides gentiũ

Gẽtes excellentiorẽ Xp̃i cognitionem habuerunt q̃ Iudæi *

S. Th. ſup cap. 15. ad Rom. lect. 2. in fine.

*1. Pet. 1.*

*Lucæ 10.*

*Abdiæ 1.*





# CAPVT LIII.

1. QVIS credidit auditui noſtro? & brachium
Domini cui reuelatum eſt? 2. Et aſcendet
ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de
terra ſitienti: 3. non eſt ſpecies ei, neque
decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus,
4. & deſiderauimus eum: Deſpectum, & no-
uiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcien-
tem infirmitatem: 5. & quaſi abſconditus
vultus eius & deſpectus, vnde nec reputaui-
mus eum. 6. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros
ipſe portauit: 7. & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſ-
ſum a Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter ini-
quitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: 8. diſciplina
pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. 9. Omnes nos
quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & po-
ſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. 10. Oblatus eſt
quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: 11. ſicut ouis ad occiſio-
nem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non
aperiet os ſuum. 12. 13. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt:
generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuen-
tium: 14. propter ſcelus populi mei percuſſi eum. 15. Et dabit im-
pios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: eo quòd iniquitatem
non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. 16. Et Dominus voluit
conterere eum in infirmitate: 17. Si poſuerit pro peccato animam
ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius
dirigetur. 18. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſatura-
bitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, &
iniquitates eorum ipſe portabit. 19. Ideo diſpertiam ei plurimos:
& fortium diuidet ſpolia, 20. pro eo quòd tradidit in mortem ani-

mam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: 21. & ipſe peccata multorum tulit, 22. & pro tranſgreſſoribus rogauit.

## SVMMA CAPITIS.

*IAM in particulari agit Iſaias de paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, deſcribens dolores immenſos, & plagas, quas pro peccatis noſtris erat paſſurus, vſque ad crucis ſupplicium. Circa quod primo vaticinatur in principio capitis, pauciſſimos futuros eſſe, qui tanto remedio ad ſuam vtentur ſalutem.*

*Secundò, commemorat Verbi incarnationem, vt omnes agnoſcant, illum, qui inique tradendus erat morti, natum fuiſſe temporaliter ex Maria Virgine, & æternaliter à Patre genitum. Ibi.* Et brachium Domini, &c. *Et Verſiculo.* Et aſcendet ſicut virgultum coram eo.

*Tertiò, agit in generali de ignominia paſſionis, eam multis nominibus deſcribens, quam exactè explicare non poterat. Verſiculo.* Non eſt ſpecies ei neque decor.

*Quartò, agnum innocentem eum qui patiebatur eſſe declarat, quia non pro peccatis ſuis, ſed pro noſtris mortem pertulit, quæ non rapuit exſoluens in carne ſua. Verſiculo.* Vere languores noſtros ipſe tulit. *quod late proſequitur, vſque ad verſiculum.* Sicut ouis ad occiſionem ducetur.

*Quintò, fructum innumerabilem paſſionis eius futurum deſignat. Verſiculo.* Generationem eius quis enarrabit? *Et Verſiculo.* Si poſuerit pro peccato animam ſuam, &c. *Vbi de conuerſione gentium agit conſequenter.*

*Sextò, prædicit, cum iniquis Dominum maieſtatis reputandum eſſe, quod ad literam impletum eſt; cum comparatus Barrabæ dignus morte iudicatus eſt, & inter duos latrones Cruci affixus.*

*Septimò, prædicit futuram orationem Chriſti, quam in Cruce effudit pro crucifixoribus ſuis. Verſiculo.* Et pro tranſgreſſoribus rogauit.





## COMMENTARIVM.

1 *QVIS credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui reuelatũ eſt?* Paſſionem Chriſti & mortem, ac ſi iam vidiſſet expletã, enarraturus propheta, deplorat in primis paucitatem fidelium, præſertim eorum, qui ex Iudæis credituri erant in eum. Fuit enim Chriſtus crucifixus; ſicut dicit Apoſtolus *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitia.* (1.Cor.1.) Sunt autem in hoc capite præterita commixta futuris: nam de futuris loquitur per modum præteriti, vt ſcias, firmiſſimam eſſe rei quam prædicit certitudinem, & præ nimio affectu erga Chriſtum Dominum, & omnes fideles, ſuum incipit ab exclamatione vaticinium. *Quis credidit auditui noſtro?* Hoc eſt, quis credet auditis à nobis, quis prædicationi Euangelicæ humiles præbebit aures? quam pauci erunt qui credent, filium Dei factum hominem, & humiliatum eſſe vſque ad mortem, mortem autem crucis! (*Philip.*2) Vnus aut alter ex Iudæis, & gentibus credent ea, quæ ſum de Chriſto dicturus. Quo dicendorum magnitudinẽ notare voluit. *Auditui noſtro*, inquit, vt aduertit Chryſoſtomus, & non, doctrinæ noſtræ, eo quod non propria loquatur, ſed quæ prius per ſpiritum propheticum audiuit à Domino, & quaſi iam adimpleta vidit. (Chryſ. in demonſtr. qͣ Chriſtus ſit Deus tom.5.) *Præuidit enim* (vt ait ſanctus Thomas) *Iudæorum infidelitatem futuram, ſecundum illud Eccleſiaſt. 48. Spiritu magno vidit vltima.* (S.Tho.ſup. cap. 10. ad Rom. lect. 3. in fine.) (*Eccli.48*) Idem autem iterat alijs verbis: *Et brachiũ Domini cui reuelatum eſt?* Quæ iteratio prodit apertè magnitudinem affectus prophetæ, quo declarat, quã ſit neceſſarium, his, quæ dicturus eſt, adhibere fidem. *Per brachium Domini,* (vt docet Auguſtinus) Chriſtũ intelligit, qui *brachium* dicitur, ſicut robur, potentia, & virtus Patris. (Aug. cõtra ſermonem Arrian.) Per illum quippe nos lapſos erigere voluit, per quem vniuerſa creauit. Dicit Chriſtum *brachium Domini*, vt deſignet non fuiſſe à Patre ſeparatũ, etiam ſi ad nos venerit carne mortali indutus: (*Ioa.10.g*) ſicut *brachium* à pectore à quo procedit non ſeiungitur, ſed ſemper in illo manet. vnde ad Philippum dixit, *Nõ credis quia ego in Patre & Pater in me eſt?* (*Ioa.14.b*) Poteris etiam per *brachiũ Domini*, opus intelligere incarnationis, quod nullis viribus humanis effici poterat, ſed potentia & brachio Patris indigebat, ad nos mittẽtis filium ſuum, vt homo factus, ſolueret pœnas peccatis noſtris debitas: *Cui reuelatum eſt*, (ideſt) cui perſuaſum eſt? (Reuelare quibus modis ſumat.) Reuelare enim, multoties accipitur in Scriptura pro hoc quod eſt fidem infundere, aut interius rem perſuadere, ita vt ſequatur aſſenſus credentis: ſicut Matthæi 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt.* (*Mat.16 c*) Et primæ ad Corinthios ſecundo. *Nobis autem reuelauit per ſpiritum ſuum.* (*1.Cor.2.*) Multis prædicatum eſt Euangelium, à Chriſto, ab Apoſtolis, & eorum di-

*Pſal. 18* ſcipulis. Nam *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, ſed pauci crediderunt. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Celebris eſt hic locus, atque à Ioanne Euangeliſta allegatur iuxta prædictum ſenſum, & à Paulo Apoſtolo. Ioannes ait. *Ioã. 12. e* *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: vt ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Apoſtolus ait: *Rom. 10 g* *Sed non omnes obediunt Euangelio, Iſaias enim dicit: Domine quis credidit auditui noſtro?* Nota piam querimoniam prophetæ, qui Chriſtum deſiderabat omnibus notũ eſſe, atq; interea paucos poſt videns qui fidem adhiberent Euangelio, ingemiſcens exclamauit, *quis credidit auditui noſtro?* Ingemiſcamus ergo & nos, & conqueramur cum propheta, atque etiã cruciemur, ſi minus fructuoſum noſtrum cernimus laborem, & dicamus cũ Apoſtolo, *2. Cor. 11 g* *qs infirmatur & ego non infirmor? quis ſcãdalizatur & ego nõ vror?* Sic .n. affecti debẽt eſſe pij miniſtri, ſi fideliter opus ſuũ exequi velint.

2 *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti*. Hactenus procemium vaticinio ſequenti præmiſit aptiſſimum, iam vaticinium ipſum aggreditur de morte ac paſſione Redemptoris noſtri, *Paſſionis Chriſti vaticinium.* cuius memoria animus prophetæ commotus, tam triſtem hiſtoriam, & lugubrem quaſi horret ingredi. Ideo tractaturus de iniquitate iudicij, quo fuit Chriſtus à Iudæis diuexatus, de cauſa mortis illius, de manſuetudine eius atque obediẽtia, prius interſerit nonnulla, poſt quæ paucis tãdem (quod affecti ſolent animi) percurrit, quomodo ſalutis noſtræ auctor in carcerem conijciendus, damnandus, ſuſpendendus in patibulo, ac denique ſepeliendus eſſet. Primo igitur Verbi incarnationem commemorat, qua filius Dei homo factus eſt, *natus ex Maria Virgine* abſque virili ſemine, ſed ſola Spiritus ſancti virtute. Et hoc eſt quod dicit, *& aſcendet*, ſcilicet Chriſtus, cuius mortem prædicturus erat, ſed reticuit nomen propheta, doloris magnitudine impeditus, vel certe vt videntes Iudæi non viderent, & audientes non intelligerent. *Chriſtus virgulto cõfertur.* Tamquam *virgultum*, illud videlicet quod naſci ſolet in terra arida. Terram autẽ aridam vocat, vterũ Virginis Mariæ, quæ obũbrante Spiritu ſancto ſine vllo ſemine virili concepit Chriſtũ. ſic explicat iſtũ locũ ſexta Synodus Conſtãtinopolitana, & Euſeb. S. Cyril. & Hier. & cõmuniter alij ſãcti patres, *Syn. Cõſt. Act 8. in fi. Euſeb l. 3. demonſtr. Euangel. cap. 2.* & hoc eſt quod dicit, *coram eo*, ſiue ſpectante illo, ſcilicet Domino, (ideſt) Deo ita diſponente, & efficiente quod Chriſtus conceptus de Spiritu ſancto natus ſit ex Maria Virgine. Conſonat hæc explicatio cum textu Hebraico, in quo (vt nonnulli transferunt) ſic habetur. *Xps puer lactens.* *Aſcendit ſicut puer lactens facies eius*, vel (vt Theodotion vertit) *Theodot.* *aſcendet vt puer lactens coram ipſo*. Vbi quidquid mentiantur Hebræi, manifeſtiſsime eſt ſermo de Chriſto, quem ſimul Deum & hominem fatetur propheta. *Xps Deus & homo.* Deum, quia brachium Domini eſſe agnoſcit: hominem, quia puerum lactentem confitetur, de quo prædixerat ſupra, *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*. *Iſai. 9.* Moralem huius loci expoſitionẽ inuenies ſupra, vbi fuſius cum Auguſtino aliqua verba illius expendimus. *Sup. cap. 4. nuiſ.* Ea, quæ de natiuitate Chriſti dicta ſunt, aptè poſsũt de toto regno illius intelligi, quod ſimile

futu-



*Xpi regnũ virgulto confertur.* futurũ eſſe dicit virgulto è terra arida naſcẽti, quod ad debitam magnitudinem numquam peruenire videtur; quaſi planta ſit tenera pullulans in terra nullo humore diſpoſita; facile enim areſcet, ſole incaleſcẽte. Tale poterat videri regnũ Chriſti, ſi eius conſideremus initium, & quorum opera ſit vſus ad ſtabiliendũ illud. Non enim elegit fortes, ſed cõtemptibiles homines, Apoſtolos videlicet, & paucos diſcipulos, qui non gladio, ſed verbo Dei ſuperbas ſubigerent nationes, & tamen ſic ſtabilitũ eſt & erectum, ne humanis rationibus de illo iudicemus, ſed virtutẽ agnoſcamus diuinam, & incomprehenſibilem illius ſapientiã, *1. Cor. 1. d* *qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia.*

3 *Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum & nõ erat aſpectus.* Reliquum erat, vt, poſtquam propheta prædixerat quod Chriſtus Dominus *conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus eſt*, ſubiungeret id, quod in Symbolo fidei canit Eccleſia; *Symbolum fidei.* *Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus mortuus, & ſepultus eſt*. Verum quaſi horrens tam horrendum vaticinium, non continuo hanc lugubrẽ texit hiſtoriam, ſed illam luctuoſis verbis velut circun loquitur, quod affecti animi conſu uerunt facere: & præ dolore eandẽ ſententiã repetit, oſtendens, illum, qui ſpecioſus eſt forma præ filijs hominum, taliter in paſſione fore diuexa dũ, vt nulla ſpecies, decor nullus in f cie appareret illius. *Paſsionis Chriſti acerbitas quanta.* *Nõ erat ei ſpecies*, quia videlicet, (vt expendit Hier.) propter flagella, ſputa, & alapas, & alias iniurias, ille qui erat *Pſ. 44. a* *ſpecioſus forma præ filijs hominũ*, abſq; ſpecie viſus eſt. quibus verbis, acerbitatẽ indicat paſſionis: nam ſputis oblitus, & ſanguine proprio toto corpore perfuſus, ac ſpinis coronatus, facies illius ita eſt immutata, vt Pilatus admirans diceret: *Ioã. 19. a* *Ecce homo.* hoc eſt: Si regi inuidetis, iam parcite, quia abiectum videtis: feruet ignominia, *Aug. tract. 116. in Io.* frigeſcat inuidia. Timebatis, ne Rex euaderet Iudæorũ, ſed ecce nec ſpecies eſt illi hominis neque decor. Sed *deformitas Chriſti* (ait Aug.) *Aug ſerm. 22. de ver. Apoſt. t. 10* *te format, ille .n. ſi deformis eſſe noluiſſet, tu formã quam perdidiſti nõ recepiſſes, pendebat ergo in cruce deformis, ſed deformitas illius pulchritudo nr̃a erat. In hac ergo vita deformẽ Chriſtũ teneamus. Quid eſt deformẽ Chriſtum? Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quẽ mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Hæc eſt deformitas Chriſti. Numquid dixi me aliquid ſcire in vobis niſi viã? Hæc eſt via, credere in Chriſtũ crucifixũ. Huius deformitatis ſignum in fronte portamus: de iſta deformitate Chriſti nõ erubeſcamus. Hanc viã teneamus, & ad ſpeciẽ perueniemus.* Quod autẽ ait, *& non erat aſpectus*, idẽ eſt, ac ſi diceret: Cũ videremus illũ, ſtatim præ dolore oculos à facie auertebamꝰ illius. Vel ſic, ita immutata erat facies eius, vt ex aſpectu dignoſci non poſſet. Quis .n. crederet, Dei filiũ, coæternũ, & cõſubſtãtialẽ patri, alapis cæſũ, ſputis oblitũ, morti cõdemnatũ, & inter iniquos reputatũ? Quare autẽ in plurali dixerit, *vidimus*, loquẽs de paſsione Dñi, cũ tñ ſermonẽ inſtituens de gloria illius, nõ in plurali, ſed in ſingulari dixerit. *2. Para. 18. d* *Vidi Dñm ſedẽtẽ*; ſup. dictũ eſt. *Sup. c. 6. a.*

4 *Et deſiderauimus eũ deſpectũ, & nouiſſimũ virorum, virum dolorũ & ſcientẽ infirmitatẽ.* Per, *nouiſſimũ*, intelligit abiectiſsimũ *virorũ*. Talis, nobis erat neceſſarius. *Virũ dolorũ*, ideſt, doloribus expoſitũ, vt ex his quę paſſus eſt, diſceret miſericordiam

Multis

Paſsionis Chriſti ignominia quanta.

Multis verbis deſcribit ignominiam paſſionis, vt inexplicabilem eſſe deſignet. Et præterea, ne Iudæi peruerſi aliquam poſſent ſuæ incredulitatis obtendere excuſationem. Cum enim tot retro ſeculis prædixerit Chriſti paſſionem & mortem, quam poſtmodum ipſi machinati ſunt contra illum, quæ excuſatio relinquitur eis? *Quid dicent contra iſta Iudæi?* (ait Auguſtinus.) *Nonne mirum eſt audire eos iſta, habere illos iſta, legere illos iſta? non inueniri de quo dici potuerunt, niſi de illo vno, qui in Euāgelio prædicatur per orbem terrarum, & adhuc non eſſe Chriſtianos, ſed ſic eſſe illos cæcos aduerſus euidentiſſima eloquia prophetarum?*

Aug li.50. homil. ho. 36. circa med. to.10.

Carthuſ.

Patrū deſideria circa aduentum Chriſti.

Dionyſius Carthuſianus refert illud verbum, *& deſiderauimus eum, &c.* ad deſiderium prophetarum. Eundē enim, quem auerſati ſunt Iudæi, & qui prima facie minime deſiderabilis apparebat, deſiderauerunt videre prophetæ, & reges, iuxta illud Euangelij. *Multi prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt.* Deſiderauerunt, inquam, eum deſpectum, &c. quia talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, talis & Saluator nobis erat neceſſarius, qui deſpectus inter homines, nos honorabiles faceret inter Angelos, & factus nouiſſimus virorum, nos primos efficeret in regno cælorum: ac denique *vir dolorum*, (ideſt) doloribus plenus, & ſciens ipſa experientia infirmitatem, nobis æternam tribueret ſanitatem. Sciebat quidem olim Deus infirmitatem noſtram, qui optime nouerat, ex qua maſſa formaſſet hominem: vnde & per prophetā ait. *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt quoniam puluis ſumus: homo ſicut fœnum: dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit.* Sed neſciebat infirmitatem per experientiam, quia impaſſibilis erat: At voluit fratribus aſsimilari, vt miſericors fieret, *tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Talem eum videre deſiderauit Abraham, de quo ipſe Saluator loquens ad Iudæos, dixit: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum. Vidit & gauiſus eſt.* Vbi, vt notauit Chryſoſtomus, Diem ſuum, dicit, diem crucis ab ipſo deſideratum & expectatum, vt ſuam in illo oſtenderet miſericordiam: ideo enim diem ſuum dixit, quem Abraham in oblatione arietis, & Iſaac præfigurauit: niſi enim vidiſſet diem paſsionis, non vtique æternam ſalutem, & gloriam quam expectabat obtinuiſſet. Dictus eſt autem Redemptor noſter, *nouiſſimus virorum*, quia poſtremo loco inter homines eſt habitus, ita vt Barrabas latro anteponeretur illi. Vnde & per prophetam ait. *Ego autē ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Ita enim abiectus fuit in paſsione, ita conculcatus à Iudæis & humiliatus, vt non homo reputaretur, ſed vermis, quem pro nihilo habemus conculcare.

Mat.13 c

Pſ. 102. c

Heb.4.d

Ioa. 8. g

Chryſ.ho. 54. ſuper Ioann.

Chriſtus dicitur nouiſsimus virorum & ſciens infirmitatē.

Pſ.21.a

5 *Et quaſi abſcōditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.* Niſi enim abſconditus eſſet vultus eius, non vtique eſſet deſpectus. *Si enim cognouiſſent, numquā Dominum gloriæ crucifixiſſent,* ideo ergo Iudæi deſpexerunt Chriſtum, quia vultum eius non cognouerunt. Quod & tranſlatio Septuaginta virorum manifeſtat. Sic enim habet. *Quia auerſa eſt facies eius*, ideſt abſcondita à Iudæis, *deſpecta eſt & nō reputata.* Facies Chriſti & vultus, eſt Diuinitas illius, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Vnde & Propheta, *Deus* (inquit) *miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* Et iterum. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Sicut enim per vultum Imperator, ita & per Filium Pater cognoſcitur. Vultum ergo ſuum abſcondit, (ideſt) Diuinitatem ſub humanitate occultauit, vt deſpici poſſet, alapis cædi, flagellis cruciari: ac denique ſuſpendi, & occidi. Vnde & ſuperius dixerat. *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Saluator.* Quod ergo ibi dixit. *Vere tu es Deus abſconditus*, id repetit, *& quaſi abſconditus vultus eius.* Ait autem, *quaſi*, vt ſciamus, quoniam non ita potuit latere Diuinitas eius, quin inter flagella, & opprobria, inter iudices iniquos, & latrones, aliqua ſuæ Diuinitatis atque innocentiæ oſtenderet ſigna. Pilatus repetita ſententia dixit. *Ego nullam inuenio in eo cauſam. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicēs: nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum per viſum propter eum.* Latro in cruce latronem increpat. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iuſte, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali geſſit. Clamans Ieſus voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Scindebantur creaturæ inſenſibiles, deitatem morientis quaſi agnoſcētes, cum rationales homines ad imaginem Dei, & ſimilitudinem facti, ſui conditoris occiderunt corpus. Mortui virtutem ſentiūt morientis, quem Iudæi agnoſcere noluerunt, patientiam illius, & manſuetudinem videntes. Denique *Centurio, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iſte.* Ecce qualiter latere non potuit, quin filius Dei agnoſceretur, & innocens; ideo ergo non abſconditus, ſed quaſi abſconditus dicitur vultus eius, & deſpectus.

1.Cor.2. b

Chriſti facies dehoneſtata in paſsione.





Pſ.66.a

Pſal.4.

Iſa.45.c

Xp̄i diuinitas cognita eſt in morte eius

Mat.27 b

Lucæ 23 f

Ibid.f

Ibid.f

6 *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Septuaginta, pro *languores*, vertunt *peccata*. Illud aduerbium *vere*, ponitur ad differentiam illius animalis, qui in lege, non vere, ſed figuraliter dumtaxat portauit iniquitates filiorum Iſrael. Præcepit enim Dominus Pontifici, quod *poſtquam emundauerit ſanctuarium, & tabernaculum & altare, tunc offerat hircum viuentem: & poſita vtraque manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & vniuerſa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in deſertum. Cūque portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in deſerto, reuertetur Aaron in tabernaculum teſtimonij.* Ille hircus non vere, Chriſtus autem qui hircus etiam dicitur, propter ſimilitudinem carnis peccati, vere portauit languores noſtros & dolores, per quos intelligit peccata, quæ maximos animæ afferunt dolores, & morbi lethales ſunt deteſtabiliores omni peſte mortifera. Verba, *tulit*, & *portauit*, tranſlata ſunt ab his, qui grauia onera ſuper humeros portāt: & ſignificant, Chriſtum Dominū grauiſſima noſtrorum peccatorum onera ſuper ſe portaſſe: Vnde & Ioannes ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit*

Leuit.16 d

Xp̄s hirco emiſsario præfiguratus eſt. *

Ioan.1.

*peccata mundi*. Vide qualiter verba Baptiſtæ verbis correſpondeant prophetæ: Vnus dicit, *tollit peccata mundi*, alter vero, *tulit*, ideſt abſtulit *dolores noſtros*; vt diſcas, omnium peccata Chriſtum ſuper ſe portare, tam eorum qui præceſſerunt hominum, quam illorum qui modo ſunt, & erũt vſque ad finem ſeculi. Quod & Theodoretus aduertit, dicens. *Ille quidẽ agnus typicus nullius omnino peccatum ſuſtulit, hic verò peccatum vniuerſi orbis terrarum, periclitantem enim mundum eruit ab ira Dei, vnde ſubdit. Ecce qui tollit peccata mundi. non autem dixit, qui tollet, ſed qui tollit peccata mundi, quaſi ſemper hoc faciente ipſo: non enim tunc ſolum tulit cum paſſus eſt, ſed ex illo tempore vſque ad præſens tollit, non ſemper crucifixus, vnã enim pro peccatis obtulit oblationem, ſed ſemper purgans per illam*. Quod fere eiſdem verbis prius adnotauit Chryſoſtomus, cuius ſectator & quaſi compilator fuit Theodoretus. Ait enim. *Neque dixit, qui tollet aut tulit; ſed, tollit peccata mundi, vt quotidie ea tollere intelligatur. Non enim cum paſſus eſt, ſolum noſtra abſtulit peccata, ſed ex illo hactenus tollit. Non ſemper crucifigitur. vnum namq. pro peccatis noſtris tulit ſacrificium, ſed ſemper per illud nos purgat*. Lege quæ circa hæc diximus ſupra. Denique cum dicit: *Languores noſtros ipſe tulit, &c. & dolores noſtros ipſe portauit*; non ſolum indicat, Redemptorem noſtrũ omni prorſus caruiſſe peccato, ſed pro his etiam, qui illum contemnebant, & tam acerbe tractabant, tales ſuſtinuiſſe dolores. Eſt enim magna Emphaſis in pronomine, ipſe, ſæpius repetito. Sanctus Matthæus præſentem allegans locum, refert illum ad

Theod. ſup. ca. 1. Ioan.

Chriſtus tollit peccata mũdi.

Chryſ. ho. 17. ſup. c. 1. Ioan. ante med.

Sup. c. 9. n. 43. c. 38. n. 22.

morbos, & infirmitates corporis quas Chriſtus Dominus depulit ab hominibus, vt ſuæ doctrinæ veritatem comprobaret, ait enim. *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eyciebat ſpiritus verbo: & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictũ eſt per Iſaiam prophetam dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit: & ægrotationes noſtras portauit*. Et ſic etiam interpretatur iſtum locum S. Baſilius, Auguſtinus, & multi alij ſancti Patres. Sanctus autem Petrus Apoſtolus illum explicat de ſpiritualibus laboribus, ideſt peccatis: dum ait. *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati ſumus*. Hec autem explicatio conſonat translationi Septuaginta virorum, quæ ſic habet. *Iſte peccata noſtra portat, & pro nobis dolet*. Vnde ad vtrumque referri poteſt præſens locus, & ad morbos corporis, & ad lãguores animæ, quos Chriſtus Dominus ad nos veniens tamquam medicus ſanauit: ſed principaliter loquitur propheta de languoribus animæ; propter illos namq. curandos venit principaliter cæleſtis medicus. Vnde & Chryſoſtomus prædictum locum Matthæi, & verba Iſaiæ declarans, videlicet, quoniam infirmitates noſtras accepit, & ægritudines noſtras portauit, inquit. *Non dixit, diſſoluit, aut, curauit: ſed accepit, atque, portauit: quod de peccatis mihi dictũ à propheta videtur, vt cum* Ioanne *conueniat dicente. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Cur ergo, inquies, de morbis, aut ægrotationibus id dictum Euangeliſta in hoc loco ſcripſit? Certe aut hiſtoricè teſtimonium prophe-*

Chriſtus morbos corporales, etiã abſtulit.

Matt. 8. b

S. Baſil. in regul. breuior. ad interrog. 117 Aug. tract. 91. ſup. c. 15 Ioan. to. 9.

1. Pet. 2. d

Chryſ. ho. 28. ſuper Mat. paulo poſt principiũ to. 2.

Ioan. 1. d

tæ ac-



*tæ accepit, aut ſubaperire voluit, plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Nam ſi mors, quæ morborum omnium fons, caputque eſt, à radicibus peccati pullulauit: quid mirum eſt, ſi ægrotationes quoque multæ inde naſcantur, vnde vel ipſa ægrotandi poteſtas egreſſa eſt?* Et Theophilactus. *Propheta* (inquit) *de peccatis hoc dicit, Matthæus de morbis eſt interpretatus, quod plurimi morbi ex peccatis oriantur*.

Theophil. ſup. cap. 8. Matth.

7 *Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*. Oſtendit quanta fuerit populi cæcitas, & ingratitudo, qui non agnouit, neque conſiderauit cauſam, propter quam tam crudeliter tractaretur Chriſtus, ſed ob propria ipſius ſcelera cæſum à Deo eſſe exiſtimarũt & humiliatum: cum tamen ipſe iudex, iniquus alioqui, innocẽtiæ eius teſtimonium perhibuerit, dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*. Et iterum: *Quid enim mali fecit iſte, nullam cauſam mortis inuenio in eo*. Cum ergo innoxium hominem pœnas luere intelligant eorum ſcelerum, quæ non admiſit, cur non cogitant aliquid ſecretum in illo latere? Vulneratum & abiectum vident, & cauſam huius nõ inquirunt, ſed ſolummodo iuxta ea quæ parent, vt ſolent ſtulti, iudicium ferunt. *Et nos* (inquit) *Nos* Iudæi, eum tamquam *leproſum* reputauimus, hoc eſt, dignum, qui ad inſtar leproſi à conuerſatione hominum pelleretur, ſicut in lege expellebãtur leproſi: æſtimabamus illum *percuſſum à Deo* ob peccata ſua. De hoc igitur tam peruerſo hominum iudicio, his verbis conqueritur Iſaias, quod tam acerbæ paſſionis Chriſti

Iudæorum cæcitas & ingratitudo.

Mat. 27 e

Lucæ 23 c

cauſã non recogitent homines, quaſi dicat: Populus meus arbitratus eſt, Chriſtum eſſe aliquem ſceleratum hominem, quem Deus propter crimina propria tam graui ſupplicio, & contumelioſo voluerit affici. Hinc illi Iudæorum impij clamores. *Reus eſt mortis, Reus eſt mortis. Si non eſſet hic malefactor, non eum tradidiſſemus tibi*. Et tamen, res contra ſe habebat, quia non ſolum ipſe expers erat omnis peccati, ſed pro noſtris etiam ſceleribus tam acerbum propria voluntate ſubijt ſupplicium. *Leproſum & percuſſum à Deo*, idem ſignificat: nam *leproſum* appellant Iudæi, hominem quacũque plaga percuſſum, eo quod ex illa ad modum lepræ ſigna quædam relinquuntur in corpore. Talia fuerunt ſigna, quæ ex flagellis, & vulneribus in corpore Chriſti remanſerunt, ita vt *à planta pedis vſque ad verticem non fuerit in eo ſanitas*. In cuius ſignum Iob, cum eſſet *vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam* miniſterio Sathanæ lepra percutitur: Ait enim. *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem eius: qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Quia* (vt dicit Origenes,) *typus erat illius, qui in nouiſſimo tempore deſcendens de cælis Dei vnigenitus, terreni corporis teſta ex Virgine ſe induens, totius mundi ſaniem, immunditiam quoque ac putredinem raſit, atque mundauit, omniũ peccata ſupportando, & poſtmodum pro impietatibus eorum in mortem deductus eſt, cuius liuore omnes ſanati, atque mundati ſunt, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*. Idem obumbrauit manus Moyſi leproſa. Dixit enim

Mat. 26 Ioan. 18. f

Iob lepra percuſſus, ſignũ fuit paſsionis Chriſti.

Iob. 2. a

Ibid. b

Orig. trac. 2. ſuper Iob tom. 2.

Domi-

Exod. 4. b

Dominus ad eum. *Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis. Retrahe, ait, manum tuã in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carnis reliquæ.* In quo (vt notauit Ambroſius) ſignificauit fulgorem Diuinitatis, quẽ in ſinu patris habuit Chriſtus, & ſuſceptionem carnis, quam protulit ex ſinu matris. Chriſtus enim manus eſt æterni Patris, per quam omnia facta ſunt. Deſcendit in vterum Virginis, & prodijt leproſa; quoniã in ſimilitudinẽ carnis peccati natus eſt, vt de peccato damnaret peccatum in carne ſua. Mortuus eſt, & ſurrexit à mortuis abſque vllo lepræ contagio: quia *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quod autem viuit, viuit Deo.* Illud verbum, *Attritus eſt*: alludit ad granum illud frumenti, quod cadens in terram mortuum eſt & attritum. Mortuum, vt nos redimeret, & multũ fructum ſpiritualem afferret: attritum, vt nos cibaret. Granum enim conteritur & comminuitur, vt panis fiat ex illo. Vnde Beatus Ignatius tortores ſuos alloquens. *Frumentũ*, inquit, *Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus efficiar.* Sic attritus eſt Chriſtus, ſic commolitus, ſicut granum frumenti. Septuaginta, pro, *attritus*, vertunt, infirmatus, & videntur alludere ad ſimilitudinem illam, qua ipſe Saluator gallinę confertur, quæ, vt nutriat pullos, infirmatur.

Moyſi manus leproſa, Chriſti paſsionem ſignificabat.

Amb. li. 3. officio. ca. 14. to. 4.

Rom. 6. b

Xpi mors vita noſtra fuit.

8 *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Senſus eſt iuxta explicationem Hieronymi. Quod nos pro noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere, ille pro nobis paſſus eſt, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, *ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cælis ſunt. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, ſoluens inimicitiam in carne ſua, & liuore eius ſanati ſumus. Ex quo perſpicuum eſt, ſicut corpus flagellatum atque laceratum ſigna iniuriæ in vibicibus ac liuore portabat: ita & animam vere doluiſſe pro nobis, ne ex parte veritas, & ex parte mendaciũ credatur in Chriſto.* Gratis ergo reconciliati ſumus Deo patri; quia Chriſtus Dominus pacis noſtræ pretium ſoluit. Vnde & Apoſtolus ait: *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Per liuorẽ intelligit propheta, magnos illos cruciatus, quos Saluator noſter ſuſtinuit in corpore ſuo, vt myſtici corporis Eccleſiæ ſuæ plagas ſanaret, & vulnera, de quibus ſuperius dixerat: *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata neque curata medicamine, nec fota oleo.* Quia videlicet nondum aduenerat cæleſtis medicus, qui alligaret vulnera hominis, qui incidit in latrones, & infunderet oleum, & vinum deſuper. Hinc conſtat, peccata noſtra diuidere inter nos & Deum, & diſſidium æternũ cauſare, ex quo nobis quamplurima & grauiſſima accidũt mala, quæ non aliter niſi per ſanguinem Chriſti deleri poſſunt.

Eph. 2. c

Chriſtus gratis nos Deo recõciliauit. Hieron.

Rom. 5. a

Iſaiæ 1.

9 *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum.* Repetit quod ſupra dixerat. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores*



*noſtros ipſe portauit*, ne vmquam à noſtra excidat memoria tantum beneficium. Dicens autem, *omnes nos errauimus*, neminem excipit, *omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei.* Hinc Auguſtinus. *Non ſint ingrati homines gratiæ Dei, puſilli cum magnis, à minori vſque ad maiorem. Totius Eccleſiæ vox, errani ſicut ouis perdita: Omnium membrorũ Chriſti vox eſt, omnes vt oues errauimus, & ipſe traditus eſt pro peccatis noſtris.* Omnes errauimus inſtar ouiũ ductu paſtoris carentium, hac & illac errantium; ſinguli propria ſtudia ſumus ſectati, & varijs nos peccatis vniuerſi conſtrinximus. Secuti ſumus viam noſtram quæ ducit ad mortem, viam tenebroſam, viam perditionis, de qua Sapiens ait. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.* Viam, quam experientia ipſa reprobi laborioſam agnouerunt & difficilẽ. *Laſſati*, inquiunt, *ſumus in via iniquitatis, ambulauimus in vias difficiles.* Hæc enim vere eſt via noſtra, quam ex proprio arbitrio defectibili nobis eligimus, & quæ in nobis ex nobis eſt, & non ex Deo, propheta atteſtante. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* In hanc viam declinauit vnuſquiſque, ſe auertens à via veritatis, à via ſalutis, à via quæ ducit ad vitam. Scriptum eſt enim. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnũ.* Et iterum: *Vnuſquiſque quæ ſua ſunt quærit, non quæ Ieſu Chriſti.* Hinc illę cõtentioſę excuſationes eorum, qui ad cœnam ſunt inuitati. *Primus ait: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum.* Alter dixit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum.*

Rom. 3. c

Aug. lib. 1. de peccatorũ meritis, & remiſsione c. 27. circa fin. tom. 7.

Via impiorũ qualis.

Prou. 4. f

Sap. 5. a

Oſeæ 13. c

Pſa. 13. a

Phil. 2. c

Luca 14 d

Alius dixit, *vxorem duxi, & ideo nõ poſſum venire.* Sic contempſerunt Deum homines ingrati, & abeuntes, quamplurima in illum commiſerunt peccata; ſed pater cæleſtis *poſuit in eum*, (ideſt) ſuper eum *iniquitates omnium noſtrum*: Alludit ad metaphoram ferentium onera grauia, omnia enim peccata mundi tranſlata ſunt, & impoſita ſuper humeros Chriſti. Et cum dicit, *omnium noſtrum*, peccatores omnes oſtendit, & infinitum ſanguinis Chriſti, paſſionis illius & mortis valorem indicat: nam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, pro omnibus ſatisfecit ſuperabundanti, immo & infinita ſatisfactione: ſicut ſcriptum eſt. *Copioſa apud eum redemptio* &, *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Satisfecit pro omnibus quantum ad ſufficientiam. omnibus enim auxilium tribuit ſufficiens, quo ſaluari poſſint, omnibus ſuum prædicauit Euangelium, pro omnibus ſacramenta ſalutis inſtituit: quantum ad efficaciam vero, ſolum pro illis ſatisfecit, qui re ipſa conſequuntur ſalutem. Quam diſtinctionem deſumpſerunt Theologi ex ſancto Auguſtino dicente. *Cum itaque per vnam omnium naturam, omnium cauſa à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, redempti omnes recte dicantur, non tamen omnes captiuitate ſunt eruti; redemptionis proprietas haud dubium penes illos eſt, de quibus princeps huius mundi miſſus eſt foras, & iam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cuius mors non impenſa eſt humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent, ſed ita quod per vnicum exemplum geſtum eſt pro vniuerſis, per ſingulare ſacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immorta-*

Pſ. 129.

Rom. 5. d

Chriſtus pro oibus quo ad ſufficiẽtiam, pro electis quo ad efficaciam ſatisfecit.*

Aug. in reſponſione ad articulos ſibi falſo impoſitos li. vnico, colu. 1. tom. 7.

Satisfactio duplex quo ad ſufficiẽtiam, & quo ad efficaciam.

*talita-*

*talitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute Diuina, habet quidem in ſe, vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non proficit.* Habet etiam hæc diſtinctio fundamentum in ſacris litteris, ait enim

*1. Ioan. 2. a*

Ioannes. *Aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Vbi diſtinguit eos, pro quibus ſatisfecit Chriſtus quantum ad efficaciam, ab illis, pro quibus ſolum quantum ad ſufficientiam ſatisfecit. Quod & in conſecratione calicis oſtendit Chri-

*Mat. 26 c*

ſtus, cum dixit. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Pro multis*, inquit, quantum ad efficaciam; nam quoad ſufficientiam,

*2. Cor. 5. c*

*pro omnibus* (ſicut dicit Apoſtolus) *mortuus eſt Chriſtus*. Illuſtrari poteſt hæc doctrina, exemplo ſumpto à medicinis, quæ ſunt in apotheca, ſufficiẽtiſſimis omnibus, at ſolum proficiunt vtentibus illis. Ita & paſsio Chriſti pro omnibus continet ſufficiens remedium; ſed niſi per fidem & charitatem applicetur hominibus, nihil illis Chriſtus proderit, non quia inſufficiens medicina; ſed quia non vult illa vti humana ſuperbia. Septuaginta interpretes, vbi nos legimus: *Et poſuit Dominus in eum iniquitates omnium noſtrum.* Transferunt. *Et Dominus tradidit eo iniquitatibus noſtris.* Ex quibus verbis

Peccata noſtra occiderunt Chriſtum.

conſtat, peccata noſtra occidiſſe Chriſtum: nam ipſe traditus eſt peccatis noſtris, quaſi canibus dilacerãdus, & occidendus: quod & Saluator ipſe paſſioni proximus inſinuauit, cum dixit tribus diſcipulis dormien-

*Mat. 26 d*

tibus. *Dormite iam & requieſcite: Ecce appropinquauit hora: & filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

10 *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum:* Duo nobis

Morti ſe Chriſtus ex mera charitate, obtulit.

in hoc loco proponit propheta profunda meditatione penſanda, atque æterna celebranda memoria. Alterum eſt, Chriſtum Dominum, nulla cauſa cogente, nullis noſtris præcedentibus meritis, ſed propria liberalitate, ex mera gratia, & miſericordia, ſe in ſacrificium pro peccatis noſtris obtuliſſe. Quod & Apoſtolus

*Galat. 2 d*

expendens; *Dilexit* (inquit) *me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Prius inquit *dilexit me*, & poſtmodum *tradidit ſemetipſum pro me*; ſicut Apo-

*Apoc. 1.*

calypſis 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* &

*Epheſ. 5*

ad Epheſios 5. *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea*, vt ſciamus, quoniam ex charitate atque propria liberalitate

*Eph. 2. a*

ſeipſum tradidit pro nobis. *Deus enim qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatẽ ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & cõreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Præterea etiam *oblatus eſt, quia ipſe*

Chriſtus mortuus ẽ quãdo ipſe voluit, & quomodo voluit.

*voluit*, eo quod nullum læſiuum corporale, nullum vulnus quantumuis lethale inflictum potuit animã Chriſti nolentem pellere à corpore, niſi ipſa corpus relinquere voluiſſet. Iuxta quod ipſe Saluator ait.

*Ioan. 10. d*

*Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego*

pono



*pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Quibus

Aug. lib. 3. de Trin. c. 13. to 3.

verbis, (vt ſanctus notat Auguſtinus) demonſtrauit, Chriſtum mortuũ eſſe; non quia Iudæi voluerunt, nec quando voluerunt; ſed quia ipſe voluit, quando voluit, & quomodo voluit.

Chryſ. ho. 59. in Ioa.

Vnde Chryſoſtomus. *Quia enim multoties conſiliabantur eum interficere, dicit, quoniam nolente eo inutilis erat hic labor. Ita enim habeo poteſtatem animam meam ponere, vt*

Xpi animã nullũ læſiuum potuit pellere à corpore, niſi ipſa exire voluiſſet.

*nullus poſſit me inuito facere, quod in hominibus non eſt.* Quod quidem qualiter verum habeat, ſic explicat ſanctus Thomas. *Spiritus* (inquit) *eius, ideſt Chriſti, habebat poteſtatẽ conſeruandi naturam carnis ſuæ, ne à quocumque læſiuo inflicto opprime-*

S. Tho. 3. p. q. 47. ar. 1. in corp.

Aug. lib. 4. de Trin. c. 13. to. 3.

*retur: quod quidem habuit anima Chriſti, quia erat verbo Dei coniuncta in vnitate perſonæ: vt Auguſtinus dicit in 4. de Trinitate. Quia ergo anima Chriſti non repulit à proprio corpore nocumentum illatum: ſed voluit quod natura corporalis illi nocumento ſuccumberet, dicitur ſuã animam poſuiſſe, vel voluntarie mor-*

Ibid. ad 2.

Xp̃s quare voce magna emiſſa exſpirauit.

*tuus eſſe. Et vt Chriſtus oſtenderet, quod paſſio illata per violentiam, eius animam non eripiebat, naturam corporalem in ſua fortitudine conſeruauit, vt etiam in extremis poſitus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis eius computatur. Vn-*

*Marci 15.*

*de dicitur Marci 15. Videns autem Centurio qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Vere hic homo filius Dei erat. Fuit & mirabile in Chriſti morte, quod velocius mortuus fuit alijs, qui ſimili paſſione afficiebantur. Vnde dicitur Io-*

*Ioan. 19*

*annis 19. Quod eorum qui cũ Chriſto crucifixi erant fregerunt crura, vt cito morerentur: ad Ieſum autẽ eum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.*

*Marci 15.*

*Et Marci 15. dicitur, quod Pilatus mirabatur, ſi iam obijſſet. Sicut enim eius voluntate, natura corporalis cõſeruata eſt in ſuo vigore vſque ad extremum, ſic etiam quando voluit, ſubito ceſſit nocumento illato.*

Spiritum emittere ẽ voluntarie mori.

Denique cum Euangeliſta inquit, quod Ieſus

*Mat. 27*

*emiſit ſpiritum*, voluntariam fuiſſe illi mortem, oſtendit: nam emittere ſpiritum, animam ſignificat propria voluntate pellere à corpore. Vnde

Hier. ſuper c. 27. Mat.

Hieronymus. *Diuinæ poteſtatis indicium eſt emittere ſpiritum, vt ipſe quoque dixerat: nemo poteſt tollere animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo, & rurſum accipio eam.*

11 *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Alterum quod Propheta nos

Xpi benignitas erga crucifixores ſuos.

ſemper vult habere præ oculis, eſt patientia ſumma & benignitas, quam erga crucifixores ſuos Chriſtus Dominus oſtendit, dum paſſus eſt. Numquam repugnauit, numquam contradixit, ſed obedientiſſimus ſemper extitit, & ſubiectus voluntati patris. Vnde & Propheta in perſona illius

*Pſal. 16.*

loquens ad patrem, ait: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*, ideſt, vias laborioſas mortalitatis humanæ, atque paſſionis, vt

Aug. ibi.

S. explicat Auguſt. Nec ſolum patri ſe obedientem exhibuit, ſed etiam ſuis aduerſarijs illum ad mortem inique damnantibus. ligatus tacet vt agnus, exutus propria veſte, non aperuit os ſuum, nec iratus eſt. *Et cum accuſa-*

*Mat. 27 b*

*retur à principibus ſacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Dicit illi Pilatus; non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? & non reſpondit ei ad vllum verbũ, ita vt miraretur*



Præſes

*Præſes vehementer*. Denique dũ affigeretur cruci, non recalcitrauit, ſed tanquam agnus obmutuit, patienter ſuſtinens pro nobis mortem, & mortẽ crudeliſſimam atque abiectiſſimã, vt perſeuerãter vnuſquiſque diſcat tollere crucẽ ſuam, & Chriſtum tanquã ducem ſequi. *In hoc vocati eſtis* (inquit Petrus Apoſtolus,) *quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cũ malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non cõminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte*: Comparat autem Chriſtum agno, vt fructum paſſionis eius inſinuet, alludens ad agnum paſchalem cuius fit mentio Exodi 12. *Chriſtus enim* (vt ait Hieronymus,) *agnus eſt, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor linitus in poſtibus, exterminatorem fugabat Aegypti. Qui non ſolum ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, ſua veſte calefaceret, & audiremus Apoſtolum nobis loquentem: quot quot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et in alio loco: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.*

*1. Pet. 2. d*

Chriſtus agno paſcali cõfertur.

*Exod. 12 b*

Hier. ſuper c. 53. Iſaiæ tom. 5.

*Galat. 3. g*

*Rom. 13 d*

12 *De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt. Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium*. Poſtquam Propheta ſe paululum exonerauit à præcedentibus verbis, luctuoſis quidem, ſed hiſtoriam rei prædicendæ, quam horrebat animus illius, leuiter attingentibus, iam tandem hiſtoriam penitus ingreditur, ſed paucis (quod affecti ſolent animi) totum paſſionis Chriſti tempus percurrens, & multa vnico verbo comprehendens. Primo igitur captus eſt Redemptor noſter, & coniectus in carcerem. *Et ad Annam Caiphæ ſocerum, ac deinde ad Caipham ex Annæ tranſmiſſione perducitur, & poſt inſanas calumniantium voces, poſt commentitias ſubornatorum teſtium falſitates, ad examen Pilati Pontificum delegatione transfertur*. Conſpuitur, flagellatur, iudicatur reus mortis, ac deinde crucifixus eſt, & mortuus inter duos latrones, & poſtremo translatus ad hortum, in quo erat ſepulchrum nouum, vbi repoſitum eſt corpus eius. Hæc omnia duobus verbis complectitur, *de anguſtia* inquiens, ideſt poſt anguſtiam quam paſſus eſt nocte paſsionis, quando *factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: & de iudicio*, ideſt, poſt iniquam ſententiam iudicis, contra illum datam, *ſublatus eſt* à nobis per mortem, eleuatus in cruce, ac poſtmodum in ſepulchro poſitus. Septuaginta. *In humilitate iudicium eius ſublatum eſt*. Quorum translatione vtitur S. Lucas, Actorum 8. Quæ verba eundem fere ſenſum reddunt. I*n humilitate*, ideſt, præ humilitate & manſuetudine Chriſti, qui paſſus eſt iudicari inique, & damnari ad mortẽ, *iudicium eius ſublatum eſt*, ideſt, iudicio iniquo, nulla forma iuris ſeruata, abſque vlla prorſus cauſa à falſis teſtibus accuſatus, traditus eſt morti. Sic interpretãtur iſtum locum S. Chryſoſtomus & Tertullianus. Cum ergo ad hoc tam lugubre vaticinium perueniſſet propheta, non potuit non interrumpere ſermonem, & in vehementem quandam exclamationem erumpere, vt iniquitatẽ, impietatem reprehenderet, & crudelitatem hominum illius ætatis, qua occiſus eſt Chriſtus. *Generationem eius*, ideſt, generationem prauam & peruer-

Paſſionis Chriſti deſcriptio.

Hiſtoria paſsionis.

Leo Papa ſerm. 8. de paſſ. Dñi.

*Lucæ 22 e*

Iudicij forma in paſſ. Chriſti nõ eſt ſeruata

Chry. or. 3 aduerſ. Iudæos to. 5. Tertull. li. aduerſ. Iudęos de clarit. gentiũ.



ſam illius ſeculi, quis poterit enarrare? Quaſi dicat: O gentem iniquiſsimam, ò ingratos, & rebelles, ò peruerſos, & impios, quis inuidiam veſtram, quis odium & ſæuitiam, qua aduerſus agnum ſine macula inſurrexiſtis, poterit explicare? & addit cauſam ſuæ iuſtæ exclamationis, *quia abſciſſus eſt de terra viuentium*, id eſt, de medio hominum ſublatus; vel *quia tollitur de terra vita eius*. (vt vertunt Septuaginta.) vbi verbũ ſucciſſus magnam habet emphaſim, ſumpta ſimilitudine ab arboribus, quæ à proprijs radicibus ſucciduntur: & in hoc certam ſpem tribuit reſurrectionis Dominicæ, in qua, virtute radicis, ideſt, Diuinitatis Chriſti, iterum pullulauit virgultum ſucciſſum, cuius meminerat ſupra. Scriptum eſt enim: *Lignum habet ſpem: ſi præciſſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant. Si ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quaſi cum primum plantatum eſt*. Quem locum cum ſancto Gregorio de Chriſto explicuimus ſupra. Hæc explicatio eſt ſatis conſona textui Hebraico, vbi vox Hebræa, pro qua vulgata editio tranſtulit *generationem*, ſeculum ſignificat, & Latini, ætatem appellant, ideſt homines vno ſeculo, & ætate viuentes, *de vna era*. (vt dicitur Hiſpane,) Hinc ortum habuit ille Hebraiſmus, quo frequenter vtitur Scriptura. *In generatione & generationem*, ideſt, in ſecula infinita.

Reſurrectionis ſpes indicatur Xpi, cũ ſucciſſus dicit

*Iob 14. b*

Sup. cap. 4. nu. 5.

*Pſ. 32. c*

13 *Generationem eius quis enarrabit, &c.* Alias duas explicationes ſatis frequentes apud ſanctos Patres habet præſens locus. Altera eſt ſancti Cyrilli, & Chryſoſtomi, quam ſequitur ſanctus Clemens Papa, atque alij plurimi ſancti Doctores, qui de generatione Chriſti æterna explicant hæc verba, & ſatis ad literam: Propheta quippe, ne Chriſtus in paſsione vileſceret ex his quæ habuit ex matre, æternam ſtatim illius generationem propoſuit, vt honorabilis fieret ex his quæ æternaliter accepit à patre, quando de ſubſtantia illius *abſciſſus eſt*, ideſt, genitus ſine matre Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Altera vero explicatio eſt ſancti Athanaſij, & Tertulliani, & aliorum, qui de generatione temporali Chriſti, qua de Virgine natus eſt ſine patre, hæc explicant verba. Vtraque generatio eſt ineffabilis, vtraque inexcogitabilis, inenarrabilis vtraque. De æterna dicit Apoſtolus: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum*, immo & per filium, Euangeliſta atteſtante: *Vnigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit*. Sed quis valeat comprehendere qualiter de Virgine ſit natus, matre incorrupta manente? Vnde & ipſa cæleſti admonita oraculo; *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur*, dixit ad Angelum. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ineffabile reputans, & incomprehenſibile myſteriũ abſconditum à ſeculis in Deo, quod nec ſuperiores poteſtates ſcire potuerunt, ideo de effectu nõ dubitãs, qualitatẽ ipſius quæſiuit & modum. Et cũ ait Propheta, *quoniã abſciſſus eſt de terra viuentium*, alludere videtur ad illud, quod poſtmodum prophetauit Daniel de lapide abſciſſo de monte ſine manibus, *qui percuſſit ſtatuã in pedibus eius ferreis & fictilibus, &* com-

Cyrill. li. 2 de Trinit. Chryſ. lib. de incomprehẽſibili Dei natura. Clem. ep. 1. n. 1. cõcil.

Xpi gñatio æterna inenarrabilis & ſimiliter tẽporalis.

Athan li. 1 de incarn. Verbi. Tertull. li. de claritate gentiũ, aduerſ. Iudæos.

*1. Cor. 2.*

*Ioan. 1. c*

*Lucæ 1. c*

*Daniel. 2. e*

*comminuit eos.* Per quem lapidem, vt
Sup.c.2. n. 2. notauimus ſup. ſignificatus eſt Chriſtus, qui de Virgine ſine manibus, .i. abſque virili ſemine natus eſt. Sicut ergo Daniel beatam Virginem montem dixit, propter virtutis cumulum atque eminentiã ſanctitatis, qua omnes alios ſanctos, & ſpiritus exceſſit angelicos: ita Iſaias terram viuentiũ
MariaVir. mater eſt viuentium ſp̃ualiter, ſicut Eua viuentiũ carnaliter. nuncupauit; quoniam mater eſt omnium qui ſpiritualiter viuunt: ſicut Eua eorũ qui viuunt ſecundum carnẽ. Ideo enim Euæ nomen prima mulier accepit, quoniam mater fuit omnium viuentium. Sicut ſcriptum eſt:
Gen.3.d *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua: eo quod mater eſſet cunctorũ viuentium.* Vtramque explicationẽ his verbis S. proſequitur Auguſt.
Aug.li.50. homil. ho. 36.to.10. *In humilitate iudicium eius ſublatũ eſt, & ne contemnas, generationem eius quis enarrabit? quam generationem? Ante luciferum genui te. Ecce vna generatio. Ante luciferum, ante omnia quæ facta ſunt, ante omnes Angelos, ante omnem creaturam. quare? quia omnia per ipſum facta ſunt. Sed forte eius ſecũda generatio narratur. quis illã narrat? fide concipitur, maſculus non accedit, vterus Virginis tumet, procedit tanquam ſponſus de*
Pſ.18. *thalamo ſuo: mirabilis iſta generatio, mirabilis iſta humana, quia ſine*
Ioan.1. *patre, mirabilis illa, quia ſine matre.* Eſt quarta explicatio huius loci, quã ſuper caput primum proſequuti ſu-
Sup.cap.1. nu.33. mus, vbi verba hæc de multitudine filiorũ, quos Chriſtus Dñs moriẽs genuit, hanc explicuimus prophetiã: ita vt ſenſus ſit. *Generationẽ eius,* .i. perpetuã ſucceſſionem fideliũ, & multitudinẽ ſpiritualium fructuũ, quos gra-
Ioan.12 num fruměti cadens in terrã & mortuũ attulit, qs poterit enarrare? quis numerare ſufficiet? Hinc habemus p̃clarum teſtimoniũ ad perpetuitatem Eccleſiæ comprobandã, & continuã ſucceſſionem fidelium, de qua plura diximus ſuper in illa verba. *Et fluent ad eum omnes gentes, &c.* Sup.c.2.a. 6.7.8.

14 *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Iterum repetit quod prædixerat ſupra; *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt p̃pter ſcelera noſtra,* & alijs verbis idipſum explicat, vt innocẽtię Chriſti, atque eximię charitatis eius, *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed* Rom.8.f *pro nobis omnibus tradidit illũ,* ſemp memores exiſtamus. Percuſſit Chriſtum Dñm pater æternus, percuſſerũt Iudæi, tradidit morti filium ſuum Pater ęternus, ſicut Apoſtolus dicit. Tra Rom. 8. didit & ipſe filius ſeipſum, ſicut inferius dicitur. *Et fortium diuidat ſpolia, pro eo quod tradidit in mortẽ animam ſuam.* Tradidit Iudas, vt habetur Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim* Ioan.6.g *elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? Dicebat autẽ Iudam Simonis Iſchariothẽ: hic enim erat traditurus eũ, cum eſſet vnus ex duodecim.* Tradiderunt illum Iudæi, ſicut teſtatus eſt Pilatus ipſe, cum dixit ad Ieſum: *Gens* Ioan.18 *tua & Põtifices tui tradiderũt te mihi.* Pilatus denique illum tradidit, vt crucifigeretur, ſicut dicitur Ioan. 19. aliter tamen & aliter.* *Pater enim* *S.Th.3.p. q.47.art.3. ad 3. *tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex charitate; Iudas autem tradidit illum ex cupiditate; Iudæi autem ex inuidia: Pilatus autem ex timore mundano, quo timuit Cæſarem.* Morti Xpũ pater tradidit ex charitate, Iudæi ex inuidia. Qualiter autem Pater æternus percuſſerit filium ſuum, aut morti tradiderit, his verbis explicat, Sanctus Thomas. *Chriſtus paſſus eſt voluntarie ex obedientia patris. Vnde ſecundum tria Deus pater tradidit Chriſtum paſſioni. Vno quidem modo, ſecundum quod ſua æterna volũtate præordinauit paſſionẽ Chriſti ad hu-* S.Th.ar.3. citato in corp. Morti Pater Xpum tradidit ſecũdũ tria.



*ad humani generis liberationem, ſecundum illud quod dicitur Iſaiæ 53. Dominus poſuit in eo iniquitatẽ omnium noſtrum.* Et iterum: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Secundo, inquantum inſpirauit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem, vnde ibidem ſequitur: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Tertio, non protegendo eum à paſſione, ſed exponendo perſequentibus. Vnde & legitur Matth.*
Mat.27 *27. quod pendens in cruce Chriſtus dicebat, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? quia ſcilicet poteſtati perſequentium eum ſtatuit,*
Aug.in ep. 120 ex ca. 6.&10.to.2 *vt Auguſtinus dicit, de gratia noui teſtamenti.*

15 *Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Per *impios,* vt pla-
Tertull.li. 3.aduerſus Marcionẽ. cet Tertulliano, intelligit milites, qui deputati ſunt, vt cuſtodirent ſepulchrum. Vere enim fuerunt impij, (vt explicat gloſſa interlinearis) quia mendacium vendiderunt, *mendaciũ*
Aug.li.50. homil. ho. 36.to.7. cæci cæcis, vt ait Auguſtinus. *Dicite (dictum eſt illis) quia dormienti-*
Mat.28 ſ *bus nobis venerunt diſcipuli eius, & ſubtraxerunt illum. O vanitas vendens vanitatem, vanitatem audituris, vanis credituris. Hodieq; hoc eſt apud Iudæos, ſic habetur ipſa fama vana, quàm falſa, quàm inani. Teſti-*
Xpi ſepul. chrũ cuſtodientes taxantur. *monium martyrum nolunt audire, vt viuant, & teſtimonium dormientium audiunt, vt pereant. Si dormiebant cuſtodes, vnde ſcire potuerunt, quis illum tulerit de ſepulchro? aut quid vigilabas male? O male, de quo non ſine cauſa dixit propheta, dabo malos pro ſepultura eius. O mali, ò peſſimi, aut vigilabatis & cuſtodire debuiſtis, aut dormiebatis & quid ſit factum neſcitis. Impletum eſt enim quod Spiritus ſanctus per pſalmiſtam multum ante prædixerat. Cogitauerunt conſilium, quod* Pſal.20. *non potuerunt ſtabilire.* Dedit ergo *impios pro ſepultura,* (ideſt illos qui *abeuntes munierunt ſepulchrum ſi-* Mat.27 f *gnantes lapidem cum cuſtodibus.* Dedit etiam *diuitem pro morte ſua;* quoniam ſanctum Ioſephum ab Arimathia excitauit, vt illum de cruce deponeret, & honorifice ſepeliret. Ioſeph ab Arimathia pietas erga Chriſtum. Sic explicat Auguſtinus vbi ſupra, ait enim: *Diues ille* (inquit) *ab Arimathia Ioſeph, cum Dominus penderet in cruce, intrauit ad Pilatum & petijt corpus eius, obſecutus eſt vt ſepeliret, dati ſunt diuites pro morte eius, ſepeliuit pauperem in quo diuitias requirebat. Ergo diuites propter mortem eius. Quod poſtea dixit primo factum eſt, quod primo dixit poſtea factum eſt, malos pro ſepultura eius.* Eſt & alia explicatio ſatis cõmunis inter patres, videlicet, tradet impios Iudæos Romanis vaſtandos; propter impietatem commiſſam cõtra Chriſtũ, quem tradiderunt morti, cum eſſet innocens, nec vllam inuenirent in eo cauſam. Sic explicat Chryſoſtomus, Euſebius Cæſarienſis, & Procopius. Chryſ. ho. 52. in Ioa. & orone.3. aduerſus Iudæos. Vel ſic: *dabit impios,* ideſt, *tradet in gehennam.* Sic enim habetur Chald. *pro ſepultura,* ideſt, *quia iniquè illum tradiderunt morti, & diuitem, ſcilicet Pilatum, & ſacerdotum principes etiam tradet in gehennam pro morte ſua,* ideſt, quia illum damnauerunt ad mortem.

16 *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Vt aduertit Auguſtinus, pluries in hoc capite eãdem rem inculcat Iſaias, & iterum atque iterum commendat, eo quod cum ſuperbis hominibus, & contentioſis loquebatur. Quod ergo ſupe- Aug. lib.1. de peccatorum meritis, & remiſſione c.27. tom.7.

rius dixerat: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, hoc ipſum repetit his verbis. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate*, (ideſt) in paſſione, qua pro nobis doluit & infirmatus eſt. quibus verbis tacitæ videtur occurrere obiectioni. Poſſet quippe aliquis dicere: quid eſt in cauſa, quod homo innocentiſſimus, qui iniquitatem nõ fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, tot ſit perpeſſus ſupplicia, & morte turpiſſima condemnatus? Reſpondet, non propter peccata propria eſſe punitum; nam omni peccato ipſe carebat, ſed quia Pater voluit Chriſtum mori, vt noſtra in illo peccata puniret, & nos ad perennem vitam reuocaret, ſicut per Ioannem

1. Ioan. 4 b

ait. *Ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*. Hinc eſt quod mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, dimittitur, & audire meruit, *fides tua te ſaluam fecit, vade in pace*: Chriſtus

Ioa. 19. a

Mulier peccatrix dimittitur, & homo in nocẽs morti traditur.

autem innocens capitur, ligatur, & occiditur. *Ecce homo*, ait Pilatus. Homo quidem erat, ſed iuſtus, & innocens, & ſicut ait ſponſa. *Candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. Euangeliſta vero Mariæ Mag-

Cant. 5. c

Lucæ 7. f

dalenæ pœnitentiam deſcribens, ait: *Ecce mulier*, & qualis fuerit mulier oſtendit, ſubdens. *Quæ erat in ciuitate peccatrix*. Quæ ergo æquitas patitur, quæ iuſtitia, vt homo innocens crucifigatur, & mulier *peccatrix* dimittatur in pace? Hoc certe opus eſt miſericordiæ, conſilium Diuinæ iuſtitiæ. Tolle peccata mulieris, & ſuper humeros transfer hominis innocentis, & videbis, quod ſecundum leges Diuinæ iuſtitiæ homo ille debet mori, licet iuſtus, licet agnus ſine macula. Transfer etiam in mulierẽ peccatricem ſatisfactionem, & merita illius, qui cum eſſet diues, pro nobis egenus factus eſt, & omnia erunt conſona. *Mulier* ergo *peccatrix* iuſte dimittitur propter innocentiam hominis iuſti, & homo iuſtus iuſte traditur morti à patre propter peccata mulieris peccatricis. Ex quo Dei iuſtitia commendabilis redditur & ſeueritas: nam peccatum hominis ſine pęna dimittere noluit, quin propter illud proprio filio ſuo nõ pepercit. & ſimiliter apparet bonitas eius & miſericordia in eo quod cum homo ſufficientem offerre ſatisfactionẽ non poſſet, quantumuis pęnã immenſam pateretur, ei ſatisfactorẽ dedit, & pro nobis omnibus tradidit illum.

17 *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*. Iam propheta denunciat vberrimum fructũ paſſionis & mortis Chriſti, quem pater illi promittit. Et habent hæc verba eumdem ſenſum cum illis Ioannis duodecimo.

Ioan. 12

*Niſi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Si poſuerit* (inquit) *pro peccato animam ſuam*, (ideſt,) ſi ſe obtulerit in ſacrificium expiatoriũ pro peccato: alludit enim ad ſacrificia veteris legis, quæ offerebantur pro peccato, inſinuans, non illa, ſed vnicum nouæ legis ſacrificiũ in ara crucis oblatum vim habere mundandi hominem à peccato, iuxta illud quod ipſe Saluator loquens per pſalmiſtam ait: *Holocauſtum &*

Pſal. 39.

*pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi ecce venio*. Videlicet vt me offeram in ſacrificium acceptum pro peccato. Hinc Apoſtolus. *Superius dicẽs:*

Heb. 10. l

*quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata pro peccato noluiſti, nec*

placita



*placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuã: aufert primum, vt ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* Obſeruandum eſt autem, quod non dixit, ſi poſuerit pro peccatis animam ſuam; ſed *pro peccato*: quoniam licet omnia venerit delere peccata, principalius tamen incarnatio

Originale peccatum venit Xps delere principaliter.

S. Tho. 3. p. q. 1. ar 4. in corp.

Chriſti facta eſt ad tollendum peccatum originale; cuius rationem aſſignat Sanctus Thomas: nam peccatũ originale eſt peccatum totius naturæ, & malũ vniuerſalius, atque adeo oppoſitum eminentiori bono, quod Chriſtus principalius venit promouere: Vnde & gloſſa venerabilis Be-

Beda.

Ioan. 1.

dæ presbyteri, exponens illud Ioannis primo. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, ait. *Peccatũ mundi dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi*. Sequitur: *Videbit ſemen longæuum*. Ideſt fideles filios. vnde *ſemen longæuum*, idem eſt quod ſemen vitæ longeuæ, ſeu longo viuens tempore. Alij *ſemen longæuum* plurimos dicunt ſignificare fideles & innumerabiles, qui erunt perpetuis ſæculis, vſque ad finem mundi. *Et voluntas Dei in manu eius*, (ideſt) per manum illius ſeminis *dirigetur*, (ideſt,) proſpere incedet, & proſperabitur in omnibus iuxta illud: *Potens in terra erit ſemẽ*

Pſ. 111.

Sup. cap 1. nu. 33.

*eius: generatio rectorum benedicetur*. Vide q̃ ſup. de hoc ſemine dicta sũt.

18 *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſciẽtia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit*. Magis explicat quod verſiculo prædixerat anteriori, & iterum atque iterum inculcat paſſionem Chriſti, ad maiorem vehementiam, & vt magis memoria illius nobis inhæreat. Videtur propheta eũdem in hoc capite affectum exprimere, quem oſtendit Apoſtolus cum dixit: *nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc*

1. Cor. 2 a

*crucifixum*. Senſus ergo eſt. *Pro eo quod laborauit*, ideſt, quoniam tã acerbã, tam laborioſam atque ignominioſam mortem pertulit, *videbit*,

Fidelium multitudine ſaturatur Xps.

ideſt, obtinebit in præmiũ, quidquid voluerit. Conſequetur omne illud, ad quod paſsionem ſuam & mortem ordinauerit: *Saturabitur* vidẽs credentium multitudinem, atque conuerſionem fidelium, quam eſuriuit ſemper & ſitiuit. Saturatus eſt opprobrijs, in paſsione: *ſaturabitur*, & in reſurrectione gloria & exultatione. *Saturabitur*, cum viderit animas ſanctorum patrum glorioſas, quas proprio ſanguine redemit, atque eduxit de lacu, in quo nõ erat aqua: cum viderit gentes, idolis relictis, amplecti Euangelium, atque Eccleſiam Catholicam toto orbe terrarum diffuſam conſurgere: Hæc enim ſunt & ſimilia quibus ſaturatur anima Chriſti, ſicut ipſe ait. *Meus cibus eſt, vt*

Ioan. 4. e

*faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius*. Videbit immenſum ſuæ paſsionis fructum, quo ſaturabitur. Non potuit propheta melius exprimere nimiam erga nos charitatem Chriſti, quàm cum ſignificat ipſum vnice oblectari ſalute noſtra, atque in ea, vt in fructu laborum ſuorum requieſcere, velut is qui eam rem conſequutus eſt, quam maxime optabat. Et hoc eſt quod ſtatim ſubdit propheta. *In ſcientia ſua*, ideſt, fide, quæ per dilectionem operatur. Fides enim *ſcientia* dicitur, propter

Fides ob certitudinẽ ſciẽtia di.

certitudinem & infallibilitatem, ſicut Iob 19. *Scio*, ideſt credo, *quod redemptor meus viuit*. Vel *in ſciẽtia*

Iob 19. d



*ſua*,

ſua, ideſt doctrina ſua, & prædicatione Euangelij, *ipſe iuſtus ſeruus meus*, ideſt Chriſtus, qui inquantum homo, ſeruus dicitur, & *factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, *ipſe* inquam *iuſtus*. *Iuſtificabit multos*: Vnde non in ſacrificia legis antiquæ, ſed in legem gratiæ noſtra ſanctificatio eſt referenda. *Multos* inquit, & non omnes: quoniam licet pro omnibus mortuus ſit Chriſtus; virtus tamen paſsionis eius non omnibus efficaciter applicatur, ſed illis dumtaxat, qui fidei & charitatis eius participes fiunt.

*Philip. 2.*

19 *Ideo diſpertiam ei plurimos: & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam*. Senſus eſt, quoniam Chriſtus cum iuſtus eſſet, pro impijs in mortem ſeipſum tradidit; propterea *diſpertiam ei plurimos*, ideſt, in partem & ſortẽ hæreditatis ſuæ dabo *ei plurimos*, tamquam fructus paſſionis eius, iuxta illud. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ*. Cui explicationi conſonat tranſlatio 70. interpretum, qui pro, *diſpertiam* vertunt, *poſſidebit plurimos*, & dicit *plurimos*, non omnes; quia non omnes ſunt prædeſtinati ad vitam æternam, neque omnes obediunt Euangelio. *Diſpertiam plurimos*, non ex Iudæis tantum, ſed etiam ex gentibus. *Diuidet* etiam *ſpolia fortium*, hoc eſt dæmonum, quod ad literam impleuit, cum ſanctos Patres eduxit de mortis carcere, cum aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Hinc collige, Chriſti merita à Patre præuiſa, cauſam eſſe meritoriam prædeſtinationis noſtræ, quod & Apoſtolus ad Epheſios primo manifeſte docet, cum ait. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſo ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*. Cuius rationem aſſignat ſanctus Thomas; nam ſub prædeſtinatione Dei æterna non ſolum cadit id, quod eſt faciendũ in tempore, ſed etiam modus, & ordo, ſecundum quem eſt in tempore complendum: ſed Deus præordinauit noſtram ſalutem, ab æterno prædeſtinando, quod per Ieſum Chriſtũ compleretur, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. ergo merita Chriſti noſtræ prædeſtinationis extiterunt cauſa. Illi ergo omnes efficaciter conſequentur vitam æternam, quos ipſe in hæreditatem ſuam poſtulauit à patre, pro quibus & quantum ad efficaciã, ſuam applicuit paſſionem & mortem. Quod autem ait, *& fortium diuidet ſpolia*, ad diuiſionem refertur Apoſtolorum. Et ſenſus eſt: Gentes quas deprædatus fuerat diabolus, diripiet Chriſtus, & diuidet inter Apoſtolos ſuos: nam Petro Iudæorum, Paulo gentium curam commiſit, ſicut ipſe teſtatur. *Cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis: qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes*. Thomæ Apoſtolo ſorte contigit Indorum cura, *Iacobus in Hiſpania prædicauit*, & ſic de alijs. Hanc explicationem ſequitur Auguſtinus. *Iam*, inquiens, *in hæreditate poſſidet multos, & fortium partitur ſpolia, cum ea quæ diabolus & dæmones poſſidebant, per Eccleſiarum ſuarum fabricas, & quoslibet neceſſarios vſus, illis expulſis perditisq., diſtribuit*. Conſonat hæc explicatio cum loco illo Euangelij. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet: ſi autẽ*

*Pſal. 2.*

Spolia fortiũ fuere ſancti Patres quos ab inferis eduxit Xp̃s

Prædeſtinationis noſtræ cauſa fuerũt Xpi merita.

*Epheſ. 1.*

S. Tho. 3. p. q. 25. art. 4. in corp.

Apoſtolorũ diuiſio.

*Gal. 2. b*

Teſte Iſidoro.

Aug. lib. 1. de conſenſ. Euangeliſt. c. 31. in fin.

*Lucæ 11.*

q 4 *fortior*



*fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*. Super quæ verba legenda ſunt quæ ſuperius adnotauimus. Poſſunt etiã, per *ſpolia fortium* intelligi virtutes & dona cæleſtis gratiæ, quibus propter ſuã ſuperbiam ſpoliatus eſt Lucifer cum conſortibus ſuis, quæ quidem inter ſuos diuiſit Chriſtus Dominus: Sicut ait Apoſtolus. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationũ ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt: idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij vero ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult*. Tertia explicatio eſt aliorum, qui, per *ſpolia fortium*, intelligunt prẽmium, quod fortiter pugnantibus pro iuſtitia diſtribuitur electis, ſumpta ſimilitudine à militibus, quibus parta victoria, ſpolia eorum, qui proſtrati ſunt, conceduntur, & ſenſus eſt. Quoniam Chriſtus morti tradidit animam ſuam, quoniam inique ab hominibus iudicatus eſt ipſe, *fortiũ*, ideſt, fortibus, *diuidet ſpolia*. Nam propter meritum paſſionis, *conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum*, vt reddat vnicuique ſecundum opera eius. Cui conſonat illud Iob. *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt: cauſam iudiciumq. recipies*. Vt ſupra explicatum eſt.

Sup. c. 8. n. 6. c. 9. n. 10.

Virtutes dicuntur ſpolia fortium.

*1. Cor. 12.*

Beatitudo ſignificatur per ſpolia fortium.

*Act. 10. g.*

*Iob. 36.*

Sup. ca. 3. n. 24.

20 *Pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam*. Qui ſcire voluerit, qualiter Chriſtus ſeipſum morti tradiderit, legat ſanctum Thomam. & recolat quæ diximus hoc eodem capite num. 14. Ex quibus conſtat, Chriſtum Dominum tripliciter ſeipſum morti tradidiſſe: primo quidem inquantum Deus, quatenus videlicet ab æterno habuit voluntatem communem cum Patre, & Spiritu ſancto, quia pro ſalute generis humani mortem decreuit pati, iuxta illud, quod Petrus dixit: *Conuenerunt enim vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gẽtibus, & populis Iſrael, facere quod manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri*. Secundo inquantum homo; nam ex obedientia Patris mortem voluntarie acceptauit; iuxta illud Apoſtoli. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quod* quidem (vt ait ſanctus Thomas) *conueniebat iuſtificationi humanæ, vt ſicut per vnius hominis inobedientiã peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius hominis obedientiam iuſti conſtituantur multi*. Tertio, inquantum ſacerdos nouæ legis. Ad ſacerdotem enim pertinet dona offerre & ſacrificia pro peccatis. Dicit enim Apoſtolus: *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Cum ergo ipſe Chriſtus ſimul fuerit ſacerdos & hoſtia, ad ipſum pertinebat, ſpeciali quadam ratione ſeipſum patri in ſacrificium offerre, ſicut reuera ſe obtulit, (Apoſtolo atteſtante:) *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad*

S Tho. 3. p. q. 47. art. 1. 2. & 3.

Xp̃s morti tripliciter ſeipsũ tradidit.

*Act. 4. f*

*Phil. 2. a*

S. Th. art. 2 cit. in corp.

*Rom. 5.*

Chriſtus ſacerdos & hoſtia.

*Heb. 5.*

*Heb. 9. d*

*cat ad*

*rat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti?*

Heb. 9. g

Et paulo inferius: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Nec obſtat, quod ſacerdotis eſt hoſtiam quam offert occidere, Chiſtus autem non ſeipſum occidit, non ergo fuit ſimul ſacerdos, & hoſtia. Reſpondet enim Sanctus Thomas, *quod licet Chriſtus non ſe occiderit, tamen ſeipſum voluntarie morti expoſuit; ſecundum illud Iſaiæ 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & ideo dicitur ſeipſum obtuliſſe.* Secundo reſpondetur ex doctrina eius ſancti Doctoris, quod licet *Chriſtus non ſe occiderit directe, hoc enim modo perſecutores illius eum occiderunt, quia ſufficientem cauſam mortis intulerunt ei cum intentione occidendi, & ipſo effectu in re ſubſequuto: indirecte tamē ipſemet Chriſtus fuit cauſa ſuæ mortis, eo quod eam potuit impedire, & non impediuit, vt ſupra dictum eſt*, & ex hac parte aliquid operatus eſt indirecte circa rem oblatam, atque adeo vere fuit ſimul ſacerdos & hoſtia.

S Tho. 3. p. q. 22 art. 2. ad 1.

S. Th. 3. p. q. 47. art. 1. in corp.

Xp̄s ſuæ mortis cauſa fuit indirecte.

21 *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Ecce apertum vaticinium ignominiæ, quam paſſus eſt Chriſtus, dum cum eo crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius. *Tunc enim* (vt ait Marcus) *impleta eſt ſcriptura, quæ dicit. Et cum iniquis reputatus eſt.* Sed dubitari poteſt, quomodo verificetur, Chriſtum fuiſſe inter iniquos reputatum, cum vnus illorum, qui crucifixus erat cum illo, alium blaſphemantē Dominum increpauerit, dicens: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſte, nam digna factis recipimus: hic autem quid mali geſſit:* Et conuerſus ad Ieſum dixerit illi; *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Cui Dominus, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo?* Si ergo non vterque, ſed alter dūtaxat Chriſtum blaſphemauit, ſi vnus electus fuit, & alter reprobus, quomodo inter iniquos reputatus eſt; dum fuit in medio illorum crucifixus? Reſpondet Hieronymus, explicās illud Mathæi. *Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo conuiciabantur ei. Hic per tropum pro vno latrone vterque inducitur blaſphemaſſe. Lucas vero aſſerit, quod altero blaſphemāte, alter confeſſus ſit, & è contrario increpauerit blaſphemātem. Non quod diſcrepent Euangelia, ſed quod primum vterque blaſphemauerit: dehinc, ſole fugiente, terra commota, ſaxiſq. diſruptis, & ingruentibus tenebris, vnus crediderit in Ieſum, & priorem negationem ſequenti confeſſione emendauerit. In duobus latronibus vterque populus, & gentilium, & Iudæorum primùm Dominum blaſphemauit. Poſtea ſignorum magnitudine alter exterritus, egit pœnitentiam, & vſque hodie Iudæos increpat blaſphemantes.* Obſeruandum eſt autem cum Diuo Thoma, *quod alia ratione, quantum ad intentionem Iudæorum, Chriſtus inter latrones crucifixus eſt, & cum ſceleratis reputatus, alia vero quantum ad Dei ordinationem. quantum enim ad intentionem Iudæorū, duos latrones vtrimque crucifixerunt, ſicut dicit Chryſoſtomus, vt eorum ſuſpicionis fieret particeps: ſed non ita euenit, nam de illis nihil dicitur: huius autem vbique crux honoratur: reges diademata deponentes, aſſumūt* crucem

Chriſtus cū iniquis deputatur.

Marci. 15. c. & Lucæ 23 e

Lucæ 23 f

Ibid.

Hier. ſuper c. 27. Mat. to. 9.

Latro bon' an blaſphemauerit Chriſtum.

S. Tho. 3. p. q. 46. ar. 11 in corp.

Xp̄s quare inter duos latrones ſuſpenſus.

Homil. 88. in Mat. aliquantulū à princ. to. 2.



*crucem in purpureis, in diadematibus, in armis, in menſa ſacrata, vbique terrarum crux emicat: quantum vero ad Dei ordinationem, Chriſtus cum latronibus crucifixus eſt; quia vt Hieronymus dicit ſuper Matthæum, ſicut pro nobis maledictum crucis factus eſt Chriſtus, ſic pro omnium ſalute inter noxios, quaſi noxius crucifigitur. Secundo, vt dicit Leo papa in ſermone de paſſione, duo latrones, vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram crucifiguntur, vt in ipſa patibuli ſpecie monſtraretur illa, quæ in iudicio ipſius omnium hominum facienda eſt diſcretio. Et Auguſtinus dicit ſuper Ioannem. Ipſa crux, ſi attendas, tribunal fuit, in medio enim iudice conſtituto, vnus qui credidit, liberatus, alius qui inſultauit, damnatus eſt: iam ſignificabat, quod facturus eſt de viuis & mortuis, alios poſiturus ad dexterā, alios vero ad ſiniſtram. Tertio, ſecundum Hilarium duo latrones leuæ ac dexteræ affiguntur, omnem humani generis vniuerſitatem vocari ad ſacramentum paſſionis Domini oſtendentes: ſed quia per diuerſitatē fidelium ac infidelium, fit omnium ſecundum dextram ſiniſtramq. diuiſio, vnus ex duobus ad dexteram eius ſitus, fidei iuſtificatione ſaluatur. Quarto, quia, vt Beda dicit ſuper Marcum, latrones, qui cū Domino crucifixi ſunt, ſignificant eos, qui ſub fide & confeſſione Chriſti vel agonē martyrij, vel qualibet arctioris diſciplinæ inſtituta ſubeunt: ſed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dextri latronis fide deſignantur: qui vero humanæ laudis intuitu, ſiniſtri latronis mentem imitantur & actus.*

Hier. Mat. 27. ſup. illud, qui dr Golgotha tom. 9.

Leo ſer. 4. de paſſione

Aug. tract. 31. in Ioan. in fin. to. 9.

Hilar. c. 33 in Matth. circa med.

Beda ſuper c. 15. Marci

22 *Et ipſe peccata multorum tulit.* Ter inuenies hoc capite repetita hæc verba, Principio enim dixerat: *Vere languores noſtros ipſe tulit.* prope finem capitis ait: *Et iniquitates eorum ipſe portauit.* Et nunc tertio inquit: *Et peccata multorum tulit*, vt triplicis generis peccata abſtuliſſe cognoſcas, cordis videlicet, oris, & operis: aut vero, vt tres differentias temporis comprehendat, præteritum, præſens, & futurum. Tulit enim Chriſtus omnium peccata, & eorum, qui præceſſerunt, & eorum qui ſunt, & qui naſcentur vſque ad finem ſeculi. Nec obſtat, Prophetam dixiſſe, quod Chriſtus tulit peccata multorum, & non ait omnium. Nam, vt notauit Auguſtinus, Scriptura ſacra frequenter accipit multos pro omnibus. Nam *Abrahæ dictum eſt, patrē multarum gentium poſui te; cui tamen & alio loco, in ſemine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes.* Sic etiam dicitur Ioannis 4. *Deus multæ miſerationis* (id eſt) omnis. & Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa*, (id eſt) omnia. nā vnū peccatum mortale non poteſt ſine alio dimitti. Præterea etiam ideo dixit, *peccata multorum tulit*, quia quantum ad efficaciam non prodeſt omnibus paſſio Chriſti, quamuis in ſe ſufficiens ſit ad omnium hominū delenda peccata, vt hoc eodem capite dictum eſt.

Multi aliquando ſignificat omnes. Aug. li. 20. de ciu. Dei ca. 23.

Gen. 17.

Gen. 22.

Ioan. 4.

Lucæ 7.

23 *Et pro transgreſſoribus rogauit.* Prophetia eſt aperta orationis Chriſti, qua in cruce pendens pro ſe crucifigentibus orauit ad Patrem, dicens: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* In quo nimirū, & humilitatis exemplum, & eximiæ cuiuſdam charitatis nobis dedit, vt pro inimicis noſtris orationem faciamus; quod & verbis prius docuit, cum dixit: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderūt vos; & orate pro perſequentibus, & calumnian-*

Lucæ 23 e

Oro Xp̄i p̄ trāſgreſſoribus effuſa

Mat. 5. g

*niantibus vos: vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt*. Sic dilexit inimicos ſuos Chriſtus, *& pro tranſgreßoribus orauit. In ipſa eleuatione manuum tuarum* (inquit Bernardus,) *cum iam ſacrificium matutinũ in holocauſtum veſpertinum tranſiret, in ipſa, inquam, virtute incenſi, quod cælos aſcendebat, terram operiebat, inferos reſpergebat, exaudiendus pro reuerentia tua clamas. Pater ignoſce illis. O quam multus es ad ignoſcendum. O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. O quã longe cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris. O quam firma eſt etiam ſuper impios miſericordia tua. Mira res, ille clamat ignoſce, Iudæi crucifige: molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. O charitas patiens, ſed & compatiens. charitas patiens eſt, ſufficit. charitas benigna eſt, cumulus eſt, noli vinci à malo. charitas abundans, ſed vince in bono malum. ſuperabundans eſt, non enim ſola patientia, ſed & benignitas Dei Iudæos ad pœnitentiam adduxit, quia benigna charitas etiã quos tolerat, amat, & amat tam ardenter. Patiẽs charitas dißimulat, expectat, ſuſtinet delinquentem, ſed benigne trahit, adducit, conuerti facit ab errore viæ ſuæ, denique cooperit multitudinem peccatorum.* Ex toto diſcurſu huius capitis colligere debemus, qualiter à nobis imitandus ſit Chriſtus. Dicit enim Petrus Apoſtolus. *In hoc vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* **Chriſtus qui peccatum non fecit, innocens, & immaculatus, pro nobis ſacrilegis, & peccatoribus, & æterno ſupplicio mancipatis, tamquam atrocißimus reus ab iniquis iudicio ſiſtitur, flagellis cæditur, ſputis irridetur, & ille pro ſalute noſtra dorſum verberibus, ſputaminibus faciem, maxillas palmis non confunditur parare, & nos pro eo leue etiam confundimur audire conuicium? Gaudeamus potius & lætemur, ſi pro tam magnis eius, & pro noſtra ſalute paſſionibus, vel parua ſuſtineamus. Coronatus eſt ſpinis, vt nos qui ante ſpinei, & infructuoſi fueramus, fructum bonæ arboris apportaremus. felle & aceto potatus eſt, vt in nobis iam nec fellis amaritudo, nec aceti eſſet aſperitas.*

Ber. in ſer. fer. 4. hebdom. pœnoſ.

*Pſ. 54.d*

Xp̃i mortificatio à nobis qualiter imitanda.

*1. Pet. 2.*

*Hie. in ep. ad Oceanũ de ferendis opprobrijs.

CAPVT



# CAPVT LIV

1\. LAVDA ſterilis quæ non paris: decanta
laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniã
multi filij deſertæ magis quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus. 2. Dilata lo-
cum tentorij tui, & pelles tabernaculorum
tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. 3. Ad
dexteram enim, & ad læuam penetrabis: &
ſemen tuum Gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit. 4. Noli timere quia non confunderis, ne-
que erubeſces: non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ
tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis am-
plius. 5. 6. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituũ
nomen eius: & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omnis terræ vo-
cabitur. 7. Quia vt mulierem derelictam & mœrentem ſpiritu vo-
cauit te Dominus, & vxorem ab adoleſcentia abiectam, dixit Deus
tuus. 8. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus
magnis congregabo te. 9. In momento indignationis abſcondi fa-
ciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus
ſum tui: dixit redemptor tuus Dominus. 10. Sicut in diebus Noe
iſtud mihi eſt, cui iuraui, ne inducerem aquas Noe vltra ſupra terrã:
ſic iuraui vt non iraſcar tibi, & non increpem te. 11. Montes enim
commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea
non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſera-
tor tuus Dominus. 12. Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vl-
la conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, &
fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua: &
portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides
deſiderabiles. 13. Vniuerſos filios tuos doctos à Domino: & mul-
titudinem pacis filijs tuis. Et in iuſtitia fundaberis: recede procul
à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinqua-
bit tibi.

bit tibi. 14. Ecce aceola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. 15.16. Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum, & ego creaui interfectorem ad diſperdendum. 17. Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio, iudicabis. 18. Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini: & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus.

## SVMMA CAPITIS.

*IN capite præcedenti prædixerat Iſaias fructum dominicæ paſſionis: nunc eandem materiam latius proſequitur. Agit enim de gloria ac excellentia Eccleſiæ Catholicæ, ex Iudæis & gentibus congregatæ, & in primis, multitudinem illi pollicetur filiorum, ex omnibus quatuor mundi partibus ad fidem Chriſti confluentium, quod multis verbis proſequitur, à principio capitis, vſque ad verſiculum.* In momento indignationis, &c.

*Secundò, iuramento confirmat, id quod promiſerat, videlicet Catholicam Eccleſiam ex omnibus gentibus eſſe à Deo congregandam, defendendam, & ex lapidibus viuis ædificandam, de quo agit ab illo Verſiculo.* Sicut in diebus Noe, *vſque ad verſiculum.* Ecce accola, &c.

*Tertiò, firmitatem deſcribit Eccleſiæ Catholicæ, contra quam portæ inferi præualere non poterunt, nec eam inſurgentes hæreſes diſſipare; omnes enim iudicio ſedis Apoſtolicæ conterentur, & redigentur in nihilum; Agit de hoc ab illo Verſiculo.* Ecce ego creaui fabrum. *Vſque ad finem capitis.*





## COMMENTARIVM.

1 *LAVDA ſterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ, magis quam eius, quæ habet virum, dicit Dominus.* Deſcri-
Ioan. 12 bit in hoc capite Iſaias, quantum fru
ctum attulerit granum frumenti ca-
dens in terram ac emortuum, Chri-
ſtus videlicet paſſus, mortuus, & ſe-
Fructũ magnũ attulit Chriſtus mortuus. pultus. Fructus enim paſsionis eius,
eſt Eccleſiæ congregatio, tam ex Iu-
dæis, quàm ex gentibus: quàm tantã
dicit eſſe futuram, & tam innumera-
bilem filiorum multitudinem, vt ſua
cogatur tabernacula dilatare. Olim
parua erat Eccleſia in Iudæa, quam-
uis maritata videretur & fęcunda, at
nunc multo amplior eſt & fęcũdior,
& toto orbe terrarum diffuſa. Igitur
per ſterilem, & deſertam, intelligit
gentilitatem, quæ ante aduentũ Do-
mini deſerta erat à Deo, & nullum
ſpiritualem genuerat filium. Mulier
autem virum habens, erat Synagoga,
quam ſibi in fide iuxta vaticinium
Oſeæ 2.d Oſeæ deſponſauerat, cuius filijs per
Hier. 3.d Hieremiam dicit. *Conuertimini fi-
lij reuertentes, dicit Dominus, quia
ego vir veſter.* Plures ergo (inquit)
erunt, & multo plures *filij deſertæ*, id
eſt gentilitatis, quàm Synagogæ fue-
rint antiquitus; quod & ſuperius de-
Iſa. 32.d nunciauerat, dicens: *Et erit deſer-
tum in Carmel, & Carmel in ſaltum
Iſa. 41.e reputabitur.* Et iterum. *Ponam de-
ſertum in ſtagna aquarum, & ter-
ram inuiam in riuos aquarum.* Sic
explicãt iſtum locum S. Auguſtinus,

Hieronymus, & Paulus Apoſtolus ad Aug l.1. de conſen. Euangeliſt. ca. 32. to. 4. & lib. de vnit. Eccl. ca. 7. to. 7.
Galatas 4. & ibi Chryſoſtomus. *Quæ
igitur* (inquit) *ſterilis, & quæ deſer-
ta? An non perſpicuum eſt, hanc eſſe
Eccleſiam ex gentibus, quæ ante hac
Dei cognitione fuit priuata? Quæ ve-
ro eſt illa quæ habet virum? nonne
liquet hanc eſſe Synagogam? Atta-
men hanc multitudine liberorum ſu-
perauit vidua, ſterilis ſiquidem hæc
vnam dumtaxat habebat gentem.
Cæterum Eccleſiæ filij, Græciã, Bar-
bariam, terram, mare, denique orbẽ
vniuerſum implent. Vides vt factis
quidem Sara, verbis autem propheta
nobis futura ſubnotarint? Sed & il-
lud conſidera. Sterilem appellauit
Iſaias, & hanc oſtendit factam com-
plurium liberorum matrem. Idem
ſub figura accidit in Sara. Nam &
hæc cum eſſet ſterilis, numeroſæ ſobo-
lis mater eſt facta.* Huic dicitur;
*lauda*, vel *lætare*, (vt vertunt Septua-
ginta.) *Hinni*. hoc eſt exulta, iubila
præ gaudio. Conſonat huic explica- 1. Reg. 2. a
tioni illud Samuelis. *Donec ſterilis
peperit plurimos, & quæ multos ha-
bebat filios, infirmata eſt.* Et illud
Pſalmiſtæ. *Qui habitare facit ſteri-* Pſ. 112.
*lem in domo, matrem filiorum læ-
tantem.* Et illud: *Quis genuit mihi* Iſa. 49.f
*iſtos? Ego ſterilis, & non pariens,
tranſmigrata & captiua. & iſtos
quis enutriuit? Ego deſtituta & ſo-
la. & iſti vbi erant? Sed & hoc no-
tandum* (cum Beato Hieronymo,) Hier. ſuper ca. 54 Iſai.
*quod, quando dicit: Plures filij de-
ſertæ, magis quam eius quæ habet vi-
rum, non penitus Synagoga excludi-
tur à partu, ſed multitudo ei gentium*

*præferatur: & ipſa enim in Apoſtolis, & per Apoſtolos primum populũ genuit de Iudæis. Vnde duo Apoſtolorum principes, agmina ſibi credentium in Chriſto, circumciſionis, & gentium diuiſerunt, vt ex vtroque populo deſertam prius, atque pauperculam ædificarent Hieruſalem. Quod autem Hebraicum pro lætitia, hinnitum poſuit, gaudij ſignificat magnitudinem, in ſimilitudinẽ hinnientis equi ad victoriam.* Vnde & ſuperius, ad deſignandum gaudium magnum beatorum, inquit. *Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabũt:* [Iſa.24.c] *cũ glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari.* Sanctus Auguſtinus per, deſertam, Eccleſiam intelligit triumphantem, & Hieruſalem cæleſtem, quam lætari debere ait: quia ſine gemitu, & doloribus multo plures filios habet, quàm Hieruſalem terrena, quæ cum lacrymis generat carnaliter: quam ideo deſertam dicit, quia vita viuit quam deſeruit Adã primus, & ſecutus eſt mortem. Cum ergo regenerantur homines, reuertuntur ad eam quam deſeruerant vitam. Vnde & in Euangelio legimus, quod *reliquit nonaginta nouem oues in deſerto,* ideſt, nouem Angelorum choros, vbi deſertũ vocat cælũ ipſum quia illud, peccando deſeruit homo.

[Aug.q.40. de vet.teſt. tom.4.]

[Lucæ 15.]

2 *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extẽde, ne parcas: lõgos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida.* Magis explicat multitudinem filiorum, quos poſt paſsionem Chriſti genuit Eccleſia ex gentibus congregata, & denũciat, dilatandam eſſe per vniuerſum orbem. *Ne parcas,* inquit, aut non negligas, conſolida clauos, ideſt, fortiter fige. Et vtitur ſimilitudine tentorij atque tabernaculi, quod dilatari præcipit, ſolidari, & extendi, vt eos, qui generandi ſunt ab Eccleſia, filios capere poſsit. Cõſimilibus verbis vſus eſt ſuperius, cum dixit: *Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terræ ruinæ tuæ nunc anguſta erũt præ habitatoribus, & longe fugabuntur qui abſorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi vt habitem.* Vnde & per Zachariam dicitur. *Abſque muro habitabitur Ieruſalem, præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.* Et per Hieremiam. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hannaneel vſque ad portam anguli. Et exibit vltra norma menſuræ in conſpectu eius ſuper collem Gareb: & circuibit Goatha, & omnem vallem cadauerum, & cineris, & vniuerſam regionem mortis, vſque ad torrentem Cedron, & vſque ad angulum portæ equorum Orientalis: ſanctum Domini non euelletur, & non deſtruetur vltra in perpetuum.* Vterque propheta de amplitudine loquitur Eccleſiæ Catholicæ: nam (vt oſtendit Hieronymus,) verba inducta non poſſunt de materiali Hieruſalem verificari: illa enim muros habuit fortiſsimos, nec apparet quomodo poſt captiuitatem temporibus Zorobabel, & Eſdræ, quod Hieremias ait, fuerit ciuitas aliqua materialis ædificata à Domino. *A turre Hananeel, vſque ad portam anguli, &c.* Loquitur ergo (vt Hieronymus explicat, & communiter Sancti Patres) de ciuitate ſpirituali, hoc eſt, de Eccleſia Catholica, cuius gloriam & excellentiam admiratus propheta. *Glorioſa,* inquit, *dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Et iterum: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Aedificatur itaque Eccleſia à turre obe-

[Eccleſia tẽtorio confertur.]

[Iſa.49.f] [Zach.2.a] [Hier.31.g] [S. Hieron.] [Ibidem.] [Pſ.68.b] [Pſ.45.a]

dientiæ,



[Eccleſia ualiter diq latanda.]

dientiæ, ſiuæ gratiæ & donorum Dei, hoc enim ſignificat *Hananeel, vſque ad portam anguli. Et circuiuit Ioatha, &c.* (ideſt) ædificabitur toto orbe terrarum, etiam in angulis vbi Chriſtus annunciatus nõ fuerat, [Pſal.18] nam *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vide quanta habeat loca Eccleſia, & qualiter filios ſuos in vniuerſo mundo multiplicat. Myſticum ſenſum aliorum nominum, quę in auctoritate adducta exprimit Hieremias, require apud ſanctum Hieronymum. Nec vacat myſterio, quod, ad explicandam multitudinem credentium, vſus eſt Iſaias ſimilitudine illorum, qui in tabernaculis habitant & tẽtorijs. Admonitos enim nos eſſe voluit, nõ habere iuſtos hic manentẽ [Heb.13 e] ciuitatem, ſed futuram inquirere: nõ ergo debemus terrenas ædificare ciuitates, ſicut illi, qui vocauerunt nomina ſua in terris ſuis: ſed tabernaculis, quæ transferuntur, ſimus contenti, ſcientes nos peregrinos eſſe ſuper terram & hoſpites. Eorum ſequamur veſtigia, de quibus dicit A- [Heb.11 b] poſtolus. *Fide demoratus eſt,* ſcilicet Abrahã, *in terra repromiſsionis, tanquam in aliena, in caſulis habitãdo cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſsionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex, & conditor Deus.* Et poſt pauca: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſsionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Ne parcas.* Perſeuerat in eadẽ ſimilitudine, quaſi dicat. Clama ne ceſſes, ſtrenue labora in dilatando tentorij loco, *ne parcas* expenſis, laboribus, & vigilijs, *extende pelles,* ideſt, Apoſtolos & miniſtros Euãgelij, qui, vt dictũ eſt ſup. [Sup.cap.3. nu.11.] tanquam *pelles,* totum Eccleſiæ tabernaculum defendunt à puluere, & à pluuia; qui multos ſuſtinent labores, vt in pace & electione Dei fideles cõſeruent. Vide quanta ſit differentia inter tabernaculũ veteris teſtamenti & tabernaculũ Eccleſię Catholicę. Locus illius erat Hieruſalem, iſtius vero vniuerſus orbis. Illius oraculũ *Habebat virginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis,* ac vnius tẽpli breui ſpatio claudebatur, nec poterat ad [3.Reg 6.] exteras nationes extendi. Hoc vero nulis circumſcribitur terminis, nullis limitibus cõcluditur. Subditur enim.

[Tabernaculũ veteris teſtamẽti, & Eccleſiæ conferuntur.]

3 *Ad dexteram enim, & ad læuã penetrabis: & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit.* Chald. *Ad Auſtrũ, & Aquilonem penetrabis,* ideſt, vbique terrarum dilataberis, & non vnam dũtaxat ciuitatem, aut regnum ſicut olim, ſed vniuerſum orbem habebis ſubiectũ & longiſsimè diſtãtes regiones inhabitabis & deſertas. Deſerta erat ante aduẽtum Chriſti tota Italia, deſerta Hiſpania, deſerta & deſolata, & ſimiliter alia regna & ciuitates, in quibus nũc religio viget Chriſtiana; quę omnia Eccleſia hæreditauit Catholica, & ſibi per ſemen prędicationis Euangelicæ acquiſiuit. S. Aug. per *dexteram* veros, & per *læuam* fictos intelligit Chriſtianos, quibus vbiq. terrarum conſtat Eccleſia: nam dum eſt in hoc ſeculo, bonos habet malis permixtos, ſicut triticũ, dum eſt in area, permixtũ eſt palleis: vnde ſimilis dicitur *ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti. quam cum impleta eſſet educentes, & ſecus litus ſedentes elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt.* [Mat.13]

[Aug lib.1. de cõſenſu Euang.32. tom.4.]

 Noli

4 *Noli timere quia non confunderis, nequ● erubeſces: non enim te pudebit, quia cõfuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, & opprobij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* Dum peccator ſuam ſemper indignitatem conſiderat, nec audet præ humilitate, & timore oculos in cælum leuare, aut ſibi polliceri condonata ſua eſſe peccata: miſericors Dominus illum ſperare iubet, ac bono animo eſſe, quoniam peccata poſt condignam pœnitentiam, nullam hominibus quantumuis ſceleratis confuſionem pariunt, ſed gloriam; iuxta jllud quod ſuperius dixerat: *Lauamini, mundi eſtote, &c. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*: non enim improperat Dominus peccata præterita, quorum macula ſanguine Chriſti eſt ablata. Cũ ergo gentilitas multis fuerit commaculata peccatis, poſt peractam pœnutentiam, eam conſolatur Dominus & ſpem illius roborans ait: *noli timere*, quia vbi non eſt peccatum, nihil timendum. *Non confunderis*, peccatis videlicet præteritis adoleſcentiæ tuæ, ideſt, peccatis idololatriæ, & infidelitatis priſtinæ. Vidua fuiſti olim, abſque Deo, & opprobrijs plena: ſed iam deinceps Deo tamquam viro copulaberis. iuxta quod & Apoſtolus ait. *Aemulor enim vos Dei æmulatione; deſpondi enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Hinc collige, nihil eſſe damnoſius, nihil ignominioſius, quàm propter adulteriũ à tali & tam nobili ſponſo repudiari, atque adeo nihil eſſe glorioſius, & excellẽtius quã ab eodẽ recipi & honorari. Et ne infidelis anima quæ Deũ propter alios amatores reliquit, vlla ratione dubitet de benignitate cæleſtis ſponſi, eã, vt redeat, hortatur per prophetã, dicens. *Tu autẽ fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Quæſtio tamen eſt, quam in Præſenti tangit Hier. Quomodo opprobriũ aliquando gentilitas habuerit *viduitatis*, cũ eam in præcedentibus, deſertam dixerit, & nullum prorſus habuiſſe virũ, quem tamẽ habuit Synagoga. Sed reſpondetur, in primis; nomen *viduitatis* accipi in hoc loco cõmuni vocabulo, pro ea, quæ numquam fuit viro nupta. Secundo reſpondetur; quod inter gentiles nonnulli fuerunt antiquitus iuſti & ſancti, ac Deo per fidẽ & dilectionem tamquam viro coniũcti, licet nullam haberent legem ſcriptam: ſicut ſanctus Iob, & alij. Ideo nomẽ *viduitatis* poteſt illi populo cõpetere, ſicut & Synagogæ, quæ tamẽ ſpeciali quadam ratione virum habuiſſe dicitur, quia videlicet habuit legẽ, ſacerdotiũ, & ſacrificia ſpecialia à Domino inſtituta, & ceremonias, quibus ſub vnius Dei cultu continebatur, tãquã mulier viro ſubiecta & deſpõſata.

Peccata dimiſſa non improperat Dominus.

Iſa. 1. c

2. Cor. 11. a

Hier. 3. a

Quæſtio.

5 *Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituũ nomẽ eius & Redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur.* Oſtendit his verbis, quib⁹ vinculis Deo ſit Eccleſia obligata & adſtricta, vt nullũ alium præter illum agnoſcat virũ, nulliq; Deo alieno inſeruiat. Primo enim tenetur Deũ colere titulo creationis, quẽ tangit his verbis, *quia dominabitur tui, qui fecit te.* Secundo titulo redemptionis, quem tangit, cũ dicit: *& Redemptor tuus ſanctus Iſrael.* Tertio quoniã ab omnibus iniurijs & calumnijs, quibus opprimebatur, dũ eſſet ſub tyrannide principis tenebrarũ, vindicauit eã; ideo inquit, *Dominus exercituum nomen eius*, ac

Eccleſia p totũ orbẽ dilatanda prædicitur





demũ cũ dicit, *Deus omnis terræ vocabitur*, oſtendit toto orbe terrarum eſſe dilatandã Eccleſiam, vt vbique agnoſcatur, & adoretur Chriſtus Dominus, tanquam verus Deus. Cui cõſonat illud pſalmiſtæ. *Et dominabitur à mari vſq; ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarũ.* Quem locum exponens Aug. ait. *Si Eccleſia hic recte ſignificatur vocabulo lunæ, cõſequenter oſtendit, quã late eandem Eccleſiam fuerat diffuſurus, cum adiecit, & dominabitur à mari vſque ad mare. Mari quippe magno cingitur terra, qui vocatur Oceanus, de quo influit quiddã exiguũ in medio terrarum, & facit iſta maria nota nobis, quæ nauigijs frequẽtãtur. Proinde à mari vſque ad mare, à quolibet fine terræ, vſque ad quemlibet finẽ dominaturũ dixit, cuius nomen, & poteſtas toto orbe fuerat prædicãda, multumq. valitura. Quod ne aliter poſſet intelligi, à mari vſque ad mare, cõtinuo ſubiecit, Et à flumine vſque ad terminos orbis terræ. Quod ergo ait, vſque ad terminos orbis terræ, hoc ante dixerat, à mari vſque ad mare. Qđ vero nunc ait, à flumine, euidẽter expreſſit, inde voluiſſe Chriſtũ poteſtatẽ ſuam iam commendare, vnde & diſcipulos cœpit eligere: à flumine, ſcilicet Iordane, vbi ſupra baptizatum Dñm cum deſcenderet Spiritus ſanctus, ſonuit vox de cælo. Hic eſt filius meus dilectus. Hinc ergo doctrina eius incipiens, & magiſterij cæleſtis auctoritas dilatatur vſque ad terminos orbis terræ, cũ prædicatur Euangeliũ regni in vniuerſo orbe, in teſtimoniũ oĩbus gẽtibus, & tunc veniet finis.* Qđ ergo Iſaias dixit, *Deus omnis terræ vocabitur*, hoc pſalmiſta denũciat cũ ait: *Et dominabitur à mari vſq; ad mare etc.*

Pſ. 71. b

Aug. to. 8. ſuper eundem pſal.

Matt. 3.

6 *Deus omnis terræ vocabitur.* Prædixerat ſuperius Eccleſiæ ex Iudæis, & gentibus cõgregatę, *dilata locũ tentorij tui, &c.* nunc cõſequenter his verbis oſtẽdit, quouſque ſit Eccleſia Catholica dilatãda, videlicet vſq; ad vniuerſos terminos terræ: quod & Aug. notauit, præſentẽ explicãs locũ. *Ecce*, inquit, *quouſque iuſſa eſt extendere funiculos, donec Deus eius Dñs Iſrael vniuerſæ terræ vocetur.* Hic locus efficaciſſimus eſt (vt notauit Procopius) ad probandã diuinitatẽ Xp̃i, aduerſus Iudæorũ perfidiã, & aduerſus Ebionis, & Cherinthi impiũ errorem; etenim de Redẽptore Iſrael, qui proculdubio eſt Chriſtus Dñs, inquit, *Deus omnis terræ vocabitur.* Quod & tranſlatio 70. virorum euidẽtius demonſtrat. ſic .n. vertunt præſentẽ locũ. *Et qui redemit te ipſe Deus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur.* Et in Biblijs Complutenſibus ſic legitur. Nec eſt, quod Iudæi, & iudaizantes tergiuerſentur, cum ſecundũ expoſitionem omnium patrũ, quibus & pleriq. Rabbinorum conſentiunt, ad literam in præſenti de Chriſto Redemptore noſtro loquatur propheta. Vide teſtimonia, quæ ad probandã diuinitatẽ ipſius adduximus, c. 9. nu. 45. & ſequen. vbi etiam ex toto diſcurſu Euangelij S. Ioannis, nu. 55. & ſequen. eandem catholicã veritatem cõprobauimus.

Aug. li. de vnit. Eccl. ca. 7. to. 7.

Procopius.

Xp̃s verus Deus, & homo.

7 *Quia vt mulierem derelictam, & mœrentem ſpiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adoleſcentia abiectam, dixit Deus tuus.* Ideſt, non te abiecit olim Dominus, vt mulierem omnino viduam, cuius vir eſt mortuus, ſed propter peccata idololatriæ te dereliquit mœrentẽ diebus multis, & à ſe repulit, non tamen in perpetuum; nam iterum te vocabit, & ad ſe venientem ſuſcipiet in vxorẽ, & multis ornamentis decorabit. Eris igitur ſicut mulier, quæ, licet ad tempus diſpliceat marito, & eijciatur fo-

ras, non tamen in perpetuum reprobatur, ſed iterum vocatur, & manſuete recipitur. Ita (inquit) *vocabit te Dominus*. Quomodo enim mulier ingrata, & adultera in domum viri ſui rediret, niſi ab ipſo viro clementer vocaretur, & blande? Hinc collige Dei miſericordiam, qui in benedictionibus dulcedinis præuenire nō ceſſat, & ad ſe vocare peccatores, qui reliquerunt illum, & ad virum alienum tranſierunt. Qualiter autem ad ſe vocet, inuitet, & trahat; & quam benigne ad ſe venientem vxorem adulteram ſuſcipiat Dominus, his verbis explicat per Ezechielem.

Pœnitētes Deus benigne ſuſcipit.

Ezech. 16.a

*Eras nuda, & confuſione plena. Et tranſiui per te, & vidi te: Et ecce tēpus tuum, tempus amantium: & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum: ait Dominus Deus: & facta es mihi. Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuū ex te: & vnxi te oleo. Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus: ſimilam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis: & profeciſti in regnum. & egreſſum eſt nomen tuum in gentes, propter ſpeciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus Deus.* Quibus verbis mirabiliter depingit, & miſerum ſtatum animæ peccatricis, & Dei miſericordiam, eam ad ſe trahentis, & recipientis. Expendamus (cum Origene) ſingula verba. *Eras, inquit, nuda & confuſione plena, quia qui non eſt Ieſum Chriſtum indutus, hic nudus eſt: qui non eſt indutus viſcera miſerationis, benignitatis, humilitatis, manſuetudinis, iſte dehoneſtatus eſt. Tu vero eras nuda, & dehoneſtata, & tranſiui per te. Secunda vice venit ad eam, vidit eam peccantem; iterum propter peccata diſcedit; & tamen rurſus reuertitur: iterum viſitat clemens, & benignus Deus. Et veni ad te, & vidi te; & ecce tempus tuum tempus diuertentium. Quid eſt hoc quod ait tempus tuum? Tempus ſignificat adoleſcentum, in quo iam per ætatem poſſunt fornicari. Et paulo poſt. Venit ergo tempus tuum, & tempus diuertentium. Et Dominus Ieſus rurſus viſitat animam peccatricem. Expandi alas meas ſuper te. Beatus cuius alis Deus protegit, & operit confuſionem. Et iuraui tibi in teſtamentum, & intraui in teſtamentum tecum. Poſt tanta, ob quæ rurſum reuertitur, rurſum recedit, poſt tam frequentē viſitationem, nunc primū ingreditur cum ea in teſtamentum. Et facta es mihi, & laui te in aqua, laui te in ſalutem, & ablui ſanguinē tuum abs te, & vnxi te oleo. Chriſtos nos vult facere Deus. Et indui te verſicoloria. Quanta eſt benignitas Dei in vnamquamque animarum, nō vnius coloris tunicam, ſed multa varietatis largitur credentibus ſibi. Hanc verſicolorem tunicam iam tūc in ſignum fecit Iacob, induens filium ſuum Ioſeph. Et calceaui te Hyacintho. vult calceamenta noſtra eſſe florentia. Et præcinxi te byſſo; iuxta quod dicit Apoſtolus: ſtantes præcincti lumbos veſtros in veritate. Et impoſui tibi armillas circa manꝰ tuas dans tibi occaſionem bonorum actuū.*

Orig. ho. 6 ſup. ca. 16. Ezech.

Gen. 37. a

Epheſ. 6

& ca-



*& catenam circa collum tuum. Si me poſt geſta iuſtitiæ intellectu ornauerit veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circumdat: & ornata es auro, ideſt diuinis ſenſibus, & argento, ideſt ſermonibus ſacris. Quid poſt hæc facit magnus & hominum amator Deus? alit eam delicatis cibis, ſimilam, & mel, & oleum manducaſti, non hordeaceum panem. Sed miſerabilis Hieruſalem, poſt ſimilam, poſt mella, poſt oleum, rurſum quaſi meretrix increpatur: Idcirco caueamus attētius, ne forte nos poſt verba munda ſimilæ, poſt ſermones dulciſſimos prophetarum, poſt oleum, quod lætificat faciē, quo voluimus perungere caput, vt ieiunium noſtrum acceptabile fiat, iterum delinquamus. Et facta es pulchra valde nimis. Laudat pulchritudinem eius. Et directa es ad regnum. Quantus profectus, vt etiam ad regnum dirigatur. Et exijt nomen tuū in gentibus. Hæc apta ſunt ei, qui poſtquam liber eſſe cœpit à mundo, in conuerſatione proficiens ad beatam vitam, nomen quoque glorioſum in ſeculo conſecutus eſt.* Vide, ex quanta miſeria, in quantam gloriam, Dei gratia, anima adducatur peccatrix. Quid ſimile denunciat hoc loco Iſaias Eccleſiæ ex gentibus congregatę. Statum enim illius priſtinum in verbis iam adductis deſcripſit, eam vocans mulierem derelictam, & vxorem abiectam: ſed in ſequentibus, quot bonis à Deo cumulata fuerit, oſtendit: ait enim.

8 *Ad punctum in modico dereliqui te: & in miſerationibus magnis congregabo te.* Quæ verba duplicem poſſunt habere ſenſum. Primus eſt, *ad punctum in modico,* ideſt paruo tēpore & modico dereliqui te, cū videlicet dedita eſſes idololatriæ. quæ explicatio conſonat tranſlationi Septuaginta virorum, quæ ſic habet. *Tempore modico reliqui te.* & loquitur ad gentilitatem olim à Deo auerſam, & innumeris commaculatā peccatis. Sed miſertus tui *congregabo te;* in vnam Eccleſiam Catholicam filios tuos adducens, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor: quod & Ioannes Euangeliſta, referens prophetiā Caiphæ, declarauit dicens. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pōtifex anni illius, prophetauit quod Ieſus moriturus eſſet pro gente: & non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Secunda explicatio eſt Beati Ambroſij, hæc ad Eccleſiam verba referentis, quæ dum militat in hoc ſeculo, quaſi derelicta à Deo reputatur, & obliuioni tradita, eo quod multas à tyrannis perſecutiones patitur in ſanctis martyribus & alijs electis, quam tamen cōſolatur Dominus, dicens: *Ad punctū,* ideſt, breui ſpatio præſentis vitæ, ꝙ æternitati collatum, punctum dicitur indiuiſibile: Sicut & apud Iob legitur. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Et Pſalmo 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præterijt.* Et bene inquit, *tanquam dies heſterna;* quoniam reſpectu æternitatis pro nihilo habentur mille anni, & ſicut dies præterita, cuius, nec vnum quidem relinquitur punctum indiuiſibile. *Ad punctum,* inquit, *dereliqui te.* Nec ſolum *ad punctum;* ſed *in modico,* ideſt, in rebus modicis & paruis, & quaſi nullius æſtimationis, quales ſunt res temporales, quæ cum ſeculo tranſeunt. Nam qui ſpiritualiter relinquuntur à Deo, qui dimittuntur ab illo ſecundum deſideria cordis eorum, vt carnis ſequantur

Ioan. 11 g

Amb. li. de viduis.

Tēpus vitæ præſentis quā breue.

Iob 20. a

Pſ. 89. a

Res temporales ꝙ viles.



concu-

Peccatores qualiter derelinquat Deus.

concupiſcentias, etſi *ad punctum* relinquantur; non tamen *in modico*; ſed in re magna & inæſtimabili relinquuntur. Tales ſunt illi, de quibus Pſ. 80. c dicit propheta. *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et iterum Hier. 51 a ſcriptum eſt. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Non ſic derelinquuntur electi, non ſic, ſed *ad punctum in modico*: Cui explicationi conſonat illud 2. Cor. 4. d Apoſtoli. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod enim Iſaias dixit; *ad punctum in modico dereliqui te*, hoc explicat Apoſtolus, per *momentaneum & leue tribulationis noſtræ.* Quid aliud eſt *ad punctū*, niſi *momentaneum*? Et quid eſt, *in modico*, niſi *leue tribulationis noſtræ*? Quod & Sapiens his verbis declarat. Sap. 3. a *In paucis vexati, in multis bene diſponentur. In paucis* vexantur electi, cum *ad punctum in modico*, ſiue in momentaneo, & leui tribulationis derelinquuntur, ſed *in multis bene diſponentur*; cum in miſerationibus magnis congregabuntur in illa Hieruſalem cæleſti, cum æternum gloriæ pondus, pro momentaneo & leui tribulationis fuerint conſequuti. Hoc ipſum magis explicat Iſaias in verbis ſequentibus.

9 *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui: Dixit Redemptor tuus Dominus.* Quod dixerat antea, *ad punctum in modico dereliqui te*; hoc iterum repetit, dicens: *In momento indignationis*, videlicet perſequentium te, *abſcondi faciem meam parumper à te.* Quod impletum videtur in Eccleſia, quando paruo numero fuit apud Iudæos; quando illam perſequebatur Paulus, obſequiū arbitrans ſe præſtare Deo: quando Petrus Apoſtolus ab Herode coniectus eſt in carcerem; quando Apoſtoli morti ſunt traditi, propter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: tunc enim Deus ab Eccleſia ſuam auertiſſe faciem viſus eſt: ſed *parumper, in momento, ad punctum*: nam poſtmodum, gentibus ad Eccleſiam conuolantibus, multiplicata eſt Eccleſia, & regnantibus principibus Chriſtianis pacem obtinuit, & non modicam gloriam. Vnde & Eccleſia ipſa Chriſti ſponſa: *Nigra*, inquit, *ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol:* Habet Eccleſia nigredinem: ſed in pelle, foris, & in cute nigra, non intus, quoniam *omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumdata varietatibus*, ideſt varijs virtutum coloribus ornata. Intus innocentiæ candor, decor virtutum, feruor charitatis; ſed foris hæc omnia denigrauit æſtus perſequutionis. Talis quippe fuerat & ſponſus eius. Nigreſcit Chriſtus zelo, nigreſcit in paſſione: *Sed* (vt inquit Bernardus) *multos candidos facit vnius denigratio, non cum tingitur culpa, ſed cum afficitur cura. Expedit, inquit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Expedit vt vnus pro omnibus denigretur ſimilitudine carnis peccati. Splendor & figura ſubſtantiæ Dei obnubiletur in forma ſerui pro vita ſerui. Candor vitæ æternæ nigreſcat in carne purgāda. Specioſus forma præ filijs hominū, pro filijs hominū illuminandis obſcuretur in paſſione, turpetur in cruce,*

Eccleſia nigra, ſed in pelle non intus. — Cant. 1. b — Pſal. 44 — Bern. ſerm. 28. in Cāt. colu. 1. — Ioan. 11. f — Xp̄s in paſſione denigratus, cādidos electos efficit. — Eccleſiæ perſequutio.

palleat



*palleat in morte, ex toto non ſit ei ſpecies, neque decor, vt ſibi ſpecioſam, atque decoram acquirat ſponſam Eccleſiam ſine macula, & ſine ruga. Agnoſco pellem Salomonis, immo ipſum in pelle foris nigra Salomonem amplector. Habet & Salomon nigredinem, ſed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus. Intus diuinitatis candor, decor virtutum, ſplendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tegit hæc deſpicabilior infirmitatis color, & quaſi abſcōditus vultus eius & deſpectus, dum tentatur per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Agnoſco denigratæ formam naturæ. Agnoſco tunicas illas pelliceas, protoplaſtorum peccantium habitum. Deni*Philip. 2 a *que ſemetipſum denigrauit, formā ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Agnoſco ſub pelle hædi, (qui peccatum ſignificat,) & manum quæ peccatum non fecit, & collū per quod* Iſa. 53. c *mali cogitatio non tranſiuit. Ideoq. non eſt inuentus dolus in ore eius. Noui quod ſis leuis natura, mitis, & humilis corde, blandus aſpectu, ſua*Pſ. 44. b *uis ſpiritu. Et quidem vnctus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Vnde ergo nunc inſtar Eſau piloſus, & hiſpidus? Cuiusnam rugoſa, & tetra imago hæc, & vnde hi pili? mei ſunt, nam piloſæ manus ſimilitudinē proximi exprimunt peccatoris. Meos agnoſco hos pilos, & in pelle mea vi*Iob. 19. d *debo Deum Saluatorem meum. Non tamen Rebecca ſic illum induit; ſed Maria, tanto digniorem qui benedictionem acciperet, quanto ſanctior quæ peperit.* * Hinc Orig. *Quod cū ita ſit, pulchrè ſponſa conuertit ſibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modo formoſam, ſed & nigram eſſe ſe gloriās. Non enim erubeſcit nigredinem, quā nouit præceſſiſſe & in ſponſo, cui ſimilari, quanta etiam gloria eſt? Nihil ſibi glorioſius proinde putat, quàm Chriſti portare opprobrium. Vnde vox illa prorſus exultationis, & ſalutis. Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti.* Galat. 6 *Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non eſt. nigredo eſt, ſed forma & ſimilitudo Domini.* Hinc diſcant electi, nō deſpondere animo, etiam ſi nunc derelicti videantur à Domino, & quamplurima patiantur mala: Hæc enim omnia illis accidūt, vt conformes fiant ſimilitudini mortis Chriſti, ſimiles poſtmodum futuri corpori claritatis eius. Ad punctum derelinquit iuſtos in tribulatione, ſed non in perpetuum eos deſerit. *Iuſtificationes tuas cuſtodiam* (ait Propheta) *nō me derelinquas vſquequaque.* Pſ. 118. † *Derelinqui igitur ſe*, ait Gregor. *ſed ad modicū, poſſe vtiliter nouerat, qui ne vſquequaque relinqueretur, petebat. Sanctos etenim ſuos Dominus veniendo adiuuat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat.*

10 *Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui iuraui, ne inducerem aquas Noe vltra ſuper terram: ſic iuraui vt non iraſcar tibi, & non increpem te.* Iuramento firmat id quod Eccleſiæ Catholicæ pollicitus fuerat, videlicet *in miſerationibus magnis congregabo te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum*, ideſt, miſerebor tui, vt ſpes electorum reddatur firmior. Et ſenſus eſt: Quemadmodum olim mundo vniuerſo per aquas diſſipato, *iuraui* Noe, numquā deinceps inducendum eſſe diluuium Gen. 8. d ſuper terram, & promiſſio mea numquam hactenus irrita fuit: ita *iuraui* Eccleſiæ, quod *non iraſcar* illis, quorum ſemel miſertus fuero, & lo-

*Orig. ho. 1. ſuper Cant. — †Greg. lib. 20. Moral. cap. 19.

 quitur

Prædeſtinationis certitudo. quitur de electis, quorum prædeſtinatio certiſſima eſt, & infallibilis certitudine mediorum, quæ Deus ſuis præparauit. Licet enim ad punctum in modico iraſcatur contra illos, non tamen in perpetuum iraſcetur, neque
Pſ. 102. b in æternum comminabitur ignem æternum, quibus regnum ſuum parauit ab origine mundi. Expende ſimili-
Gen. 9. b tudinem; *Sicut Noe* (inquit) dedi ſignum fœderis, ita dabo & tibi. Illi dedi iridem, vt eſſet ſignum fœderis
Xpi paſſio ſignũ fœderis inter Deum & homines. ſempiterni; ſed tibi dabo vnigenitũ filium meum; arcum olim poſui in nubibus, quem reſpiciens, memor eſſem fœderis, quod pepigi cum Noe; ſed tibi dabo vnigenitum meum in cruce pendentẽ, ad quem aſpiciens, electos meos ſeruabo, ne pereant in æternum. In ſanguine & aqua, quæ exiuit de latere illius, teſtamentum feci tecũ, immo & ſanguine, ac morte eius obſignaui. Tantus terror inuaſerat Noe ex diluuij terribili aſpectu, vt ad quemuis timuiſſet imbrem, ne ſecundo ſuperueniret diluuium, niſi Dominus animum illius prædicto ſigno firmaſſet. Vt ergo ſciamus, ſalutem repromiſſam electis certiſſime affuturam, iuramento promiſſionem confirmat, & ſigno ſummæ dilectionis, quod nobis tribuit. Hinc A-
2. Tim. 2 c poſtolus ait. *Firmum fundamentũ Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognouit Dominus, qui ſunt eius.* Et
Rom. 8. f iterum. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti?*
Increpat Deus ſuos & qualiter Sequitur. *Et non increpem te.* Increpat ſuos Deus, ſed in præſenti, dũ eos arguit; nam & *recumbentibus il-*
Marci. 16. c *lis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia ijs, qui viderant eũ reſurrexiſſe, non crediderunt.* Sed non increpabit eos in iudicio, quin
Mat. 25 c potius laudabit, & dicet. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus, & cooperuiſtis me, infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.*

11 *Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te: & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus Dominus.* Senſus eſt. Certiſſime euenient quæ prædixi: facilius erit montes immobiles
Promiſſiones Dei infallibiles commoueri, & colles ſtabiles contremiſcere, quam aliquid deficere eorum, quæ loquutus ſum. Quid ſimile dixit Chriſtus Dominus, ſuorum verborum ſtabilitatem oſtendens.
Mat. 24 c *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Hic locus valde ſpem noſtram corroborat, & multum conducit ad puſillanimes confortandos, dum Deus promiſsionibus ſuis omnem adijcit firmitatem. Dicit enim Apoſtolus. *Volẽs*
Heb. 6. d *Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

12 *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidẽ propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles: vniuerſos filios tuos doctos à Domino: & multitudinem pacis filijs tuis.* Iterum conſolatur Eccleſiã, vt præſentem afflictionem, quam pa-
In martyribus iniuria afficit Eccleſia. titur in martyribus, æquo animo ferat; eam vocat pauperculam, ideſt nullo ſplendore diuitiarum nitentẽ, ſicut fuit à principio: tempeſtate cõuulſam, ideſt, hæreticorum perſecutione, aut tyrannorum principum poteſtate oppreſſam, ſumpta metaphora ab arboribus, quas tempeſtatem videmus euellere, & Chald. ha-
Iſa. 18. a betur, *iniuria affecta*. Superius eam dixerat conuulſam, & dilaceratam, abſque vlla conſolatione, quoniam multis anguſtijs eſt plena: ſicut eius
Ioan. 16 e filijs prædixerat Dominus. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Hanc autem paupertatem, & ignominiam cũ ſumma proſperitate, & honore eſſe commutandam pollicetur, & omnem triſtitiam in gaudium conuertendã. Senſus ergo eſt. Quia fuiſti paupercula, & dilacerata, ecce pro paupertate tua domum inhabitabis regiam, cuius pauimẽtum margaritis, & ſap-
Fideles ſũt lapides deſiderabiles. phiris ſit ſtratum: cuius parietes & muri lapidibus pretioſis ædificentur. Vbi nos legimus, *in lapides ſculptos*. Septuaginta vertunt, *in lapides cryſtalli*, & pro, *deſiderabiles*, transferunt, *electos*. Per hos *lapides* intelliguntur fideles, ex quibus myſticum Chriſti corpus componitur, & Eccleſia Catholica conſtruitur, ſicut dicit
1. Pet. 2. Petrus Apoſtolus. *Et vos tanquam*
Eccleſia ex fidelib9 cõſtruitur tã quam ex lapidibus. *lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales.* Dicuntur autem *lapides*, propter ſtabilitatem & firmitatem quam habent in virtute. Fundamentum Chriſtus eſt, Apoſtolo dicẽte: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* 1. Cor. 3 c Structores ſunt Apoſtoli, iuxta illud: *Nonne opus meum vos eſtis in Domino*: 1. Cor. 9 a Superædificantur autem, & ſternuntur electi tanquam lapides; *Ecce ego ſternam, &c.* * *Strauit in Eccleſia per ordinem lapides*, ait Gregor. *quia in ea ſanctas animas meritorum diuerſitate diſtinxit.* *Greg. 18. Mor. c. 19. *Fundauit eam in ſapphiris, qui ſcilicet lapides, coloris aërei in ſe ſimilitudinem tenent: quia robur Eccleſiæ in animabus cæleſtia appetentibus ſolidatur. Et quoniam iaſpis viridis eſt coloris, iaſpidem propugnacula eius poſuit: quia illi contra aduerſarios pro ſanctæ Eccleſiæ defenſione obiecti ſunt, qui internis deſiderijs virentes, nulla temporis reproba ariditate marceſcunt.* Vide ſup. dicta ca. 3. nu. 10. *Portas vero eius poſuit in lapides ſculptos. Hi quippe portæ ſunt Eccleſiæ, per quorum vitam atque doctrinã intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo etiam, quod magnis operibus pollent, & id quod loquentes aſſerunt, viuentes oſtendunt, non puri, ſed ſculpti lapides eſſe memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quaſi in eiſdem ipſis exprimitur, quod egerunt.* Doctores Eccleſiæ ſculpti lapides. *Vbi omnem quoque ſanctorum numerum generali collectione concludens, ſubdidit: Omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles. Et tanquam ſi audientes iſta peteremus, vt hos lapides quos diceret, indicaret, adiunxit dicens: Vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Vbi notanda eſt differentia inter cæleſtem doctrinam, & omnes alias humanas ſcientias: Doctrina cæleſtis, & humana qualiter differant. nam hæc à ſolo Deo inſpiratur interius, & docetur, illæ vero per humanam diſciplinam acquiruntur. Hæc vere *doctos* efficit, & *doctos à Domino*, illæ

no, illæ vero, niſi charitati aſſocien-
tur, ſuperbos reddũt & ſtultos: nam
1.Cor.8. *ſcientia inflat, charitas vero ædificat.*
Audi quid de hac doctrina, qua in
Chriſtum creditur, dicat cæleſtis ma
Ioan.6.e giſter. *Nolite*, inquit, *murmurare
in inuicem: nemo poteſt venire ad
me, niſi Pater, qui miſit me, traxe-
rit eum: & ego reſuſcitabo eum in
nouiſſimo die. Eſt ſcriptum in pro-
phetis: Et erunt omnes docibiles Dei.
Omnis, qui audit à Patre, & didicit,
venit ad me.* Vbi duo conſideranda
proponit. Vnum eſt, ſine cæleſti ma-
giſtro interius docente, & cor ad cre
dendum efficaciter præmouente, ne-
minem hanc doctrinam ſalutarẽ adi-
ſcere. Alterum eſt, tam efficacem eſſe
diſciplinam, in qua Deus magiſtrum
ſe exhibet, vt omnis qui audit & di-
dicit à patre, veniat ad Chriſtum. Vn
de & Auguſtinus ait. *Quid eſt om-
Aug. lib. de præd. ſanc. ca. 8. to. 7. nis qui audiuit à patre & didicit,
venit ad me, niſi, nullus eſt qui au-
diat & diſcat à patre, & non veniat
ad me? Si enim omnis qui audiuit à
patre & didicit, venit, profecto om-
nis qui non venit, non audiuit à pa-
tre, nec didicit: nam ſi audiſſet & di-
diciſſet, veniret. Neque enim vllus
audiuit ac didicit, & non venit: ſed
omnis, vt ait veritas, qui audiuit à
Schola Xpi à ſenſibus carnis remota. patre, & didicit, venit. Valde re-
mota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola,
in qua pater auditur, & docet, vt ve-
niatur ad filium. Ibi eſt & ipſe fi-
lius, quia ipſe eſt verbũ eius, per quod
ſic docet, nec agit hoc cum carnis au-
re, ſed cordis. Simul eſt & ibi Spi-
ritus Patris & Filij: neque enim ip-
ſe non docet, aut ſeparatim docet, in
ſeparabilia quippe didicimus eſſe ope-
ra Trinitatis. Et ipſe eſt vtique Spi-
ritus ſanctus, de quo Apoſtolus dicit:
Habentes autem eundem Spiritum
fidei. Sed ideo patri hoc potiſſimum
eſt attributum, quia de ipſo eſt geni-
tus vnigenitus, & de ipſo procedit
Spiritus ſanctus. Beatus homo, quẽ* Pſal. 93
*tu erudieris Domine, & de lege tua
docueris eum.*

13 *Vniuerſos filios tuos doctos à
Domino, & multitudinem pacis filijs
tuis.* Bene coniunxit vtrumque, do-
ctrinam videlicet Euangelicam, quã Scietia Xpi pacem generat.
à Chriſto Domino immediate Apo-
ſtoli didicerunt, & *pacis multitudi-
nem*, ideſt, multam pacem filijs Ec-
cleſiæ Catholicæ repromiſſam, vt
ſciamus differentiam inter hanc, &
cæteras diſciplinas: Hæc enim pacẽ,
aliæ contentionem pariunt. *Pax* Pſ. 118.
*multa diligentibus legem tuam* (ait
propheta,) *& non eſt illis ſcanda-
lum.* Lex antiqua, lex fuit timoris,
lex contentionis & prælij: Ait enim,
*Oculum pro oculo, dentem pro dente,* Mat. 5. f
vnde Apoſtolus: *lex*, (inquit,) *iram* Rom. 4. c
*operatur*. Lex autem Euangelica lex
eſt amoris, lex vnionis & pacis; quo-
niam per ſanguinem ſuum pacifica-
uit Chriſtus, *ſiue quæ in cælis, ſiue* Col. 1.
*quæ in terris ſunt*. Propter quod (vt Cap. 2. nu. 13.
obſeruauimus ſupra,) tempore præ-
dicationis Euangelij cõflandos præ-
dixit gladios in vomeres, & lanceas Iſa. 2.
in falces conuertendas, ob multitu-
dinem pacis futuræ, quam hac meta-
phora deſignauit. Et de regno Chri-
ſti loquens, poſtmodum inquit,
*Multiplicabitur eius imperium, &* Iſa. 9. b
*pacis non erit finis*. Sequitur. *Et
in iuſtitia fundaberis: recede procul
à calumnia, quia non timebis: & à
pauore, quia non appropinquabit ti-
bi.* Apoſtolus inquit. *Non eſt re-* Rom. 14 c
*gnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia
& pax, & gaudium in Spiritu ſan-
cto.* Ciuitas ergo Dei, in qua Chri-
ſtus regnat, fundanda prædicitur *in
iuſtitia*, ideſt, in Chriſto, *qui factus* 1. Cor. 1. d
*eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia,
& ſan-*



Iuſtitia Dei quæ ſit. *& ſanctificatio, & redemptio.* Qui
ex iuſtitia commutatiua nos rede-
mit. Vel, *in iuſtitia*, ideſt, in lege
iuſtitiæ homines iuſtificante, de qua
dicit Apoſtolus infidelitatem Iudæo-
rum arguens. *Ignorantes enim iu-
Rom. 10 a ſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſta-
tuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.
Finis enim legis, Chriſtus, ad iuſti-
tiam omni credenti.* De hac etiam
Iſaiæ 1. f iuſtitia Iſaias dixerat ſupra. *Sion in
iudicio redimetur, & reducent eam
in iuſtitia*, ideſt, in lege Euangelica,
Sup. cap. 1. nu. 68. vt adnotauimus ſupra. Tertio expli-
catur ſic, *in iuſtitia*, (ideſt) in præce-
ptis iuſtitiæ, quæ aſcendens in mon-
tem prędicauit Chriſtus contra legis
Mat. 5. c corruptelam, dicens. *Niſi abunda-
uerit iuſtitia veſtra pluſquam Scri-
barum, & Phariſæorum, non intra-
bitis in regnum cælorum. Audiſtis
quia dictum eſt antiquis: non occi-
des: qui autem occiderit, reus erit iu-
dicio. Ego autem dico vobis, quia
omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus
erit iudicio: qui autem dixerit fratri
ſuo, Raca, reus erit conſilio. Qui
autem dixerit fatue, reus erit ge-
Ibid. g hennæ ignis.* Et iterum. *Audiſtis
quia dictum eſt: Diliges proximum
tuum, & odio habebis inimicum tuũ.
Ego autem dico vobis: Diligite ini-
micos veſtros, benefacite his, qui ode-
runt vos: & orate pro perſequenti-
bus, & calumniantibus vos: vt ſitis
filij patris veſtri, qui in cælis eſt.*
Cum ergo Eccleſia *in iuſtitia* ſit fun-
data, hortatur eam vt recedat *procul
à calumnia*, quæ aduerſatur iuſtitiæ.
Sic explicat ſanctus Hieronymus, qui
talem dicit hæc verba ſenſum habe-
Hieron. re. *Non vis timere inimicos tuos? fac
iſta, quæ dico, recede procul à calum-
nia, ſiue ab iniquitate: quia omnis
iniquitas, & rapina de calumnia na-
ſcitur, & non timebis, tremorque &
pauor non appropinquabunt tibi: vt
nequaquam homines, ſed Deum ti-
meas, dicens cum Moyſe: Tremens
ſum ego & meticuloſus.* Sic etiam
explicat Gloſſa interlinearis. Alij
vero dicunt, illud verbum, *recede*, non
continere præceptum, ſed prophetiã;
ita vt ſenſus ſit. *Recede*, ideſt, rece-
des *procul à calumnia*, quia non ha- Eccleſiæ triũphanti quanta ſit pax futura
bebit locum in patria. Sic explicat
Lyranus. Cuius explicationi conſo-
nat illud. *Foris canes, & venefici,* Apoc. 22 c
*& impudici, & homicidæ, & idolis
ſeruientes, & omnis qui amat, & fa-
cit mendacium.* Hoc in Eccleſia
triumphãti complebitur, ſed ex par-
te etiam in Eccleſia Catholica mili-
tante adimpletur, in qua per paſſionẽ
ſuam, & mortem, iuxta prophetæ va-
ticinium, Chriſtus Dominus ſaluos
fecit filios pauperum, & humiliauit Pſ. 71.
calumniatorem. Et ſenſus eſt: *Re-
cede procul à calumnia*, ideſt, ab hu-
ius calumniatoris calumnia, cui ha-
ctenus fuiſti obnoxia, iam deinceps
*procul* eris, ſimiliter *& à pauore*, nã
*princeps huius mundi eijcietur foras,* Ioã. 12. e
& filij tui docti à Deo non formida-
bunt, nec timebunt eos qui occidunt
corpus, & non habent amplius quid
faciant: ſed intrepidi pro fide pugna-
bunt vſque ad mortem.

14 *Ecce accola veniet, qui non
erat mecum, aduena quondam tuus
adiungetur tibi.* Quid ſimile præ-
dixerat ſupra. *Adiungetur aduena* Iſa. 14. a
*ad eos, & adhærebit domui Iacob. Et
tenebunt eos populi, & adducent eos
in locum ſuum: & poſſidebit eos do-
mus Iſrael ſuper terram Domini in
ſeruos & ancillas.* Vtrobique eſt
aperta prophetia de gentibus, quæ
relicta idolatria adhæſerunt Eccleſiæ
Catholicæ, & adiunctæ ſunt populo
Dei, per veram fidem & dilectionem,
vt verax inueniatur qui dixit. *Iam
non*

Eph. 2.

*non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*. Sic Tertullianus, ſic Hieronymus explicat, & alij ſancti Doctores, quorum interpretatio conſonat tranſlationi Septuaginta virorum. *Ecce proſelyti accedent tibi per me, & coloni erũt tui, & ad te confugient*. Cum ergo ait: *Ecce accola veniet, qui non erat mecum*, de gentilibus loquitur, qui antea ſeruierunt idolis. Cum autem ſubdit, *aduena quondam tuus adiungetur tibi*, de hæreticis, qui receſſerunt à fide, quam profeſſi ſunt quondam, & poſtmodum per veram pœnitentiam ad Eccleſiam reuertuntur. Hi ſunt de quibus Ioannes loquitur. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis*. Et ſponſa in Canticis; *Filij matris meæ pugnauerũt cõtra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis*. Hi ſunt calumniatores & oppreſſores bonorum, & falſi fratres, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, quos Apoſtolus, inimicos dicit crucis Chriſti, *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt*. Ne ergo quis crederet, propter bona Eccleſiæ Catholicæ repromiſſa, nullum in ea futurũ aduerſarium, ideo propheta notauit his verbis domeſtica mala, & zizaniam cum tritico ſimul creſcentem, quam vſque ad tempus meſſis permittit Dominus, ne, cum eradicatur zizania, eradicetur ſimul & triticum. Ideſt, ideo hęreticis atque infidelibus tempus concedit pœnitentiæ, vt ex zizania triticum fiant in horreũ Dominicum congregandum.

Tertull. l. 3 aduerſus Marcionẽ.

1. Ioa. 2. c

Cant. 1.

Phil. 2. d

Ibid. 3. d

Boni permixti ſunt reprobis in Eccleſia ſicut triticũ zizaniæ. Mat. 13 c

15 *Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum, & ego creaui interfectorem ad diſperdendum*. Explicat, qui nam ſint illi, qui perſequũtur Eccleſiam, & pacem illius perturbare volunt, & à quo excitentur, vt aduerſus illam inſurgant, & vtitur ſimilitudine fabri formantis vaſculũ in opus ſuum. Per fabrum, diabolum intelligit, qui ſufflat *in igne prunas*, (ideſt) concupiſcentiam excitat in reprobis, odium, & inuidiam aduerſus electos, propheta atteſtante. *Halitus eius prunas ardere facit, & flãma de ore eius egreditur*. Quem locum explicãs Beatus Gregorius ait: *Quid enim prunas niſi ſuccenſas in terrenis concupiſcentijs reproborum hominũ mentes appellat? Ardẽt enim cum quodlibet temporale appetunt, quia nimirum vrunt deſideria, quæ quietum ac integrum eſſe animũ non permittunt. Toties igitur Leuiathã halitus prunas accendit, quoties eius occulta ſuggeſtio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque ſuperbiæ, alias inuidiæ, alias luxuriæ, alias auaritiæ facibus inflammat. Superbiæ quippe facem menti Euæ ſuppoſuit, cum hãc ad contemnenda verba Dominicæ iuſſionis inſtigauit. Inuidiæ quoque flamma Cain animum ſuccendit, cum de accepto fratris ſacrificio doluit, & per hoc vſque ad fratricidij facinus peruenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exuſſit, quem tanto mulieribus amore ſubdidit, vt vſque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem ſequeretur, cõditoris reuerentiæ obliuiſceretur. Auaritiæ quoque igne Achab animũ concremauit, cum eum ad appetendã alienam vineam impatientibus deſiderijs*

Martyrum perſecutores fabro conferũtur

Iob. 41.

Greg. 33. Mor. c. 28.

Diabolus ẽ faber ſufflãs ignem, cum peccatores tẽtat

Gen. 3.

Gen. 4.

3. Reg. 21.

Ibid.



*derijs impulit, & per hoc vſque ad reatum homicidij pertraxit. Tanto igitur Leuiathan iſte halitu in prunis flat, quanto anniſu ſuggeſtionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat*. Et paulo poſt. *Tunc eius halitus vehementius eius prunas ardere facit, quia reproborum mentes, quas iam calentes amore gloriæ tẽporalis inuenerit, ſuggeſtionis ſuæ flatibus vſque ad nequitiam exercendæ crudelitatis incendit. Tunc de ore eius flamma egreditur: quia quidquid per ſe: quidquid per prædicatores ſuos loquitur, ignis eſt, quo infructuoſa ligna concremantur. Igne autem terrenæ concupiſcentiæ eorum mens tangitur, qui nequaquam fieri pretioſa metalla concupiſcunt*. Quod ſi halitus eius prunas ardere facit, quid flatus vehemens, quid ſpiritus montes commouens? Hic ergo faber profert *vas in opus ſuum*, cum hæreticos ſuſcitat in Eccleſia, vt pacẽ eius perturbent, & vnitatem ſcindant, cũ tyrannos commouet, vt aduerſus fideles inſurgant. Sed obſeruandum eſt, quod ad probandum electos, vtitur Deus dæmonis opera, & tyrannorum principum induſtria, tamquam baculo, ipſi autem in alium finẽ peruerſe ordinant opera ſua; neque enim volunt id quod Deus vult. Voluit Deus pati Chriſtum ſuum, voluerunt & Scribæ & Phariſæi, ſed Deus voluit mortem illius, vt genus humanũ redimeret: Iudæi autem, vt Chriſtum deijcerent, & nomen eius delerent de terra viuentium. Pharao Rex Aegypti, operibus duris luti & lateris opprimere intendebat filios Iſrael; Deus autem probare. Sathan in ſterquilinio poſuit ſanctum Iob, vt illum ad impatientiam prouocaret: Deus autem miſericorditer vſus eſt miniſterio eius, vt in vniuerſo mundo ſanctũ & iuſtum commendabilem faceret. Ait ergo. *Ecce*, ideſt, aduertite & conſiderate magnum miraculũ. *Ego creaui fabrum*, ideſt, diabolum, qui quantum ad naturam bonus eſt, & in bonos vſus factus; ſed, ſua malitia, vtitur poteſtate quam habet, vt ſuam expleat inuidiam. *Et ego creaui interfectorem*. Eundem diabolum *interfectorem* vocat: quoniam, vt ait Saluator. *Ille homicida erat à principio*. Sed non intelligas, Deum hac intentione creaſſe naturam diaboli, vt homines diſperderet, aut eos ad malum excitaret, ſed hoc conſecutum eſt ex malitia diaboli, qui bono naturæ vtitur ad malum. Eſt enim in Scriptura ſacra ſatis frequens modus loquendi, quo præpoſitio, ad, effectum ſignificat conſecutum; non finem à Deo intentum, ſicut Pſal. 103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*. Vbi, vt notauit Lyranus, *non eſt intelligendũ, quod ly, ad, teneatur cauſaliter: quaſi ad hoc Leuiathan formaliter ſit formatus, ſed tenetur conſecutiue: quia ad eius formationem conſecuta eſt illuſio illa. Ex hoc enim quod Leuiathan factus eſt à Deo in corpore tã magno, ſequitur quod neceſſaria ſit ei magna cibatio ex alijs piſcibus maris, quos deuorat: propter quod alij piſces cetum videntes, ex inſtinctu naturali fugiunt verſus ripã, vbi cetus natare non poteſt propter aquæ paruitatem: & ideo cetus eos inſequens impingit ad terram, & à piſcatoribus ibi occiditur: quia non poteſt ſe mouere: & ſic illuſus ſua ſpe fruſtratur*.

Hæretici ſunt vaſa à diabolo fabricata.

Exod. 1. f

Iob. 2. b

Diabolus quo ad naturam à Deo eſt.

Ioan. 8. f

Pſ. 103.

Lyra.

Diabolus qualiter illudatur à iuſtis.

16 Ratio autem, propter quã nos admonet, ſe eſſe creatorem omnium perſequentium nos, ſiue ſit diabolus, ſiue hæretici, ſiue tyranni principes, ſiue reprobi, qui electis ſunt in Eccleſia permixti, ea eſt, ne paueamus ab

eorum potentia; ac ſi apertius dicat.
Nocere iuſto nullus poteſt niſi quantum Deus permittit.
Non te deijciat fortitudo diaboli,
nec te moueat eius inuidia, non eſt
quod timeas ab eo, quoniam ipſe eſt
creatura mea, ipſe in manu mea eſt,
nec plus poterit nocere quàm ego
permiſero. Ideo inquit Apoſtolus.
1. Cor. 10. 6 *Fidelis autem Deus eſt, qui non pa-
tietur vos tentari ſupra id, quod po-
teſtis, ſed faciet etiam cum tentatione
prouentũ, vt poſſitis ſuſtinere.* Quod
ſi liberam diabolus nocendi, quantũ
vult, poteſtatem habuiſſet, non vtique
ligatus eſſet, nec oporteret Antichri-
ſti temporibus illum ſoluere, vt no-
ceret gẽtibus, quod tamen eſt contra
Apoc. 20 a illud Apoc. 20. *Et apprehendit Dra-
conem ſerpentem antiquum, qui eſt*
Diabolus ligatur, ne quantum vult impugnet iuſtos. *diabolus & Satanas, & ligauit eum
per annos mille: & miſit eum in abyſ-
ſum: & clauſit, & ſignauit ſuper il-
lum, vt non ſeducat amplius gentes,
donec conſummentur mille anni; &
poſthæc oportet illum ſolui modico
tempore.* Vnde inferius dicitur. *Et
Ibid. b cum conſummati fuerint mille anni,
ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, &
exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſu-
per quatuor angulos terræ Gog, &
Magog, & congregabit eos in præ-
lium, quorum numerus eſt ſicut are-
na maris.* Super quem locum S. Au-
Aug. li. 20. de ciu. Dei ca. 8. to. 5. guſtinus. *Alligatio* (inquit) *diaboli,
eſt, non permitti exercere totam ten-
tationem, quam poteſt, vel vi vel dolo
ad ſeducendos homines, in partem ſuã
cogendo violenter, fraudulenterve
fallendo. Quod ſi permitteretur in
tam longo tempore, & tanta infirmi-
tate multorum, plurimos tales, quales
Deus id perpeti non vult, & fideles
deijceret, & ne crederent, impediret.
Dan. 1. Quod ne faceret, alligatus eſt. Tunc
autem ſoluetur, quando breue tẽpus
erit. Nam tribus annis & ſex men-
ſibus legitur, totis ſuis ſuorumq. vi-
ribus ſæuiturus: & tales erunt cum
quibus ei belligerandum eſt, vt vinci
tanto eius impetu inſidijsq. non poſ-
ſint. Si autem numquam ſolueretur,
minus appareret eius maligna poten-
tia, minus ſanctæ ciuitatis fideliſſima
patientia probaretur: minus denique
perſpiceretur, num magno eius malo
tam bene fuerit vſus omnipotẽs Deus,
qui eum nec omnino abſtulit à tenta-
tione ſanctorum, quamuis ab eorum
interioribus hominibus, vbi in Deum
creditur, foras miſſum: vt forinſecus
eius oppugnatione proficerent, & in
eis qui ſunt ex parte ipſius alligauit:
ne quantã poſſet effundendo & exer-
cendo malitiam, innumerabiles infir-
mos, ex quibus Eccleſiam multiplica-
ri & impleri oportebat, alios credi-
turos, alios iam credentes à fide pieta-
tis hos deterreret, hos frangeret. Et
ſoluetur in fine, vt quàm fortem ad-
uerſarium Dei ciuitas ſuperauerit,
cum ingenti gloria ſui Redemptoris,
adiutoris, liberatoris aſpiciat. In eo-
rum ſane, qui tunc futuri ſunt, ſan-
ctorum atque fidelium comparatione
quid ſumus? quandoquidem ad il-
los probandos tantus ſoluetur inimi-
cus, cum quo nos ligatos tantis peri-
culis dimicamus: quamuis & hoc
temporis interuallo, quoſdam mi-
lites Chriſti, tam prudentes, &
fortes fuiſſe, atque eſſe non dubium
eſt, vt etiam ſi tunc in iſta mortalita-
te viuerent, quando ille ſoluetur, om-
nes inſidias eius, atque impetus, &
cauerent prudentiſſime, & patientiſ-
ſime ſuſtinerent.* Et in quodam ſer-
mone de tempore. *Ante aduentum* Aug. ſerm. 197. de temp. t. 10
*enim Chriſti, fratres chariſſimi, ſolu-
tus erat diabolus: veniens Chriſtus
fecit de eo, quod in Euangelio di-
ctum eſt, nemo poteſt intrare in do-
mum fortis, & vaſa eius diripere, niſi
prius alligauerit fortem. Venit ergo
Chri-*



*Chriſtus, & alligauit diabolum. Sed
dicet aliquis, ſi alligatus eſt, quare ad
huc tantum præualet? Verum eſt fra
tres chariſſimi, quia multum præua-
let, ſed tepidis & negligentibus, &
Deum in veritate non timentibus do
minatur. Alligatus eſt enim tanquã
Canis ligatus eſt, diabolus. innexus canis catenis, & neminem
poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi
mortifera ſecuritate cõiunxerit. Iam
videte, fratres, quam ſtultus eſt homo
ille, quem canis in catena poſitus mor
det. Tu te illi per voluntates & cu-
piditates ſæculi noli coniungere, & il
le ad te non præſumet accedere. La-
trare poteſt, ſollicitare poteſt, morde-
re omnino non poteſt, niſi volentem.
Non enim cogendo, ſed ſuadendo no-
cet, nec extorquet à nobis conſenſum,
ſed petit.*

17 *Omne vas quod confictum eſt
contra te non dirigetur, & omnẽ lin-
guam reſiſtentem tibi in iudicio, iu-
dicabis.* Vaſa conficta à diabolo,
non quidem ſecundum naturam. ſed
ſecundum ſuggeſtionem malitiæ, sũt
Hæretici aduerſus Eccleſiam non præualebunt. hæretici, & infideles philoſophi. Vaſa
in contumeliam, vaſa iræ apta in in-
teritum, vaſa mortis contra Eccle-
ſiam fabricata, & à principe tenebra-
rum congregata, quorum lingua &
doctrina manifeſtiſſimis Eccleſię de-
finitionibus reſiſtit. Hæc vaſa, inquit,
non dirigentur contra te, ò Eccleſia,
ideſt, non præualebunt, vt explicat
Gloſſa. gloſſa interlinearis, nec proſperabũ-
tur: vel, non dirigentur, ideſt, ſua fru-
ſtrabuntur intentione, vt exponit
Lyra. Lyra, in vanum quippe cedent dia-
bolo, & ſatellitibus eius omnia ma-
chinamenta, & omnes eorum cona-
Mat. 16 tus fruſtrabuntur, quoniam *portæ in-
feri non præualebunt aduerſus eam.
Et omnem linguam, &c.* Videntur
hæc verba apertum continere vati-
cinium eorum, quæ in ſacris Conci-
lijs, atque in tribunali ſanctiſsimæ in-
quiſitionis facit Eccleſia, cuius iudi-
cio iudicantur hæretici, & damnan-
tur, ne eorum peruerſa doctrina ſer-
pat vt cancer, & alios inficiat. Di-
cendo *omnem linguam*, nullam exci-
pit. Et cum ait, *Iudicabis*, poteſta-
tem indicat, quam habet Eccleſia ad
diſcernendum inter lepram & leprã,
inter verum & falſum, & ad ſeparan-
dum pretioſum à vili, atque ad deſi-
niendas controuerſias exortas circa S. Põtifex res fidei determinat.
dogmata fidei, & ſtabiliendas veri-
tates catholicas. Quæ auctoritas in
Petro reſidet, & ſucceſſoribus eius,
videlicet in Pontificibus Romanis, vt
latius oſtendimus ſupra. Conſonat Sup. ca. 19 nu. 20.
hæc explicatio cum verſione Chald.
& complut. Nam pro, *iudicabis*, ver-
tunt, *condemnabis*, pro quo Septuag.
transferunt, *vinces*.

18 *Hæc eſt hæreditas ſeruorum
Domini, & iuſtitia eorum apud me,
dicit Dominus.* Concluſionem con-
tinent hæc verba omnium quæ dicta
ſunt in hoc capite. Et ſenſus eſt.
*Hæc*, quæ vobis polliceor, & ventu-
ra eſſe denuncio, *hæc*, quæ non à me
inuenta aut excogitata ſunt, ſed à
Domino inſpirata, *hæc* sũt *hæreditas*
& pars *ſeruorum Dei*, ideſt electo-
rum eius. nihil ergo aliud eos opor-
tet inquirere, nec cum Petro Apo-
ſtolo Dominum interrogare. *Ecce* Marci 10. d
*nos reliquimus omnia, & ſecuti ſu-
mus te; quid ergo erit nobis?* hæc eſt
enim hæreditas illa, de qua in perſo-
na Chriſti dicit Pſalmiſta. *Domi-* Pſal. 15
*nus pars hæreditatis meæ. & calicis
mei: tu es qui reſtitues hæreditatem
meam mihi. Funes ceciderunt mihi
in præclaris: etenim hæreditas mea
præclara eſt mihi.* Ac ſi apertius di-
cat. * *Poſſidebunt mecum hæredita* Aug. ſuper pſ. 15. to. 8
*tem ipſum Deum. Eligant ſibi alij
partes, quibus fruantur, terrenas &
tempo-*

*temporales, portio ſanctorum Dominus eternus eſt. Et calicis mei. Bibant alÿ mortiferas voluptates, portio calicis mei Dominus eſt. Quod dico mei, adiungo Eccleſiam, quia vbi caput, ibi & corpus. Nam in hæreditatem congregabo conuenticula eorum, & per calicis ebrietatem obliuiſcar nomina vetera eorum. Tu es qui reſtitues mihi hæreditatem meam, vt nota ſit & his, quos libero, claritas qua eram apud te priuſquam mundus fieret, non enim reſtitues mihi quod non amiſi, ſed reſtitues his, qui amiſerunt eius claritatis notitiam, in quibus quia ego ſum, mihi reſtitues. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Limites poſſeſſionis meæ in tua clarttate tamquam ſorte ceciderunt. velut poſſeſſio Sacerdotum & Leuitarum Deus. Etenim hæreditas mea præclara eſt, non omnibus, ſed videntibus, in quibus quia ego ſum, mihi eſt. Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum. Benedicam Dominum qui mihi tribuit oculum, quo iſta hæreditas videri, & poßideri poteſt. Et iuſtitia eorum apud me.* Per iuſtitiam, idem intelligit, quod per hæreditatem, videlicet cæleſtem gloriam, quam Apoſtolus coronã iuſtitiæ dixit, eo quod tamquam merces bene operantibus debetur ex iuſtitia. Hæc autem merces ex iuſtitia debita apud Deum eſt, quia *nec oculus vidit, nec aures audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt quæ præparauit Deus ÿs, qui diligunt illum.* Nec enim alio obiecto quam ſeipſo ſatiat beatos. Poteſt etiam per iuſtitiam, quæ generalis eſt virtus, ſanctitas deſignari, per quam electi ad hæreditatem perueniunt cæleſtem, iuxta illud Apoſtoli. *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Hæc* (inquit) eſt *apud me*, quoniam omnis iuſtitia Deo eſt adſcribenda tamquam auctori ſalutis noſtræ, per quem ſaluati & liberati ſumus: nihil enim habemus boni, quod non procedat ex dono ipſius, Apoſtolo dicente. *Quid autem habet quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Denique hæc omnia velut ſignaculo confirmat, dum inquit à Domino eſſe dicta, quod pluries in hoc capite repetit, ne quis de certititudine eorum poſsit dubitare.

Hæreditas iuſtorum Deum eſt.

*Pſ.15.b*

*1.Tim.4*

*1.Cor.2 b*

*Heb.12 d.a*

*1 Cor.4 b*





# CAPVT LV.

1.2.3. OMNES ſitientes venite ad aquas: & qui
non habetis argentum, properate, emite,
& comedite: venite, emite abſque argento,
& abſque vlla commutatione vinum &
lac. 4. Quare appenditis argentum non in
panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?
5. 6. Audite audientes me, & comedite
bonum, & delectabitur in craſsitudine
anima veſtra. Inclinate aurem veſtram,
& venite ad me: audite, & viuet anima veſtra. 7. Et feriam
vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. 8.
Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.
9. 10. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & Gentes, quæ te
non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum,
& ſanctum Iſrael, quia glorificauit te. 11. Quærite Dominum, dum
inueniri poteſt: inuocate eum, dum prope eſt. 12. Derelinquat
impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur
ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum: quoniam
multus eſt ad ignoſcendum. 13. Non enim cogitationes meæ, cogitationes
veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia
ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris,
& cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. 14. 15. 16. Et quomodo
deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur,
ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat
ſemen ſerenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod
egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet
quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. 17.
Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles
cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent
manu. 18. Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrtica creſcet

myrtus: & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.

## SVMMA CAPITIS.

EGIT Iſaias in capite præcedenti, de excellentia, & gloria Catholicæ Eccleſiæ, atque innumerabili multitudine filiorum eius: nunc conſequenter agit de baptiſmo, per quem regenerantur fideles, & de miſericordia Dei, qua benigne peccatores ad ſe vocat, & venientes cum manſuetudine recipit. Circa quod ad aquas baptiſmi, & prædicationis Euangelicæ omnes inuitat, eos arguens, qui negligentes ſunt in negotio propriæ ſalutis: de quo in principio capitis.

*Secundò, repromittit illis nouum teſtamentum, & vnigenitum filium Dei, qui illud prædicauit, & effuſione proprij ſanguinis confirmauit. Verſiculo.* Et feriam vobiſcum pactum. *Et Verſiculo.* Ecce teſtem populis dedi eum.

*Tertiò, vt ad æmulationem Synagogam prouocet, agit de vocatione gentium, & obedientiam earum deſcribit. Verſiculo.* Ecce gentem quam neſciebas, vocabis &c.

*Quartò, à temporis opportunitate Iudæos inuitat, vt conuertantur ad Dominum, quia benignus, & miſericors eſt. Verſiculo.* Quærite Dominum dum inueniri poteſt.

*Quintò, ad maiorem confuſionem Iudæorum, qui Euangelicæ prædicationi reſtiterunt proteruè, agit de efficacia verbi Diuini, quod, vbi Deus vult, vacuum non reuertitur, ſed fructum affert, ſicut imber aut nix de cælo deſcendens. Conuertit enim gentes, Iudæis in ſua perfidia manentibus. Verſiculo.* Et quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, &c. *Vſque ad finem capitis.*

COM-



## COMMENTARIVM.

1 *OMNES ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argẽto, & abſque vlla commutatione vinum & lac.* Quoniam multa prædixerat in capite præcedenti de vocatione gentium, ac de Eccleſiæ Catholicæ claritate: nunc omnes inuitat vt veniant ad eã, vt incorporentur Chriſto, & redemptionis ipſius participes fiant. Inuitat omnes *ſitientes*, ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus ſint. *Sitientes* vocat,
Ioan.7.f ſicut & Saluator mundi. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum.*
Terrena deſpiciẽtes guſtant cæleſtia.
Qui ergo delectationibus replentur carnalibus, ſpiritualia bona faſtidiũt; & cui res temporales ſunt faſtidio, huic ſitis innata eſt à Deo bonorum cæleſtium. Vnde & ſuperius dixerat.
Iſa.28.c *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Beati*
Matt.5. ergo *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Per *aquas* Chriſtum intelligit, qui omnium gratiarum fons eſt & origo, à quo & ſeptem fluxerunt ſacramenta, in quibus quaſi in totidem fontibus abluuntur fideles, & reficiuntur: alias
Pſ.41.a non dixiſſet propheta; *Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Aqua eſt Diuina gratia, & doctrina Euangelica, eo quod in perſecutionis æſtu, quæ vel à carne eſt, vel à diabolo, vel à mundo, nos refrigerat. Qui ergo veniunt ad Chriſtum, qui gratiã quærunt illius, *ad aquas* veniunt, quibus lauantur, reficiuntur, & irrigantur, vt fructum proferant tempore ſuo. Dicens, *venite*, libertatem noſtri deſignat arbitrij. Trahit nos Deus ſicut dicit Saluator: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, quoniam auxilio gratiæ ſuæ nolentes præuenit, & volentes ex nolentibus facit, eos interius efficaciter mouendo, vt ad Chriſtum veniant, & libere veniant, ideo inquit, *venite*. Nos enim venimus, ſed ille facit vt veniamus. nos volumus, ſed ipſe facit vt velimus, qui per prophetam ait. *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Ex quibus cõſtat, gratiam, & liberum arbitrium, non pugnare inter ſe, ſed eſſe concordes, vt cap. 10. nu. 11. latius explicuimus. *Vinum & lac*, vocat idipſum quod per *aquas* deſignauit. *Vinum*, eſt verbũ Dei, & eius gratia, eo quod exhilarat, ac lætificat cor, pacificans conſcientiam interno gaudio & lætitia, quam ſolus nouit ille qui accipit. Hoc vinum depellit triſtitiam, quam appetitus fluxarum rerum in nobis cauſat. *Lac* dicitur, eo quod nutriat paruulos, & faciat creſcere in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti. *Lac* eſt incipientibus, aqua proficientibus, *vinũ* perfectis. *Abſque argento, & abſque vlla commutatione* hæc nobis offeruntur, quoniã gratia gratis datur, nullis noſtris præcedentibus meritis. *Si enim ex operibus, iam gratia*

Ioan.6.e — Ezech.36.f — Verbũ Dei eſt vinum, & lac. — Rom.11

*non eſt gratia. Abſque argento*, quia quamuis pauperes ſimus & indigni, non tamen nos repudiat: immo nemini dat bona ſua, niſi humilibus & pauperibus ſpiritu, qui nihil de ſe præſumunt, nihil ſublime de ſe ſentiunt, vt ſciamus, gratia Dei nos eſſe quod ſumus.

2 *Emite*. Dubitari poteſt, qua nam ratione dicat *emite*, cum ſtatim ſubiungat, *abſq. argento* & auro, immo *& abſq. vlla cõmutatione*. Quod enim emitur, pro pretio cõmutatur. Ille enim emit, qui, data pecunia, rem venalem acquirit, & ſuam facit. Si ergo, vt emat *aquas*, hortatur, ſi *vinum & lac*, mercari ſuadet, quomodo *abſque argento*, abſque auro, *abſq. vlla cõmutatione*? Noſtras requirit volũtates, nam gratia Dei non datur inuitis, ſed eius vocationi conſentiẽtibus, & ſe diſponentibus per actũ liberi arbitrij, deteſtantibus peccata ſua, renunciantibus ſeculo, & ſe toto corde ad Deũ conuertentibus. Ideo inquit, *Emite*, quoniam aliquid damus, aliquid offerimus Deo, quod ex dono ipſius accepimus. Quoniam vero omnia opera noſtra antecedẽtia infuſionem gratiæ, ſecundũ quod procedunt

Ad grãm ſine auxilio grãæ ſe non põt homo diſponere.

ex libero arbitrio noſtro, nullam habent proportionem, nullam cõdignitatem, aut infallibilem connexionẽ, cum gratia; ſed ſolum, quatenus procedunt ex auxilio Dei ſupernaturali, noſtram præparante voluntatẽ, ideo *abſq. argento, & abſq. vlla commutatione*, noſtra videlicet, datur gratia. nullo pretio noſtro, ſed ære alieno emitur, ſanguine videlicet Ieſu Chriſti; ille meruit nobis gratiã, ille ſoluit p̄tium: nos autẽ, cum ſimus natura filij iræ, quid poſſumus offerre Deo acceptũ, vt ſuam nobis retribuat gratiã?

Rom. 11 d.

*Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſũt omnia*. Hinc eſt illud quod in Canticis dicitur. Cant. 8. c

*Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*. Hinc ait Sapiens: *Quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tãquam lutũ æſtimabitur argentum illius*. Sap. 7. a

Hinc & ſanctus Iob ait. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec cõmutabuntur pro ea vaſa auri*. Iob 28.

Ex quibus locis inæſtimabilem eſſe conſtat Dei ſapientiã, inæſtimabilem & eius gratiam, quam nec auro, nec argento poſſumus emere, nec vllis bonis operibus promereri. Item etiam inquit, *emite abſque vlla cõmutatione*, quoniã licet prima gratia habitualis, & auxilia omnia, quibus ad eam conſequendam præparamur, omnino gratis donentur nobis, tamquam indignis & filijs iræ, ſemel tamen iuſtificatis, & ſtrenue operantibus, & augmentũ gratiæ, & gloria, quæ gratia eſt conſummata, tãquam merces redditur, iuxta illud quod dicit Apoſtolus, *de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex: nõ ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius*. 2. Tim. 4 b

In cuius ſignum regnum cælorum ſimile eſſe dicitur *theſauro abſcondito in agro, quẽ qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum*. Mat. 13 f

Et iterum: *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abijt & vẽdidit omnia quæ habuit, & emit eam*. Ecce, vẽditis omnibus, & dato pretio, ager





cæleſtis emitur quoniam renunciando carnalibus voluptatibus atque terrenis deſiderijs comparatur. Vnde & Petrus omnia reliquit, & ſecutus eſt Chriſtum, vt vitam ęternam poſſideret.

Mat. 19

Relinquẽda ſunt oĩa pp Xp̃m etiam ipſa cupiditas.

*Ecce* (inquit) *reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Cui Dominus. *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. Omnibus renunciant, omnia relinquunt, omnia vendunt, vt omnia poſſideant. * *Sed fortaſſe aliquis tacitis ſibi cogitationibus dicat: Ad vocem Dominicam vterque iſte piſcator quid aut quantum dimiſit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, fratres chariſſimi, affectum debemus potius penſare quam cenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit: multum reliquit, qui, quantũlibet parũ, totum deſeruit. Certe nos & habita cum amore poſſidemus: & ea quæ minime habemus, ex deſiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiſit: quando vterque etiam deſideria habendi dereliquit. Multũ dimiſit: qui cum re poſſeſſa etiam concupiſcentijs renunciauit: A ſequentibus ergo tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. Nemo igitur, etiam cum quoſdam conſpicit multa reliquiſſe, apud ſemetipſum dicat: Imitari mũdi huius contemptores volo: ſed quod relinquam, non habeo. Multa fratres relinquitis, ſi deſiderijs terrenis renunciatis. Exteriora etenim noſtra Domino quamlibet parua ſufficiunt: cor namq. & non ſubſtantiam penſat. Nec perpendit, quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto profeatur. Nam ſi exteriorem ſubſtantiam perpendamus: ecce ſancti negotiatores noſtri perpetuam Angelorum vitam datis retibus & naui mercati ſunt. Aeſtimationem quippe pretij recte non habet: ſed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit namq. Zacchæo dimidium ſubſtantiæ. quia dimidium aliud ad hoc quod iniuſte abſtulit reſtituendum in quadruplum reſeruauit. Valuit Petro, & Andreæ dimiſſis retibus & naui. Valuit viduæ duobus minutis. Valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaq. Dei, vt diximus, tantũ valet, quantum habes.*

*Greg ho. 5 in Euangelia.

Luca 19

Luca 21

Matt. 9.

3 *Comedite*. Notandũ eſt ꝙ cum *ad aquas* inuitaſſet *ſitientes*, & *vinũ* obtuliſſet, & *lac*, modo inquit, *comedite*. vt ſciamus, quoniam ipſe Chriſtus aqua & panis eſt nobis. Quod Beatus Hieronymus his verbis notauit.

Xp̃s, aqua eſt, & panis

*Mirum* (inquit) *in modum emunt aquas abſque pecunia, & non bibunt eas, ſed comedunt. Ipſe enim & aqua & panis eſt, qui de cælo deſcendit. Ergo quod in quibuſdam exemplaribus legitur: Emite & bibite, ab imperitis ſcriptoribus immutatum eſt, qui putauerunt eſſe conſequentius, ſi biberentur potius aquæ, quam comederentur*.

Hier. ſuper c. 55. Iſaiæ.

Præterea (inquit) *comedite*, vt ſitim, quam in anima iuſti excitant bona ſpiritualia deguſtata, deſignet Qui enim comedit, ſitim accẽdit. aqua ergo cæleſtis gratiæ comeditur, quia ſui deſiderium quo amplius poſſidetur, inflammat ſicut ſcriptum eſt. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Vt enim verbis vtar ſancti Hieronymi, *nullus vmquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de ſatietate faſtidium. Tanto vnuſquiſque capacior, tanto auidior erit, quanto inde plus hauſerit*. Hinc

Sitis iuſti qua Deum deſiderat.

Eccli. 24

Hier. epiſt. 1. quæ eſt ad Demetriadem.

& Propheta Regius nos admonet, di-
Pſ. 104. cens. *Lætetur cor quærentium Do-*
*minum: quærite Dominum & con-*
*firmamini: quærite faciem eius ſem-*
Aug. lib. 15 *per*. Vbi Auguſtinus. *Videtur* (in-
de Trin. c. 2 quit) *quod ſemper quæritur, numquã*
cõ. 2. *inueniri; & quomodo iam lætabitur,*
*& non potius contriſtabitur cor quæ-*
*rentium, ſi non potuerint inuenire*
Quærẽdus *quod quæritur? non enim ait: Læte-*
eſt Deus *tur cor inuenientium, ſed quærentiũ*
ſemper. *Dominum, & tamen Dominũ Deum*
*inueniri poſſe, dum quæritur, teſtatur*
*Iſaias propheta, dum dicit: quærite*
*Dominum, & mox vt inueneritis in-*
*uocate eum: & cum appropinquaue-*
*rit vobis, derelinquat impius vias*
*ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas.*
*Si ergo quæſitus inueniri poteſt, cur*
*dictum eſt: quærite faciem eius ſem-*
*per? An & inuentus forte quæren-*
*dus eſt? Sic enim ſunt incomprehen-*
*ſibilia requirenda, ne ſe exiſtimet*
*nihil inueniſſe, qui, quam ſit incom-*
*prehenſibile quod quærebat, potuerit*
*inuenire. Cur ergo ſic quærit, ſi in-*
*comprehenſibile comprehendit eſſe*
*quod quærit, niſi quia ceſſandum non*
*eſt, quamdiu in ipſa cõprehenſibilium*
*rerum inquiſitione proficitur, & me-*
*lior meliorque fit quærens tam ma-*
*gnum bonum, quod & inueniendum*
*quæritur, & quærendum inuenitur?*
*nam & quæritur, vt inueniatur dul-*
*cius; & non inuenitur, vt quæratur*
*auidius. Secundum hoc accipi poteſt,*
Eccleſ. *quod dictum eſt in libro Eccleſiaſti-*
24. *ci, dicere ſapientiam: Qui me man-*
*ducant adhuc eſurient, & qui bibunt*
*me adhuc ſitient. Manducant enim*
*& bibunt, quia inueniunt, & quia*
Sup c 6 n. *eſuriunt ac ſitiunt, adhuc quærunt.*
1 c 25 n. Lege quæ circa hæc diximus ſupra.
16. 4 *Quare appenditis argentum,*
*& non in panibus, & laborẽ veſtrum,*
*non in ſaturitate?* In verſiculo præ-
cedenti nos miſit propheta ad verum
doctorem, qui poteſt præſtare diſci-
pulis ſuis aquam viuam, paruulis *lac*,
& *vinum* perfectis: nunc autem à Doctores
falſis doctoribus nos remouere intẽ- falſi vitãdi.
dit, in quibus noſtram inſumimus
ſubſtantiam, noſtras vires & vitam,
cum tamen nihil proficiant ad pieta-
tem; non ſecus atque *mulier* illa, quæ
*erat in fluxu ſanguinis ab annis* Lucæ. 8. f
*duodecim, quæ in medicos erogauerat*
*omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab*
*vllo potuit curari*. Chriſtus ſectato-
ribus ſuis aquam tribuit, & panem
verum, quod ſatiare poteſt animas
noſtras: falſi vero doctores tribuunt
nobis panem mendacij, qui ſaturita-
tem promittit, & nullam tribuit. *Hi*
*ſunt in epulis ſuis maculæ conuiuan-* Iudæ 1. e
*tes ſine timore, ſemetipſos paſcentes,*
*nubes ſine aqua, quæ à vẽtis circum-*
*feruntur, arbores autumnales, infru-*
*ctuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus*
*feri maris, diſpumantes ſuas confu-*
*ſiones, ſydera errantia: quibus pro-*
*cella tenebrarum ſeruata eſt in æter-*
*num.* Tales ergo deuitandi ſunt: quia
nihil aliud nobis poſſunt afferre, niſi
laborem & dolorem, & afflictionem
ſpiritus. Sanctus Gregorius Iudæis Gregor. 25
ſolam literam ſeruantibus dictum Mor. c. 17.
putat: *Quare appenditis argentum,*
*& non in panibus? ac ſi diceret: Pen-*
*ſatis ſacra eloquia, ſed non in refe-*
*ctione: quia dum ſolam literæ ſpeciẽ*
*cuſtoditis, de ſpiritali intelligentia*
*pinguedinẽ internæ refectionis amit-*
*titis. Vnde illic apte ſubiungitur,*
*& laborem veſtrum non in ſaturita-*
*te*. Alius ſenſus & planior eſt:
*Quare appenditis, &c.* Ideſt, quare
inſumitis ſubſtantiam veſtram in
bonis temporalibus, quæ ſatiare non
poſſunt animam, & non in ſpiritua-
libus, quæ vere nos beatos efficiunt?
Quæ explicatio, conſonat cum ver-
bis



bis ſequentibus, ſubditur enim.
5 *Audite audientes me, & come-*
*dite bonum, & delectabitur in craſ-*
*ſitudine anima veſtra. Inclinate*
*aurem veſtram, & venite ad me: au-*
*dite, & viuet anima veſtra.* Valeant
ergo philoſophorum placita, valeant
traditiones Scribarum, & Phariſæo-
rum, & audiamus illum, qui eſt *via,*
Ioan. 14 *veritas, & vita*, Chriſtum videlicet
a Redemptorem noſtrum, de quo vox
paterna teſtimonium perhibuit: *Hic*
Mat. 17 *eſt filius meus dilectus, in quo mihi*
a *bene complacui, ipſum audite*. Hunc
ergo audiamus, hunc ſequamur, &
imitemur: audite me (inquit) & co-
Xp̃s audiẽ- medite, quia non ſolum audiendus
dus eſt, & eſt Chriſtus, ſed & comedendus in ſa-
comedẽdus croſancto Euchariſtiæ Sacramento,
in quo ſub ſpeciebus panis & vini car
nem ſuam reliquit nobis, & ſanguinẽ
ad manducandum, & bibendum, *ac-*
*cipite*, inquiens, *& comedite, hoc eſt*
1. Cor. 11. *corpus meum quod pro vobis trade-*
e *tur*. *Comedite bonum*, ideſt, quod
per eſſentiam bonum eſt, ideſt, me
Deum & hominem. Sumimus ergo
in hoc ſacramento corpus Chriſti, ex
vi ſacramenti, ſub ſpeciebus panis;
& ſanguinem, ſub ſpeciebus vini: di-
uinitatem autem, ſiue Deum, ex reali
concomitantia. Septuaginta inter-
Sup cap. 1. pretes transferunt. *Comedite bona.*
nu. 10. Et recte quidem, quoniam, vt ſupe-
rius diximus, in hoc vno bono, om-
nia alia, quæ deſiderari poſſunt, bona
Euchari- continentur. *Et delectabitur, &c.*
ſtiæ effectꝰ Aſſignat proprium effectum ſacroſan
eſt delecta cti ſacramenti Euchariſtiæ, qui eſt
tio ſp̃ualis quædam actualis refectio, & dulcedo
S. Thó. 3. p. ſpiritualis. *Cum enim in illo trada-*
q 79. *tur corpus, & ſanguis Chriſti, per*
*modum cibi, & potus, omnem effectũ*
*quem cibus & potus materialis facit,*
*quantum ad vitam corporalem, quod*
*ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat, &*
*delectat, hoc totum facit*. Et quoniam
in eodẽ ſacramento continetur Chri-
ſtus, qui *via* eſt, *veritas, & vita*, Ioan. 14
etiam confert nobis vitam, ſecundum
illud quod ait Ioannes. *Sicut miſit* Ioan. 6. f
*me viuens pater, & ego viuo propter*
*patrem: & qui manducat me, & ipſe*
*viuet propter me. Hic eſt panis, qui* Euchari-
*de cælo deſcendit. Non ſicut mandu-* ſtia virtutẽ
*cauerũt patres veſtri manna, & mor-* viuificandi
*tui ſunt. Qui manducat hunc pa-* habet.
*nem, viuet in æternum*. Vnde & Cy-
rillus dicit. *Viuificatiuum Dei ver-* S. Cyrill. l.
*bum, vniens ſeipſum propriæ carni,* 4. in Ioan.
*fecit ipſam viuificatiuam. Decebat* c. 12. & 14.
*ergo cum noſtris quodammodo vniri*
*corporibus per ſacram eius carnem,*
*& pretioſum ſanguinem: quæ accipi-*
*mus in benedictionem viuificatiuam*
*in pane, & in vino*. Cum ergo ait,
*& delectabitur in craſſitudine ani-*
*ma veſtra*, dulcedinem ſpiritualem,
quam percipiunt accedentes ad Do-
minum puro corde, deſignat. Cum
autem ſubdit, *audite, & viuet anima*
*veſtra*, vitam ſpiritualem, quã Chri-
ſtus ſe manducantibus confert, ma-
nifeſte oſtendit. Nullus enim huius S. Tho. 3. p.
vitæ efficitur particeps, niſi in re, vel q. 79 art. 1.
in voto Euchariſtiæ ſuſcipiat ſacra- ad 1.
mentum. Ait enim: *Niſi mandu-* Ioan. 6.
*caueritis carnem filij hominis, & bi-* g
*beritis eius ſanguinem; non habebi-*
*tis vitam in vobis*. Comedamus er-
go, & adipe frumẽti, atque pingui il-
lo ſacrificio, qui Chriſtus eſt pro no-
bis immolatus, ſaturemur, oblecte-
mur pinguedine charitatis, & bonis
ſpiritualibus pingueſcat anima no-
ſtra, & creſcamus in bonis operibus,
vt tandem peruenire mereamur ad
menſurã ætatis plenitudinis Chriſti.
6 *Audite, & viuet anima veſtra.*
Conſtituit etiam his verbis differen- Lex anti-
tiam inter legem antiquam, & legem qua nõ vi-
gratiæ, ad quam in præcedentibus uificabat,
ſed lex grę
 verbis viuificat.

verbis inuitauerat omnes: illa enim
ſuis ſectatoribus bona promittebat
temporalia, & vitam corporis lon-
gæuam; hæc vero, bona ſpiritualia
confert, & vitam animæ tribuit. De
*Iſai. 1. c* illa ſcriptum eſt. *Si volueritis, &*
*audieritis me, bona terræ comedetis.*
*Ioan. 8.* De hac vero. *Si quis ſermonem meũ*
*ſeruauerit, mortem non videbit in æ-*
*Mat. 5. c* *ternum.* Et iterum. *Qui fecerit &*
*docuerit, hic magnus vocabitur in re-*
*gno cælorum.* Illius ſacramenta erant
vacua, & egena elementa, quæ nullam
prorſus habebant virtutem ad emun-
dandas cõſcientias ab operibus mor-
*Heb. 9. c* tuis (Apoſtolo dicente,) *iuxta quã*
*& hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt*
*iuxta conſcientiam perfectum facere*
*ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in*
*potibus, & varijs baptiſmatibus, &*
*iuſtitijs carnis vſque ad tempus cor-*
*rectionis impoſitis*: huius vero ſa-
cramenta (ſacro decernente Conci-
Cõc. Trid. lio) gratiam continent, & illam di-
ſeſſ. 7. de gne ſuſcipientibus conferunt. Con-
ſac in Gen. ſonat hæc explicatio cum ipſo con-
can. 6. 7. 8. textu. Subditur enim.

7 *Et feriam vobiſcum pactum*
*ſempiternum, miſericordias Dauid*
Hier. ſuper *fideles.* Vt notauit Hieronymus, pa-
c. 3. ad Gal. ctum ſeu fœdus, idem ſignificat, quod
Pactũ & fœ teſtamentum: Vnde *pactum ſempi-*
dus ſignifi- *ternum* idem eſt quod teſtamentum
cãt idẽ ꝙ æternum. Et ſic transferunt Septua-
teſtamẽtũ. ginta interpretes: *Et ponam vobis*
*teſtamentum æternum.* Senſus ergo
eſt ſecundum Hieronymum, dabo vo
bis teſtamentum nouum, non quod in
aliquo determinato tempore ſit abo-
lendum, ſicut fuit vetus teſtamen-
tum Iudæorum: ſed teſtamentum
ſempiternum, in perpetuum duratu-
*Hier. 31 f* rum. Hoc eſt illud pactum, de quo
Hieremias ait: *Ecce dies venient, di-*
*cit Dominus: & feriam domui Iſrael,*
*& domui Iuda fœdus nouum: non*
*ſecundum pactum, quod pepigi cum*
*patribus eorũ, in die qua apprehendi*
*manum eorũ, vt educerẽ eos de terra*
*Aegypti: pactum, quod irritum fece-*
*runt, & ego dominatus ſum eorum,*
*dicit Dominus. Sed hoc erit pactum,*
*quod feriam cum domo Iſrael: poſt* *Heb. 10. e*
*dies illos, dicit Dominus: dabo legem*
*meam in viſceribus eorum, & in cor-*
*de eorum ſcribam eam: & ero eis in*
*Deum, & ipſi erunt mihi in populũ.*
*Et non docebit vltra vir proximum*
*ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens:*
*Cognoſce Dominum: omnes enim co-* Teſtamen-
*gnoſcent me à minimo eorum vſque* tũ vetus tẽ-
*ad maximum, ait Dominus: quia* porale, no-
*propitiabor iniquitati eorum, & pec-* uũ, ſempi-
*cati eorum non memorabor amplius.* ternum.
Quibus verbis Apoſtolus oſtẽdit, ve- *Ibid.*
tus teſtamentum, per nouum, quo il-
lius figuræ implentur, abolitum eſſe,
& completum: quod latius probat in
capite ſeptimo, octauo, & nono. Ait
enim: *Dicendo autem nouum, vete-*
*rauit prius. Quod autem antiqua-* *Heb 8. d*
*tur, & seneſcit, prope interitum eſt.*
Et iterum. *Aufert primum*, ſcilicet
teſtamentum, *vt ſequens ſtatuat*,
ideſt, vt nouum ſtabiliat in æternum.
Quod autem ait: *Miſericordias Da-*
*uid fideles*; interpretatio eſt huius
pacti ſempiterni, quod intercedente
morte teſtatoris, (ideſt Chriſti) fir-
matum eſt: Ac ſi apertius dicat. Pa-
ctum illud & teſtamẽtum, quod pro-
miſſum eſt Dauid, & miſericorditer
repromiſſum, ego præſtabo, & fide-
liter adimplebo verba mea. *Miſe-*
*ricordias* ergo *Dauid fideles* eas di-
cit, quas ipſe Dauid cecinit, dicens.
*Miſericordias Domini in æternum* *Pſal. 88.*
*cantabo. In generatione, & genera-*
*tionem annunciabo veritatem tuam*
*in ore meo. Quoniam dixiſti, in æter-*
*num miſericordia ædificabitur in cæ-*
*lis: præparabitur veritas tua in eis.*
*Diſpo-*



*Diſpoſui teſtamẽtum electis meis, iu-*
*raui Dauid ſeruo meo: vſque in æter-*
*num præparabo ſemen tuum. Et*
*ædificabo in generatione & genera-*
*tionem ſedem tuam.* Et poſt pauca.
*In æternum ſeruabo illi miſericor-*
*diam meam, & teſtamentum meum*
*fidele ipſi.* Ecce *miſericordias Da-*
*uid fideles*, ecce teſtamentum fidele
Dauid repromiſſum, ecce *pactum*
*ſempiternum*, quod inijt nobiſcum,
*pactum* pacis, fœdus ſalutis, teſtamẽ-
tum nouum, quod ſtabiliuit in æter-
num. quod, non ſanguine arietum,
hircorum, aut vitulorum, ſed ſangui-
ne vnigeniti Filij ſui confirmauit. Igi-
tur per *miſericordias Dauid fideles*,
miſericordiam Dauid repromiſſam
intelligit, *miſericordias fideles*, ideſt,
ſtabiles, nam certiſſime, quæ promi-
ſit, implebit.

8 *Ecce teſtem populis dedi eum:*
*ducem ac præceptorem gentibus.* In-
uitauerat ſupra nationes omnes, vt
ad aquas cæleſtis doctrinæ, & prædi-
cationis Euangelij properarent: nunc
doctorem indicat, per quem adducẽ-
dæ ſunt gentes ad veram Dei cogni-
tionem, & loquitur in perſona Patris,
de Chriſto Domino. *Ecce* (inquit)
*dedi eum teſtẽ populis*, ideſt, Redem-
ptorem, & martyrem, qui abſq. vlla
Prima ex- cauſa tradetur morti, pro populis
plicatio. ſaluandis. qui, vt teſtimonium perhi-
Xp̃s teſtis beret veritati, natus eſt, & vt eam
dicitur. proprio ſanguine confirmaret, mor-
tuus. Teſtis enim, vt ex Auguſtino
Sup. c. 43. notauimus ſupra, idem eſt quod
nu. 9. martyr: Vnde ſignificat his verbis
illud quod dicit Apoſtolus; quoniam
*Rom. 8. f* *proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro*
*nobis omnibus tradidit illum.* De-
Secunda di teſtem, vt videlicet, teſtificaretur
explicatio. populis, quæ vidit, & à me audiuit,
& tanquam teſtis ocularis annuncia-
ret quæ præparata ſunt bona diligẽ-
tibus Deum: nam, vt ſupra latius
oſtendimus, omnes proprietates, & Ca. 43 cit.
conditiones teſtis perfectiſſime repe-
riuntur in Chriſto. Dedi teſtem. vt Tertia ex-
videlicet eſſet euidentiſſimum teſti- plicatio.
monium paternæ erga nos dilectio-
nis, qua maior certe eſſe non po-
tuit, quam, vt ſeruos redimeret, filiũ
ſuum vnigenitum tradere. Vnde &
Apoſtolus ait. *Deus autem qui di-* *Epheſ. 2. a*
*ues eſt in miſericordia, propter nimiã*
*charitatem ſuam, qua dilexit nos, &*
*cum eſſemus mortui peccatis, conui-*
*uificauit nos in Chriſto.* Conſonat
hæc explicatio cum tranſlatione Se-
ptuaginta interpretum, quæ ſic habet.
*Ecce teſtimonium gentibus dedi eum.*
Cui etiam annuit Auguſtinus, expli-
cans enim illud Pſalmi: *In via teſti-* *Pſ. 118.*
*moniorum tuorum delectatus ſum,*
*ſicut in omnibus diuitijs* (inquit). *Viã* Aug. ſuper
*teſtimoniorum Dei nihil citius, nihil* pſ. 118. cõ-
*certius, nihil breuius, nihilq. gran-* cione 6. to. 8.
*dius intelligimus eſſe quàm Chriſtũ,* *Coloſſ. 1.*
*in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ*
*& ſcientiæ abſconditi. Inde & iſte*
*ait ſe iocundatum vel delectatum in*
*hac via, quaſi in omnibus diuitijs.*
*Teſtimonia quippe Dei ſunt, quibus*
*quantum nos diligat, nobis probare*
*dignatur. Commendat autem ſuam* *Rom. 5.*
*charitatem Deus in nobis, quoniam,*
*cum adhuc peccatores eſſemus, Chri-*
*ſtus pro nobis mortuus eſt. Cum er-*
*go ipſe dicat: Ego ſum via, & humi-* *Ioan. 14*
*litas eius carnalis natiuitatis, atque*
*paſſionis, euidentia ſint teſtimonia*
*diuinæ erga nos dilectionis, procul-*
*dubio via teſtimoniorum Dei, Chri-*
*ſtus eſt. Per hæc quippe teſtimonia,*
*quæ in illo videmus impleta, etiam*
*futura erga nos, quæ ſempiterna pro-*
*miſſa ſunt, expectamus, & ſperamus*
*implenda. Qui enim proprio filio* *Rom. 8.*
*ſuo non pepercit, ſed pro nobis omni-*
*bus tradidit eum, quomodo non etiã*
*cum*

*um illo omnia nobis donabit?* Vltima explicatio eſt, qua nomen teſtis accipitur paſſiue, pro eo quod omnes prophetæ teſtificati ſunt: & tunc ſenſus eſt. *Ecce teſtem*, ideſt, teſtificatum omnium prophetarum oraculis, *ecce* Saluatorem in lege repromiſſum, ipſe eſt enim de quo Petrus Apoſtolus ait.

Act.10.g

*Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum*.

Xps Dux & pceptor.

Nec ſolum *teſtem*, ſed & *ducem* eum eſſe ait, *& præceptorem*. *Ducem*, quoniam ſuos præcedit milites, dicens:

Lucæ 9.c

*Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. De quo etiam prædixerat ſupra.

Iſa.30.e

*Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. *Præceptorem*: quoniã præcepta Euangelica tribuit, & legem charitatis ſtatuit, non ſolum *populis*, ideſt, Iudæis, ſed etiam *gentibus*.

9 *Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificauit te*. Alloquitur his verbis Pater Filium, promptam gentium obedientiam commendans.

Gentes fideles Iudæos confundunt.

Omnem Deus mouet lapidem, vt ad credendum in Chriſtum Iudæos alliciat, & ſequendum legem Euangelicã, relictis antiquis cæremonijs. Non potuit Deus mouere pollicitationibus & miraculis, ideo zelo eos prouocat, vt veniant, proponens illis gẽtes idololatras, quæ, ſuis erroribus relictis, veritatem ſecutæ ſunt: ac ſi apertius dicat. Vide ò Iudæe quoniam doctorem tuum, quem ſuſpendiſti in ligno, gentes ſuſceperunt humiliter tamquam ducem & præceptorem, *Ecce gentem*; mira res, Iudæi in lege nutriti, & à Deo in populum ſpecialem electi, offendunt in luce, & gentes incultæ amplectuntur fidem Chriſti. Ad Chriſtum ergo conuerſus, ait propheta, in perſona Patris loquens. *Ecce vocabis* videlicet, per Apoſtolos, *gentem quã antea neſciebas*, ideſt, quam non habebas pro gente tua & populo tuo, quã ignorabas tãquam infidelem, & idololatriæ deditam, nec erunt gentes Iudæis ſimiles, qui obdurati ſunt ad ſermones tuos, ſed ſtatim vt te audierint, ad te current, te ſuſcipient tamquam verum Deum, ſicut dictum eſt ſupra. *Et fluent ad eum omnes gentes*. Iſaiæ 2.

*Current*, inquam, non propter bona temporalia acquirenda, non ex timore mundano; ſed ex charitate. *propter Dominum Deum tuũ, & ſanctum Iſrael*, ideſt, ſanctificantem Iſrael. Dicitur Dominus Deus Chriſti, ſecundum humanam eius naturam: cum enim Dominus ſit Deus omnium, ſpeciali tamen quadam ratione eſt Deus Chriſti, ſecundũ quod homo: quia eius humanitati in vnitate perſonæ Verbi coniunctus eſt. Hac etiam phraſi loquendi vſus eſt Apoſtolus cum dixit. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. 1 Cor.3.

Et iterum ait: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Epheſ.1 a

10 *Et ſanctum Iſrael, quia glorificauit te*. Proponit aliud motiuũ, propter quod gentes, vano idolorum cultu relicto, ſequutæ ſunt Chriſtum legem ſuſcipientes Euangelicã, quia videlicet Deus pater *glorificauit* filium ſuum, & talem gentibus eum oſtendit, vt veſtigia ſequerentur illius. *Glorificauit* autem Pater æternus vnigenitum ſuum, primo in trãſfigura-

Xps glorificatus eſt à Patre in transfiguratione.

figura-



Mat.17

figuratione, cum *ſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*; cum vox de nube audita eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. Secundo in paſſione,

Ioa.17.a

cum orauit ad Patrem. *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus eſſet apud te*.

Ioan.12

Cum venit vox de cælo: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*. Quorum

Aug tract. 52. ſuper Ioan. to.9.

verborũ, vt Auguſtinus explicat, ſenſus eſt. *Et clarificaui antequam facerem mundum, & iterum clarificabo, cũ reſurget à mortuis, & aſcendet in cælum. Vel aliter intelligi poteſt, & clarificaui, cũ de Virgine natus eſt, cum virtutes operatus eſt, cum*

Xps bis clarificatus.

*cælo indice per ſtellam à Magis adoratus eſt, cum à ſanctis Spiritu ſancto plenis agnitus eſt, cum deſcendente ſpiritu in ſpecie columbæ declaratus, cum voce de cælo ſonante monſtratus, cum in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum multos ſanauit atque mundauit, cum de pauciſſimis panibus tantam multitudinem pauit, cum ventis & fluctibus imperauit, cum mortuos ſuſcitauit: & iterum clarificabo, cum reſurget à mortuis, cũ mors ei vltra non dominabitur, cum exaltabitur ſuper cælos Deus, & ſuper omnẽ terram gloria eius*. Quia ergo gentes hanc audierunt claritatem Chriſti, prædicantibus Apoſtolis, & Deo interius reuelante, ideo ad Chriſtum cucurrerunt, & admodum fluminis magno impetu ad Eccleſiam confluxerunt. Humilem itaque fidem gentium, & promptam eorum obedientiam obijcit Iudeis, vt eos ad æmulationem prouocet: non ſecus atque

Iudæi ad æmulationem adducuntur gẽtium conuerſione.

Apoſtolus Paulus, qui gentibus ad fidem conuerſis ait: *Quod ſi delictũ illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentiũ, quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus: Quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis*. Rom.11 b

Vbi Chryſoſtomus. *Videtur* (inquit) *eos quidem, qui ex gentibus erant, obiurgare, menteſq. illorũ humiliare: ſenſim tamen Iudæum vellicat. Circumquaque quidẽ quærit, quomodo tantã illorum perditionem componat, ac mitiget: ſed nihil inuenit propter rerum ipſarum naturam. Nam & ex ijs ipſis, quæ dixit, maiore reddebantur accuſatione digni, quoniã quæ illis apparata fuerant, cæteri, qui longe ab illorũ ſorte deficiebant, receperunt. Propterea relictis Iudæis ad gentes tranſit. Denique hiſce medium interponit ſermonem, oſtendere volens, quod hæc omnia in hoc dicat, vt ad modeſtiam eas inſtruat: Nam duplici nomine, inquit, vos laudo, primùm, quod neceſſitas hoc exigat, vt cui veſtrũ concreditum eſt miniſteriũ; deinde, vt per vos alios quoque ſaluos reddam. Et non dicit, fratres meos, cognatos meos, ſed, carnem meam. & poſt, vt contentionem Iudæorum demonſtret, non dicit, vt perſuadeam, ſed, vt ad æmulandum prouocem, ſaluoſq. reddam. Et neque hic dicit omnes, ſed aliquos ex ijs, adeò ſcilicet duri erant*.

Chryſ.ho. 19. ſuper epiſt ad Rõ. circa med.

Pauli charitas erga Iudæos.

Conſimili æmulatione adhortus eſt filios Iſrael per Oſeam, dicens: *Et miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia. Et dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipſe dicet, Deus meus es tu*. Oſeæ 2.d

*Et erit in loco vbi dicetur eis: non populus meus vos: dicetur* Oſeæ 1.d

tur

tur eis, filij Dei viuentis. Quem locum referens Apoſtolus ait. *Quos & vocauit, nos non ſolū ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſea dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectā: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit: in loco, vbi dictum eſt eis: non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.* Vide, quomodo inuitando gētes, & ad fidem vocando, ad æmulationem Iudęos perfidos adducit. Nec ſolum Apoſtolus, & prophetæ hac via aggreſſi ſunt populum incredulum; *ſed etiam in Euangelijs,* (vt notauit Chryſoſtomus, ) *idem volunt Chriſti parabolæ. Nā & qui filio ſuo nuptias parauerat, quoniam qui vocati erant, venire nolebant: tunc videlicet eos, qui in triuijs erant, vocauit. Et qui vineam plantauerat, cū hæredem occidiſſent agricolæ, tunc vineam ſuam alijs locauit.* Vocat extraneos, inuitat mercenarios, vt vel ſic erubeſcat filius, & ad ſe reuerſus dicat. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.*

Rom. 9. f

Oſea 2.

Chryſ. vbi ſup. colu. 4.

Mat. 22 a

Luca 15 d

11 *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum dū prope eſt.* Mille modis mutat vocem ſuam propheta, & nunc vna via, nunc alia, ſuadere conatur Iudæis ſalutem, vt nullam poſſint incredulitatis ſuæ excuſationem obtendere. In præſenti ergo, ab opportunitate temporis eos ad pœnitentiā hortatur; locus enim eſt ad perſuadendum valde efficax, & non infrequens in ſacra Scriptura: quo vtitur Apoſtolus ad Romanos ſcribens. *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus.* Et ad Corinth. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes vllā offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia.* Et Dominus in Euangelio. *Ambulate* (inquit) *dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.* Totum vitæ præſentis tempus aptum eſt ad quærendum Dominum, in quo locus eſt pœnitentiæ, in quo *prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate; *Erit tamen abſque dubio tēpus cum inueniri non poterit, & ideo addit, vt inuocetur, dum prope eſt, quia futurum eſt, iam non prope futurum. A quo enim tunc requireretur? Mihi inquit curuabitur omne genu, nec tamen inuenietur ab impijs, quos vltores Angeli arcebunt profecto, & tollent, ne videant gloriam Dei. Cæterum nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis, tempus planè quærendi, & inuocandi, quando plerumque & antequam inuocetur, adeſſe ſentitur.* Poſſunt etiam hæc verba ad tempus illud referri, quo Chriſtus inter Iudæos conuerſatus eſt, de quo ſuperius dixerat: *In tēpore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui.* Et ſenſus eſt: Non vos prætereat, ò Iudæi, tempus illud placabile, tempus miſericordiæ, in quo Filius Dei veniet ad vos, propter nos homines homo factus. Quærite illū & inuocate; nam prope eſt iam, cito veniet

Rom. 13 d

Tēporis opportunitate adducitur hoīes ad pœnitētiam.

2. Cor. 6. a

Quadrageſimæ tēpus acceptabile

Ioan. 12. c

Pſ. 144. d

* Bern ſer. 75. in Cāt.

Iſa. 49. c

veniet



veniet, & non tardabit, vel, dum prope eſt. Sanctus Auguſtinus mouet quæſtionem ſuper iſtum locum; quomodo verum ſit, quod nunc ait Propheta. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt,* cum pſalmiſta dicat. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Si enim Dominus inueniri poteſt, quomodo ſemper quærendus eſt? Sed iſtum nodum iam ſupra, hoc eodem capite, verbis eiuſdem Auguſtini diſſoluimus. Qualiter autem Deus à nobis quærendus ſit, ſubſequentia indicant verba.

Pſ. 104. a

12 *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrū: quoniam multus eſt ad ignoſcendum. *Non ſatis eſt quærere Dominum, & dum pœnitentiæ tempus eſt, inuenire, atque inuocare eum, dum prope eſt, niſi reliquerit impius vias ſuas priſtinas & cogitationes antiquas, quibus à Domino declinauerat.* Neceſſe eſt ergo, vt peccator Deum quærens, & ipſum oratione ſua inuocans, vere pœniteat vitæ præteritæ. Relinquat *viam ſuam,* ideſt, peccandi conſuetudinem, & omnia quæ ad peccatum inducunt: nec ſolum ore, & opere, relinquenda eſt via iniquitatis, ſed etiam corde, immo prius à corde amouenda eſt iniquitas. Abſint ergo procul carnalia deſideria, quæ militant aduerſus animam. Abſint cogitationes immundæ, abſint inſidiæ proximorum, vt cōuertamur ad Dominum. Non enim duabus vijs incedere, nec duobus Dominis ſeruire poſſumus. Cum ait: *Reuertatur ad Dominum,* inſinuat, non coacte, ſed propria voluntate peccatorem ad Deum conuerti; hanc tamen voluntatem præcedit miſericordia diuina, quæ facit vt velimus, & ad Deū conuertamur. Nec obſtat quod poſteriori loco poſuit, *& miſerebitur eius.* Per hoc enim oſtendit, quod miſericordia Dei, quæ nos præuenit vt velimus, ipſa nos comitatur & ſubſequitur, vt Concilium Tridentinum determinat. Inter omnia autem quæ peccatorem alliciunt ad pœnitentiā, præcipuum obtinet locum miſericordia diuina, quam in præſenti omnibus offert; ideo ait, *quoniam multus,* .i. totus propenſus *eſt ad ignoſcendū.* Vel multum ignoſcens, toties quoties peccator ingemuerit: quod alijs verbis explicuit Ioel, dicens: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Cui conſonat illud Ioannis. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hinc collige, non ſolum opera exteriora contra legem Dei facta, eſſe peccata, & conſequenter vitanda; ſed etiam peruerſas cogitationes, quæ nullo actu exteriori manifeſtantur: alias enim ſatis fuiſſet dicere, *derelinquet impius viā ſuam,* nec oportuiſſet addere, *& vir iniquus cogitationes ſuas.* fruſtra etiam dixiſſet ſuperius: *Auferte malum cogitationū veſtrarum ab oculis meis.*

*Hieron. Deus qualiter à nobis ſit quærendus.

Dñis duobus nemo ſeruire poteſt.

Conc. Tri. ſeſſ. 6 c. 16. de iuſtif.

Ioel. 2.

1. Ioan. 1. d

Iſai. 1.

13 *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Dixerat, Dei miſericordiam eſſe magnam ad ignoſcendum, & inuitauerat peccatores ad pœnitentiam, promittens illis ſalutem: nunc autem, ne incredibile videatur, impium poſſe per-

per

per pœnitentiam ſaluari, præſertim cum longo tempore offenderit Deũ, confirmat multis ſpem noſtram, & ſenſus eſt ſecundum Hieronymum. Nolite putare quod vana vobis promittam, & ſimilem offeram amicitiã, qualem vos ſoletis inire, aliud ore loquentes, & aliud corde tractantes. Vos homines ſæpe promiſſi pœnitentes, veterem voluntatem nouella cupiditate ſubuertitis; ego autem quod ſemel decreui, perficiam: *Et quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita*. Vos ſemel aut iterum peccantibus condonatis culpam; quod ſi tertio adiecerint vos offendere, implacabiles eſtis: ego autem, quoties ingemuerit peccator, & ad me reuerſus fuerit, ſuſcipiam illum. Si peccauerit in me, non dico vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties dimittã ei, ſi pœnitentiam egerit, toties quoties. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Conuertimini, conuertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael?* Hoc ergo eſt quod in præſenti ſuadere conatur Propheta, quàm cælum à terra, tam diſtare miſericordiam Dei ab hominum miſericordia. Quod & Pſalmiſta cecinit dicens. *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cæli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras*. Vide quantum ſuperexcedat nos Dei miſericordia, quantum emineat ſuper cogitationes hominum. *Sicut exaltantur cæli à terra: Secundum altitudinem cæli à terra*. Quod Iſaias dixit: *Sicut exaltantur cæli à terra, &c.* hoc Pſalmiſta explicuit, cum ait. *Secundum altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*; quod iuxta explicationem ſancti Auguſtini hunc habet ſenſum. *Si aliquando poteſt cælum abſcedere à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes ſe. Attende & cælum, vbique, atque vndique protegit terrã, & nulla pars terræ eſt, quæ non cælo protegatur. Peccant homines ſub cælo, faciunt omnia mala ſub cælo, tamen proteguntur cælo. Inde lux ad oculos, inde aer, inde ſpiritus, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnis miſericordia à cælo. Tolle auxilium cæli à terra, ſtatim deficiet. Sicut ergo protectio cæli permanet ſuper terram, ſic protectio Domini permanet ſuper timentes eum.* Vnde Chryſoſtomus. *Quid*, inquit, *huic diſpenſationi, huic clementiæ, huic bonitati comparari, aut ſimile excogitari poſſit? Propterea & ipſe dicebat. Quantum diſtat cælum à terra, tantum diſtant viæ meæ à vijs veſtris. & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Dauid quoque mitiſſimus, cum de clementia illius loqueretur, aiebat: Secundum altitudinem cæli à terra corroborauit Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe*: quod non comparans dicit. *quæ enim humana clementia diuinæ bonitati conferri poſſit? Sed quia exemplum ſummæ af-*

*fectionis*

Pſ. 88. — Pœnitẽtibus offenſam remittit Deus toties quoties. — Ezech. 18. e — Ezech. 33. e — Pſ. 102. b — Ibid. — Aug ſuper eundẽ Pſal. tom. 8. — Timentes ſe protegit Deus, ſicut cælũ terrã. — Chryſ li. 1 de prouid. Dei circa med. to. 5. — Pſ. 102.



*fectionis nullum nos maius nouimus, quam patris ad filios. Niſi fortaſſis Iſaias maius aliquid docuit, qui matris potius exemplo vſus eſt, quæ erga natos ſuos longe miſericordius afficitur, quàm pater. Dixit enim. Nũquid obliuiſcetur mulier infantuli ſui, vt non miſereatur filio vteri ſui? Sed etſi illa oblita eius fuerit, ego tamen tui non obliuiſcar, dicit Dominus: oſtendens Dei miſericordiã affectus omnes naturales longiſſime excedere. Et propheta quidem ſic. Ipſe autem Dei filius, cum Iudæis loqueretur, aiebat. Si autem vos cum ſitis mali, noſtis bona dare filijs veſtris: quanto magis pater cæleſtis dabit bona petentibus ſe? Nihil profecto aliud per iſta ſignificans, niſi tantam eſſe Diuinæ prouidentiæ, & gubernationis paternæ differentiam, quantum intereſt inter bonos & malos.*

14 *Et quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meũ quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud*. Vtitur comparatione deſumpta ex quotidiana pluuia, quæ terram irrigat, & fœcundat, vt verum eſſe oſtendat, quod ſuperius dictum eſt, *quoniam ſecundũ altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuã ſuper timentes ſe*. Videte, inquit, quantum fructum afferant pluuiæ. Meo iuſſu de cælo deſcendunt, & terram irrigant, & fœcundam reddunt, cuius virtute ex paucis ſeminibus tantam agricolæ meſſem percipiunt, vt inde cum ſua familia viuant, & ſemen habeant reſeruatum in annum ſequentem: cur non & alia ſimilia, & multo maiora faciet vobis verbum meum, quod ad vos mittam incarnatum? Pluuiam quam mandaui terræ non reuoco, & promiſſiones vobis factas irritabo? imber & nix deſcendentes de cælo, ſuum conſequuntur finem, & verbum meum, quod egreditur de ore meo, reuertetur vacuum? non ſane; faciet enim quæcumque volui. Hinc habes, efficaciam vocationis diuinæ reduci tamquam ad primam radicem, ad efficaciam diuinæ voluntatis, non autem ad aliquam præſcientiam, quæ eiuſdem voluntatis decretum antecedat. Non enim dixit, faciet quæcumque præſciui homines pro ſua libertate facturos, ſi tali vel tali tempore, aut in talibus circumſtantijs vocarentur, ſed *faciet quæcumque volui*. Omnia enim quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra. Sed de hoc plura diximus cap. 28. num. 8.

15 *Sic erit verbum meum, &c.* Aliqui vtuntur hoc loco ad probandum prædicationis verbum numquã carere fructu, ſed ſemper ſuum in aliquo, vel aliquibus effectum ſortiri. Et ſane tale eſt verbum Dei, quod per illud non ſtat, quin fructum vberrimum afferat, quandoque ſexageſimũ, quandoque centeſimum: *virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti*; attamen diſpoſitio praua terrenæ voluntatis in cauſa eſt, quod multoties reuertatur vacuum: Vnde & diſcipulis ſuis dixit Chriſtus: *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris*. Et Paulus Apoſtolus. *Terra*, inquit, *ſæpe venientẽ ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus*

coli-

Iſai. 49. — Matt. 5. b — Verbũ Dei imbri confertur, & niui. — Vocationis Dei efficacia. — Pſ. 134. b — Verbũ Dei non reuertitur vacuũ — Rom. 1. — Mat. 10 b — Heb 6. b

*colitur, accipit benedictionē à Deo:*
*proferens autem ſpinas, ac tribulos,*
*reproba eſt, & maledicto proxima:*
*cuius conſummatio in combuſtionem.*
Et in hoc eodem propheta, Dominus
ipſe ſuam amarè deplorat vineam,
Iſai. 5. quod ſumma diligentia exculta, non
vuas fecerit, ſed labruſcas.

16 *Non reuertetur ad me va-*
*cuū.* S. Cyrillus iſtum locum expli-
Ioan. 12 cat de Verbo incarnato, quod tam-
quam granum frumenti cadens in
terram & mortuum multum fructum
attulit. Quæ explicatio eſt literalis,
& valde conformis contextui, cum
propheta in hoc capite ſermonem de
Chriſto Domino inſtituerit. Acce-
dit, quod non de quocumque verbo
loquitur Pater, nec inquit, ſic erit *ver*
*bum*, ſed addidit, *meum, quod egre-*
*dietur de ore meo*, ideſt, quod ego
mittam in carne mortali. Egreſſus
eſt Dei Filius à Patre, cum ex vtero
ante luciferum illum genuit. Scriptū
Michea eſt enim: *Et egreſſus eius ab initio, à*
5. a *diebus æternitatis eius.* Et iterum;
Dan. 7. *Fluuius igneus rapidusq. egredieba-*
*tur à facie eius.* Vnde & ſapientia
Eccli, ipſa diuina de ſe loquens ait. *Ego ex*
24. *ore altiſſimi prodiui primogenita an-*
*te omnem creaturam.* Sed in pleni-
tudine temporis egreſſus eſt de vte-
Pſ. 18. ro matris, *tāquam ſponſus procedens*
*de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas*
*ad currendam viam, à ſummo cælo*
*egreſſio eius.* Comparat autem Ver-
Incarnatio imbri cō-fertur. bi incarnationem imbri ac niui de-
ſcendenti de cælo, & inebrianti ter-
ram: quia blande deſcendit abſque
ſtrepitu, ſecundum illud Sapientiæ.
Sap. 18. c *Cum enim quietum ſilentium conti-*
*nerent omnia, & nox in ſuo curſu*
*medium iter haberet, omnipotens ſer-*
*mo tuus de cælo à regalibus ſedibus,*
*durus debellator in mediam extermi-*
*nij terram proſiliuit.* Hinc & Pſal-
miſta, *deſcendet* (inquit) *ſicut plu-* Pſ. 71.
*uia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtil-*
*lantia ſuper terram.* Vide quam
blande deſcenderit in vterum Virgi-
nis, *ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtil-*
*licidia ſtillantia ſuper terram*; non
illud comparat alluuioni, à qua (ſicut
inquit Iob,) terra conſumitur, ſed im- Iob. 14.
bri, aut pluuiæ terram penetranti,
atque fœcundanti. *Viuus eſt enim* Heb. 4. c
*ſermo Dei, & efficax, & penetrabi-*
*lior omni gladio ancipiti: & pertin-*
*gens vſque ad diuiſionem animæ ac*
*ſpiritus, compagum quoque ac medul-*
*larum, & diſcretor cogitationū, &*
*intentionū cordis. Guttæ diſtillan-*
*tes ſuper terram, virtutes ſunt* (vt ait
Chryſoſtomus) *quibus Dominus no-* Chryſ. ſup.
*ſter Ieſus Chriſtus dignatus eſt ter-* pſ. 71. to. 1.
*ram veniens implere* Quibus diui-
tes facti ſumus, ſecundum illud Apo-
ſtoli. *Gratias ago Deo meo ſemper* 1. Cor. 1.
*pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt* a
*vobis in Chriſto Ieſu: quod in omni-*
*bus diuites facti eſtis in illo in omni*
*verbo, & in omni ſcientia: ſicut teſti-*
*moniū Chriſti confirmatū eſt in vo-*
*bis: ita vt nihil vobis deſit in vlla*
*gratia.* Ideo inquit, *non reuertetur*
*ad me vacuum, ſed proſperabitur.*
Reuerſus eſt Chriſtus Dominus ad
Patrem, cum aſcendit in cælum, ſed
non vacuus reuerſus eſt, quoniam
multum fructum ſecum attulit. Cum Xps proſperitatē hoīs ſuā reputat.
proſperitate maxima reuerſus eſt,
quoniam aſcendens in altum, captiuā
duxit captiuitatem, dedit dona ho-
minibus. Aſcendit comitatus Ange-
lorum agminibus, & ſanctorum cœtu
quos proprio ſanguine redemerat.
Sed dicet aliquis. Numquid vacuus
potuit aſcendere ille *in quo habitat* Coloſſ. 2.
*omnis plenitudo diuinitatis corpora-* b
*liter?* Numquid pauper, & abſque
vlla proſperitate reuerti potuit ad
Patrem Filius vnigenitus, *in quo*
*ſunt*



Ibid. a *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſciē-*
*tiæ abſconditi?* O Dei miſericordiā,
ò inæſtimabilem caritatem. Noſtram
proſperitatem, ſuam reputat, & *va-*
*cuum* ſe dicit, niſi cælum hominibus
impleat. Diſce ergo ò homo Deum
diligere, & illum omnibus præferre;
nec te exiſtimes eſſe plenum diuitijs,
aut proſpere tibi omnia ſuccedere,
niſi Deum habeas, ſine quo anima tua
vacua eſt.

17 *Quia in lætitia egrediemini,*
*& in pace deducemini: montes &*
*colles cantabunt coram vobis laudem,*
*& omnia ligna regionis plaudent*
*manu.* Hæc eſt promiſſio non irri-
tanda, & verbum quod egredietur,
& non reuertetur vacuum, nempe
quod liberandi ſimus à graui iugo &
captiuitate peccati, à qua ſolus Dei
filius nos liberare potuit. Ait ergo:
*In lætitia egrediemini*, videlicet à
captiuitate peccati: vel ex mundo
iſto maligno, & in pace deducemini,
ad patriam, nempe cæleſtem, (vt ex-
plicat gloſſa interlinearis,) congra-
tulantibus Angelis in cælo, qui gau-
Luc. 15. l dent *ſuper vno peccatore pœnitentiā*
*agente*: & ſanctis omnibus congau-
dentibus, quorum iubilationem ex-
plicuit, dicens per hyperbolen *mon-*
*tes, & colles*, cantaturos laudem.
Quidam per *montes* intelligunt re-
ges, per *colles*, populos, & per *ligna*
ſiluarum homines plebeios. Gloſſa
interlinearis, per *montes*, Angelos,
per *colles*, Patriarchas, Prophetas, &
Apoſtolos, intelligit, & per *ligna ſil-*
*uarum* fideles, qui ſunt tanquam li-
gnum quod plantatum eſt ſecus de-
curſus aquarum. Omnes *cantabunt*,
omnes lætabuntur, quoniā ouis quæ
perierat inuenta eſt. Congruit hic
locus religioſis hominibus, qui reli-
cto ſæculo, vitam profitentur Euan-
gelicam, abnegantes ſemetipſos, &
Chriſtum Dominum ſequentes. Hi
nimirum cum lætitia egrediuntur de Patres qui filios impediunt, ne fiant religioſi taxantur.
terra ſua & cognatione ſua, & in pa-
ce deducuntur per ſemitas iuſtitiæ,
& ad alta conſcendentes ſecuri ma-
nent, & euadūt omnes terræ laqueos,
in quos incidunt, terrena diligentes.
Vnde merito deplorandi ſunt patres
& matres, qui filios ſuos deplorant,
eo quod relicto ſeculo ad religionem
confugiunt. *Non enim lamentatio-* Chryſ. li. 2. aduerſ. vituperatores vitæ monaſticæ col. vlt. t. 1.
*nibus dignus eſt filius tuus* (inquit
Chryſoſtomus,) *verum plauſibus co-*
*ronisq. clariſſimis, qui ex tantis mū-*
*danorum fluctuum motibus, ad tran-*
*quilliſſimam vitam, portumq. ſere-*
*niſſimum ſe recepit. At exprobrant*
*tibi patres plurimi filios habentes ſæ-*
*culo addictos, teq. digito denotant, ac*
*ſibi inuicem oſtendunt alij, cum vi-*
*dent, atque irrident alij. Cur non*
*tu eos magis & irrides, & miſereris?*
*neque enim id intuendum eſt, an ir-*
*rideant & obiurgent nos, ſed an recte*
*& iuſte id faciant. Quod ſi digni*
*fuerimus qui irrideamur, etiamſi nō*
*illi irrideant, nos tamen lugere me-*
*rito debebimus: ſin vero id iniuſte*
*& inique faciant, etiam ſi omnes ri-*
*deant, nos tamen beatos eſſe ſentia-*
*mus: illorum vicem doleamus, quip-*
*pe hui cunctis infeliciores ſunt, &*
*nihilo inſanis meliores. Inſanorum*
*enim eſt & eiuſmodi morbo laboran-*
*tium, eum, qui plurimis & coronis &*
*laudibus ſit dignus, irridere.*

18 *Pro ſaliunca aſcendet abies,*
*& pro vrtica creſcet myrtus.* Hoc eſt,
*mala vertentur in bona, & pro vitijs*
*naſcentur virtutes, ideſt pro iniqui-*
*tate iuſtitia, pro temeritate fortitu-*
*do, pro luxuria temperantia, pro* Saliuncula & vrtica quid ſignificent.
*ſtultitia prudentia.* (vt explicat S.
Hieronymus.) Cuius interpretatio
conſonat Chaldaico paraphraſti, ſic
legenti. *Pro impijs ſurgent iuſti*

 *& pro*

*& pro iniquis pij*: Et ſenſus eſt. Vbi prius viuebãt impij, & nocentes, qui, velut ſaliuncula, amari erant ſaporis, & odoris teterrimi, conſurgent iuſti, boni odoris & famæ. Et vbi vrtica pungens naſcebatur, virtus ſuauiſſima orietur. Hoc ad literam impletum eſt in conuerſione Apoſtolorum, & aliorum fidelium. Quid enim Paulus perſecutor Eccleſiæ, quid tyranni principes, oues Chriſti laniantes, nonne vrticæ, perſecutionũ aculeis lacerantes fideles? Nonne ſaliũculæ amaræ? Conuertit eos Dominus, & facti ſunt abies, & myrtus odoris optimi, & in varia opera neceſſarij, ſpinarum carentes aculeis, ac bona reddẽtes pro malis acceptis. Vnde & de illis dicit Apoſtolus. *Chriſti bonus odor ſumus*. Et in Canticis ſcriptum eſt. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Quibus verbis (vt notauimus ſupra,) odor bonæ famæ ſignificatur Eccleſiæ, & manſuetudo fidelium, qui ipſas quoque pungentes ſe ſpinas proprio candore venuſtare non ceſſant.

*2. Cor. 2. d*

*Cant. 2. a*

Sup. cap. 10. n. 4.

19 *Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur*. Ideſt, poſthæc perpetuo laudabitur Dominus, qui tam admiranda ſuæ miſericordiæ oſtendit ſigna. Omnes magnificabunt Chriſtum, & ab eo fideles dicentur Chriſtiani. Conſonat huic explicationi tranſlatio ſeptuaginta interpretum, quæ ſic habet. *Et erit Dominus in nomen, & in ſignum ſempiternum, & non deficiet*. Fuit quidem in *ſignum* Iudæis, ſed in *ſignum cui contradicetur*. Gentibus ſtultitia reputatum eſt verbum Crucis, ſed gentibus pereuntibus: his autem qui ſalui fiunt, ideſt nobis, *ſignum* eſt miſericordiæ, *ſignum* ſalutis, *ſignum* gloriæ. S. Hieronymus hæc verba ad ſignum Crucis refert. per quod victoriam aduerſus peccatum conſequuntur fideles. In cuius ſignum, quamdiu Moyſes ad modum crucis extenſas, & eleuatas tenebat manus, vincebat Ioſue Amalechitas. Scriptum eſt enim. *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech*, quia nimirum typum gerebant crucis Dominicæ, in cuius virtute aereas ſuperamus poteſtates. Vnde Iuſtinus Martyr. *Cum populus bellum gereret aduerſus Amalech, & Naue filius, Ieſu nomine cognominatus, inter primos pugnaret, Moyſes ipſe Deum orabat, manibus vtrimque expanſis: Hur autem & Aaron eas toto die ſuſtinebant, ne ipſo defatigato dimitterentur. nam ſi quicquam remittebatur de ſigno iſto crucem imitante, prout in Moyſi literis eſt ſcriptum, populus vincebatur, ſin in ſtatu iſto permanebat, Amalech ſuperabatur: & qui fortis erat per crucem, fortis rem præclare gerebat. Non enim propterea quod Moyſes ita orabat, populus in prælio ſuperior erat; ſed quod nomine Ieſu in prima acie verſante, ipſe crucis ſignum deſignabat*. Hinc Origenes. *Quid timent dæmones? quid tremunt? ſine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua exuti ſunt principatus eorum & poteſtates. Timor ergo & tremor cadent ſuper eos, cum crucis ſignum in nobis viderint fideliter fixum*. Hinc & Conſtantino, vt refert Euſebius Cæſarienſis, & Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus. *Sole poſt meridianũ tempus paululũ inclinãte apparuit in aere crucis ſignũ ex lucis ſplendore figuratũ, in quo inſcriptionem conſignatã vidit hæc verba cõplectentẽ. In hoc ſigno vinces*. Hoſtes n. viſibiles & inuiſibiles crucis ſignaculo profligantur. Ita tremit diabolus crucis ſignum, vt Antichriſtus (ſicut notauit Hippolytus) ſuis ſectatoribus *daturus ſit characterem in dextera manu, & fronte, ne quis dextera ſua pretioſam illam crucem pingat in fronte*. Vnde Ioannes Damaſcenus. *Crux* (inquit) *nobis ſigni loco in fronte data eſt, haud ſecus ac circumciſio Iſraeli. Per hanc enim nos qui fide præditi ſumus, ab infidelibus diſtinguimur, atque agnoſcimur. Hæc clypeus, atque armatura, & trophæum eſt aduerſus diabolum. Hæc ſigillum, vt ne exterminator Angelus nos tangat, velut ſcripturæ ſacræ monumentis proditum eſt. Hæc iacentium excitatio eſt, ſtantium fulcimentum, infirmorum baculus, ouium virga, reſipiſcentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ & corporis ſalus, malorum omnium depulſio, bonorum omnium cauſa, peccati extinctio, reſurrectionis planta, vitæ æternæ lignum*. Et ſanctus Hieron. ad Demetriadem ſcribens, hoc inter alia hoc ei præbuit documentum, ab omnibus fidelibus obſeruandum. *Claudas cubiculum pectoris, & crebro ſignaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat, ſed primogenita, quæ apud Aegyptios pereunt, in tua mente ſaluentur*. Vide ſupradicta, cap. 9. num. 43. in illa verba. *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius*. Et cap. 18. nu. 6. in illa verba. *Cum eleuatum fuerit ſignum in montibus*. Et lege Athanaſium libro de incarnatione Verbi, eiuſque corporali ad nos aduentu. Et in vita Antonij, Baſilium Magnum, libro de ſpiritu ſancto, cap. 27. Gregorium Nazianzenum oratione 3. quæ eſt in Iulianum Apoſtatam, & Ioannem Chryſoſtomum, demonſtratione aduerſus gentiles, quod Chriſtus ſit Deus, & ſanctum Auguſtinum ſerm. 19. de ſanctis, vbi multa de ſigno crucis Dominicæ luculenter docent, quibus amplificari poterit præſens locus.

Crux Xpi ſignũ dr.

*Exod. 17 c*

Iuſtin. dialogo cũ Triphone.

Crucis ſe ſigno munientes à plurimis liberantur malis.

Orig. ho. 6. in Exod.

Euſeb. vit. Conſtant. l. 1. c. 22. 23. Cyrill. Hieroſ. Ep. ad Conſtant. de ſigno crucis Hieroſolymis in cælo apparente.

Hippolyt. de conſummatione mundi, claruit tẽpore Clementis Alexandrini.

Damaſc. li. 4. fid. orthodoxæ c. 12

*Exod. 12*

Hier. ep. 18 ad Demetriad. c. 6.

*Ibid.*

Athanaſ.

Baſilius.

Greg. Nazianz.

Chryſoſt.

S. Auguſt.



CAPVT

# CAPVT LVI.

1. HAEC dicit Dominus: Cuſtodite iudicium,
& facite iuſtitiam: quia iuxta eſt ſalus mea
vt veniat, & iuſtitia mea vt reueletur. 2. Bea-
tus vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui
apprehendit iſtud: cuſtodiens ſabbatum ne
polluat illud, cuſtodiens manus ſuas ne fa-
ciat omne malum. 3.4.5. Et non dicat filius
aduenæ, qui adhæret Domino, dicens: Se-
paratione diuidet me Dominus à populo ſuo.
Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit
Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ
ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in
muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſem-
piternum dabo eis, quod non peribit. 6. Et filios aduenæ, qui
adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint
ei in ſeruos: omnem cuſtodientem ſabbatum ne polluat illud, et te-
nentem fœdus meum: Adducam eos in montem ſanctum meum, et
lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum, & victi-
mæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo: 7. 8. quia domus mea
domus orationis vocabitur cunctis populis: Ait Dominus Deus, qui
congregat diſperſos Iſrael. 9. Adhuc congregabo ad eum congre-
gatos eius. 10. 11. 12. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum,
vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt
vniuerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormien-
tes, & amantes ſomnia. 13. Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſa-
turitatem: ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam
ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſque
ad nouiſſimum. 14. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrie-
tate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius.





## SVMMA CAPITIS.

*IN hoc capite, moralem ſermonem proponit Iſaias, populum Chriſtianum ad Diuina præcepta ſeruanda inducens, & conſilia Euangelica ſequenda, atque futuram beatitudinem Chriſti ſectatoribus repromittens, de qua agit in principio capitis.*

*Secundò comparat virgines, & eos, qui propter regnum Dei ſe caſtrauerunt, coniugatis, oſtendens, multo excellentiorem eſſe ſtatum continentium, ſtatu filios procreantium. Verſiculo.* Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, &c.

*Tertiò, ſe congregaturum electos ſuos repromittit, & Iudæos perfidos, beſtijs traditurum ad deuorandum, præſertim Scribas & Phariſæos, qui cum à peccatis populum auertere debuiſſent, deteriores omnibus facti ſunt, luxum & ebrietatem ſequentes. Agit de hoc ab illo Verſiculo;* Adhuc congregabo ad eum congregatos eius; *vſque ad finem capitis.*

## COMMENTARIVM.

1 *HAEC dicit Dominus: cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam: quia iuxta eſt ſalus mea vt veniat, & iuſtitia mea vt reueletur.*

Mortis memoria multa affert bona.

Quemadmodum Apoſtolus ad omne virtutum genus inducit fideles, hanc inter alias rationem aſſignans, quia *Dominus prope eſt*, ita & nunc propheta, ex propinquitate aduentus Chriſti, & ſalutis noſtræ, admonitos omnes eſſe vult, vt ſe præparent, cuſtodiendo iuſtitiam, ad illum digne ſuſcipiendum. Ille inquit: *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt. Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Et iterum: *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt iã nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; ſicut in die honeſte ambulemus: non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione: ſed induimini Dominũ Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.* Sed hæc omnia vnico verbo complexus eſt Iſaias, cum ait. *Cuſtodite iudicium &c.* Præmittit autem more ſolito,

*Philipp. 4.a*

*Ibid.*

Rom. 13 c

hæc dicit Dominus, quaſi dicat: Quę vobis breui cōpendio ſum dicturus, non à meipſo eloquuturus ſum, ſed illud accepi à Domino: non præceptum meum, ſed Domini eſt, ad cuius nutum omnia mouentur, quod vobis impono, *cuſtodite iudicium*. Cuſtodire iudicium, & facere iuſtitiam, eſt omnia verba legis implere, & recte in omnibus operari, (vt Cyrillus explicat.) nam qui in vno offenderit, factus eſt omnium reus. Eſt quædam iuſtitia generaliter dicta, quæ (iuxta mentem ſancti Thomæ) includit omnes virtutes, ſicut totum integrale includit partes. Hanc ergo propheta, vt cuſtodiant homines, hortatur, quia iuxta eſt ſalus, (ideſt) Chriſtus, qui eſt ſalus noſtra & iuſtitia, iuxta illud Apoſtoli. *Factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*. de quo & per Pſalmiſtam dicitur. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam*; ideſt Chriſtum Dominum, vt ibi explicat Auguſt.

Iuſtitia generalis oēs includit virtutes.

S.Th. in 4. d 17. qu. 1. ar. 1. q. 1. in corp.

Pſ. 97. a

2 *Beatus vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendit iſtud: cuſtodiens ſabbathum ne polluat illud, cuſtodiens manus ſuas ne faciat omne malum*. Idem dicit Pſalmiſta. *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore*. Expendatur illud verbum *apprehendit*, pro quo Septuaginta Interpretes poſuerunt verbum, quod ſignificat mordicus tenere, & amplecti. Et ſenſus eſt, iuxta explicationem Hieronymi. Filius hominis quantumuis fragilis, & formatus de limo terræ beatus erit, ſi non ſolum faciat quod præceptum eſt: ſed & ſtricta teneat manu, & cuſtodiat ſabbatum, ne polluat illud. Cui conſonat vox Hebræa, quia conſtruitur cum Beth adhæſionis, vt notauit Pagninus in theſauro linguæ ſanctæ, in voce Haſaph. *Beatus* ergo, qui totus incumbet in hoc, vt iſta præſtet; cui vnicum ſtudium eſt ſeipſum præparare, vt digne recipiat Saluatorem. Cuſtodire ſabbatum, eſt manus ſeruare innoxias, & ab omni iniuſtitia abſtinere, atque ab omni ſpecie mali. Feſtiuitates enim eorum odit Dominus, quorum cœtus ſunt iniqui, quorum manus ſanguine plenæ ſunt. Per *ſabbatum* ergo, non corporale ſabbatum intelligit Moſaicum, ſed ſpirituale, ideſt otium & quietem à vitijs, vt oſtendunt verba ſequentia, *cuſtodiens manus ſuas ne faciat omne malum*.

Pſ. 105. — Hierom — Pagni. — Iſai. 1.

3 *Et non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo: Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meū: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Reſpondet cuidam tacitæ obiectioni. Poſſet enim dicere homo miſer: quæ mihi ſpes veniendi ad Deum, aut Chriſtum digne intra hoſpitium cordis mei recipiendi, cum meritis caream, & bonis operibus, non ſolum proprijs, ſed etiam alienis, parentum videlicet meorum? Non poſſum iactare fidem patrum, qui me genuerunt, ſicut illi qui gloriabantur, patrem ſe habere Abraham: Et dicebant. *Nos Abrahæ filij ſumus & nemini ſeruiuimus vmquam*. Ego enim non ſum filius Abrahæ, ſed alienigena, & *filius aduenæ*. Scriptum eſt autem, quod Moab, & Amon non intrabunt in domum Domini vſque ad decimam generatio-

Ioan. 8. d





nerationem. Ego Eunuchus, cui nulli prorſus ſunt filij, ideſt, propria opera bona, vnde rurſus imminet mihi maledictio, quoniam ſcriptum eſt. *Maledictus homo qui non reliquerit ſemen in Iſrael*. Si minora conſecutus non ſum, quomodo ſperabo maxima? Dominus ergo vtroſque conſolatur, & inquit: Nullus conqueratur aut deſperet, quoniam alienigena eſt, aut Eunuchus. nō dicat Græcus ſum, barbarus, aut Scitha, vel cuiuſcumq; alterius nationis, aut ſexus: non ſum ſemen Abrahæ, ſed natus ex gentibus barbaris, & ideo non pertinet ad me promiſſiones factæ per prophetas. Non, inquam, dicat hæc, *dicit enim ſcriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim, quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*. Hinc & Apoſtolus ait. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Si autē vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes.* Quibus verbis, manifeſte oſtendit, omnes indifferenter promiſſionis diuinæ, & ſalutis æternæ eſſe poſſe participes, ſi tamen ſeruauerint mandata Domini & tenuerint fœdus eius, (ideſt) firmiter adhæſerint legi Euangelicæ. Si hæc fecerint, duo illis promittuntur. Alterum eſt quod habebunt locum in Eccleſia militante, ſicut alij fideles. Alterum vero, quod *in muris meis* (ideſt) in Eccleſia triūphanti *nomen* habebunt glorioſum, & multo excellētius ac nobilius, quā ſi filios & filias generaſſent. Hoc eſt dare *nomen melius à filijs, & filiabus*, (vt explicat gloſſa interlinearis.) Secundo poteſt ſic intelligi, *dabo eis nomen melius à filijs & filiabus*, (ideſt) non minus honorificum, quam ſit nomen filiorum aut filiarum. Vel per *nomen*, intelligit præmium, & gloriam quandam excellentem, quæ datur virginibus in patria, ideſt virginitatis laureolam. In Eccleſia militanti dicetur Chriſtiani à Chriſto, quod eſt nomen honorificum, quo decorari cupiebat qui dixit: *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum*. In Eccleſia vero triumphanti nomē obtinebunt *ſempiternum*, *nomen* ſanctorum, *nomen* ciuium cæleſtis Hieruſalem, *nomen* electorum, nomen Virginum, quæ ſequuntur agnum quocumque ierit.

Rom. 10 b — Galat. 3. d — Iſa. 4.

4 *Et non dicat Eunuchus, &c.* Multi ſancti Doctores, inter quos ſunt, Auguſtinus, & Gregorius, interpretantur præſentem locum de Eunuchis, non quidem corporalibus, ſed ſpiritualibus, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cęlorum, abſtinentes per virginitatis cuſtodiam ab omni concupiſcentia carnali, de quibus per Ioannem dicitur: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt. hi ſequuntur agnum quocumque ierit*. Talibus inquit paratam eſſe in domo Dei, (ſiue Eccleſiā intelligas militantem, ſiue cæleſtem Hieruſalem,) palmā victoriæ incorruptibilem, atque etiam *nomen*, & *locum* multo excellentiora, quam ſit nomen eorum, & locus, qui matrimonio ſunt coniūcti, & filios generant ac filias: *Nam cum dicit, dabo eis locum multo meliorem, oſtendit & coniugatis dari, ſed multo inferiorem*, vt optime notauit Auguſtinus. Vnde & Sapiēs ait:

Aug. lib. 1. de ſancta Virginitate, ca. 24. & 25. to. 6.

Greg. li. 3. paſtoralis curæ c. 29.

Apoc. 14. b

Aug. ca. 24. cit.

Sap. 3. *Quoniã felix eſt ſterilis: & incoin-*
1.Cor.7 *quinata quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum: & ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus Deũ nequiſſima: dabitur enim illi fidei donũ electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.* Hanc explicationem proſequitur elegantiſſime Baſilius

Baſil. lib. de vera virginit. ſtatim à princ.

Magnus, qui præſentem locum Iſaiæ virginibus approprians, ait. *Pro humano nomine Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet, vt cælum, & cæli pulcherrimã partem habeant ad immorandum, atque in cæli pulcherrima ſede, (hoc eſt) in domo mea, intra ſepta habitantes, non Angelorum iam naturã tantum ac dignitatem perpetuæ ſucceſſionis accipiant, ipſi ſibi in æterna vita pro ſucceſſione generis ſufficientes, verum & locum inter Angelos habebunt illuſtrem atque inſigniſſimum, nomenq. pro eximiæ virtutis ſplendore indelebile, &c.* Et S. Bern.

Bern de modo bene viuendi ſer. 21. de virginib.

eandem ſequitur explicationem, ait enim. *Sine dubio qui caſti perſeuerant, & virgines, Angelis Dei erunt æquales. Virgines fæliciores erunt in æterna beatitudine, Iſaia atteſtãte, qui ait: Hæc dicit Dominus Eunuchis, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum.* Vnde & Apoſtolus virginitatem prætulit matrimonio, tamquam maius bonum. Et rationem aſſignat D. Thomas propter

S.Tho.2.2. q.152.a.4.

quam virginitas ſit excellentior. Etenim *bonum Diuinum eſt potius humano bono: tum quia bonum animæ præfertur bono corporis, tum etiã quia bonum contemplatiuæ vitæ præfertur bono actiuæ. Virginitas autẽ ordinatur ad bonum animæ, ſecundum vitam contemplatiuam, quod eſt cogitare ea quæ ſunt Dei. Cõiugiũ autem ordinatur ad bonum corporis, quod eſt corporalis multiplicatio generis humani, & pertinet ad vitam actiuam: quia vir & mulier in matrimonio viuentes neceſſe habent cogitare quæ ſunt mundi, vt patet per Apoſtolum. Vnde indubitanter virginitas præferenda eſt continentiæ cõiugali.*

Virginitas matrimonio præfertur.

1. Cor. 7

In cuius ſignum, canticum in cælo cantare dicuntur virgines, quod nullus alius cantare poteſt. *Et cãtabant* (inquit) *quaſi canticum nouũ ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores, & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.* Quem locum explicans B. Gregorius ait. *Singulariter quippe canticum agno cantare, eſt cũ eo perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire poſſunt, licet dicere nequeant: quia per charitatem quidem in illorum celſitudine læti ſunt, quãuis ad eorum præmia non aſſurgant. Audiant peccatorum carnis ignari, quod per ſemetipſam de hac integritate veritas dicit: Non omnes capiũt verbum hoc. quod eo innotuit ſummum eſſe, quo denegauit omnium: & dum prædicit, quia difficile capitur, audientibus innuit, captum cum qua cautela teneatur.* Et ſicut nemo poteſt cantare canticum illud nouum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, ideſt, virgines mente & corpore: ita non ſequuntur agnum immaculatum quocũque ierit, niſi virgines. Vnde Auguſtinus. *Ite* (inquit) *in hæc ſcilicet gaudia, ſequimini agnum, quia & agni caro vtique virgo. Hoc enim in ſe retinuit auctus, quod matri non abſtulit conceptus & natus. Merito eum ſequimini virginitate cordis & carnis, quocumque*

Apoc. 14 a

S Greg vbi ſup.

Virginitatis laudes.

Aug. li. vno de ſancta virginitate ca. 27. 10. 6.

cumque



*cumque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplũ,*
1.Pet.2. *ſicut ait Apoſtolus Petrus, vt ſequamur veſtigia eius. Hunc in eo quiſque ſequitur in quo imitatur, non inquantum filius Dei eſt vnus, per quẽ facta ſunt omnia: ſed inquantum*
Ioan.1. *filius hominis, quæ oportebat in ſe præbuit imitanda: Et multa in illo ad imitandũ omnibus proponuntur, virginitas autem carnis non omnibus, non enim habent quid faciant vt virgines ſint, in quibus iam factũ eſt vt virgines non ſint. Sequantur ita agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt: non quocumque ille ierit, ſed quouſque ipſi potuerint. Poſſunt autem vbique, præter cum in decore virginitatis incedit.* Hinc & Ambroſius laudes virginitatis proſequens. *Digna* (inquit) *virginitas, quæ apibus comparetur, ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens. Rore paſcitur apes, neſcit concubitus, mella componit. Ros quoque virginis eſt ſermo diuinus, quia ſicut ros Dei verba deſcendunt. Pudor virginis eſt intemerata natura. Sume alas virgo, ſed ſpiritus, vt ſuperuoles vitia, ſi contingere cupis Chriſtum. In altis habitat, & humilia reſpicit. Amat generari fons iſte in hortis, in quibus eum Suſanna, dum deambularet, inuenit, mori prius, quam violari parata. Qui ſint autem horti, ipſe demonſtrat, dicens:*
Cant. 4. *Hortus concluſus, fons ſignatus: eo quod in hortis huiuſmodi impreſſam ſignaculis imaginem Dei ſinceri fontis vnda reſplendeat, ne volutabris ſpiritualium beſtiarum ſparſo cœno fluenta turbentur. Hinc ille murali ſeptus ſpiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque ſicut hortus furibus inacceſſus vitem redolet, fragrat oleam, roſam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratæ virginitatis inoleſcat. Hic eſt odor, quem Iacob Patriarcha fragrauit, quando meruit audire: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Gen. 27. *Accingere itaque virgo, & ſi vis huiuſcemodi tibi vt hortus aſpiret, propheticis eum claude præceptis. Pone cuſtodiam ori tuo, & oſtiũ circumſtantiæ labijs tuis, vt dicere poſſis: Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum.*

Amb.lib.1. de virgin. ad Marcellam.

Pſ. 140.

Cant. 5.

5 *Eunuchis qui cuſtodierint ſabbata mea, &c.* Notandum, quod non quibuſcumque Eunuchis promittuntur, quæ ſupra diximus bona; ſed illis dumtaxat, qui propter regnũ cælorum, & propter maiorem vitæ perfectionem, abſtinent à delectationibus carnis, & vt ſeipſos exhibeant Deo hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Ideo alloquitur Eunuchos, qui cuſtodiunt ſabbata, ideſt, qui virgines ſunt, vt melius ſabbatum ſpirituale cuſtodiant, & contemplationis fruantur otio. Vnde Auguſtinus ait. *Nec nos hoc in virginibus prædicamus, quod virgines ſunt, ſed quod Deo dicatæ pia continentia ſunt virgines.* Sunt enim qui virginitatem cuſtodiunt, non propter regnum cælorum, ſed propter præſens ſæculum, quia videlicet coniugatæ, terrenis curis pluribus atque arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia virgines, & continentes carent. Sunt & aliæ virgines, quæ integritatẽ ſeruant, non quidem pia voluntate, ſed magna neceſſitate. Et de his loquens ſanctus Doctor ait. *Non temere dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier, quam virgo nuptura: habet enim iam illa quod iſta adhuc cupit, præſertim ſi nondum vel ſponſa*

Eunuchi pp Deum qui dicant.

Aug. lib. de ſancta virgin. ca. 1.

Aug. vbi ſup.

cuiuſ-

*cuiuſquam ſit*. *Illa ſtudet vni placere cui data eſt, hæc multis incerta cui danda eſt: hoc vno pudicitiam cogitationis defendit à turba, quod non adulterum, ſed maritum quærit in turba. Illa igitur virgo coniugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini ſe amandam proponit, cum amorem vnius ex multitudine inquirit: nec ſe vni iam componit inuento, cogitans quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro: ſed ſpecioſum forma præ filijs hominum ſic amauit, vt qui eum ſicut Maria concipere carne non poſſit, ei corde concepto etiam carnem integram cuſtodiret*. De ijs ſpadonibus loquitur Iſaias in præſenti. Hi ſunt qui nobiliorem locum obtinent in Eccleſia ſuper his, qui filios & filias genuerunt. Ex his manet impugnatus error Iouiniani, qui, vt referunt Sancti Hieronymus, Auguſtinus, & Thomas, matrimonium adæquauit virginitati. Quam hæreſim ſequutus eſt poſtmodum Eluidius, qui eodem Hieronymo teſtificante, eiuſdem voluit eſſe gloriæ virgines, & maritatas. Fauſtus etiã Manichæus (vt Auguſt. refert,) reprehendit Catholicos, quod ad virginitatis profeſſionem certatim incitarent, & illam dæmoniorum doctrinã vocat. Martinus etiam Lutherus. *Votum* (inquit) *continentiæ contra verbum, & opus Dei ſuſceptum, vt impoſſibile & impiũ, nullius momenti eſt: Deus reprobat illud, non ſecus ac ſi vouiſſem Dei matrem me fieri velle, aut nouum cælum condere velle*. Et in alio loco ait. *Decima facies Antichriſti, eſt inſignis ille cælibatus, & caſtitatis monaſticæ multitudo, plane angelica facies, ſed diabolica res*. Lutheri errorem ſequutus eſt Bucerus, cuius verba refert in ſuo theſauro Catholico Iodocus Coccius Canonicus Iuliacenſis, qui in colligendis erroribus hæreticorum, & illis expugnandis auctoritatibus Conciliorum & Sanctorum Patrum, à tempore Apoſtolorum vſque adhæc noſtra tẽpora ſummam adhibuit diligentiam. Horum hæreticorum inſaniam redarguit manifeſte præſens locus Iſaiæ. Cui conſonat illud Matth. 19. vbi de illis qui virginitatem ſeruant veritas ait; *Non omnes capiunt verbũ iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat*. Et Paulus Apoſtolus, poſtquam multa in laudem dixerat virginitatis, ſic concludit. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit*. Quo teſtimonio Clemens Alexandrinus, Ephrem, Chryſoſtomus, Cyrillus, Tertullianus, Ambroſius, & Hieronymus probant, matrimoniũ quidem eſſe bonum, ſed virginitatem illi eſſe præferendam. Quam doctrinam vnanimi conſenſu docuerunt omnes ſancti Patres, à tempore Apoſtolorũ, vſque ad hæc noſtra tempora, qui miris laudibus virginitatem efferunt, & caſtitatem. S. Ignatius inquit. *Eas quæ in virginitate degunt in pretio habete, velut Chriſti ſacerdotes: Viduas in pudicitia manentes vt altare Dei*. Et ad Heronem ſcribens. *Virgines* (inquit) *ſerua vt pretioſa Chriſti monilia*. Iuſtinus Martyr, loquens de illis, qui incorrupti, & in cælibatu perdurant, ait: *Glorior me per omne genus hominum noſtrorũ, tales monſtrare poſſe*. Athanaſius. *Saluator noſter Ieſus Chriſtus, inter cætera dona ſua, largitus eſt nobis in virginitate exemplar Angelicæ ſanctitatis*.

1. Cor. 7.

Hier. lib 1. cont. Ioui. non longe à princ. t. 3 Aug l. adu. hæreſ. her. 82. S. Tho. 22. q 186. ar. 2 Hier. adu. Heluid. ca. 10. Aug. li. 30. con. Fauſt. cap. 4. Lutherus epiſt. ad Vuolfgangum Reiſſenburch; & li. cont. Amb. Catherin.

Bucerus ad ca. 1. Matt.

Nuptiæ virginitati præferẽtes impugnantur.

Mat. 19

1. Cor. 7. g

Clẽ. Alex. li 3 ſtrom. Ephrem ſerm. de virginit. Chryſ. l. de virg. ca. 12. & 34. Cyrill. Alex lib. 11. in Gen. Tertull li. 1. ad vxorẽ cap. 3. Amb. ep. 81 Hier. lib. 1. adu. Iouin. ca. 7. & ep. 22. ad Euſtoch. de cuſtodia virginit. ca. 8. S. Ignatius Epiſt. ad Tharſẽſes. Iuſtin. Martyr apologia 2. ad Antoninũ pium. Athanaſ. in Apolog. ad Imper. Conſtãtiũ.



*ctitatis: certe puellas ea virtute præditas ſponſas Chriſti Eccleſia appellare ſolita eſt, quas Ethnici conſpectas vt templum verbi admiratione proſequuntur*. Ioannes Damaſcenus multa in laudem virginitatis ſcribit. *Quid* (inquit) *tres pueri? nonne cum virginitatem coluiſſent, ignis ardorẽ ſuperarunt? id videlicet per virginitatem adepti, vt eorum corpora igne confici minime poſſent. nam quid de Daniele dicam, cuius corpus virginitate ita obduratum eſt, vt ferarum dẽtes ei infigi nequiuerint?* Lege Auguſtinum lib. de ſancta virginitate cap. 13.

Dam. li. 4. fid. ortodoxæ. 25.

6 *Et filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos: omnem cuſtodientem ſabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo*. Si ergo Eunuchi & aduenæ cuſtodierint ſabbathum ſpirituale, ſi opera ſeruilia non fecerint, ideſt peccata, quæ vere ſeruum efficiunt hominem, ſi voluntati Dei fuerint ſubiecti, ſi apprehenderint teſtamentum eius, ideſt legem Euangelicã, quam non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus conſcripſit, ſi mandata eius ſeruauerint, *adducam eos in montem ſanctum meum*, ideſt, in Eccleſiam Catholicam, quæ, vt ſupra oſtendimus, mons eſt inconcuſſus, quia inconcuſſæ veritatis fidem docet, & ibi eos *lætificabo*: Ibi accepta erunt mihi *holocauſta & victimæ eorum*, ideſt, ſacrificium Dominici corporis & ſanguinis quod offertur ſuper altari meo. Appellat autem hoc ſacrificium holocauſta, & victimas in plurali, (vt notauit Lyranus,) quoniam altiori modo omnium ſacrificiorum veteris legis perfectionem continet. Per hoc admirabile ſacrificium in ara crucis oblatum, placatus eſt Dominus, per hoc redempti ſumus à peccato: nam ſanguine hircorum aut vitulorũ deleri non potuit, vt dictum eſt. Gloſſa interlinearis, per holocauſta, ſacrificium intelligit Eunuchorum, qui ſe totos conſecrant Domino nihil ſibi reſeruantes. Ex his collige, extra Eccleſiam nullum eſſe verum ſacrificium, nullam victimam Deo acceptã. Collige ſecundo, veram lætitiam in Deo eſſe, & orationẽ, quæ corã eo funditur, maxime in Eccleſia, eſſe remedium efficaciſſimum ad pellendum omnem animæ mœrorem. Scriptum eſt enim. *Triſtatur aliquis veſtrum? oret: æquo animo eſt? pſallat*. Sicut enim ros matutinus penè aduſtas herbas calore ſolis, & plantas vireſcere facit: ita & oratio, (vt notauit Chryſoſtomus,) animas languentes ardore carnis refrigerat, & nimia triſtitia grauatas lætitia perfundit cæleſti. Propter quod S. Bernardus cellæ vinariæ orationem docet eſſe comparandam, in quam ſponſus ſuam ſponſam introducit, & muſto cæleſtis cõſolationis atque dulcedinis delectat. *An non tibi cella videtur fuiſſe vinaria illa domus, in qua erant diſcipuli pariter congregati, cum factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, adimpleuitq. prophetiam Ioelis? nonne vnuſquiſque illorum exiens inebriatus ab vbertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere merito quibat, quoniam introduxit me rex in cellam vinariam*. Quod ergo nunc pollicetur per prophetam, *adducam eos in montem ſanctum*

Sup. c. 2. n. 6.

Lyra.

Sup. c. 1. n.

Iacobi 5. c

Chryſ. ho. 26. in acta in fine t. 3.

Bern. ſer. 49. in Cãt. Oro eſt cel la vinaria.

Cant. 2. a

Act. 2.

*ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*, hoc ipſum ſponſa in ſe completum agnoſcit, cum ait

Cant. 1.

*Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*.

Chryſ. ho. 5. de incõprehẽſ Dei natura, circa fin. to. 5.

Hinc S. Chryſoſtomus, poſt multa, quæ elegantiſſime de efficacia orationis prædixerat, ſic concludit. *Qui afflictus mœſtusq. orat, hic lætitia plurimum poſt orationem ſibi poteſt conciliare. Et vt frequentia nubium principio cælum obfuſcat: vbi vero per crebras dimiſerit ſtillas, iã & humore ſepoſito, ſerenum cælum & dilucidum facit: ſic mœror animi dũ intus verſatur, caligine cogitationem noſtram obducit: cum autem verbis*

Oro, omnes ſpirit. profligat afflictiones

*orationis & lacrymis, quæ ſolent comitari orationem, foras verſus euaporatus diſſlatusq. euanuit, plurimũ iam inde ſplendoris afferri in animũ ſolitum eſt, fauore ſcilicet humaniſſimi & liberaliſſimi Dei, veluti radio quodã in eius qui orat animum ingruente, ac luce afficiente lætiſſima.* Et poſt pauca. *Si apud homines ſuos quempiam caſus dixiſſe, ſuaſq. calamitates narraſſe affert nonnihil conſolationis, quaſi diſſlatio quædã malorum per ipſam narrationem ageretur: longe magis, cum Domino illi communi ægritudines animi tui communicaueris, conſolationem atque remediũ capies. Homo enim vel grauatur plerumque tædio alienæ querelæ, & luctus repellit, fugitq. hominem miſerum: at uero Deus non ita agit nobiſcum, ſed inuitat, ducit, hortatur, acceptat. Et ſi totum diem in communicandis cum eo tuis calamitatibus cõſumpſeris, ita te magis magisq. diliget, & tuis precibus liberalius annuet. Et quidem hoc ipſe Dominus explicans, id dicebat.*

Mat. 11

*Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam. Vocat, obſequamur: inuitat, accedamus: ſi peccatis innumerabilibus detinemur, curſum ob eam rem maiorem in modum eò agamus. Tales enim homines ad ſe uocat. Non ueni, inquit, iuſtos vocare, ſed peccatores ad pœnitẽtiam. Homines oneratos, oppreſſos, feſſos, fatigatos pondere peccatorum. Deus enim dicitur cõſolationis, Deus miſericordiarum: quoniam hoc eius officium eſt perpetuum, vt homines dolentes, mœrentes, afflictos conſoletur atque hortetur, etiamſi peccata commiſerint innumerabilia. Modo nos ipſos ei dedamus, modo accedamus, nec negligamus, re ipſa experti ſciemus eorũ, quæ propoſui, veritatem omnium. Nihil penitus nos dolore afficere poterit, ſi orationem intentã, exquiſitamq. habeamus: quicquid enim acciderit, facile per eius orationis facultatem repellemus.* Lege eundem Chryſoſtomum lib. 1. & 2. *de orando Deum*, vbi multa de oratione dicit mirabiliter.

7 *Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Explicat quænam ſit *domus orationis*, in qua lætificandi erant orationi vacantes: & inquit, hanc eſſe domum ſuam, ideſt, eccleſiam, quæ *domus orationis* dicitur, eo quod dicata eſt, & conſecrata in cultum Dei: & vt orationes fidelium, quæ funduntur in illa, Deo ſint magis acceptabiles. Hoc teſtimonio vſus eſt Chriſtus Dominus, cum intrans in templum *eiecit omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, dicens. Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis uocabitur. Vos autem feciſtis illã ſpeluncam latronum.* Quo nimirum admirabili facto, opera iniqua Scribarum, & Phariſæorum redarguit, eorum taxans auaritiam, qui

Orationis domus eſt templum.

Mat. 21 b



qui domum orationis in ſpeluncam vertunt latronum. Hic locus non ſolum tangit Iudæos, qui olim templum Dei ſuis negotiationibus violabant, ſed etiam obiurgat Chriſtianos, qui nihil minus faciunt in Eccleſia, quam id, ad quod inſtituta eſt, & conſecrata, de quibus Chryſoſtomus ait:

Chryſ. ho. 36. ſup. 1. epiſt. ad Cor. poſt med. to. 4.

Templum Dei pfanantes taxantur.

*Quondam etiam domus, Eccleſiæ erant, nunc vero Eccleſia domus, immo domo qualibet profana magis: nam in domo quidem ordo ſeruari ſolet. Hera thronum occupat, omni cum venuſtate famulæ tacitæ ſedentes texunt, familiarium quiſque quod imperatum eſt in manibus habet: hic vero magnus tumultus, magna confuſio, nihilq. à caupona differunt noſtra, tanta turba, tantus riſus, quantus in balneis, quantus in foro clamantibus, tumultuantibus omnibus, atque hæc quidem in vrbe noſtra ſolum: nam alibi, ne amicũ quidem, in quem poſt longum tempus incidiſti, compellare licet, ſed foris iſta fiunt, & recte quidem: neque enim tonſtrina, aut vnguentaria taberna Eccleſia eſt, aut officina forenſis: ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, regia Dei, cælum ipſum. Quemadmodum igitur ſi cælũ quiſpiam in anguſtum redactum illuc inducat, etiam ſi patrem, etiamſi fratrem videas; tamen præ ſtupore non alloquare: ſic neque hic aliud quicquam quàm ſancta ſonare decet.*

Hom. 24. ſuper acta Apoſt. in fine to. 3.

Et ſuper acta Apoſtolorum, eos reprehendens qui indiſciplinatis moribus alios in Eccleſia perturbãt, ait. *Nonne vt damnoſos, vt fures, vt corruptos & pernicioſos tales, & innumeris malis plenos, ab Eccleſia exigi oportebat? Vnde hi qui horrenda hora rident, abſtinebunt à riſu? Vnde abſtinebunt à nugis, qui in tempore benedictionis garriunt? non reuerentur præſentes, nec Deum timent. Non ſufficit nobis quod ipſa mente ſumus ignaui, neque quod orantes aliò euagamur, ſed etiam riſum, & cachinnos multos afferimus. Nũquid theatrica ſunt hæc, quæ hic geruntur?*

8 *Cunctis populis.* Nota differentiam inter templũ Domini, quod erat antiquitus, & Eccleſiam Catholicam, in qua nunc Chriſtus colitur, & adoratur. Olim excluſi fuerant Eunuchi à templo Domini, & aduenæ: nec licebat illis illuc ingredi etiã ad orandum: Scriptum eſt enim. *Non intrabit Eunuchus, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, eccleſiã Domini. Non ingredietur Mãzer, hoc eſt, de ſcorto natus, in eccleſiam Dñi, vſque ad decimã generationẽ. Ammonites, & Moabites etiã poſt decimam generationem non intrabũt eccleſiam Domini in æternum.* Nunc autem cunctis populis, tribubus, & linguis patet aditus in domum Dei. *Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Vnde & ſubditur: *Ait Dominus Deus qui congregat diſperſos Iſrael*, ideſt, omnes electos in vnitate charitatis & fidei, (vt Lyranus explicat.) Vel, qui congregat in vnum ouile Eccleſiæ, oues ſuas, (vt explicat Gloſſa interlinearis.) Cui conſonat illud. *Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Et illud. *Cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit, quod Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Igitur per *diſperſos Iſrael* non ſolum intelligit Iudæos per vniuerſum orbem ſparſos, iuxta illud regium vaticinium: *Diſperge*

Templi antiqui, & Eccleſiæ Chriſtianæ differentia.

Deut. 23 a

Rom. 10 c

Ioa. 10. c

Ioa. 11. g

Pſ. 58. c
*Sperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine.* Sed etiam gentes per varios errores *diſperſas:* quotquot enim ex illis conuerſi ſunt ad Dominũ, ad Iſrael pertinent, non quidem carnalem, ſed ſpiritualem. Vnde & Petrus Apoſtolus

1. Pet. 1. a
*electis aduenis diſperſionis Ponti, Gallatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bythiniæ,* gratiam imprecatur & pacẽ. Vbi per aduenas diſperſionis, etiam gentes intelligit, per baptiſmum regeneratas in ſpem vitæ æternæ.

Prædeſtinati cõgregantur.

9 *Adhuc congregabo ad eum cõgregatos eius.* Ideſt, quos in æterna prædeſtinatione iam congregaueram & elegeram, *congregabo* in tempore, *ad eum*, ideſt, ad Chriſtum. vel ad montem ſanctum meum, ſicut pollicitus ſum, ideſt, ad Eccleſiam Catholicam. quæ explicatio communis eſt inter Doctores. Poſſunt etiam hæc verba accipi in eodem ſenſu, in quo illud Apocalypſis.

Apoc. 22 c
*Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Et ſenſus eſt. *Adhuc congregabo* amplius, & magis ac magis vnum cum Chriſto efficiam *congregatos eius.* Orauit Chriſtus ad

Ioa. 17. b
Patrem. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicut & nos.* Et iterum ait:

Ibid. c
*Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*

Vnitas inter fideles qualis eſſe debeat.

Sicut ergo in Diuinis cum reali perſonarum diſtinctione vnitas omnimoda ſeruatur eſſentiæ: ita nos vult hanc vnitatem imitari, vt in multis fidelibus vnus ſit ſpiritus, vna dilectio. Ideo *congregatos* & vnitos ſibi, *adhuc* magis ac magis congregat, & vnit ſibi per charitatem: vt omnes vnum corpus efficiamur in Chriſto. Iuxta quod Apoſtolus ait:

Eph. 12. b
*Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa.*

10 *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.*

Mercenariorũ negligentia circa oues taxatur.

Poſtquam veri paſtoris Chriſti, qui oues diſperſas congregauit, & pro illis animam ſuam poſuit, curam deſcripſit: nunc conſequenter mercenariorum negligentiam redarguit, præſertim Scribarum & Phariſæorum, quorum negligentia lupus rapit, & diſpergit oues. Et ſenſus eſt: *omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum* oues. liberã enim mactandi atque occidendi poteſtatem habebitis: ſiquidem nullus eſt canis, qui vos impediat, nullus paſtor, qui vigilet ſuper gregem ſuum. Et loquitur, ſumpta metaphora à gregibus materialibus, quorum oues, ſi paſtores dormiant, ſi canes latrare non audeant, abſque vllo impedimento dilacerant lupi, leones, & vrſi, atque aliæ conſimiles beſtiæ ſiluarum. Per beſtias agri, intelligit dæmones, de quibus dicit Pſalmiſta.

Pſ. 37. d
*Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.* Et Petrus Apoſtolus.

1. Pet. 5. c
*Aduerſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærẽs quem deuoret.*

Peccatores beſtijs conferũt ſiluæ.

*Beſtiæ* etiam ſunt, & *beſtiæ* ſiluæ, beſtiales homines, qui non ratione, ſed carnis deſiderijs du-





cuntur, qui lucem oderũt, & tenebras diligunt noctis. Verbum *Venite*, non eſt præcipientis, aut imperantis, ſed permittentis, & licentiam concedentis, ſine qua etiam ipſe tenebrarum princeps nocere non poteſt, Propheta atteſtante:

Pſ. 103.
*Poſuiſti tenebras & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi.* Vbi, vt Auguſtinus ait:

Aug. to. 8. ſuper eũdẽ pſal.
*Ideo dicit, vt quærant à Deo eſcam ſibi; quia nec tentari quis poteſt à diabolo, niſi permittente Deo.*

Iob 1.
Diabolus non plus tentat quã permittat Deus.

*Iob ſanctus ante diabolum erat, & tamen longe ab illo erat: aſpectu ante illum erat, poteſtate remotus ab illo. Quando auderet tentare vel carnem, vel facultates eius quas poſſidebat, niſi acciperet poteſtatem? Quare autem datur poteſtas? aut ad damnandos impios, aut ad probandos pios. Iuſte hoc tamen actum, totum Dominus agit, & in neminem habet diabolus poteſtatem, vel in aliquid eius, niſi ille concedat, cui eſt poteſtas ſumma, & ſublimis. Sic diabolo, ſic homini nulla eſt poteſtas in hominem, niſi deſuper detur. Stabat iudex viuorũ & mortuorum ante hominem iudicẽ, & inſtauit ſe homo iudex videns ante ſe Chriſtum, & ait.*

Ioan. 19
*Neſcis quia poteſtatem habeo occidendi & dimittendi te? At ille qui venerat & eum docere à quo iudicabatur: non haberes, inquit, in me poteſtatem, niſi eſſet tibi deſuper data. Et homo & diabolus, quod quælibet dæmonia non niſi accepta poteſtate nocent: ſed proficientibus non nocent. Malis ita ſunt tamquam ignis fœno: bonis ita ſunt tamquam ignis auro. Manducatus eſt Iudas vt fœnum, probatus eſt Iob vt aurum.*

11 Sanctus Hieronymus, & Theodoretus, per beſtias agri, Romanorũ exercitum intelligunt ex varijs gentibus congregatum, quem Dominus vocat ad deuaſtandam ciuitatẽ ſanctam, & templum eius euertendum, propter corruptos mores Sacerdotũ, & Pontificum templi, atque Scribarum, & Phariſæorum, qui Chriſtum Dominum tradiderunt morti.

Scribarũ & Phariſęiũa negligẽter arguitur.

Et in primis eorum cæcitatem arguit. Oportebat quidem Pontifices, & Phariſæos, legis eſſe *ſpeculatores*, qui tẽpus aduentus promiſſi Redemptoris exploratum haberent: qui populum tempore ſuo ab hoſtium incurſibus præmunirent, Spiritu ſancto atteſtãte:

Ezech. 33. b
*Quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritq. gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autẽ eius de manu ſpeculatoris requiram.* Oportebat etiam *canes* eſſe vigiles, qui latratu ſuo a caula gregis Dominici lupos arcerent, & oues diligerẽt & cuſtodirent. Oportebat denique ſobrios, ac bonos paſtores, concreditarum ſibi ouium quærere commoda: verum, his omnibus neglectis, ſtolidi facti ſunt, & *cæci*, ſolum nomẽ paſtorum & ſpeculatorum retinentes. *Cæci* (inquit) ſunt *omnes ſpeculatores eius*, videlicet Hieruſalẽ; quia indocti ſunt, & verbo Dei deſtituti, quod illuminat oculos. *Cæci* quia non præuiderunt mala ventura. Excæcauit autem eos auaritia; quia

Pſ. 16. e
*oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terra.* Excæcauit eos & inuidia: nam ſicut Ioannes ait,

1. Ioa. 2. b
*qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Excæcauit eos ambitio & vana gloria: vnde & Saluator quibuſdam illorum dixit.

Ioan. 5.
*Quomodo vos poteſtis credere,*

qui gloriam adinuicem accipitis; & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Canes muti fuerunt Scribæ, & Phariſæi, quoniam damnabili ſilentio peccata populi diſſimulauerunt: quoniam Chriſtum Dominum agnoſcentes, & Prophetarum vaticinia in illo adimpleta eſſe cernentes,
Canes muti cauẽdi. timore mundano veritatem ſubticuerunt. Ab his ergo cauere monet Apoſtolus, cum ait.
Philip. 3.d Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Videte, ideſt, obſeruate, notate, & ab illis cauete, quia canes ſunt, non quidem laudabiles, qui fidem ſeruant domino ſuo, & pro domo illius contra inimicos latrant, & latrones; ſed deteſtabiles, canes rabidi: vnde & Epiphanius, vbi nos ha-
Epiph. li. 3. cõ. Anthidicomaritas. bemus, canes muti, legit, canes rabidi. Eſt autem ſimilium canum hæc natura, vt eorum mutentur ſenſus, & proprium dominum ignorent, & domeſticos eius; & in ipſos irruunt tãquam in alienos, aut etiam inimicos. Tales fuerunt Iudæi, qui in rabiem contra Dominum conuerſi, irrationabiliter irruerunt in eum, & in Apo-
Sup. c. 3. n. 14 ſtolos & diſcipulos illius, vt dictũ eſt.

12 *Videntes vana, &c.* Etiam improperat Scribis, & Phariſæis, quod æmulationem Dei habentes, ſed non ſecundum ſcientiam, nimis adhæſerunt legalibus cæremonijs legis antiquæ, apprehendentes vmbram, & relinquentes veritatem. Sacramenta legis antiquæ appellauit Paulus vacua, & egena elemẽta, eo quòd nullam in ſe continebãt gratiam, nec
Cuſtodes ſepulchri pecunijs corrũpẽtes arguuntur. illam conferebant. Iudæi autem, vacuam legem potius dilexerunt, quàm legem gratiæ. Ideo *videntes vana* dicuntur: aut vero quoniam pecunijs corruperunt cuſtodes, vt dicerent
Mat. 28 b *quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.*

quibus etiam promiſerunt. *Si hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.*

13 *Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem: ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum.* Explicat cauſam, propter quam non potuerunt latrare canes gregis Dominici, videlicet, propter *auaritiam* quam ſecuti ſunt omnes: erant enim inſatiabiles vt canes. Ideo *ignorauerunt,* ſeu potius ſe ignorare ſimulauerunt veram intelligentiam ſcripturarum, quæ teſtabantur, Chriſtum Dominum eſſe verum Meſſiam, in lege promiſſum, à prophetis prædictum, & ab omnibus iuſtis expectatum. *Ignorauerunt* intelligentiam illius decreti, quod non à ſemetipſo *dixit* Pilatus, *ſed cum eſſet Pontifex anni illius. Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioa. 11. f
Prædicatores lucra tẽpalia quærentes arguuntur.
Ideo latrare & veritatem loqui non potuerunt, ſicut qui immiſſam habẽt in os offam aut buccellam panis. Tota ſacra Scriptura plena eſt ſententijs grauiſſimis aduerſus auaritiam Principum, & Sacerdotum, vt omnes ſciãt Deo eſſe maxime exoſam. De illis enim loquens per Ezechielem ait.
*Munera acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem: vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & auare proximos tuos calumniabaris: meiq; oblita es, ait Dominus Deus.* Et paulo inferius. Ezech. 22. b
*Coniuratio prophetarum in medio eius, ſicut leo rugiens, rapienſq; prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius.* Et Micheæ 3. *Principes eius in muneribus iudicabant: & ſacerdotes* Ibid. e Michea 3. d



*dotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant, & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes. Numquid non Dominus in medio noſtrum? non venient ſuper nos*
Soph. 3. a *mala.* Et Sophoniæ 3. *Principes eius in medio eius quaſi Leones rugientes: iudices eius lupi veſpere, non relinquebant in mane. Ipſi paſtores.* Expendatur illud pronomen, *ipſi,* habet enim Emphaſim, ac ſi apertius dicat. Paſtores qui pro ouibus ſuis animam ſuam ponere debuerant, oues proprias tamquam lupi dilacerant, & deuorant. *Ipſi paſtores* qui paſcunt ſemetipſos, cũ verbo, & exemplo, oues proprias paſcere oportuiſſet. Præſens locus eſt valde accõmodatus ad prælatorum auaritiam redarguendum,
Bernard. ep 238 ad Eugenium Papam, circa finem. qui (ſicut notauit Bernardus) non in capturam animarũ (ſicut olim Apoſtoli) ſed in capturam auri, & argenti laxant retia. *Quis mihi det,* inquit, *antequam moriar, videre Eccleſiam Dei, ſicut in diebus antiquis: quando Apoſtoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti, vel auri, ſed in capturam animarum.* Non bona ſubditorum quærere debet bonus paſtor, ſed animarum ſalutem concupiſcere: in cuius ſignum de ſancto Sa-
1. Reg. 1 muele dicit Scriptura, *Et nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* Quod
Greg. lib. 1. ſup. cap. 1. Regum. volum. 13. explicans S. Gregorius ait: *Quid enim per capillos, qui corpori ſuperfluunt, niſi abundãs terrenæ ſubſtantiæ copia deſignatur? Et quid per nouaculam, niſi malorum paſtorum cupiditas exprimitur? Qua nouacula nati filij caput raditur, cũ bona ſubditorum per prædicatorum cupiditatem rapiuntur. Hinc namque & delinquenti Iudææ per Prophetam dici-*
Soph. 3. *tur: Paſtores tui lupi veſpere, non relinquentes in mane. Veſpere nam-*

*que paſtores lupi fiunt: quia tenebreſcente, atque decreſcente in fine iſto ſæculo, rapere ſubditorum bona non metuunt, qui in mane non relinquũt: quia dum temporalibus inhiant, inalbeſcente aduẽtu futuri iudicis, danda ſibi præmia non reſeruant. Quos nimirum Micheas denotat, dicens: Prophetæ qui ſeducunt populũ meũ, qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium.* Michea 3.
*Prophetæ quippe populum Domini ſeducunt, cum prædicatores reprobi auditorum ſuorum iudicia confundunt. Et mordentes dentibus pacem nunciant: quia in appetitu ſuæ rapacitatis, dum terrena flagitioſorum dona ſuſcipiunt, eis diuinæ indulgentiæ ſecuritatem pollicentur. Super ipſos autem prælium ſanctificant, qui in ore eorum aliquid non dant: quia iuſtos etiam diſtrictis ſententijs terrent, qui eis pro voto terrena non exhibent. Qui nimirum ſuper caput filij nouaculã ponunt, dum prætextu charitatis cæleſtia prædicãt, vt eis terrena per cupiditatẽ tollant. Hanc certe nouaculam, quod ſancta Eccleſia in prædam ſubditorum non habeat, doctor egregius in ſemetipſo oſtendit, dicens: Non quæro datum,* Phil. 4.
*ſed quæro fructum. Hinc item dicit: Qui Euangeliũ annunciat, de Euangelio viuat.* 1. Cor. 9.
*Ego autem non ſum vſus hac poteſtate. Qui enim neceſſaria non curat à ſubditis alimenta percipere, oſtendit plane, qua mundani contemptus ſublimitate, lucra turpia, & illicita dona confutaret.* Lege circa hoc ſupra dicta. Sup. cap. 1. nu. 62. cap. 3. nu. 7.

14 *Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius.* Ebrij taxantur.
Aſſignat aliud vitium principum, & Sacer-

Sacerdotum,ſeu paſtorum, quos redarguerat ſupra, propter quod ciuitatem ſanctam in captiuitatem tradidit, videlicet ebrietatem, & luxum, cui deditiſſimi erãt antiquitus. *Venite*, inquiunt, *ſumamus vinum*. Hæc vox eſt pſeudoprophetarum, & prælatorum, quorum Deus vẽter eſt; quibus nulla eſt cura gregis ſibi commiſſi, ſed vnicum ſtudium vt quotidie epulentur ſplendide,& vinum bibant ſelectũ. Nec ſatis illis eſt ebrietas ſua, niſi ad eandem alios prouocent & inuitent. ij nimirum ſimiles facti ſunt illis,de quibus Sapiens ait:

Sap. 2. *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non recte: exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis,& non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tamquam non fuerimus &c. Venite ergo,& fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.*

Paſtores peruerſi ad ebrietatẽ, recti ad ſanctitatẽ ſuos inuitant.

Boni autem paſtores non ad ebrietatem, ſed ad ſobrietatem,& ad ſanctitatem alios inuitant. Non eſt hæc vox illorum, *Venite, ſumamus vinum, &c.* nec dicunt, *Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter.* Sed inquiunt, *Venite aſcendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas,& ambulabimus in ſemitis eius.* Iſai. 2. a

Ibid. b. Et iterum. *Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.* Non enim tantum ſalutis propriæ,ſed etiã aliorum ſunt ſoliciti. *Et erit ſicut hodie, &c.* Vide qualiter illi qui vino ſunt dediti,quotidie ad bibendum illud auidiores fiant, & magis ſoliciti. Hoc ſolum cogitant, quomodo nunc hic, nunc illic ventrem ſatient; quomodo ſe vino pretioſo ingurgitent, & deſiderium ſuum expleant voluptatibus. Non hæc decent viros religioſos, ſacerdotes, & miniſtros Eccleſię. Vnde & Apoſtolus ait. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum,ſobrium,prudentem,ornatum,pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum,non cupidum,ſed ſuæ domui bene præpoſitum.* 1.Tim.3 b Et poſt pauca. *Diaconos ſimiliter pudicos,non bilingues, non multo vino deditos,non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Ibid. b Hinc & Amos propheta,principum & ſacerdotum delicijs affluentem vitam redarguens,ait. *Væ qui opulenti eſtis in Sion,& confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael.* Amos.6. a Et poſt pauca. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij: ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Ibid. Denique ipſe Iſaias id ipſum improperauit ſuperius principibus, & Sacerdotibus,atque omnibus ciuibus vallis viſionis, ideſt Hieruſalem, dicens, *Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, &* Iſai. 22. c





*ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium & lætitiam, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Lege quæ de ebrietate notauimus ſupra. Sup. cap. 5. nu. 15. 16.

# CAPVT LVII.

IVSTVS perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus. 5. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo qui ambulauit in directione ſua. 6. Vos autem accedite huc filij auguratricis: ſemen adulteri, & fornicariæ. 7. Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os,& eieciſtis linguam? numquid non vos filij ſceleſti, ſemen mendax? 8. qui conſolamini in dijs ſubter omne lignum frondoſum, immolantes paruulos in torrentibus, ſubter eminentes petras? In partibus torrentis pars tua, hæc eſt ſors tua: & ipſis effudiſti libamen, obtuliſti ſacrificium. numquid ſuper his non indignabor? 9. Super montem excelſum,& ſublimem poſuiſti cubile tuum,& illuc aſcendiſti vt immolares hoſtias. Et poſt oſtium,& retro poſtem poſuiſti memoriale tuum: quia iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum: dilataſti cubile tuum,& pepigiſti cum eis fœdus: dilexiſti ſtratum eorum manu aperta. 10. Et ornaſti te regio vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua. Miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es vſque ad inferos. In multitudine viæ tuæ laboraſti: non dixiſti: Quieſcam: 11. Vitam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti. 12. Pro quo ſolicita timuiſti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo: quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es. 13. Ego annunciabo iuſtitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi. Cum clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram,& poſſidebit montem ſanctum meum. 14. Et dicam: Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei. 15. Quia hæc dicit Excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem: & ſanctum nomen eius in excelſo, &

in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu: vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. 16. Non enim in ſempiternum litigabo, neque vſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. 17. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſſi eum: abſcondi à te faciem meam, & indignatus ſum: & abijt vagus in via cordis ſui. 18. Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius. 19. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe eſt, & qui prope, dixit Dominus, & ſanaui eum. 20. Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impijs, dicit Dominus Deus.

## SVMMA CAPITIS.

OSTENDIT, *Iuſtos qui Dei mandata cuſtodiunt, & conſilia Euangelica obſeruant, quamuis perire oculis inſipientium videantur; magnam tamen coronam apud Deum habere repoſitam: quod oſtendit ſtatim in principio capitis.*

*Secundò, ſermonem contra idololatras conuertit, qui relicto Deo vero, idolis adhæſerunt, offerentes illis ſacrificia ſoli Deo debita. Verſiculo,* Super montem excelſum & ſublimem.

*Tertiò, ad prædicatores Euangelij ſermonem conuertit, exhortans eos, vt populum Chriſtianum ad patriam abſque offendiculo deducant cæleſtem. Verſiculo,* Et dicam, viam facite, præbete iter.

*Quartò, denunciat Dominum, contra populum Iudaicum indignatum eſſe, propter auaritiam eius, & illum à ſe velle repellere, non tamen in perpetuum; nam vere pœnitentibus præſtabit veniam. Verſiculo,* Propter iniquitatem auaritiæ eius.

*Quinto, affirmat fructum Euangelicæ prædicationis, pacem eſſe, qua electi gaudebunt: nam impijs nulla vera pax eſſe poteſt. Verſiculo.* Creaui fructum labiorum pacem, &c. *vſque ad finem capitis.*





## COMMENTARIVM.

1 IVSTVS *perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo, & viri miſericordiæ colliguntur, quia nõ eſt qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus.* Quæ in præſenti dicit Iſaias, ſic connectũtur cum ſuperioribus. Hortatus fuerat vniuerſos, in initio ſtatim præcedentis capituli, vt cuſtodirent iudicium, & facerent iuſtitiam: nunc autem quandam ponit obiectionẽ, quæ multos retrahit à via veritatis. Nam vitæ huius felicitas, vt plurimum cõtingit impijs & peccatoribus, cũ inglorij ſæpiſſime iuſti moriantur. (Iuſtorum pia qrela.) Quod perfectiſſimos quoſque mouere conſtat ex ſcripturis ſacris. Dicit enim Pſalmiſta. (Pſ. 72. a) *Quam bonus Iſrael Deus: his qui recto ſunt corde? Mei autem pene moti ſunt pedes: pene effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos: pacem peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum. In labore hominũ non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Et poſt pauca. *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo: obtinuerunt diuitias: Et dixi, ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus meas.* Et Hieremias. (Hier. 12 a) *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.* Similem querelam proponit Iob, dicens: (Iob 21. a) *Quare ergo impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatiq. diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorũ. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit: Vacca peperit, & non eſt priuata fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus, tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi.* Non aliter Iſaias piam proponit querimoniam, & inquit. *Iuſtus perit,* & iniuſte occiditur: *nec eſt qui recogitet,* vel conſideret quãtum hoc ſit flagitium. Regnat in diuitijs & voluptatibus impius, & viri miſericordiæ, & pij colliguntur ad patres ſuos, (ideſt) moriuntur; in hac enim acceptione ſumitur frequenter in ſacris litteris. Geneſ. 25. dicitur de Iſmaele. *Mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum.* (Gen. 25.) & de Iſaac. *Conſumptus ætate mortuus eſt, & appoſitus eſt populo ſuo, ſenex & plenus dierum.* (Gen 35.) Iacob etiam *obijt appoſitusque eſt ad populum ſuum.* (Gen. 49. d) Perit iuſtus, ſed apud cogitationes diuitũ, & in oculis inſipientium, qui vitam illius æſtimauerunt inſaniam, & finem eius ſine honore: nam apud Deum, mors illi eſt introitus ad vitam. (Iuſtus perit ſed apud cogitationes diuitũ non apud Deum.) ſcriptum eſt enim. *Pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius.* (Pſ. 115. b) *In conſpectu* (inquit) *Domini,*

non in conſpectu ſtulti, vnde & ad Iob dixit Themanites. *Recordare*
Iob. 4.
*obſecro te, quis vmquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt?*
Greg. lib. 5 Moral. c. 14
Quem locum explicans B. Greg. ait. *Sæpe hic & innocentes pereunt, & recti funditus delentur, ſed tamen ad æternam gloriam pereundo ſeruantur. Si enim nullus innocens periret, propheta non diceret: Iuſtus perit, & nemo eſt qui recogitet. Si rectos Deus prouidendo non raperet, nequaquam de iuſto ſapientia dixiſſet:*
Sap. 4.
*Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius. Si iuſtos animaduerſio nulla percuteret, Petrus minime prænuntiaret, dicens: Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.*
1. Pet. 4.

2 *Et viri miſericordiæ colliguntur. Viri miſericordiæ*, dicuntur electi, quoniam à Deo ſupremam illam ſunt miſericordiam conſecuti, qua nullis eorum præcedentibus meritis prædeſtinati ſunt in adoptionem filiorum Dei, propter quod Apoſtolus, vaſa miſericordiæ appellat illos: aut vero quia miſericordes extiterunt & ipſi, ſecundum illud: *ſed & illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt*. Vnde & Dominus ait: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Præterea etiam dicuntur iuſti, *viri miſericordiæ*, quoniam propter illos multitudini parcit impiorum, & miſericordiam peccatoribus exhibet. Vnde & Dominus ad Abraham loquens, propter decem iuſtos, ſi inuenti fuiſſent in illis quinque ciuitatibus, promiſit non euerſurum Sodomam, & Gomorrham. *Non delebo* (inquit) *propter decem*. Vnus iuſtus multorum valet malitiam tegere. Vnum iuſtum requirebat Dominus in ciuitate ſancta Hieruſalem, vt propter

Prædeſtinati dicuntur viri miſericordiæ.
Eccli. 44.
Matt. 5.
Gen. 18. d
Iuſtũ vnum quærit De⁹ vt multitudini parcat

ſanctitatem illius propitius fieret peccatoribus. *Circuite* (inquit) *vias Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.* Quem locum explicans Beatus Hieron. ait. *Grandis amor iuſtitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & reſponſionem Dei pro decẽ viris Deus liberauerit ciuitatem: ſed ſi vnum inuenerit, iam iamq. peritura Hieruſalem, qui faciat iudicium, & quærat fidem: ſiue vt Symmachus tranſtulit, veritatem, tamen Deus miſereatur Hieruſalẽ.* Et vt notauit ſanctus Chryſoſtomus, ſæpe quando non eſt inuentus in præſenti vita iuſtus, propter defunctorũ virtutem, viuentium miſeretur, & curam habet. Vnde clamat, dicens: *protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum*: quaſi diceret; licet ipſi indigni ſint, & nullam ſalutis habeant occaſionẽ; tamen quia ſolitus ſum miſericorditer agere, & ad miſerandum promptus ſum, propter meipſum faciam, & puerum meum Dauid, qui ante hos annos è vita migrauit: hic auctor erit ſalutis his, qui ſua ſeſe perdiderunt deſidia. *Vidiſti miſericordiam Domini, quomodo eos, qui virtute pollent, toti multitudini opponit, & rependit?* In huius rei ſignum, Geneſis 9. arcum Deus poſuit in nubibus, ad quem aſpiciens, recordaretur fœderis, quod pepigit cum Noe, ne vltra diſperderet aquis diluuij omnem carnem, vt ſciamus quod propter iuſtos peccatoribus parcit. quod & ſanctus Auguſtinus notauit, dicẽs, arcum illum ſignificare iuſtos, propter quos *Deus non perdit orbem diluuio ſpiritali, dum eſt eorum memor, quorum illuminatæ nubes figu-*

Hier. 5. a
S. Hier. ſup c 5. Hiere.
Gen. 18. d
Chryſ. ho. 42. in Gen. circa fin. h 1.
4. Reg. 19. & 20 b. & g.
Gen. 9.
Aug. lib. 2. con. aduerſar. legis & Prophet. c. 20. to. 6.
Lucæ 10

ram



*ram gerunt: horum enim nomina ſcripta ſunt in cælis. vt ſit eorum pater qui eſt in cælis. quoniam non de ſuo lucere ſe ſciunt, ſed de ſole iuſtitiæ, ſicut illæ nubes de ſole viſibili.*

3 Ex his conſtat, magnum auferri à ciuitatibus propugnaculum, cum viri iuſti & ſancti de medio tolluntur, quorum morte immatura peccata punire conſueuit impiorum: Vnde cum dixiſſet Iſaias, *& viri miſericordiæ colliguntur*, cauſam huius ſtatim ſubindicat; dicens. *quia non eſt qui intelligat, &c.* quaſi dicat: ideo colliguntur, quia non merentur impij, & inſipientes illos habere ſocios. Quod autem ſubdit. *A facie enim malitiæ, &c.* aliam cõtinet cauſam, propter quam mors præuenitur iuſtorum, ne videlicet impiorum conſortio inquinentur, & eorum commaculentur malitia. Scriptum eſt enim. *Placens Deo factus eſt dilectus, & viuens inter peccatores translatus eſt, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Et poſt pauca. *Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Ita explicat ſanctus Thomas. Vel ſic explicari poteſt cum gloſſa interlineari. Collectus eſt à facie malitiæ, vt videlicet mala ſæculi non videat. Nihil enim magis torquet electos, quam inter reprobos habitare, & peccata quæ in Deum cõmittuntur proprijs oculis cernere. Quod & Iudas Machabæus oſtendit, cum dixit. *Accingimini, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in mane, vt pugnetis aduerſus nationes has, quæ conuenerunt aduerſus nos diſperdere nos, & ſancta noſtra: quoniam melius eſt nos mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum.*

Iuſti morte rapiũtur, ne à reprobis coinquinẽtur.
Sap. 4. b
1. Mach. 3. g

4 Sanctus Cyprianus, Theodoretus, & Tertullianus, præſentem locum interpretantur de Chriſto, qui iuſtus eſt per eſſentiam: & per viros miſericordiæ Apoſtolos intelligunt & Martyres. Quam explicationem etiam ſequitur gloſſa interlinearis. Mortuus eſt Chriſtus, & quaſi perire viſus eſt, & nullus Iudæorum recogitauit in corde ſuo, quis & qualis eſſet, qui patiebatur inter duos latrones. Nullus attendit eius innocentiam, immaculatam vitam, doctrinam cæleſtem, & charitatem eximiam, qua pro peccatoribus mori dignatus eſt. Propter quod Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, eos hortatur, dicens. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem.* Vbi verbum, recogitare, ſignificat iterum atque iterum cogitare, & ſedula meditatione penſare, quæ ſub Crucifixi ſpecie latent myſteria, eo modo quo Beatiſſima Virgo meditabatur, quæ circa natiuitatem vnigeniti ſui acciderant, ſecundum illud: *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.*

5 *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulat in directione ſua.* Contra obiectionem ſuperius poſitã, ſubiungit conſolationem, quæ reſeruatur iuſtis. quaſi dicat. Nemo in his rebus moueatur, tamquam nulla eſſent pijs hominibus bona repoſita, & iniuſte Deus agat cum illis: etenim quamuis perire inſipientibus videantur, æterna pace fruuntur in morte: nam *beati mortui qui in Domino moriuntur.* Cui conſonat illud. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Quia ergo in vita iuſti, pax cum eo ambulauit, merito illi obuiam veniet in morte, vt cum illo in cubili ſuo requieſcat, ideſt,

Cypr. lt. 2. aduer. Iud. cap. 13. Theodor. Tertull. 1. 3 aduer. Marcion.
Mortẽ Xpi quã pauci recogitẽt.
Heb. 12. a
Lucæ 2. c
Apoc. 14 c
Sap. 3. a
Sepulchrũ fuit reges Chriſti.

ideſt, in ſepulchro illius qui ambula-
uit *in directione ſua*, ideſt, per viam
rectam mandatorum Dei. Conſonat
hæc explicatio cum tranſlatione Se-
ptuaginta interpretum, quæ ſic ha-
bet. *Erit in pace ſepultura eius*,
ideſt, iuſti. Quod ſi iuſtis in morte
*pax*, & felicitas manet, quanto ma-
gis Chriſto, qui de ſeipſo loquens per
[Pſ. 4.] prophetam ait: *In pace in idipſum
dormiam & requieſcam?* Vere in
pace factus eſt locus eius, cuius ha-
bitatio eſt in Sion. Hæc eſt vera con-
ſolatio electorum, hæc ſpes vnica
[Gen. 2. a] inter aduerſa. Compleuit Deus die
ſeptimo opus ſuum quod fecerat: &
requieuit die ſeptimo ab vniuerſo
opere quod patrarat. Et benedixit
diei ſeptimo, & ſanctificauit illum:
quia in ipſo ceſſauerat ab omni ope-
re ſuo quod creauit Deus, vt faceret.
Sabbatum, in quo Deus quieuit, diē
[Mors eſt iuſtorum requies.] quietis deſignat, in quo electi quie-
ſcunt ab operibus ſuis, ſicut & à ſuis
[Heb. 4. b] Deus, vt ex hoc loco deducit Apo-
ſtolus, dicens, *itaque relinquitur ſab-
batiſmus populo Dei: qui enim in-
greſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe
requieuit ab operibus ſuis, ſicut & à
ſuis Deus.* Cui conſonat illud Eze-
[Ezech. 20. b] chielis. *Inſuper & ſabbata mea
dedi eis, vt eſſent ſignum inter me,
& eos, & ſcirent quia ego Dominus
qui ſanctifico eos.* Ex quibus verbis
[Aug. li. 22. de ciu. Dei cap. 30.] colligit Auguſtinus, Sabbatum il-
lud ſanctificatum, ſignum quoddam
fuiſſe ſabbatiſmi, in quo Deus ele-
ctos ſuos quieſcere facit ab operibus
ſuis. Idem ſignificat, quod ſeptimus
ab Adā Enoch tranſlatus eſt ad Deū,
& raptus in paradiſum, vt notauit
[Aug in dialogo 65. qq 9. 50. t. 4.] idem Auguſtinus: quoniam *ſeptima
die requies promittitur ſanctis. Et
in ſexta ætate ſæculi reformantur in
agnitionem Dei, vt transferantur ad
requiem.* Tunc enim *pax requieſcet
in cubili ſuo*, & in pace dormient;
qui dum viuerent, meruerunt, vt cum
populo Dei ſederent in multitudine
pacis, & in requie opulenta. Deni-
que notandum, quod non dixit, quie-
ſcat pax in foro, in plateis, vel in do-
mo ſua; ſed ait, quieſcat *in cubili ſuo*; [Pax iuſtorū occulta.]
quoniam requies electis repromiſſa,
& pax, qua in vita fruuntur & morte,
ſecreta eſt, & abſcondita ab oculis
eorum qui terrena quęrunt: quoniam
in ſecreto cordis poſſidetur, ſicut di-
cit Apoſtolus: *Gloria noſtra hæc eſt,* [Rom. 8. e]
*teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Nō
eam agnoſcit caro, ſed ſolus ſpiritus
ipſe, qui teſtimonium reddit ſpiritui
noſtro, quod ſumus filij Dei. *Si au-
tem filij, & heredes: heredes quidem
Dei, coheredes autem Chriſti.*

6 *Vos autem accedite huc filij au-
guratricis: ſemen adulteri, & forni-
cariæ.* Poſtquam in verbis præcedē-
tibus docuit, quam pretio[illegible] ſit mors [Iudicium reproborū terribile erit.]
iuſtorum, nunc conſequenter oſten-
dit, quale iudicium maneat impios,
quibus iubet vt ad ſe accedant audi-
turi ſententiam. & loquitur ad prin-
cipes Sacerdotū, ad Scribas, & Pha-
riſæos, qui dicebant adinuicem. *Ve-
nite, ſumamus vinum, & impleamur* [Iſa. 56. d]
*ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic &
cras, & multo amplius*: qui Chriſtū
iuſtum tradiderunt morti, & perſe-
quuti ſunt diſcipulos eius. Hos vocat
filios auguratricis, ideſt Synagogæ,
vel ciuitatis augurijs deditæ; ſemen
adulteri & fornicariæ, ſicut ſuperius
dixerat: *Væ genti peccatrici populo* [Iſa. 1. a]
*graui iniquitate, ſemini nequam: fi-
lijs ſceleratis.* Et dicuntur *ſemen
adulteri*, ſcilicet populi, *& fornica-
riæ* mulieris, eo quod fidem fregerūt
Deo, quo cum deſponſati fuerant in
fide, & ad Deos alienos tranſierunt.
Vnde & Oſeæ 1. fornicarij dicuntur,
*quia fornicans fornicabitur terra à* [Oſee 1.]
*Domi-*



[Ezech. 16. b] *Domino*. Et Ezechielis 16. *Et tu-
liſti vaſa decoris tui de auro meo at-
que argento meo quod dedi tibi: &
feciſti tibi imagines maſculinas, &
fornicata es in eis.* Propter quod
Redemptor noſter loquens ad Phari-
[Mat. 12 c] ſæos & Scribas, dixit. *Generatio ma-
la & adultera ſignum quærit, & ſi-
gnum non dabitur ei niſi ſignum Io-
næ prophetæ.* Et Ioannes Baptiſta,
*Genimina viperarum* eos cenſuit ap-
pellandos. Forſan adulteros & forni-
carios vocat malos paſtores, quos in
præcedenti capite redarguerat, di-
[Iſa. 56. d] cens: *Ipſi paſtores ignorauerunt in-
telligentiam, &c.* Nam ſua doctrina
genuerunt ſibi ſimiles infideles filios,
iuxta illud dictum prophetæ. *Gene-
[Ioan. 8. e] ratio peruerſa eſt, & infideles filij.*
Vnde cum Iudæi dixiſſent: *Nos ex
fornicatione non ſumus nati, vnum
patrem habemus Deum. Dixit eis
Ieſus: Si Deus pater veſter eſſet, di-
ligeretis vtique me. Ego enim ex
Deo proceſſi, & veni*: Innuens illos
fornicarios eſſe, & fidem fregiſſe Deo
& Abrahæ, cuius filios ſe eſſe gloria-
bantur, & tamquam fornicarios ab
eo receſſiſſe. Fornicarij etiam ſunt
& adulteri, vt notauimus ſupra, Euā-
gelij prædicatores, qui non ex zelo
generandi Deo ſpirituales filios, ſed
ex contentione Chriſtum annūciant:
non intendentes commodum anima-
rum, ſed quæſtum proprium & glo-
riam.

7 *Super quem luſiſtis? ſuper quē
dilataſtis os, & eieciſtis linguam?
numquid non vos filij ſceleſti, ſemen
mendax?* Obijcit prædictis filijs a-
dulteris & fornicarijs, quod prophe-
tarum oracula irriſerint, quod Chri-
[Subſannātes Xpum arguuntur.] ſtum Dominum lingua ſacrilega, &
rugata nare, oreq. dilatato ſubſan-
nauerint. Et licet verba hæc, gene-
raliter poſſint referri ad eos, qui va-
cant conuiuijs & delectationibus car-
nis, & irrident concionatores, eorum
vitia arguentes; ſpecialiter tamen,
iuxta interpretationem Hieronymi,
referenda ſunt ad Iudæos, blaſphe-
mantes, & ſubſannantes Chriſtum
Dominum. Et ſenſus eſt. *Super quē*
ò impij *luſiſtis*, conſpuentes faciem
eius, barbamq. vellentes: & *ſuper* [Hieron.]
*quem dilataſtis*, & aperuiſtis *os* ve-
ſtrum, *& linguam eieciſtis*, dicentes
ei: *Samaritanus es, & dæmonium* [Ioan. 8. f]
*habes?* Et iterum: Iſte non eijcit dæ- [Mat. 12. b]
monia, niſi in Beelzebub principe dæ-
moniorum. Et poſtea in paſſione:
*Crucifige, crucifige* talem. Et rur- [Lucæ. 23 c]
ſum: *Sanguis eius ſuper nos, & ſu-
per filios noſtros.* Et alibi: *Vah, quod* [Mat. 27 c]
*deſtruit templum, & in triduo in-
ſtaurat illud: Alios ſaluos fecit, ſe* [Marci. 15. e]
*ipſum ſaluum facere non poteſt: de-
ſcendat nunc de cruce, & credimus
ei.* Exiſtimabatis Chriſtum, quem
affixiſtis cruci, non eſſe Deum, ſed
hominem imbecillem, qui non poſſet
ſe & alios à morte liberare. *Mendax*
fuit hæc veſtra ſententia, non eſtis lo-
quuti tamquam filij Abrahæ, ſed vt
*filij ſceleſti*, ideſt diaboli, ſicut ipſe
Saluator dixit. *Vos ex patre diabolo* [Ioan. 8. e & f]
*eſtis: & deſideria patris veſtri vul-
tis facere: ille homicida erat ab ini-
tio, & in veritate non ſtetit: quia
non eſt veritas in eo: cum loquitur
mendacium, ex proprijs loquitur,
quia mendax eſt & pater eius.* Se-
ptuaginta interpretes, vbi nos legi-
mus, *filij ſceleſti*, transferunt, *filij
perditionis*, quo nomine notatus eſt
Iudas Scharioth, dicente Domino.
*Quos dediſti mihi, cuſtodiui: & ne-* [Ioan. 17 b]
*mo ex eis perijt, niſi filius perditio-
nis, vt Scriptura impleatur.*

8 *Qui conſolamini in dijs ſubter
omne lignum frondoſum, immolan-
tes paruulos in torrentibus, ſubter
eminen-*

*eminentes petras? In partibus torrentis pars tua, hæc eſt ſors tua: & ipſis effudiſti libamen, obtuliſti ſacrificium: numquid ſuper his non indignabor?* Superius obiecerat auaritiam Iudæis, ebrietatem & luxum, nunc conſequenter exprobrat idololatriam illorum, quæ talis erat, vt neque apud gentes vmquam fuerit audita. Vitium idololatriæ ex voracitate ſubſequitur, ex ebrietate & luxu, ait enim Scriptura. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerũt ludere. Qui conſolamini*, inquit, *in dijs*. Alia litera habet. *Qui concalefacti eſtis in dijs*, videlicet in fœditate congreſſus fornicarij, ideſt, idololatriæ: (vt enim obſeruauimus ſupra) frequentiſſime in Scriptura ſacra, cultus idolorum appellatur fornicatio, quo nimirum feruentem Iudæorum impietatẽ ſignificat, & idololatriam deteſtandam, quæ talis erat, vt in montibus inter ligna frõdoſa dijs ſacrificarent alienis: atque illis tanto ſtudio, totq. impenſis inſeruirent, vt non ſolum aurum & argentum ſuum offerrent illis, ſed & proprios filios immolarent. Quod & Pſalmiſta illis obijcit, dicens: *Et commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorũ: & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaã. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorũ: & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis*. Sed ſacrificantes idolis ò Iudæi inter ligna frondoſa, nõ potuiſtis eorũ folijs veſtram ignominiã operire, ſicut nec primi parentes tegere valuerunt folijs ficus nuditatem ſuam,

*1. Cor. 10 b*

Idololatria dicitur fornicatio.

*Pſ. 105. c*

Et quod magis aggrauat eorum ſtultitiam, eſt qualitas idolorum, quæ ſibi elegerunt. Non enim immolauerunt filios ſuos ſoli, non lunæ, non ſimulachris auri vel argenti, ſed lapidibus in torrentibus inuentis, quos erigebant in Deos. & hoc eſt quod dicit: *In partibus torrentis pars tua hæc eſt ſors tua*, ideſt Deus tuus. Sic Dauid inquit, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*. & ita Hebræi vertunt, non ſine ſale & lepore, *in lapilis læuibus fluminis portio tua*. Et cum Dauid non aliam portionem ſuam agnouerit & deſiderauerit, quàm *in terra viuentium*, ait enim: *Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium*: illi non *in terra viuentium* inter angelos, ſed in terra morientium inter lapillos torrentis ſuã conſtituerunt portionem. *Quis audiuit vmquam tale? aut quis vidit huic ſimile?* Quæ gens fuit tam barbara, quæ lapides fluminis erigeret in Deum? *Numquid ſuper his nõ indignabor?* Numquid talia mihi placere poterunt? Præſens locus etiã arguit eos qui infinitis penè laboribus & ſudoribus ſeruiunt vanitati, ſibi in idolum erigentes, & Deum, alij honores, alij pecunias, alij ebrietatẽ & luxum, de quibus dicit Apoſtolus. *Multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus, venter eſt*. Et iterum auaritiam vocat idolorũ ſeruitutem, eo quod auari pro idolo habent aurum, cui non ſolum filios & filias; ſed etiam ſemetipſos ſacrificare non ceſſant.

Pars iuſtorũ De' eſt.

*Pſ. 15. b*

*Pſ. 141. b*

*Philip. 3 d*

9 *Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum, & illuc aſcendiſti, vt immolares hoſtias. Et poſt oſtium, & retro poſuiſti memo-*

*riale*



*riale tuum: quia iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum: dilataſti cubile tuum, & pepigiſti cum eis fœdus: dilexiſti ſtratum eorum manu aperta*. Præter idololatriam, taxat hoc loco maximam Iudæorum impudentiam, qui inuerecunde gloriabantur in illa, aſcendentes in montem excelſum, ad immolandum idolis, & in foribus ſacrificia illis offerentes, vt omnibus eorum fornicatio eſſet conſpicua. *Dilataſti*, inquit, *cubile tuum*, ideſt, altaria conſtruxiſti maiora, vt pluribus idolis locum dares. Vide quomodo in omnibus, & per omnia aduerſentur mandatis Dei. Deus enim præceperat, vt per gradus ſacerdos nõ aſcẽderet ad altare, ne reuelaretur turpitudo eius: illi autem ſuper montem excelſum & ſublimem aſcenderunt, vt ſacrificarent idolis. Deus mandauerat, ne in omni loco indifferenter offerrẽtur illi hoſtiæ, ſed in templo ad hoc deſtinato: ipſi autem per ſingulas domorũ portas ſacrificabant victimas, poſt oſtiũ, & retro poſtem, &, quod deterius eſt, in præſentia ipſius Dei ſuſceperunt *adulterum*, ideſt idolum. Iuſſit Dominus legem ſcriptam in foribus meditari: ipſi vero contra hoc mandatum, in foribus, pro lege, collocauerunt idola. Iuſſit ne imitarentur gẽtes: illi vero offerebant ſub omni ligno frondoſo, ritum gentium imitãtes. Prohibuit Deus, adorare ſculptilia; & illi fœdus pepigerunt cum eis, & dilexerunt *ſtratum*, ideſt, altare eorum *manu aperta*, ideſt, liberali, ad expenſas faciendas in cultum idolorum. Quæ omnia ad mores poterunt adaptari: in tantum enim malitia hominũ percrebuit, vt non tantum peccatis ſint dediti, relinquentes Deum fontem aquæ viuæ, & fodientes ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas: ſed etiam lætentur, cum malefecerint, & exultent in rebus peſſimis, oſtentantes mundo ſuam impietatem, vt qui in ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.

10 *Et ornaſti te regio vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua, miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es vſque ad inferos*. Oſtendit, nullũ ſuæ impietatis Iudæos terminum habuiſſe. Non enim ſatis fuit illis, quod dijs ſeruirent alienis, verum etiam omnem fiduciam à Deo alienauerũt, & muneribus conciliauerunt ſibi regum exterorum amicitiam; plus cõfidentes in brachio carneo, quàm in Deo. *Ornaſti te regio vnguento, &c.* Ideſt varia ornamẽta quæſiſti viſu & odore, vt ad inſtar meretricis impudentiſſimæ prouocares adulteros. Et amplius rem exaggerat, quia non miſerunt prædicta dona vicinis proximis, ſcilicet Idumæis, & Amonitis, ſed longinquis, & exiſtentibus procul. Et hoc dicit factum tanta abiectione animi, vt *vſque ad inferos* viſi fuerint ſe humiliare. Hoc maioris infamiæ atque dedecoris argumentũ eſt, quod dona dentur indignis, & cũ magna animi ſubmiſſione. Sequitur. *In multitudine viæ tuæ laboraſti, nec dixiſti, quieſcam*. Inſuper & hoc teſtatur malitiam tuam: nam potuiſſes abſque laboribus tuã eligere perniciem. Non habuiſti pro onere quicquid in ſeruitium idolorum impendiſti, aut in obſequium regum alienigenorum: nec dixiſti vmquam: Fatigatus ſum, quieſcam.

11 *Vitam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti*. Exprobrat Iudæis, quod abundantia rerum temporalium repleti, obliti fuerint orationes ad Deum fundere, & rogare vt adiuuaret eos, & defenderet. Talis enim abundantia contemptum Dei

Orare deſiſtunt qui abundãt tẽporalibus.

parit,

ſparit, & obliuionem inſtabilitatis humanæ. Vnde & ſcriptum eſt. *Incraſ-* Deut.32 o *ſatus eſt dilectus & recalcitrauit, incraſſatus & impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Econtra vero *mala quæ nos premunt*, (ſicut dicit Gregorius) *ad Deum adire compellūt*, quod multis locis Scripturæ ſacræ ſup. oſtēdimus. Sup. c 9. n. 84. Ideo ergo Dominus multas ſuis electis tribulationes immittit, vt eum rogare cogantur: Hinc ſolemnes preces, & rogationes Eccleſię, quæ inſtitutæ ſunt ad poſtulandam pluuiam, & temporales fructus, quibus vita ſuſtentatur humana. Hinc etiam Dominus ipſe miſericorditer differt quod poſtulamus; quoniam ſemper nos vult orare, & non deficere.

12 *Pro quo ſollicita timuiſti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo? quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es.* Præterea ad hæc mala accedit, (ait Dominus) quod timorem meum prorſus abieceris, eouſque tua creuit impietas, & infidelitas. Quod ſi cauſaris, timorem Dei in te eſſe, dic mihi, *pro quo ſollicita timuiſti*, vel quando? non ergo me timuiſti, ſed idola & reges gentium, qui fecerunt te eſſe ſollicitam. Si me ſecuta fuiſſes ò Hieruſalem, magnam habuiſſes pacem & quietem. Dixiſti, omnia quæcumque locutus eſt Dominus, faciemus, ſed *mentita es*. vtrūque tibi familiare eſt, & mentiri, & mei obliuiſci, atque timorem meum abijcere. Nūquam cogitaſti in corde tuo, quod puniturus eſſem te aliquando: abuteris forſan longanimitate mea, *quia ego tacens, & quaſi non videns*, ideſt, quia non ſtatim cōtra te meam iram oſtendo; timebis tandem iratum, quem deſpexiſti longanimē & miſericordem.

Deus à peccatoribus, non videns reputatur, quia tacet.

Nonnulli, inter quos eſt Theodoretus, hæc ad tempora referunt Chriſti, qui interrogatus à principe Sacerdotum: *Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificentur? tacebat.* Et iuxta hāc explicationem, hoc obijcit Chriſtus Synagogæ, quòd eum non agnouerit, quòd oblita fuerit prophetarū, quorum oracula patientiam teſtificabantur illius. *Ego* (inquit) *tacens* corā pontifice, *ego quaſi non videns*, & quaſi agnus ductus ſum ad victimā, & non es recordata mei. De me enim locutus eſt qui dixit. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* S. Hieronymus ſic explicat iſtū locum: *Ego tacens, &c.* ideſt ego ſum *qui ſemper tacui peccata tua, & ſcelera quæcūque faciebas, quaſi non viderem, diſſimulatione neglexi: vt ſi non timore mei, ſaltem patientia ad me redires, qui non oculis, ſed palpebris interrogo filios hominum.* Eadem eſt explicatio ſancti Gregorij. Quia vero Synagoga diuitias bonitatis, & longanimitatis Dei contempſit, ideo indignationem eius iuſtam ſubinfert.

Theodor. Mat.26 f Iſa.53.b Hieron. S. Greg. in par paſtoral. curæ cap. 10.

13 *Ego annunciabo iuſtitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi. Cum clamaueris, liberent te congregati tui. Et omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Ironice loquitur, & quaſi ſubſannando impietatem populi, vt notauit Hieronymus: velut ſi quis in ſceleribus deprehenſo dicat. Vide bona opera quæ feciſti; conſidera iuſtitiam quam operatus es. Ac ſi apertius dicat: Tu confiteri renuiſti peccata tua, & ego manifeſtabo illa, & annunciabo iuſtitiam tuam, ideſt ſcelera tua, & tranſgreſſionem tuam: loquitur enim (vt diximus) per Ironiam. Noluiſti agere pœnitentiam, nec me



nec me rogare tempore opportuno, ſed contempto Deo tuo, confugiſti ad idola. Adueniet tibi tempus aliquando, in quo clamabis & non exaudiam te; ſed ad idola remittam, in quibus habuiſti fiduciam, & dicā, *liberent te congregati tui*, (ideſt) ſimulachra, quæ in magna multitudine congregaſti tibi, Omnia congregentur in vnum, vt liberent te. Certè nullum tibi poterunt auxilium aliquādo præſtare dij tui, quos elegiſti, cum ſe ipſos iuuare non valeant: nam diſperibunt quouis vento aut aura flante. Eodem modo loquitur per Hieremiam. Hier.2.f *Vbi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi? Surgant, & liberent te in tēpore afflictionis tuæ: ſecundum numerum quippe ciuitatū tuarum erāt Dij tui Iuda.* Et Deuteronomij trigeſimoſecundo. Deut.32 *Vbi ſunt Dij eorum: in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes: & bibebant vinum libaminum? Surgant, & opitulentur vobis: & in neceſſitate vos protegant.* Nō ſic eueniet in me ſperantibus, non ſic. Subditur enim. *Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum.* Videte (inquit) ò ingrati, quanta ſit differentia inter ſperantes in idolis, aut regibus gentium, & eos qui omnem fiduciam ſuā in me conſtituunt, illi peribunt, nec erit qui liberet eos; iſti autem etſi perire ad tempus videantur, verè hereditabunt terram viuentium, & vitam conſequentur æternam, vbi tamquam in monte requieſcent, nec erit qui pacem eorum & gloriam perturbare poſſit.

14 *Et dicam: viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei.* Reprobatis falſis paſtoribus & mercenarijs, ac pſeudoprophetis & prædicatoribus, deſcribit virum Apoſtolicum, & eius munus proprium & officiū. Summa autem prædicationis Euangelicæ eſt pœnitentia & remiſſio peccatorū, à qua ſuę prædicationis initium ſumpſerunt, Ioannes Baptiſta, & Chriſtus Dominus. Ioannes ait, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Eadem verba pro themate ſuæ prædicationis delegit Chriſtus, (vt ſanctus refert Matthæus) dicens: *Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Hoc ergo eſt quod in præſenti denunciat. *Et dicam:* videlicet per Ioannem Baptiſtam, per chorum Apoſtolorū, prædicatoreſq. Euangelij, *viā facite*, ideſt, parate viam Domino. hoc clamauit Ioannes in deſerto. aut *viam facite*, ideſt, ſternite viam, planam illam facite, & expeditam populo meo, vt abſque offendiculo iter faciat in regnum cælorum. *Declinate de ſemita*, idem ſignificat quod, *præbete iter*, ſeu expedite viam: ſic enim habetur in Hebræo, vt notauit Lyranus. *Auferte offendicula*, (ideſt) tollite lapides *de via populi mei*. Loquitur, ſumpta metaphora ab his qui præparant vias, tollendo impedimenta, in quæ prætereūtes poſſent offendere, vt explicat Rabbi Dauid. Quod etiam ipſe Iſaias inferius repetit, dicens. *Præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & leuate ſignū ad populos.* Lapides ſunt, corda dura. Offendicula, ſunt omnia, quæ a Dei cultu nos remouent, aut retardant; omnia ſcandala, in quibus ſimplices populi impingunt: Quæ omnia remouenda ſunt à via Dei. Væ enim illis qui paruulos ſcandalizant. Chriſtus clamat: *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur* mola

Apoſtolici viri conditiones. Matt.3. a Matt.4. c Scandala ſunt tollenda. Rabbi Dauid in cōmēt. in lib. Radicum. Iſai. 62. Matt.18 a

*mola aſinaria in collo eius,& demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Hinc & Apoſtolus, ſcandalizantes fratres ſuos illis confert, qui hominem percutiunt infirmum, & Chriſto Domino iniuriam irrogant. Ait enim: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis.* Vbi Chryſoſtomus notat, *quod nō inquit ſcandalizantes, ſed percutientes, vt verbi ſignificantia crudelitatē oſtenderet. Quid inhumanius exiſtimari poteſt, qui ægrotum verberat? Etenim omni plaga grauius ſcandalizare eſt, nam ſæpenumero & mortem affert. Et quomodo in Chriſtum peccant? vno quidem modo, quod quæ ſeruorum ſunt, ipſe pro ſe accipit. Altero autem, quod in corpus eius & membra faciunt qui percutiunt. Tertio quod opus eius, quod propria morte abſoluit, ÿ propria ambitione deſtruunt. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meū ſcandalizem. Hoc magiſtri optimi eſt officium, ſuo exemplo erudire quæ dicit. & non dicit, ſiue iuſtè ſiue iniuſte: ſed quomodocumque. Et non dico, inquit, idolothytum, quod & propter aliam cauſam probibetur: ſed ſi quod licet & permittitur, ſcādalizat, etiā ab illis abſtineo: neque vna aut altera die, ſed toto vitæ tempore. Non enim manducabo, inquit, carnes in æternum.* Et ſanctus Auguſtinus. *Diaboli (inquit) Filÿ ſunt, qui homines ab Eccleſia ſeducendo interficiunt, qui alios ad peccandum inducunt, qui fratres ſcandalizant.* Nam ſicut ille in paradiſo homicida erat ab initio, primum hominem occidendo, non

1.Cor.8.

Chryſoſt. homil. 20. ſup. primā ep. ad Corint. circa finem. to. 4.

Aug. lib. 2. contra literas Petiliā. tom. 7.

Ioan. 8.

gladio corporali ſtringendo, aut vim corpori inferendo, ſed ſuadendo peccatum, & occaſionem præbendo ruinæ: ita & iſti conſimili gladio in Eccleſia mortem ſpiritualem afferunt fratribus.

15 *Quia hæc dicit Excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem. Et ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu: vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Magnam hæc verba conſolationem afferunt humilibus & contritis corde. In illis, inquit, habitat in terra, qui in cælis habitaculum habet in ſanctis. Tales eligit, vt viuificet eorum ſpiritum, qui erant propter peccatum mortui. Loquitur autem Propheta iuxta viſionem ſuam, qua vidit *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & Seraphim clamantes alterutrū, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Igitur, vt cæleſtium munerum digni efficiamur, magna humilitate opus eſt. Impijs enim & ſuperbis reſiſtit Deus, *humilibus autē dat gratiam.* Conſonat hic locus cū verbis Pſalmiſtæ: *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit.* Præmiſit autem, *hæc dicit Excelſus*, vt ſciamus, nō terrena, ſed cæleſtia, non infima, ſed ſuprema electis ſuis bona promittere. Qui de terra eſt, de terra loquitur, & repromittit terrena: qui autem de cælo eſt, excelſa donat, ſicut & ipſe excelſus eſt. Ex quo patet, non eſſe in hoc capite ſermonem de libertate terrena, vel de reditu à captiuitate Babylonica, (vt volunt Hebræi) ſed de libertate ſpirituali, qua Chriſtus Dominus à tyrannide peccati nos eripuit. Id quod etiam oſtendunt verba ſequentia. Subditur enim.

Iſai. 6.

1. Petr. 5 b

Pſal. 113 a

16. Non



16 *Non enim in ſempiternum litigabo, neque vſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.* Eramus omnes nos natura filij iræ, & per peccatum inimicus Dei effectus eſt homo, & bellum perpetuum illi indixit: Deus autem qui diues eſt in miſericordia, gratiam ſuam humilibus repromittit, & contritis corde, atque offendicula de via auferentibus. *Nō litigabo*, inquit, *in ſempiternum* vobiſcum, ò humiles corde, à litibus aliquando abſtinebo. Scio enim qui dixit: *Nō in perpetuū iraſcetur, neque in æternum comminabitur*: Sed ſpiritum meum ponam in medio veſtri, vt ex corde lapideo faciam cor carneum, & hoc eſt, quod dicit, *Spiritus à facie mea egredietur* (ideſt) mittam ad vos Spiritum ſanctum, qui à me procedit, & ipſo inſpirante, *flatus ego faciam*, ideſt, ſpiritualia deſideria excitabo in vobis, vt ſequamini cæleſtia, & terrenis renuncietis affectibus. *Flatus faciam*, vt, tamquam naues ſpiritualibus onuſtæ mercimonijs, per mare huius ſæculi turbulenti nauigantes, ad portū cæleſtis patriæ ſecuri perueniatis. Hinc eſt illud, quod canit Pſalmiſta: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Hinc & Apoſtolus ait: *Qui ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filÿ Dei.* Poſſunt etiam hæc verba ad Chriſtū referri, qui poſt reſurrectionem ſuam apparens Apoſtolis, *inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et notandum, quod non in ſingulari, ſed in plurali dixit, *flatus ego faciam*, vt ſciamus, flatu ſuo non ſolum corpus viuificaſſe; ſed animam. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animā viuentem.* *Inſufflauit* Chriſtus diſcipulis ſuis. Et tribuit illis ſpiritum viuificantem. Vtrumque breui ſermone complexus eſt Apoſtolus, dicens: *factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* Denique dicendo, *flatus ego faciam*, intimum deſignat amorem, ex quo donum illud emanauit. Flatus enim iſte, quem ore & naribus efflamus, ex intimis viſceribus procedit.

Pſ. 102.

Spiritus ſanctus ſpiritualia inſpirat deſideria.

Pſ. 142. b

Ioan. 20 f

Gen. 2. a

17 *Propter iniquitatem eius iratus ſum, & percuſſi eum: abſcondi à te faciem meam, & indignatus ſum: & abÿt vagus in via cordis ſui.* Aſſignat cauſam, propter quam reliquit Dominus populum ſuum, videlicet, propter auaritiam eius, per quam omnem iniquitatem intelligit, vt conſtat ex translatione ſeptuaginta virorum, quæ ſic habet: *Propter peccatum, modicum quid triſtitia affeci eū.* Et, ad maiorem amplificationem, irā Dei pluribus verbis ſignificat, videlicet dicēdo, Iratus ſum, &c. Hæc enim eſt maxima ira Dei, cum peccatores à ſe repellit, cum eos relinquit, & deſerit. Percuſſi eum, ſcilicet, populum meum, plaga illa de qua ſcriptum eſt, *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.* De qua etiam ſuperius dixerat, *A planta pedis vſque ad verticē non eſt in eo ſanitas. vulnus, & liuor & plaga tumens*; Et ait, *Percuſſi*, non quia Deus in nobis plagas ſpirituales cauſat, peccata videlicet, ſeu malum culpæ, ſed quoniam in pœnā præcedentium peccatorum, ſuperbos tradit in reprobum ſenſum, eos deſerendo & dimittendo, quoad numerū ſuarum iniquitatum compleant. Deinde, tertiam perſonam in ſecundam iuxtam morem Scripturæ mutans, inquit, *Abſcondi à te faciem meam*, (ideſt)

1. Cor. 15

Hier. 30 b

Iſa. 1.

eſt) fauorem meum & gratiam, *& indignatus ſum* contra populum meum propter multitudinem iniquitatum eius, ex quo ſtatim ſubſequitur, quod homo vagus fiat, & profugus ſuper terram, ſimilis factus Cain, qui recedens à Deo dixit. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra*. Abire in via cordis ſui, eſt, carnales concupiſcentias ſequi, & quo nos ducit cor noſtrum abſque freno rationis pergere. Vnde & in Canticis ſponſæ ſe ignoranti dicit ſponſus. *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Dura & aſpera increpatio* (ait Bernardus) *quod dicit egredere, hoc enim verbum ſerui audire ſolent à valde iraſcentibus, & indignantibus dominis, cum illos offenderint, exi hinc, egredere à conſpectu meo, & à domo iſta. Hoc ergo verbo aſpero & amaro, ſatiſque increpatorio vtitur modo ſponſus contra dilectam, ſub conditione tamen, ſi ſeipſam ignorauerit. Nihil quippe validius, efficaciuſve ad terrendum potuit in eam intendere, quàm vt egredi minaretur. Quod & tu aduertere potes, ſi bene attendas, vnde, quo egredi iubeatur. Vnde enim? quo putas, niſi de ſpiritu ad carnem, de bonis animi ad ſæcularia deſideria, de interna requie mentis, ad mundi ſtrepitum, & inquietudinē curarum exteriorū, in quibus omnibus non eſt niſi labor, & dolor, atque afflictio ſpiritus? Talis inquam anima, neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliuſve ducat, quam poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem, exire denuo ad illecebras vel potius ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem, &c. Terribilis proinde & nimis formidoloſa comminatio, egredere, & paſce hædos tuos, egredere de ſanctuario meo corde tuo, vbi ſecretos, ſacroſque veritatis, ac ſapientiæ ſenſus dulciter haurire ſolebas, & magis, tamquam vna de ſæcularibus, paſcendis, & oblectandis tuæ carnis ſenſibus intricare.* Hoc ipſum eſt, quod per Prophetam inquit, *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorū: ibunt in adinuentionibus ſuis*: ire quippe *in adinuentionibus ſuis*, eſt, paſcere hædos ſuos, & abire in viam cordis ſui.

Gen. 4. b | Cant. 1. b | Bernard. ſerm. 35. in Cant. | Concupiſcētiæ carnales infernus ſunt iuſtis. | Hædos paſcere quid ſit. | Pſ. 80. c

18 *Vias eius vidi, & ſanaui eū, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius*. Deſcripta miſeria populi, ſubiungit Dei miſericordiā, ex cuius præuenienti gratia incipit ſalus noſtra. Et primo reſpicit vias noſtras peſſimas, à quibus ipſe ſolus nos poteſt reuocare, qui venit, vt ouem perditam requireret; Ipſe ſanat omnes infirmitates noſtras, ipſe nos ad ſe cōuertit: noſtrum quippe liberum arbitrium, vtpote per peccatum vulneratum & læſum, non poteſt ad Deum redire, niſi Deus ſua miſericordia illud conuertat. Vnde & Propheta ſuam infirmitatem agnoſcens, clamauit ad Deum. *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis*. Et Hieremias: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Vias*, inquit, *eius vidi, & ſanaui eum*. Hic amplificat Deus ſuam miſericordiam, quaſi dicat. Ego populum hunc flagellis ad pœnitentiam reuocare curaui, cum præceps in cupiditates ſuas rueret: ſed contumacem & indomitum ſeipſum præbuit. Poſſem equidem, & merito, ipſum perdere, ſed ſanare potius, & conſeruare volo, vt meam in illo miſericordiam oſtendam. Vbi nos legimus,

Pſ. 84. a | Thren. 5 d



*& reduxi eum*, alia littera habet, *& minaui eum*, videlicet, ad locum paſcuæ cæleſtis; ſicut paſtor deducit gregem ſuum in loca virentia. *Minaui eum* per viam ſalutis, ne viam ſequeretur *cordis ſui*. *Et reddidi conſolationes ipſi*, videlicet, populo, *& lugentibus eius*, ideſt, eiuſdem populi. Septuaginta, ſic transferunt iſtum locum, *& conſolatus ſum eum, & dedi ei conſolationem veram*. Hæc enim lugentibus repromittitur iuxta illud, *Beati qui lugent, quoniā ipſi conſolabuntur*. Hanc conſolationem requirebat qui dixit, *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*. Vbi (vt notauit Auguſtinus.) Non quamcumque exultationem petijt, non lætitiā diuitum, qui habent hic conſolationē ſuam, exquiſiuit: Sed lætitiam *ſalutaris tui*, ideſt, lætitiam Ieſu Chriſti; ſeu lætitiam quæ eſt in Chriſto Ieſu. Lætitia namque *ſalutaris*, eſt lætitia Ieſu Chriſti, quam ipſe ſuis tribuit electis. Quod enim Hebraice Ieſus, hoc Latinè *ſalutaris* dicitur, vt ibidem docet Auguſtinus. Magnæ autē ſunt conſolationes, quæ crucem & ignominiam ſuauem faciunt.

Matt. 5. a | Pſal. 50. | Aug. ſerm. 35. de ſanctis. to. 10.

19 *Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe eſt, & qui propè, dixit Dominus, & ſanaui eum*. Senſus eſt iuxta interpretationē Hieronymi, Impleui quod pollicitus erā dicens: *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat*: ſiue *omnia tribui, quæ antea promiſeram*. Cui explicationi conſonat illud Pſalmi: *Et quæ procedunt de labijs meis nō faciam irrita*. Promiſerat autem ſuis pacem dicens, Pax erit in terra noſtra cum venerit. & Pſalmo 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis*. Hanc ergo reddidit Chriſtus *pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*. Et dicit, *creaui*, vt oſtendat, nullis noſtris præcedentibus meritis, per ſanguinem Chriſti reconciliatos eſſe cum Deo, & ſalutem cōſequutos fuiſſe. Hæc pax hæc ſalus, ex parte contingit iuſtis in hoc ſæculo, vbi caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vbi clamant iuſti. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Sed perfectè eam conſequentur in patria, quia nullum ibi erit bellum, infirmitas nulla, ſed pax & ſalus perfecta. Et quoniam non ſolum Iudæis; ſed etiā gentibus pax iſta promittitur, ideò inquit, *creaui pacem ei qui longe eſt*, ideſt, populo gentili: *& qui propè*, ideſt, populo Iudaico, vt cōſtat ex auctoritate Apoſtoli, qui loquens de populo gentilico ait. *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti*? Et poſt pauca. *Et veniens Euangelizauit pacē vobis, qui longè fuiſtis, & pacem ijs, qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem*. Bis autem inquit, *pacem, pacem*, vel, vt transferunt Septuaginta, *pacem ſuper pacem*; vt duplicem pacem ſignificet, corporis videlicet & animæ: aut verò, *pacem* quam habent iuſti in hoc ſæculo, & *pacem* quæ ſuperueniet illis in futuro. Vtramque pacem geminatione eiuſdem vocis ſuis reliquit Chriſtus, *Pacem* (inquit) *relinquo vobis, pacem meam do vobis*, quem locum explicans Auguſtinus, ait: *Hoc eſt quod legimus apud Prophetam, pacem ſuper pacem, pacem nobis reliquit iturus: pacem ſuā nobis dabit in fine venturus: pacem nobis relinquit in hoc ſæculo: pacem*

Hieron. in cap. 56. Iſaiæ. | Ezec. 33 | Pſal. 88. | Pſal. 71. | Coloſ. 1 e | Pax iuſtorum perfecta erit in patria. | Rom. 7. d | Eph. 2. c | Ibid. d | Pax Iuſtorū duplex. | Ioan. 14. | Aug. tract. 77. ſuper Ioan. to. 9

*ſuam nobis dabit in futuro ſæculo: pacem nobis relinquit, in qua manẽtes, hoſtem vincimus: pacem ſuam nobis dabit, quando ſine hoſte regnabimus: pacem relinquit nobis, vt etiam hic inuicem diligamus, pacem ſuam nobis dabit, vbi numquam diſſentire poſſimus. pacem relinquit nobis, ne de occultis noſtris inuicem iudicemus, cum in hoc ſumus mundo. pacem ſuam dabit nobis, cum manifeſtabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo. In illo tamen atque ab illo nobis eſt pax, ſiue quam nobis relinquit iturus ad patrem, ſiue quam nobis dabit nos perducturus ad patrem.* Vbi etiam expendit ſanctus Doctor, quod prius dixit, *pacem*, deinde adiunxit, *pacem meam*, per illam intelligens, *pacem*, quam iuſti habent in hoc ſæculo: illa enim pax noſtra dicenda eſt potius, quàm ipſius, quia pax imperfecta; *quia talem pacem nunc habemus, in qua adhuc dicamus: Dimitte nobis debita noſtra.* Dicendo autem *pacem meam*, pacem illam deſignauit felicitatis æternæ, quæ talis erit, qualem Chriſtus poſſidet, quæ nulla poterit diſſenſione turbari. Denique bis repetendo *pacem*, ſignificare voluit, duos populos, Iudaicum videlicet, & Gentilicum, per ſanguinem Chriſti pacificatos fuiſſe, & cum Deo, & inter ſemetipſos, Apoſtolo dicente. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.*

1. Cor. 4.

Ephe. 2. c & d

20 *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Denunciat, pacem, quam repromiſerat ſupra, non contingere impijs, & peccatoribus: quos eleganti ſimilitudine mari comparat turbulento. *Mare* intra ſemetipſum turbatur, & vento impellente tempeſtatibus horrendis agitatur, fluctus reciproci bellum in eo inter ſe gerũt continuum, & reuoluuntur ad littora, atque iterum reſorbentur: Non diſſimiliter impij intra ſemetipſos turbantur inteſtino malo, quod in ipſorum animis defixum eſt. Accuſat eos, & deterret mala conſcientia, qua nullum maius tormentum, nulla tempeſtas diuturnior, nullus carnifex ſæuior eſſe poteſt. Modo tument, deijciuntur ſtatim, & ſicut dicit Propheta: *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Hos vocat Iudas Apoſtolus; *Fluctus feri maris diſpumantes ſuas confuſiones.* Et ſicut aqua ex mari redundans fluctibus agitata, fimum, & lutum eijcit in littus, quod eſt in cõculcationem: ita & impij, conſcientiæ inquietudine commoti, ſordida, & immunda ex ſeipſis producunt opera. *Non eſt pax impijs.* Vel vt tranſferunt Septuaginta. *Non eſt gaudere impijs, dixit Dominus Deus meus.* Ac ſi apertius dicat: Reprobi fruſtra quærunt pacem, quibus vbique bellum occurret: fruſtra gaudium requirunt; quia intra ſemetipſos habẽt cauſam ſuæ triſtitiæ. Nihil magis cupiunt, quam ſecuri eſſe, & ſopire conſcientias ſuas, vt liberè, & abſque vllo impedimento ſuis indulgeant voluptatibus: ob id memoriam repellũt iudiciorum Dei, & ſtuporem diligunt

Pax vera non eſt in pijs. *

Simile

Pſ. 106. c

Iud. 1.

cor-



cordis. Pacem inter ſe conciliant, ſed pax eorum ficta eſt, ſicut & gaudium: Vnde & Auguſtinus ait: *Gaudere quod vocant impij, non eſt gaudere. Quale gaudium nouerat, qui hoc gaudium improbabat? Credamus illi fratres, homo erat, ſed ambo gaudia nouerat. homo erat, vtique nouerat gaudia calicis: quia homo erat, nouerat gaudia menſæ, nouerat gaudium lecti, nouerat gaudia iſta ſæcularia & luxurioſa. Ille qui nouerat illa, ait, præſumens, nõ eſt gaudere impijs, dicit Dominus: Sed non dicit homo, dicit Dominus: Sed ex veritate Domini, non eſt gaudere impijs: Nam illi ſibi videntur gaudere: nõ eſt autem gaudere impijs, dicit, non homo, ſed Dominus. Vnde ille ipſum gaudium videns, ait: Et diem hominum non concupiui, tu ſcis. Qui mihi aliũ diem oſtendis, qui me aliam lucem doces, qui me alia iocunditate perfundis, qui aliud mihi intus inſinuas, feciſti me non concupiſcere diem hominum. Vtique videbat Eſaias, homines in potatione, in luxuria, in theatris, & in ſpectaculis totum mundum luxuriari varijs nugis, & tamẽ clamabat, non eſt gaudere impijs, dicit Dominus. Si hoc non eſt gaudere, quale gaudium videbat, in cuius comparatione hoc non erat gaudium? Tamquam ſi tu noſſes ſolem, & alicui laudanti lucernam diceres, non eſt iſta lux, &c. Quare? quia aliam noſti. Sed dicis, Ego illam quam videbat Eſaias non video. Crede, & videbis, forte enim non habes vnde videas: eſt enim oculus vnde illa pulchritudo videatur. Nã quomodo eſt oculus carnis vnde lux iſta videatur, ſic eſt oculus cordis vnde illa iucũditas videatur.* Quicũque ergo diros impiorum cruciatus vult effugere, & ſecura cum iuſtis conſcientia gaudere, pacem à Domino oblatam non reijciat. Niſi enim cupiditatibus renunciaueris carnis, & hanc pacem admiſeris, perturbari miſerè & cruciari neceſſe eſt, cum illis de quibus per Ezechielem dicitur. *Ergo & tu porta confuſionem tuam, quæ viciſti ſorores tuas peccatis tuis, ſceleratius agens ab eis.* Pro quo Septuaginta ſic tranſtulerunt. *Ergo & tu ſuſtine tormentũ tuũ, quod corruperis ſorores tuas in peccatis tuis, quibus inique egiſti ſuper eas.* Portat autem tormentum ſuum, vt notauit Hieronymus, qui propria torquetur conſcientia, & in iſto ſæculo ſuſtinet propria voluntate cruciatum. Vndè & ſanctus Iob in perſona peccatoris loquẽs, ait: *Quare lacero carnes meas dentibus meis? quare tacens conſumor. Tacens conſumitur* (inquit Gregorius) *qui de ſtulta ſe cogitatione reprehendens, apud ſemetipſum dente conſcientiæ mordetur. Ac ſi apertè dicat: ſic vixi, vt accuſatorem exterius nullum timerem: vtinam ſic vixiſſem, vt intra memetipſum accuſatricem conſcientiam non haberẽ. Tacens enim conſumitur, qui intus in ſe inuenit vndè vratur.*

Aug. ſup. Pſal. 96. in illa verba, & rectis corde læti[tia]. to. 8.

Gaudium impiorum fallax.

Hier. 17

Ezech. 16. f

Hieron.

Iob. 13. c

Greg. 11. moral. ca. 19.

# CAPVT LVIII.

1\. CLAMA, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem
tuam,& annũcia populo meo ſcelera eorum,
& domui Iacob peccata eorum. 2. Me ete-
nim de die in diem quærunt, & ſcire vias
meas volunt: quaſi gens, quæ iuſtitiam fe-
cerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit:
rogant me iudicia iuſtitiæ. & appropinquare
Deo volunt. 3. Quare ieiunauimus, & non
aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, &
neſciſti? Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & om-
nes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiuna-
tis,& percutitis pugno impie. 4. Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc
diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. 5. Numquid tale eſt ie-
iunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? 
numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum,& cine-
rem ſternere? numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabi-
lem Domino? 6. Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? diſſol-
ue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte
eos, qui confracti ſunt,liberos,& omne onus dirumpe. 7. Frange eſu-
rienti panem tuum, & egenos, vagoſq. induc in domum tuam: cum
videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. 8. Tunc
erumpet quaſi mane lumen tuum,& ſanitas tua citius orietur, & an-
teibit faciem tuam iuſtitia tua,& gloria Domini colliget te. 9. Tunc
inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum.
10\. ſi abſtuleris de medio tui catenam,& deſieris extendere digitum,
& loqui quod non prodeſt. Cum effuderis eſurienti animam tuam,
& animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tene-
bræ tuæ erunt ſicut meridies. 11. Et requiem tibi dabit Dominus
ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam,& oſſa tua liberabit,
& eris quaſi hortus irriguus,& ſicut fons aquarũ,cuius non deficient
aquæ. 12. Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum: fundamenta
gene-



generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſe-
mitas in quietem. 13. 14. Si auerteris à ſabbato pedem tuum, facere
voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris ſabbatum delica-
tum,& ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum dum non
facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem:
Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines
terræ, 15. & cibabo te hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini
locutum eſt.

## SVMMA CAPITIS.

*MORALEM ſermonem proponit in hoc capite Iſaias, inſtruens populum circa iuſtitiam, eleemoſynam,& orationem, atque alias virtutes, & in primis, ſimulationem eorum reprehendit, qui de vijs perfectionis inquirunt, cum tamen mandata Dei ſeruare negligant. de quo in principio capitis.*

*Secundò, explicat, in quo verum atque Deo acceptum conſiſtat ieiunium; non enim in ſubtractione dumtaxat corporalis alimenti, ſed multo magis in mortificatione propriæ voluntatis, & omnium paſſionum ſubiectione eſt poſitum, & in operibus miſericordiæ, quæ Deo acceptiſſima eſſe declarat. Agit de hoc ab illo verſiculo,* Quare ieiunauimus & non aſpexiſti? *vſque ad verſiculum,* cum videris nudum, operi eum.

*Tertiò, denunciat magnum præmium in patria cæleſti miſericordiam diligentibus paratum eſſe. Verſiculo.* Tunc erumpet quaſi mane.

*Quartò, tantam vim atque efficaciam miſericordiæ eſſe affirmat, vt orationes faciat Deo acceptas; qui enim pauperes clamantes exaudiunt, exaudientur & ipſi, cum ad Deum preces effuderint. Verſiculo,* Tunc inuocabis & Dominus exaudiet te. *Vbi etiam multa priuilegia eorum, qui liberales ſunt in pauperes, ſubſcribit.*

*Quintò, Explicat, in quo verus Dei cultus conſiſtat, & declarat quale futurum ſit præmium eorum, qui in ſpiritu & veritate adorant Deum. Verſiculo.* Si auerteris à Sabbato pedem tuum, &c. *vſque ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1\. *CLAMA, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorũ, & domui Iacob peccata eorum.* Quanto maior fuerit ægritudo populi, & obduratio eius diuturnior, tanto vehementior adhibenda eſt medicina. Quia ergo malitia creuerat Scribarum & Phariſæorũ, ideo Dominus alta voce clamare iubet contra eos Prophetam, & liberè abſque vlla trepidatione peccata eorum arguere, etiam ſi illi prohibeant, & contra clamantẽ inſurgant, obediendum enim eſt Deo magis quàm hominibus. Quod Iſaiæ præcipitur, omnibus prædicatoribus Euangelij dictum puta. *Clama*, ideſt, ne frigidè arguas peccatores, & in ænigmatibus atque obſcurè, ſed vocem apertam pronuncia, quæ facile poſſit ab omnibus percipi. *Ne ceſſes*, ſi ad verba tua non fuerit peccator conuerſus, iterum atque iterum *Clama, Prædica verbum opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Aquila & Symmachus transferunt: *Guttur tuum verte in buccinam.* Vox tubæ ſonora eſt, virilis, & intrepida: Talis ergo ſit prædicatio tua, ne ſeruiliter aduleris, ne veritatem celes, quod eſt ſerui infidelis opus. Iuxta explicationem Hieronymi, quaſi tuba exaltare vocem Propheta iubetur: quoniam bella ventura erat annunciaturus; aut vero quoniam loquuturus erat cũ populo qui morabatur deorſum. *Clama* (inquit) quoniam periculum eſt tacere, & blandè loqui obduratis inutile. Vulgares iam ac placidas redargutiones ſæpius audierũt, & contraxerunt collum ad illas. *Exalta vocem* acriter arguendo. *Ne ceſſes*, ne parcas: *annuncia populo meo*, ideſt, qui vult videri meus, & apparere bonus, cum ſit iniquus. Secundum Hieronymum, *appellatur populus Dei, vt diſcat, qualem patrem perdiderit, qui etiam peccatorem vocat populum ſuum.* Dicito illi *ſcelera eorum*, quæ ipſi non vident, nec conſiderant: *Et domui Iacob*, quæ vitam contemplatiuam, cuius Iacob typum geſſit, ſe elegiſſe gloriatur. huic detege quæ cõmiſit peccata, ne inter canes mutos *non valentes latrare* computeris: & ſocius eorum ſis, quos Dominus per Ezechielem redarguit. *Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec poſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* vbi Gregorius: *Ex aduerſo* (inquit) *aſcendere, eſt pro defenſione gregis voce libera huius mundi poteſtatibus contraire. Et in die Domini in prælio ſtare, eſt prauis decertantibus ex iuſtitiæ amore reſiſtere. Paſtori enim recta timuiſſe dicere, quid aliud eſt quam tacendo terga præbuiſſe? Qui nimirum, ſi pro grege ſe obijcit, murum pro domo Iſrael hoſtibus opponit. Hinc rurſum delinquenti populo dicitur: Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperuerunt iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Prophetæ quippe in ſacro eloquio, nonnumquam Doctores vocantur, qui dum fugitiua eſſe præſentia indicant, quæ ſunt ventura manifeſtant. Quos Diuinus ſermo falſa videre coarguit: quia dum corripere culpas metuunt, incaſſum delinquentibus promiſſa ſecuritate blandiuntur, qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt: quia ab increpationis voce conticeſcunt. Clauis quippe apertionis, ſermo correptionis eſt: quia increpatio culpam detegit, quam ſæpe neſcit ipſe etiam qui perpetrauit: Hinc Paulus ait: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt redarguere.*

Prædicatorũ vox ſit intrepida.

2.Tim.4 a

Hieron.

Iſa. 56.

Ezech. 13.

Greg. lib. 2 paſtoralis curæ. ca. 4. tom. 1.

aſcendere ex aduerſo quid ſit.





1.Tim.3

2 *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit:* Aſſignat rationem propter quam clamare debuit Propheta: Quia videlicet cum Scribis & Phariſæis, cum hypocritis, & peruerſis hominibus erat loquuturus. Hypocritæ namque difficilius corriguntur, etiam ſi cæleſtis doctrinæ & diſciplinæ ſe ſimulent cupidiſſimos. Duplex eſt eorum iniquitas: nam abominabiles ſunt apud Deum, & iuſtos ſe eſſe mentiuntur. Vnde eo grauius peccatum comittunt quo magis cũ veritate pugnant. Hi ſunt qui frequentant templa, qui ſimulant longas orationes in angulis platearum, qui in examinandis mandatis Dei ſeipſos occupant, cum tamẽ *iudicium Dei*, (ideſt) veram iuſtitiam dereliquerint: quorum perſonã agens, *interrogauit Ieſum vnus ex eis legis doctor tentans eum, Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Simpliciſſimus interrogator, & malignantiſſimus inſidiator de magno mandato interrogat, qui nec minimum obſeruat: Ille enim debet interrogare de maiori iuſtitia, qui iam minorem compleuit.* Non minori calliditate, quidam alius legis peritus ſurrexit, tentans Ieſum; & dicens. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Hos tangunt, immò, & transfigunt verba ſequentia. *Rogant me iudicia*, (ideſt) præcepta iuſtitiæ, *& appropinquare Deo volunt*, non quidem voluntate efficaci, ſed velleitate quadam, & ſimulata voluntate. Vocat *iudicia*, præcepta ipſa, quoniam per illa iudicabuntur reprobi. Scriptum eſt enim. *Quicumque in lege peccauerunt; per legem iudicabuntur.* Tales ergo iubet Dominus reprehendere, & peccatorum *annunciari*, clara, alta, & intelligibili voce.

Hypocritarũ duplex iniquitas.

Matth. 22. d

Chryſoſt. hom. 42. imperfecti in Matth. poſt med. tom. 2.

Luc. 10.

Rom. 2. b

3 *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce, in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.* Proponit his verbis quandam impiam hypocritarum querimoniam, & eam ſapienter diſſoluit. Soliciti erant Iudæi circa externum Dei cultum, ſeruabant ieiunia ſtatutis diebus, orabant, & nihil externæ iuſtitiæ ſe arbitrabantur præterire: Ex alia parte multos patiebantur aduerſariorum inflictus, innumeriſque periculis ſe videbant expoſitos. Fluctuabant ergo, & conquerebantur, quod ſeruantibus legem, & iuſtitiam facientibus tot acciderent mala, & dicebant: *quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?* (ideſt) quare non ſuſcepiſti benignè ieiunia noſtra, nec miſertus es nobis iuſtitiam facientibus. aſpicere enim Dei, miſereri eſt. Non diu latet hypocriſis, & ſuperbia, ſed ſignis & verbis, ſuam facile malitiam detegit. Proprium eſt

Hypocriſis diu latere non poteſt.

hypocritis, intumeſcere, & ſua magnificare ieiunia, atque bona opera oſtentare. Vnus ex illis *ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum; raptores, iniuſti, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Iniuria denique ſe affici arbitrantur, ſi non exaudiantur eorum orationes, & contra Deum obmurmurant in aduerſis, fiduciamque in proprijs operibus habent, nec vllum reputant hoc eſſe peccatum. Humiliare animas, eſt caſtigare corpus, & iacere, vt inferius dicitur, & cinerē ſternere. Dominus autē reſpōdet illis: *Ecce in die ieiunij veſtri, &c.* Ac ſi apertius dicat. Ieiuniū mihi gratum & acceptum, eſt abſtinentia à prauis affectibus, à cupiditatibus, & vitijs carnalibus, ab auaritia & contentione, ab odio & inuidia. At vos ò Phariſæi, ò hypocritæ, interim dum ieiunatis, veſtram expletis voluntatem, non deſiſtitis ab auaritia & rapina, à contētionibus & pugnis, & cum ieiunio creſcit veſtra in pauperes crudelitas: nam litigatis & contenditis cum fratribus, atque in carcerem conijci facitis. Ex hoc loco elicitur, non ſemper eſſe cum fratribus litigandum, quamuis aliquando propter iniuriam, & violentiam vitandam, ne lædatur iuſtitia, & innocens iniuria afficiatur, id fit licitum. Propter quod Apoſtolus hortatur, vt iuri noſtro cedamus aliquando, propter bonum charitatis & religionis Chriſtianæ. *Frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis iniuriam patimini?* Ieiunare ad contentiones, eſt ex contētione ieiunare, & ſingularitate quadam pernicioſa ieiunium oſtentare, atque animo explendi propriam voluntatem, quod Hiſpane dicitur, *ayunar por tirria*, Quod etiam alijs verbis Zacharias explicuit, dicens: *Cum ieiunaretis, & plangeretis, in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos: numquid ieiunium ieiunaſtis mihi?* Non enim Deo, ſed ſibi ieiunant, qui non Dei, ſed ſuam ieiunando adimplent voluntatem. Vnde Bernardus: *Qui in ſua fortè inuicti obſtinatione perdurant indiſcretius abſtinentes, & ſingularitate mutabili conturbantes eos cum quibus habitare debent vnius moris in domo, haud ſcio ſanè an ſe exiſtiment pietatem retinere, cum huiuſmodi mihi videantur & longius abiecisse. Nam qui ſapientes in oculis ſuis decreuerunt apud ſe nec conſilio acquieſcere, nec præcepto, videant quid reſpondeant, non mihi, ſed dicenti, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus Idolatriæ, nolle acquieſcere. Præmiſerat autē, quia melior eſt obedientia quàm victima, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum, id eſt abſtinentiam contumacium. Vnde Dominus per Prophetam: Numquid manducabo, ait, carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Significans minime ſibi accepta fore ieiunia ſuperborum, vel immundorum.* Et explicans illud, *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliūtur vineas*. Notabilem quorumdam fratrum ſuorum, ſuperſtitioſamque abſtinentiam damnat, ex qua ſe omnibus, ſibique omnes moleſtos reddūt.

4 *Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter.* Docet, ieiunium & orationem, quæ pietatem comitem habet & iuſtitiam, efficaciſſimam eſſe apud Deum. Vnde Angelus Raphael Tho-

Luc. 18. c

Ieiunium Deo gratū quale ſit.

1. Cor. 6. b

Ieiunare ad contentiones quid ſit.

Zac. 7. b

Bernard. ſerm. 33. in Cant. poſt med.

1. Reg. 15. c

Ibid. a

Cant. 2. d

Idem ſer. 64. in Cāt. colum. 2.

Ieiunium quam ſit vtile.



Tobiæ: *Bona (inquit) eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere.* Ex quibus verbis infert Auguſtinus. *Vt accepta ergo poſſit eſſe oratio, conſortium vult ſecum habere ieiunij. Et quia nihil horum ſine pietate firmum eſt, adiecit, & eleemoſyna cum iuſtitia: vt eleemoſyna, ſeruata iuſtitia, commendet orationem cum ieiunio. Denique orationem & ieiunium Cornelij miſericordia commendauit. Ipſe enim abundans operibus ſeu copijs ieiunabat, ſed & non habentes paſcebat, vt illorum ſaturitas, ieiunium eius faceret acceptabile. Nullis ergo indigere, & nonnullis carere debet ieiunium, vt poſſit mereri quod poſtulat.* Ex hoc tamen loco Iſaiæ, impij hæretici Lutherani, occaſionē ineptè ſumpſerunt damnandi ieiunia Eccleſiaſtica, non aduertentes, Prophetam, nō ieiunium damnare, ſed vanam præſumptionem eorum, qui ex eo quod ita ieiunarent, credebant ſe ſanctos & immunes à peccato, etiam ſi fratrem pro recuperanda pecunia ſuffocarēt, & pugno contenderent aduerſus eū. Ideò non dixit abſolute, *Nolite ieiunare*; ſed addidit, *ſicut vſque ad hanc diem:* Quaſi dicat: non abſtineat ſolum corpus à cibo, ſed multo magis anima ieiunet à peccato. Vndè & ſubditur.

5 *Numquid tale eſt ieiuniū quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino.* Graphice depingit ſuperſtitioſum Phariſæorum ieiunium, notans habitum eorum & geſtus. Pallore quodam & triſtitia vultus oſtentare cupiunt internum dolorem. Et ideò Dominus: *Cum ieiunatis,* (inquit) *nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas,* (id eſt) à propria & naturali diſpoſitione diſtrahunt, *vt appareant hominibus ieiunantes.* Caput demittūt, atque in terram deflectunt, vt appareant humiles. hoc enim eſt, *contorquere quaſi circulum caput*: quod Pagninus vertit. *Numquid vt curuet quaſi iuncum caput ſuum?* Et loquitur, Sumpta ſimilitudine à iunco qui flaceſcere incipit & ſe dimittere, atque in terram cadere. Narrat præterea alia externa pœnitentiæ ſigna, vt ſpargere caput cinere, cilicio vti, & dormire in puluere: quibus nimirum teſtantur homines ſummam humilitatem. verum Deus qui intuetur cor, hæc omnia pro nihilo habet, niſi adſit pietas erga Deum, & miſericordia circa proximū. *Quid enim prodeſt tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quam laudē merebimur de pallore ieiunij, ſi inuidia ſimus liuidi? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atque odio inebriari?*

6 *Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui cōfracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe.* Reprobato ſuperſtitioſo ieiunio, oſtendit, quale ieiunium ſit Deo acceptabile, illud videlicet, quod eſt cum charitate & pietate coniunctum, & miſericordiæ operibus ornatum. Et in primis vult ne ſimus debitoribus moleſti, præſertim pauperibus, nec imitemur crudelitatem ſerui illius, qui *egreſſus inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens: redde quod debes.* Noli ergo, propter paruam pecuniæ quantitatem, fratrem conijcere in carcerem, aut bona illius vilius ven-

Tob. 12.

Aug. q. 120 de vtroque mixtim in fine. to. 4.

Ieiunia Eccleſiaſtica damnant Lutherani

Ieiunium ſuperſtitioſum notatur.

Matt. 6. b

Hieron. ep. 14 ad Celantiā to. 1

Ieiunium quas debeat habere conditiones.

Matth. 18. d

vendere, vel per excommunicationē
à menſa dominica arcere, cum decem
millium talentorum ſis debitor. Quo
modo enim debiti tui remiſſionem
impetrabis à Domino, ſi tam ſeuerus
in fratres tuos fueris exactor? Et ſpe
cialiter prohibet, ne fœnore iniquo,
atque exactionibus iniuſtis indigen-
tes oneremus. Hoc ſignificant verba
illa, *diſſolue colligationes impietatis*,
(ideſt) chyrographa ſimul ligata, &
creditorum obligationes, iniquas vſu
Hieron. ras continentes, (vt exponit Hiero-
nymus) quas etiam appellat *faſcicu-
los deprimētes, & omne onus*, eo quod
pauperes deprimant, & onerent ſu-
pra vires ſuas. Huic explicationi ap-
plaudit tranſlatio ſeptuaginta inter-
pretum. *Solue omnem colligaturam
iniquitatis: diſſolue obligationes vio
lentarum cautionum, dimitte confra-
ctos in remiſſione, & omnem ſcriptu-
ram iniquam conſcinde*. Pro quo
Symmachus tranſtulit. *Et omnem
cautionem falſam diſrumpe*. Quod
autem ait, *dimitte eos qui confracti
ſunt liberos*, idem eſt, quod, ne deti-
neas in carcere eos qui non poſſunt
ſoluere: quos nimirum confractos di-
cit; quia fidem fregiſſe videntur, ſta-
tuto tempore non ſoluendo; aut ve-
ro, quoniam fractæ ſunt eorum vires,
qui in ſummam paupertatem incide-
runt. hos Hyſpano ſermone dicimus,
*Hombres que han quebrado*. Aliter,
per *colligationes impietatis*, poſſunt
intelligi impietates colligantes ani-
mam, ideſt peccata, quibus ligatur
*Prou. 5.* animus, iuxta illud, *funibus peccato-
rum ſuorum quiſque conſtringitur*.
Et idē ſignificant, *faſciculos depri-
mentes, & omne onus*: quia (vt ſupe-
cap. 1. nu. 17. rius diximus) nihil magis aggrauat
animam quam culpa. Vt ergo ieiu-
nia noſtra ſint Deo grata, non ſolum
ieiunare debet corpus, à cibis abſti-
nendo, ſed multo magis anima, repe
lendo peccata, atque de illis verè pœ
nitendo: Vnde Bernardus. *Si gula* Bern. ſer. 3. de ieiunio Quadrageſima
*ſola peccauit, ſola quoque ieiunet, &
ſufficit: ſi vero peccauerunt & mem
bra cætera, cur non ieiunent & ipſa?
Ieiunet ergo oculus, qui deprædatus
eſt animam, ieiunet auris, ieiunet lin
gua, ieiunet manus, ieiunet etiam ani
ma ipſa. Ieiunet oculus à curioſis
aſpectibus, & omni petulantia: vt be-
nè humiliatus, coerceatur in pœniten
tia, qui malè liberè vagatur in culpa.
Ieiunet auris nequiter pruriens à fa-
bulis, & rumoribus, & quæcumque
otioſa ſunt, & ad ſalutem minimè
pertinentia. Ieiunet lingua à detra-
ctione, & murmuratione, ab inutili-
bus, vanis, atque ſcurrilibus verbis.
Ieiunet manus ab otioſis ſignis, & ab
operibus omnibus quæcumque non
ſunt imperata. Sed multo magis ani-
ma ipſa ieiunet à vitijs, & propria
voluntate ſua. Etenim ſine ieiunio
hoc cætera à Domino reprobantur.*
Ieiunauerunt Iudæi, ieiunauerunt Ni
niuitæ, ſed illi magis ad iracundiam
Deum concitauerunt, iſti verò ma-
lum, quod illis decreuerat inferre Do
minus, auerterunt. Et quomodo, in-
quis ieiunauerunt? ad vnius Prophe-
tæ vocem clamantis, *Adhuc quadra* *Ionæ 3. b*
*ginta dies, & Niniue ſubuertetur.
Crediderunt viri Niniuitæ in Deū,
& prædicauerūt ieiunium, & veſti-
ti ſunt ſacco à maiori vſque ad mino-
rem. Et peruenit verbum ad Regem
Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, &
abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & in-
dutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et
clamauit, & dixit, in Niniue ex ore
Regis & principum eius, dicens: ho-
mines, & iumenta, & boues, & peco-
ra non guſtent quidquam: nec paſcan
tur, & aquam non bibant. Et ope-
riantur ſaccis homines, & iumenta,*





*& clament ad Dominum in fortitu-
dine, & conuertatur vir à via ſua
mala, & ab iniquitate, quæ eſt in ma-
nibus eorum*. Quæ verba exponens
Chryſoſt. hom. 3. ad populū circa med. to. 5. Chryſoſtomus ait: *Quid eſt quod in-
euitabilē illam iram ſoluit, num ieiu
nium ſolum & ſaccus? Non eſt dicen
dū, ſed totius vitæ mutatio. Vnde hoc
manifeſtū? Ab ipſis propheticis verbis
De Dei enim ira locutus, & illorum
ieiunio, idem conciliationē & cōcilia-
tionis cauſam dicens, ſic inquit; & vi
dit Deus opera ipſorum. qualia ope-
ra? quod ieiunauerunt? quod ſaccum
induerunt? Nihil horum, ſed hæc om-
nia tacens, inquit; quoniam conuer-
ſus eſt quiſque à vijs ſuis malis, pœni-
tuit mali, quod dixerat facere ipſis
Dominus. Cernis quod non ieiunium
periculo eripuit, ſed vitæ mutatio Deū
barbaris placatum, & beneuolū red-
didit?*

7 *Frange eſurienti panem tuum,
& egenos, vagoſque induc in domum
tuam: cum videris nudum, operi eū,
& carnem tuam ne deſpexeris*. Oſten
dit, vt ieiunium noſtrum ſit Deo ac-
ceptum, non ſatis eſſe declinare à ma
lo, ſed etiam oportere bonum facere.
Vera enim iuſtitia, vtrumque comple
*Pſal. 36. c* ctitur. vtrumque præcipit, *declina
à malo & fac bonum*. Non ſufficit il-
los dimittere, quos affligis iniuſtè:
benefaciendum eſt inſuper illis, qui
tua indigent miſericordia. Hinc per
*Ioel. 1.* Ioelem dicitur, *Sanctificate ieiuniū*,
operibus videlicet miſericordiæ. *Ie-
iunium quippe ſanctificare*, (vt no-
S. Greg. hom 16. in Euang. & lib. 3 paſtoral. cap. 20. tauit Gregorius) *eſt, adiunctis bonis
alijs, dignam Deo abſtinentiam car-
nis oſtēdere. Frange eſurienti*, (ideſt)
cuicumque indigēti, abſque delectu,
etiam extraneo, *panem tuum. Fran-
Aug. ſerm. 62. de tēp. ge panem* (inquit Auguſtinus) *non
dixit, vt integrum daret, cum fortè
pauper ille alium non haberet; ſed
frange* (inquit) *hoc eſt dicere. Etiam
ſi tanta paupertas tibi eſt, vt non ha-
beas niſi vnum panem, ex ipſo tamen
frange, & pauperi tribue*. Vnde & To
bias filio ſuo, *Quomodo potueris, ita* *Tob. 4.*
*eſto miſericors. Si multum tibi fue-
rit, abundanter tribue. Si exiguum
tibi fuerit, etiam exiguum libenter
impertiri ſtude. Frange panem*. Et,
vt notauit Hieronymus, propterea
addidit *tuum*, vt te admoneat, ne de
rapina facias eleemoſynam, iuxta il-
lud, *Redemptio animæ viri, propriæ* *Prou. 13*
*diuitiæ*. Hinc ſanctus Tobias filio *Tob. 4. b*
ſuo tale documentum reliquit. *Ex
ſubſtantia tua fac eleemoſynam, &
noli auertere faciem tuā ab vllo pau-
pere: ita enim fiet, vt nec à te auerta-
tur facies Domini*. Et Sapiens, *Ho-* *Prou. 3. b*
*nora* (inquit) *Dominum de tua ſub-
ſtantia, & de primitijs omnium fru-
gum tuarum da ei. De ſubſtantia
tua*, (inquit) non ex ſubſtantia alie-
na: nam talis eleemoſyna abomina-
tio eſt apud Deum. Vndè Auguſti- Aug. ſerm. 62. ad fratres in Eremo. to. 10.
nus: *Multi ſunt, qui de alienis lacry-
mis eleemoſynas facere ſe ſperant,
vnum exſpoliant, alterum veſtiunt,
vnum inanem faciunt, alium alie-
nis reficiunt. Eleemoſyna cum ini-
quitate acquiſita abominatio eſt apud
Deum. Qui de iniquitate miſeri-* Eleemoſyna qualiter faciēda ſit.
*cordiam facere putant, nihil eſt apud
Deum*. Et ſanctus Hieronymus: *mul* S. Hieron. ſup. hunc locum.
*ti multa pauperibus, ſed de aliena
ſubſtantia, ac frugibus, quas vi, vel
fraude rapuerunt, tribuunt. Multi
largiuntur de ſuo, ſed largiendo Do-
minum non honorant, quia fauoris hu
mani, & non amore ſuperni inſpecto-
ris faciunt. Qui ergo proficuum ſibi
eleemoſynæ fructū fore deſiderant, &
de ſuis proprijs, & in Conditoris hono
rem tribuant*. Lege quæ circa hoc di-
ximus ſupra. Dicit præterea, *pa-* Sup. cap 1. nu. 34. 45
*nem tuum*, vt ſignificet, illam partem

panis, quam non comedis, quia ieiunas, pauperibus eſſe tribuendam, non ex auaritia reſeruandam. Quod pulchrè his verbis notauit Ambroſius,

Ambr. ſer. 33 de Quadrageſima.

*Illud etiam fratres ad perfectionem ieiunij tacendum non eſt, vt qui abſtinemus, & minimè prandemus, hoc tempore prandia noſtra pauperibus prærogemus. Hæc enim eſt vera iuſtitia, ſi, te eſuriente, de cibo tuo alius ſatietur, & in prædictis tuis ieiunijs Dominum roges, & ille pro te ſatiatus exoret. Vtrumque tibi proficiet, & tua fames, & ſaturitas mendicorum. Cæterum qui ſic abſtinet, vt nihil pauperibus de ſuis epulis largiatur, videtur quæſtum ſibi ſuum feciſſe ieiunium.* Et ſanctus Gregorius.

Greg. lib. 3 paſt. curæ, admonitione 20 & homilia 16. ſuper Euãgelia.

*Admonendi ſunt abſtinentes, vt nouerint, quia tunc placentem Deo abſtinentiam offerunt, cum ea quæ ſibi de alimentis ſubtrahunt, indigentibus largiuntur. Solerter namque audiendum eſt, quod per Prophetam Dominus redarguit, dicens: Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto & ſeptimo menſe, per hos ſeptuaginta annos, numquid ieiuniũ ieiunaſtis mihi? Et cum comederitis, & biberitis, numquid non vobiſmetipſis bibiſtis? Non enim Deo, ſed ſibi quiſque ieiunat, ſi ea quæ ventri ad tempus ſubtrahit, non egenis tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit.* Sequitur. *Et egenos vagoſque, &c.* Inuitandi enim ſunt pauperes, & contemptibiles, qui te reinuitare nequeunt. Non expectes, quod pauper ad domum tuam clamans accedat. præueni illum: nam, vt Auguſtinus ait:

Zach. 7.

Aug. hom. 39. tom. 1.

*Perfecta miſericordia eſt, vt ante occurrat eſurienti cibus, quàm roget mendicus. Non enim eſt perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur, ſed ſi tacet mendicus loquitur pallor in facie.* Occurre ergo illis, idquè ex quodam charitatis affectũ, & non ex triſtitia, aut ex neceſſitate. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Ideo ſubdit; *Et carnem tuam ne deſpexeris*, vt ſciamus, quod ſicut, *nemo vmquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fouet eam*, ita fouendi ſunt pauperes, & nutriendi velut *caro* propria, iuxta illud Domini præceptum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Præterea etiam ſignificare voluit, conſanguineos non eſſe deſpiciendos, quia pauperes ſunt & egeni, quoniam, cæteris paribus, magis grata Deo eſt eleemoſyna pauperibus conſanguineis ex charitate facta, quàm extraneis. Quod ſi forſitan panem non habes, vt tribuas indigenti, nec veſtimentum, quo nudum operias, eſt tamen tibi domus, ſaltem in vno angulo eius præpara lectulum peregrino. *Ideo namque* (vt notauit Auguſtinus) *ſubiunxit, & egenos vagoſque induc in domum tuam.*

Eph. 5. g

Aug. ſerm. 62. de temp.

8 *Tunc erumpet quaſi mane lumẽ tuũ, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* In Euangelio operibus miſericordiæ æterna promittitur beatitudo. *Dicet enim. Rex ijs, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui, & dediſtis mihi libere: hoſpes eram, & collegiſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.* Non aliter Iſaias vitam æternam promittit, & lumen indeficiens, miſericordiam facientibus. *Tunc* (inquit) cum omnia quæ prædixi perfeceris, *Tunc erumpet lumen tuum. lumen*, inquam, beatificum, *lumen gloriæ*, de quo ſcriptum eſt, *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Vbi notandum cum beato Chryſoſtomo, *quod*

Matth. 25. c

Pſal. 35.

H non



*non dixit. Tunc apparebit, ſed tunc erumpet* vel vt ipſe Chryſoſtomus legit, *tunc ſcindetur matutinale lumen tuum, vt velocitatem ſcilicet, & copiam dantis exprimeret: vtque hoc verbo intelligamus valdè illũ noſtræ ſalutis cupidum eſſe, quodque muneribus plenus ex largiendi feſtinatione quaſi prorumpit, cũ nihil ſit, quod ineſtimabile dandi deſiderium prohibere poſſit. quibus omnibus infinitam profectò bonorum copiam paratam nobis eſſe oſtendit.* Tunc ſanitas tua, ideſt ſanctitas, quæ ſalus eſt animæ, & cupiditates carnis, quæ impeditam habebãt animam ab omni motu iuſtitiæ, procul pellit, orietur in te citius. Et ſanitas illa perfecta, qua corpora beatorum fruetur in patria, vbi: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Vbi reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Denique *iuſtitia tua*, ideſt eleemoſyna, præibit ante te, & parabit tibi locum in cæleſti patria. Anteibit te illuminando, viam parando, & oſtendendo, atque etiam deducendo ad portum ſalutis. In ſumma, ſi miſericors fueris, *gloria Domini*, (ideſt) glorioſus Dominus, *colliget te* (ideſt) congregabit ad populum ſuum, atque in ſinu ſanctorum conſtituet. vel, iuxta Septuaginta, *& gloria Domini circumdabit te.* Alij ſic explicant. *Colliget te*, ideſt, tuos cineres, in quos mortale corpus reſolutum eſt. Sed prima explicatio altior eſt, & magis communis. Addam aliã, quæ forſitan non diſplicebit. *Gloria Domini colliget te* (ideſt) in cæleſti gloria totus eris in vnum collectus, qui in vita mortali diſtractus eras in plura; Cor tuum, & caro tua exultabunt in Deum viuum, & omnia oſſa tua dicent, *Domine, quis ſimilis tibi?* Omnes vires animæ tuæ in vno ſummo bono quieſcent, nec oculi tui deprędabuntur amplius animam tuam. Vide quot bona parata ſint illis, qui ſunt miſericordes in pauperes. Hinc colligit Auguſtinus magnum prædeſtinationis ſignum eſſe miſericordiã. *Numquam recordor* (inquit) *me legiſſe mala morte periſſe, illum qui libenter in hac vita opera charitatis, vel pietatis voluit exercere. Habet enim multos interceſſores pius homo, & ille, qui opera charitatis exercet hilariter. Quid enim aliud de pijs hominibus dicere poterimus, niſi id quod frequenter legimus. Opera enim illorum ſequuntur illos? Quare, niſi, quia multos habent interceſſores. Ideò impoſſibile eſt, vt preces multorum nõ exaudiantur, &c.* Et infra. *Cupis autẽ ò homo, vt tui miſereatur Deus? fac vt proximo miſerearis. Nam tantum tibi miſerebitur Deus, quantum & tu miſereberis proximo. Tantum recipies in alia vita, quantum facies in præſenti vita.* Vndè & Tobias ait: *Quoniam eleemoſyna, ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.*

Chryſoſt. hom. 55. ſup. Matt. col. vlt.

Beatitudo patriæ qualis.

Apoc. 21 b

Pſ. 34. b

Eleemoſynas facientes non peribunt in æternum. Aug. ſerm. 44. ad frat. in eremo in principio. to. 10.

Apoc. 14

Tob. 4. b

9 *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum.* Vide contrapoſitionem rerum. Cum ieiunas, & caſtigas corpus tuum, reſeruans auaritiæ, nec pauperi tribuens, quod à proprio corpore detraxiſti, non exaudiris à Deo, quamuis clames, quamuis ieiunes; Verumtamen eſto miſericors, dilige proximum tuum ſicut teipſum, foue illum velut carnem tuam, & clama, atque inuoca Dominum, & videbis, quod exaudieris ſtatim, aderitque

Orationes iunctæ eleemoſynis ſunt efficaciſſimæ.

[illegible] Domi-

Prou.21 b Dominus, vt te adiuuet. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur*. Qui vero abſcondit eleemoſynam in ſinu pauperis, propitium, cum clamauerit, inueniet Dominum. Eccl.29. b *Concl ude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Luc. 11. Hinc & Saluator: *Pulſate* (inquit) *& aperietur vobis*. Prius dixerat: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis*. & poſtmodum adiecit: *Pulſate*, operibus videlicet miſericordiæ, *& aperietur vobis*, ianua cæleſtis. *Pulſat enim Deum* (vt Chryſoſtomus ait) *qui facit bona opera ante Deum, oratione, ieiunijs, & eleemoſynis. Sicut enim, qui pulſat oſtium, non tantum voce clamat, ſed & manu, ſic qui bona opera facit, quaſi manu pulſat Deum operibus bonis. Scriptum eſt enim; concupiſce ſapientiam, ſerua iuſtitiam, & Deus præbebit eam tibi.* Et homilia 67. ad populum. *Aſcendentibus in templũ, vt orarent, dictũ eſt. Nõ apparebis vacuus corã Domino Propterea pauperes ante fores poſiti ſunt, ne quis vacuus ingrediatur, vt introeat cum eleemoſyna. Si vt miſericordiam conſequaris, intras, prius miſerere. Fac tibi Deum debitorem, & tunc eum pete, vt cum fœnore recipias. Mutua, & tandem Deum repete. Non in manuum extenſione ſatis eſt audiri. Extende manus tuas non in cælum, ſed ad pauperum manus. ſi ad pauperum manus extenderis manum, ipſum cæli verticem tetigeris: qui enim illic ſedet, eleemoſynam ſuſcipit; ſi vero porrexeris vacuas, nihil proficies. Cum ergo defeceris orans, & non acceperis, cogita, quoties pauperem audiſti te petentem, & non exaudiſti, & indignatus ille non eſt, nec te contumelijs affecit. Et tu quidem hoc*

Chryſoſt. homil. 18. imperfecti, in Matth. column. 2.

Eccli.1.d

Idẽ homil. 79. ad pop colum 1.

Tomo I.

*ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate.*

10 *Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt. Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies*. Ideſt, ſi *de medio tui*, & de congregatione tua, *catenam* peccatorum tuorum, quibus ligatus es, abſtuleris: vel, *catenam* (ideſt) tyrannidem, & iugum, quo egeni grauantur, & pauperes. *Si deſieris extendere digitum*, ideſt, mala aduerſus proximum machinari. aut in electionem indigni conſentire. Per extenſionem manus, aut digiti, intelligit impias confœderationes, &, vt vocãt, practicas in ordinãdis & creãdis magiſtratibus, clericis, vel Epiſcopis. In hoc ſenſu aſſerit Hieronymus, verbum illud eſſe accipiendum: quia plerique pro digito, ordinationem clericorum tranſtulerunt, quæ ad impoſitionem manus impletur. Iuxta illud. *Manus citò nemini impoſueris*. 1.Tim.5 Digiti etiã extenſio omnes ſignificat ſpecies iniuriæ. Dicimur enim emittere digitum, cũ minamur proximis, aut crudeliter ipſos tractamus. & loquitur ſumpta metaphora ab hominibus iratis, & cum alijs contendentibus, qui digitos extendunt, quaſi volentes eorum oculos eruere. ita Forerius. Multo magis propria videtur aliorum explicatio qui dicunt, *extendere digitum*, idem eſſe quod proximum infamare, & notare deffectus illius: ſicut faciunt nonnulli, qui cum prætereuntem viderint eum irrident, & digito oſtendunt, & dicunt, ecce qui ſeminat inter fratres diſcordias, ecce mendacem, ecce adulterum. Nonne digitum extendere aduerſus Chriſtum Dominum viſi

digitũ extendere quid ſit.

ſunt



Matt.11 c ſunt Iudæi, cum dicerent. *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus*. Sic Hieronymus, cuius explicationi applaudunt verba ſequentia, *& loqui quod non prodeſt*. Pagninus pro, *ſi deſieris extendere digitum*, transfert, *vt non mittas digitum in rem alienam*: quod ad eos refert, qui opprimendo pauperes, ab eis auferunt eorum bona. *Cum effuderis eſurienti animam tuam*, ideſt, beneficia hilari vultu illi contuleris, paratus & ipſam animã ſeu vitam impartiri, atque exponere, cum opus fuerit, pro ſalute proximi: quod quidem eſt diligere illum, non verbo & lingua, ſed opere & veritate. Vnde effundere animã eſurienti, nihil aliud eſt, quàm eius miſerijs condoleſcere, & ita affici egeſtate eius, ac ſi illam in proprio corpore ſuſtineres. Si hæc, inquam, perfeceris, *orietur in tenebris lux tua*, ideſt, quamuis nunc in aduerſitatibus viuas; quamuis in tenebris ignorantiæ ambules, ſtatim illuſtrabit te Dominus, & non patietur te errare in via ſalutis: nec erit vulgaris *lux tua*; ſed qualis eſſe ſolet in meridie. *& tenebræ tuæ erunt ſicut meridies*, (ideſt) conuertentur in meridianam lucem. ita vt poſſis dicere cum Propheta, Pſ. 138. c *quia tenebræ non obſcurabũtur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius*. Vel, ſic: Tenebræ tuæ, atque vmbræ legis antiquæ in lucem conuertentur Euãgelij, de qua prædixerat ſupra, Iſa.18.c *ſicut meridiana lux clara eſt*.

11 *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit*. Septuaginta, *Et erit Deus tuus tecum ſemper, & impleberis ſicut deſiderat anima tua, & oſſa tua pingueſcant*. Magis explicat prœmiũ, quod promiſerat facientibus miſericordiã: & ait: Requiem ſemper habituros in hoc ſæculo initiatiuè, quia pacem & tranquillitatem mentis obtinebũt, & in medijs fluctibus ſecuri erunt: in futuro autem completiuè, vbi æterna beatitudine fruentur. Hoc verſio Septuaginta ſignificat, cũ ait: *Et erit Deus tuus tecum ſemper*. Quid enim mali accidere poterit homini, cum quo eſt Deus? Ex eius præſentia multa bona ſpiritualia proueniunt animæ. Lux cæleſtis, pinguedo ſpiritualis, & fortitudo ad opera virtutum exequenda. Quæ omnia, & alia conſimilia verbis ſequẽtibus complexus eſt. *Et implebit ſplendoribus animã tuam* (ideſt) varijs virtutibus, ac donis Spiritus ſancti, quibus re vera decoratur anima, & ſplendet, ac lucet ſicut lucernæ in caliginoſo loco. Trãſlatio Septuaginta, videlicet, *& impleberis ſicut deſiderat anima tua*, abundantiam ſignificat omnium bonorum, quæ ad votum ſuum conſequentur à Deo miſericordes; atque orationis efficaciam, quæ quidquid petierit, impetrabit, ſi comitem habeat miſericordiam. *Et oſſa tua liberabit*. Videlicet ab infirmitate, vel à morte perpetua. Et per *oſſa*, intelligit corpora, quorum ſuſtentaculum ſunt *oſſa*. Deſignant etiam *oſſa*, omnes interiores animæ vires iuxta illud Pſalmiſtæ: *Omnia oſſa mea dicẽt. Domine quis ſimilis tibi?* Pſ.34.b Hæc ergo oſſa liberabit à peccatis, & corruptione, infundendo gratiam qua firmentur ad opera virtutum exequenda, & pingueſcant. In ſumma, eris (inquit) *quaſi bortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ*, ideſt, numquam deſtituet te gratia Dei, quæ inſtar fluminis perpetuò irrigabit animam tuam. Sicut enim homini miſericordi numquam deeſt,

Oſſa quid ſignificet.

quod

quod pauperibus largiatur, ſed ad ſimilitudinem fontium, ſemper in pauperes ex ſe diffundit bona temporalia, quibus famem, & ſitim eorum extinguat: ita & Deo numquam deerũt bona ſpiritualia, quæ pro fœnore retribuat facientibus miſericordiam. Prou. 19 c dicit enim Sapiens. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Chryſoſt. hom. 5. de pœnitent. tom. 5. *O magna vis miſericordiæ, quæ Deum ſibi conſtituit debitorem fœnerãti. Dicit Deus, non credis huic per inopiam, mihi per diuitias crede. Ego, quod dediſti illi reſtituam cum vſuris.

12 *Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum: fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem.* Miſericordia erga pauperes inſtaurat diſſipata. Sicut auaritia fertiliſſima quæque loca deuaſtat, & fructifera in ſterilitatem redigit: ita miſericordia diſſipata inſtaurat, & inculta deſerta in vbertatẽ vertit. Ait ergo, ſi miſericors fueris, *ædificabuntur in te*, (ideſt) per te *deſerta ſæculorum*, hoc eſt ab antiquis ſæculis collapſa. Reſtitues innocentiam, iuſtitiam, fidem, & pietatem; Abrahæ, Moyſi, aliorumque antiquorum Patrum virtutes renouabis, & cognominaberis reparator patriæ, *ædificator ſepium*, ideſt, defenſor illius, prohibens beſtias, & fures perturbantes pacem illius, atque iram Dei à populo tuo auertens, vt quietè viuat & pacificè; hoc enim eſt, auertere *ſemitas in quietem*, vt explicat Hieronymus. Hieron. Conſonat tranſlatio Symmachi, qui pro, *vocaberis ædificator ſepium*, legit, *vocaberis murum opponens cadenti.* Hoc faciunt miſericordes, cum ſe inter Deum & populũ conſtituunt, vt indignationem eius in pietatem conuertant. Murus populi Iſraelitici, fuit Moyſes orans ad Dominum, & dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Exo. 32. g Hieron. **Murus fuit Aaron, murus Samuel, qui iræ Domini reſtiterunt, & quaſi ædificato muro indignationi eius poſuerunt terminum.* Hiere. *Quod & Hieremiæ dicitur: nec occurrat Domino, ne iræ eius velit reſiſtere, & indignationem ita precibus quaſi quodã muro intercludere.* Hæc omnia tamquam in viuo ſpeculo inuenies completa in ſancto Patriarcha noſtro Dominico, atque in Seraphico Franciſco, quorum pijs ſtudijs inſtaurata eſt Eccleſia, quorum ornamenta manent in poſteris, & nomen eorum non delebitur in ſæculum ſæculi.

13 *Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem. Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ.* Poſtquam oſtendit Propheta, qualiter ſit miſericordia in proximos exercenda, ſine qua ieiunia, & orationes noſtræ non reſpiciuntur à Domino; conſequenter ſermonem inſtituit de cultu Dei vero, declarans in quo conſiſtat, & ait: Non ſatis eſſe ad obſeruationem Sabbati, à laboribus corporalibus abſtinere, qui aggrauant corpus, ſed multo magis recedendum eſſe à peccatis, atque à concupiſcentijs carnalibus, quæ deprimunt animam. Non conſiſtit Sabbatum Domini in externo otio; ſed in vera abnegatione voluntatis propriæ, & interiorum affectuũ animi, ad quam in præſenti fideles inducit. Auertere pedem à Sabbato, eſt non conculcare Sabbatum: nec illud iniuſtè viuen-





do violare. Et notandum, quod illud verbum, *ſi auerteris*, repetendum eſt cum verbo facere: ita vt ſenſus ſit: *Si auerteris* (ideſt) deſieris facere voluntatem tuam in die ſancto. quod ex noua tranſlatione Vatabli colligitur: ſic enim habet. *Si auerteris pedem tuum Sabbato, quominus facies tuam voluntatem in die meo ſancto.* Sabbatum delicatum quid ſit. Sabbatum delicatum illud dicitur, in quo Deus colitur vera obſeruantia mandatorum eius, & ſanctificatur delicatis, & ſpiritualibus colloquijs, ſpiritualibus cogitationibus & operibus; is enim verum Sabbatum cuſtodit, qui cogitatione, verbo, & opere, non ſuam voluntatem, ſed Dei facit. Hebraice, vbi nos legimus, *& vocaueris Sabbatum delicatum, &c.* habetur. *Et vocaueris Sabbatum delicias tuas.* Quibus verbis ſignificatur, veras hominis delicias in Deo eſſe conſtitutas in cultu & veneratione eius. Vnde & ſubditur. *Tunc*, ideſt, ſi hæc perfeceris, *delectaberis ſuper Domino*, Pſal. 36 ait enim Pſalmiſta. *Manſueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Spiritualia enim gaudia, ſpiritualia bona, & cæleſtia lex promittit Euangelica, nõ corporalia & terrena, ſicut lex antiqua, cuius promiſſiones ſupra his verbis explicuit. Iſai. 1. d *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Nũc autem Deus ſeipſum in præmium promittit, & delectationes quæ ſunt in dextera eius vſque in finem. Conſequitur autem delectatio iſta ſpiritualis ex cognitione & amore ſummi boni, quæ ex parte habetur in via, & per- 1. Cor. 13 d fecta erit in patria, *Videbimus enim eum ſicuti eſt.* Septuaginta interpretes, pro, *tũc delectaberis ſuper Domino*, transferunt, *& eris confidens ſuper Domino.* Et rectè quidem, nam miſericordia erga proximum, & cultus Dei, ſpem noſtram erigunt atque corroborant. Scriptum eſt enim. Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Prius dixit, *ſacrificate* (ideſt) voſmetipſos Deo offerte, & poſtmodum adiecit, *ſperate in Domino.* Aliter enim ſpes eſſet præſumptio. Quod autem ſubdit, *Suſtollam te ſuper altitudines terræ.* idem eſt iuxta quorumdam Hebræorum ſententiam, quod ducam te, atque habitare faciam in terra ſancta, (ideſt) Iudæa, quæ ceteris altior eſſe dicitur. Quorum explicatio conſona videtur translationi Vatabli. *Et ego veham te ſuper excelſa terræ.* Et alludit ad illud Deuteronomij 32. *Cõſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum.* Sed multo magis placet explicatio Hieronymi, qui, per *altitudinem terræ*, cæleſtem intelligit Hieruſalem, in quam Deut. 32. Deus miſericordes euehit cultores ſuos. Poteſt etiam hoc aliter intelligi, ita vt ſenſus ſit. Faciam vt omnia terrena deſpicias, & longe ab illis omnes affectus tuos transferas. Sic explicat Gregorius. S. Gregor. lib. 1. epiſt. cap. 5. *Super altitudinem* (inquit) *terræ ſuſtollitur, qui & ipſe quæ alta & glorioſa præſentis videntur ſæculi, per mentis deſpectum calcat.* Hoc proprium eſt eorum, qui delectantur in Domino, & iocunditatem ſpiritus ſentiunt. Sicut enim (iuxta Gregorij ſententiam) tanto quis à ſuperno amore diſiungitur, quanto inferius delectatur: ita è conuerſo, quo magis ac magis delectatur homo in Dei amore, eo longius ab amore rerum inferiorum abſcedit.

14 Hinc Dominus ſub figura aquilæ perfectorum vitam deſignare volens ait ad Iob. Iob 39 *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?* Vbi Greg. lib 31. moral cap. 19. Gregorius. *Ad præceptum* (inquit)

Aquila pfectorum vitam deſignat.

*Dei eleuatur aquila, dum iuſſionibus diuinis obtemperans; in ſupernis ſuſpenditnr fidelium vita. Quæ & in arduis nidum ponere dicitur: quia deſideria terrena deſpiciens, ſpe iam de cæleſtibus nutritur. In arduis nidum ponit: quia habitationem mentis ſuæ in abiecta & infima conuerſatione non conſtruit, &c. Videamus aquilam nidum ſpei ſibi in arduis cõ-*

Phil. 3. *ſtruentem, qui ait: noſtra conuerſa-*

Eph. 2. *tio in cælis eſt. Et rurſum: qui conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cæleſtibus. In arduis habet nidum: quia profecto in ſupernis figit conſilium. Non vult mentem in ima deijcere, non vult per abiectionem conuerſationis humanæ in infimis habitare, &c. Hinc eſt, quod ſequenti ſe animæ per Prophetam Dominus dicit: Suſtollam te ſuper altitudines terræ. Quaſi quædam namque inferiora terræ ſunt, damna, contumeliæ, egeſtas, abiectio, quæ ipſi quoque amatores ſæculi, dum per latæ viæ planitiẽ ambulant, vitãdo calcare non ceſſant. Altitudines autem terræ ſunt, lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum: quæ, quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat. At ſi ſemel cor in cæleſtibus figitur, mox quàm abiecta ſint cernitur, quæ alta videbantur. Nam ſicut qui in montem conſcendit, eo pauliſper cetera ſubter iacentia deſpicit, quoad altiora greſſum amplius tendit: ita qui in ſummis intentionem figere nititur, dum anniſu ipſo nullam præſentis vitæ gloriam eſſe deprehendit, ſuper terræ altitudines eleuatur, & quod prius in imis deſiderijs poſitus ſuper ſe credidit, poſt aſcendendo proficiens ſibi ſubeſſe cognoſcit.*

15 *Et cibabo te hereditate Iacob patris tui, os enim Domini loquutum eſt.* Ideſt, ad conuiuium illud cæleſte perducam, quo Iacob fruitur, de quo Euangelium loquitur, *multi ab Orien*- Matt. 8. b *te & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob.* Meminit autẽ ſpecialiter Iacob, quia ſupplantator fuit, & viriliter pugnauit cum Angelo, vt ſciamus quod ſupplantantibus mundum, & pro iuſtitia vſque ad mortem decertantibus, paratum eſt conuiuium illud ab origine mundi. Multa de hoc conuiuio diximus cap. 25. num. 6. & ſequent. Ne autem populus incredulus vera eſſe, quæ dicta ſunt dubitaret, adiecit, Dominum, qui nec fallere poteſt, nec falli, ea omnia prædixiſſe. Quid intelligat per *os Domini*, explicatum eſt, cap. 1. num. 61.





# CAPVT LIX.

1. ECCE non eſt abbreuiata manus Domini, vt
ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris
eius vt non exaudiat: Sed iniquitates veſtræ
diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & pec
cata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis
ne exaudiret. 2. Manus enim veſtræ pollutæ
ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: la-
bia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua
veſtra iniquitatem fatur. 3. Non eſt qui in-
uocet iuſtitiam, neque eſt qui iudicet vere: ſed confidunt in nihilo,
& loquuntur vanitates: 4. conceperunt laborem, & pepererunt ini-
quitatem. 5. 6. 7. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt:
8. qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt,
erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque
operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia, & opus iniqui-
tatis in manibus eorum. 9. Pedes eorum ad malum currunt, & feſti-
nant vt effundant ſanguinem innocentem: cogitationes eorum co-
gitationes inutiles: vaſtitas & contritio in vijs eorum. Viam pacis
neſcierunt, & non eſt iudicium in greſſibus eorum. ſemitæ eorum in-
curuatæ ſunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. 10. Pro-
pter hoc elongatum eſt iudicium a nobis, & non apprehendet nos iu-
ſtitia: expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tene-
bris ambulauimus. 11. Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſ-
que oculis attrectauimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in
caliginoſis quaſi mortui. 12. Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi
columbæ meditantes gememus. expectauimus iudicium, & non eſt:
ſalutem, & elongata eſt a nobis. 13. Multiplicatæ ſunt enim iniqui-
tates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis. quia
ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognouimus, 14. pec-
care & mentiri contra Dominum: & auerſi ſumus ne iremus poſt ter-
gum Dei noſtri, vt loqueremur calumniam & tranſgreſſionem: con-

cepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacij. 15. Et conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longe ſtetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt veritas in obliuionem: & qui receſſit a malo, prædæ patuit: 16. & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium. & vidit quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat: 17. & ſaluauit ſibi brachium ſuum, & iuſtitia eius ipſa confirmauit eum. 18. Indutus eſt iuſtitia vt lorica, & galea ſalutis in capite eius: indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli. Sicut ad vindictam quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis, & viciſſitudinem inimicis ſuis: inſulis vicem reddet. 19. Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini: & qui ab ortu ſolis, gloriam eius: cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit: 20. Et venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: 21.22.23. Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & vſque in ſempiternum.

## SVMMA CAPITIS.

PROSEQVITVR *materiam præcedentis capitis, denuncians, eleemoſynas, ieiunia, & orationes Iudæorum non eſſe Deo accepta: quoniam innumeris obuoluti erãt peccatis; quæ taxat ſtatim in principio capitis, vbi præſertim inuehitur contra effundentes ſanguinem, contra mendaces, & raptores, & contra iniquos iudices. quod proſequitur vſque ad verſiculum.* Et vidit Dominus.

*Secundò, commendat valde Dei miſericordiam. Nam his omnibus peccatis nihil obſtantibus, Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati, vt ſicut ait Apoſtolus, de peccato damnaret peccatum in carne ſua. agit de hoc ab illo verſiculo.* Et ſaluabit ſibi brachium ſuum, *vſque ad finem capitis. Vbi multa interſerit de vocatione gentium, de aduentu Spiritus ſancti, & de prædicatione Apoſtolorum, & firmitate Catholicæ Eccleſiæ, ex cuius ore Spiritus veritatis non deficiet vſque in ſempiternum.*





## COMMENTARIVM.

1. *ECCE non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* In præcedenti capite hortatus fuerat Iudæos, vt à peccatis abſtinerent, & miſericordiam diligerent, atque ex corde Deũ colerent, vt ieiunia eorum & orationes acceptabiles fierent apud eum: nunc autem eos arguit tamquam legis diuinæ tranſgreſſores, atque in eorũ peccata refert mala pœnæ quibus premebantur. Ait ergo. Non ideò Dominus vos non liberat, quòd potentia eius ad ſaluandum ſit imminuta, aut manus abbreuiata: idem enim Deus permanet per omnia ſæcula; & ſicut liberauit Abraham, potens eſt vos etiam liberare: nec ideò preces & clamores veſtros repellit, quoniã obſurduerit, & temporis longitudine aggrauatæ fuerint aures eius, ne audire poſſint preces veſtras: ſed *iniquitates veſtræ* interpoſuerũt murum, ne vos aſpiciat, & deprecationes veſtras exaudiat. Vana eſt ergò veſtra querimonia, qua Deum arguitis, quoniam ieiunia, orationes, & ſacrificia veſtra non reſpicit. Hæc eſt plana huius loci intelligentia, quã confirmat tranſlatio Septuaginta interpretum. *Numquid non poteſt manus Domini ſaluos facere? aut aggrauata eſt manus eius, vt non exaudiat? Sed peccata veſtra ſeparant inter vos & Deum, & propter peccata veſtra auertit faciem ſuam à vobis, vt non miſereatur.* Et tranſlatio noua Pagnini, quæ ſic habet. *Ecce manus Domini non eſt mutila, quo minus ſeruare poſſit, neque aggrauata auris eius, vt non exaudiat: Sed iniquitates veſtræ diuellunt inter vos & inter Deum veſtrum, & peccata veſtra abſcondunt vultum eius à vobis ne exaudiat.* Conſonat huic loco illud *Trenorum 3. Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercisti. Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.* At Chriſtus moriens diſſoluit maceriam, & medium parietem diſrupit, & nos reconciliauit Deo Patri. *Tren. 3.*

2 *Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: Labia veſtra locuta ſunt mendaciũ, & lingua veſtra iniquitatem fatur.* Conuincit Iudæos ſuarum iniquitatum, eas enumerando, & oſtendit, eos peccatores eſſe, & loquutione, atque cogitationibus, & deſiderijs internis: & in primis eorum arguit iniuſtitiã, homicidia & furta; hæc & conſimilia peccata vnico verbo perſtringẽs, quæ fuſius iam ſupra enarrauerat dicens, *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, Principes tui infideles, ſocij furum; &c.* Per *manus* ergo *ſanguine* pollutas, intelligit homicidia, aut reliqua peccatorum genera aduerſus proximum commiſſa, vt ſupra *Iſai. 1.* num. 43 & 62.

ſup cap. 1. nu. 43. explicatum eſt. Quod ſubdit, *& digiti veſtri iniquitate*, vel, vt tranſferunt Septuaginta, *& digiti veſtri peccatis*, idem ſignificat. Et ſpecialiter explicat rapinas Iudæorum, & furta; digitis enim bona rapiuntur aliena: aut vero quædam deteſtanda peccata, quæ ob ſuam enormitatem & inſignem malitiam dicuntur digitis facta, ſumpta ſimilitudine à rebus ſtudioſe cõpoſitis; digitis enim cõplẽtur. Pſal. 8. Vnde & Propheta, cælos opera digitorum Dei eſſe dixit, ob eorum pulchritudinem & perfectionem. Poſſunt etiam hæc verba, *& digiti veſtri iniquitate*, ad illud referri, quod ſup cap. 58 nu. 10. digiti oſtenſione ſuperius explicuit, cum dixit; *ſi deſieris extendere digitum, &c* Deinde opponit illis peccata locutione commiſſa, mendacia videlicet, ſuſurrationes, detractiones, murmurationes, quibus inique atque iniuſte fama obſcuratur proximi, falſa teſtimonia, & his ſimilia. Ac ſi apertius dicat: Quomodo exaudiet pater cæleſtis orationes veſtras, aut reſpiciet manus veſtras extentas, cũ adhuc pollutæ ſint ſanguine filiorum eius ac Prophetarum quos trucidaſtis, & digiti contaminati ſint iniquitate, per iniqua & peruerſa ſuffragia, & ordinationes digitis veſtris ſubſcriptas? Et ſicut manus veſtræ ſunt impiæ, ita & linguæ mendaces falſum perhibentes teſtimonium, longeque aliud loquentes quàm ſentiatis corde. quomodo ergo acceptabilem poterunt orationem effundere?

3 *Non eſt qui inuocet iuſtitiam, neque eſt qui iudicet verè: ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates*. Ideſt, cum talia inter vos committantur delicta, nemo tamen reperitur qui arguat illa. *Non eſt* qui increpet proximum ſuum, cũ male fecerit, increpet, inquam, iuſte, & vt par eſt. Ita Vatablus explicat illud, *Non eſt qui inuocet iuſtitiam* (ideſt) qui clamet pro iuſtitia, & arguat delinquentes: Omnes ſunt adulatores, omnes participes eorũdem criminum. Vel ſic, Non eſt qui eruat pauperem, & inopem à calumnia, & ſeruet iuſtitiam. atque adeo his verbis nouum illis exprobrat crimen. Conſonantque verba ſequentia, *non eſt qui iudicet vere*, ideſt, nullus reperitur verus & iuſtus iudex, omnes ſunt corrupti. quod & ſuperius illis obiecerat, dicens: *Principes tui infideles, ſocij furum. Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos;* Iſa. 1. Et cum talia eſſent eorum opera, confidebant *in nihilo*, vel in rebus vanis (vt transfert Vatablus) vel in vanis (vt transferunt Septuaginta) hoc eſt, in vacuis & egenis elementis, atque cæremonijs legis antiquæ, in ieiunijs & orationibus, quæ niſi adſit pietas erga Deum, & charitas proximi, pro nihilo reputantur. Secundo explicatur ſic. *Confidunt in nihilo*, ideſt, credunt, hæc ipſorũ opera abſcondita eſſe à Deo, arbitrãtur numquam punienda fore. Quod crimen ſuperius obiecerat illis, eos vocans viros illuſores, quia dicebant: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cũ inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Iſa. 28. d

4 *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem*. Cogitationem comparat conceptui, verba autem, & opera externa, confert partui. Quales cogitationes hominum, talia & eorũ opera. Qui ergo mala cogitãt in cordibus ſuis, non iuſtitiam, ſed iniquitatem pariunt. Concipere laborem (Cogitationes conceptui, opera partui conferuntur.)

eſt,



eſt, peruerſa concipere, quæ executioni mandata, laborem & dolorem afferũt homini. Vnde Gregorius explicans illud, *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, ait: *Dolorem concipit, qui peruerſa cogitat. Iniquitatem parit, cum explere cœperit, quod cogitauit. Inuidendo dolorem concipit, derogando iniquitatem parit*. (Iob. 15. Greg. lib 12. moral. cap. 25.) Tales fuerunt Iudæi, qui ex inuidia concilium collegerunt, vt Chriſtum morti traderent. Conceperunt laborem, cum dixerunt, *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*. (Ioan. 11 f) Pepererunt iniquitatem, cum in hãc iniquam ſententiam deuenerunt, *Vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. (Luc. 23.) Hanc Scribarum, & Phariſæorum malitiam explicant verba ſequentia.

5 *Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt*. Oſtendit quam noxium Iudæis fuerit, & inutile eorum conſilium, quod aduerſus Dominum cogitauerunt. Idque explicat duplici ſimilitudine. Altera eſt eorum, qui frangunt *oua aſpidum* in ſuum proprium, & aliorum damnum: (Oua aſpidum quid ſignificent.) Nam rupto ouo, erumpit aſpis, quæ linguæ vulnere venenum infigit effractori. Altera vero eſt texentium telas aranearum: quorum opus eſt inutile, vtpotè fragile, & nulli prorſus vſui aptum; quia neque ad ornatum, neque ad operiendam nuditatem deſeruit. Tale fuit conſilium Iudæorum, quod cõtra Dominum collegerunt, noxium ipſis, & inutile. noxium quidem; nam mortem ſempiternam illis attulit, & maledictionem, quam ſuper ſe imprecati ſunt, qui dixerunt, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. (Matth. 27. e) Inutile, quoniam finem intentum non ſunt conſequuti. Dicebant enim ad inuicem: *Si dimittimus eum ſic; omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem*. (Luc. 23. Ioan. 11 f) Moriatur ergo homo iſte, occidamus eum, *& eradamus de terra viuentium*, (Iere. 11. d) ne quis credat in eum, ne veniant Romani, & tollant noſtrum locum. Sed ecce in vanum texuerunt telam ſuam; nam & morti tradiderunt Chriſtũ, & ipſo mortuo, omnes gentes crediderunt in eum, & venerunt Romani, & abſtulerunt locum eorum & gentem.

6 Poſſunt hæc aliter intelligi, atque omnibus peccatoribus adaptari. Comparat enim Propheta his verbis cogitationes peſſimas, ouis regulorum, (Cogitationes peſſimæ ouis regulorũ cõferuntur.) quæ, vbi ad conſummationẽ venerint, proferunt baſiliſcos (ideſt) mortalia opera, quibus ipſi peccatores & alij pereunt. Reguli excidentes oua roſtro, paulatim eorum duritiem decutiunt, donec pullus appareat, donec baſiliſcus exeat in publicum. Nõ aliter impij cogitationes malas aliquo tempore verſant in cordibus, donec in opus ſuum prodeant, & mortem generent. Quod ſanctus Iacobus his verbis declarat. *Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum conſummatũ fuerit, generat mortem*. (Iacob. 1. c) Verũ opera illorũ tanto labore patrata, tamque pernicioſa ſollicitudine, recte comparantur telæ aranearum, quia non durãt, neque proderunt, ſed cum araneis ipſis ſcopa mortis de medio tollentur. Iuxta illud Prophetæ vaticinium. *Et tabeſcere feciſti ſicut araneã animam eius: verumtamen vanè conturbatur omnis homo*. (Pſal. 38 c) *Conturbatur homo*, vt pecunias congreget, vt acquirat diuitias, vt ſua ex-

Pleat deſideria, ſed *varie conturbatur*: quia ſicut araneæ, & aranearum telæ tabeſcunt omnia, & deficiunt. Vnde Origenes, *Omnia quæ texit, & agit peccator, tam nihil ſcias eſſe, quã ſunt illa, quæ texit aranea, licet varia videantur, & compoſita, licet exquiſita quadam arte digeſta. Quanta texuerunt illi diuites, qui ante nos fuerunt, qui diuitias varijs artibus, & callidis adinuentionibus congregabant, qui magiſtratus, qui honores, qui conſulatus ambitione quærebant, iſti omnes telas araneæ texuerunt. Tam enim vana, tam friuola, quam eſt araneæ textrina, fuerunt omnia, quæ gerebant, & propterea tabefactæ ſunt, ſicut araneæ, animæ eorum.*

Origenes hom. 2. ſup. Pſal. 38.

Aranearũ tela opera deſignat peccatorũ.

*Pſal.* 38

7 *Oua aſpidum, &c.* Per *oua aſpidum*, quæuis opera deſignat improborum. Quidquid enim ab ipſis prodit, mortiferum eſt, ac lethale. Et ſicut vipera ouum ponere nequit, niſi veneficum, ſic iſti, nihil niſi maleficij plenum depromunt; nihil rectum aut ſincerum eſt ab ipſis expectandum, nihil humanitatis, nihil charitatis præſtant ijs, inter quos verſantur. quos Apoſtolus, *repletos* eſſe dicit *omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque miſericordia.* Et ſicut ipſi peruerſi ſunt, ita & peruertunt eos, cum quibus conuerſantur. ſubditur enim.

Opera praua ſunt oua aſpidũ.

*Rom.* 1.

8 *Qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotũ eſt, erumpet in regulum. Telæ eorum non erũt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* Proſequitur duas iam poſitas ſimilitudines. Et ſenſus eſt. Sicut, qui oua reguli comederit, ſtatim moritur: ita & omnes quibus mala impiorum opera placuerint, vel eis conſenſerint, peribunt: nã digni ſunt morte, non ſolum, qui faciunt; ſed etiã qui conſentiunt facietibus. *Quod confotum eſt, &c.* ideſt, ſi quis fouerit peruerſa impiorum conſilia, inde *regulum* educet. Et loquitur per ſimilitudinem ad animalia, quæ ſuper oua incubant, & illa fouent, vt pullos ex eis producant. Septuaginta interpretes, pro, *Et quod confotũ, erumpet in regulũ.* vertũt *frangens ventilatũ reperit, & in ipſo regulum.* Et ſenſus eſt; licet quis per inconſiderationem, pede calcans oua aſpidum, excutiat regulum, ab eo nihilominus circumligatur, & occiditur. Tale quid eueniet illis, qui abſque circumſpectione offendunt in conſilijs impiorum, circumligati delictis manebunt: tam mortiferi ſunt cogitatus illorum. Denique ſicut nullus ex telis aranearum veſtes conficit, vt ſuam operiat nuditatem: ita neminem opera locupletabunt impia, nihilque proderunt in die iudicij, quando cũ veſte nuptiali occurrere oportebit Saluatori. Ideo appellat eorum opera, *inutilia*, & opera *iniquitatis*, ideſt fraudulentijs, rapinis, & crudelitate plena. Hæc inueniet iudex in eorum manibus cum venerit, (*Coger les ha con el hurto en las manos.*) Et retribuet illis ſecundum opera eorũ. Conſonat huic explicationi tranſlatio Vatabli. *Oua reguli excludunt, & araneæ telam texunt: Qui de ouis eorum ederit, morietur:* Si vero quis conculcauerit, excludetur vipera. Et telis eorum non conficitur veſtis, vt operibus ſuis ſeſe tegant.

9 Pe-



9 *Pedes eorum ad malum currũt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vaſtitas, & contritio in vijs eorum. Viam pacis neſcierunt, & non eſt iudicium in greſſibus eorum, ſemitæ eorum incuruatæ ſunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.* Allegat hæc carmina Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribens, quibus totum humanum genus peccatis obnoxium eſſe probat, & indigere gratia Dei, *Veloces*, inquit, *pedes eorum ad effundendum ſanguinem: contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis nõ cognouerũt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Docet autem Propheta hoc loco, homines toto ſtudio eniti, vt malefaciant, & affligant proximos, & ſanguinem fundant innocentem, nihilque agant pacifice, ſed *viam pacis* odio habeant. *Vaſtitas & contritio in vijs eorum* (ideſt) quocũque ierint, omnia vaſtant, omnia conterunt, nec ſexui, nec ætati parcentes, odio habentes pacem & iuſtitiam, & diligentes iniquitatem. Porrò omnia in ſuũ damnum conuertunt: Nam *ſemitæ eorum incuruatæ ſunt eis*, (ideſt) in ſcandalum factæ, vt ipſi cadant in laqueos, quos parauerunt alijs. Attende quod Paulus his verbis religioſiſſimos Iudæos taxat, & varijs criminibus fatetur obnoxios: vt hinc colligas, quid ſit de ceteris hominibus ſentiendum, quando præcipui in ſanctitate talibus ſunt commaculati peccatis. Sanctus Hieronymus, & Cyrillus præſentem locum referunt ad ſtudium Scribarum & Phariſæorum, qui ſanguinem Chriſti innoxium cogitauerunt effundere, & in hanc vnanimiter deuenerunt ſententiam, *vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* In quorum vijs *vaſtitas* fuit *& contritio*; quoniam in illud inciderunt iudicium, quod imprecati ſunt, cum dixerunt, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Quoniam poſt paſſionem Domini à Romanis ciuitas eorum vaſtata eſt, & contrita. *Neſcierunt* ſane *viam pacis*: quia ſemitas Chriſti pacificas, atque Euangelium pacis, quod prædicauit, ignorauerunt, & abſque iudicio legalibus cæremonijs adhæſerũt: diligentes magis tenebras, quam lucem. Vnde & ſubditur.

*Rom.* 3.

Peccato ſubiacent omnes filij Adæ.

Cyrillus.

*Luc.* 23.

10 *Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia: expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tenebris ambulauimus.* Oſtendit Iudæorum peccata, quæ enarrata ſunt, cauſam eſſe excæcationis eorum. Vndè in perſona illorum, qui ex Iudæis ſuã agnouerũt miſeriam, ait, *Propter hoc*, ideſt, quia manus noſtræ pollutæ ſunt ſanguine; quia loquuti ſumus mendacium: quia feſtinauimus ad effundendum ſanguinem, & viam pacis neſciuimus, & iniuſtitiam operati ſumus; ideo *elongatum eſt iudicium à nobis*, illud videlicet, de quo ait Saluator; *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eÿcietur foras*, quoniam liberati non ſumus à poteſtate principis tenebrarum. Secundò explicatur ſic, *elongatum eſt iudicium*, ideſt, Filius cui omne iudicium dedit Pater. Ita Gloſſa interlinearis. Et dicitur elongatus; quoniam Iudæos relinquens, tranſiuit ad gentes. Idem ſignificant ſequentia verba, *Et non apprehendet nos iuſtitia* (ideſt) Chriſtus, qui *factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio & redemptio*. Per iuſtitiã legem intelligit Euangelicam, ſeu legem gratiæ, per quam ex iuſtitia à poteſtate peccati Chriſtus nos liberauit. de qua Apoſtolus cum Iudæis

*Ioan.* 12.

Chriſtus à Iudæis elongatus eſt.

1. *Cor.* 1.

10-

loquens, ait, *Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Poteris etiam per iudicium & iuſtitiam, iuſtitiæ executionem intelligere, & iuſtitiæ habitum, cum Lyrano. Iudicium enim eſt actus iuſtitiæ, quæ habitum virtutis importat, per quem homo reddit vnicuique quod ſuum eſt. Expectauimus lucem, ideſt Chriſtum, qui eſt lux vera, illuminans omnem hominem veniētē in hunc mundum. vel, expectauimus lucem Euangelij: *& ecce tenebræ*, ideſt, obtenebrati ſumus peccatis noſtris, *& in tenebris ambulauimus*, ideſt, in vmbra & in figuris legis antiquæ. Secundum Vatablum ſic exponitur. *Exſpectauimus lucem, &c.* ideſt pro felicitate quā exſpectabamus, calamitatem ſumus conſequuti.

Lyran.

11 *Palpauimus ſicut cæci parietē, & quaſi abſque oculis attrectauimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.* Propriū eſt cæcorum tentare manu, antequam gradiantur per viam, & ſemper timent, ne offendant in ea & cadant. Hac ergo phraſi ſignificat Propheta Iudæorum miſeriam, qui legales cæremonias obſeruantes, ieiunia, & ſolemnitates ſtatutas, cauſam ſuarum calamitatnm ignorabant. Ideò dicunt, *Palpauimus ſicut cæci, &c.* Poteſt hoc etiam referri ad eorum perfidiam, qui manifeſtè veritati repugnarunt, qui videntes lucem meridianam, in tenebris palpant, dum conantur Scripturis caliginem offundere, & denſiſſimas tenebras, atque in verbis Dei lucidiſſimis, tamquam ſi obſcura eſſent, impingunt. Tales fuerunt principes ſacerdotum Scribæ & Phariſæi, qui videntes Prophetarum oracula in Chriſto Domino adimpleri, ſe non videre ſimulauerunt, & quaſi palpantes atque in ipſo lumine offendentes, interrogauerunt Dominum. *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam?* Et iterum. *quod ſignum oſtendis nobis, vt videamus & credamus?* Et rurſus. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei.* Vide quomodo palpent tamquam cæci *in meridie*, & manu tentēt *parietem*, ideſt, Chriſtum, atque impingant *in meridie* lucis Euangelicæ. *Impegimus* (inquiunt) *in meridie*: nam in toto terrarum orbe Sole iuſtitiæ rutilante, & Chriſti Euangelio propagato, in varios incidimus errores. nec ſolum, inquiūt, verſamur *in tenebris*, ſed & mortuis ſimiles ſumus: non quidem nuper defunctis, ſed illis qui in deſertis ſepulchris & caliginoſis iacent. Quia non bona opera vitalia, & meritoria vitæ æternæ fecimus: ſed ad inſtar mortuorum facti ſumus, fœtorem intolerabilem, putredinemque ac vermes cum magna aſpicientium abominatione generantes. Hinc & Saluator, *Væ* (inquit) *vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ de foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* His ſimiles ſunt peccatores, qui non ſpiritu Dei aguntur, ſed carnis: nam corpore viuentes mortuis ſunt miſerabiliores, & fœtorem maiorem emittunt quam putrida cadauera, & vermibus plena. Vatablus, vbi nos legimus, *in caliginoſis quaſi mortui*, transfert. *In locis neglectis, ac ſordidis, vt mortui.* Quibus verbis ſignificat, multis eos calamitatibus obrui, ſicut *mortui* in ſepulchris neglecti, quibus nulla eſt ſpes ad meliorem fortunam redeūdi.

Palpare in meridie, eſt repugnare veritati agnitæ.

Ioan. 2.

Matth. 26. f

12 *Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus,*

ex-



*expectauimus iudicium, & non eſt; ſalutem, & elongata eſt à nobis.* Verba hæc poſſunt, & in malam partem, & in bonam accipi. Et quidem, ſi in malam partem accipiantur, ſignificāt crudelitatem Iudæorum rugientium contra Chriſtum, & Apoſtolos ac diſcipulos eius, vt interpretantur ſancti Hieronymus, & Theodoretus. Rugierunt Iudæi *quaſi vrſi*, cum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius fremuerunt, cum oues perſequuti ſunt illius, & nomen eius blaſphemauerūt. Hanc rabiem eorum natura vrſi declarat: nam (vt dicit Plinius) nulli animali tantam natura dedit ſolertiam ad malefaciendum, ſicut vrſo. Eſt præterea vrſus animal impatiens & iracundum, appetens ſe de ſingulis vindicare, & cum vnum inuaſerit, ſi alius eum tangat, primo dimiſſo, ſtatim illum aggreditur. Quæ omnia Iudæis competunt: nam per inuidiā tradiderunt Chriſtum, & multis modis mortem procurauerunt illius, impatienter clamantes. *Tolle tolle crucifige eum.* Non pepercerunt Apoſtolis, nec modo parcunt Chriſtianis: modo iſtum, modo illum inuadunt, & ſi quis eos tetigerit, contra illum inſiliunt. Per columbas (vt idem Theodoretus notauit) loquacitas deſignatur Iudæorum, qui in medio luctu calamitatis, quam patiuntur, aduerſus Deum murmurare non ceſſant, & contra Euangelium Chriſti procaciter fari. Hieronymus. *Et quaſi columbæ meditantes gememus* (ideſt) *abſque ſenſu & intelligentia Scripturarum, tantum verba meditantes, quæ decantant memoriter.* Columbis conferuntur, non in ſimplicitate, ſed in ſtultitia ſicut per Prophetam dicitur. *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor.* Pro quo Septuaginta tranſtulerunt. *Et erat Ephrem quaſi columba inſipiens, non habens cor*, vel, *non habens ſenſum*, vt legit Hieronymus. In quo inſenſibilitatem, & inſipientiam notauit Iudæorum. Nam vt idem Hieronymus inquit. *Aues cæteræ pullos ſuos etiam cum periculo vitæ ſuæ protegere feſtinant, & cum ad nidum ſuum accipitrem, colubrum, coruum accedere viderint, huc, illucque volitant, & immittunt ſe morſu, & vnguibus lacerant, & dolorē parentis querula voce teſtantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit. Et ideò recte comparatur Ephraim, quod vaſtatum per partes populum non ſentiat, ſed negligens ſit ſalutis ſuæ.* Quod autem ſubdit: *Expectauimus iudicium, &c.* exponendum eſt, ſicut ſuperius explicata ſunt verba illa. *Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis.* Secundò explicatur hic locus in bonam partem: ita vt ſignificet pœnitentiam eorum, qui ex Iudæis conuerſi ſunt ad Dominū, & conuertentur, poſtquam plenitudo gentium ad fidem intrauerit. Rugitus enim lacrymabilem ſignificat pœnitentiam; ſecundum illud. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Rugiemus ergo, inquiunt, *quaſi vrſi*, præ magnitudine doloris, quoniam à Deo fuimus derelicti, quoniam excæcati, & obdurati tot ſæculis permanſimus. Et bene inquit. *quaſi vrſi*; licet enim vrſus animal ſit inuidum, impatiens, & iracundum; catena tamen ligatus, verberibus edomatur: ita & Iudæi in exilium miſſi, & longa captiuitate detenti, ac multis verberibus à Deo afflicti, tandem edomati, in fine ſæculorum manſueſcent, & conuertentur ad Dominum. Et notandum, quod ideo dixit, *rugiemus omnes*, vt vniuerſalem eorum deſignet conuerſionem, de qua Apoſtolus ait: *Nolo enim vos*

Vrſus in bonā ſumitur, & in malā partem.

Prima explicatio.

Pſal. 2.

Vrſi ſolertia qualis. Geminianus lib. 5. de animalibus terreſtribus. cap. 68. & 71.

Theodoretus.

Hieron.

Oſeæ 7. c

Iudæorū inſenſibilitas

Hieron. ſup cap 7. Oſeæ.

Secūda explicatio.

Pſal. 37.

Vrſus verberibus domatur.

Rom. 11 d

igno-

*ignorare fratres myſterium hoc: (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, Et ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et quaſi columbæ meditantes gememus*, ideſt, in gemendo priſtinum ſtatum noſtrum, tales nos præſtabimus, quales videmus columbas, quæ iterant ſine intermiſſione gemitũ. Conſonat tranſlatio Vatabli. *Et ſicut columbæ inconſtanter gemebamus*, ideſt, gememus. Expendatur illud verbum *meditantes*, ſignificat enim, dolorem verè pœnitentium ex meditatione aſſidua, ac profunda cogitatione ſuorum peccatorum generari, quam ſanctus Ezechias in ſuo Cantico explicuit, dum dixit: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba*. Hanc ſecundam explicationem ſequitur Cyrillus, qui hæc, & ſequentia verba ait eſſe Iudæorum, reuertentium ad fidem in occaſu ſæculi.

Pœnitentiũ dolor qualis.

Iſai. 38.

13 *Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis: quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognouimus*. Iterum atque iterum fatentur cauſam, propter quã ſunt à Deo derelicti, in ipſis eſſe, non in Deo; quia videlicet, *multiplicatæ ſunt iniquitates eorum*. Peccauerũt (inquiunt) patres noſtri, peccauimus & nos, atque peccata peccatis adiecimus. *Multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te*, ideſt, manifeſtiora ſunt peccata noſtra, quàm vt ea tergiuerſari valeamus, aut ſimulata religione operire. Vel ideo dicit, *coram te*, vt tacite notet hypocritas, qui ieiunantes, atque longas orationes ſimulantes, hominibus quidem apparent religioſi, immaculati, & ſancti; coram Deo autem, qui intima cordis penetrat, pleni ſunt iniquitate. Hinc ait Pſalmiſta: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*. Hinc filius prodigus, ad patrem rediẽs, dixit ei: *Pater peccaui in cælum & coram te, iam nõ ſum dignus vocari filius tuus*. *Coram te*, inquit, *peccaui, coram te*, quem vt patrem reuereri debueram, atque præſentiam illius recogitans, ab iniquitate elongari. Coram maieſtate tua, in cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta. Vnde Chryſoſtomus, oſtendit hunc patrem non hominem intelligi debere, ſed Deum: *quando non ſolum cælum nominat in confeſſione peccatorum pœnitens ſupplex: ſed adiecit, in conſpectu tuo. Deus enim eſt inſpector omnium ſolus, à quo nec in corde meditata peccata abſcondi poſſunt: ſcrutans, inquit, corda, & renes Deus*. Sequitur. *Et peccata noſtra reſponderunt nobis*: Quia videlicet, conquerentibus nobis, & dicentibus, *Quare ieiunauimus & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras & neſciſti: quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis, indurasti cor noſtrum, ne timeamus te?* quare tot mala nos opprimunt in conſcientijs noſtris? peccata noſtra reſpondent, quod pœnam illam, & longe acerbiorem promeriti ſumus. Contra nos enim ſtant peccata noſtra, & nos accuſant, ac pro Deo reſpondent. Si interrogarentur peccata, quid aduerſus auctores ſuos agendum eſſet, omnia vna voce clamarent, pereant, pereãt. Sic clamauit aduerſus Cain vox ſanguinis Abel, Domino atteſtante. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Conſonat huic explicationi tranſlatio ſeptuaginta interpretum, qui vbi nos legimus: *Et peccata noſtra reſponderunt nobis*, Trãſfe-runt.

Peccatorũ Deo quid ſit.

Pſal. 50. Luc. 15. e

Chryſoſt. hom. de patre & duobus filijs, ſup. cap. 15 Lucæ. to. 2.

Pſal. 7. c

Peccata reſpondere peccatoribus quid ſit.

Iſa. 63. d

Peccata peccatores accuſant.

Gen. 4.



runt. *Et peccata noſtra ſteterunt contra nos*. Quo ergo ibit peccator, qui Deum habet iratum, quem propria arguit conſcientia, neque eſt qui illũ defendat. Præterea dicuntur peccata reſpondere peccatoribus, cum, propter illa, condignam pœnã recipiunt. Stipendium .n. peccati mors. hæc eſt merces quæ reſpondet peccantibus, iſte fructus, quem pro ſuo labore percipiunt. Quæ autem fuerint ſcelera Iudæorum, indicant verba ſequentia.

14 *Peccare & mentiri contra Dominũ: & auerſi ſumus ne iremus poſt tergũ Dei noſtri, vt loqueremur calũniam, & tranſgreſſionem cõcepimus, & loquuti ſumus de corde verba mendacij*. Creſcente ſimulatione & hypocriſi, creſcit mendacium, & cætera multiplicantur peccata, ſicut multiplicata ſunt in Scribis, & Phariſæis. *Peccare & mentiri*, ideſt, peccauimus, & mentiti ſumus contra Dominum; nam infinitiuus ſumitur pro indicatiuo, & ſic vertunt Septuaginta. *Impie egimus & mẽtiti ſumus*; quod S. Cyrillus ad impia illa refert mẽdacia, quæ aduerſus Dominũ euomuerunt, cũ dicerent, *In Belzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia*. Et iterũ, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Et rurſus, *Hunc inuenimus ſubuertentẽ gentem noſtram, & prohibentẽ tributa dari Cæſari*. Præterea mẽtiti ſunt contra Dominum: nam promiſerunt illi, *omnia quæ præcepit nobis Dominus faciemus*, & nihil minus operati ſunt poſtmodum. Vnde & Dominus iuſte conqueritur, dicens, *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis*. Sequitur. *Et auerſi ſumus, &c.* Significant hæc verba, auerſionem illam, de qua Hieremias ait: *Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa?* Non enim ex zelo honoris diuini, ſed ex contentione malitioſa, ex odio & inuidia, facies ſuas auerterunt à Domino, & perſecuti ſunt eũ dicentes. *Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat. factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, &c.* Et cum clamaret Chriſtus, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: illi auerſi ſunt, & elongati à via veritatis, & poſt tergum monẽtis ire noluerunt. Quod autem ſubdit, *Vt loqueremur calumniam, &c.* repetitio eſt eius, quod dixerat, *Peccare & mentiri contra Dominum*, Et refertur ad tergiuerſationes, quibus Iudæi calumniabantur Chriſti miracula. Nunc aſſerentes in Belzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia; nunc eum arguentes, quod in Sabbato curaret. Nunc eum blaſphemantes, & dicentes: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus*. Expendatur illud verbum *de corde*. Significat enim, non ex ignorantia, ſed ex inuidia, ex odio, ex malitia, mendacia illa & calumnias Phariſæorum proceſſiſſe. Quod magis explicat tranſlatio Vatabli. *Præuaricari, & mentiri aduerſus Dominũ, deficere poſt tergum à Deo noſtro, loqui calumniam & defectionem, eiaculari, & concinnare ex corde falſos ſermones*. Verbis enim ſuis, tamquam iaculis Iudæi impetere Chriſtum conabantur; ſed fruſtra, & in proprium damnum; nam in caput ſuum retorque-

Cyrillus.

Luc. 11.

Ioan. 8. f

Luc. 23. a

Pſal. 17

Hier. 8. b

Sap. 2.

Matt. 8 d

Iudæi malitioſe contra Chriſtũ inſurgebant.

Matth. 11. c

quebantur iacula, in petram, ideſt,
Chriſtum, iactata. Hæc de Iudæis di-
cta ſunt: ſed omnibus competũt pec-
catoribus, qui proximos ſuos calum-
niantur, & eos decipere curant, prode
re, mordere, & conuitijs infamare, Et
verbum, iaculari, immanitatem quan
dam & crudelitatem ſignificat, qua
iniqui aggrediuntur innocẽtes, iuxta
*Pſal.10.* illud Pſalmiſtæ, *Quoniã ecce peccato-
res intenderũt arcũ, parauerũt ſagit-
tas ſuas in pharetra, vt ſagittẽt in ob-
ſcuro rectos corde. Quoniã quæ perfeci
ſti, deſtruxerũt, iuſtus autẽ quid fecit?*

15 *Et conuerſum eſt retrorſum
iudicium, & iuſtitia longe ſtetit: quia
corruit in platea veritas, & æquitas
non potuit ingredi. Et facta eſt veri-
tas in obliuionem: & qui receſſit à
malo, predæ patuit*. Vatablus. *Iudi-
cium retroactum eſt, & iuſtitia à lon
ge ſtat, quia concidit in plateis veri-
tas, & æquitas nequit prodire. factũ-
que eſt, vt, veritate exulante, quicum-
que à malo recedit, prædæ ſeſe expo-
nat*. Per iudicium & iuſtitiam, tute-
lam Dei & protectionem ſignificat,
qua ſuos protegit, & defendit, & ar-
guit in æquitate pro mãſuetis terræ.
Iuſtitiam vocat, cum eos tuetur, ne
quis illos iniuſte lædat. iudicium cũ
vlciſcitur iniurias ſuis illatas. Signifi-
cat ergo in præſenti, Deum abieciſſe
curam populi Iſraelitici, & deſtituiſſe
illum auxilijs & protectione ſua, in
magnam eius perditionem. Et cum
ait, *Conuerſum eſt retrorſum iudi-
cium, &c.* ſignificat, Iudæis dereli-
ctis, Dominum ad gentes tranſiſſe.
Cui conſonat illud, quod Paulus &
Barnabas Iudæis incredulis dixerũt.
*Act. 13. g* *Vobis oportebat primum loqui verbũ
Dei: ſed quoniam repellitis illud, &
indignos vos iudicatis æternæ vitæ,
ecce conuertimur ad gentes*. Senſus
ergo eſt. In tanta impietate Iudæorũ,
inter tot calumnias, & mẽdacia, quod
*iudicium*, quæ *iuſtitia*, quæ ſalus ex-
pectari poteſt? *Quia corruit in pla-
tea veritas*, ideſt, etiam ſi veritatẽ
quis liberè velit docere, ac publicè,
& in plateis prædicare, non permit-
tunt maiores, ſed mox talem, vt ad-
uerſarium, indicta cauſa, & non red-
dita ratione in carcerem conijciunt.
Exempla Sanctorum quamplurima *Veritatis publica oppreſſio notatur.*
ſunt ad manum, quos principes tyran
ni, ſtatim vt Chriſtum Dominum pu-
blice confitebantur, in tetros carce-
res detrudebãt, magnis pollicitatio-
nibus eos allicientes, vt veritatem,
quam nouerant, abnegarent. Quod
ſi in ſua cõfeſſione fortes perſiſterẽt,
adhibebant, tormenta, & multa mala
minabantur, vt veritatem opprime-
rent. Sic Iudæi *conuocantes Apoſto-* *Act.5.g*
*los, cæſis denunciauerunt, ne omnino
loquerentur in nomine Ieſu*. In pla-
teis ergo *corruit veritas*, quoties nul-
lus publicè eam audet docere, vel te-
ſtimonium perhibere veritati, ſed in
corde manet perclua, aut in domo,
quod eſt omnium malorum grauiſſi-
mum. *Circuite vias Hieruſalem* (ait *Hier.5. a*
Hieremias,) *& aſpicite, & conſidera-
te, & quærite in plateis eius, an inue-
niatis virum facientem iudicium, &
quærentem fidem: & propitius ero ei.
In plateis* (inquit) quoniam nullus
inueniri potuit, qui *in plateis*, hoc eſt
in publico ſeruaret fidem, & confite-
retur veritatem: ideo æquitas non
potuit ingredi, ne à peruerſis carpe-
retur. ideo veritas ſtetit ſurſum, ne
male tractaretur deorſum. Vnde Pſal
miſta. *Domine in cælo miſericordia* *Pſal. 35*
*tua, & veritas tua vſque ad nubes.
Vſque ad nubes*, inquit, quoniam *in
plateis* male tractatur: nam & con-
uerſante in terris cũ hominibus Chri
ſto Domino, qui via eſt, veritas, & vi-
ta, præualuit iniquitas, & ipſe iniuſte





ab hominibus occiſus eſt. Vnde non
mirum, quod obliuioni traderetur ve
ritas, & recedentes à malo, paterent
prædæ, more videlicet ſpoliorum.

16 *Et vidit Dominus, & malum
apparuit in oculis eius, quia nõ eſt iu
dicium*. Ideſt, valde diſplicuit ei,
quod in terra eſſet tanta rerum om-
nium deordinatio, ac pauperum op-
preſſio; & nullus inueniretur qui pec
catores argueret. Sequitur. *Et vidit
quia nõ eſt vir: & aporiatus eſt, quia
non eſt qui occurrat*. Oſtendit, nos
omnes concluſos ſub peccato eſſe, in-
digereque gratia Dei, Saluatore, &
Redemptore, de cælo miſſo, ad quem
recurrere oportet, vt conſequamur
ſalutem. *Et vidit* (inquit) *quia non
eſt vir*, ideſt, vidit nos omnes deſti-
tutos virtute, ac maximis oneratos
peccatis. *Vidit*, non eſſe virum vllum
præſtantem, dignumque nomine viri,
qui ob vitæ ſanctimoniam aliquid va
leret apud Deum, qui & communibus
malis occurreret, & cauſam iuſtitiæ
*Pſal. 13 a* & veritatis ageret. *Omnes enim de-
clinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt,
non eſt qui faciat bonum, non eſt vſ-
que ad vnum. Et* hæc videns *aporia-* *Aporiari quid ſignificet.*
*tus eſt*. ideſt, contriſtatus de infideli-
tate eorum. Ita gloſa interlinealis.
Vel de miſeria & infelicitate eorum
moleſtatus, vt explicat Lyranus.
Pagninus vertit *admiratus eſt*: &
in theſauro linguæ ſanctæ, exponitur,
*obſtupuit*. Significatque, Deum ad
modum admirantis, atque obſtupe-
ſcentis ſe habuiſſe. ac ſi diceret: Hic
ne eſt populus quem elegi, quem edu
xi de Aegypto, cui in monte Synai le
gem dedi, quem in terram lacte &
melle manantem introduxi? Tot il-
lum peccatis, tot oppreſſionibus pau
perum video obuolutũ, vt quaſi per-
plexus maneam, & inops conſilij, nec
viam inueniẽs, qua graſſantibus ma-
lis occurram. Verbum, aporior,
idem ſignificat, quod, hæreo. in qua
ſignificatione illo vſus eſt Vulgatus,
2. ad Corinthios 4. *In omnibus tri-* *2. Cor.4*
*bulationem patimur, ſed non angu-
ſtiamur: aporiamur, ſed non deſti-
tuimur*. Pagninus, vbi nos legimus,
*quia non eſt qui occurrat*, transfert,
*quia nullus eſt qui oret*, Et vox He-
bræa vtrumque ſignificat, & occurre-
re, & orare. Propter hoc aporiatus
eſt Dominus: quia nullus erat, qui irã
eius placaret. Cum ergo nullũ aliud
ſupereſſet remediũ, Filium vnigeni-
tum miſit, vt populum ſuum à pecca-
tis redimeret: ſubditur enim.

17 *Et ſaluabit ſibi brachium ſuũ,
& iuſtitia eius ipſa cõfirmauit eum*.
Commendat maxime locus iſte exi-
miam Dei miſericordiã. Cum enim
poſt tot populi peccata, poſt oppreſ-
ſiones & calumnias pauperum, poſt
innumera mendacia, nihil expectare-
tur aliud quàm intolerabilis ira Dei,
& mors hominum impiorum, atque
tremendum iudicium; præter omnẽ
humanam expectationẽ occurrit Dei
miſericordia, pro morte vitam, & pro
inferno paradiſũ largiẽs. *Et ſaluabit
ſibi brachiũ ſuũ*, ideſt, Filiũ ſuũ mit-
tet carne humana indutũ, qui ſuo ro-
bore ſuſtinebit mundum vniuerſum;
& à malis imminentibus eripiet. *Sal-
uabit ſibi* (ideſt) ſibi innixus, & pro-
priæ virtuti, vindictam ſumet de ini-
micis noſtris, & de peccato damna-
bit peccatum in carne ſua. Simili
phraſi loquendi vtitur Pſalmiſta, cum
ait: *Saluabit ſibi dextera eius, & bra* *Pſal. 97*
*chium ſanctum eius*. Per *brachium*,
Filium intelligit, de quo prædixerat
ſupra. *Et brachium Domini cui re-* *Iſai.53.*
*uelatum eſt?* Ipſe eſt brachium Pa-
tris, dextera & iuſtitia eius. Et dicen-
do, *Saluabit ſibi*, innuit ſalutem,
quam nobis attulit, ſpiritualem eſſe,

non corporalem;animæ, non corporis. Quod ſanctus Auguſtinus his verbis notauit. *Non enim dixit tantū, orbem terrarū ſanauit dextera eius: ſed, ſanauit ei. Multi enim ſanantur ſibi, non ei. ecce quam multi cupiunt ſanitatem iſtam corporalem, & ab illo accipiunt, & ab illo ſanantur, & non illi ſanantur? Quomodo ab illo ſanantur, & non illi ſanantur? Accepta ſanitate laſciuiunt, qui ægroti caſti erant, ſanati adulteri fiunt, qui cum ægrotarent neminem lædebant, receptis viribus inuadunt, & opprimunt innocentes: ſanati ſunt, ſed non ei. Quis eſt qui ſanatur ei? qui intus ſanatur. quis eſt qui intus ſanatur? qui credit in eum, & cū interius fuerit ſanatus, in nouum hominem reformatur, poſtea & hoc quod languet ad tempus, caro iſta mortalis, recipiet in finem & ipſa ſuam perfectiſſimam ſanitatem. Sanemur ergo ei. Vt autem ſanemur ei, credamus in dextera eius, quia ſanauit ei dextera eius, & brachium ſanctum eius.* Præterea etiam *ſaluauit ſibi*; quia nullis noſtris præcedentibus meritis, *non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos: ſed ſecundum miſericordiam ſuam, ſaluos nos fecit. Et iuſtitia eius, &c.* Per iuſtitiam eius, Chriſtum intellige, qui *factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, per quem adimpletæ ſunt promiſſiones patribus olim factæ. Dicit enim Apoſtolus: *Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrū.* Poteris etiam per iuſtitiam, Chriſti paſſionem intelligere, per quam (vt notauimus ſupra) dato pretio ex iuſtitia commutatiua nos redemit, atque ad æqualitatem Deo pro iniuria ab homine illata per peccatum ſatiſfecit. Ex iuſtitia confirmauit eum. Scilicet Deum. Vel, vt transferunt Pagninus, & Vatablus, *fulciuit eum*, vt videlicet ad finem vſque perduceret decretum, quo ſtatuit ſaluare homines. Idque perfecit innixus ſua bonitate, non alienis meritis. & loquitur, ſumpta ſimilitudine ab ijs, qui dum iter faciunt, humeris aliorum innituntur. ſic Vatablus. Aliter poſſunt hæc verba explicari, ita vt illud relatiuum, eum, referat brachiū eius, ideſt, Chriſtum. Et ſenſus eſt, *Iuſtitia*, ideſt, ſanctitas ipſius, quam habet à Patre tamquam vnicus & naturalis eius filius; *ipſa*, inquam, confirmauit, ſuſtinuit, fundauit, & ſtabiliuit eū, ne poſſet à principe tenebrarum ſuperari: ſed virtute diuina ſibi propria omnes aereas debellaret poteſtates, mortem vinceret, & infernum ſpoliaret. Ex quibus conſtat, Chriſtum Dominum, non ſolum hominem, ſed etiam eſſe verum Deum: nam purum hominē, quomodo poſſet propria, & connaturalis ſibi ſanctitas ſtabilire, atque inſuperabilem facere, cum omnes ſint natura filij iræ, omnes peccatores, & egeant gratia Dei. Conſonant huic explicationi verba ſequentia.

Aug. ſup. Pſalm. 97. tom. 8.

Sanari Deo quid ſit.

Tit. 3.

Rom. 15 b

Sup. cap. num.

Chriſtum diabolus ſuperare nō potuit.

18 *Indutus eſt iuſtitia vt lorica, & galea ſalutis in capite eius: indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli.* Oſtendit, quibus armis debeat Chriſtus vti, congreſſurus cum dæmone, & qua virtute ſit illum expugnaturus, videlicet, humilitate, patientia, longanimitate, & cæteris virtutibus, quibus ſe præcinxit, atque occulta potentia diuinitatis. Vtitur autem ſimilitudine militum, qui proprium corpus armis muniunt, vt ictus aduerſariorum ſuſtinere valeant. Qua ſimilitudine vſus eſt etiam Apoſtolus, cum fideles aereas debellaturos poteſtates armare volens dixit. *Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus ſumētes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite: & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei)* Dicitur autem *iuſtitia* lorica, ſecundum ſanctum Thomā: quia ſicut lorica tegit membra, ita iuſtitia virtutes omnes. Sapientiæ 5. *Induet pro thorace iuſtitiā, & accipiet pro galea iudicium certum.* *Galea ſalutis*, cæteras ſignificat virtutes, quibus caput Chriſti, ideſt, diuinitas eius tegebatur. Caput enim Chriſti, Deus. Veſtimenta *vltionis* fuerunt humanitas eius, & veſtis illuſoria, qua opertus eſt à Iudæis: ſic enim *indutus*, vindicauit iniuriā, quam homo per peccatum Deo intulit, & imperium mortis deſtruxit, ac principem mundi huius eiecit foras. Trucidaturi enim alios, veſtes induunt viles, ne pretioſiores maculentur ſanguine occiſorū: Ideo declarans Dominus, ſe potenter debellaturum hoſtes generis humani, inquit, quod induet veſtes, quibus vti non ſoleat, niſi quando ſæuit in inimicos. Vnde inquirentibus Angelis, *quare rubrum eſt indumentum tuū; & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Reſpondit. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea; & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Idque *opertus quaſi pallio zeli*; quoniam zelans pro gloria Patris, hæc omnia operatus eſt: aut vero ex zelo, & nimio amore ſalutis noſtræ, & ſicut Paulus ait: *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos*: Quod etiam ſuperius innuit, cum dixit. *Zelus Domini exercituum faciet hoc*. Quidam, vltionem iſtam dicunt, illam eſſe, quam poſt paſſionem ſuam Dominus contra Iudæos ſumpſit, eos per Romanos deuaſtans. Alij volunt hæc verba illos reſpicere, qui prædicationi Euāgelicæ obtemperare noluerint: talibus enim ſuæ incredulitatis condignam pœnam retribuet. At contextus Prophetæ magis videtur dirigi contra principem tenebrarum, qui per peccatum & mortē mundum vniuerſum tenebat captiuū. Eius enim opera diſſoluere venit Chriſtus, Ioanne dicente, *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli*. Contra illum ergo aciem ſuam direxit Chriſtus: Regnū peccati deſtruxit, deleuit mortem, atque infernum ipſum exſpoliauit. Hæc eſt retributio, quam meruit princeps huius mundi, hæc vindicta, quam ſumpſit Dominus de inimicis ſuis. Huic explicationi applaudit Vatablus, & eā proſequitur Forerius.

Chriſtus quibus armis diabolum ſuperauit.



Eph. 6. c

Iuſtitia dicitur lorica.

Sap. 5.

Galea ſalutis virtutes deſignat.

Veſtimenta vltionis quæ dicantur. *

Iſai. 63.

Eph. 2. b

Iſai. 40.

1. Ioan. 3. b

*Inſulis vicem reddet.* Per inſulas, gentes intelligit, à cultu, & agnitione veri Dei remotiſſimas, atque hoſtibus humani generis ſubiectas. his ergo *vicem reddet*. quod ſumitur in bonam partem, ita vt ſenſus ſit: Pro malis retribuet gentibus bona: & vindicta quam ſumet contra principem tenebrarum, qui gētes tenebat captiuas, non erit abſque magno earumdē gentium, atque inæſtimabili lucro: nā idololatria deſtructa, ad vnius Dei cultum inſulas reducet. Sunt qui in malam partē hæc interpretentur verba, quaſi dicat. Nullus, qui in præſenti vim ſanctis, & iniuriam Deo intulerit, impunitus abibit, etiam ſi in remotiſſimis terræ partibus vitā agat.

Nam vbilibet fuerint iuſti, protegentur à Deo, & ab hoſtibus ſuis vindicabuntur, non ſine magno totius orbis timore & tremore. Subditur enim.

19 *Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini: Et qui ab ortu Solis, gloriam eius: Cum venerit quaſi fluuius violentus; quem ſpiritus Domini cogit*. Hoc loco Iudæi, qui temporale Chriſti regnum expectant, nobis credentibus obijciunt. Dic Chriſtiane, vbinam illi ſunt, de quibus vindictam ſumpſit Dominus? Vbi reddidit viciſſitudinē hoſtibus ſuis, vt omnis mundus timeat nomen eius? Verum ex aduerſo nos illis reſpōdemus. O cæci & duro corde, nonne retribuit vobis ipſis? nonne vos illi eſtis, qui contra Chriſtum Domini inſurrexiſtis, & populum eius perſequuti eſtis? An non ira Dei efuſa eſt in vos? Vbi templum veſtrum? vbi Hieruſalem ciuitas ſancta? Vbi lex? Vbi Sacerdotium? Vobis ergo excæcatis illuſtratus eſt mundus: Et qui in Oriente & Occidente Idolis ſeruiebant, nunc, illis reiectis, Patrem cæleſtem adorant in ſpiritu & veritate. Neque ignoramus, hoſtes noſtros per Chriſtum in mari Rubro eſſe demerſos, dū aquis baptiſmatis noſtra deleuit peccata.

*Michea* 7.

Scriptum eſt enim, *Deponet iniquiquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Igitur per fluuium violentum, ſacram intelligit vndam baptiſmatis, per quā Dominus vim infert diabolo, & ipſū cogit, vt à cordibus fidelium recedat. Loquitur autem Propheta, ſumpta ſimilitudine ab aquis fluminis, quarum impetum ſpiritus vehemens, ſeu ventus, adiuuat: Illis namque nullus poteſt reſiſtere, aut earū curſum impedire. Tales ergo ſunt aquæ baptiſmi, quas ſpiritus Domini adiuuat, dū accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, cuius virtuti ſi ſe opponat ex aduerſo diabolus, proſternitur, atque deijcitur. Vbi notandum, quod verbum Hebræum, pro quo Vulgatus tranſtulit, *cogit*, ſignificat, eleuare, quo innuitur, materiam Sacramenti, ablutionem videlicet per formam Sacramentalem eleuari, vt Spiritus ſancti virtute corpus tangat, & cor abluat. Alij per fluuium violentum, prædicationem intelligunt Euangelicam, quæ, Spiritu ſancto flante, ad inſtar fluminis inundantis breui totum orbem terrarum percurrit, & regnum diaboli ſubuertit, *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. In huius rei ſignum, *dum complerentur dies Pentecoſtes, factus eſt repente de cælo ſonus tamquā aduenientis ſpiritus vehementis*, vt per illum impulſum intelligeremus ſpiritum Domini, fluuiū prædicationis Euangelicæ impellentem cuius curſum nullus potuit detinere, ſecundum illud, quod diſcipulis ſuis dixit Saluator: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri*. Leo Caſtrenſis ſequutus Theodoretum, & Cyrillum, hæc verba refert ad euerſionem ſanctæ ciuitatis, quam poſt paſſionem Chriſti, ira Dei ad inſtar rapidiſſimi fluminis ſuperueniens diſſipauit.

*Baptiſmus eſt flumen violentum.*

*Prædicatio Euangelij eſt flumē violentum.*

*Marci.* 16.

*Act.* 2.

*Luc.* 21. c

20 *Et venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus*. Explicat tempus, quo adimplenda ſunt quæ prædixit, videlicet, cum *venerit Sion redemptor*, ideſt, qui redimet Sion, & auertet impietatem à Iacob, ideſt, à fidelibus, qui velut Iacob mundum ſupplantauerunt. Apoſtolus refert hanc Prophetiam ad Iudæos, qui ſublato velamine conuertētur in fine ſæculi, dum ait: *quia cæcitas ex parte contigit*

*Rom.* 11 d

in



*in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob*. Sequitur. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus*. Septuaginta. *Hoc eis à me teſtamētum, dicit Dominus*. Paulus Apoſtolus. *Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum*. Ex quibus conſtat, *fœdus* in præſenti pro nouo accipi teſtamento, cuius vnico ſacrificio totius mundi delentur peccata: nam ſanguine taurorum, & hyrcorum auferri impoſſibile eſſe judicauit Apoſtolus. Hinc & Saluator. *Hic eſt* (inquit) *ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hoc* eſt *fœdus*, hoc pactum, quod per Hieremiam pollicitus fuerat. *Ecce* (inquit) *dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael: poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eā: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*. Apoſtolus autem, auctoritati quam iuxta Septuaginta interpretū tranſlationē adducit ex Iſaia, ſuperadidit illa verba; *cum abſtulero peccata eorum*, quæ quidem videtur deſumpſiſſe ex verbis illis Ieremiæ ſubiunctis in auctoritate inducta. *Quia propitiabor iniquitati eorū, & peccati eorum nō memorabor amplius*. Si noſſe deſideras, quale ſit *fœdus*, quod cum eis pepigit Dominus, audi quod ſequitur.

*Heb.* 10

*Matth.* 26.

*Hiere.* 31. f

*Ibid.*

21 *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, Et de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & vſque in ſempiternum*. Vatablus. *Spiritus meus qui ſuper te eſt, & verba mea, quæ inſerui ori tuo, numquam excident de ore tuo, neque de ore ſeminis tui, neque de ore nepotum, ac pronepotum tuorum, dicit Dominus, porrò in ſempiternum*. Sanctus Hieronymus arbitratur, verba hæc dirigi ad Iſaiam. Procopius Gazaeus, & Cyrillus, ſentiunt verba eſſe Patris ad vnigenitū eius Filium directa. Alij exiſtimant in præſenti, per apoſtrophem, Patrem & Filium ad Eccleſiam ſermonē conuertere, ex cuius ore numquam defecit neque deficiet veritas. Explicatio ſancti Hieronymi non eſt ſpernenda. Aliæ duæ expoſitiones textui cōſonæ videntur. Et iuxta explicationē Procopij ſenſus eſt. *Spiritus meus*, (ideſt) Spiritus ſanctus *qui eſt in te*, (Spiritus enim ſanctus ſpiritus eſt Patris, & Filij; quoniam pariter ab vtroque procedit) *& verba mea quæ poſui in ore tuo* (ideſt) *verba* Euangelicæ prædicationis, de quibus ſuperius dixerat, *fœdus meum cum eis, nō recedent de ore tuo*. Prædicauit enim Chriſtus doctrinam quam Pater poſuit in ore eius, ideſt, quam accepit à Patre, ipſo atteſtante: *Doctrina mea non eſt mea; ſed eius qui miſit me Patris*. Et iterum. *Veritatem vobis loquutus ſum quam audiui à Deo*. Nec ſolum *de ore tuo* non recedent, ſed nec *de ore ſeminis tui*, ideſt, Apoſtolorum, de quibus inferius dicitur. *Quia iſti ſunt ſemē, cui benedixit Dominus*. Parum dixi. Aliquid reſtat ſuperaddendum, neque etiam *recedēt de ore ſeminis ſeminis tui* (ideſt) de ore eorum, qui ſuccedent Apoſtolis,

Hieron. Procop. Cyrillus lib 1. de ſpiritu & littera.

Spiritus ſanctus à Patre, & Filio procedit.

*Ioan.* 7. b

*Ioan.* 8. e

*Iſai.* 61

qui pro patribus ſuis naſcētur in Ec-
Pſal. 44 cleſia, iuxta illud. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Vbi perpetua ſucceſſio Pontificum, & prædicatorum Euangelij futura in Eccleſia deſignatur. Quorum doctrina fideles nutriuntur, & fides Catholica defenditur, & roboratur.

22 Si vero, iuxta vltimam interpretationem, ad Eccleſiam Catholicam hæc verba referantur, ſenſus etiã eſt ſatis planus; duo enim promittuntur illi, alterum eſt perpetua aſſiſtentia Spiritus ſancti, cuius inſtinctu atque impulſu dirigitur ſemper, & gubernatur. Sicut enim Filius de ſeipſo
Matth. 28. loquens dixit: *Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, ita & de Spiritu ſancto
Ioan. 14 b ſermonem inſtituens ait: *Et ego rogabo Patrem, & alium paraclytum, dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autẽ cognoſcetis eum, quia apud vos ma-*
Veritas ab Eccleſia deficere non poteſt *nebit, & in vobis erit.* Alterum vero eſt, inconcuſſa, & indefectibilis veritas, contra quam portæ inferi præualere non poterunt; atque infallibilitas in definiendis rebus fidei, quæ in vno reſidet Romano Pontifice, ex cuius ore omnes fideles pendent, parati credere, quod ipſe decreuerit eſſe credendum, & reijcere, quod reij-
Pontificis Rom. ex ore petendæ ſunt definitiones fidei.* ciendum iudicauerit. Vnde ab illo petendæ ſunt ſanctiones, & definitiones in controuerſijs fidei, ac legitimę Scripturarum interpretationes: quoniam ſolus ille habet infallibiliter aſſiſtentem ſibi Spiritum ſanctum, cui
Luc. 23 dictum eſt. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Expendatur illud verbum in translatione Pagnini, videlicet, *quæ inſerui ori tuo*: ſignificat enim Spiritum ſanctum ſuggerere, atque inſerere ori Romani Pontificis, non ſolũ ſenſum Catholicum, ſed etiam verba quibus aptè & congruè determinet controuerſias fidei. Lege quæ circa hoc notata ſunt in illa verba, *ciuitas Solis vocabitur vna*. Sup. cap. 19. nu. 20.

23 *Spiritus meus qui eſt in te.* Poſſunt hæc verba non inconuenienter aptari Patriarchæ noſtro ſancto Dominico, qui Spiritu ſancto afflatus, ordinem Prædicatorum inſtituit. Verba enim Euangelicæ prædicationis, quæ Deus poſuit in ore eius, ex ore filiorum eius non receſſerunt, nec recedent vſque in ſempiternum. Vnde ſimilem illum viro eſſe dixerim, quem ſanctus Daniel vidit veſtitum Daniel 10.
lineis. *Leuaui* (inquit) *oculos meos, & vidi; & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi chriſolytus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, vt vox multitudinis.*
S. Dominicus confertur viro quẽ vidit Daniel lineis veſtitum.*
Oculos ſuos leuauit Propheta, vt virum illum videret: & nos oculos noſtros leuare oportet, vt in culmine perfectionis Euangelicæ Patrem noſtrum tamquam in ſpecula conſtitutum videamus. Patrem dixerim, an virum? Vtrumque plane. Pater enim eſt, qui tot ſpirituales filios genuit in Chriſto: vir, quoniam robuſtus & fortis, qui nullo potuit dæmonis incurſu ſuperari. *vir vnus*, quia perfectionis ſingularis; *vnus*, quoniã vnitatẽ dilexit ſemper, & pacẽ, quam pro teſtamento dilectis filijs reliquit. Nam in ipſo iam fere mortis articulo conſtitutus, *hæc*, ait, *ſunt fratres chariſſimi, quæ vobis tamquam filijs hereditario iure poſſidenda relinquo.*



*Charitatem habete, humilitatem ſeruate, paupertatem voluntariam poſſidete. Veſtitus* erat *lineis*, hoc eſt, vitæ innocentia ornatus, atque virginitatis decore. *linum enim* (vt Auguſtinus ait) *quia ſine carnis voluptate de terra procreatur, ideo caſtitatis imaginem præferre videtur, in tantũ vt Sacerdotes veteris teſtamẽti ex præcepto legis, propter caſtitatis indicium, lineis femoralibus vterentur.* Poteris etiam per lineam veſtem, laborioſam vitam & rigidam intelligere, cuius veſtis linea typum gerit, propter innumera tormenta quæ patitur linum, vt ad ornamentum homi-
Augu. ſer. 234. de tẽpore tom. 10 ni deſeruiat. Sanctus Auguſtinus per lineam veſtem, interiora inquit ornamenta deſignari, ideſt, puritatem conſcientiæ, charitatem, & interiores virtutes, quibus apud Deum fulgent fi-
Exod. 28. deles. Nam veſtis linea intus portatur ad carnem. Lanea autem veſti-
Linea veſtis & lanea quid ſignificẽt. menta, quibus exterius vtuntur communiter homines, exteriora opera virtutum deſignant: nam in oculis aliorum fideles ornant. Auro obrizo accincti renes, viri Euangelici præparatum animum deſignant, vt per orbem terrarum diſcurrat, & nomen portet Ieſu Chriſti coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael. *Corpus* autem *eius quaſi chriſolytus* eſſe perhibetur, quoniam Dominicana familia multis fulget ſanctorum radijs, & frequenti prædicatione ad inſtar chriſolythi ſcintillat. Vere *facies eius* fuit velut *ſpecies fulguris*, in cuius S. Dominici ſtella.
fronte ſplendor apparuit, cuius ſermones ardebant quaſi faculæ *pro zelo pereuntium*. Vnde *matri ſuæ carnali adhuc eum in vtero geſtanti præmonſtratus eſt in figura catuli, accenſam in ore faculam baiulantis: matri vero ſpirituali apparuit, quaſi geſtãs ſtellam in fronte.* In brachijs *quaſi æris candentis*, fortitudo deſignatur ad labores plurimos pro Chriſti nomine & animarum ſalute ſuſtinendos. Denique *vox ſermonum eius*, vt vox multitudinis; quoniam non ſolum per ſeipſum, ſed etiã per multitudinem fratrum ſuorum (quos per orbem diſperſit) Euangelium prædicauit. Verba ergo quæ Deus poſuit in ore eius, numquam receſſerunt de ore eius, neque ex ore ſeminis eius, nec recedent de ore ſeminis ſeminis eius vſque in ſempiternum. Annunciabunt illa *filij qui naſcentur, &* Pſ. 77.
*exurgent, & narrabunt filijs ſuis. Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Narrauit ea ſanctus Petrus martyr, ſanctus Antoninus, ſanctus Hyacinthus, & ſanctus Raymundus. narrauit & Thomas Angelicus, quem os Dominicanæ familiæ non immeritò dixerim. Dedit
enim illi Dominus linguam erudi- Iſai. 50. b
tam, vt ſuſtentaret debiles, doceret ignorantes, atque arcana diuinæ Sapientiæ mundo manifeſtaret vniuerſo.

# CAPVT LX.

1. SVRGE illuminare Ieruſalem: quia venit lu-
men tuum, & gloria Domini ſuper te orta
eſt. 2. Quia ecce tenebræ operient terram,
& caligo populos: ſuper te autem orietur
Dominus, & gloria eius in te videbitur. 3.
Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & re-
ges in ſplendore ortus tui. 4. Leua in circui-
tu oculos tuos, & vide: omnes iſti congre-
gati ſunt, venerunt tibi: 5. filij tui de longe
venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. 6. Tunc videbis, & afflues,
mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te mul-
titudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi: 7. Innundatio came-
lorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: 8. omnes de Saba
venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuncian-
tes. 9. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth
miniſtrabunt tibi: offerentur ſuper placabili altari meo, & domum
maieſtatis meæ glorificabo. 10. 11. Qui ſunt iſti, qui vt nubes vo-
lant, 12. & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. 13. Me enim inſulæ ex-
pectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longe:
argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui,
& ſancto Iſrael, quia glorificauit te. 14. Et ædificabunt filij peregri-
norum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi: in indignatio-
ne enim mea percuſſi te: & in reconciliatione mea miſertus ſum
tui. 15. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non clauden-
tur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducan-
tur. 16. Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: &
Gentes ſolitudine vaſtabuntur. 17. Gloria Libani ad te veniet, abies
& buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, &
locum pedum meorum glorificabo. 18. Et venient ad te curui filij
eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum
omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini, Sion





ſancti Iſrael. 19. Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non
erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium
in generationem & generationem: 20. & ſuges lac Gentium, & ma-
milla regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & re-
demptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro affe-
ram argentum: & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: 21. & po-
nam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam. Non
audietur vltra iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis
tuis, & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. 22. Non
erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illu-
minabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus
tuus in gloriam tuam. 23. Non occidet vltra ſol tuus, & luna tua
non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternã, & com-
plebuntur dies luctus tui. 24. Populus autem tuus omnes iuſti, in
perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meæ, opus
manus meæ ad glorificandum. 25. 26. Minimus erit in mille, & par-
uulus in gentem fortiſsimam: 27. ego Dominus in tempore eius ſu-
bito faciam iſtud.

## SVMMA CAPITIS.

*EXHORTATVR in hoc capite Eccleſiam Catholicam, vt ſurgat, & nouæ lucis ſplendorem recipiat; quoniam multitudo gentium ad eam intrabit. De quo agit à principio capitis vſque ad verſiculum.* Omne pecus Cedar.

*Secundò, admiratur celerem curſum Apoſtolorum, qui vt annunciarent Euangelium, totum peragrarunt vniuerſum. verſiculo.* Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant.

*Tertiò, agit de ædificatione murorum cœleſtis Hieruſalem verſ.* Et ædificabunt filij peregrinorum.

*Quartò, denunciat, Eccleſiæ felicitatem futuram eſſe maximam, de qua agit ab illo verſiculo.* Pro eo quod fuiſti derelicta, &c. *vſque ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1. SVRGE illuminare Hieruſalem, quia venit lumē tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. In hac Prophetia, magis in ſpeciali proſequitur Iſaias ea, quæ in ſuperioribus de Regno Chriſti & Eccleſiæ cœperat pertractare, denuntiatque, eamdem Eccleſiam per Euangelij prædicationem congregandam eſſe in vniuerſo mundo, atque omnibus ſpiritualibus bonis ampliandā. Spiritu ergo prophetico quaſi per apoſtrophem, conuertitur ad eam, quæ olim in paruo numero fideles continebat, & propterea in humilitate ſedebat, ac mœrore. Et ait: *Surge* tamquam libera & læta ad nouum nuncium, & ad nouam Euangelij claritatem percipiendam. & cauſam tantæ lætitiæ ſubdit. *Quia venit lumen tuum*, ideſt, ſalus tua, redemptio tua, adeſt Chriſtus, qui morte ſua iram Dei placabit, & reſurrectione ſua vitam noſtram reparabit. Ipſe eſt lux, & *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, lux admirabilis, de qua Petrus Apoſtolus electis aduenis ſcribens, *Vos*, inquit, *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumē ſuū*. Lux eſt nullas admittens tenebras: filij lucis, ſunt omnes fideles, ſicut ſcriptum eſt. *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat: Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarū*. *Igitur non dormiamus ſicut & ceteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus*. Et non dixit ſimpliciter *lumen*: ſed *lumen tuum*: habent enim pronomina emphaſim, & innuunt, oues vocem paſtoris agnoſcere, & qui ex Deo nati ſunt lucem illam ſuſcipere. Per gloriam Domini, filium Dei intelligit, qui gloria eſt Patris ſui. Nam vt notauit Cyrillus, *Chriſtus in ſacris litteris, gloria Domini appellatur, eo quod in ipſo, & per ipſum, & cum ipſo glorificetur Pater*. De hac gloria teſtatur Apoſtolus, ad Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Vatablus transfert. *Surge lucida eſto*. Et ait, quod Propheta alloquitur primitiuam Eccleſiam, & hortatur illam ad fidem in Chriſtum. quaſi dicat: da operam, vt conſequaris fidem. Pagninus, verbum illud, *illuminare*, idem eſſe ait, quod *ædificare ò Hieruſalem*. & redit eumdem ſenſum: quoniam fides eſt primum fundamentum totius ædificij ſpiritualis ciuitatis Dei. Septuaginta interpretes bis repetunt, *illuminare, illuminare Hieruſalem*, & geminatio illa non modicam habet emphaſim: ac ſi dicat: non ſolum exterius verba Euangelicæ prædicationis te oportet audire, ſed multo magis lumen fidei interius ſuſcipere, ac Dominum tuum præſentem agnoſcere, & venerari, atque gloriam eius ſpeculari, vt in eamdem imaginem transformeris à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Quod & Chriſtus Dominus in Euāgelio ſatis expreſſit, cum dixit, *Ego ſum lux mundi*. & iterum. *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: &, qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis*.

Eccleſiā alloquitur vt ſurgat.

Ioan. 1. — 1. Petr. 2. — 1. Theſ. 5. a — Cyrillus. — Rom. 3.

Do-



Ioan. 8. b — Ioan. 12 e

2 *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur*. Omnes aliæ gentes, omnes nationes extraneæ in tenebris erunt, & tenebris operientur, & in caligine populi ambulabunt: Tu ſola ò Hieruſalem, ò Eccleſia primitiua, quæ ſuſcepiſti Chriſtum, cæleſti perfunderis lumine, ſuper te orietur ſol iuſtitiæ, te illuminabit, & proteget, in te videbitur gloria & magnificentia miraculorum eius. Ex quibus patet, in præſenti non eſſe ſermonem de veteri Hieruſalem, quæ occidit Prophetas, & lapidat eos, qui ad ſe miſſi ſunt: de illa namque dicit Euangeliſta. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*: ſed de noua Hieruſalem, ideſt, de reliquijs illis, quæ ſuſceperunt Chriſtum, de quibus ſtatim ſubdit Euangeliſta, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Magna igitur lætitia nunciatur paruæ Eccleſiæ, quæ ſubito in magnam exſurrectura erat lucem. Vide quæ de hac luce diximus in illa verba. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*.

Ioan. 1. b — Sup. cap. 9. nu. 5. & 6.

3 *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui*. Vatablus, *venientque gentes ad lucem tuam, & reges ad ſplendorem tibi exorientem*. Ecce manifeſtam prophetiam vocationis gentium, quarū primitiæ fuerunt Magi, qui ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*. Illi vero ambulauerunt in lumine: quoniā ſecuti ſunt ducem ſtellam, *quæ antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer*. Vel ſecundum Vatablum, *Ambulabunt in lumine tuo*, ideſt, *imitabuntur fidem tuam in Chriſtum, quam docebis*. Nec ſolum gentes, ſed & reges in ſplendore ortus Solis ambulaturos denūciat, quod ad maiorem pertinet claritatem Eccleſiæ: neque enim ignobiles aut vulgares homines dumtaxat, ſed & reges & principes Eccleſiæ deſeruiunt, ſicut ſuperius dixerat: *Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te*. Quod etiam inferius repetit hoc eodem capite, cum ait: *Et ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis*. Poteris etiam, per reges, Magos intelligere, de quibus canit Pſalmiſta. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent*. Iuxta verſionem Vatabli, per lucem & ſplendorem, Chriſtus eſt intelligendus, de quo idem Propheta inferius ait: *Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem nō quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur*: De quo Apoſtolus. *Qui cum ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius*. Ad hunc ergo ſplendorem venerunt reges. Ait autem, exorientem tibi; quoniam Eccleſiæ ortus eſt Chriſtus, fidelibus ortus eſt, Pſalmiſta atteſtante. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors, & miſerator, & iuſtus*. Et iterum. *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia*. Iuſtis, inquit, & re-

Magi primitiæ gentium. — Matt. 2 — Ibid. — Iſai. 49. f — Pſ. 71. b — Chriſtus lux eſt, & ſplendor. — Iſai. 62. a — Hebr. 1. a — Pſ. 111. a

& rectis corde, qui non in manifeſto dumtaxat, ſed in occulto atque in ſecreto mentis recti ſunt apud Deum: nam reprobis non eſt ortus Chriſtus: ipſis atteſtantibus, *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Sap. 5. a

4 *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.* Hæc eadem formalia verba habentur ſupra cap. 49. quæ iã ibi, num. 17. explicata reliquimus. (Iſai. 49.) Hoc vnum in præſenti obſerua: Prophetam quaſi digito Eccleſiæ demonſtrare fidelium multitudinem, qui ex omnibus orbis partibus ad eius magiſterium confugerunt, atque in vnũ Chriſti ouile congregati ſunt; ac ſi apertius dicat. Noli ô Eccleſia, demiſſis oculis terram aſpicere, noli in puluere ſedere. *Surge*, eleua *oculos tuos, Vide* Apoſtolos principes tuos, vide fortiſſimos atque inuictiſſimos Martyres; conijce oculos in ſanctos Doctores tuos. Ecce innumerabilẽ Confeſſorum multitudinem, ecce quam plurimas virgines, quæ relicto ſæculo adhæſerunt ſponſo ſuo prædilecto Chriſto. *Omnes iſti* diſperſi erant, *Omnes* erant natura filij iræ; ſed Dei gratia *congregati ſunt*, atque vnum effecti cum Chriſto. Vnde & Eccleſia, cõgregatio fidelium nuncupatur. Animis quippe congregati ſunt filij Dei, fide, & dilectione, etiam ſi corporibus ſint remotiſſimi, vtpotè eiuſdẽ regni conciues. Omnes *venerunt tibi*, id eſt, in gloriam & laudem tuam, vt per te, & in te conſequãtur vitam, qui in protoparente ſuo incurrerant mortem. Pagninus vertit. *Omnes ipſi congregauerunt ſe, venerunt ad te.* vbi illud verbum, *congregauerunt ſe*, voluntariam deſignat fidelium conuerſionem, qui attracti à Deo, non coactè, ſed voluntariè venerunt ad illum. Congregabuntur ergo, non vi armorum, ſed pacifica prædicatione, vt cap. 2. num. 15. dictum eſt.

5 *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* quidam legunt, *de latere ſugent.* Septuaginta. *Ecce venerunt omnes filij tui de longe, & filiæ tuæ ſuper humeros portabuntur.* Pagninus. *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ iuxta latus nutrientur.* Vatablus. *Filij tui de longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus fouebuntur.* Placuit has omnes trãſlationes referre: quoniam ad maiorem noſtræ vulgatæ amplificationem deſeruiunt. Sanctus Hieronymus in præſenti, & gloſ. interlin. per filios, robuſtiores, per filias infirmiores intelligunt, atque imbeciliores, quibus omnibus aditus patet ad Eccleſiam. Sed filij robuſti de longe venerunt, quia multas pro Chriſto tribulationes patiuntur, & multis laboribus à longe peruenerunt ad Eccleſiam. De quibus Apoſtolus ait: *Vos qui eratis longe, facti eſtis prope.* (Eph. 2.) Vnde & Magi tamquã fortes & robuſti *ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorũ? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* (Matt. 2) Filiæ autem quæ imbecilliores ſunt, & pro fragilitate ſexus, necdũ ad virũ peruenere perfectum, Apoſtolorum portantur humeris, vt vertunt Septuaginta. Vel lac ſugent, vt legit Hieronymus. Lac Apoſtolorum, illud videlicet, de quo Apoſtolorũ princeps ait: *Quaſi modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite.* (1. Pet. 2.) Et Paulus, *Tamquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed nec nũc quidem poteſtis.* (1. Cor. 3 a) Et ad Hebræos ſcribens. *Imbecilles (inquit) facti eſtis* (Hebr. 5. d)

ad



(Pauli affectus erga fideles.) *ad audiendum. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis, vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, nõ ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.* Quod autem vertit Pagninus. *Et filiæ tuæ iuxta latus nutrientur*, eumdem redit ſenſum, cui conſonat illud Apoſtoli. (1. Theſ. 2. b) *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.* Quod Vatablus transfert, Et filiæ tuæ ad latus fouebuntur, emphaſim habet non modicam. Sicut enim gallina fouet oua calore ſuo, vt inde pullos educat: ita inquit, fouebunt Apoſtoli filios ſuos, donec in illis Chriſtus formetur, vt dicitur ad Galatas 4. (Gal. 4.) Hinc collige Eccleſiæ amplitudinem, quæ non iam in aliquo vno mundi angulo conſtringitur, ſed tam longe & late extenditur, vt orbem impleat vniuerſum; nõ enim prope dumtaxat, ſed & quam longiſſime naſcũtur ei filij, in vltimis videlicet terræ finibus. Secundò ſic exponitur. *Filiæ tuæ de latere ſurgent*, id eſt, ex latere Chriſti dormientis in cruce. *Perforato enim in cruce Domini latere, effluxit ſanguis redẽptionis, & aqua baptiſmi, de quibus facta eſt Eccleſia ſicut ex coſta lateris Adæ mater omnium Eua.* Sic explicat gloſa ordinaria. Hinc diſcant fideles, ex vulneribus pendere Redemptoris, & ſugere ex latere illius fluẽta donorum cæleſtium, vt nutriantur ſanguine quo ſunt redẽpti, & ad perfectionem vitæ perueniant Euangelicæ. Ceciderunt in Adam; ſed in Chriſto ſurgent; mortui ſunt in Adã, ſed in Chriſto viuificabuntur, vt dicitur ad Romanos 5.

6 *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Id eſt, cum ita turmatim ad te confluent vndique populi, cum ad te conuenerint ad inſtar fluuiorum omnes gentes, tũc videbis eos, & affflues, vel vt transfert Pagninus. Innundabis multitudine aquarum, id eſt populorum ad te confluentium. Et dilatabitur cor tuum præ gaudij magnitudine, ſicut antea dolore & mœrore fuerat conſtrictum. Nihil magis oblectat vere Chriſtianos, quam cum vident Eccleſiam augeri, & nomen Dei quam maxime dilatari, & à pluribus ſanctificari. Primum enim quod petimus in oratione Dominica, eſt exaltatio nominis illius ſanctiſſimi, *Sanctificetur nomen tuum.* Dolor & anguſtia premunt electorum corda, dũ experiuntur tot fideles ſeduci, tot excidere à fide, tot obdurari, & excæcari ſua malitia, & Deum omni dilectione dignum à pluribus offendi. Apoſtolus ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et iterum. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior:* (Rom. 9. a) *teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ.* Triſtabatur, & continuo afficiebatur dolore cum cerneret fratres ſuos, Iudæos inquã, pro quibus mortuus eſt

Chri-

Chriſtus in dies deteriores fieri,& nomen Ieſu, quod maximo proſequebatur amore,ab ingrato populo blaſphemari; nec vlla poterat conſolari ratione. Verum vbi triumphare agnoſcebat Euangelium,& Chriſti nomen exaltari, nouo atque inenarrabili gaudio perfundebatur. Ait enim: *Nam & ſi corpore abſens ſum,ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum eius,quæ in Chriſto eſt,fidei veſtræ.* Et iterum. *Itaque fratres mei chariſſimi,& deſideratiſſimi,gaudiũ meum,& corona mea: ſic ſtate in Domino,chariſſimi:* Talem affectum decet habere fideles,vt & de offenſis Dei doleant,& in amplificatione gaudeãt honoris diuini. Sequantur ſponſæ veſtigia,quæ inter blaſphemãtes viuẽs, & in medio nationis prauæ atque peruerſæ, loquens ad ſponſum ſuum,inquit. *Recti diligunt te.* *Bona profecto conſolatio* (ait Bernardus) *cum blaſphemamur à malis,bene faciẽtes, ſi recti diligant nos. Omnino ſufficit aduerſus os loquentium iniqua opinio bonorum cum teſtimonio conſcientiæ.* Adde & ſolatium ſolatio, & attende, quod & ſi nullus hominũ Deũ diligeret, Deus tamen ſeipſum diligit, quantum diligibilis eſt. Igitur Eccleſia in conuerſione gentium dilatatur,videns multitudinem maris ad ſe venire, & fortitudinem gentium Euangelium amplecti. Septuaginta, vbi nos legimus, *Tunc videbis,& afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum;* Vertunt. *Tunc videbis, & timebis, & ſtupebis corde.* quibus verbis ſignificatur ſolicitudo Eccleſiæ,quæ hortatur fideles ad Dei timorem,dicens per Apoſtolum, *Qui ſtat, videat ne cadat.* Vocat multitudinem maris, innumerabiles populos, qui ex maritimis regionibus colla ſua iugo Euangelij ſubdiderunt, innuens, vſque ad extrema terræ Eccleſiam dilatandam. Per fortitudinem gentium idẽ intelligit, quod per multitudinem maris. Vſuſque eſt hoc vocabulo,ad deſignandam conſtantiam qua innumerabiles martyres ex gentibus ad Chriſtum conuerſi fidem Catholicam confeſsi ſunt; ita vt mori pro illa non dubitarent.

Coloſ. 2. a — Philip. 4. a — Cant. 1. — Bern. ſer. 24. in Cãt. — 1. Cor. 10. d

7 *Innundatio Camelorum operiet te,dromedarij Madian,& Epha;Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes,& laudem Domino annunciantes.* Commemorat Orientales, quos cum ſuis facultatibus acceſsiſſe ad Eccleſiam Catholicam dicit, & adoraſſe Dominum, & pretioſa quæque obtuliſſe illi. Peculiare autem eſt illis populis,vehi camelis, & dromedarijs, quos Hebræi vocant camelos minores, & ſunt miræ agilitatis. Ait ergo, illos pretioſis varijſque muneribus oneratos, properare Hieruſalẽ in tanta multitudine, vt terram quaſi operire videantur, atque ad inſtar aquarum fluentium inundare. *Madian & Epha,* regiones ſunt trans Arabiam,fertiles camelorum, totaque prouincia (vt docet Hieronymus) Saba appellatur. Quod autem ſubdit. *Omnes de Saba venient, &c.* Manifeſtam continet Magorum prophetiam, qui, vt Matthæus refert, ab Oriente venerũt Hieroſolymam adorare Dominum,& pretioſa illi munera obtulerunt. Ita ſentiunt Chryſoſtomus, & Proſper Aquitanicus, qui in aduentu Magorũ aſſerunt adimpletã eſſe vtriuſque Prophetiam,& Pſalmiſtæ canentis, *Reges Tarſis,& Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent:* atque Iſaiæ dicentis: Omnes de Saba venient ferentes aurum, thus, & lapidem pretioſum,& ſalutare Domini bene nunciabunt. Sic refert Proſper textum Iſaiæ,quem ſic vertunt Septuaginta: *Omnes de Saba venient ferentes aurum, & thus, & ſalutare Domini Euangelizabunt.* Applaudit huic interpretationi, communis fidelium conſenſus,atque vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ in die Epiphaniæ tũ in matutinario officio,tum in miſſa præſentem decantat Prophetiam. Porro ex contextu Matthæi Apoſtoli,ſatis manifeſte colligitur, in Magorum aduentu fuiſſe completã. Quod enim Propheta prædixit futurũ, hoc Euangeliſta narrat impletum, vt patebit, ſi ſingula ſingulis conferantur. Iſaias ait: *Omnes de Saba venient.* Matthæus inquit, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* Saba autem ad Orientalem plagam pertinet. Nec te moueat, Iſaiam dixiſſe, *Omnes venient;* cum tamen Matthæus ſolum de tribus magis mẽtionem faciat. Nam iuxta conſuetudinem Scripturarum illa diſtributio, *omnes,* idem ſignificat quod, plures, aut aliquot. Propheta inquit, *Aurũ & thus deferentes:* & Euangeliſta teſtatur,hæc eadem Magos Chriſto Domino obtuliſſe. Ait enim. *Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum,thus,& myrrham.* Et quãuis in allata Prophetia nõ fiat mentio myrrhæ expreſſa, nomine thuris eam comprehendiſſe videtur. Denique quod in ſermone prophetico legitur, *Et laudem Domini annunciantes:* Vel,vt transferunt Septuaginta, *& ſalutare Domini Euangelizabunt,* hoc in hiſtoria Euangelica inuenies. Euãgelizauerunt quippe Magi Iudæis ſalutare Domini,ideſt Chriſtum,intrepide illum regem confitentes, & dicentes, *Vbi eſt,qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente,& venimus adorare eum.*

Magorum aduentus. — Matt. 2 — Chryſoſt. hom. 2. ſuper Matt. & hom. 1. ex varijs in eumdẽ Matt. Proſper de prædictionibus Dei par. 3 promiſsione. 6. — Pſ. 71. b

cia-



Matth. 2. — Ibid.

Ecce Magi Euangelizauerunt Chriſtum Iudæis incredulis,propter quod ſanctus Chryſoſtomus non immerito eos Euangeliſtas vocat.loquens enim cum Chriſto Domino, & multa loca Scripturæ adducens,quæ de vocatione gentium intelliguntur,ſic ait: *Nam & ipſe in aduentu tuo Magos ab Oriente vocaſti.& principia gentilitatis per illos ceſſare feciſti, & Euangeliſtas eos ad ſua remiſiſti.* Euangelizauerunt ergo ſalutare Dei,& lapidem pretioſum, illum videlicet,de quo dictum eſt ſupra. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum,in fundamento fundatum.*

8 *Omnes de Saba venient,&c.* Secunda explicatio huius loci,eſt ſancti Hieronymi, Cyrilli,& Theodoreti,& aliorum quamplurium expoſitorum, qui vniuerſaliter hoc explicant vaticinium, de conuerſione gentium,quæ ex diuerſis mundi regionibus venerũt ad Chriſtum, ſe,& omnia ſua offerentes illi,atque laudem illius annunciãtes. Per *aurum,* intelligunt charitatem.per *thus* odoris optimi, orationem,de qua dicit Pſalmiſta, *dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* & alia opera pietatis, quibus odorẽ bonæ famæ ex ſe emittunt electi, iuxta illud Apoſtoli; *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.* Omnibus ergo viris iuſtis hoc eſt ſpeciale ſtudium,vt ſe,& omnia ſua referãt in Deum, atque in obſequiũ conuertant illius, ſiue ſpiritualia bona ſpectes; ſiue diuitias temporales. Quidquid penes ſe habent,cõſecrant Deo. Hinc eſt,quod in primitiua Eccleſia,vt habetur Actorum 2. *Omnes qui credebant,erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant,& diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*

Chryſoſt. homil. 17. ex varijs in Matth. in illa verba, non ſũ miſſus,&c. col. 3. — Iſai. 28. d — Pſ. 140. a — 2. Cor. 2. d — Act. 2.

Et

Et cap. 4. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum: Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Impij autem abutuntur Dei beneficijs ad luxum, & ebrietatem, atque ea quantũ in ſe eſt corrumpunt, dum non in obſequium creatoris, illis vtuntur, ſed in offenſam illius.

9 *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi: offerentur ſuper placabili altari meo, & domum maieſtatis meæ glorificabo.* Cedar regio eſt Arabiæ, ſimiliterq. *Nabaioth*. Sanctus ergo

Hieron.

Hieronymus, non carnaliter hæc, ſed ſpiritualiter docet eſſe intelligenda. Per *arietes Nabaioth*, eos intelligit, qui de gentibus electi in Sacerdotiũ, miniſtri ſunt Saluatoris, & ſeipſos offerunt Deo hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Et dicuntur *arietes*, eo quod gregẽ Domini præcedunt, & tamquam miniſtri ſupremi paſtoris oues Chriſti ad locum paſcuæ deducũt cæleſtis; de quibus ſcriptum eſt,

Pſ. 28. a

*Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum: Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.* Vbi notandum quod prius dixit, *afferte Domino filij Dei:* & poſtmodum ſubiunxit, *afferte Domino filios arietum: Quoniam,* vt dicit Baſilius,

Baſil. homil. 5. in Pſalm. 28. tom. 1.

*non cuiuſuis donum eſt Domino Deo acceptum, ſed eius tantum, qui corde puro offert illud, ideo dicit, vt offerant illud, qui filij ſunt Dei. Non enim eſt accepta oblatio ex meretricis mercede. Ideo Pſalmus, prius nos vult eſſe filios Dei, deinde vltroneos accedere ad offerenda Deo dona.* Simile quid denunciat in hoc loco Iſaias, videlicet filios arietum, ideſt, filios Apoſtolorum & prædicatorum Euangelij, quos quidem filios per omne pecus Cedar intellexit congregãdos eſſe in Eccleſia, & offerendos Deo ſpiritualiter in altari placabili, ideſt in Chriſto, & per Chriſtum, per quem preces noſtræ, & oblationes noſtræ acceptæ ſunt Deo. Et quoniam ex his oblationibus, & ſacrificijs magnus decor, & gloria reſultat in Eccleſia, ideo ſubdit. *Et domum maieſtatis meæ glorificabo.* Cui conſonat illud. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego cõmouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes: Et veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meũ eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituũ.*

Aggei 2 b

Quæ enim fuit prima domus Dei, niſi Synagoga; quæ vero ſecunda, niſi Catholica Eccleſia, vt Cyrillus ait, Ambroſius, & Auguſtinus?

Cyrill. lib. 5. in Gen. Amb. lib. 3. cap. 12. Augu. 18. de ciuitate 45. 48.

Huius ergo domus, multo maior eſt gloria quam primæ: quoniam in illa Deo Patri Chriſtus offertur: & per illum ſeipſos offerũt in Dei obſequium omnes fideles, ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus congregati. Aſſignat autem hoc loco Propheta differentiam inter ſtatum legis antiquæ, & legis gratiæ, atque inter vtriuſque templum ſanctum. Tunc enim nõ licebat alienigenis, Deo hoſtias & ſacrificia in templo Dei offerre: quod ſi forte obtuliſſent, non erãt illi accepta. At in lege gratiæ non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, omnibus patet aditus ad Eccleſiam; omnes, placabiles hoſtias illi offerũt, qui per fidem, & charitatem adhærent Chri-



Heb. 13 c

Chriſto. *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficientiæ autem, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus.*

10 *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Videns Iſaias ſpiritu prophetico multitudinem fidelium confluentium ad Eccleſiam ex varijs mundi regionibus, ex Madian, Epha, & Saba, atque ex Cedar, & Nabaioth, ex Oriente & Occidente, à Septentrione & Meridie, eorum admiratur celeritatem, ac promptam obedientiam:

Gentes velociter ad Eccleſiam venerunt.

nam verbo Dei attracti, non currere, ſed volare videntur. Et conuerſus ad Eccleſiã, quaſi obſtupefactus inquit. *Qui ſunt iſti,* ò Hieruſalem, qui *volant,* ſubaudi, ad te, & volant *vt nubes; & tamquam columbæ ad feneſtras ſuas?* ideſt, columbarij ſui. Ac ſi apertius dicat. Quam velociter veniunt, & tranſeunt nubes, vento flante, & quam celeri volatu ad nidos ſuos columbæ tendunt; tam velociter ad vocem prædicationis Euangelij fideles, relictis omnibus, ad Eccleſiam veniunt, & cœtui Sanctorũ ſe aggregant. Vtraque ſimilitudo eſt aptiſſima ad explicandum quod intendit Propheta. Conferuntur fideles nubibus, & nubibus volantibus; quoniam calore Solis eleuantur à terra, & à Spiritu ſancto mouentur, vt perquirant cæleſtia. Columbis autem volantibus comparantur, vbi, non de exitu, ſed de reditu columbarum eſt ſermo, vt velociſſimum curſum deſignet fidelium. Vnde Chald. ſic legitur, *& quaſi columbæ, quæ reuertuntur ad columbaria ſua.* Columbæ nãque celeriori volatu repetunt nidos, quam ex eis egrediantur ad agros: nam aues ſunt erga pullos ſuos ſingularem habentes amorem. Vnde cum ad nidos ſuos reuertuntur, affectus filiorum eas impellit. In quo nimirum charitas commendatur, & dilectio quam erga fratres ſuos debent habere Chriſtiani: cuius ſymbolum gerunt columbæ; nam gregatim volãt, & in eodem congregantur columbario.

Charitas erga proximos qualis eſſe debeat.

Columbæ dũ in agris ſunt ſparſæ, nihil à feris auibus differre videntur, multiſque ſunt periculis expoſitæ: at cum in columbarium propriũ ſe conferunt, agnoſcunt cœtum ſuum, & ibi ſuos ſecure filios procreant: ita & fideles, ſi inter ſe diſſideant, & diuidantur, brutis animantibus ſunt deteriores, & eorum anima periclitatur: ſi autem tamquam fratres, & eiuſdem fidei participes habitent in vnum, quamplurimos proferunt ſpirituales fructus. Scriptum eſt enim, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum: ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbã Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermõ, quod deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.*

Pſ. 132. a

Vnitas commendatur.

Bona vnitas, iucunda vnitas, ſonus dulcis, & vt Auguſtinus ait, *tam dulcis eſt, quam dulcis eſt charitas, quæ facit fratres habitare in vnum.*

Aug. ibid. tom. 8.

Nulla ibi moleſtia, ſed ſumma iucunditas: ibi vnguentum gratiæ, & conſolationis ſpiritualis, quod à capite in membra, à ſuperioribus in inferiores deriuatur. Ibi odor bonæ famæ; ibi pluuia ſpiritualis, terram cordis humani irrigans, atque fœcundans; pluuia voluntaria, quã ſegregauit Deus hereditati ſuæ. Voluntariã dixit, vt notauit Auguſt. quia nõ ex meritis noſtris, ſed illius voluntate procedit.

Pſal. 67 Augu. vbi ſupra.

*Quid enim boni meruimus peccatores? quid* boni

*boni meruimus iniqui?* Illic benedictio Domini, ideſt, omnium ſpiritualium donorum abundantia: Ibi vita, non quæ cum ſæculo tranſit, ſed vita ſempiterna.

Secunda explicatio Theod. in illa verba Cant. Surge, veni propinqua mea.

11 *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant,* &c. Theodoretus, præſentem locum de ſanctis Apoſtolis interpretatur, ac de prædicatoribus Euangelicis, qui vniuerſum terrarum orbem tamquam aligeri peruolantes verbũ Dei prædicauerunt. Et in primis, aſſimilantur nubibus, quoniam pluuiã portant cæleſtis doctrinæ, quam ſuper corda fidelium effundunt. De illis namque ſcriptum eſt. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum,* Vbi Hieronymus, *Nubes* (inquit) *ſanctos Doctores interpretamur Eccleſiæ, qui aquas Euangelij portant populis effundendas, & gubernãdas à Spiritu ſancto: deferunt, vt irrigentur terræ populorum, & de hac cæleſti pluuia, virtutum fruges ſpirituali operatione multiplicentur. Quas aquas de ſuperna abundantia defluentes ligat Deus in nubibus ſuis: vt vnicuique, ſecundũ capacitatem cordis ſui, tantum doctrinæ, tamquam aquam effundat, quantum ſuſcipientis poſſibilitas patitur, ne ſimul fortaſſis effuſæ, obſint cordibus minus valentibus abundantiorẽ ſuſcipere doctrinam.* Et ſuper Pſalmum 35. *Reuera fratres; nubes ſunt prædicatores verbi Dei. Vſque ad nubes veritas tua venit; ideo nobis per nubes potuit nunciari miſericordia Dei, quæ in cælo eſt, & non in terra. Et reuera, fratres, nubes ſunt prædicatores: quando minatur per prædicatores Deus, tonat per nubes; quando miracula facit per prædicatores Deus, coruſcat per nubes, terret per nubes, & irrigat per pluuiam.* Et ſicut de nubibus fulgura exeunt, & coruſcationes, quibus contremiſcunt habitantes in terra, ita & ex Apoſtolis, contemptibiles cũ eſſent, vt nubes, quãplurima prodierunt miracula, quibus peccatores contremiſcere faciebant. Audi Prophetam: *Illuxerunt* (inquit) *fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota eſt terra.* Quem locum explicans Auguſtinus, ait: *Vnde fulgura? de nubibus. Quæ ſunt nubes Dei? prædicatores veritatis. Vides autem nubem in cælo nebuloſam; obſcuram, & habet intus neſcio quid latens. Si coruſcet de nube, emicat ſplendor. ex eo ipſo, quod continebas, inde exiliuit quod expaueſcas. Miſit ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus Apoſtolos ſuos, prædicatores ſuos ſanctos velut nubes, videbãtur homines, & contemnebantur, quomodo videntur nubes, & contemnuntur, antequam de eis exiliat quod mireris. Erant enim illi primum homines carnem portantes infirmi, deinde idiotæ, indocti, ignobiles, ſed erat in illis quod fulguraret, erat in illis quod coruſcaret. Accedebat Petrus homo piſcator, orabat, & ſurgebat mortuus. Forma humana nubes erat, ſplendor miraculi coruſcatio erat. Sic in verbis, ſic in factis, cum miranda dicunt, & miracula faciunt, apparuerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota eſt terra.* Si enim nõ eſt verum, *ſi non tota terra iam Chriſtiana clamat, amen, commota fulgoribus de illis nubibus erumpentibus: Vidit & commota eſt terra.* Has nubes contemplatus Iſaias, earum admiratur celeritatem. *Qui ſunt iſti,* inquit, *qui vt nubes uolant?* Nullas habent alas nubes, & volant, Vadunt quo eas duxerit ventus: Sic & Apoſtoli, tamquam nubes, ferebantur Dei ſpiritu, à quo & ab vno loco rapiebantur in alium. Audi, qualiter Spiritus ſanctus quandam nubem impulerit, vt annunciaret verbum Dei. *Vir Aethiops, eunuchus potens Candacis Reginæ Aethiopũ, qui erat ſuper omnes gazas eius, venerat adorare in Hieruſalem: & reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legensque Iſaiã prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo, Accede & adiũge te ad currum iſtum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Iſaiam prophetam.* Et cum annunciaſſet illi Ieſum, & credentem baptizaſſet; *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens. Philippus autem inuentus eſt in Azoto, & pertranſiens euangelizabat ciuitatibus cunctis donec veniret Cæſaream.* Alias duas nubes ſegregauit Spiritus ſanctus, & in Seleuciam deduxit, vt ibi pluerent verbum Dei. Erant Antiochiæ Prophetæ & doctores, &c. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos. Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam; & inde nauigauerunt Cyprum, & cũ veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in ſynagogis Iudæorũ.* Et vt ſcias, non quò volunt nubes; ſed, quo ſpiritus Domini eas impulerit, volare, vt annunciẽt Euangelium *Tranſeuntes* Paulus videlicet & Timotheus *Phrigiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. Cum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu.* Ecce volantes nubes, ſed impetum ſequentes ſpiritus, & vbicumque eos deduxerit tendentes.

Iob 26.c

Hieron. ibid. to.7.

Apoſtoli nubibus ſimiles diſcurrentes, per mundum vniuerſum. *

In illa verba, & veritas tua vſque ad nubes. to. 8.

Pſ.96.b

Aug. ibid. tom. 8.

Prædicatores nubibus ſimiles.

Act. 9.

Act. 8. e

Philippus conuertit eunuchũ.

Act. 13. a

Act. 16. a

Prædicatores vt nubes volant quo eos impellit Spiritus ſãctus.





Vnde de quatuor illis animalibus, quæ vidit Ezechiel, ſcriptum eſt. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur dum ambularent.* Quia nimirum prædicatores Euangelici illuc volando perueniunt Verbum Dei annunciaturi, quo Spiritus ſanctus vexerit.

12 *Et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* Congruit etiam ſimilitudo columbarum Apoſtolis, quibus Saluator dixit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Eſt columba pietatis æmula, & circa pullos ſuos magnum amoris ac ſolicitudinis oſtendit affectum. Alienos inſuper pullos nutrit, atque alias columbas errantes ſibi aſſociat & colligit. Eſt iniuriæ immemor: nam & ſublatis pullis à nido proprio, damna illata non recolens eodem in loco nidificat. Tales fuerunt Apoſtoli, ac viri Apoſtolici, qui non quærentes, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, Charitatis affectu ſolicitam curam habebant ſpiritualium filiorum, pro quibus nutriendis, atque in fide confirmandis omnem operam impendebant. Dicit enim Apoſtolus. *Scripſi vobis ad manifeſtandam ſolicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo.* Et iterum, *In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et ſanctus Iudas, *Chariſſimi omnem ſolicitudinẽ faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.* Nulla perſequentium iniuria prohiberi potuerunt, quin ſuis

Ezech. 1. c

Matth. 10. c

Geminianus lib. 4. cap 79.

Columbæ proprietates Prædicatorũ deſignãt affectus.

2. Cor. 7. c

2. Cor. 11. f

Iudæ 1. a

etiam aduerſarijs multa exhiberent beneficia, charitatis viſceribus amplexantes, quoſcumque ab errore ſuo conuerti ad Deum conſpicerent, pro quibus etiam animas ſuas tradere non dubitabant. Conſonat huic explicationi tranſlatio Septuaginta interpretum. Videlicet. *Et quaſi columbæ cum pullis ſuis*. Quibus verbis ſignificatur, Apoſtolos & Apoſtolicos viros ad cæleſtia aduolantes ſecum pullos, ideſt filios ſuos ſpirituales rapere: non enim tantum ſuæ ſalutis ſunt ſoliciti, ſed etiam aliorum, vt ſalui fiant.

13 *Me enim Inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducã filios tuos de longe: argentum eorum & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & ſancto Iſrael, quia glorificauit te.* Per Inſulas, gentes intelligit remotiſſimas à vero Dei cultu.

Naues maris homines peruerſi dicũtur.

Me, inquit, expectabunt, qui ſum expectatio gentium, ſalus earum, & refugium: nec ſolum gentes in inſulis habitantes; ſed etiam naues maris, ideſt homines perpetuo in mari verſantes, & negotiationibus temporalibus intendentes; quantumuis à cultu Dei elongati videantur: ac ſi apertius dicat. Non exiſtimes ò Eccleſia, vicinos tantum homines ad fidem eſſe conuertendos, Syros videlicet, & Moabitas, aut alios qui prope fuerint: conuertam namque etiam eos, qui in medio mari, atque inter fluctus ſæculi videntur habitare. Filios tuos adducam de longe, ideſt, prædeſtinatos, vbicumque fuerint inuenti, ibi eos traham, & conuertã. *Argentum eorum, &c.* Senſus eſt, quidquid gentes habuerint pretioſum, ſiue aurum ſit, ſiue argentum, ſiue ſcientia, ſiue potentia, ſe denique & omnia ſua conuertẽt ò Eccleſia in obſequium tuum. Item, per *aurum & argentum*, intellige varia dona Spiritus ſancti, Eccleſiæ concredita: quæ enumerat Apoſtolus. 1. Cor. 12. quibus Eccleſia conſtruitur.

1. Cor. 12.

Apoſtoli enim ipſi, & doctores ſunt architecti, per quos vere ædificatur Eccleſia. ait enim.

1. Cor. 3

*Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autẽ ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet. fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentũ hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.* Omnia ergo dedicabũt nomini Domini Dei tui: *quia glorificauit te* ideſt, glorioſam te eſſe voluit non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi. Offerent omnes animo volenti diuitias ſuas, vt ædificentur domus tuæ. Subditur enim.

14 *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi.* Ideſt filij gentium, quos peregrinos dicit, quoniam extra Eccleſiam nati, ſumptuoſiſſima templa conſtruent tibi. Hoc ad litteram impletum eſt in Conſtantino Magno, atque in alijs principibus, qui ad fidem conuerſi baſilicas non paucas erexerunt, & Eccleſiæ Romanæ ſummam præſtiterunt obedientiam; ſummo Pontifici, tamquam Vicario Chriſti miniſtrantes.

Conſtantinus conuerſus ad fidem baſilicas Deo extruxit.

Vatablus vbi nos legimus, *filij peregrinorum*, vertit, *filij alieni*. Pagninus transfert; *filij alienigenæ*. & eumdem reddit ſenſum. Poteris etiam per filios peregrinorum, filios Apoſtolorum intelligere, qui non habent hic manen-

nen-



nentem ciuitatem, ſed futuram inquirunt, & tamquam aduenæ, & peregrini habitant ſuper terram, dicẽtes cum Apoſtolo.

2. Cor. 5 b

*Quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Et confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.*

Heb. 11 c

Eccleſia murus dicitur, & quare.

Appellauit autem Eccleſias ipſas à Principibus ædificandas, muros; quoniã fideles quos intra ſe continet ab hoſtium impetu defendit. Hinc & Pſalmiſta.

Pſal. 50

*Benigne fac in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.* Poteris etiam per muros, cum ſancto Auguſtino, & Gregorio, virtutes intelligere fidei, ſpei, & charitatis, &c. per quas anima iuſti à diaboli inſidijs protegitur.

Auguſt. Greg.

Hos enim muros ædificãt filij peregrinorum, cum ſuo exemplo, ſtudio, atque potentia, principes Chriſtiani ſubditos ſuos in iuſtitia cõtinent atque cõſeruant. *In indignatione enim mea percuſſi te: & in reconciliatione mea miſertus ſum tui.* fere eamdem ſententiam dixerat ſupra.

Iſai. 54.

*Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Senſus ergo eſt: Quamuis olim contra te fuerim indignatus, quamuis multis plagis te percuſſerim, atque in captiuitatem tradiderim, idque propter peccata tua; at ex miſericordia mea redimam te *in reconciliatione mea*, ideſt, in paſſione, ſeu per paſſionem meam & mortem, per quam reconciliata es cum Deo, & ſanctificata.

Mors Chriſti dicitur reconciliatio.

Docent hæc verba, Deũ iuſtè contra nos iraſci propter peccata noſtra, & miſericorditer nos redemiſſe; non propter aliqua merita noſtra præcedentia, ſed propter liberalem dumtaxat miſericordiam ſuam. Vnde & Apoſtolus ait: *Nõ ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.*

Tit. 3.

Conſonat illud Prophetæ, *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

Oſeæ 13.

Conſonat etiam trãſlatio Septuaginta. *Propter iram meam percuſſi te: & propter miſericordiam dilexi te.*

Prædeſtinationis, & reprobationis quis ſit finis potiſſimus.

In quibus verbis tangitur finis potiſſimus propter quem iram ſuam exercet in iſtos, & miſericordiam in illos; vt videlicet in iſtis ſplendeat iuſtitia eius; in illis autem oſtentet abundantes diuitias gratiæ ſuæ: Sicut Apoſtolus ait:

Rom. 9. e

*Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potẽtiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, &c.*

15 *Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur.* Significat his verbis, pacem Eccleſiæ futuram maximam. Clauduntur enim portæ ciuitatis, cum fuerit in maximo periculo conſtituta, cum aduerſantium exercitus eam impetit: at cum pace magna perfruitur, portæ eius patentes ſunt, & apertæ die ac nocte. Non autem loquitur de pace illa, quam mundus dat; ſed de ea quam Spiritus ſanctus ſuis tribuit, de qua etiam prædixerat ſupra.

Iſai. 2. a

*Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Et iterum.

Iſai. 9. b

*Multiplicabitur eius imperiũ, & pacis non erit finis.* Præterea etiã denunciat, pietatem Eccleſiæ fore maximã: nam portæ eius erunt ſem-

per apertæ ingredi volentibus ad fidem, aut per veram pœnitentiam reuertentibus, quantumuis antea peccatores extiterint, & moribus corrupti. Fortitudo autem gentium allata eſt, atque introducta in Eccleſiam, quando per ſtultitiam prædicationis inſa tuauit Deus ſapientiam huius mundi, & prudentiam prudentium reprobauit, vt qui olim ſerui fuerant diaboli, obſequentes deinceps fiant Deo, & qui reges erant, & principes ſedentes in eburneis thronis, pedites ad adorandum Chriſtum veniant, & pedes humiliter exoſculentur Romani Pontificis. Tales fuerunt Magi, Conſtantinus Magnus, & alij, qui contempto ſæculo maluerunt opprobriũ ferre Crucis Chriſti, quam temporali gloria triumphare. Sic & *Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem*. Denique dum ait portas Eccleſiæ numquam eſſe claudendas, multitudinem innumerabilem gentium ad Eccleſiam venientium deſignat, quã ſuperius inundantis fluminis aquis ſuperuenientibus contulerat, dicens. *Et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius*. Per fortitudinem ergo gentium, potentiſſimos quoſque ſæculi deſignat. Chald. autem habetur, *diuitiæ gentium*. & conſonat tranſlatio Vatabli. *Vt adducant ad te opes gentium, & reges eorum ad te ducantur*. Quod impletum fuiſſe aſſerit, cum additi ſunt Eccleſiæ Romani: & per *opes gentium*, bellicoſiſſimas gentes intelligit.

Crucis Chriſti opprobrium, præſtãtius eſt, quam mundi gloria.

*Heb. 11. e.*

*Iſai. 2. Et nu. 6. 7. & 8.*

16 *Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur*. Reddit rationem propter quam fortitudo gentium ad Eccleſiæ magiſterium conuolabit: quia videlicet nulli extra Eccleſiam patet ſalus, ſicut nec tempore diluuij ſalui facti ſunt, niſi illi, qui in arca Noe erant cõcluſi. Nulla eſt vita ſpiritualis, niſi vbi Chriſtus Dominus Deus noſter regnauerit. Ideo non ait Propheta perituros eos, qui contra Eccleſiam pugnant, aut populum Dei perſequuntur: ſed etiã eos, qui non ſeruiunt illi. Omnis benedictio, & ſalus à Chriſto eſt, qui beatos etiam eos facit, qui vel vni ex minimis credentium potum dederit aquæ frigidæ. Eos autem qui vnum ex iſtis minimis contempſerint, cum diabolo in ignem æternum mittet. Nam quod vni minimorum ſuorum factum inuenerit, ſibi factum reputabit. Ait enim: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*.

Extra Eccleſiã nulli patet ſalus.

*Matth. 25. d.*

17 *Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locũ ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo*. Sicut ſuperius de gentibus Idololatris, de Babylonijs atque alijs infidelibus dixerat, pauperes quibus non eſt aurum, nec argentum viles materias elegiſſe, atque præparaſſe ad fabricandum idola, ferrum videlicet, cedros, & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltus, pinum quoque quam pluuia nutriuit: Ita in præſenti, ad cultum Dei pauperes etiam in Eccleſia admittendos fore denunciat, ac materias viles ab ipſis oblatas, vt exſtruantur templa, nempe cedros Libani, abietes, buxos, & pinum

*Iſai 44. b c.*

Ligna diuerſa varietatem deſignant iuſtorum.

ſimul



ſimul. Quod ad litterã videmus impletum, cum fideles eccleſijs offerunt diuitias ſuas, atque in cultum Dei conuertunt; quidam argentum, & aurum, & lapides pretioſos, quidam veſtimenta & ligna, quidam aromata diuerſa, quidam oleum ad luminaria concinnanda, ſicut olim fecerunt filij Iſrael ad faciendum opus tabernaculi teſtimonij. Obtulerunt enim hæc mẽte prõptiſſima atque deuota. Quod ſi non de materiali Eccleſiæ ædificio, ſed de ſpirituali ædificatione intelligantur verba iſta, per gloriam Libani, deſignat ſanctos Doctores, qui proceres ſunt in Eccleſia, & aliorum fidelium ſuſtinent infirmitatem, vnde Hieronymus: *Vir ſanctus & eloquentiſſimus martyr Cyprianus, & noſtri temporis confeſſor Hylarius, nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſæculo arbores ædificaſſe Eccleſiam Dei?* Per abietem, buxum, & pinum, alios inferiores intellige fideles, ex quibus omnibus vna conſtat Eccleſia Catholica, Apoſtolo atteſtante. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ: ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. Poteris etiam per abietem, buxum, & pinum, diuerſas virtutes intelligere, in quibus ſe fideles exercent. Igitur, cui non eſt aurum ſapientiæ, offerat cedrum conſtantiæ, atque patientiæ, cui non eſt cedrus, is vel pinum afferat, vel buxum. Nemo appareat vacuus ante conſpectum Domini Dei ſui: nemo in vacuum gratiam Dei recipiat, ſed in commodum ſui, & vtilitatem proximi talentum acceptum impendat, vt & Dominus veniens cum vſuris recipiat illud. Hæc omnia in gloriam, & honorem cedunt Eccleſiæ, quam locum eſſe ait ſanctificationis Dei, ideſt locum, in quo Deus ſanctificatur, & ſanctus prædicatur: Dicitur etiam locus pedum Dei: nam per fidem & obedientiam ſubiecta eſt illi: vnde inferius ait: *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.*

Eccleſiæ ædificium quale.

Hieron. ſuper c. 60. Iſaiæ.

*Eph. 2. d*

*Iſai. 66.*

18 *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi: & vocabũt te ciuitatem Domini Sion ſancti Iſrael*. Magna ſane viciſſitudo, quod ex inimicis, & perſecutoribus adiutores fiant, & obſequentes Eccleſiæ Catholicæ. Gentes enim quæ ſemper exoſam habuerunt pietatem, & cultum Dei, ad fidem conuerſæ laudant, adorant, & venerantur Eccleſiam Catholicam, & ſub pedibus humiliantur Romani Pontificis; ac ſerui ſeruorum Dei eſſe cupiunt. Qui prius dicebant Iſraeli, *Incuruare vt tranſeamus*, nunc incuruantur Eccleſiæ, ac pedibus eius ſe ſubijciunt. Vide autem nominis mutationẽ: nõ enim ait, vocabunt te Hieruſalem: ſed ciuitatem Domini, & Sion; & non ſimpliciter Sion, ſed Sion ſancti Iſrael, ideſt, Eccleſiam Chriſti ſanctificantis Iſrael, ne quis intelligat, hanc prophetiam reſpicere Hieruſalem illam veterem; ſed nouam Hieruſalem Chriſti ſanguine conſecratam & fundatã. Illa enim aſcendit ex Aegypto: hæc de cælo deſcendit, ſicut Ioannes ait: *Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſpõſam ornatam viro ſuo*.

*Iſai 51. g*

*Apoc. 21. a*

19 *Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te*

*transiret: ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem & generationem.* Comparat ſtatum Eccleſiæ ante prædicationem Euangelij, cum ſtatu eiuſdem poſt Euangelium promulgatum: antea quippe ita erat multis exoſa, vt nemo illam alloqui dignaretur: tam deſerta & inuia, vt nullus per illam tranſiret: tam derelicta, vt pauciſſimos ex ſuis haberet conſpicuos. At vbi Chriſtus annunciauit Euangelium, & Sol iuſtitiæ mundum illuminauit vniuerſum, nemo illius gloriam & magnificentiam ſatis miratur, nec laudare poteſt eius celſitudinem. Vnde omnes fideles perpetuis præconijs celebrabunt excellentiam eius, gaudentes, talem ſe habere ciuitatem. Illud ergo, *ponam te in ſuperbiam ſæculorum*, idem eſt, quod, tot & tanta beneficia tibi conferam, vt omnia ſæcula in te, & de te ita glorientur, vt quaſi ſuperbire videantur. Cui explicationi conſonat tranſlatio Pagnini. *Ponam in gloriam ſæculi, gaudium generationis & generationis.* Conſonat & tranſlatio Vatabli. *Claram te reddam in perpetuũ, & lætam in omni poſteritate.* Quod ad litteram impletũ eſt, cum Chriſtus Dominus proprio ſanguine mũdauit Eccleſiã, Apoſtolo atteſtante, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Vide in Canticis ſponſus ait: *Pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Et quaſi admirans, vel potius alios in admirationem pulchritudinis eius inducens ait. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Ita explicant præſens Iſaiæ vaticinium, Nycena Synodus, Baſilius, & Origenes.

Eccleſiæ gloria poſt Euangelij promulgationem.

Eph. 5. f.

Cant. 4.

Ibid. 1. d

Ibid. 4 a

20 *Et ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob: pro ære, afferã aurum: & pro ferro, afferam argentum: & pro lignis, æs, & pro lapidibus, ferrum.* Secundum Vatablũ ſenſus eſt. *Tunc frueris bonis gentium, & regum earum: alent enim te gentes, & reges earum qui crediderint in Chriſtum.* Hac ergo parabola docet, Eccleſiæ felicitatem futurã eſſe maximam. Ac ſi apertius dicat. Vide ò Eccleſia, quod omnes gentes fouebunt te, ſicut parẽtes ſolent pueros ſuos fouere tenerrimos. Quod ſuperius iterum prædixerat. *Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt, & erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ.* Ecce, gentes quæ prius deuorabant terram tuam, nunc te lacte paſcent, & adipe frumenti; & reges qui te ſpoliabant, viceuerſa ditabunt te; & *pro ære* ablato, *aurum* reddent, *pro ferro, argentum, pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* In ſumma multo maiora bona afferent tibi, quam abſtulerint. Quidam ſentiunt hæc ad ſecundam templi ædificationem eſſe referenda; ita vt ſenſus ſit. Cum abducti fueritis ò Iudæi in captiuitatem Babylonis, deplorabitis ruinam templi; ſed ego efficiã, vt multo præſtantius, & pretioſius à vobis exſtruatur: Nam *pro ære* erit *aurum*, & *pro ferro, argentum*, & *pro lignis, æs, & pro lapidibus ferrũ.* Omnia denique erunt ſolidiſſima, omnia magnificentiæ, & ſplendoris plena. Omnia pretioſa erunt in templo, quod in prioris locum ſubſtituã. Sed præſentem prophetiam numquã fuiſſe impletam in externa illa populi reſtitutione, ſequitur ad litteram loqui de præſtantia templi ſpiritualis, hoc eſt Eccleſiæ Catholicæ, in quo abunde Dominus effudit dona Spiritus ſancti. Per *aurum*, charitas; per *argentum*, ſapientia; per *æs*, & *ferrũ*, conſtantia Martyrum deſignatur, atque alia virtutum opera, quibus ædificium ſpirituale conſtruitur.

Synod. Nycen. 2. act. 6. Baſil. in Pſalm. 4. Orig.

Iſai. 49.





21 *Et ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.* Vatablus. *Præfectos tuos conſtituam pacem, & exactores tuos iuſtitiam;* ideſt, *pro his, qui tibi ſolent præfici, vt à te pecuniam & operas exigãt, præficiam tibi homines æquiſſimos, & pacis ſtudioſiſſimos: in Eccleſia nemo afferet vim proximo ſuo.* Quod ſuperius etiam prædixerat. *Et reſtituã iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus.* Olim habuiſti exactores ſæuiſſimos: nunc erunt paſtores pacifici. Iam non audietur rapina in te, aut exactio; neque vllus hoſtis erit in terminis tuis: ſed in muris tuis, & portis audietur iugis laudatio, & ſalus occupabit fines tuos. Omnia denique erunt ſecura, omnia pacifica. Subditur enim: *Non audietur vltra iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis, & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Itaque omnia iſta ad internam & externam Eccleſiæ Catholicæ felicitatẽ & gloriam referuntur: nam & ſpiritualibus bonis, & corporalibus abundat, æternis, & temporalibus. Quod ſi ad ſpiritum hanc referas prophetiam: Deus electis ſuis aliquando lac, aliquando eſt ſolidus cibus ſecundum incrementum virtutis. Afferetur pro ære, aurum, ideſt, pro figura, veritas, pro vmbra, corpus, pro terrenis, cæleſtia. Si quid in obſequium Dei obtuliſti, centuplum recipies. Amiſiſti lignum propter Chriſtum? accepturus es aurum. Vitam perdidiſti temporalem propter Euangelium? inuenies æternam. Incedis triſtis in hoc ſæculo? gaudebis in futuro. Contemptus es apud homines? glorioſus eris apud Angelos. Trepidabat prius conſcientia tua? nunc internã pacẽ, & tranquillitatẽ, quæ omne gaudium ſuperat, conſequeris.

Vatablus.

Iſai. 1. g

22 *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternã, & Deus tuus in gloriam tuam.* Quæ ſequuntur vſque ad finem capitis pertinent præcipuè ad Eccleſiam triumphantem, quæ non Sole materiali illuminabitur, aut Luna; ſed Deus ipſe illuminabit eam, ſicut Ioannes ait: *Et ciuitas non eget Sole neque Luna, vt luceant in ea: Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus.* Et iterum. *Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Si verò hæc ad Eccleſiam militantem referantur, ſenſus eſt. Agnito Chriſto à fidelibus, qui ſunt in te, non vltra rationem naturæ dumtaxat ſequentur; ſed lumen naturale, fidei agnitioni ſubijcient, cuius illuſtrationẽ ſequentur, captiuantes intellectus in obſequium illius.

Eccleſiæ triumphãtis felicitas.

Apoc. 21 g

Ibid. 22 a

23 *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternã, & complebuntur dies luctus tui.* Pollicetur electis, Deum illis minime defuturum in fine. Nam, etſi multoties obnubilari videantur eorum mẽtes, & ſepties in die cadat iuſtus, reſurget tandem, & non peribit, quia Dominus finaliter eriget eum, diriget, & illu-

Pſal. 12. illuminabit oculos eius, *ne vmquam obdormiant in morte*. Et cum vitam in pace finierit, complebuntur dies luctus eius, ideſt dies peregrinationis, tempus anguſtiæ. Non enim ſunt electis dies gaudij, & lætitiæ dies præſentis ſæculi: ſed dies lacrymarum, dies fletus, & luctus. Sicut ſcriptum eſt. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Electorum eſt vox illa. (Pſal. 41 a) *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus?* (Pſ. 119. a) *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Lugent, quoniam à patria cæleſti ſe vident elongatos, nec ſunt propriæ ſalutis certi aut ſecuri; neſciunt vtrum digni ſint odio, vel amore: ideo timent, ideo contriſtantur: (Apoc. 21 b) ſed veniet *dies*, in quo *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Quidā per Solem proſperitatem, per Lunam gloriam intelligunt Eccleſiæ, iuxta quā acceptionem, ſenſus eſt. Cuncta proſpere cedent Eccleſiæ, & ſemper illius regnum proſperabitur, nec minuetur vmquam ſplendor eius & gloria, quoniam Dominus clarificabit illam, & illuminabit vſque in ſempiternum.

24 *Populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meæ ad glorificandum.* Primò explicatur præſens prophetia de Eccleſia triumphāte, cuius ciues omnes ſunt iuſti, omnes ſancti, quia nihil inquinatum introibit in eam, ſicut Ioannes ait: (Iuſti ſunt omnes in patria.) (Apoc. 22) *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* ita explicat gloſſa interlin. & gloſſa Lyrani, & ſanctus Hieronymus, & alij Patres quamplurimi. (Chriſtiani ſancti dicebantur. gloſa.) Secundò exponitur de ſtatu primitiuæ Eccleſiæ, in quo omnes ferè Chriſtiani erant ſancti. Vndè & Apoſtolus Paulus communi vocabulo fideles in ſuis epiſtolis vocat ſanctos: ait enim: (1. Cor. 1 a) *Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis ſanctis.* Et iterum, (2. Cor. 14. f) *non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo*, ideſt in *omnibus Eccleſiis Chriſtianorum.* Et rurſus. (2. Cor. 16. a) *De collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ideſt, in Chriſtianos.* Et ad Philippēſes. (Philipp. 4. d) *Salutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt.* Et hac phraſi loquendi vtitur ſępiſſimè in ſuis epiſtolis: ſicut ad Coloſſenſes. (Coloſ. 1.) *Paulus Apoſtolus, ijs qui ſunt Coloſſis ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu: gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Et primæ ad Timotheum 5. (1. Tim. 5.) *Si ſanctorum pedes lauit.* Et iuxta hanc explicationem, illud pronomen, *omnes*, idem ſignificat, quod plures, ſiue quamplurimi. Neque enim omnes in vniuerſum, qui ad Eccleſiam pertinent, ſunt iuſti, vt Lutherani arbitrantur, qui eos dumtaxat de numero inquiunt eſſe Eccleſiæ, qui in charitate exiſtunt. quod Lutherus ipſe tali argumento probare nitebatur: (Lutherus ſup. cap. 3. ad Galat.) In Symbolo habetur, *Credo ſanctam Eccleſiam*; quod non eſt aliud, quàm, credo, nullum eſſe amplius peccatum, nullam mortem in Eccleſia. Sed non aduertit miſer, Eccleſiam areæ in Euangelio conferri, in qua ſunt paleæ tritico permixtæ, & ſimile eſſe (Matth. 13.) *regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſciū congreganti, quam, cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Sic* (ait Chriſtus) *erit in cōſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* (Boni ſunt malis permixti.) In Eccleſia ergo, ſunt mali bonis permixti, &, tamquam in magna domo quædam vaſa ſunt in honorem, vt ait Apoſtolus; quædam vero in contumeliam. Eccleſia ergo ſancta eſt: quoniam ſponſum habet ſanctum, & per lauacrum regenerationis filios ſanctos Deo generat, & extra illam nullus eſt iuſtus. Igitur, ſicut vere dicitur, quod *Deus vult omnes homines ſaluos fieri* quia nullus fit ſaluus, niſi quem Deus voluerit, vt Auguſtinus explicat: (Auguſt.) &, ſicut vere affirmat Euangeliſta, (Ioan. 1.) *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quoniam nullus illuminatur niſi quē Deus ſua miſericordia illuminare vult: ita & in præſenti, vere aſſeritur; *Populus tuus omnes iuſti*: quia nullus eſt iuſtus, niſi ad Eccleſiam pertineat. Hi autem in perpetuum hereditabunt terram. terram inquam illam, de qua ſcriptum eſt. (Pſ. 141.) *Portio mea in terra viuentium.* Nec mirum, quoniam germen ſunt plantationis diuinæ: de alijs enim Veritas dicit. (Matth. 15. b) *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Et ne quis ſuo tribuat libero arbitrio, quod plantatus in domo Domini, fructum attulit in tempore ſuo, ſubdit ſtatim. *Opus manus meæ ad glorificandum*, ideſt, Quod electi germinent, & ſalui fiant, non eſt opus humanum, ex vigilantia liberi arbitrij procedens, ſecūdum ſuam naturalem virtutem, ſed eſt opus gratiæ, atque omnipotentiæ diuinæ. Iuxta quod Apoſtolus ait, (1. Cor. 3 b) *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementū dedit. Itaque neque qui plātat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incremētum dat Deus.* Pagninus, vbi nos habemus, *ad glorificandum*, transfert, *vt glorificer*. Iſte eſt enim finis potiſſimus prædeſtinationis hominum & Angelorum, vt videlicet in illis glorificetur Dominus, & abundantes diuitiæ ſplendeant gratiæ diuinæ, vt ſupra dictum eſt.

25 *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam.* Non loquitur de vna dumtaxat perſona, ſed de vno populo, videlicet Chriſtiano, qui cum à principio naſcentis Eccleſiæ minimus eſſet, paruulus & contemptus, in maximum creuit, & ſplēdidiſſimum populum, & multiplicatus eſt nimis prædicatione Apoſtolorum, ac virtute vnius hominis crucifixi, ſed hominis Dei. (Fidelium multiplicatio quāta.) Et quem Chriſtus Dominus puſillū gregem dixit, *Accedite*, inquiens, *puſillus grex, quoniam placuit Patri veſtro dare vobis regnum*, iam videmus toto orbe terrarum multiplicatum, ſicut promiſſum eſt Abrahæ: (Geneſ. 22. d) *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemē tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicētur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Paruæ reliquiæ multiplicatæ ſunt nimis, & vinea à Chriſto Domino plātata, & ſanguine illius irrigata, (Pſal. 79.) *extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius.* Conſonant huic explicationi omnes tres verſiones, ſeptuaginta interpretum, Pagnini, & Vatabli. Nam Septuaginta ſic transferunt. *Pauciſſimus erit in millia, & minimus in gentem magnam.* Pagninus ſic vertit. *Par-*

*ua familia erit in mille, & paru.i fa-*
*milia erit in gẽtem fortem.* Vatablus.
*Paruus ſoboleſcet in mille, & exi-*
*guus in gentem robuſtam*. Ideſt, in
gentem illam, de qua dictũ eſt Abra-
*Gen.18.* hæ, quod *futurus* ſit in gentem *ma-*
*gnam, ac robuſtiſſimam, & benedi-*
*cendæ ſint in illo omnes nationes ter*
*ræ*. Et ſicut explicant ſanctus Cyril-
lus, & Procopius, quod dictum fuit
*Exod. 32. b* Moyſi, *Dimitte me, vt iraſcatur fu-*
*ror meus contra eos, & deleam eos, fa-*
*ciamque te in gentem magnam*. va-
ticinium quoddã extitit Eccleſiæ fu-
turæ, quæ veram intelligentiam, &
ſenſum tenet eorum, quæ per Moyſen
de Chriſto Domino ſcripta ſunt. Nã
Synagoga litteræ, quæ occidit, adhe-
ret; ſpiritum autem, qui viuificat, ap-
prehendere noluit.

26 *Minimus erit in mille*. Secun
do explicatur de Chriſto præſens lo-
cus, qui cum eſſet magnus, pro nobis
*Iſai.9.* factus eſt paruulus: nam & *paruulus*
*natus eſt nobis, & filius datus eſt no-*
*Matth. 11. b* *bis*. Et de ſeipſo loquens, ait, *qui au-*
*tem minor eſt in regno cælorum, ma-*
*ior eſt illo*. Vbi iuxta explicationem
Chryſoſt. hom. 38. in Matth. Aug. lib.2 con. aduerſarium, legis, & proph. cap.5. Chryſoſtomi, & Auguſtini, per mi-
norem *ſeipſum ſignauit, qui naſcendi*
*tempore minor erat Ioanne, maior*
*autem Diuinitatis æternitate, & Do*
*minica poteſtate.* Cum ergo eſſet mi-
nor in regno cælorum, opprobrium
hominum, & abiectio plebis, mortuus
& ſepultus ſurrexit: & fuit in millia,
*Ioan.12* granũ frumẽti mortuum, multum fructũ attulit cum gentes ad ſe conuertit. Hinc eſt
illud, *niſi granum frumenti cadens*
*in terram mortuum fuerit ipſum ſo-*
*lum manet, ſi autem mortuum fue-*
*rit multum fructum affert*. Et apud
Matthæum grano ſinapis confertur.
*Matth. 13.* *Quod minimum quidem eſt omnibus*
*oleribus, & fit arbor, ita vt volucres*
*cæli veniant, & habitẽt in ramis eius.*
Nonne gentem fortiſſimam protulit,
cum Apoſtolos vocauit, & confirma-
uit in fide, atque dilectione ſua, Spi-
ritu ſancto de cælo miſſo: & Martyres
in confeſſione illius ſolidauit, & ro-
buſtiſſimos milites effecit, vt Eccle-
ſiæ Catholicæ reges ſubiugarent, &
principes? Valeant Imperatores Ro-
mani, Duces, & bellatores ſuperbi:
valeant partæ Cæſaris induſtria vi-
ctoriæ: nam hæc eſt victoria, quæ
vincit mundum, fides noſtra. Deni-
que per regulam Tyconij, quod di-
ctum eſt de Chriſto, poterit mem-
bris illius adaptari, præſertim A-
poſtolis, & Apoſtolicis viris, inter
quos Paulo Apoſtolo congruunt ſin-
gulari quadam ratione verba iſta,
*minimus erit in mille*. Nam & Pau- Paulus paruulus interpretatur. *
lus, idem, quod paruulus ſignificare
videtur, & ipſe de ſemetipſo teſtimo-
nium perhibet. *Ego enim ſum mini* 2. *Cor.* 15. *b*
*mus Apoſtolorum, qui non ſum di-*
*gnus vocari Apoſtolus, quoniam per-*
*ſecutus ſum Eccleſiam Dei*. Et iterũ,
*quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt,*
*graues ſunt & fortes: præſentia au-* 2. *Cor.* 10. *6*
*tem corporis infirma, & ſermo con-*
*temptibilis*: ſed quos populos mini-
mus hic Apoſtolorum non conuertit
ad Chriſtum? quos fideles non lucra-
tus eſt? Congruit etiam hic locus
beatiſſimo ac ſeraphico Patri Fran-
ciſco, ordinis Minorum inſtitutori, ac
fundatori. Paruulus enim cum eſſet
in oculis ſuis, caput in tribubus con-
ſtitutus eſt, & Eccleſiam Dei nouo
ſemper fœtu multiplicat, ſanctitate,
doctrina, atque zelo religionis Chri-
ſtianæ illuſtres viros ac fortiſſimos
proferens. Quicumque ergo humilia-
uerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior
eſt in regno cælorum: hic erit in mil-
le, hic & in gentem fortiſſimam.

27 *Ego Dominus in tempore eius*
*ſubito faciam iſtud.* Septuaginta, *Ego*
*Dominus in tempore congregabo eos.*
Pagni-



Pagninus. *Ego Dominus in tẽpore ſuo*
*accelerare faciã iſtud.* Vatablus. *Ego*
*Dominus accelerabo iſtud tempore*
*ſuo*. Alloquitur Eccleſiam, ne de di-
latione huius promiſſionis doleat, ſi
hæc non ſtatim contingant, ſuo enim
tempore fient. Et ait, *ſubito*, quo-
*Pſal. 89* niam *mille anni ante oculos Dei, tam*
*quam dies heſterna, quæ præterijt.*
Pluſquam ſeptingẽti anni elapſi ſunt
à tempore huius prophetiæ vſque ad
aduentum Chriſti; & ne fideles de-
ſponderent animo, inquit: *Subito fa-*
*ciam iſtud, in tempore eius*, ideſt in
tempore incarnationis Verbi, in tẽ-
poris plenitudine, in tempore illo, de
quo dicit Apoſtolus, *Ecce nunc tem*
*pus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*
Hoc eſt tempus illud à Patriarchis
expectatum, & longe antea per Pro-
*Iſai.49.* phetas prædictum. Iſaiæ 49. *In tem-*
*pore placito exaudiui te, & in die*
*ſalutis auxiliatus ſum tui*. Oſeæ 10.
*Tempus autem requirendi Dominũ,* *Oſea 10*
*cũ venerit, qui docebit vos iuſtitiam.*
Quod transferunt Septuaginta: *Ego*
*Dominus in tempore congregabo eos,*
ad illud refertur, quod Chriſtus Do
minus teſtatur in Euangelio. *Et alias* *Ioan.10 a*
*oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili,*
*& illas oportet me adducere, & vo-*
*cem meam audient, & fiet vnum oui-*
*le, & vnus paſtor*. Quod & Caiphas
cum eſſet Pontifex anni illius, prophe
tauit, dicens. *Vos neſcitis quidquam,* *Ioan.11*
*nec cogitatis, quia expedit vobis, vt* *f g*
*vnus moriatur homo pro populo, ne*
*tota gens pereat. Hoc autem à ſemet-*
*ipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex*
*anni illius, prophetauit, quod Ieſus*
*moriturus erat pro gente, & non tan-*
*tum pro gente, ſed vt filios Dei, qui*
*erant diſperſi, congregaret in vnum.*

# CAPVT LXI.

SPIRITVS Domini ſuper me, eo quòd vn-
xerit Dominus me: ad annunciandum man-
ſuetis miſit me, 2. vt mederer contritis cor-
de, & prædicarem captiuis indulgentiam, &
clauſis apertionem: Vt prædicarem annum
placabilem Domino, & diem vltionis Deo
noſtro: 3. Vt conſolarer omnes lugentes: vt
ponerem lugentibus Sion: & darem eis co-
ronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu,
pallium laudis pro ſpiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes iuſti-
tiæ, plantatio Domini ad glorificandum. 4. Et ædificabunt deſerta
à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſer-
tas,

tas, diſſipatas in generationem & generationem. 5. Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra: & filij peregrinorum agricolæ & vinitores veſtri erunt. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis: 6. Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis. 7. Pro confuſione veſtra duplici, & rubore laudabunt partem ſuam: 8. propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis. 9. Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto: & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. 10. Et ſcient in Gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. 11. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis: & indumento iuſtitiæ circumdedit me, 12. quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. 13. Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat, ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam, & laudem coram vniuerſis Gentibus.

## SVMMA CAPITIS.

*INTRODVCIT Iſaias in hoc capite Chriſtum Dominum de ſeipſo loquentem, & dicentem ſe à Patre miſſum fuiſſe, vt euangelizaret pauperibus, & medelam ferret contritis corde: de quo agit in principio capitis.*

*Secundò, deſcribit fructum aduentus Domini, & prædicationis Apoſtolorum, verſiculo:* Et ædificabunt deſerta à ſæculo.

*Tertiò, explicat gaudium quo Eccleſia exultauit, videns ſe deſponſatam eſſe Chriſto, ac multitudine filiorum decoratam: de quo agit ab illo verſiculo:* Gaudens gaudebo in Domino, *vſque ad finem capitis.*

COM-



## COMMENTARIVM.

1. *SPIRITVS Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me.* Cum Chriſtus Dominus de ſemetipſo hanc explicuerit prophetiã, nõ oportet in allegandis doctoribus pro eius intelligentia multum laborare. *Traditus enim eſt illi liber Iſaiæ prophetæ, & vt reuoluit librũ, inuenit locum vbi ſcriptum erat. Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, &c. Et cum plicuiſſet librũ reddidit miniſtro, & ſedit: cœpit autẽ dicere ad illos, quia hodie impleta eſt hæc prophetia in auribus veſtris.* Ait ergo, *Spiritus Domini ſuper me,* id-eſt, Spiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus Patris *ſuper me* deſcẽdet, ſicut ſupra cap. 11. prædixerat, *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & repleuit eum ſpiritus timoris Domini.* Quod eodem capite à num. 3. vſque ad 6. explicatum eſt. Quod autem ſubdit, *eo quod vnxerit me;* vnctionem illam deſignat, de qua per Pſalmiſtam dicitur. *Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum: Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatẽ: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vnde & Chriſtus vnctus interpetatur, & vt notauit Heſichius, *ipſe Chriſtus erat, qui vngebat Prophetas, ipſe qui vngebatur: vngens verbo diuinitatis ſecundum quam ei omnia communia cum Patre & Spiritu ſunt, à quo vngi dicitur. Nam Dauid Patrem vngentem dixit, cum ait. Propterea vnxit te Deus Deus tuus. Iſai. autem vnctionem filij ad Spiritum retulit, dicens: Spiritus Domini ſuper me eo quod vnxit me. Quæ autem Pater & Spiritus, hæc eadẽ & Filius facit. Ergo ratione diuinitatis ipſe eſt ſemetipſum vngens, & ipſe eſt qui vngitur, diſpenſatione humanitatis.* Merito autem his dictis oſtendit ſe à Patre miſſum fuiſſe, ad annunciandum Euangelium, vt oſtenderet, ſe nõ eſſe ex eorum numero, de quibus Hieremias ait. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Ideo ait ſæpius in Euangelio, quod Pater cæleſtis miſerit illum, vt Ioannis 5. Quia *non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Et paulo inferius. *Ipſa opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Et iterum. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Et rurſus, Ioannis 8. *Ego enim ex Deo proceſſi & veni: neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Continuo autem pergit docere, quodnã fuerit munus à Patre illi iniunctum, videlicet euangelizare pauperibus. Moyſes legiſlator fuit, ſed legis, quæ non viuificat, Chriſtus autem eſt legiſlator legis vitæ. Vndè Apoſtolus, miniſtrationem mortis legem Moyſi eſſe affirmat, legem autẽ Chriſti miniſtra-

Marginal notes: Luc. 4. c — Iſai. 11. — Pſ. 44. — Heſichius lib. 2. in c. 8. Leuit. — Chriſtus vnctus, & vngens. — Hiere. 23. e — Ioan. 5. e & f — Ibid. — Ioan. 7. — Ioan. 8.

niſtrationem ſpiritus. Ait enim, quoniam *idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu: litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt: multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria*. Miſſus eſt ergo Chriſtus ad annunciandum manſuetis, ideſt, vt pauperibus ſpiritu, & humilibus corde annunciaret bona. Vnde ad Patrem loquens ait: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: Ita Pater quoniam ſic placitum fuit ante te*. Vide autem quam ſint omnia iucunda: Incideramus in latrones, & ſemiuiui relicti, ac ſaucij, deſperabamus. Spernebat Sacerdos præteriens, ſpernebat Leuita: & miſertus eſt noſtri Samaritanus, & obligauit vulnera noſtra. Ita enim annunciat Chriſtus ſpiritualia bona, vt ſimul medelam tribuat contritis corde. De illo namque ſcriptum eſt, *qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Et ſi noſſe deſideras, quænam ſint alligamenta, quibus Samaritanus alligat vulnera noſtra, audi Auguſtinum. *Alligamenta*, inquit, *medicinalia ſunt contritionis noſtræ, ſacramēta interim temporalia, quibus habemus conſolationem: & iſta omnia quæ loquimur vobis, ipſa quæ ſonant, & tranſeunt: quidquid in Eccleſia geritur temporaliter, alligamenta ſunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta ſanitate detrabit ligaturam, ſic in illa ciuitate Hieruſalem, cum æquales angelis facti fuerimus. Nam quid putatis? ibi nos accepturos eſſe, quod hic accipimus? Aut ibi recitandum eſt nobis Euangelium, vt fides noſtra permaneat? aut imponenda eſt manus ab aliquo præpoſito? Iſta omnia ligamenta fracturæ ſunt, ſed perfecta ſanitate detrahentur: ſed ad eam nō peruenirent, niſi alligarentur, ſanat ergo contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Hoc ipſum in præſenti Iſaias denunciat, cum ſubdit.

2. Cor. 3 b — Matth. 11. d — Chriſtus Samaritanus eſt, ſanans vulnera noſtra. * — Pſ. 146 — Aug. ſuper eundem Pſal. to. 8. — Matth. 22.

2 *Vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam*. Eramus captiui ſub legis ſeruitute, captiui & vincti ſub tyrannide peccati, aduenit Cyrus, ideſt, Chriſtus Dominus Deus noſter, & nos à captiuitate Babylonis liberauit. An non conſuetudo peccādi carcer eſt, & dura captiuitas? ſed ab illa Chriſti gratia erepti ſumus; prædicauit enim indulgentiam, & remiſſionem peccatorum etiam obmurmurantibus Phariſæis atque dicentibus, *Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* Hinc de peccatrice lacrymante ad Phariſæū loquens, ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multū*. Hinc ad paralyticum dixit. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Pagninus ſic vertit, *vt oblinirem contritos corde, vt prædicarem captiuis libertatem, & vinctis apertionem carceris*. Vatablus. *Vt obligem vulnera corde contritorum, vt proclamem captiuis libertatem, vinctis apertionē & cæcis viſum*. Et in ſcholijs ait ſenſum eſſe. *Vt illis medear, vt conſoler, & confirmem eos, qui pene de ſalute ſua deſperabant. ſumpta à Chirurgis metaphora, qui faſciolis ſuis fracta, & contuſa alligant ſanitatis cauſa*. Sequitur. *Vt prædicarē annum placabilem Domino, & diem vltio-*

Luc. 7. — Matth. 9. a



*vltionis Deo noſtro*. Pro quo Pagninus vertit. *Vt prædicarem annum voluntatis Domino, & diem vltionis Deo noſtro*. Vatablus. *Vt proclamem annum beneplaciti Domini, & diem vltionis Dei noſtri*. Et per annum voluntatis, intelligit annum, in quo pro nobis mori dignatus eſt Saluator noſter, vt nos reconciliaret cū Deo. fuit enim tempus illud, tempus placabile, tempus reconciliationis, de quo Paulus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Hic eſt annus Iubilæi, quem expectauerunt omnes patres antiqui, vt à captiuitate liberarentur peccati. annus in quo Deus *miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*, in quo Chriſtus pacificauit *per ſanguinem Crucis ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*. Dies vltionis ad idem poteſt tempus referri: Nam de principe tenebrarum, qui iniuſtè humanum genus tenebat captiuum, condignam vltionem ſumpſit. Vel refertur ad diem iudicij, cum ſancto Hylario, & Vatablo. Duo enim in præſenti denunciantur tempora, alterum reconciliationis, in quo per veram pœnitentiam Deus efficitur placabilis; alterum vero eſt vltionis, in quo vindictam ſumet de tranſgreſſoribus legis. Annus placabilis, eſt totum tempus vitæ præſentis: vltionis vero erit, dies futuri iudicij. In illo diuitias gratiæ ſuæ Deus oſtendit: in hoc autem diram iram ſuam manifeſtabit. Septuaginta interpretes vbi nos habemus, *& diem vltionis*, vertunt, *& diem retributionis*: nam tunc reddet vnicuique ſecundū opera eius; electis dicet. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Reprobis vero: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*. Sanctus Hieronymus, & Euſebius Cæſarienſis, diem vltionis referunt ad diē illum, in quo poſt Chriſti paſſionem fuerunt Iudæi per Romanos deſtructi. Hunc diem annunciauit Saluator, cum *videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes et tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autē abſcondita ſunt ab oculis tuis. quia veniet dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo: & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Quoniam vero miſereri ſemper & parcere proprium eſt opus illius, punire autem alienum eſt opus ab eo: ideo annum miſericordiæ ac benignitati, & diem vltioni eius aſſignat. Vide ſupradicta.

Iudicij dies eſt dies vltionis. — 2. Cor. 6 — 1. Io. 4. — Hylar. ſuper Pſalm. 52. & 64. — Matth. 25. c — Ibid. — Euſeb. lib. 9. demōſt. Euang. 13. — Luc. 19. f — Sup. cap. 34. nu. 6.

3 *Vt conſolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion: & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris*: Ad hoc etiam Chriſtus Dominus dicit ſe miſſum à Patre, vt videlicet Prophetis ac doctoribus lugentibus ruinam Sion, & plorantibus ſuper abominationibus, quę factæ ſunt in medio Hieruſalem coronam tribueret, & conſolationem non modicam: Vnde & ad Ezechielem ait: *Tranſi per mediam ciuitatem Hieruſalem: & ſigna thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*. Hi notantur, vt liberentur, & conſolentur à Domino. Et ſicut lugētes puluere, & cinere ſe aſperſerunt: ita decorem induunt liberati. Sicut fuerunt in mœrore ac luctu: ita vngunt ſe oleo, quod gaudij ſignum eſt, & lætitiæ: & ſicut fuerant ſpiritu afflicto indu-

Lugentes cōſolatur Chriſtus. — Ezech. 9. b

induti ſaccis: ita nunc induetur pallio laudis, ideſt, feſtiuis veſtibus, quibus publice laudatur Deus. Erunt denique in ſumma gloria: nam vocabuntur fortes iuſtitiæ, ideſt, columnæ Eccleſiæ: quia virtute ſua iuſtitiam conſeruabunt: & plantatio Domini ad glorificãdum, ideſt, per quã glorificabitur Dominus, qui talia per miniſtros ſuos operatur. Hæc eſt plantatio, de qua Pſalmographus canit.

Pſal. 1. a

*Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: Et iterum.

Pſal. 91 b

*Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur, plantati in domo Domini: in atrijs domus Dei noſtri florebunt*. Septuaginta interpretes ſic transferunt. *Et vocabuntur generationes iuſtitiæ plantatio Domini in gloriam*. Ideſt, quamplurimos filios Domino in iuſtitia generabunt. Pagninus & Vatablus, vbi nos habemus, *fortes iuſtitiæ*, vertunt, *arbores iuſtitiæ*. Chald. habetur, *principes iuſtitiæ*. Verbum autem illud *Plantatio Domini*, quod tranſtulit Vulgatus, legitur in omnibus ferè tranſlationibus, habetque reconditum myſterium, quod Chriſtus Dominus explicuit, cum dixit, *Et Pater meus agricola eſt*. Dei agricultura ſumus nos, & plantatio, Apoſtolo dicente.

Plantatio Domini dicuntur Iuſti.

1. Cor. 3 b

*Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis*. Sicut ergo plantatio non vnã arborem aut duas, ſed quamplurimas, varios fructus perferenres ſignificat: ita etiam electi in Eccleſia à Deo plantati, atque in charitate radicati & fundati, (vt Cyrillus & Euſebius explicant) diuerſa producunt virtutũ opera, cæleſti odore fragrantia, iſte martyrij, ille caſtitatis & innocentiæ, alter pœnitentiæ. Denique anima iuſti plantatio Domini eſt, in qua (ſicut Origenes ait) arbores ſunt iuſtitiæ, prudentia, fortitudo, temperantia, & aliæ virtutes quæ fructũm proferunt in tempore ſecundũ genus ſuum.

Cyrill. lib. 4. de ſpir. & litt. Euſeb Cæſar. lib. 6. demonſt. Euang. 58

Agricultura diaboli ſunt reprobi.

E contra vero anima cuiuſcumque reprobi plantatio eſt, & agricultura diaboli: Nam vitia diuerſa amariſſimos proferunt fructus. Sicut ſcriptum eſt.

Deut. 32

*De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botrus amariſſimus. Fel draconum vinum eorum: & venenũ aſpidum inſanabile*. Et iterum,

Iſai. 5.

*Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas*. Sed tamen adulterinæ plantationes non dabunt radices altas. Scriptum eſt enim.

Sap. 4. a

*Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile fundamentum collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconſummati, & fructus illorũ inutiles, & acerbi ad manducandum & ad nihilum apti*. Vnde & Saluator, de quadam adulterina plantatione loquens, ait:

Matth. 15 b

*Omnis plantatio quã non plantauit Pater meus cæleſtis eradicabitur*. Et iterum.

Ioan. 15 a

*Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*.

4 *Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent: & inſtaurabunt ciuitates deſertas, diſſipatas in generationem, & generationem*. Hæc ad Apoſtolos referuntur, ad Doctores, & prędicatores Eccleſiæ, per quos Eccleſia olim deſerta, reparata eſt.

Apoſtoli reparauerunt Eccleſiam.

Nam ad eorum prædicationem, tot ſunt ad fidem Chriſti conuerſi, vt loca hactenus deſerta

& in-



& inculta habitentur ab hominibus. eamdem rem quater repetit, & diuerſis nominibus explicat, vt magis ac magis cõmendet miraculum. Idipſum prædixerat ſupra.

Iſai. 58

*Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum, fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis*. Chriſtus Dominus morte ſua inſtaurauit omnia, quæ per peccatum primi parentis fuerãt collapſa: Dicit enim Apoſtolus:

Eph. 1. a

*Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo*. Sed vt ſuos magnificaret Apoſtolos, huius inſtaurationis eos voluit eſſe miniſtros. Vnde & dicere audent.

1. Cor. 3 b

*Dei adiutores ſumus*, hinc & Paulus:

Ibid.

*Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet*. In ſenſu ſpirituali poſſunt hæc animæ noſtræ adaptari. Multoties namque experientia ipſa conſpicimus diuina fieri per miſſione, vt ad tempus multi deſtituti ſint cognitione veritatis, & quamplurimis peccatis implicati, qui tandem per doctores, & prædicatores Euangelij, quãdo minus ſperabatur ſalus eorum, inſtaurantur.

S. Thomas Apoſtolus inſtauratur à Chriſto

Sic inſtauratus eſt Paulus Apoſtolus, & Thomas, qui de reſurrectione Dominica dubitauit, & contentioſis verbis dixit condiſcipulis.

Ioan. 20 f

*Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*. Sic inſtauratus eſt beatiſſimi Ambroſij prædicatione B. Pater Auguſtinus, quem de tenebris gentium lumẽ Eccleſiæ ſuæ vocauit Dominus. Sic inſtaurati ſunt alij, iuxta illud Iob.

Iob. 10

*Inſtauras teſtes tuos contra me*, de quo vide ſupra dicta cap. 43. num. 9.

5 *Et ſtabant alieni, & paſcent pecora veſtra: & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores veſtri erunt. Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini: miniſtri Dei noſtri dicetur vobis*. Diſtinguit ordinem eorum, qui in Eccleſia Catholica habitabũt. Erunt enim, qui ſolum Dei laudibus vacabunt, à ſtrepitu externorum negotiorum prorſus ſequeſtrati. Hos ſacerdotes, & Dei miniſtros vocat, qui decimis paſcũtur, vt liberius poſſint Deo vacare, ſicut olim tribus Leui. Erunt alij, qui externa & corporalia opera curabunt, & ſuis laboribus, atque oblationibus inſeruient miniſtris Domini. Hos dicit extraneos, ſiue alienos, & filios peregrinorum. Contemplatiui namque ex genere Iſrael ſunt, qui Dominum facie ad faciem vident: Actiui autem ex gentibus aſſumuntur, qui humilioribus fungũtur officijs, atque externis intendũt miniſterijs. Et in hunc modum ſunt in Eccleſia, alij qui contẽplatiuam, alij qui actiuam agant vitam, quos Maria & Martha, necnon duæ vxores Iacob, Lya, & Rachel præſignarunt. Nec tamen hi duo ſtatus ita inter ſe diſtinguntur, quin vni & eidem poſſint ſimul competere. Idẽ Iacob Lyam & Rachel habuit vxores. Et in eadem domo duæ ſorores, Martha videlicet, & Maria cohabitabant. Cum ergo nos ſimus ex duplici natura compoſiti, ſpirituali, & corporali, ſpirituali debemus in Dei amore & contemplatione proficere, Rachelis pulchritudinem, & Magdalenæ quietem imitantes, & corporali vero proximorum neceſſitatibus occurrere cum Martha, ac fratribus noſtris ſolicite inſeruire.

6 *Fortitudinem gentium come-*

Aaa de-

*detis: & in gloria eorum ſuperbietis*. Ideſt, quidquid eſt apud gentes inſigne, in gloriam conuertetis religionis Chriſtianæ, reges, principes, & omnes eorum diuitias, quibus Eccleſia Catholica ita magnificabitur, vt quaſi ſuperbire eius magnificentia videamini, ſicut explicatum eſt

Iſai. 60.

ſupra, in illa verba. *Ponam te in ſuperbiam populorum*, vbi nomen ſuperbiæ, non vitium importat, ſed potentiam, magnificentiam & gloriam. Vnde Septuaginta ſic transferunt iſtum locum. *Et in diuitijs earum eritis admirabiles*, (ideſt) in diuitijs ſpiritualibus, de quibus Apoſtolus.

1. Cor. 1 a

*Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu: quod in omnibus diuites facti eſtis in illo in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia: expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Pagninus ſic transfert. *Opes gentium comedetis, & in gloria eorum exaltabimini*. Vatablus, *& in gloria eorum oblectabitis vos ipſos*. Et vtraque tranſlatio eumdem habet ſenſum.

7 *Pro confuſione veſtra duplici, & rubore laudabunt partem ſuam*. Vatablus. *Pro confuſione veſtra duplex erit præmium, & pro ignominia veſtra iubilabunt de portione ſua*. Ideſt, pro pudore, quo afficiemini ab hoſtibus Chriſti, duplicem honorem conſequemini, & pro ignominia ſiue improperio Crucis Chriſti, quod ſuſtinebitis, iubilabunt, ſcilicet fideles, de portione, ideſt, de portione ſua, quia magnum reportabunt commodum ex conſtantia veſtra. Loquitur autem doctoribus & prædicatoribus Euangelij lugentibus Sion, & annunciat illis gaudium maximum futurum ex diſcipulorum conuerſione. Sicut enim confunduntur in illis, & eos lugent, cum recedentes à Deo ſuas ſequuntur cõcupiſcentias: ita gaudio magno afficiuntur, cum eos vident, contempto ſæculo, ad Deum conuerti. Deplorauit Apoſtolus Galatas, cum ab ea, quam ſuſceperant, fide receſſerunt; & rubore, atque confuſione ſuffundebatur in illis. Ait enim. *Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam: Quoniam confundor in vobis*.

Galat. 4 c

At cum filios ſuos in fide atque dilectione Chriſti ſciebat proficere, non modico gaudio exultabat. Hinc ad Coloſſenſes ait:

Coloſ. 2. a

*Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum eius, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ*. Et ad Philippenſes.

Philipp. 2. a

*Si qua ergo cõſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes*. Gaudebat ergo, quod pro infidelitate fides, pro impietate iuſtitia, pro vitijs virtutes ſuccreſcerent, & pro blaſphemijs audiebantur laudes Dei. Sanctus Hieronymus ſic præſentem locum interpretatur.

Hieron.

Pro eo quod duplicem habuiſtis confuſionem tã ſuper populum Iudæorum, qui à Deo receſſerat, quàm ſuper nationibus, quæ idolis ſeruiebant, videbitis eos conuerſos ad timorem Dei laudare partem ſuam, ideſt Dominum, de quo loquebatur Pſalmiſta.

Pſal. 15 Pſal. 72 d

*Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei*. Et iterum. *Deus cordis mei, &*

&



*& pars mea Deus in æternum*.

8 *Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis*. Senſus eſt: in terra ſua, id eſt, in cæleſti Hieruſalem, poſſidebunt *duplicia*, ideſt duplicem ſtolam, corporis videlicet immortalitatem, & beatitudinem animæ.

Aug. ſerm. 4 de Innocent. Greg. 35. mor. 9. & ſup. Pſal. 50 in illud Auditui meo dabis gaudium.

Eadem eſt explicatio ſancti Auguſtini, & Gregorij, de qua plura diximus, cap. 40. num. 7. in illa verba. *Suſcepit de manu Domini duplicia*. Secundo explicatur ſic. *Poſſidebunt duplicia*, ideſt, maxima quæque, & eximia bona. Sic etiam accipitur in verſiculo præcedenti, *Pro confuſione duplici*, ideſt magna: frequenter namque in ſacris litteris vſurpatur in hac ſignificatione: ſicut Hieremiæ

Hier. 17

17. *Duplici contritione contere eos*, ideſt, contritione magna. Zachariæ 9.

Zach. 9.

*Duplicia reddam tibi*, ideſt, magna præmia. Et 1. ad Timotheũ,

1. Tim. 5

*Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*, ideſt, honore maximo. Quod autem ſubdit: *Lætitia ſempiterna erit eis*, explicatio eſt eius quod dixerat, *duplicia poſſidebunt*, quoniam non temporale, ſed æternum erit præmium.

9 *Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto, & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis*. Quaſi dicat. Ideo perficiam quæ prædixi, quia iuſtus ſum, & iuſtitiam diligo, non patitur iuſtitia mea, quod multa mala ſuſtinentibus propter nomen meum mercedem non reddam laborum ſuorum, quod populum ſeruientem mihi ad me clamantem, & gloriam meam in omnibus quærentem perire ſinam, aut illi duplicia bona in terra ſua non rependam. Hinc eſt illa Euangelica promiſſio.

Matth. 19. d

*Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Hoc ipſum in præſenti promittit, cum ait: *Et dabo opus eorum*, ideſt mercedem operis *in veritate*, reddam centuplam mercedem.

Merces operis qualis.

Reddere enim mercedem condignam, eſt operari in veritate, & iuſtitia, & ſeruare promiſſum. Iuxta quod Apoſtolus ait:

Heb. 6.

*Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius*. Secundo poteſt accipi verbum illud, *in veritate*, vt ſit iurantis, quod dabit mercedem laborantibus, & mala ſuſtinentibus pro nomine eius. Fœdus autem perpetuum pepigit nobiſcum Deus Pater in morte vnigeniti Filij ſui; quoniam per illam reconciliauit nos ſibi.

Hieron.

Vel per fœdus (vt Hieronymus explicat) nouum intelligit teſtamentum, de quo per Hieremiã ait:

Hier. 31 f

*Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt; & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael: poſt dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eã: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*. Et vt notauit Iuſtinus, dum nouum teſtamentum vocat fœdus perpetuũ, ſatis apertè innuit, vetus teſtamentum temporale fuiſſe,

Iuſtinus in dialogo aduerſus Triphonẽ.

Aaa 2 ac

ac Euangelij prædicatione, vt ſupra diximus, terminandum.

10 *Et ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Pagninus per ſemen, & germen, fideles intelligit filios Apoſtolorum, qui ad prædicationem Euangelij multiplicati ſunt nimis, non abſque Apoſtolorum immenſa lætitia. Senſus ergo eſt. Lugentes Apoſtoli ibunt & flebunt, ſeminantes Euangelium in lacrymis & afflictionibus plurimis: Sed non fruſtra laborabunt; reddam quippe illis mercedem in diſcipulis ſuis, in quibus amplam, atque glorioſam meſſem colligent. Manifeſti erunt in vniuerſo mundo: ex charitate enim eorum, patientia, humilitate, & pace, ceteriſque virtutibus cognoſcentur, qui ſint vere Chriſtiani, fide non ficta. Nihil eſt, quod tam expoſitum ſit omnium oculis, vt vita iuſtorum, qui latere non poſſunt, quantumuis ſuum velint occultare ſplendorem. *Surgens Chriſtus Dominus, abijt in fines Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Conſonant huic explicationi verba illa Pſalmiſtæ. *Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Nec mirum, quod ſemen illud ſit potens, cui benedixit Dominus, ſicut ſcriptum eſt: *Etenim benedictionem dabit legiſlator: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* His virtutibus glorioſi efficiuntur fideles, excelſi & conſpicui; ita vt omnibus noti ſint, & admirabiles. Vnde Auguſtinus: *Iſte vir qui timet Dominum, & in templum ſanctum Dei conuerſione recti cordis optatur, nec gloriam hominum quærit, nec terrenas diuitias concupiſcit, & tamen gloria & diuitiæ in domo eius. Domus enim eius, cor eius eſt, vbi Deo habitante, opulentius habitat cum ſpe vitæ æternæ, quam homines habitantes in marmoratis laqueatiſque tectis cum timore mortis æternæ. Huius enim iuſtitia manet in ſæculum ſæculi: ipſa eius gloria, ipſæ diuitiæ. illius enim purpura, & byſſus, & epulæ ſplendidæ, & cum præſto ſunt, tranſeunt, & cum ad finem venerit, aquæ guttam e digito ſtillantem deſiderans, ardens lingua clamabit.*

Marc. 7. — Pſal. 111. — Pſal. 83. — Aug. ſup. eundẽ Pſ. 111.

11 *Gaudens gaudebo in Domino, & exultauit anima mea in Deo meo. Quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Hic fit mutatio perſonæ. Hactenus enim locutus eſt Chriſtus; nunc autem ſermones eius ſuſcipit Eccleſia, exultans & iubilans in promiſſionibus ſibi factis à Domino. Illa geminatio, *Gaudens gaudebo*, magnitudinem lætitiæ ſignificat. Gaudebo, inquit, non in rebus perituris, in quibus mundus lætari ſolet, qui dicit malum bonum, & bonum malum, qui iudicat amarum dulce, & dulce reputat amarum, qui ponit tenebras lucem, & lucem tenebras, ſed *gaudebo in Domino*, & in gloria ac magnificentia eius, qui ſaluam me fecit de inimicis meis, qui per Vnigenitum ſuum, à perpetua me liberabit morte. Vt enim ſupra diximus, familiare eſt Eccleſiæ, poſt accepta beneficia in

Cap. 12. num. 2. 12. & 13.



in gratiarum actionẽ prorũpere, ab eo accepta enarrãdo beneficia: quod in præſenti efficit, dicens. *Quia induit me veſtimentis ſalutis*, fide videlicet, ſpe, & charitate, ac ceteris virtutibus, quibus anima decoratur, & hoc eſt internum ornamentum: nam externum eſt iuſtitia, qua donat, vt erga proximos ſimus iuſti. Vtroque indumento ornatur Iuſtus: vnde poſtquam dixit, *quia induit me veſtimentis ſalutis*, ideſt interioribus ornamentis, ſubdit de exterioribus, *& indumento iuſtitiæ circumdedit me*, cui conſonat illud Pſalmiſtæ. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumdata varietatibus*, quæ omnia à Deo accepta eſſe humiliter agnoſcit. Vbi obſerua, quod non dixit, dedit mihi veſtimenta ſalutis, ſed *induit me veſtimentis ſalutis*, vt non ſolum veſtimenta, ſed etiam veſtimentorũ vſum bonum in Deum referamus. Quia, vt dicit Apoſtolus, *non eſt volentis, nec currentis, ſed Dei miſerentis.* Quem locum explicans beatus Anſelmus ait: *Totum imputandum eſt gratiæ, quia neque volentis eſt, quod vult, neque currentis, quod currit, ſed miſerentis eſt Dei. Omnibus enim ſolo Deo excepto dicitur, quid habes, quod non accepiſti?* & poſt pauca hoc ipſum explicat exemplo, ſubdens. *Velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à ſe poteſt veſtimentum habere, dat veſtem, non tamen, quamuis ipſe habeat poteſtatem & non vtendi, & vtendi accepta veſte, ſi ea vtitur, imputandum eſt induto, quia indutus eſt, ſed danti veſtem, quapropter ita dici poteſt, non eſt induti, quod eſt indutus, ſed miſerentis, ideſt veſtem dantis: multo vero magis hoc diceretur, ſi ille qui dedit veſtem, dediſſet etiam poteſtatem ſeruandi eam & vtendi ſicut Deus homini, cum dat rectitudinem ſæpe factam, dat etiã poteſtatem ſeruandi & vtendi.*

Pſal. 44 — Vſus bonus lib. arbitr. eſt à Deo. — Rom. 9. — Anſel. lib. de concordia præſcient. & lib. arbit. c. 3.

12 *Quaſi ſponſum.* Non modica eſt inter Doctores ſanctos difficultas, Quanam ratione Eccleſia, cuius hæc omnia ſunt verba, ſeipſam dicat ſponſum. Sanctus Hieronymus reſpondet, Eccleſiam eſſe ſponſum in viris perfectis, qui vtuntur ſolido cibo, & ſpõſam in incipientibus, atque imperfectis, quibus opus eſt lacte. familiare quippe eſt in ſacris litteris, animas perfectas atque robuſtas maſculino ſignificari nomine, imperfectas vero femineo vocabulo, eo quod debilem & infirmam habeant naturam. Vnde & ſponſo corona, quæ ſignum eſt partæ victoriæ, & ſponſæ monilia, quæ mulierum ornamenta ſunt, conceduntur. *Perfectus* (inquit) *erat Paulus, qui quaſi ſponſus decoratus, corona, ſiue coronandus dicebat: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: incipiens autem erat comparatione plenitudinis, quando ex perſona incipientium loquebatur. Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Et ideo ſponſæ aſſimilatur ornatui, quæ ornatur monilibus ſuis.* Sanctus autẽ Auguſtinus aliter reſpondet, primam conſtituens regulam Tyconij, iuxta quam à capite fit tranſitus ad corpus, vel à corpore ad caput, abſque eo, quod recedatur ab vna eadẽque perſona, & conſtituit exemplum in hoc loco Iſaiæ: *Vna* inquiens *perſona loquitur, dicens: ſicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento: & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, ideſt, quid Chriſto, quid Eccle-*

Hieron. — Eccleſia ſponſus dicitur & ſponſa. — 1. Thim. 4. — 1. Cor. 13. d — Auguſt. li. 3. de doct. Chriſt. c. 31.

*ſiæ conueniat, vtique intelligendum eſt*. Chriſtus ergo ſponſus eſt Eccleſiæ, quam ſibi in miſericordia & miſerationibus copulauit, & mirifice officio ſponſi functus eſt: nam reliquit patrem & matrem, adhęſitque vxori ſuæ, pro qua proprium ſanguinem fudit, *vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata*. Vbi interpres vulgatus legit *decoratam*, Hebræi habent vocem ſignificantem præfecturam ſacerdotalem, qua ornata eſt Eccleſia, vt obſeruauit Pagninus, & recte quidem. Nā Chriſtus in cruce corpus ſuum pro nobis obtulit, ſummumque egit ſacerdotem, Eccleſiam vnica oblatione ſanctificantem, vt idem poſtmodum offerret ſacrificium ſola ratione offerendi diuerſum.

Chriſtus eſt ſpōſus Eccleſiæ.

Eph. 5.

13 *Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuū germinat, ſic Dominus Deus germinabit ſtultitiam, & laudem coram vniuerſis gentibus*. Loquitur Propheta in perſona Chriſti, denūcians ſponſam eius, hoc eſt Eccleſiam ſic decoratam & ornatam, tanta fertilitate germinaturam opera pietatis, ac charitatis, quanta ſolent horti irrigui & exculti proferre fructus ſuos. Nam licet olim terra arida, & infructifera viſa fuerit, ſponſus tamen illius de cælo veniens, & annuncians Euangelium, ſponſam ſuam benedicet omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, ſicut prædixerat ſupra: Vnde illud, *Dominus Deus germinabit iuſtitiam*, idem ſignificat, quod germinare faciet iuſtitiam & laudē, idque non in vno populo, ſicut olim, ſed in vniuerſis gentibus, quia non ſolum Iudæis, ſed vniuerſo mundo annunciatum eſt Euangelium.

# CAPVT LXII.

1. PROPTER Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur. 2. Et videbunt Gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. 3. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. 4. Non vocaberis vltra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Deſolata: ſed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. quia complacuit Domino in te: & terra



terra tua inhabitabitur. 5. Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. 6. Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. 7. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes. 8. tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. 9. Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Hieruſalem laudem in terra. 10. Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ: 11. Si dedero triticum tuum vltra cibū inimicis tuis: & ſi biberint filij alieni vinum tuum, in quo laboraſti. Quia qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atrijs ſanctis meis. 12. Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate ſignum ad Populos. 13. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: Dicite filiæ Sion: Ecce ſaluator tuus venit: 14. ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. 15. Et vocabunt eos, Populus ſanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis quæſita ciuitas, & non derelicta.

## SVMMA CAPITIS.

*EFFECTVM ſingularem, & deſiderium aduentus Chriſti, nomine omnium Prophetarum exprimit Iſaias in huius capitis initio.*

*Secundò pollicetur Eccleſiæ Catholicæ magnam felicitatem, ac filiorum multitudinem quos proferet, cum fuerit Chriſto deſponſata. de quo agit ab illo verſiculo*, Non vocaberis vltra Derelicta.

*Tertiò, prouidentiam ſingularem exprimit, quam Deus habet Eccleſiæ ſuæ, ſuper cuius muros vigiles conſtituit, & cuſtodes fortiſſimos. verſiculo*, ſuper muros tuos Hieruſalem.

*Quartò, quædam ſubiungit ſpecialiter circa aduentum Domini, non ſolum in carne mortali, cum viſibilis inter nos apparuit, ſed etiam in glorificato corpore, cum apparebit in iudicio, & reddet vnicuique ſecundum opera eius. à verſiculo*, Iurauit Dominus in dextera ſua, *vſque ad finem capitis*.

# *COMMENTARIVM.*

1. P*ROPTER Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam: donec egrediatur vt ſplẽdor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur.* Nomine omnium Prophetarum, aduentum Redemptoris ardenti deſiderio expectantium, pollicetur Eccleſiæ Catholicæ, ſe non taciturũ, donec promiſſa à Deo impleantur. Non tacebo, inquit, ideſt, non ceſſabo deprecari Saluatorem, vt veniat. vel, non tacebo, ſed iterum atque iterum annunciabo aduentum iuſti, hoc eſt Chriſti, qui per eſſentiã iuſtus eſt, donec veniat. Aduentum autem Chriſti non optat ſolum vt alij Prophetæ, ſed manifeſtum cupit eſſe in carne, vt idem ipſe qui eſt ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, in ſplendoribus ſanctorum ante luciferum genitus, ſplendorem ſuæ lucis diffundat, non ſuper Iudæos ſolum, ſed etiam ſuper gentes. Non tacebo, nec finem loquendi faciam, donec Saluator eius, ideſt Vnigenitus Filius eius accẽdatur vt lampas, lucem diuinitatis intra vitream cauſulam humanitatis oſtendens, vt
Sap. cap. 2. nu. 3. ſicut ſupradictum eſt, ad manũ vnuſquiſque poſſit illum habere. Lampas accenditur, vt nocte luceat, vt in tenebris ſedentes conſoletur. Sic accenſus eſt Chriſtus, de quo Zacharias cecinit.
Luc. 1. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigẽdos pedes noſtros in viã pacis.*

2 *Et videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuũ. Et vocabitur tibi nomen nouũ: quod os Domini nominauit.* Denunciat Propheta iuſtum, quẽ vt lampas accendi petierat, in vniuerſo mundo agnoſcendum eſſe, quia videlicet omnes gentes, & Reges videbunt eum, & adorabunt; quorum mirabili conuerſione nouo gaudio perfruetur Eccleſia, & nouo etiam nomine vocabitur. Tanta enim erit eius felicitas, tanta & innouatio per Chriſtum, vt nomẽ priſtinum obliuioni tradatur. Olim dicebatur miſera, & afflicta Hieruſalẽ, ſed iam deinceps nouo nomine decorabitur: nam à Chriſto Eccleſia dicetur Chriſtiana, & glorioſa, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiuſmodi. Iam nõ dicent amplius, aſſumentes ſeptem mulieres virum vnum: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomẽ tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Isai. 4. Nam & nomen Chriſti ſuper fideles inuocabitur, & à Chriſto nominabuntur Chriſtiani, & panem eius comedent, ideſt Sacramentum Euchariſtiæ, & veſtimentis operientur illius, virtutibus videlicet, & optimis moribus. Hoc nomine cognominati ſunt primum Antiochiæ diſcipuli, ſecundum illud. Et *docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primũ Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani.* Act. 11. d Igitur cum ait, & *vocabitur tibi nomen nouum*, loquitur ad Eccleſiam, vt explicat Hieronymus, Hieron. & nomen eius nouum, eſt illud, quod Chriſtus explicuit, cum dixit ad Petrum. *Super hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. aut vero nomen Chriſtianiſmi, vt ſupra dictum eſt. Quod etiam per nomen nouum ſignificari ſentiunt, Clemens Alexandrinus, & Euſebius Cæſarien. Clem. Alexand. c. 5. pedag. Euſeb. lib. 2. demõſt. Euang. c. 49. Poteris etiam per nomen nouum illud intelligere, de quo paulo inferius hoc eodem cap. ſubditur, *ſed vocaberis Voluntas mea in ea.* Ita Adamus Sasbout. Alij vero, inter quos eſt Cyrillus, ſentiunt, Prophetam his verbis per apoſtrophem ad Chriſtũ ſermonem conuertere, ita vt ſenſus ſit. Vocabitur tibi ò Chriſte nomẽ nouum, illud videlicet, de quo Gabriel Angelus ad Virginem loquens dixit: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabitur nomen eius Ieſus.* Lucæ 1. Ieſus eſt nomen nouum. nomen certe nouum numquã auditum in terra noſtra, nomen redemptionis, nomen ſalutis. Ait autem, *quod os Domini nominabit*, quoniam Angelus nomen illud de cælo afferens in perſona Domini loquebatur, ſicut Propheta, qui propter eamdem rationem, cum multa aduerſus populum incredulum denunciaſſet, inquit: *Quia os Domini loquutum eſt.* Isai. 1. Prima explicatio eſt magis conformis contextui huius capitis.



3 *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Confert Eccleſiam coronæ, quoniam ad inſtar coronæ contexta eſt ex diuerſis lapidibus pretioſis, ex Apoſtolis, Martyribus, & viris ſanctis: vt notauit Cyrillus, Cyrillus. aut vero quoniam variarum virtutum floſculis decoratur. Hæc eſt corona, de qua dicit Pſalmiſta. Pſ. 64. c *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* Hanc contraponit coronæ ſuperbiæ, de qua dixerat ſupra. *Ve coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidẽti.* Isai. 28. ac ſi apertius dicat: Iam deinceps non eris corona ſuperbiæ, ſed corona gloriæ, illa enim conculcata eſt ſub pedibus ebriorum Ephraim, hæc vero non ſub pedibus erit, ſed in manu Domini, hoc eſt ſub eius cuſtodia & protectione, ne poſſit ab aliquo rapi, aut deturpari. Scriptum eſt enim. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Sap. 3. Et iterum: *Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Ioan. 10 Portat Dominus hanc in ſuis manibus coronam, quoniam aſpectu illius delectatur, & in contẽplatione pulchritudinis eius. Nec mirum, quod in manibus portet, quã in manibus deſcripſit, Propheta atteſtante. *In manibus meis deſcripſi te.* Isai. 49. d Per diadema regni idem intelligit, quod per coronam, ſed diuerſis nominibus eamdem rem explicuit, Apoſtoli corona regni Chriſti ſunt. vt magnitudinem gloriæ Catholicæ Eccleſiæ, pro qua Chriſtus eſt mortuus, deſignaret. Poteris etiam per diadema regni chorum Apoſtolorũ ſpecialiter intelligere, quos tamquã diadema regni ſui Chriſtus Dominus elegit.

4 *Non vocaberis vltra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius deſolata. Sed vocaberis Volũtas mea in ea, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.* Senſus eſt, Olim terreſtris illa Hieruſalem deſerta manſit, & deuaſtata. Quoniam inobediens extitit preceptis Domini: tu autem ò Eccleſia nõ patieris hæc mala, ſed gaudebis multitudine filiorum, qui habitabunt in te, gaudebis & præſentia Dei tui, ipſe enim tecum permanebit vſque ad cõſumma-

mationẽ ſæculi, iuxta quod per Ezechiel. dictum eſt. *Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem*. Ex cuius præſentia tãtam obtinebit dignitatem & gloriam, vt vocetur hoc nomine, *Voluntas mea in ea.* hoc eſt, volũtas mea erit habitare in ea, erit nomen tuum paradiſus Domini & deliciæ eius. Cui conſonat illud Prophetæ. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.* Et illud. *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Vel ſic, Voluntas mea in ea, quaſi dicat: Hæc eſt ſponſa quam tenerrime diligo, pro qua & animam meam pono: appellaberis ergo, non derelicta, ſed dilecta à Domino, non deſolata, ſed inhabitata: vel, *voluntas mea in ea*, ſcilicet implebitur, vt in oratione Dominica ipſa ſemper poſtulat Eccleſia, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Septuaginta interpretes vbi nos legimus. *Et terra tua inhabitabitur*, vertunt, *& terra tua maritabitur*, quia videlicet vni erit deſponſata viro, & Chriſto Domino per fidem & dilectionem copulata, vocabitque Deum virum ſuum, ſicut Oſeas ait. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus.* Hoc eſt, Eccleſia vocabit me virum ſuum, quam & Apoſtolus ſe deſpõſaſſe gloriatur, dicens: *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quomodo ergo derelicta poterit eſſe, aut deſolata, quæ talem ac tantum habet virum? Ne autem ſibi tribuat, aut proprijs meritis adſcribat, quod ad talem gloriam euecta eſt, inquit. *Quia complacuit Domino in te*, hoc eſt, quia Dominus ſuam voluit in te miſericordiã oſtendere, quia ſibi ita placuit, ſicut Saluator ait: *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Vatablus vertit,

Ezech. 28.
Pſal. 67
Prou. 8. b
Matth. 6. b
Oſeæ 2.
Matth. 11.

*quia Dominus propenſus eſt tibi*, id eſt, valde te diligit.

5 *Habitabit enim iuuenis cum Virgine, & habitabunt in te filij tui.* Septuaginta ſic vertunt. *Et ſicut habitans iuuenis cum virgine, ſic habitabunt filij tui*, & in aliquibus codicibus additur *tecum*. Oſtendit, quam grata futura ſit & iocunda omnibus fidelibus habitatio in Eccleſia. Quã gratum, inquit, eſt iuueni, habitare cum virgine ſibi deſponſata, ita & filij tui, ò Eccleſia, Apoſtoli videlicet, paſtores, atque rectores tui, ac ceteri fideles tecum exultabundi habitabunt. Vnde Pſalmiſta, *Sicut lætantiũ omnium habitatio eſt in te.* Habitaberis à legitimis filijs, non ab exteris & impijs populis: & ſicut puellæ virgini contingit feliciter ſponſus iuuenis, qui plures ex ea poſſit accipere filios, (non enim decet iuuenculam maritus ſenex, aut ætatis decrepitæ) ita & tibi deſponſabuntur non ſteriles, ſed boni doctores, qui per Euangelium Chriſto generent ſpirituales filios. Non erunt vagi & profugi ſuper terram filij tui, ſicut ille, de quo ſcriptum eſt; *Vagus & profugus eris ſuper terram.* non egredientur ex te, vt hœdos ſuos paſcãt iuxta tabernacula paſtorum: vel cum filio prodigo ſuam viuendo luxurioſe ſubſtantiam diſſipent, ſed habitabunt in te, vt verax inueniatur qui dixit, *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, & filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Et iterum. *Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarũ tuarum, benedixit filijs tuis in te.* In te inquit, non extra te: nam extra Eccleſiam exiſtentes non filij ſunt, ſed aduerſarij, quibus, non benedictio, ſed maledictio reſeruatur. Vatablus

Simile
Pſal. 68
Gen. 4.
Cant. 1.
Luc. 15.
Pſ. 127. a
Pſ. 147.

ſic



ſic transfert. *Sicut enim adoleſcens virginem ſibi maritat, ſic maritabũt ſe tibi filij tui.* Quibus verbis maxima ſignificatur dilectio, qua fideles Eccleſiam proſequuntur Catholicã, ac ſi dicat. Numquam carebit filijs qui eam ornent, diligant atque defendant, & cum illa libenter habitent.

6 *Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Septuaginta. *Et erit, ſicut lætatur ſponſus ſuper ſponſa, ſic lætabitur Dominus ſuper te.* Eodem modo vertũt Vatablus, & Pagninus, & ſenſus eſt ſatis planus. Quemadmodum ſponſus lætatur, cum ſponſam ſuam ab omnibus laudari conſpexerit, & caſtam, atque ſpecioſam inter omnes feminas prædicari: ita in te ò Eccleſia Catholica gaudebit Deus tuus. Odio habet ſponſus ſponſam adulteram, amat autem caſtam & virginem: Et Chriſtus Dominus caſtam & virginẽ Eccleſiam diligit, quam proprio ſanguine redemit, quã ſpecioſam & decoram effecit, non habentem maculã neque rugam, aut aliquid huiuſmodi, & eam ſibi in fide deſponſauit. Lætentur ergo filij ſponſi. *Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Gaudeat & Ioannes Baptiſta harum paranimphus nuptiarum, qui ſe amicum dixit ſponſi. Ipſum audiamus dicentem: *Nõ ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſũ ante illũ. Qui habet ſponſam ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meũ impletum eſt.* Denique ſicut ſponſus gaudet, cum magnum ſponſam filiorum numerum viderit procreare, ſic gaudet ſuper Eccleſiam Deus fideles quam plurimos proferentem, atque nutrientem; ex quibus alij Apoſtoli, alij Euangeliſtæ, alij Martyres,

Matth. 9.
Ioannes Baptiſta eſt amicus ſponſi.
Ioan. 3. d

alij Paſtores & Doctores, alij Virgines prodierunt, myſticum eiuſdem Eccleſiæ corpus, velut pretioſi lapides ornantes.

7 *Super muros tuos Hieruſalem conſtituit cuſtodes, tota die & nocte non tacebunt.* Oſtendit, quantã Eccleſiæ ſuæ Catholicæ habeat prouidentiam, ſuper cuius muros conſtituit cuſtodes. Et loquitur, ſumpta metaphora à munitiſſimis ciuitatibus, ad quarum cuſtodiam duo excubitorum genera deſignantur. Quidam enim conſtituuntur, vt die noctuq. circumeant ciuitatem, & conſideret, qua via eam poſſint hoſtes impetere. Hi communi vocabulo dicuntur circitores, quorum munus & officium eleganter Caſſiad. deſcribit. Quin & ſponſa in Canticis eorum meminit dicens. *Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatẽ.* Alij vero dicuntur vigiles, qui & ſtationarij appellari conſueuerunt, eo quod per certas vigilias diuiſi, ſuper muros ſtantes cuſtodiunt ciuitatem, nocturno præſertim tempore, ne fures & latrones intrent, aut aliquod periculum ab hoſtibus ſuis ciues patiantur. Non diſſimiliter Deus ſuper cuſtodiam Eccleſiæ ſuæ vigiles conſtituit, & cuſtodes, ne aduerſarij eam deuaſtent, ne diabolus intret. Per cuſtodes ſanctus Hieronymus Angelos intelligit, vel Apoſtolos, atque omnes Principes, & Doctores Eccleſiæ, quorum munus proprium, & officium eſt, perpetuo vigilare ſuper gregem ſuum, præſertim noctis tempore, atque aduerſitatis, cum maiora Eccleſiæ imminent pericula. Sic vigilabat qui dixit: *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtãs iugiter per diẽ: & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus.* Vtitur miniſtris ſuis Deus ad gubernationem

Caſſiad. lib. 7. variar. & epiſt. 8.
Cant. 5.
Hieron.
Angelis ſunt cuſtodes noſtri.
Iſai. 21. b

Eccle-

Eccleſiæ ſuæ, excitatque illos vt curam fideliũ habeant, vt eos doceant, & ad virtutum inducant incrementa; & clament tota die ac nocte, hoc eſt in proſperis rebus & aduerſis. Vſque in hunc diem clamant Petrus & Paulus in epiſtolis ſuis. Vnus illorum
Act. 20. f
inquit: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*. Et
Rom. 12
iterum: *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate*
1. Pet. 5.
*ſenſus veſtri*. Alius inquit. *Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus*. Et iterum. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis*.

8 *Tota die & nocte non tacebunt.* Poſſunt aliter hæc verba explicari, ita vt ſenſus ſit. Cuſtodes, quos ſuper Eccleſiam meam ego cõſtituam, non tacebunt aſſidue pro bono eiuſdem Eccleſiæ orantes, atque preces feruentiſſimas pro illius augmento fundentes, quod Apoſtoli perfecerunt, zelo Eccleſiæ ſuccenſi, id quod indefeſſe faciunt veri paſtores, imitantes Paulum qui ad Romanos ſcri-
Rom. 1.
bens ait: *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in ora-*
Rom. 10 a
*tionibus meis*. Et iterum. *Fratres voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutẽ*. Apoſtoli ergo, ac ceteri Prædicatores Euangelici quamplurimos olim conuertebant ad Chriſtum, quoniam parum clamabant, & multũ orabant: nunc autem quia multum clamamus, & parum oramus, Euangelicæ prædicationis fructum minime videmus. Hanc explicationem inſinuat

Prædicatores plures orãdo, quam clamando cõuertunt.

Gloſſ.
vtraque gloſſ. interlinearis videlicet, & Lirani, cum dicunt. *Non tacebunt, ſcilicet à precibus & prædicatione*. Et conſonat explicatio cum ſubſequẽtibus verbis. Subditur enim.

9 *Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Hieruſalem laudem in terra.* Vide cauſã, quam ponit certiſſimam, quod futuri ſint in Eccleſia boni paſtores, & cõcionatores, quia videlicet pro grege ſibi commiſſo orabũt Deum. Hinc Dominus in Euangelio nos admonet dicens: *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuã*, operarios inquam, qui zelum habeant, qui orent pro populo, qui clament cum Moyſe, *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro* Exo. 32
*tuo quem ſcripſiſti*. orare ergo vocatur, reminiſci Dominum. *Reminiſcimini* (inquit) ideſt, ne obliuiſcamini eius, induimini zelo amoris gregis Dominici, & cuncta proſpere ſuccedent vobis: *Ne detis ſilentium ei*, ideſt, ne ſileatis, perſeuerate in oratione, clamate, donec impleta ſint Dei promiſſa, donec ſtabiliat Sion, & ſuper ſolidiſſimam petram Eccleſiam Catholicam firmiter ſtatuat, donec mundus audiat verbum illud. *Tu es Petrus, & ſuper hanc* Matth.
*petram ædificabo Eccleſiam meam,* 16.
*& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. donec ponat Hieruſalem laudem in terra. Hoc eſt. donec laudabilem, & omnibus conſpicuam faciat Eccleſiam ſuam: quod alijs verbis explicuerat ſupra, cum dixit: *Ponam te in ſuperbiam populorum,* Iſai. 60.
*gaudium in generatione generatio-* c
*num*. Vel ſic, donec Eccleſia continuis laudibus pro acceptis beneficijs glorificet Dominum. Hæc autem omnia eo ardẽtius miniſtri Dei debent perficere, quo certius euentura eſſe, quæ Dominus promiſit, agno-





agnouerint; vnde & ſubditur.

9 *Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ.* Ac ſi apertius dicat. Neminem laborum pigeat, nemo deſperet, nullus ſibi perſuadeat, in vanum orationes & preces ad Deum ſe fundere: quia non ſolum promiſit, ſed & iurauit per dexterã ſuam, ideſt, per Filiũ ſuum, per quem creauit cælos, per quem portat & moderatur vniuerſa, quod ædificabit muros Hieruſalem, & Eccleſiam fundabit Catholicam. Et non ſolum iurauit ſe ædificaturũ Eccleſiam, ſed ita defenſurum, vt portæ inferi non præualeant aduerſus eam. Ergo prædicate doctrinã Catholicam, annunciate confidenter Euangelium in vniuerſo mundo, ſeminate in gaudio verbum Dei, & in exultatione metite. Nolite cogitare, aut inter voſmetipſos dicere. Fortaſsis hoſtes ſubuertent, & auferent laborem noſtrum. Non enim hoc fiet. Dominus ſuos cuſtodiet, & inimici non poterunt eos diſperdere. Quid nocuerũt martyribus tyranni? Nonne ſanguinem pro Chriſto fundentes, vitam æternam lucrati ſunt, & perſecutores ſuos ad Deũ ſæpius conuerterunt? Hanc ergo ſecuritatem ſectatoribus ſuis Dominus repromittit, cum ſubdit.

10 *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: & ſi biberint filij alieni vinum tuum in quo laboraſti: Quia qui congregabunt illud comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in*
Hieron.
*atrijs ſanctis meis.* Sanctus Hieronymus hanc repromiſſionem ſpiritualiter docet eſſe intelligendam, eam referens ad illos, qui ſeminantes in lacrymis, poſtmodum in exultatione metent, de quibus dicit Pſalmi-
Pſ. 127.
ſta: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Quando ergo dicit: Nequaquam vltra dabo triticum tuũ inimicis tuis, & vinum tuum alienigenæ non bibent in quo laboraſti*, oſtendit (vt ait Hieronymus) *laborem antea Iu-* Hieron.
*dæorum, & omnia opera eorum à dæmonibus fuiſſe poſſeſſa, quando inter Deum, & idola fluctuabant: quando eis dicebat Helias: Vſquequo clau-* 3. Reg.
*dicatis vtroque pede? Si Dominus* 18. d
*eſt Deus, ſequimini illum. Hoc eſt autem triticum, & hoc vinum, quod non comedent, niſi laudantes Dominum, & non bibent, niſi in atrijs ſanctis eius*. de quo Dominus in paſſione dicebat: *Amen amen dico vobis:* Mar. 14. c
*Non bibam de genimine vitis huius, donec illud bibam nouum in regno Patris mei. Quæ ex parte complen-* Cant. 5. a
*tur in Eccleſia, quando dicit Dominus diſcipulis ſuis: Bibite amici mei* Matth. 26. c
*& inebriamini fratres: quod vinum lætificat cor hominis, & in plena* Gen. 43. g
*luce atque meridie bibitur à Ioſeph cum fratribus ſuis, & complebitur plenius, quando inebriabitur terra benedictionibus Domini*. Vbi obſeruandum, quod ideo dixit, bibent illud *in atrijs ſanctis meis*, vt differentiam aſſignet inter ſtatum legis antiquæ, & legis gratiæ. Olim quippe ſolebat populus in atrijs ſtare, quia ingredi ad interiora, ſolis concedebatur ſacerdotibus: nunc autẽ Deus, ſicut pollicitus eſt, colligit populum ſuum in domum ſuam, vt comedat & bibat labores manuũ ſuarum, idque cum maxima ſecuritate & pace. Neque enim bona iuſtorum rapinis hoſtium patebunt: ſolida enim & vera ſunt, quæ ab inimicis auferri non poſſunt. Vnde Dominus Matth.
ad diſcipulos ait: *Nolite theſauri-* 6. b

*ʒare vobis theſauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiũt,*
Euchariſtiæ fructũ non percipiunt peccatores. *nec furantur*. Secundo explicat hũc locum ſãctus Hieronymus de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, in quo Chriſti caro in cibũ ſub ſpeciebus panis, & ſanguis eius, ſub ſpeciebus vini datur in potũ. Hoc enim triticum non comedent alieni, nec vinum iſtud bibent; quoniam non alieni, ſed filij fructum percipiunt illius. Alij denique hanc promiſſionẽ exiſtimant eſſe temporalem, quaſi diceret. Laborabis ò Hieruſalem, & ſeminabis agros tuos, & triticum, & vinum in magna abundãtia colliges, & pacifice comedes & bibes illud: nõ enim hoſtes tui deprædabuntur hæc de manu tua, nec tibi continget illa
Iob 31. a maledictio. *ſeram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur*; ſed explicatio ſancti Hieronymi eſt contextui magis conformis.

11 *Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & leuate ſignum ad populos*. Alia conſimilia verba præmiſerat ſupra, cum ait:
Iſai. 57. e *& dicam: Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita: auferte offendicula de via populi mei*. quæ verba cap. 57. explicata reliquimus. Igitur in præſenti hortatur iterum concionatores & paſtores Eccleſiæ, vt alios excitent ad virtutem, & reliquos fideles vitæ exemplo antecedant, debent enim miniſtri Domini primi eſſe, & primi pro fide quam prædi-
Prædicatores arietes dicuntur. cant periclitari, vnde & arietes, & duces gregis Dominici in Scriptura dicuntur, vt præeuntes viam parent, & alios poſt ſe trahant. Calcare ergo debent prius vias mandatorum, & ſemitas conſiliorum pedibus ſternere, atque ex locis ſaxoſis lapides eijcere, qui exaſperant viam, & eam difficilem poterant reddere; ſic enim populus ſecure incedet per eam, nec vmquam offendet ad lapidem pedẽ ſuum. Hoc perfecit Chriſtus, iuxta illud, quod dictum eſt ſupra. *Et erũt* Iſai. 30.
*oculi tui videntes præceptorem tuũ, & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Hoc adimpleuit, cum dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &* Matth. 11.
*ego reficiam vos: Tollite iugum meũ ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, &c.* Lapides & offendicula à via abſtulit, cum errores à Iudæis legi admixtos eliminauit, dicens: *Audiſtis quia dictum* Matth. 5.
*eſt antiquis: diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Et iterum: *Niſi* Ibid.
*abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum*. Et rurius. *Quare & vos tranſgredimini* Matth. 15.
*mandata Dei propter traditiones veſtras?* Chriſtum ergo ſupremũ ducem, paſtores & doctores Eccleſiæ imitentur, peruerſas doctrinas abijcientes, & omnia offendicula, & ſcandala de medio viæ auferentes cũ Paulo, qui gregis Dominici amore ſuccenſus dixit. *Si eſca ſcandalizat* 1. Cor. 8. d
*fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*. Sequitur, *Et leuate ſignum ad populos*. Hoc eſt vexillũ erigite, vt ſciant, qui ad patriam properant, vbi ſint, & quibus ſe aggregare debeant. Hoc ſignum eſt Chriſtus crucifixus, quem vt ducem & conſummatorẽ reſpicere debemus, iuxta illud Apoſtoli. *Per patientiam* Heb. 11 a
*curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem, Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet*. Hinc (vt arbitror) ortum habuit quod ſigna & vexilla plebi præferantur, quibus admonentur, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, & perpetuum cum principe tenebrarum, cum mundo, & carne eſſe bellum indictum. Vide
Sup. cap. 17. nu. 6. quæ de ſigno Crucis diximus ſupra.

12 *Ecce Dominus auditum fecit in extremum terræ. Dicite filiæ Siõ: Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo: & opus eius coram illo*. Hæc eadem verba habentur ſupra cap. 40. quæ ibi diffuſe explicata ſunt: in præſenti autem quædam ſe offerunt ſuperaddẽda quibus, & hic locus, & ille planior fiat. Alloquitur ergo Iſaias in præſenti omnes Prophetas & concionatores verbi Dei, eos exhortans, vt certo futuram eſſe redemptionẽ annuncient: ac ſi apertius dicat: Ita certam ſalutem eſſe prædicate, & annunciate, ac ſi iam adeſſet, & Saluator in carne mortali
Cant. 1. apparuiſſet, & Euangelium eius per vniuerſum orbem fuiſſet annuncia-
Ioan. 1. tum. dicite, inquit, filiæ Sion. *Ideo* ſecundum Hieronymum, *appellatur filia Sion, quia primum orta eſt ex*
Cant. 1. *Iudæis, de qua dicit in Cantico Canticorum: filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me. vel certe propterea filia, quia à Deo adoptionis nomẽ*
Ioan. 1. *accepit. Quotquot enim ſuſceperunt eum, dedit eis poteſtatem, vt filij Dei fierent. Ecce*, inquit, *Saluator tuus venit*. Illud pronomen, *ecce*, vt notauimus ſupra, rem ad ſenſum demonſtrat, vt ſciamus, Deum Saluatorem Cap. [illegible] nu. 5.
noſtrum in carne mortali, & viſibili aduenire, vt nobiſcum ſit, & nobiſcũ laboret. Ecce venit, nõ vt iudex, ſed vt Saluator, non vt perdat, ſed vt pro peccatis noſtris ſatisfaciat. Secum pretium affert, & mercedem quam pro nobis ſoluet, & opus redemptionis noſtræ coram illo. Opus noſtrum vocat opus ſuum, & merito, quoniã peccata noſtra ſuper ſe ſuſcepit, & ſalutem noſtrã reputat ſuam: reliqua videantur cap. 40. citato.

13 *Et vocabunt eos populus ſanctus: redempti à Domino. Tu autẽ vocaberis quæſita ciuitas, & non derelicta*. Omnino, inquit, implebuntur Dei promiſſa: nam per Euangelij prædicationem ceſſabit ignominia populi Dei, atque Eccleſiæ Catholicæ apparebit gloria: nam vocabunt fideles ſanctos; vtpote à Domino redemptos. Sic eos ſæpius vocat Apoſtolus, ſtatim in initijs epiſtolarũ ſuarum. Sancti ſunt propter Chriſtũ: nam Eccleſiam ipſe proprio ſanguine ſanctificauit, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. *Tu autem, &c.* illud pronomen *tu*, deſignare poteſt ciuitatem Hieruſalem, filiam Sion, & Eccleſiam Catholicã, & quidem, ſi ciuitatem deſignet Paleſtinæ, ſenſus eſt. Tu ò ciuitas quæ multis ante ſæculis quaſi perdita fuiſti, & deuaſtata, *vocaberis quæſita ciuitas*, verum in paucis, quia reliquiæ ſecundum electionem in te ſaluæ fient, cæteri vero excæcati permanebunt, quouſque ab oculis eorum Deus auferat velamen, eris quæſita ciuitas in Apoſtolis, quos Dominus quæſiuit, & elegit, vt per eos crederent vniuerſi. Si autem ad Eccleſiam hæc verba referantur, ſenſus eſt planus: Tu quidẽ olim derelicta vocabaris, ſterilis, &

odio

odio habita, nunc autem diceris ciuitas quæſita per Chriſtũ, ipſe enim venit quærere & ſaluare quod perierat. Vox Eccleſiæ eſt illa. *Erraui ſicut ouis quæ periȷt, quære ſeruum tuum Domine, quia mandata tua nõ ſum oblitus*. cui paſtor reſpondet: *Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum: ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis, & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam*. Hinc & Saluator dimiſit nonaginta nouem oues in deſerto, & venit ad ouem quæ perierat, donec inuenit eam, & cum inueniſſet eam, impoſuit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocauit amicos & vicinos, dicens, congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.

*Pſ. 118.* *Ezech. 30. a* *Luc. 15. a*

# CAPVT LXIII.

1\. QVIS eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? 2. iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. 3. Ego, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. 4. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? 5. Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. 6. Dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. 7. Circumſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui & non fuit qui adiuuaret: & ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. 8. Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarũ ſuarum. Et dixit: Verumtamen populus meus eſt, filij non negantes:





tes: & factus eſt eis ſaluator. 9. In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos: 10. in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi. Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt ſpiritum ſancti eius: & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos. 11. Et recordatus eſt dierum ſæculi Moyſi, & populi ſui: 12. Vbi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui? vbi eſt qui poſuit in medio eius ſpiritum ſancti ſui? 13. Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuæ, qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum: 14. Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem. Quaſi animal in campo deſcendens, ſpiritus Domini ductor eius fuit: ſic adduxiſti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ. 15. Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & gloriæ tuæ. Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe. 16. Tu enim pater noſter & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos: tu Domine pater noſter, redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum. 17. Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis: induraſti cor noſtrum ne timeremus te? conuertere propter ſeruos tuos, tribus hereditatis tuæ. 18. Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum: hoſtes noſtri conculcauerunt ſanctificationem tuam. Facti ſumus quaſi in principio, cum non dominareris noſtri, neque inuocaretur nomen tuum ſuper nos.

## SVMMA CAPITIS.

*TRIVMPHVM glorioſum, & victoriam depingit Iſaias in hoc capite, quam aduerſus peccatum, Chriſtus mortuus reportauit; ideo in initio capitis deſcribit Chriſtum humano more ſanguine aduerſariorum ſuorum cruentatum.*

*Secundò, in gratiarum actionem pro tanto beneficio prorumpit, verſiculo.* Miſerationum Domini recordabor.

*Tertiò, magnificat Dei miſericordiam, quia tot diſcrimina pro ingratis hominibus, & dignis mortem paſſus eſt. verſiculo*, in dilectione ſua, &c.

*Quartò, ſe ad Deum conuertit, illum ſuppliciter deprecans, vt rebelles, & ingratos ad ſe conuertat, atque obduratorum hominum tamquam pius pater emolliat corda, verſiculo*, Attende de cælo, &c. *vſque ad finem capitis.*

# COMMENTARIVM.

1. QVIS eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Docet præsẽs prophetia qualiter Chriſtus Dominus, de omnibus inimicis ſuis, non ſolum Phariſæis, ſed etiã de perſecutoribus fidei triumphauerit. Habẽt hæc cum ſuperioribus cõſequentiam: admonuerat quippe cuſtodes murorũ Prophetas, & miniſtros Domini, vt perſeueranter orarent, clamarent conſtanter, viam populo præpararent, & offendicula de medio tollerent; hæc enim ſunt concionatorum officia. Cæterum quoniam frequentes in itinere ſunt hoſtes, & aduerſarij obſiſtentes in via, pulchre introducit Chriſtum propugnatorem, qui omnes illos potentia ſua proſternat, atque conculcet. Vnde ad Apoſtolos loquens, ait: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Introducit autem Dominum venientem ex Edõ rubricatis, & cruentatis veſtibus, graduq. virili, & graui incedentem. Edom uero nomen eſt regionis, in qua Eſau regnauit, quam Græci Idumaeam vocant. Boſra ciuitas eſt in Moab. Porro, vt ex Scripturis ſacris conſtat, Idumæi, & Moabitæ vehemẽter fuerũt infeſti Iudæis, & hoſtes eorum perpetui, ſequentes nimirum Eſau patrem ſuum: nam & ipſe ſanctum Iacob fratrem ſuum perſequebatur. Ideo iſti gerunt typum aduerſariorum Chriſti, & omnium perſequentium Euãgelium, ac miniſtros & prædicatores illius. Venientem ergo Dominum ab Idumæorum, & Moabitarum ſtrage admiratur Propheta, dicens, *Quis* & quantus *eſt iſte*, qui licet aſperſus ſanguine, & cruore coinquinatis veſtibus, magnificus tamen, & fortitudine accinctus incedit? Sanctus Dionyſius Areopagita, docet hanc eſſe interrogationem Angelorum admirantium glorioſam Aſcenſionem Chriſti, ac triũphum eius mirabilem. Idem ſentit Hieronymus. Conſentit Cyrillus Alexandrinus. *Cælorum* inquiens, *virtutes incarnationis myſterium ignorantes, magno affectæ ſtupore, cum aſcendere Dominum repente vidiſſent, exclamabant. Quis eſt iſte qui venit de Edom, ideſt, de terra? quas non dimiſit indoctas Spiritus ſanctus, ſed iuſſit, vt ei quaſi Regi, ac Domino cæleſtes portas patefacerent, dicens per Prophetam. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Sed conſurgit ſtatim difficultas, qua ratione Chriſtus Dominus dicatur venire, ſeu aſcendere de Edom, & Boſra, cum re vera Boſra ſita non ſit in Edom, ſed in Moab. Quomodo ergo ex diuerſis locis potuit aſcendere? Ad hoc reſpondetur, quod Iſaias per Edom Iudæam, & per Boſram Hieruſalem intelligit, vſus figuratiue his nominibus, ad deſignandam impietatem illius ciuitatis, quæ non ſolum Prophe-

phe-

Ioan. 16.
Dion cap. 7. cæleſtis Hierarch.
Hieron. ad cap. 3. epi. ad Eph. Cyrill. Alex. lib. 9. in Ioan. c. 31.
Pſal. 23.



phetas, ſed & Prophetarum Dominum occidit. Edom quippe, vt ait Hieronymus, in lingua noſtra, & terrenus, & cruentus exprimitur. Ideo ſignificat terrenam Iudæam. Boſra autem interpretatur firma atque munita. Ideo ſignificat ciuitatem Hieruſalem muris firmiſſimis circũdatam, in qua paſſus eſt Dominus, vel etiam infernum, eo quod validiſſimis cuſtodijs eſt munitus. à quo tamen victor aſcendit, educens de lacu animas ſanctorum Patrum, quas diabolus tenebat captiuas.

Hieron.

2 *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ.* Adamus interrogatiue putat hoc eſſe legendum, quis eſt iſte formoſus in ſtola ſua? ſic etiam legit Vatablus. & ſic habetur in multis codicibus. Per ſtolam ſuam, humanitatem, ſeu corpus glorioſum, in quo ad Patrem triumphator aſcendit, intelligunt communiter Patres antiqui, vt Theodoretus, Gregorius Nazianzenus. & iure quidem formoſus in ſtola ſua, quæ ſine commixtione concepta eſt, & de Virgine nata eſt; quæ in ſepulchro diſſoluta non eſt, ſed die tertia reſuſcitata, quadrageſima in cælum aſſumpta, omni die (quod ſuper omnia mirandum, & amandum) in ſalutis cibum credentibus propoſita. Hæc eſt illa ſtola, de qua Iacob ſanctus morti propinquus dixit: *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuae pallium ſuum.* Poteris etiam per ſtolam ſuam intelligere innumerabilem Sanctorum multitudinem, qua comitatus aſcendit: de illis namque dictum eſt ſupra, *viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris.* Conſonat huic explicationi tranſlatio Septuaginta interpretum, quæ ſic habet, *ſic formoſus in ſtola? violentia cum fortitudine*; fuit enim violentus deprædator, captiuam ducens captiuitatem, quam violentus inimicus tenebat captiuam: Vnde & hoc nomen obtinuit, *Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.* Iſai. 8. a

Theodoret⁹ in illud cant. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit.
Greg. Nazianz. oratione in S. Paſcha.
Gen. 49.
Iſai. 49.

3 *Ego qui loquor iuſtitiã, & propugnator ſum ad ſaluandum.* Reſpondet Chriſtus Dominus interrogationi propoſitæ. Quid admiramini ò cæleſtes ſpiritus. Ego ille ſum, qui auxilium promiſi, ego ſalutem hominibus pollicitus ſum, & ego adimplebo verba mea. Non mendacium loquor, ſed iuſtitiam, ecce adſum, ſeruans promiſſum, neque id mihi difficile eſt, aut oneroſum, quoniam propugnator ſum, hoc eſt magnæ, immo & infinitæ potentiæ ad ſaluandum. in me ergo ſpem ſuam conſtituant omnes, quia extra me non eſt ſalus. Superius dixerat Propheta. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos:* nunc autem Dominus ipſe teſtatur, ſe eſſe Saluatorem illum, & Propugnatorem. *& Propugnator* inquit, *ſum ad ſaluandum.* bonus Propugnator, qui pro nobis pugnauit bella noſtra: *vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.*

Iſai. 19.
Luc. 1.

4 *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum?* quærit iterum Propheta in perſona Angelorum loquẽs, qui Aſcenſionem Chriſti, & triumphum glorioſum mirabantur. Si tam potens es ò Domine ad ſaluandum, quid eſt in cauſa, quòd proprio ſanguine ſis conſperſus, quidue ſibi volunt veſtes tuæ rubicundæ, & cruentatæ? Cruorne ille tui corporis eſt,

 an

an alterius? hoc indicium eſt paſſionis tuæ: nam & caro tua vulnerata eſt. quæ igitur fiducia noſtra erit, ſi tanta ipſe paſſus es, tam inſolita, & atrocia? neque enim vulgaris eſt aſperſio ſanguinis, quo veſtimenta tua videntur maculata: ſed ſicut eius, qui in torculari calcat, & decurrenti muſto eſt aſperſus. Huic rurſus interrogationi reſpondet benigne Dominus. *Torcular calcaui ſolus: & de gentibus non eſt vir mecum. Calcaui eos in furore meo: & conculcaui eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea: & omnia indumenta mea inquinaui.* Ac ſi apertius dicat: Hinc potius debet ſpes veſtra confirmari: non enim hæc infirmitatis, ſed potentiæ indicia ſunt maxima. *Torcular* enim *calcaui*, hoc eſt inimicos tanta facilitate vici, quanta quis in torculari vinum exprimit. & vt potentiam calcantis agnoſcas: Ego ſolus hoc perfeci. Ego ſolus comparaui mihi hanc victoriam. Ego ſolus aereas contriui poteſtates. Ego ſolus vectes ferreos confregi, & infernum ipſum exſpoliaui. Ego ſolus ex Patre abſque matre ante ſæcula genitus, & de matre abſque patre temporaliter natus. Ego ſolus abſque peccato, ſolus Deus, & homo, & ſolus inter mortuos liber. Non aſciui in auxilium meum alium fortem virum *ex gentibus*, hoc eſt, ex vniuerſitate hominum, nec leuiter percuſſi aduerſarios meos. *calcaui eos in furore meo*, hoc eſt, perfectè conculcaui, ſumpta metaphora ab eis, qui non modica ira ſuccenſi, in ſuos irruunt inimicos. Vici mundum, diabolum ſuperaui, mortem deſtruxi, infernum exſpoliaui, quin & Iudæos qui me tradiderunt morti, & perſequuti ſunt Apoſtolos meos, tanto furore diſperdidi, vt pauciſſimi ſuperſtites in terra remanſerint. Hoc te doceat cruentatio veſtis meæ, hæc eſt aſperſio ſanguinis, quo inquinata videntur indumenta mea. Igitur hæc non ſunt infirmitatis, ſed patientiæ, & potentiæ ſigna. Quamuis enim in Cruce caro Domini ſanguine aſperſa, & tota rubicunda fuerit, magnum tamen inde fortitudinis eius habemus argumentum: nam, *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. 1.Cor. 1

Mortuus quidem eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Vt agnus occiſus eſt, ſed reſurrexit vt leo. Exaltatus eſt in patibulo, & mortuus, ſed Principem huius mundi eiecit foras. Factus eſt ſacrificium veſpertinum pro peccato, ſed de peccato damnauit Coloſ.2.
peccatum in carne ſua, *donans nobis omnia delicta; delens, quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Ideo ergo non dicit, in torculari calcatus ſum, quod eſt patientis, ſed calcaui, quod agentis eſt, & potentis, atque ſumentis vindictam contra hoſtes ſuos. in qua acceptione ſumitur Trenorum 1. cum dicitur: Tren. 1. f
*Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Sion*, ideſt, graue ſupplicium illi intulit.

5 *Torcular calcaui ſolus*. Commendat hic locus Dei miſericordiã, Morale
& noſtram aperit ingratitudinem, in paſſione, relictus eſt ſolus, ſicut ſcriptum eſt: *Tunc relicto eo omnes fugerunt*, & per Prophetam dicitur. *Percutiam paſtorem, & diſpergẽtur oues.* Matth. 26.f Zach. 13 e



*oues*. Solus autem Petrus *ſequebatur eũ à longe*: vnde & ad turbas loquẽs ait: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*. Sed poſt reſurrectionem, cum diſcipuli eius nece ſui Domini eſſent triſtes, non reliquit eos ſolus. Nam cum duo ex eis irent ipſa die reſurrectionis in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem,
Luc.24. *& fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis, & ait ad illos. Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicẽ ambulantes, & eſtis triſtes?* Solus relinquitur, cum triſtis eſſet anima eius vſque ad mortem, & non relinquit ſolos ambulantes, cum eſſent triſtes, ſed appropinquans ibat cum illis. In Hebræo vbi nos legimus *de gentibus*, habetur nomen *Ammin*, quod ſignificat totum humanum genus ſiue vniuerſitatem hominũ, quia ab omnibus derelictus eſt in paſſione Dominus, ita vt ad patrẽ clamans dixerit, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?*

6 *Dies enim vltionis in corde meo: annus retributionis meæ venit.* Ideo, inquit, veſtimenta mea ſunt rubicunda, & ſanguine rubricata, quia vltionem ſumpſi de inimicis meis, & vindictam quam olim in corde conceperam, quoniam reddidi retributionem hoſtibus meis, vnde & ſanguine eorum ſum aſperſus. Hactenus paſſus ſum, quod peccatum regnet, & mors in omnes filios Adæ, de cætero id non patiar. eripiam enim in me ſperantes de manu mortis, & his qui oderunt me retribuam. Conſonat hæc explicatio cum tranſlatione ſeptuaginta interpretum, quæ ſic habet. *Dies enim retributionis venit eis, & annus redemptionis adeſt*. Per diem retributionis Cyrillus, Hieronymus, & Theodoretus intelligunt (Cyrillus. Hieron. Theodoretus.) illum diem, quo, quadraginta annis poſt paſſionem Domini, Iudæi à Romanis deuaſtati ſunt, ſicut prædixerat ipſe Saluator: *quia venient, dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terrã proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidẽ ſuper lapidem: eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Luc.19.

Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis hæc verba explicat de die Iudicij: *Iudicij diem* inquiẽs, *nouit Chriſtus, ſed in Euangelio diſcere, & ſcire diſcipulos noluit. Nam dum dicit idem Dominus per Prophetam: Dies vltionis in corde meo, indicat ſe, non neſcire, ſed nolle indicare*. (Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 30) In eodem ſenſu explicauimus ſupra alia conſimilia verba Prophetæ dicentis, *quia dies vltionis Domini annus retributionis Iudicij Sion*. (Iſai.34. b) & cap. 61. *vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro*. Et quæ in vtroque loco dicta ſunt adaptari poterũt huic verſui.

7 *Circumſpexi, & non erat auxiliator, quæſiui, & non fuit, qui adiuuaret. Et ſaluauit mihi brachium meum: & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea: & detraxi in terram virtutem eorum*. Hic locus eſt ſatis clarus, explicat enim, quod dixerat, *torcular calcaui ſolus*. Et ſenſus eſt. Non alterius, ſed meum proprium fuit redemptionis opus: nemo enim erat, qui captiuis ſuccurreret: nemo ſaluare poterat hominem qui perierat: nemo pro illo poterat intercedere, omnes enim erant natura filij iræ: omnes peccauerant, & egebant gratia Dei. Ideo ego ipſe mihi & meis conſului, & robore bra-

chij mei ſaluaui perditos, & indignatio quam contra peccatum conceperam, & zelus amoris aduerſarios meos proſtrauit. Conculcaui eos in furore meo, ita vt reſurgere nequirent. Inebriaui eos poculo iræ meæ, quod coacti ſunt bibere. Denique mortis virtutem detraxi, & robur inferni, ac principis tenebrarum, ne deinceps aduerſus hominem, quem redemi, præualeant. Conſonat huic

Pſal. 97. explicationi illud Pſalmiſtæ, *ſaluauit ſibi dextera eius, & brachiũ ſanctum eius*. Iſaias ait: *Saluauit mihi brachium meum*. Pſalmiſta inquit, *ſaluauit ſibi dextera eius. ſibi*, inquiunt, cum tamen ſalus contingat nobis, qui infirmi, & morti eramus addicti: quoniam ſalutem noſtram propriam reputat. ſibi ſanauit, quo-

Aug. ibid. to. 8. niam in gloriam eius, vt notauit Auguſtinus, hæc ſanitas cædit.

8 *Miſerationum Domini recordabor: laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domus Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum*. Intelligens Propheta, populũ Iudæorum excæcandum eſſe in aduẽtu Domini, eiuſque indignatione cõculcandum: ne omnino gloria nominis Dei obſcuraretur in populo ſuo, orat pro reliquijs Iſrael, vt ſaluentur, & per eas extruatur ſpiritualis Hieruſalem. Exorditur autem à commemoratione beneficiorũ antiquorum, quæ olim Deus exhibuerat populo ſuo, vt eum inducat, ne à ſolita deſiſtat clementia. Porro qui orat, debet orare in ſpiritu, & veritate; ſpiritum autem præterita beneficia maxime excitant, & confirmant. Ideo ait, *miſerationum Domini recordabor*, hoc eſt operum miſericordiæ, quæ à ſæculo exhibuit non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum indulgentiam, & miſericordiam ſuã: ideo & laudabo Dominũ. Aequũ eſt enim, ne Dei beneficia obliuioni tradantur, ea præſertim, quæ mortem promeretibus tribuit, ſed perpetuis laudibus celebrentur. Sequitur. *Et dixit: Veruntamen populus meus eſt, filij non negantes: & factus eſt eis Saluator*. Reſpondet Dominus orationi Prophetæ, & ait: *Veruntamen populus, &c.* quorum verborum ſenſus eſt. Etiam ſi quamplurimi ex Iudæis poſt tot beneficia accepta aduerſarij mei fuerint, & me tradiderint morti, agnoſco tamen inter illos reliquias ſecundum electionem. Hi ſunt *filij non negantes*, ſed recipientes, & venerantes filium meum, qui factus eſt eis Saluator. Hoc adimpletũ eſt in Apoſtolis, & in alijs paucis, qui ex Iudæis crediderũt in Chriſtum.

9 *In omni tribulatione eorum nõ eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos, &c.* Hebræi communiter legunt affirmatiuè: *in omni tribulatione eorum ipſe eſt tribulatus*, & iuxta hanc lectionem ſenſus eſt. Tãta dilectione proſequutus eſt Dominus populum ſuũ, ſic affectus ſemper fuit erga filios Iſrael, vt eorum tribulationem, propriam reputaret. Et cum moleſtiam pateretur populus eius, perinde ſe habebat, ac ſi in perſona propria ipſe pateretur, & grauaretur. Hinc vox illa affectum paternæ charitatis exprimens. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*. Zachar. 2. c Et cum Paulus perſequeretur fideles, Dominus ipſe de cælo quaſi condolens, & eorum preſſuram ſentiens, ait: *Saule, Saule quid me perſequeris?* Act. 9. perſequebatur electos ſuos, & ait, *quid me perſequeris?* Nec mireris,

reris,



reris, quod Propheta dicat, anguſtiatum fuiſſe Deum, & tribulatum in omni tribulatione eorum. Eſt enim Scripturę tropus, quo ſignificatur eximia Dei erga nos dilectio, ſicut Iudi-

Iud. 10. d cum 10. *Doluit Dominus ſuper miſerijs eorum*, hoc eſt filiorum Iſrael. Poteris etiam hæc referre ad tribulationem, & angorem, quibus in paſſione ſua propter peccata noſtra afflictus eſt Dominus: tunc enim vere in tribulatione eorum eſt tribulatus, cũ tam accerbiſſimam pro eorum delictis pertulit paſſionem, cum ad di-

Matt. 26. ſcipulos loquens dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, ſuſtinete hic, & vigilate mecum*. Omnis tribulatio hominis eſt peccatum, quoniam ex illo quidquid moleſtiã infert, ortum habuit. Poſt inobedientiam protoparentis dictum eſt:

Gen. 3. *Spinas & tribulos terra germinabit tibi, & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Cum ergo grauaretur populus Dei omni tribulatione, hoc eſt omnium peccatorum ſarcina, tunc & filius Dei tribulatus eſt in tribulatione eorum: nam *pro nobis doluit & infirmatus eſt*. Tunc fuit patibulo affixus. Iuxta lectionem autẽ vulgatam, quæ transfert negatiue, videlicet, *non eſt tribulatus*, ſignificatur etiam Dei benignitas, & miſericordia, qui licet multas induxerit ſuper populum ſuum calamitates, & tribulationes non leues, id tamen ex affectu proceſſit paterno, vt in aduerſis quærerent Dominum, quem in proſperis negauerunt, & abiecerũt. Non ergo eſt tribulatus, ideſt commotus, vel mutatus, cum afflixit eos, ſed miſericors ſemper mãſit & pius. Sequitur. *Et Angelus faciei eius ſaluauit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi*. Olim Deus filios Iſrael protexit, defendit, & in terram promiſſionis deduxit, per angelos ſuos. Nam in deſerto præceſſit eos Angelus per diem in columna nubis, & per noctem, in columna ignis. Scriptum eſt enim. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diẽ* Exod. 13. d *in columna nubis: & per noctem in columna ignis: vt dux eſſet itineris vtroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo*. Angelus pręibat, & ait, *Dominus præcedebat eos*, tum quia ex mandato Domini id perfecit Angelus, vices & perſonam gerens illius; tum etiam, vt oculos conijciamus ad magnum illum conſilij Angelum, hoc eſt Dei Filium, qui per ſeipſum dignatus eſt hominem ſaluare. Hanc explicationem illuſtrat mirabiliter tranſlatio ſeptuaginta interpretum. Sic enim vertunt præſentem locum Iſaiæ. *Non legatus, neque Angelus, ſed ipſe Dominus ſaluauit eos, eo quod diligeret eos, & parceret eis, ipſe redemit eos*. Hoc eſt, noluit Dominus ſeruum mittere, vt liberaret hominem à peccato: non legatum, non Angelum, aut creaturam aliquam delegit, cui opus redemptionis committeret, ſed ipſe Deus, qui nullius miniſterio, ſed per ſeipſum creauit hominẽ, per ſeipſum dignatus eſt illum reparare. Non enim decebat, vt alium creatorem, alium redemptorem haberet. Ex his verbis aduerſus Iudæos, & Iudaizantes colligunt ſancti Patres, Chriſtum Redemptorem noſtrũ non ſolum eſſe hominem, ſed etiam verũ Deum. Ita colligit ſanctus Auguſti-

S. Auguſt. to. 9. nus tractatu vigeſimoquarto, ſuper caput ſextum Ioannis. Cyprianus li-

Cyprian. bro ſecundo aduerſus Iudæos cap.

Cyrillus. 6. Cyrillus libro quinto aduerſus hæ-

reticos cap. 7. & libro 12. capite 10. Athanaſius. Epiphanius. Pelag. Pap. Athanaſius lib. 1. de fide Vnitatis, & Trinitatis. Epiphanius lib. 3. de hæreſibus, ac denique Pelagius Papa, epiſtola ad Vigilium Epiſcopũ, quæ habetur in 2. tomo Conciliorum, idipſum confirmat. Sed quoniam iſtã veritatem, quæ fundamentum eſt Religionis Chriſtianæ, iam a nobis c. 9. Sup. cap. 9 nu. 55. ſuperius multis teſtimonijs ſcripturæ ſacræ, atque ex toto diſcurſu Euãgelij Sancti Ioannis luculenter comprobauimus, ad ulteriora progrediamur.

10 *In dilectione ſua, & in indulgẽtia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos cunctis diebus ſæculi.* Repetit quod ſuperius dixerat, num. 8. videlicet, non ex noſtris meritis ſed ſua miſericordia Deum hominem perditum liberaſſe. *Et portabit eos*, inquit. Alludit ad id, quod ſuperius Iſai. 46. b dixerat: *Ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo.* Portauit ouem perditam ſuper humeros ſuos, non vna die, aut duobus, ſed cunctis diebus. nam, & quotidie auxilio indigemus illius, & quotidie deprecamur eũ: Matt. 6. *Dimitte nobis debita noſtra.* Sequitur. *Ipſi autem ad iracundiã prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum ſancti eius: & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos.* Commemoratis Dei beneficijs, recẽſet peccata Iudæorum, quibus promeriti ſunt iram Dei, & Chriſtum ad iracundiam prouocauerunt. Non enim ſolum irriſerunt, & perſecuti ſunt Prophetas, ſed & Dominum Prophetarum blaſphemauerunt, dicentes: Luc. 11. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*: & hæredem Regni, morti tradiderunt. Afflixerũt, inquit, Spiritum ſancti eius, ideſt, ſpiritum Chriſti: vt Hieronymus explicat. Vnde & Saluator eorum incredulitatem non ſuſtinens, ait. *O generatio infidelis & peruerſa, vſquequo ero apud vos, & patiar vos?* Luc. 9. e Alij hæc verba explicant de Moyſe, cuius ſpiritum exacerbauerunt, & afflixerunt Iudæi increduli, iuxta illud Pſalmiſtę: *Et irritauerũt Moyſen in caſtris Aarõ ſanctũ Domini;* Pſ. 105. *& irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius.* Tertio poteſt hoc ad Spiritum ſanctum referri, quem affligere, & contriſtare dicuntur peccatores, eius inſpirationibus obſiſtentes, iuxta phraſim, qua vtitur Apoſtolus, dicens. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Eph. 4. g Vbi, vt inquit ſanctus Thomas, *eſt metaphorica locutio.* S. Tho. ibi lectione 10 *Sicut enim Deus dicitur iraſci propter ſimilitudinem effectus, ita etiam dicitur contriſtari: quia ſicut quando aliquis contriſtatur, recedit a contriſtante, ita Spiritus ſanctus a peccante. Et ſic eſt ſenſus: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, ideſt, nolite eũ fugare, vel expellere per peccatũ. Sapien. 1. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate. Igitur non eſt contriſtandus Spiritus ſanctus, & hoc propter beneficium ſigni ſalutaris. Ideo ſubiungit. In quo ſignati eſtis, ideſt reformati eſtis, & ab alijs diſtincti.* Conſonat hæc explicatio translationi ſeptuaginta interpretum. *Ipſi autem non crediderũt, & exacerbauerunt Spiritum ſanctũ eius.* Conſonat & translationi Vatabli, quæ ſic habet. *Porrò ipſi cum rebellarent, & exaſperarent ſpiritũ eius ſanctum, in hoſtem conuerſus eſt eis, ita vt ipſe pugnaret cõtra eos.*

Et



Et eodem modo vertit Pagninus. *Ipſi autem rebelles fuerunt, & iraſci fecerunt ſpiritum ſanctitatis eius, & effectus eſt eis inimicus, ipſe pugnauit contra eos.* Athanaſ. cõtra Apollinariũ de natura humana ſuſcepta. Deniq; Sanctus Athanaſius, hæc verba intelligit de Spiritu ſancto, ex illis concludens, illũ eſſe verum Deum. Et ex eodem loco probat ſanctæ Trinitatis myſterium. Siue enim legamus, cum vulgato interprete: Trinitatis miſterium inſinuatur. *& afflixerunt ſpiritum ſancti eius*, ſiue cum ſeptuaginta, *& exacerbauerunt Spiritum ſanctum eius*, congrue ſignificatur Spiritus ſanctus: ipſe enim eſt ſpiritus eius, hoc eſt Filij, quoniam ab illo procedit. Sed, præſertim iuxta Vulgatam expreſſius omnes tres deſignantur Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ, illis videlicet nominibus, ſpiritum ſancti eius; quibus etiam exprimitur proceſſio, qua Filius a Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque procedit. Nã cum dicit *ſpiritum ſancti*, ſatis declarat, Spiritum ſanctum procedere a Filio, qui ſpeciali quadam ratione ſanctus dicitur; nam per ſanguinem ſuum nos ſanctificauit. Addendo autem illud pronomen *eius* Patrẽ voluit intelligi, a quo Filius procedit, & Spiritus ſanctus, alter per intellectus, alter per voluntatis actum. de quo plura dicta ſunt cap. 6. nu. 14. 16. 17. Vbi vtriuſq; teſtamenti locis apertiſſimis, Trinitatis myſterium comprobauimus. Quia ergo Iudei Spiritui ſancto ſemper reſtiterunt, & Trinitatis myſterium noluerunt credere, propterea conculcati ſunt ira Dei, ſicut vuæ in torculari, quæ in ignem proijciuntur, poſtquam ab eis fuerit vinum expreſſum, & omnis prorſus virtus detracta. Sic combuſti ſunt Iudæi, atque igni traditi, poſtquam ex vinea eorum collectus eſt Chriſtus, & vinum, quod deſiderabamus, expreſſum, vt cap. 1. nu. 30. adnotauimus.

11 *Et recordatus eſt dierum ſæculi Moyſi, & populi ſui.* Tanto miſerior fuit populus Iudæorum, quanto a maiori dignitate, & felicitate excidit. Ideo, vt ſuam penitus miſeriam agnoſcant, in qua nunc viuunt, in memoriam eorum reducit priſtina ſæcula feliciſſima. Vnde, cum ait, *& recordatus eſt*, &c. idem eſt, ac ſi diceret, & recordari eos fecit dierũ ſæculi Moyſi, &c. ſicut Geneſ. 12. *nũc cognoui*, Gen. 12. hoc eſt cognoſcere alios feci *quod timeas Dominum*. Sicut ergo Sanctus Iob, dum in ſuprema eſſet conſtitutus miſeria, ad maiorem ſui doloris ſignificationẽ, felicitatis priſtinæ recordatus eſt, dicens: *Ego ille* Iob. 16. c *quondam opulentus repente contritus ſum*: ita Iudæi conſtituti in captiuitate dura, proſperitatis antiquæ recordantur, vt in qua iacebant calamitatem deflerent. Secundo poſſunt ad ipſum Deum hæc verba referri, ita vt ſenſus ſit. Cum Dominus conuerſus eſſet filijs Iſrael in inimicum, cum debellaret eos, & hoſtibus traderet, recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, atque ad memoriam reuocauit, quod ille populus, quem debellabat populus erat olim dilectus, pro quo in diebus Moyſi tot mirabilia operatus eſt, cum illum eduxit de terra Aegypti, & in terram lacte, & melle manantem introduxit. Ideo non in totum perdidit eum, ſed paruas reliquias ſibi reſeruauit. Vt enim ſuperius obſeruauimus, Supra cap. 28. n. 17. miſericordia Dei iram illius temperat, & occurrit ſtatim ex aduerſo, vt hominem defendat, & a morte liberet. Tertio poſſunt altius hæc verba explicari cũ ſancto Athanaſio, Athan. ſic videlicet: *& recordatus eſt dierum ſæculi Moyſi*, &c. hoc eſt.

Recor-

Recordatus eſt illius Typi aduentus Chriſti, videlicet, liberationis filiorũ Iſrael ex ſeruitute Aegypti per Moyſen factæ, per aquas maris rubri, quæ ſignum erat libertatis ſpiritualis, qua Chriſtus Dominus per aquas Baptiſmi nos eripuit a poteſtate diaboli, & ſeruitute peccati, & complendum eſſe illum Typum conſiderauit, vt merita reſpiciens Redemptoris, quieſceret ira eius, quam iuſtiſsime aduerſus populum ingratũ conceperat.

12 *Vbi eſt qui eduxit eos de mari cũ paſtoribus gregis ſui*, ideſt, cum Moyſe, & Aaron, qui tanquam duces & paſtores deduxerunt populum Dei, iuxta illud Pſalmiſtæ. *In*
Pſal. 76. *mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur. Deduxiſti ſicut oues populum tuum: in manu Moyſi, & Aaron. Vbi eſt qui poſuit in medio eius*, hoc eſt populi Iſraelitici, *ſpiritum ſancti ſui*, vel, vt alij transferũt, *ſpiritum ſanctitatis ſuæ*? Ac ſi apertius dicat. Vbi eſt benignitas Dei, qui tam largam impartitus eſt benedictionem Moyſi, vt de ſpiritu eius tolleret, & tribueret alijs, præſertim ſeptuaginta ſenioribus popu-
Numerorũ 11. d li, ſicut ſcriptum eſt: *Auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi*? Et poſt pauca. *Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dãs ſeptuaginta viris*. Quomodo nunc ſine Propheta nos reliquit? Non eſt ſanctus, non eſt zelum Dei habens, qui malis noſtris occurrat, & iræ Dei poſſit obſiſtere. Cum autem Moyſes typum geſſerit Redemptoris, per ſpiritum ſancti ſui, principalius intelligit ſpiritum Chriſti, deſignatque de plenitudine eius nos omnes accepiſſe, ſecundum illud, quod Ioannes Euangeliſta teſtatur, *& de plenitudine eius nos omnes accepimus*. (Ioan. 1.) Denique in his verbis iterum myſteriũ Sanctæ Trinitatis inſinuat, iuxta ea, quæ ſuperius nu. 10. dicta ſunt.

13 *Qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio maieſtatis ſuæ: qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum.* Vbi eſt, inquit, in tanta tribulatione noſtra Deus, qui ſic honorauit Moyſem, vt ad dexteram ſuam conſtituiſſe illum videretur? Vel ſic. Qui ducebat pacificè & ſecurè populum ſuum ad dexteram Moyſi, ideſt Moyſe gubernante, qui in dextera ſua portabat virgam, qua virtute diuina quamplurima operabatur miracula. Ideo enim dexteram Moyſi, brachium appellat maieſtatis diuinæ, in cuius virtute ſigna magna operabatur. Nihil enim virga Moyſes potuiſſet efficere, niſi a Deo fuiſſet adiutus. *Qui ſcidit aquas*, &c. Hoc miraculum notiſsimum eſt ex cap. 14. Exodi. *Vt faceret ſibi nomen*: Ecce finem, ad quẽ omnia ordinantur miracula, excæcatio, & obduratio Pharaonis, vt videlicet nomen Dei inter gentes, & cognoſceretur, & magnificaretur. Quod Apoſtolus Paulus manifeſte docet, cum ait. *Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam.* Poterat quidem Deus faciliori via populum Iſrael in terram promiſſam inducere, atque a principio cor Pharaonis emollire, vt dimitteret populum, ſed noluit, vt magnificaret nomen ſuum, vnde, & ſubditur.

Moyſi virga. brachiũ Dei dicitur:

Rom. 9. d

14 *Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem: quaſi animal in campo deſcẽdens ſpiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxiſti populum tuum, vt fa-*



*ceres tibi nomen gloriæ*. In hoc, inquit, admirabilis olim & magnæ potentiæ apparuiſti; quoniam iter ſecurum in mari, & in terra præbuiſti populo tuo. Sicut enim equus per terram aridam, & planam non impingit, & ſicut iumentum in campo, vbi non eſt lutum, aut lapidum offenſio, ſecure graditur, ita & populus tuus per mare rubrũ ſicco pede abſque offenſione ambulauit, & per terram deſertam abſque offendiculo proceſsit. Nec mirum, nam ſpiritus tuus, ideſt Angelus, vt interpretatur Hieronymus, du-
Pſal. 79. ctor illius fuit. Hinc eſt illud, *Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti*. Securi ergo ad patriam peruenient cæleſtem omnes electi, quos Spiritus ſanctus deducit iuxta
Pſ. 142. illud Pſalmiſtæ, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, de quibus Apoſtolus ait: *qui Spiritu*
Rom. 8. e *Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*. Aguntur autem non ſolum ſuaſione, qua obiectum amabile congrue proponitur, ſed etiam interiori impulſu, atque auxilio efficaci præoperãtis gratiæ, quo Deus actiue proprie facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Nec tamen propter hoc humani aufertur libertas arbitrij, ſed perficitur, & roboratur. Vnde Auguſtinus. *Non ſe itaque fallant qui dicunt, vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle, & operari Deus operatur in nobis? ſed potius intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt, agant, & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant*. Sed de hoc plura ſuperius dicta ſunt.

Aug lib de correptione & gratia cap. 2. GratiaDei agitur libe rum arb. vt agat.

Sup. c. 10. nu. 11. 12.

15 *Attende de cælo, & vide de habitaculo ſãcto tuo, & ſolio gloriæ tuæ: vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe*. Continent hæc verba orationem Prophetæ, nomine Iudæorum in captiuitate exiſtentium effuſam. Qui ad memoriam reuocantes beneficia patribus antiquis à Deo exhibita, obnixe deprecantur, vt & ſimilia illis dignetur præſtare. Ita quotidie orant Iudæi, & non exaudiuntur, quia velamen poſitum eſt ante oculos eorum. Cælum habitaculum Dei, & ſolium gloriæ dicitur illius, quia ibi ſuam gloriam electis oſtendit, vnde & in oratione Domi- Matt. 6.
nica clamamus, *Pater noſter qui es in cælis*: aut vero, quia perpetuum eſt cælũ, & incorruptibile, æternitatẽ Dei ſpeciali quadã ratione repræſentans. Attende, inquiunt, de cælo, hoc eſt, vide miſericorditer in quantis verſemur malis. Reſpice nos de ſolio, non quidem iuſtitiæ, ſed miſericordiæ, vt nos eruas à malis, quæ patimur. *vbi eſt zelus tuus*? Quaſi dicat. Olim non patiebaris populum tuum affligi ab hoſtibus ſuis, tamquã filium primogenitum, ſingulari dilectione illum proſequens, nos autem prorſus contemni, & conculcari permittis. Hic eſt zelus, de quo Zacharias ait: *Zelatus eſt Dominus Siõ, &* Zach. 1. c
*Hieruſalem zelo magno*, de quo ipſe Iſaias dixerat ſupra. *Zelus Domini* Iſai. 37. f
*exercituũ faciet hoc, ideſt*, amor ſingularis, quo proſequitur populum ſuũ. *Vbi eſt fortitudo tua*? Quaſi infirmus iudicaris ab hoſtibus noſtris, qui eripere non poſsis ad te clamantes, & ſperantes in te. Vbi viſcera miſericordiæ tuæ? crudelis ne factus es nobis? Quare viſcera miſericordiæ tuæ non manifeſtas?

16 *Tu enim Pater noſter, & Abraham*

ham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit
nos. *Tu Domine Pater noſter, &
redemptor noſter à ſæculo nomen
tuum.* Quaſi dicat. Pater miſeretur
filiorum ſuorum. Qui ergo fieri po-
teſt, vt tu non audias preces noſtras?
Nos ego conſoletur vox illa Prophe-
*Pſ. 102.* tæ. *Quomodo miſeretur Pater filiorũ
miſertus eſt nobis Dominus timẽtibus
ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum
noſtrum.* Deum vt Patrem agnoſci-
mus, Abraham, & Iſrael neſciunt
nos, ipſi nunc ſua quiete fruentes,
atque obdormientes in pace. At tu
Deus noſter omnipotẽs viuis in æter
num, & tuorum curam agis perpe-
tuam, nec vnquam obdormis. Scri-
*Pſ. 120.* ptum eſt enim: *ecce non dormitabit,
neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.*
Tu ſolus Pater & redemptor, cuius
nomen perpetuo inuocamus. Quare
ergo deſeris nos? Hic eſt valde obſer
uandum circa illud verbum *Abrahã
neſciuit nos,* quod in veteri teſtamen
to numquam implorata ſunt à viuis
mortuorum ſuffragia, nec legimus
in tota ſcriptura veteri, aliquẽ ora-
tionẽ ſuam ad ſanctos direxiſſe, qui
ex hac vita deceſſerant: nunc autem
poſtquã Chriſtus Dominus mortuus
eſt pro nobis, poſtquam in cælum
conſcendit, non ſolum priuatis, ſed
etiam publicis precibus ſuffragia
imploramus Sanctorũ. Huius diſcri-
minis ratio poteſt ex hoc loco Iſaiæ
deſumi, quia videlicet ante aduen-
tum Domini omnes tenebantur vin-
culis mortis captiui, quantũuis per-
fecti eſſent, & ſancti: omnes ſede-
bant in tenebris, nec orationes viuen
tium cõmuniter percipiebãt, aut vo-
ta. Ideo dicunt Iudæi, *Abraham
neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos,*
quia videlicet tunc non videbant ca-
lamitates eorum, nec ſciebãt in qui-
bus eſſent periculis cõſtituti, vt Aug.
docet lib. de cura pro mortuis gerã-
da cap. 15. & ſeq. nunc autem regnan
te Chriſto, atque ad dexteram Pa-
tris ſedente, Sancti cum illo regnan-
tes, in Deo, tanquam in ſpeculo cla
riſsimè omnia, quæ ad eorum ſtatum
pertinent, vt S. Thomas cum ſchola *S.Th. 1. p.*
Theologorum docent, intuentur: vn- *q. 12. art.*
de & calamitates quas patimur, Deo *9. & 10.*
reuelante, cognoſcunt, & orationes
noſtras, & vota percipiunt, & nobis
tanquã fideliſsimi amici ſuccurrunt.

17 *Quare errare nos feciſti Do-
mine de vijs tuis? induraſti cor no-
ſtrum ne timeremus te? conuertere
propter ſeruos tuos tribus hæredita-
tis tuæ:* Hæc verba poſſunt accipi in
duplici ſenſu. Primo ita, vt in per-
ſona Iudæorum intelligantur dicta,
in Deum blaſphema quadam conten
tione referentiũ, quod in tot fuerint
prolapſi peccatis. quaſi dicant, ſicut
cauſantur Pelagiani. Tu quidem Do-
mine potuiſſes nobis eã gratiã cõfer
re, quã alijs peccatoribus præſtitiſti,
ſi voluiſſes, direxiſſes vtique nos in
viam rectam, & cor noſtrũ præparaſ-
ſes, vt timeremus te, & cuſtodire-
mus vniuerſa præcepta tua, ſed no-
luiſti nobis opem ferre. Eſt ne hoc of-
ficium patris? potuiſſes facere ex cor
de lapideo carneum, ſed e conuerſo
induraſti pectora noſtra: potuiſſes ti-
morem tui pariter, & amorem nobis
infundere, tuum eſt enim dare timo-
rem, tuum eſt amorem largiri, ſicut
per Malachiam dixeras. *Pactum* *Mala*
*meum fuit cũ eo vitæ & pacis, & de-* *chiæ 2.*
*di ei timorem, & timuit me, & à fa-
cie nominis mei pauebat.* At cor no-
ſtrũ aggrauaſti ne timeremus, & di-
ligeremus te: tibi ergo, & non nobis
imputandum erit quod peccatis ſi-
mus obnoxij. Nec mirum quod Iu-
dæi cæci, & obdurati has, & conſi-
miles orationibus ſuis immiſceant
blaſ-



blaſphemias, qui Spiritui ſancto ſem
per reſtiterunt, & agnitam veritatẽ
impugnauerunt proterue. Secundo,
& multo congruentius accipiuntur
hæc verba, tanquam dicta in perſona
iuſtorum, qui plane agnoſcũt ſui in-
firmitatem arbitrij, & abſque auxi-
lio gratię nihil poſſe, non ſolum face-
re, ſed nec cogitare quidem ad ſalu-
tem pertinens, vnde fatentur ſe, ſub-
tracto Dei auxilio, nihil aliud à ſeip-
ſis habere, niſi errare, incidere in pec
cata, atque obdurationem cordis.
Quadã ergo pia querimonia de pro-
fundis ad Deum clamantes, dicunt.
Quare Domine receſsiſti à nobis.
Quare permiſiſti nos peccare, Qua-
re non emollis corda noſtra, & ad te
conuertis? Ecce ſine te nihil poſſu-
*Ioan. 15* mus. veritas ipſa clamat: *Quia ſine
me nihil poteſtis facere.* Conuertere
ergo, & nos ipſos ad te conuerte, non
quidem propter nos: nam in te pec-
cando mortem promeruimus, non
gratiam; ſed propter ſeruos tuos
Abraham, Iſaac, & Iacob, & propter
promiſsiones illis factas. Igitur in
ſenſu catholico Deus dicitur cor in-
durare permiſsiuè tantum, quia non
emollit, ſed indurari permittit; vt ex
profeſſo declaratum eſt cap. 6. nu. 48.
vbi iuxta ſanctorum Patrum ſenten-
tiam, alias duas huius loci explica-
tiones adhibui: illuc pium lectorem
remitto; & iuxta eaſdem explicatio-
nes interpretanda ſunt quampluri-
ma loca Scripturæ ſacræ, in quibus
habetur, quod Deus errare faciat ho
mines, quod eos tradat in reprobum
ſenſum, aut obduret, vel excęcare ſta
*Ezech.* tuat. Sicut Ezechielis 14. *Propheta*
*14.* *cũ errauerit, & loquutus fuerit ver-
bum, ego Dominus decepi Prophetã
*Hier. 13* illum.* & Hieremiæ 13. *Omnis lagun-
cula implebitur vino. Ecce ego im-
plebo omnes habitatores terræ huius:
& Reges qui ſedent de ſtirpe Dauid
ſuper thronum eius, & Sacerdotes, &
Prophetas, & omnes habitatores Hie-
ruſalem ebrietate: & diſpergam eos
virum a fratre ſuo: & patres, & fi-
lios pariter, ait Dominus.* Et libro 3.
Regum. *Nunc igitur, ecce dedit Do-* *3. Regũ*
*minus ſpiritum mendacij in ore om-* *vltimo.*
*nium Prophetarum tuorum, qui hic
ſunt, & Dominus locutus eſt contra
te malum,* & ad Romanos primo. *Rom 1.*
*Propter quod tradidit illos Deus in
deſideria cordis eorum, in immundi-
tiam,* &c. Et in hoc eodẽ Propheta di
citur. *Dominus miſcuit in medio eius* *Iſai. 19.*
*ſpiritum vertiginis. Et errare fe-
cit Aegyptum in omni opere ſuo, ſi-
cut errat ebrius, & vomens.* Et ite- *Iſai. 29.*
rum, *quoniam miſcuit vobis Domi-
nus ſpiritum ſoporis,* &c. Videantur
quæ in vtroque loco notata ſunt.

18 *Quaſi nihilum poſſederunt
populum ſanctum tuum hoſtes noſtri,
conculcauerunt ſanctificationem
tuam: facti ſumus quaſi in principio,
cum non dominareris noſtri, nec in-
uocaretur nomen tuũ ſuper nos.* Sen-
ſus eſt. Tot ſumus calamitatibus op-
preſsi, tot peccatis attriti, atque ab
hoſtibus noſtris ita deſpecti, & con-
culcati, vt iam non pertinere ad po-
pulum tuum videamur. Hoſtes no-
ſtri poſſederunt populum ſanctum
tuum, quem tu ſanctificaſti, quem ele
giſti. Et ita deſpectum habent illum,
vt quaſi nihilum poſsideant, hoc eſt
pro nihilo reputant populum tuũ, ita
vilem, & abiectũ à te eſſe exiſtimant.
Nec ſolum populum, ſed & *ſanctifi-
cationem tuam,* id eſt, templum tuũ,
& ſanctuarium cõculcauerunt. *Facti
ſumus quaſi à principio.* nam eiecti
ſumus à regno tuo, & perinde repu-
tati, ac ſi numquam fuiſſemus ſerui
tui, vel quaſi nulla fuiſſet nobis facta
promiſsio libertatis.



CA-

# CAPVT LXIIII.

1. VTINAM dirumperes cęlos,& deſcenderes:
2. a facie tua montes defluerent. Sicut exu-
ſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni, vt
notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a fa-
cie tua gentes turbarentur. 3. Cum feceriș
mirabilia, non ſuſtinebimus: deſcendiſti,
& a facie tua montes defluxerunt. 4. A ſæ-
culo non audierunt, neque auribus percepe-
runt: oculus non vidit, Deus, abſque te,
quæ præparaſti expectantibus te. 5. Occurriſti lætanti, & facien-
ti iuſtitiam: in vijs tuis recordabuntur tui. 6. Ecce tu iratus es, &
peccauimus: in ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur. 7. Et facti ſu-
mus vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuer-
ſæ iuſtitiæ noſtræ: 8. Et cecidimus quaſi folium vniuerſi, & ini-
quitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. 9. Non eſt qui inuo-
cet nomen tuum: qui conſurgat, & teneat te: 10. Abſcondiſti fa-
ciem tuam a nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ. 11. Et
nunc Domine, pater noſter es tu, nos vero lutum: & fictor noſter
tu, & opera manuum tuarum omnes nos. 12. Ne iraſcaris Domi-
ne ſatis, & ne vltra memineris iniquitatis noſtræ: ecce reſpice, po-
pulus tuus omnes nos. 13. Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion
deſerta facta eſt, Ieruſalem deſolata eſt. Domus ſanctificationis no-
ſtræ, & gloriæ noſtrę, vbi laudauerunt te patres noſtri, facta eſt in
exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas.
14. Numquid ſuper his continebis te Domine, tacebis, & affliges
nos vehementer?

SVM-



## SVMMA CAPITIS.

*NOMINE omnium Prophetarum deſiderium ardentiſſimum explicat aduentus Chriſti in principio capitis. Deinde effectum eiuſdem aduentus deſignat. verſiculo,* à facie tua.

*Tertiò, quanta ſint bona præparata Deum expectantibus, oſtendit. verſiculo.* A ſæculo non audierunt.

*Quartò, omnia opera noſtra, ſi cum Dei ſanctitate conferantur, immunda eſſe oſtendit. verſiculo,* Et facti ſumus vt immundi.

*Quintò, nomine omnium fidelium infirmitatem humanæ agnoſcit naturæ, humilem orationem ſubiungens, qua deprecatur Dominum, vt ciuitatem ſanctam Hieruſalem conſeruet, protegat, atque defendat. verſiculo,* Et nunc Domine, *vſque ad finem capitis.*

## COMMENTARIVM.

1 *VTINAM dirumperis Cælos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent: Sicut exuſtio ignis tabeſcerent: aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur.* Perſeuerat adhuc Iſaias in luctu Iudæorum, quo profundiſsimis deſiderijs ſuum deplorant exilium. Vtinam, inquiunt, cum eijceremur è terra noſtra, dirupiſſes cælos, & deſcendiſſes, ſicut
1 olim cum dediſti legem in monte Sinai, atque ita nos potenti brachio tuo liberaſſes. Nam cum olim montes à facie tua fluxerint, & moti ſint, quis reſtitiſſet etiam nunc potentiæ tuæ, ſi nos liberare à captiuitate voluiſſes? videtur alludere ad illud Pſal. 113. *Montes exultaſtis, ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium: à facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob.* Ps. 113. Et Pſal. 17. *Commota eſt, & contremuit terra. fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt: quoniam iratus eſt eis.* Vocat autem ignem validum in monte ardentem exuſtionem ignis, aquas ebullire facientē, quia ignis in Syna exiſtens ſic ardebat, vt aquas nubis videretur exurere: ait enim Scriptura. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eū in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace. Eratq; omnis mons* Exodi 19. c. terri-

olim

*terribilis, &c.* & paulo antea inquit. *Iamque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem. clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat, & timuit omnis populus, qui erat in caſtris.* Non aliter (inquit) turbarentur, & defluerent omnes inimici noſtri, ſi ad liberandum nos de cęlo deſcendiſſes, & potentiam tuam oſtendere voluiſſes in deiectione aduerſariorum noſtrorũ. Cælos diſrumpere dicitur Deus, cum aliquod ſignum præbet ſuæ virtutis, & orationes ad ſe clamantium exaudit. Cuius locutionis ratio eſt, quoniam homines, dum grauius premuntur aduerſis, ſolent in cælũ oculos conijcere, vnde auxilium expectant. vnde Pſalmiſta. *Leuaui*, inquit, *oculos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxiliam meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.* Et iterum: *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis, ecce ſicut oculi ſeruorũ in manibus Dominorũ ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Videtur autem Deus in cælo permanere concluſus, cum nullum præbet auxilium, ac ea negligere, quæ aguntur in terra. propter quod quidam impie dixerunt: *circa cardines cæli ambulat, nec noſtra conſiderat.* Cum autem nobis clamantibus opportune ſubuenit, & virtute ſua protegit, cælos dicitur aperire, ac diſrumpere, & deſcendere; non quod locum mutet, aut moueatur, cum ſuos liberat, ſed hoc genere locutionis effectum explicat miſericordiæ diuinæ.

[Margin: Cælos diſrumpere eſt miſereri. — *Pſ. 120.* — *Pſ. 122.* — *Iob 22. b*]

2 *A facie tua gentes defluerent.* Quoniam liberatio populi Iſraelitici ab exilio temporali, ſignum fuit ſpiritualis libertatis, quam per Chriſtum Dominum cõſequuntur fideles: ideo præſens locus congruenter explicatur à ſanctis Patribus, ita vt referatur ad intima deſideria, & clamores, quibus Patriarchæ, & Prophetæ, atque omnes iuſti, præſertim illi, qui exiſtebãt in Limbo, aduentum Chriſti exoptabãt, vt eos à vinculis mortis liberaret, ac ſi dicerent. Vtinam tam veloci curſu aduenires, vt cælos ipſos diſrumperes, nec portam aperiendam expectares, vt deſcenderes. Si veniſſes, & carnem humanam ad nos liberandum aſſumpſiſſes, montes à facie tua defluerent. non quidem montes materiales, qui vtique, cum Chriſtus Dominus ex virgine natus eſt, non defluxerunt, ſed montes ſpirituales, hoc eſt regna ſuperba, potentia humana, & quidquid ſe extollit aduerſus ſcientiam Dei. Caderent ſuperbi Philoſophi, ſapiẽtia huius ſæculi periret, & omnes Principes humiliarentur. Quod alijs verbis explicuit, qui dixit, *contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Aquæ arderent igni, hoc eſt, frigida pectora, & fluida, atque in Religione languida arderẽt calore ignis ſpiritualis. Et ſumitur metaphora ab igne materiali, qui calore ſuo aquam congelatam liqueſcere, atque feruere, & ebullire facit: ita, inquit, tuo aduentu dura emollirentur pectora, & igne ſancti Spiritus arderent, qui in corde credentium fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hanc explicationem ſequitur ſanctus Hieronymus. *Si tu*, inquiens, *deſcenderes, & tua promiſſa compleres, tabeſcerent (iuxta Symmacũ,) aquæ maris, & omnem ſalſuginem earum ignis ille conſumeret: de quo & in alio*

[Margin: *Abach. 3* — Hieron.]



*alio Pſalmo ſcriptum eſt. Sicut deficit fumus; deficiant: ſicut conſumitur cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Cum autem hæc perfecta fuerint, tunc nomen tuum notum fiet inimicis tuis, Principibus videlicet, & aduerſis poteſtatibus tenebrarum harum, quæ verè Chriſto regnanti erunt ſubiectæ, ita vt, ſicut Apoſtolus ait: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.*

[Margin: *Pſal. 67 a* — *Philip. 2. b*]

3 *Cum feceris mirabilia non ſuſtinebimus. deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt.* Senſus eſt: Sicut olim deſcendens, vt legem dares, timore, ac tremore correpti ſunt montes, & à facie tua defluxerunt: ita cum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem de cælis deſcendiſti, homines ſuperbi conturbati ſunt, & commoti. Deſcendiſti, cum Verbum caro factum es, & habitaſti in nobis, & à facie tua humili defluxerunt montes. Quis enim non defluat, & contremiſcat, videns Dei filium temporaliter natum, pannis inuolutum, & poſitum in præſepio, lacrymantem, eſurientem, & guttas lactis à virgineo pectore expectantem? Verbum illud, *non ſuſtinebimus*, ſecundum Hieronymum, in perſona proferetur Iudæorum. Plane enim fatentur ſe gloriam aduentus Chriſti ferre nõ potuiſſe, quod clarè indicant verba illa clamantium, & dicentium. *Tolle tolle crucifige eum.* Et iterum: *Hic autem neſcimus vnde ſit.*

[Margin: Chriſti natiuitas ſuperbos humiliat. — Hieron. — *Ioan. 19* — *Ioan. 9.*]

4 *A ſæculo non audierunt, nec auribus perceperunt: oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Sanctus Paulus præſentem locum allegat ſub his verbis: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* quibus verbis docet, non minora, ſed ampliora Chriſtũ perfeciſſe per verbum Crucis, quàm olim Deus in mõte Sinai operatus fuerit, cum legem tribuit. Illa enim oculis cernebantur corporeis, hæc autem ita ſunt nõ ſolum à ſenſibus noſtris, ſed etiam ab intellectu cuiuſcũque creaturæ eleuata, vt non niſi ſpiritu Dei reuelante poſſint cognoſci, vnde ſubdit Apoſtolus, *nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.* Locum iſtum interpretatur ſanctus Thomas de viſione beatifica, quæ tamquam merces retribuitur diligentibus Deum. *Oſtenditur*, inquit, *illa gloria viſionis, apertè ab hominibus ignorari dupliciter. Primò quidem, quod non ſubiacet humanis ſenſibus, à quibus omnis humana cognitio initium ſumit. Et ponit duos ſenſus. Primo, viſionis, quæ deſeruit inuentioni, cum dicit: Quod oculus non vidit. Iob 28. Semitam eius ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis, & hoc ideo, quia non eſt aliquid coloratum, & viſibile. Secundò ponit ſenſum auditus, qui deſeruit diſciplinæ, dicens, Nec auris audiuit, ſcilicet ipſam gloriam, quia non eſt ſonus, aut vox ſenſibilis. Ioan. 5. Neque ſpeciem eius vidiſtis, neque vocem eius audiſtis. Deinde excludit notitiam eius intellectualẽ, cum dicit, Neque in cor hominis aſcendit. Quod quidem poteſt intelligi vno modo, vt aſcendere in cor hominis dicatur, quidquid quocumque modo cognoſcitur ab homine, ſecundum illud Hieremiæ 51. Hieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum, & ſic oportet, quod cor hominis accipiatur pro corde hominis carnalis, ſecundum illud, quod ait Apoſtolus. Cum ſint inter vos zelus, & contentio, non-*

[Margin: *1. Cor. 2 b* — S. Thom. lect. 2. ſuper primã epiſtolam ad Cor. cap. 2. — Aſcendere in cor, quid ſit.]

*ne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? eſt ergo ſenſus, quod illa gloria non ſolum ſenſu non percipitur, ſed nec corde hominis carnalis, ſecundum illud, Ioan. 14. Quem mundus non poteſt accipere, quia nõ videt eum, nec ſcit eum. Alio modo poteſt exponi ſecundũ quod propriè dicitur in cor hominis aſcẽdere id, quod ab inferiori peruenit ad hominis intellectum, puta à ſenſibilibus de quibus prius fecerat mentionem. Res enim ſunt in intellectu ſecundum modũ eius, res igitur inferiores ſunt in intellectu altiori modo quam ſeipſis: & ideo quando ab intellectu capiuntur quodammodo in cor aſcendunt. Vnde dicitur Iſaiæ 5. Non erunt in memoria priora, nec aſcendent ſuper cor. Illa vero quæ ſunt in intellectu ſuperiora, altiori modo ſunt in ſe ipſis, quam in intellectu. Et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo deſcendunt. Iacobi 1. Omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminũ: Quia igitur illius gloriæ notitia non accipitur à ſenſibus ſenſibilibus, ſed ex reuelatione diuina, ideo ſignanter dicit, nec in cor hominis aſcendit, ſed deſcendit, id ſcilicet, quod præparauit Deus, ideſt prædeſtinauit diligentibus ſe: quia eſſentiale præmium æternæ gloriæ charitati debetur, ſecundum illud. Ioan. 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. in quo perfectio æternæ gloriæ conſiſtit. & Iob 36. Annunciat de ea, ideſt de luce gloriæ, amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit.* Placuit hæc verba ſancti Thomæ in præſenti referre, quoniam mirabiliter ſingula Prophetæ verba declarant. Alij Doctores præſentem interpretantur locũ de myſterio incarnationis & paſſionis Dominicæ, per quod ad patriã cæleſtem iuſti perueniunt: eſt enim à ſenſibus hominum remotiſſimum, & omnem cognitionem naturalem excedens, non ſolum hominum, ſed etiã Angelorum. Et in hoc ſenſu videtur Apoſtolus illum adducere, ait enim: 1. Cor. 2 *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriã noſtram: Quam nemo Principũ huius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, ſed ſicut ſcriptũ eſt, Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.*

5 *Occurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam: in vijs tuis recordabuntur tui. Ecce tu iratus es, & peccauimus: in ipſis fuimus ſemper & ſaluabimur.* Proponit Propheta nomine omnium fidelium humanæ infirmitatem naturæ, quæ ſua virtute non poterat peccatis mederi, nec auxilium præſtare peccatoribus, vt diuinam excitet miſericordiam, & Deum commoueat, vt cito veniat ad liberandũ hominẽ à peccato: & ſenſus eſt. *Occurriſti lætanti*, &c. hoc, eſt ſuſtuliſti ex hac vita lætantẽ, ideſt lætantes in diuinis mandatis, & faciẽtes iuſtitiam, qui tui habebãt memoriã, Moyſen videlicet, & Aaron, & alios quamplurimos, qui precibus ſuis te placatũ reddebant, ſed hodie nullus adeſt, qui intercedat pro nobis, & auertat irã tuam. quod iterũ ſuperius deplorauerat, dicens: *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo, & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat.* Iſai. 57. Nunc ergo Domine ſuccurre nobis in tot miſerijs conſtitutis, veni, & ſalua nos: *Ecce tu iratus es, & peccauimus.* Illa coniunctio, &, exponitur cauſaliter, vt notauit Cyrillus, ideſt, quia nos peccauimus, tu iratus fuiſti. ſic etiã Cyrillus.

acci-



Luc. 1. accipitur Lucæ primo: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, hoc eſt, quia benedictus eſt fructus ventris tui. ideo benedicta tu in mulieribus. Alij id exponunt ſimpliciter, quaſi dicat. Mira res eſt, quod adhuc perſeueremus in peccatis, quamuis iram Dei experiamur quotidie. Sed nihil mirum quoniam omnes eramus natura filij iræ, *in ipſis fuimus ſemper*, ideſt, in peccatis à ſæculo fuimus, & multa interim beneficia Dei accepimus, & nec ſic ſumus conſecuti ſalutem, ſed in dies efficimur deteriores. Ideo non in noſtris meritis, ſed in tua miſericordia confidimus: Rom. 5. nam *cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Ideo ait: in peccatis fuimus ſemper, & ſaluabimur, videlicet gratia tua, nõ meritis noſtris. Vt gloſa explicat interlin.

6 *Et facti ſumus, vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ.* Oſtendit id quod dixerat, videlicet, gratia Dei non meritis proprijs hominem ſaluari, quoniam in peccatis nati ſumus, & peccata peccatis ſemper adijcimus, & ea quæ recta nobis videntur, & iuſta, ſi cum Dei munditia conferantur, immunda quaſi pannus mẽſtruatæ apparebunt. 1. Ioan. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, & bona opera, quæ facimus, multis ſunt imperfectionibus admixta, non enim ea puritate, nec eo feruore fiunt, quo Deum diligere debemus. Ex hoc loco Iſaiæ colligunt Lutherani, iuſtum in omni opere ſuo peccare.

Opera iuſtorum nõ ſunt omnia peccata.

Sed eorum ſententia impia eſt, & hæretica, vtpotè apertiſſimis locis Scripturæ ſacræ, decretis Pontificum, & Conciliorum, & ſanctorum Patrum teſtimonijs contraria: dicitur enim de quibuſdam operibus Iob: *In omnibus his, nõ peccauit Iob labijs ſuis, nec ſtultum aliquid contra Deum loquutus eſt.* Iob. 1. & Pſalmographus inquit: *Quia cuſtodiui vias Domini, nec impie geſſi à Deo meo.* Pſ. 17. c & Lucæ 11. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Luc 11. Hinc & Apoſtolus ait: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Eph. 2. & in actis Apoſtolorum dixit Petrus, *Qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Vnde in Concilio Tridentino ſic definitur. Conc Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione, can 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema ſit.* Et iterum. Ibid can. 25. *Si quis in quolibet bono opere, iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, anathema ſit.* Sancti Patres hanc eandem confirmant doctrinam, præſertim Hieronymus libro 3. aduerſus Pelagianos, Hieron. ſanctus Auguſtinus libro de ſpiritu, & littera, cap. vltimo, & ſanctus Bernardus libro de præcepto, & diſpenſatione. Auguſt. Bern. Nec præſens locus Iſaiæ aliquid fauet Lutheranis; diuerſimode enim explicatur à ſanctis Patribus. Prima explicatio eſt ſancti Hieronymi, qui hæc verba tãquam dicta accipit à Iudæis tempore afflictionis, in quo derelicti propter peccata ſua erant à Deo. nec licet inferre, omnia opera Iudæorum quocumque alio tempore facta, fuiſſe peccata, ſi ea quæ in aliquo determinato tempore fecerunt, erant coinquinata. Conſonat

hęc explicatio cum ipſo cõtextu, ſub-
ditur. n. *Ciuitas ſãcti tui facta eſt de-
ſerta, Siõ deſerta facta eſt, Hieruſalẽ
deſolata eſt, Domus ſãctificationis no
ſtræ, & gloriæ noſtræ, ubi laudauerũt
te patres noſtri.* Quibus verbis ſatis
aperte innuit, multa opera bona fa-
cta fuiſſe olim in illa Ciuitate à patri-
bus antiquis. Secunda explicatio eſt,
qua præſens locus intelligitur, nõ de
omnib⁹ operibus Iudęorũ, qui ob ſua
peccata in captiuitatẽ sũt traditi, ſed
de illis dũtaxat, quæ ipſi iuſtitias eſſe
putabãt, vt ſacrificia, holocauſta, kalẽ
dę, & ſolemnitates externæ, quibus ſe
putabãt mũdos, & sãctificatos. Tales
iuſtitiæ nõ habebãtur in precio, quo-
niã in exteriori dumtaxat cultu cõſi-
ſtebãt, de quibus dicitur in Euãgelio.
Luc. 16. d *Vos eſtis qui vosmetipſos iuſtificatis
coram hominibus*, & iterum, *Niſi
Matt. 5 abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã
Scribarum, & Phariſæorum, non in-
trabitis in Regnum cælorum.* Et Pau-
Philip. 3 lus Apoſtolus, *vt inueniar in illo non
habens meam iuſtitiam, quæ ex lege
eſt, ſed eã quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti.*
De iuſtitijs iſtis prędixerat ſupra. *Quo
Iſai. 1. mihi multitudinem victimarum ve-
ſtrarum? plenus ſum: holocauſta arie-
tum, & adipem pinguium, & ſan-
guinem vitulorum, & agnorum, &
hircorum nolui. Cum veniretis ante
conſpectum meũ, quis quæſiuit hæc de
manibus veſtris, vt ambularetis in a-
trijs meis? ne offeratis vltra ſacrificiũ
fruſtra, incenſum abominatio eſt mi-
hi; Neomeniam, & ſabbatum, & fe-
ſtiuitates alias nõ feram, iniqui ſunt
cœtus veſtri.* Conſonat etiam hæc
explicatio cum ipſo contextu. Non
enim ait, omnia opera noſtra quaſi
pannus menſtruatæ, ſed inquit: *Vni-
uerſæ iuſtitiæ noſtræ*, vt non de om-
nibus operibus, ſed de iuſtitijs car-
nis & cæremonijs legis, quæ non po-
terant hominem iuſtificare, aut ani-
mam interius emũdare ab operibus
mortuis, intelligeretur, eſſe ſermonẽ.
Tertiò explicatur locus ille de operi-
bus, quæ licet in ſeipſis bona eſſent, &
Deo grata, tamen ſi ad Dei iuſtitiam,
& ſanctitatem conferantur, quaſi im-
munda apparent, & infecta, vt ſupe-
rius varijs teſtimonijs ſacrarum lite
rarum, atque auctoritate ſancti Gre- Sup cap. r.
gorij comprobauimus. eſtque phra- n 54. ca. 6.
ſis ſcripturæ ſacræ; ea quæ in ſe bona nu. 10.
ſunt & magna, comparatione Dei
quaſi nihilũ reputare. Sic vt Iſaiæ 40.
*Omnes gentes quaſi non ſint, ſic* Iſai. 40.
*ſunt coram eo, & quaſi nihilum, &
inane reputatæ ſunt ei.*
8 *Et cecidimus quaſi foliũ vni-
uerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ven
tus abſtulerunt nos.* Vt notauit San- Aug. ſup. Pſal. 101. conc. 2. poſt med. to. 8.
ctus Auguſtinus, generationes homi-
num folijs arborum conferũtur, quæ
tempore Autumni, vẽto flante in ter
ram decidunt, & alia poſtmodum
verno tempore ſuccreſcunt. Igitur
Propheta nomine Iudæorum loquẽs
iniquitatibus contra Deum commiſ-
ſis tribuit, quod à tanta dignitate in
terram ceciderint, velut folia arida
vento flante, quæ à prætereuntibus
conculcantur. De iuſtis dicit Prophe
ta. *Et folium eius non defluet, & om-* Pſal. 1.
*nia quæcumque faciet, ſemper proſpe-
rabuntur.* De peccatoribus autem
ſubdit ſtatim: *Nõ ſic impij non ſic, ſed
tanquam puluis, quem proijcit ven-
tus à facie terræ.* Vbi eadem ſimili-
tudine, qua Iſaias, vtitur ad expli-
candam impiorum ruinam.
9 *Non eſt qui inuocet nomen
tuum, qui conſurgat, & teneat te.*
Signum quoddam conſtituit, quo Iu-
dæi ſe à Deo eſſe derelictos, & obli-
uioni traditos credebant, quia vide-
licet nullus reperiebatur inter illos,
qui preces funderet pro populo, qui
conſur-



conſurgeret, & Deum iratum tene-
ret, & placaret. Olim Moyſes cum
Iraſceretur Dominus aduerſus Iſrae-
lem, ſurrexit, & clamauit, orans ad
Dominum, & illum tenẽs, *aut dimitte
eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele
me de libro, quem ſcripſiſti.* Si enim
illum iratum non tenuiſſet, non vti-
Deut. 9. c que Dominus dixiſſet. *Dimitte me
vt conteram eum, & deleam nomen
eius de ſub cælo, & conſtituam te ſu-
Pſ. 105. e per gentem, quæ hac maior & fortior
ſit. Stetit Phinees, & placauit, &
ceſſauit quaſſatio.* modo, inquit, ſic
derelicti ſumus, ſic attenuati, & abie
cti, vt nullus inueniatur, qui inuo-
cet nomen tuum; qui conſurgat, &
teneat te.
10 *Abſcondiſti faciem tuam
à nobis, & alliſiſti nos in manu ini-
Faciẽ abſcondere quid ſit. quitatis noſtræ.* Abſcondere faciem,
eſt nullum ſignum miſericordiæ, aut
benignitatis præbere, ſicut e conuer-
ſo faciem oſtendere, eſt miſereri, &
Pſal. 79 ſaluare, ſicut dicit Pſalmiſta: *Oſten-
de faciem tuam, & ſalui erimus.* Iu-
dæi ergo in miſerijs magnis ſe eſſe
deplorant, & Deum iuſtè ad iram
concitatum eſſe oſtendunt, dum illũ
faciem ſuam ab eis abſcondiſſe faten
tur. Ex quo quid aliud ſperandum
erat, quam captiuitas, & mors? *Alli-
ſiſti nos*, inquiunt, *in manu iniqui-
tatis noſtræ*, quaſi dicerent, peccata
noſtra iuſtam vindictam ſument de
nobis, quod & ad literam impletum
videmus in Iudæis per vniuerſum or
bem diſperſis ſine rege, ſine lege, abſ-
que ſacerdotio & ſacrificijs: facti sũt
namque propter peccata ſua oppro-
brium hominum, & abiectio plebis.
11 *Et nunc Domine pater no-
ſter es tu, nos vero lutum, & fictor
noſter tu, & opera manuum tuarum
omnes nos.* Interponit Propheta ſuo
nomine, piam orationem ad Deum
effuſam, videns ſtatum Iudęorum pa-
tere ruinæ, & indignos eſſe, qui à Deo
audiantur. Agnoſcens ergo nullum
inter Iudæos interceſſorem inueniri,
& vana eſſe, ſicut explicatum eſt, eo-
rum opera, confugit ad Patrem cæle
ſtem, obſecrans ne opera manuum
ſuarum derelinquat, aboleat, & de
medio tollat, quaſi dicat: Maior eſt
ò Domine miſericordia tua, quam
peccata populi, quæ ſubinde quantũ-
uis multiplicentur, vincere non po-
terunt bonitatem tuam, & benigni-
tatem paternam ſuperare. *Et nunc*,
inquit, hoc eſt quando facti ſumus,
vt immundi omnes nos, & quaſi pan-
nus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ no-
ſtræ. *nunc*, quando cecidimus quaſi
folium vniuerſi, quando iniquitates
noſtræ, quaſi ventus, abſtulerunt nos,
*nunc*, quando auerſi ſumus, tu nihilo-
minus pater noſter es titulo creatio-
nis, & nos opera manuum tuarum
ſumus: non ergo perdas opus tuum,
ſed refice, & perfice quod formaſti.
Sicut ergo ſanctus Iob, vt Deum ad
miſericordiam prouocet ſuam fragi-
litatem proponit, dicens: *Memento* Iob 10.
*quæſo quod ſicut lutum feceris me, &
in puluerem reduces me. non ne ſicut
lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me
coagulaſti?* ita & Iſaias vilem mate-
riam, ex qua factus eſt homo, comme
morat, vt Dei viſcera ad clementiam
inclinet; Nec erit otioſa deprecatio
in qua humiliter agnoſcit homo ſuã
miſeriam; talem enim orationem
exaudiendam eſſe comprobauit, qui
dixit. *Quomodo miſeretur pater fi-* Pſ. 102.
*liorum, miſertus eſt Dominus timen
tibus ſe, quoniam ipſe cognouit*, ideſt
cognoſcere nos fecit *figmentum no-
ſtrum. Recordatus eſt, quoniam
puluis ſumus: homo, ſicut fœnum.
dies eius: tamquam flos agri, ſic efflo-
rebit.* Vbi obſeruandum, quod Deus


ſicto-

fictori, ſeu figulo; homo autem luto confertur, quoniam quemadmodum lutum non ſeipſum facit vas in honorem, ſed fit à figulo, ita proportionabiliter homo fit à Deo ex impio iuſtus. Hac ſimilitudine vſus eſt etiã per Hieremiam, dicens. *Surge, & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea: & deſcendi in domũ figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto in manibus ſuis. Cõuerſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius, vt faceret*. & hanc explicans ſimilitudinem ſubdit. *Numquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſrael? ait Dominus. Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos Domus Iſrael in manu mea.* Vbi notandum, quod cum Scriptura ſacra comparat hominem inſenſibilibus rebus, vt luto, baculo, & alijs huiuſmodi, talis ſimilitudo non tenet in omnibus, ſed in aliquo, vel in aliquibus. Eſt enim magna differentia: nam lutum ita fit vas à figulo, vt nullo modo concurrat actiuè ad præparationem, qua diſponitur ad illam formam ſuſcipiendam, nec vllo modo ſe mouet ad illam. Liberum autẽ hominis arbitrium motum à Deo, ſe mouet libere, & actiuè producit diſpoſitionem ad gratiã: ſimilitudo autem tenet in hoc, quod ſicut lutum, niſi moueatur à figulo, & formetur, nullam habet formam vaſis, ita proportionabiliter liberum hominis arbitrium, niſi moueatur à Deo, non ſe mouet ad bonum, vt latius explicatum eſt ſuperius.

Hier. 18.

Supra cap 10 nu. 10. 11. 12.

12 *Ne iraſcaris Domine ſatis, & ne vltra memineris iniquitatis noſtræ, & reſpice, populus tuus omnes nos*. Fatemur Domine, quod peccatis noſtris iram tuam promeruimus, non tamen propterea deſperare debemus: licet enim peccatores ſimus, adhuc tamen ſumus creaturæ tuæ: nõ ergo iraſcaris ſatis, hoc eſt ne adijcias valde iraſci, ſed reſpice, & attende quod fuimus aliquando populus tuus, & nunc creaturæ tuæ ſumus, quamuis, vt lutum, conculcatæ. Conſimili oratione deprecatus eſt Dominum publicanus, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori*. prius dixit *mihi*, deinde ſubiũxit *peccatori*, vt in ſubſtantiam, quam creauit bonam, & non in peccata, quibus corrupta eſt, primum oculos conijceret, ne peccatorum multitudine prouocaretur ad iram. Luc. 18.

13 *Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt: Hieruſalem deſolata eſt: domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ: vbi laudauerunt te patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas*. Orat Propheta Dominum, vt attẽdat ad gloriã nominis ſui, cuius rationem maximam omnes ſemper habuerunt ſancti. In deſtructione templi deplorat ſanctorũ paucitatẽ. Non ſolum, inquit, Ciuitas ſancti tui, ideſt, tuo ſancto nomini dicata: vel ſancti tui, hoc eſt, Dauid, cuius ſanctitas omnibus erat conſpicua, ſed etiam *domus ſanctificationis exuſta eſt*, nec mirum, quoniã de medio ſublato numero iuſtorum laudantium Deum, & colentium, atque numero peccantium, & blaſphemãtium illum multiplicato, neceſſe erat, vt Ciuitas rueret, & templum traderetur igni. Tẽplum materiale exuſtum eſt igne corporeo, at viua Dei templa ignis quotidie concupiſcentiæ exurit. *Et omnia deſiderabilia, &c.* Deſiderabilia quæ erant in templo, quis ignoret panes propoſitionis eſſe, menſam, lucernas, turibula, & cætera inſtrumenta





menta quibus colebatur Deus? hæc ablata ſunt, & cõculcata ab hoſtibus ſanctæ ciuitatis: ſed ſpiritualiter multo maiora principes tenebrarum à fidelibus auferunt bona, cum eos ad peccata inducunt. Pereunt enim omnia eorum merita, niſi per gratiam Dei fuerint viuificata: Vnde ſcriptũ eſt: *Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes quas operari ſolet impius, numquid viuet? omnes iuſtitiæ eius quas fecerat: non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur*.

Ezech. 18.

14 *Numquid ſuper his continebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementer*. quaſi dicat. Cum hæc ita ſe habeant, duruſne eris nobis, & affliges nos, & calcabis gentem tuam ſicut in torculari? nullane prorſus erit Iudæis ſpes? numquid continebis in ira tua miſericordiam tuam: numquid tacebis, nullum verbum conſolationis proferens, nullam indulgentiam tribuens? affliges nos vehementer, calamitates calamitatibus adijciẽdo? Ignoſce Domine populo tuo, oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

# CAPVT LXV.

1 QVAESIERVNT me qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quæſierunt me. dixi: Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non inuocabat nomen meum. 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas. 3. Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper: qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres: qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem ſuillam, & ius profanum in vaſis eorum. 4. Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: 5. Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus, qui ſacrificauerunt ſuper montes, & ſuper colles exprobrauerunt mihi, & remetiar opus eorum

rum. 6. Hæc dicit Dominus: Quomodo ſi inueniatur granum in botro,& dicatur: Ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum. 7. Et educã de Iacob ſemen,& de Iuda poſſidentem montes ſanctos meos: & hereditabunt eam electi mei,& ſerui mei habitabunt ibi. 8. Et erunt campeſtria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo,qui requiſierunt me. 9. Et vos,qui dereliquiſtis Dominum,qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam. Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis. 10. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: Ecce ſerui mei lætabuntur,& vos confundemini: Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis: 11. & interficiet te Dominus Deus,& ſeruos ſuos vocabit nomine alio. 12. In quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen: & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen: 13. quia obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores,& quia abſconditæ ſunt ab oculis meis. Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora,& non aſcendent ſuper cor. Sed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum in his,quæ ego creo: 14. quia ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Et exultabo in Hieruſalem,& gaudebo in populo meo: & non audietur in eo vltra vox fletus & vox clamoris. 15. Non erit ibi amplius infans dierum, & ſenex qui non impleat dies ſuos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. 16. Et ædificabunt domos,& habitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earum. Non ædificabunt,& alius habitabit: non plantabunt,& alius comedet: 17. ſecundum enim dies ligni,erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt: 18. electi mei non laborabunt fruſtra, neque generabunt in conturbatione: quia ſemen benedictorum Domini eſt, & nepotes eorum cum eis. 19. Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. 20. Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas: & ſerpenti puluis panis eius: 21. Non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo, dicit Dominus.





## SVMMA CAPITIS.

*De vocatione gentium, & reprobatione Iudæorum agit Iſaias in hoc capite. Circa quod primo oſtendit gentium vocationem gratis eſſe,nullis eorum meritis præcedentibus factam. In principio capitis.*

*Secundò, varia enumerat Iudæorum peccata, propter quæ à Deo fuerunt derelicti, præſertim ob infidelitatem, Idololatriam,& ſuperbiam, de quibus agit ab illo verſiculo.* Expandi manus meas tota die.

*Tertiò, condignam pœnam peccatis eorum debitam ſubiunxit. verſiculo:* Iſti fumus erunt.

*Quartò, oſtendit,non in totum fuiſſe Iſraelem abiectum, & reprobatum, quoniam reliquiæ ſecundum electionem ſaluæ factæ ſunt. verſ.* Quomodo ſi inueniatur, &c.

*Quintò, Gentes Iudeis præferendas eſſe denunciat. verſ.* Propter hoc.

*Sextò, agit de Eccleſia Catholica, quam cælum nouum, & terram nouam appellat, denuncians, non pueros ſicut olim ſub lege, ſed viros perfectos futuros eſſe,atque in charitate feruentes Eccleſiæ filios, quorum orationes ſe exauditurum pollicetur. Agit de hoc ab illo verſ.* Ecce enim ego creo cælus nouos, *vſque ad finem capitis.*

## COMMENTARIVM.

1 *QVAESIERVNT me qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæſierũt me. dixi: ecce ego ecce ego ad gentem, quæ neſciebat me: & quæ non inuocabat nomen meum.* Orauit Iſaias in calce præcedentis capitis, vt iram Dei auerteret à populo ſuo, Ciuitatis ſanctæ ruinam, & templi exuſtionem deplorans: Dominus autem in hoc capite conſolatur eum, inſtaurationem templi denuncians, atque Eccleſiam Catholicam ſe ædificaturum promittens, ad quam gentes in maxima multitudine vocatæ conuenient, vt vicem, & locum suppleant Iudaici populi increduli. Hic eſt ſcopus præcipuus huius prophetiæ, quem ſubinde in calce operis ſui Iſaias conſtituit, nempe vocandas eſſe à Deo

Vocatio gratis fit. gentes ad fidem. oſtenditque voca-
tionem fieri ex ſola Dei misericor-
dia, nullis prorſus præcedẽtibus me-
ritis. Id quod euidenti argumento
demonſtrat, quoniam cum gentes in
tenebris eſſent, antequam Deũ quæ-
rerent, interrogarent, aut inuocarẽt,
cum ſuæ ſalutis prorſus eſſent oblitæ,
Deus præuenit eas in benedictioni-
bus dulcedinis. Iſtum locum addu-
Rom. 10 cit Apoſtolus ad Romanos 10. illum
explicans de gratuita vocatione gen
tium. dum ait: *Iſaias audet, & di-
cit: Inuentus ſum à non quærentibus
me: palã apparui ijs qui me nõ interro
gabant.* Vbi obſeruandum eſt cum
S. Thom. lect. 3. ſuper c. 10. ad Rom. ſancto Thoma, longe diuerſum fuiſſe
modum, quo Chriſtus Dominus gen
tibus apparuit, ab eo quo Iudæis o-
lim manifeſtatus fuit. Iudæis enim
in ænigmatibus, & figuris, & vmbris,
Hæb. 1. & ſicut ait Apoſtolus: *multifariè mul
tiſque modis*, gentibus autem palam
apparuit. Hinc Apoſtolus, *apparuit
Tit. 2. gratia Saluatoris noſtri Dei omni-
bus hominibus erudiens nos.* & ipſi
diſcipuli ad Dominum loquentes.
Ioan. 16 *Ecce*, inquiunt, *palam loqueris, & pro
uerbium nullum dicis.*

2 *Expandi manus meas tota die
ad populum incredulum, qui gradi-
tur in via non bona, poſt cogitationes
ſuas.* Ex Pauli Apoſtoli interpreta-
tione conſtat, hæc verba non de gen-
tibus, ſed de Iudæis incredulis eſſe
dicta. Cum enim præmiſiſſet de gen
Rom. 10 tibus loquens. *Iſaias autem audet,
& dicit. Inuentus ſum à non quæ-
rentibus me: palam apparui his qui
me interrogabant*: ſubdit de Iudæis.
*Ad Iſraël autem dicit. tota die ex-
pandi manus meas ad populum non
credentem, ſed contradicentem
S. Thom. lect. 3. citat. mihi.* Quæ verba ſecundum ſanctũ
Thomam tripliciter poſſunt intelli-
gi. primo *de expanſione manuum
Chriſti in cruce, quæ quidem dicitur
fuiſſe in cruce tota die, ideſt principa-
li parte totius diei, ſcilicet ab hora
ſexta vſque ad veſperas. Matt. 27.
Et quamuis eo expandente manus in
cruce ſol ſit obſcuratus, petræ ſciſſæ,
monumenta aperta: Iudæi tamen in
ſua incredulitate permanſerunt, eum
blaſphemantes, vt dicitur. Matt. 27.
Vnde ſubdit, Ad populum non cre-
dentem, ſed contradicentẽ mihi. Heb.
12. Recogitate eum qui talem ſuſti-
nuit à peccatoribus aduerſus ſemet-
ipſum contradictionem. Alio modo
poteſt referri ad extenſionem manus
Dei in miraculis faciendis. Act. 4. In
eo, quod manum tuam extendis ad ſa
nitates & ſigna, & prodigia fieri per
nomen ſanctum filij tui Ieſu. vt ſit
ſenſus: Tota die, ideſt, toto tempore
prædicationis meæ expandi manus
meas, miracula faciendo ad populum
non credentem, etiam miraculis vi-
ſis. Ioan. 15. Si opera non feciſſem,
quæ nemo alius fecit, peccatum non
haberent. Sed contradicentem mihi,
ideſt meis miraculis detrahentem.
Secundum illud. Matth. 12. In Beel
zebub principe dæmoniorum eijcit
dæmonia. Oſeæ 4. Populus tuus ſi-
cut hi qui contradicũt ſacerdoti. Ter-
tio poteſt intelligi de extenſione ma-
nus Dei ad beneficia illi populo ex-
hibita, ſecundum illud. Prouerb. 1.
Extendi manum meam, & non fuit
qui aſpiceret. vt ſit ſenſus: Tota die,
ideſt toto tempore legis & Propheta-
rum, expandi manus meas ad dandũ
beneficia ad populum non credẽtem,
ſed contradicentem mihi. De quo per
Moyſem dictum eſt, ſemper cõtentioſe* Deut. 31
*egiſtis contra Dominum.* Vide ſupra-
dicta in illa verba, *quoniam vidi ini-
quitatem, & contradictionem in
ciuitate*, vbi ex ſancto Auguſtino o- Sup. ca. 1 n. 62. c. 8. n. 30.
ſtendimus, qualiter in omnibus Iu-





dæi ſuo contradixerint Redemptori.

3 *Populus qui ad iracũdiam pro-
uocat me, ante faciem meam ſemper:
qui immolant in hortis, & ſacrificãt
ſuper lateres: qui habitant in ſepul-
chris, & in delubris idolorum dor-
miunt: qui comedant carnem ſuillã
& ius profanum in vaſis eorum.*
Enumerat peccata Iudæorum, præſer
tim Idololatriam, quam libri Regũ,
& Paralip. ſæpius commemorant. In
hortis enim, & ſuper lateres ſacrifi-
cabant idolis, qui in templo ſuper al-
tari Deo victimas offerre debuerant.
Et in tantum creuit eorum impietas,
vt etiam in templo, in quo Deus cole
batur, idola ſtatuerent, atque in ipſa
Dei præſentia venerarentur. *Ante
faciem meam*, inquit, quod maximæ
impudentiæ indicium eſt. *Qui habi-
bitant in ſepulchris, &c.* Aliud cri-
men obijcit Iudæis: nam reſponſa à
dæmonibus quærebant, oracula re-
ijcientes diuina, quibus per Prophe-
tas erudiebantur. Ideo ſæpius adi-
bant ſepulchra, diuinationes in mor-
tuis arte phitonica, & alijs ſuper-
Lyra. ſtitionibus, vt Lyranus explicat, quæ
rentes, dormiẽteſque in delubris ido-
lorum, vt per ſomnium futura cogno
ſcerent: quod ad aliud genus ſuper
ſtitionis pertinet. Et ſicut mentem
ſuperſtitionibus, ita & corpus volu-
ptatib⁹ polluebãt illicitis, videlicet,
comeſſationibus, crapula, & ebrie-
tate; quaſi omnis vitæ felicitas in eſu
ac potu eſſet conſtituta. Teſtabantur
id vaſa eorum, calices, patinæ, & his
ſimilia. Appellat ius profanum ius
porcinum, ſeu carnium ſuillarũ, quia
videlicet erat lege prohibitũ. Quod
quidem in alterum diem in quibuſ-
dam vaſis reſeruatum auidè deuo-
rabant. Denique omnis correctionis
impatientes erant: nam irridebant
Prophetas, & verba contemnebant
eorum, ſeipſos ſanctificantes, & dicen
tes: Vos ne docetis nos, qui multo
ſanctiores vobis ſumus? nolite nobis
appropinquare, vnde & ſubditur.

4 *Qui dicunt, recede à me, non
appropinques mihi, quia immundus
es.* Hæc dicebant Prophetis eorum
increpantibus peccata. Non eſt quod
immundos nos eſſe dicatis, quoniam
carnem manducamus ſuillam; nam
ſacrificijs & oblationibus, quas Deo
ſemper offerimus, ſanctificati ſumus.
nec veſtris correctionibus indige-
mus. Vos potius immundi eſtis, qui
Dei creaturas immũdas putatis. Vbi Gloſa.
cum gloſa interlineali expendenda
eſt Iudæorum impudentia, qui Dei
legem tranſgrediẽtes, & iniquè agen
tes ſuperbiebant in alios. Nicolaus Lyra.
de Lyra explicat iſtum locum; ita vt
ad Gentiles dirigant ſermonem Iu-
dæi. Illos namque reputabant im-
mundos, quia non communicabant
cum eis. Sed quia ſimulata ſanctitas
duplex eſt iniquitas, vt ait Hieron.
ideo ſubditur debita punitio.

5 *Iſti fumus erunt in furore meo:
ignis ardens tota die. Ecce ſcriptum
eſt coram me. Non tacebo, ſed red-
dam, & retribuam in ſinu eorũ ini-
quitates veſtras, & iniquitates patrũ
veſtrorum ſimul, dicit Dominus qui
ſacrificauerunt ſuper montes, & ſu-
per colles exprobrauerunt mihi: &
remetiar opus eorum primum in ſi-
nu eorum.* Tales (inquit) tranſgreſſo-
res legis, & exacerbatores impœni-
tentes agnitam veritatem impugnan
tes, & Spiritui ſancto obſiſtẽtes, æter-
nis ſupplicijs in furore meo puniam.
Omnes enim fumus erunt *tota die*, id
eſt perpetuo, quibus dicturus ſum ali
quando. *Ite maledicti in ignem æter-* Matth.
*num, qui paratus eſt diabolo, & An-* 25.
*gelis eius.* Fumus erunt, quoniam
tamquam fumus deficient. Erunt fu-

mus, quoniam tanquam titiones fumantes, igne gehennæ ardebunt, iuxta illud quod dictum eſt ſupra. *Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, & flatus Domini ſuccendens eam.* Fumus erunt, quoniam in Tartarea iacebunt caligine, vbi ignis ardebit, nullo refulgens ſplendore. Nam cum igni & calor vrens, & lux ſplendens ſint propria, diuina tamen virtute, lux à calore diuidetur: iuxta illud Prophetæ. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Ita facere decreuit. *Ecce,* inquit, *ſcriptum eſt coram me*, ac ſi dicat. Non ero immemor vindictæ, quã ſumpturus ſum de peccatis eorũ. Ea enim quæ in memoria homines retinere volũt, mãdant ſcriptis, ne vnquam obliuioni tradantur. *Non tacebo*, &c. Alludit ad id quod dixerat ſupra. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui: vt parturiens loquar.* Cum Deus non punit, tacere dicitur & ſilere; cum autem vindictam ſumit, dicitur, loqui, & non tacere, nec diſſimulare. Non tacebo, inquit, ſed vociferabor, dicens, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Et ſicut illi me non audierunt, ſed cõtempſerunt me, ita & ego retribuam. *Et remetiar opus eorum in ſinu eorum.* Loquitur, autem ſumpta ſimilitudine ab his, in quorum ſinu empta ſecundum quantitatem pretij reponuntur. Si enim multam pecuniam dederint, multa illis in ſinu traduntur mercimonia. Quia ergo Iudæi multa commiſerunt peccata, multis etiã punientur, quia *ſecundũ menſurã delicti erit & plagarũ modus.* multas iniquitates congeſſerunt, multam & ego vindictam parabo. Conſonant hæc cum verbis illis Euangelij. *Ille ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius: vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* ideſt ſecundum quantitatem culpæ erit quantitas pœnæ. Eademque proportio in præmiorum diſtributione, quæ fit electis, ſeruatur. Nam & in ſinu eorum qui multum laborauerunt magna reponentur præmia. Scriptum eſt enim. *Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Quod autem ait. *Et remetiar primũ,* &c. aperte ſignificat, Iudęos, qui morti tradiderunt Chriſtum, primo in ſe ipſis fuiſſe punitos, dum quadraginta annis poſt paſſionem Domini debellati ſunt à Romanis. Deinde etiam in poſteris ſuis adhuc puniri, iuxta illam audacem eorum imprecationem. *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Primo dicunt ſuper nos: deinde adijciũt, & ſuper filios noſtros, vt in ſe ipſis adimpletum fuiſſe oſtenderent vaticinium hoc Iſaiæ, *& remetiar opus eorum primum in ſinu eorum.*

[Margin: Iſai. 30. — Pſ. 28. — Iſai. 42. — Silere Dei quid ſignificet. — Matth. 25. — Luc. 12. f — Luc. 6. f — Matth. 27. c]

6 *Hæc dicit Dominus. Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicatur. Ne diſsipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſeruos meos: vt non diſperdam totum.* Ad Romanos 11. inquit Apoſtolus. *Nũquid repulit Dominus Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit. An neſcitis in Elia, quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deũ aduerſum Iſrael? Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit*

[Margin: Rom. 11]



*dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſaluæ factæ ſunt.* Quibus verbis planè oſtendit, non omnes Iudæos reprobatos fuiſſe, ſed paucas reliquias reſeruatas, quas ſuperius in cap. 1. relictum ſemẽ Iſaias vocauit, cum dixit, *Niſi Dominus exercituũ reliquiſſet, nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Hoc ipſum denunciat præſens locus. Orauerat Propheta pro Eccleſia Catholica ex reliquijs ædificãda, & Dominum deprecatus fuerat, ne ex toto diſperderet Iſrael. *attende,* inquiens, *de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & ſolio gloriæ tuæ. Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua: multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe. Tu enim Pater noſter, &c.* & poſt pauca: *Cõuertere propter ſeruos tuos tribus hereditatis tuæ*, cui Dominus in præſenti reſpondet. Quamuis malos ita diſperdam, & tamquam vuas in torculari conculcem, non tamen cum impijs iuſtos abijciam, ſed electos ex Iudæis mihi reſeruabo, Apoſtolos videlicet, & paucas reliquias, per quas Eccleſiam meam inſtaurabo. vbi obſeruãdũ, quod eiſdẽ verbis, quibus Iſaias petierat, ne totum deſtrueret populum Iudaicum, reſpondet Dominus, ſe nonnullos ſibi ſeruaturum eſſe ex populo illo. Iſaias orauerat. *Conuertere propter ſeruos tuos*: Dominus reſpondet, *Sic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum.* Vtitur autem Propheta pulchra ſimilitudine. Quemadmodum ſi quis tempore maximæ ſiccitatis, aut perpetuæ pluuiæ, in botro aliquo, vel vua totius vitis, quæ corrupta eſt, caſu granum vnum reperiat illæſum, & dicat alteri, ne tangas illud, ſed dimitte, vt creſcat, quoniam benedictio Dei eſt, quod in tanta acinorum copia ſolum hoc euaſerit ſiccitatem: ita (inquit) de Iudæorũ innumerabili multitudine paucos tantum reſeruabo, & hoc *propter ſeruos meos*, videlicet, propter Abrahã, Iſaac, & Iacob, quibus promiſi, quod non totum Iſrael reijcerem. Ex quibus duo poteris colligere. Alterum eſt, quod licet prædeſtinationem ſuã nullus poſſit de condigno, nec etiam de congruo promereri; prædeſtinationem tamen alterius, quantum ad integrum illius effectum benè poteſt vnus virtute gratiæ, alteri mereri, vt ſæpius docet ſanctus Thomas: Sic meruit Stephanus conuerſionem Pauli, ſi enim Stephanus non oraſſet, Eccleſia vtique, vt Auguſtinus ait, Paulum Apoſtolum nõ habuiſſet. Alterum vero eſt, pauciſſimos ex Iudæis reſeruatos fuiſſe. Quod ſimilitudo propoſita ſatis indicat.

[Margin: Iſai. 63. — S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 8.]

7 *Et educam de Iacob ſemen: & de Iuda poſſidentem montes ſanctos meos, & hereditabunt eam electi mei: & ſerui mei habitabunt ibi.* Per ſemen intelligit Apoſtolos, & paucas reliquias ex Iudæis reſeruatas. Nam ad inſtar ſeminis per vniuerſum orbem ſparſi, & propter Chriſtum mortui magnum poſtmodum attulerunt fructum. De hoc ſemine prædixerat ſupra. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, &c.* Et iterum. *Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Montes vocat iuſtos, quos Apoſtoli conuerterunt ad Dominum, aut etiam Eccleſiam Catholicam, iuxta illud. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Quamuis enim vna ſit vniuerſalis Eccleſia, & vnus mons,

[Margin: Iſai. 1. — Iſai. 61. — Iſai. 2.]

mons,ſicut eſt vna Fides,& vnũ Baptiſma, plures tamen ſunt Eccleſiæ particulares,quæ in præſenti montes dicuntur. hos montes,inquit, poſſidebunt electi mei: quoniam per Apoſtolos,& illas paruas reliquias gubernata eſt Eccleſia.Illam enim poſſederunt,& hereditauerunt à Chriſto,qui Petro Apoſtolo,& ſucceſſoribus eius eam gubernandam reliquit, & in illa tamquam ſerui fideles habitauerunt.

8 *Et erunt campeſtria in caulas gregum,& vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requiſierunt me.* Senſus eſt. Quamuis paruæ ſint reliquiæ quas ex Iudæis elegi, illas tamen ita multiplicabo, vt vniuerſum impleant orbem,& præ multitudine inhabitantium Eccleſia dilatanda ſit ad campeſtria. Paſcent enim gregem ſuum in Achor,ideſt in partibus remotiſſimis, pabulo cæleſtis doctrinæ fideles paſcent ex gentibus ad Chriſtum reuertẽtes. Achor enim vallis eſt, cuius mentio fit Oſeæ
Oſeæ. 2. 2. *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco,& vallem Achor ad aperiendam ſpem. Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.* Ad intelligentiam huius loci notandum, quod propria huius nominis, Achor, ſignificatio habetur Ioſue 7. vbi & ratio eius exprimitur: ex eo enim quod Achan, qui furatus fuerat de anathemate, & ſpolijs Hiericho,turbauit populum, locus ipſe in quo hoc accidit Achor,ideſt turbationis, & tumultus
Achor qd ſignificet. nomen accepit. *vocatumque eſt*, inquit, *nomen loci illius vallis Achor, vſque hodie*. Cum ergo ait Oſeas, &
Ioſue 7. *Vallem Achor ad aperiendam ſpem*, ad vallem illam plane alludit: & ſenſus eſt. Olim ademit Iudæis vallis Achor ſpem, ſiue oſtium ſpei ingrediendi terram promiſſionis, eo quod turbatus ibi fuerit Ioſue, & omnis Iſrael cum illo: ſed adueniente Domino, etiam vallis illa, in qua tumultus magnus fuerat, & turbatio eadem,aperiet Apoſtolis oſtium ſpei: nã læti prædicabunt ingentibus Euangelium pacis, vbi quondam nihil aliud, niſi tumultus audiebatur,atque turbatio. Iuxta quod Apoſtolus ait, *Cum veniſſem autem Troadem propter euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, &c.* 1.Cor.2. Et iterum. *Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, propter quod etiam vinctus ſum, vt manifeſtem illud, ita vt oportet me loqui.* Coloſ. 4. & Act. 14. *Retulerunt* (ſcilicet Paulus, & Barnabas) *quantum feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet gentibus oſtium fidei.* Act. 14. Ex his facile intelligitur præſens Iſaiæ locus: ſenſus enim eſt. Eccleſia Catholica ita per vniuerſum orbem dilatabitur, vt etiã vallis Achor cubile ſit armentorum,vbi quieſcant Fideles. Talis erit Chriſtianiſmus, quod populus ſpiritu Chriſti præditus in ipſis paſſionum tumultibus in medijs tentationibus, in valle Achor ſuauiter conquieſcat, Chriſtum habens auxiliatorẽ, cuius virtute omnes aduerſariorum impetus facillime ſuperabit.

9 *Et vos qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum,qui ponitis Fortunæ mẽſam, vt bibatis ſuper eam, numerabo vos in gladio,& omnes in cæde corruetis: locutus ſum & nõ audiuiſtis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis.* Sicut Deus non abijcit bonos propter impios quos punit, ita nec parcit impijs, & impunitos relinquit,propterea, quod electis benefacit. Ait ergò. Quamuis multa bona electis meis conferam,

vos



vos tamen qui dereliquiſtis Dominũ, nihil tale reportabitis; non enim muſtum ſuaue in botro veſtro, ſed fel eſt & venenum aſpidum inſanabile. Nam vos primum dereliquiſtis Dominum, & Deos alienos adoraſtis, & obliti eſtis montem ſanctum meum, Per montem, ſecundum Hieronymũ,
Hieron. intelligit Chriſtum, *qui mons eſt,& ſanctorum mõtium ſanctus: vel montem Syon, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem*; aut etiam templum ciuitatis ſanctæ Hieruſalem, ac ſi diceret: Noluiſtis aſcendere in templum, vt coleretis Dominum, ſed menſam poſuiſtis Fortunæ ad cultum illi exhibendum. Erat autẽ
Fortuna quod. Fortuna, ſtella Iouis, vt Rabbi Moyſes arbitratur, vel ſecundum alios erat planeta in genere, vel ſtellæ cæli, vnde quidam transferunt: *qui ponitis exercitui cæli menſam*. Eſt autem notandum valdè cum Beato Hieronymo; *quod eſt in cunctis vrbibus, & maximè in Aegypto, & in Alexandria idololatriæ vetus conſuetudo, vt vltimo die anni & menſis eius, qui extremus eſt, ponant menſam refertam varij generis epulis, & poculum mulſo mixtum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant & Iſraelitæ, omnium ſimulachrorum portenta venerantes:& nequaquam altari victimas,ſed huiuſcemodi mẽſæ libamina fundebant.* Item etiã libabant,&, vt Pithagorici, diuinitatem quãdam dabant numeris, quamplurima libamina eis offerẽtes. proptereainquit, *numerabo vos in gladio*. Elegans cõtrapoſitio. Quia vos numerum obſeruaſtis, vt illi honorem debitum
Numeris libabant Iudæi. Deo exhiberetis, ego vos numerabo ad cædem, & gladio vnumquemque diſperdam. Vos incuruati eſtis, vt adoraretis idola,& vos curuabimini, & proſternemini,vbi pro victimis vos immolauero. Ita enim par erit retributio: quandoquidem numquam me audire, & beneficia mea ſuſcipere voluiſtis: ſed dedita opera, quæ ſciebatis mihi diſplicere, ea coram oculis meis faciebatis, & elegiſtis quæ nolui, in omnibus veſtræ obſequentes volũtati,mei prorſus obliti.

10 *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus. Ecce ſerui mei comedent: & vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur,& vos confundemini. Ecce ſerui mei laudabũt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis, & dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis.* Antitheſim lepidam proponit, impiorum ſupplicijs opponẽs iuſtorum gaudia; opponit impiorum fami ſaturitatem iuſtorum; ſiti ebrietatem; confuſioni & triſtitiæ, gloriam & lætitiam; vlulatui iubila, & tripudia; ſummę ignominiæ, honorem ſummum. Quæ de cibo & potu dicuntur electorum, nequaquam ſunt materialiter intelligenda, ita vt in regno cælorum, beatus cibo indigere corporali intelligatur. Nam vt dicit
Apoſtolus: *Non eſt regnum Dei eſca & potus,ſed iuſtitia,& pax,& gaudium in Spiritu ſancto.* Rom.14 e Spiritualem cibum hic per fidem manducamus, eundem in gloria cum Beatis, abſque velamine manducaturi. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. d Panis qui in via ſatiat iuſtos, ille eſt qui deſcendit de cælo, quem qui dignè manducauerit,viuet in æternum. Aqua electos refrigerans illa eſt, quæ ſalit in vitam æternam: Ioan. 4. vinũ inebrians ineffabili dulcedine,illud eſt, de quo canit Pſalmiſta, *& calix tuus inebrians* Pſ.22. b

quàm

*quàm præclarus eſt*:nec enim in medijs turbatur fluctibus, aut tribulationibus inſurgentibus, ſed præclarior efficitur. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

2. Cor. 1. c

Secura gloria, quæ non ab hominibus, ſed à Deo eſt, & ab Angelis eius. Impij autem omnibus iſtis carebunt bonis, pereuntes in deſiderijs carnalibus, hic ignominioſam ducentes vitam, & inquietam conſcientiam habẽtes, & doloribus plenam, & hæc quidem initia ſunt dolorum: nam in alio ſæculo, multo maior, & diuturnior eos expectat cruciatus, *Ibi* enim *erit fletus & ſtridor dentium. Et dimittetis nomen veſtrum, &c.*

Gloſa

Gloſa ordinaria ſic explicat hæc verba. Talis, ac tanta erit calamitas veſtra, vt in deteſtationem illius dicturi ſint fideles in veſtrum ſuccedentes locum. *Si aliter fecero, contingat mihi, ſicut Iudæis Romanorum gladio occiſis.*

Vatablus.

Hanc explicationem ſequitur Vatablus, *quaſi dicat*: Faciam, *vt nomen veſtrum in malis imprecationibus locum habeat, dicantque homines qui ſibi male precabuntur: Ita mihi contingat, vt Iudæo idololatræ: vel, Diſpereã, vt Iudæus Idololatra, ſi non id fecero.* Tanta erit ignominia veſtra, vt ſi quis poſthac voluerit iurare, & iurando, ſe, vel alium execrari, dicet iurans: Occidat te Dominus, ſicut Iudæos occidit. Conſimilẽ execrationẽ inuenies apud Hieremiam, ait enim. *Et aſſumetur ex eis maledictio omni traſmigrationi Iudæ, quæ eſt in Babylone, dicentium. Ponat te Dominus, ſicut Sedechiam, & ſicut Achaz, quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo quòd fecerint ſtultitiã in Iſraël: & mœchati ſunt in vxores amicorũ ſuorum, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui.*

Hier. 29. e

Verum alia ratio longe diuerſa erit ſeruorum Dei, & nominis eorum. nam ſi quis alicui bene precari voluerit, bene faciat (inquiet) tibi Dominus, ſicut illi ſeruo Dei. Septuaginta interpretes vertũt: *Relinquetis nomen veſtrum in ſaturitatem electis meis.* Et ſenſus eſt. Nomen veſtrum adeo erit abominabile, & odibile omnibus fidelibus, & ſpiritualibus Iſraelitis, vt illud ſuſtinere non poſſint, vel audire, ſed ad nauſeam eos prouocet. Sic explicãt Procopius, & Cyrillus. Fœtebit nomen veſtrum electis meis. Fœtet enim, & ignominioſum eſt Chriſtianis omnibus Iudæorum nomen. Doctiſſimus Pater Magiſter Frater Thadæus Peruſinus Auguſtinianus, ſic arbitratur hæc verba eſſe intelligenda.

Fr. Thadæus Peruſinus.

Quia tam horrenda, & execranda audiuimus de Iudæis, & vſque adeo abominabilia, vt nolimus quicquam amplius audire, ſaturati ſumus, & pleni obturabimus potius aures, quã velimus de eorum flagitijs, & facinoribus quicquam aliud ſentire, & ſic nomen eorum erit in ſaturitatem electis Dei. Quæ explicatio mihi videtur textui valde conformis.

11 *Et interficiet te Dominus Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio.* Verbum, *interficiet*, non ſolum ſignificat occiſionem, qua materiali gladio fuerunt à Romanis transuerberati Iudæi, ſed multo magis necem ſpiritualem deſignat eorum: nam & gladio illo peribunt, ex vtraque parte acuto: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.*

Matth. 25.

Hic eſt gladius, de quo ſupra dictum eſt. *Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.*

Iſai. 1.

Nomen autem aliud, quo ſeruos ſuos vocandos eſſe prædicit, eſt nomen, quo à Chriſto Chriſtiani dicuntur, quo nomine



mine primo inſigniti ſunt Antiochiæ diſcipuli, vt dicitur Actorum 11., ſic explicat S. Hieron., Hilarius, & Germanus Epiſcopus, & conſonat hæc explicatio cum ſeptuaginta interpretum translatione, ſic enim vertunt. *Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum.* Illud videlicet de quo ſuperius prædixerat: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Tempore legis antiquæ ſerui Dei dicebantur Iſraelitæ, Ephraim, Iudæi, &c. at in lege gratiæ Chriſtiani dicuntur, quod eſt nomen multo excellentius, & nobilius. Adamus Sasbouth, licet hanc explicationem admittat. *Vero ſimilius*, inquit, *eſt Prophetam reſpexiſſe potius ad rem, quam ad nomen. Vt ſenſus ſit, erunt alij homines, erit noua creatura.* Olim erant paruuli, nunc viri perfecti; tunc lacte, nũc ſolido cibo veſcuntur fideles. vnde Apoſtolus ait. *Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.*

12 *In quo: qui benedictus eſt ſuper terram benedicetur in Deo amen. Et qui iurat in terra, iurabit in Deo Amen.* Sæpe dictum eſt, ab Eccleſia Dei, Chriſto regnante abijcienda eſſe Idola, & cultum delendum eorum, ac ſoli Deo gloriam tribuendam: iuxta quod Apoſtolus ait. *Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria.*

1. Tim 1

Et Ioannes Apoſtolus: *Filioli cauete ab Idolis.* Hoc ergò denunciat Propheta in præſenti. Omnes, inquit, iurabunt in Deo, debitum honorem illi reddentes, nemo vrgebit ad iurandum in nomine Idolorum, Iouis, videlicet, aut Mercurij, nullus talem honorem illis tribuet, ſed Deo: eritque perfecta, & plena pax, & omnium ſpiritualium bonorũ benedictio, & abundantia, nulluſque benedictus reputabitur ſuper terram, niſi qui in Deo fuerit benedictus. Illud autem verbũ, *Amen*, nota eſt & ſignum optantis apud Hæbreos, vt dicunt qui in lingua ſancta ſunt verſati: quod ex lib. Tobiæ manifeſte colligitur.

Amẽ quid ſignificet.

Cũ enim Gabellus Thobiam benedixiſſet, dicens: *Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es optimi viri & iuſti, & timentis Deum, & eleemoſynas facientis, & dicatur benedictio ſuper vxorẽ tuã, & ſuper parentes veſtros, & videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum, vſque in textiam, & quartam generationem, &c.* omnes dixerunt, *Amen.*

Thob. 9. d

Eſt & ſignum aſſerentis, & confirmantis, quod dicitur, vt conſtat ex Euangelij contextu, vbi Chriſtus Dominus ſæpiſſimè ſuis præmiſit verbis, Amen geminatum, ſicut apud Ioannem. *Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnũ Dei*

Ioan. 3. a

Et iterum, *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.*

Ioan. 8. d

Et rurſus. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, &c.*

Ioan. 14 b

Vnde Apoſtolus ait. *Quot quot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt, ideo & per ipſum, Amen Deo ad gloriam noſtram*, ideſt, hanc veritatem confirmantes dicimus, *Amen Deo*, hoc eſt ad honorem Dei, manifeſtantes eius veritatem *ad gloriam noſtram*, quia gloria noſtra eſt conuerſio veſtra, vel *ad gloriam noſtram*, quia gloria noſtra eſt oſtendere, & prædicare verbum Dei. Sic explicat S. Thomas ſuper 2. Epiſtolam ad Corint.

2. Cor. 1.

S. Tho. ſuper cap. 1. epiſt. 2. ad Corinth. lect. 5.

13 *Quia obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores: & quia abſconditæ ſunt ab oculis noſtris. Ecce enim*

*ego creo cælos nouos, & terram nouã: & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum, in his quæ ego creo.* Iuxta interpretationẽ ſancti Hieronymi tranſitus fit in præſenti ab Eccleſia militante ad triumphantem, & reddit Propheta cauſam, propter quam fideles omnia abijcient Idola, vnum ſolum verum Deum colentes. Alicientur enim ad hoc ſpe futuræ beatitudinis, in qua omnia mala præterita, etiam peccata obliuioni tradentur.

Hieron.

Beati qualiter malorum præcedentium ſint memores.

Licet enim iuſti etiã poſt reſurrectionem calamitates maximas, quas in hoc ſæculo ſunt perpeſſi, & errores priſtinos, & peccata habituri ſint in memoria, nullum tamen inde dolorem reportabunt, aut triſtitiam: ſed conſolationem & gaudium, quia videlicet per Dei gratiam, omnia præterita euaſerunt pericula. Vnde in perſona electorum, qui laqueos præſentis ſæculi effugerunt, gratias agens ſuperius dixit Iſaias: *Vetus error abijt, ſeruabis pacem, pacem, quia in te ſperauimus.* quod cap. 26. nu. 6. explicatum eſt.

*Iſai. 26.*

Cælũ nouum, & terra noua, eſt celeſtis patria.

Per cælos nouos, & terram nouam, Eccleſiã intelligit triumphãtem, de qua Ioannes in Apoc. ait: *Vidi cælum nouum, & terram nouã. Primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non eſt. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* ita explicat Auguſtinus, & alij quamplurimi. quæ explicatio eſt valde conformis textui Iſaiæ, nam, vt inferius patebit, ſtatim declarat, quale ſit futurũ gaudiũ beatitudinis. Alij verò per cęlos nouos, & terram nouam, nouam intelligunt creaturam, quoniam, nobis innouatis per gratiã, noua erunt omnia, ſecundum quod dicit Apoſtolus: *Si qua ergo in Chriſto noua creatura eſt, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua.* Vbi notandum cũ ſancto Thoma: *quod innouatio per gratiam dicitur creatura: Creatio enim eſt motus ex nihilo ad eſſe. Eſt autem duplex eſſe, eſſe naturæ, & eſſe gratiæ. Prima creatio facta, fuit, qua creaturæ ex nihilo productæ sũt à Deo in eſſe naturæ: & tunc creatura erat noua. ſed tamen per peccatum inueterata eſt. Tren. 3. Vetuſtam fecit pellem meam, &c. Oportuit ergo eſſe nouam creationem, per quam produceretur in eſſe gratiæ: quæ quidem creatio eſt ex nihilo, quia qui gratia carent, nihil ſunt.* 1. Cor. 13. *Si nouerim myſteria omnia, &c. charitatem autem nõ habeam, nihil ſum. Iob. 18. Habitent in tabernaculo illius ſocij eius, qui non eſt, ideſt peccati.* Aug. *peccatum enim nihil eſt, & nihil ſiunt homines, cum peccant. Et ſic patet, quod infuſio gratiæ eſt quædam creatio.* Sicut ergo Apoſtolus nouam creaturam appellat animam renouatam per gratiam, ita & Iſaias cælos nouos, & terram nouam creari denunciat, cum nouam vitam, veteri abiecta, per Chriſtum inchoant, abijcientes veterem hominem, & induentes nouum, qui ſecundum Deũ creatus eſt. Quanta igitur lætitia poſt hoc ſæculum perfruentur electi, ſi ſolo guſtu ſpiritus tanta in eis gaudia oriuntur? Si tanta exultatio in exilio, quãta erit in patria, vbi omnis creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei? Tertiò explicatur hic locus de innouatione mundi, quæ fiet in conſummatione ſæculi, de qua Petrus Apoſtolus ait. *Adueniet autem dies Domini, vt fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore*

*Apoc. 21*

Auguſt. 20. de ciuitate Dei cap. 26.

2. Cor. 5. d

S. Th. ibid. lect. 4.

Iuſtificatio dicitur creatio, quia ſine meritus fit. *

Mundi innouatio futura in fine ſæculi qualis ſit.

2. Pet. 3.



*lore ſoluentur, terra autem & omnia quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint: quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent. nouos vero cælos, & nouam terram, & promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat.* Sic explicat Euſebius Cæſarienſis. *de conſummatione*, inquiens, *& mutatione mundi apertè, & magna voce Scriptura prædicante cognouimus, quia complicabitur cælum ſicut liber, & rurſus, erit cælum nouum, & terra noua. & rurſus: præterit enim figura huius ſæculi.* Eadem eſt explicatio S. Hieronymi in præſẽti, qui adducẽs in confirmationẽ illud Pſalmi.

Euſebius lib. 11. de præpar. Euang. c. 17

*Iſai. 34.*

*Pſ. 101.*

*A principio terram tu fundaſti Domine, & opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & quaſi amictum inuolues eos, & mutabuntur*, inquit, *In hoc perſpicuè demonſtratur, perditionem & interitum, non abolitionem in nihilum, ſed commutationem ſonare in melius: neque enim illud, quod in alio loco ſcriptum eſt: Luna fulgebit vt Sol, & Sol ſeptuplum lumen accipiet, interitum ſignificat priſtinorũ, ſed commutationem in melius: quod vt poſſit intelligi, noſtræ conditionis ponamus exempla. Infans cum in puerum creuerit, & puer in iuuenẽ, & iuuenis in virum, & vir in ſenem, nequaquam per ſingulas ætates perit: idem enim eſt qui prius fuit: ſed paulatim immutatur, & ætati priſtinæ periiſſe dicitur. Quod intelligens & Paulus Apoſtolus, loquebatur: præterit enim figura huius mundi. Conſideremus quid dixerit: figura præterit, non ſubſtantia.* Idem docet S. Auguſtinus, & vterque Cyrillus Hieroſolymitanus videlicet, & Alexandrinus, Eutimius, & Iſidorus Hiſpalenſis. *Elementa*, inquiens, *ideſt, cælum & terram, non credamus abolenda per ignem: ſed in melius commutanda: figuram autem mundi, ideſt, imaginem, non ſubſtantiam tranſituram.* Idem confirmant S. Anſelmus & Haymo ad caput ſeptimum prioris epiſtolæ ad Corinthios, & omnes Theologi cum Magiſtro in 4. diſt. 47. Sed tunc inſurgit difficultas: ad quid innouatio mundi, cælum nouum, & terra noua, ſi nullus hominũ propter quos hæc ſublunaria creata ſunt, inhabitaturus eſt terram? Hanc difficultatẽ ſe diſſoluere arbitratur Ambroſius Catherinus, dicens. *Idcirco congruentiſſimè creditur à multis, eos, qui peccato proprio non merebuntur infernum, nec tamen Chriſto recepti fuerint per gratiã (quales pueri, abſque baptiſmo decedentes) hanc nouam multo pulchriorem terrã puram ab omni inquinamento, & corruptione poſſeſſuros, vbi perpetuo laudabunt Dominum Deum.* Quam ſententiam quidam modernus Theologus ita defendit, vt de paruulis abſque regenerationis lauacro decedentibus affirmet, *quod poſt diem Iudicij, cũ ipſorum animæ ſuis fuerint corporibus reſtitutæ, ab omnibus moleſtijs, & ærumnis, quibus in hac mortali vita ſubiacemus, ſupernaturaliter liberabũtur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem, & in perpetuas æternitates ducent, quam vllus vmquam mortalium duxerit.* Sed hanc ſententiam omnino reijcit ſanctus Auguſtinus. Scribens enim contra Pelagium, qui extra cælũ, paruulis ſine baptiſmate decedentibus vitam

1. Cor. 7

Aug. li. 20. de Ciuit. Dei c. 24.

Cyrillus Hieroſol. Catheche. 15.

Cyrillus Alex. in illud, quia cæli ſicut fumus, &c.

Eutim. ſuper Pſ 101

Iſidorus de doctrina, & fide. c. 36.

Ambr. Catherin ad c. 3. Epiſt. 1. D. Petri.

Molina. 1. p. q. 23. ar. 4. 5. diſp. 1 mem. 9. in princ.

Aug. lib. 1 cõtra duas epiſtolas Pelagianorum. c. 22. tom. 7.

tam quamdam concedebāt beatam, ſic ait. *Gratiam Chriſti, inquiunt,*

Paruuli decedentes ſine baptiſmate non habebunt poſt iudicium vitā felicem.

*omnibus neceſſariam, & maioribus, & paruulis confitemur, & eos qui dicunt de duobus baptizatis natum nō debere baptizari, anathematizamus. Nouimus quomodo non ſecundum Paulum Apoſtolum, ſed ſecundum Pelagium hæreticū iſta dicatis, paruulis videlicet baptiſmum neceſſarium, non propter remiſsionem peccatorum, ſed tantummodo propter regnum cælorum. Datis enim eis extra regnum Dei locum ſalutis, & vitæ æternæ, etiamſi non fuerint baptizati. Nec attenditis quod ſcriptum*

Matth. 19.

*eſt, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui autem noc crediderit, condemnabitur. Propter quod in Eccleſia Saluatoris per alios paruuli credunt, ſicut ex alijs ea, quæ illis in baptiſmo remittuntur, peccata traxerunt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non poſſe, qui fuerint expertes corporis, & ſanguinis Chriſti, dicente ipſo.*

Ioan. 6.

*Niſi manducaueritis carnē meam, & bibetis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Aut ſi Euangelicis vocibus cogimini cōfiteri, nec vitam ſalutemque poſſe habere paruulos de corpore exeuntes, niſi fuerint baptizati, quærite cur compellantur non baptizati ſecūdæ mortis ſubire ſupplicium, iudicante illo, qui neminem damnat immeritum, & inuenietis, quod non vultis, originale peccatum.* Ex quibus verbis S. Doctor concludit, quod ſi paruuli non baptizati extra regnum cælorum felicem habent, & beatam vitam, non erunt in morte, atque adeo peccatū originale non habebunt; quod tamen aſſerere Fides Catholica prohibet. Igitur innouatio mundi, quæ iam cōmemorata eſt, ad perfectionē & pulchritudinem deſeruiet vniuerſi, aut etiam, vt glorificatis electorum congruet corporibus. *Talia quippe*, vt Auguſtinus ait, *illis inerunt corpora, vt illic ſint, vbi eſſe voluerint.* Vnde Anſelmus. *Tunc*, inquit, *figura*

Aug. li. 20. de Ciuitate Dei. ca. 18.

Anſel. ad cap 7. prioris epiſt. ad Cor.

*mundi quotidie ſeneſcentis perfecte præteribit, quando conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipſa mundi ſubſtantia qualitates habere incipiet, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione cōueniāt, vt ſcilicet mundus in melius innouatus, apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.* Quę verba ex ſancto Auguſtino lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 16. mutuatus eſt.

14 *Quia ecce creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium: & exultabo Hieruſalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea vltra vox fletus, & vox clamoris.* Ex his verbis conſtat, in præcedenti verſiculo, ſermonem eſſe de Eccleſia triumphāte, in qua, ſicut Ioannes ait: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorū, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt.* Appellat autem ipſam ciuitatem Hieruſalem, *exultationem, & populum eius gaudium*, quia omnia in illa beatitudine erunt gaudio, & exultatione plena, ſicut ſcriptum eſt. *Bibent gaudium, bibent lætitiam.* Et iterum. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.* Et rurſus. *Gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Iuxta quod non diuitibus, non epulantibus, non ludētibus, non ſaltantibus, aut alijs bonis temporalibus fruentibus, gloriā beatorum, ſed lætantium omnium gau-

Apoc. 21 b

Beatorum fœlicitas.

Iſai. 25. iux. 70.

Iſai. 35. d

Iſai. 51. a

dio



dio Pſalmographus cōtulit, ait enim.

Pſal. 86

*Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Vbi Auguſtinus. *Quo modo potuit, dixit lingua humana, tamquam iucundatorum omnium habitatio in te. Quid eſt tamquam? Quare tamquam? Quia talis ibi erit iucunditas, qualem hic non nouimus. Video hic multas iucūditates, & multi gaudent in ſæculo, alij hinc, alij inde, & non eſt quod illi gaudio comparent; ſed tamquam iucunditas erit: nam ſi dicat, iucunditas incipit homini occurrere, talis iucunditas, qualem ſolet habere in poculis, in prandijs, in auaritia, in honoribus ſæculi; extollūtur enim homines, & lætitia quadā inſaniunt; ſed non eſt gaudere impijs, dicit Dominus. Eſt enim iucunditas quædam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. tamquā iucundatorū omniū habitatio in te. ad aliud gaudium nos paremus, quia & hic tamquam ſimile inuenimus.* Quod autem ait, *& exultabo in Hieruſalem, &c.* magnum deſignat affectū amoris, quo Deus homines proſequitur. Tunc enim exultare, & gaudere dicitur, cum nos exultantes, & gaudentes facit; gaudium enim hominis, proprium reputat, vt ſuperius dictū eſt. Reliqua verba eadem ſunt, & eundē habent ſenſum cum illis, quæ ex cap. 21. Apocalip. adduximus.

Aug. ſup. Pſal. 86. to. 8.

Beatitudo lætātium omnium gaudio cōfertur. *

1. Cor. 11.

Sup. cap. 55. nu. 16.

15 *Non erit ibi amplius infans dierum, & ſenex qui nō impleat dies ſuos. Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Hæc verba duplicem habent ſenſum, primus eſt. In cæleſti patria nulla erit ætatū diuerſitas, non erit diſtinctio pueri, & ſenis, nullus præ ſenectute deficiet, nullus tamquam puer indigebit lacte, vt ad perfectam perducatur ætatem. Sed omnes cum ſurrexerint florebunt, *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, omnes erunt viri perfecti. Ita explicat Hieronymus, *illud*, inquiens, *quod in Apocalypſi Ioannis legimus, poſt reſurrectionem exhiberi præſentiæ Iudicis paruos, & magnos, non ætatum, ſed meritorum ſignificat differentias.* Hac phraſi ſatis indicat Iſaias immortalitatē Beatorum, & vitam eorum æternam; non enim erit ibi aliqua viciſſitudo, nulla reperietur annorum ſucceſſio, ſed omnes in eodem ſtatu permanebunt. Secundo explicatur de ætate, quatenus importat non materialem annorum numerum, ſed meritorum cumulum, & perfectionem. Ad cuius intelligentiam eſt obſeruandum, quod electi quantumuis in puerili, atque immatura ætate rapiantur, ſemper tamen in Scripturis ſacris implere dicuntur dies ſuos. *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Quapropter illi qui pleni bonis operibus moriuntur, non in puerili ætate, ſed in ſenectute bona, aut ætate perfecta decedere putandi ſunt, ſicut ſcriptum eſt. *Conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Hinc de Abraham legimus, quod *mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierū.* Quod propter plenitudinem meritorum potiſſime dictum eſt. Reprobi autem quantumuis ad dies Mathuſalem pertingant, pueri nihilominus reputantur: vnde & ſcriptum eſt. *Viri ſanguinum, & doloſi nō dimidiabunt dies ſuos*, hoc eſt, ad plenitudinem illam non peruenięt, in qua electi rapiuntur, ſed neque ad medietatem quidem. Senſus ergo Iſaiæ planus eſt: In cæleſti beatitudine nullus

Puer centum annorum quis dicatur.

Epheſ 4 c

Apoc. 20 d

Canities hominis eſt vita immaculata.

Sap. 4. b

Ibi l. c

Gen. 25. a

Moriūtur Iuſti pleni dierū, non autem peccatores.

Pſal. 54

 erit

erit infans, aut ſenex, qui non impleat dies ſuos, hoc eſt, omnes ad plenitudinem gloriæ peruenient, ad quam prædeſtinati ſunt à Deo, & plenitudinem meritorum illi proportionatam reportabunt. Peruerſi ſuas implent iniquitates, cum numerum peccatorum, quæ Deus ſtatuit permittere, attingunt. Vnde & de quibuſdam

*Gen.* 15. *d*

ſcriptum eſt, *Non ſunt completæ iniquitates Amorrhæorum.* Iuſti autem implent dies ſuos, cum merita, per quæ conſequuturi ſunt vitam æternã, expleuerint. Sequitur *quoniam puer, &c.*

Puer centũ annorum quis dicatur.

Puer centum annorum ille eſt, qui cum ad ſenectã peruenerit, puerilibus tamen ſemper inheret, & praua conſuetudine peccandi conſeneſcit. Peccator centum annorum eſt, qui per annos centum, hoc eſt per multos annos in ſuis peccatis perſeuerat. Talis nimirum morietur in æternum, & maledictus erit, illa videlicet maledictione terribili, quam iratus Dominus aduerſus impios in

*Matt.* 25.

iudicio proferet: *Ite maledicti in ignem æternum.* Sic explicat iſtum

Greg. 17. moral c. 4

locum Sanctus Gregorius, dicens. *Vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur: ſed ſi à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compeſcitur, hæc ipſa vitæ longinquitas, quam per miſericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis creſcit. Vnde neceſſe eſt, vt cum nos diutius expectari conſpicimus ipſa prorogata pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia Iudicis creſcat ſupplicium peccatoris: & vnde quiſque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat.* Hinc oritur difficultas, qualiter verbis Prophetæ verba cohæreant Apoſtoli di-

1. *Tim.* 4 *a*

centis, *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem.* Si ſenior obſecrandus eſt, non increpandus, quomodo Iſaias tàm dura increpatione aduerſus Senes centum annorum inuehitur? Hanc difficultatem idem ſanctus Gregorius, qua ſolet profunditate ſcribens ad Ianuarium, diſſoluit. ait enim.

Senes quãdo ſint increpandi.

Greg. l. 7 Epiſtolarũ indictione 1. epiſt. 1.

*Prædicator omnipotentis Domini Apoſtolus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc obſeruanda eſt, cum culpa ſenioris exẽplo ſuo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem ſenior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtricta increpatione feriendus. Nam ſcriptum eſt: Laqueus iuuenum omnes vos. Et rurſus Propheta dicit: Et puer centum annorum maledictus eſt. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua ſenectute peruenit, vt eam, niſi adhuc humanitus penſaremus, fixa iam maledictione feriremus.*

16 *Et ædificabunt domos, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earum. Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet.* In præſenti ſæculo domos ædificamus ſpirituales, quas conſtruimus virtutibus, fide videlicet, ſpe, & charitate, atque alijs pietatis operibus, propter quod Apoſtolus ait.

1. *Cor.* 3. *b*

*Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis, Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.* Vineas plantamus, cum variarum virtutum vi-





tes in corde ſtatuimus, in patria autem ædificatas domos pacifice inhabitabimus, & fructus vinearum comedemus, ſicut ſcriptum eſt.

*Pſ.* 127.

*Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.* Vnde & electis ſuis dicet Dominus.

*Cant.* 5.

*Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Senſus ergo huius loci eſt. Ipſi, qui ædificauerint domos, inhabitabunt eas in ęternum, non alieni, non extranei: & qui plantauerint vineas, fructum earum comedent; alij autem eijcientur foras, & famem, ac ſitim patientur in æternũ,

*Pſal.* 10

*pluet ſuper eos laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum:* Nec mirum quia nullam ſibi ædificauerunt domum, qua ab his protegerentur, & defenderentur periculis. Conſonat hæc explicatio cum verbis illis, quæ prædixerat ſupra.

*Iſai.* 62. *c*

*Iurauit Dominus in dextera ſua: & in brachio fortitudinis ſuæ. Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: & ſi biberint filij alieni vinũ tuum in quo laboraſti. Quia qui congregant illud comedent, & laudabũt Dominũ: & qui cõportant illud, bibẽt in atrijs ſanctis meis,* vt ex his quę diximus c. 62. n. 10. manifeſte conſtat.

17 *Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabũt electi mei.* Explicat Iſaias diuturnitatem vitæ beatæ: electi namque in ſempiternũ

Beatitudo durabit in æternum.

viuent, quod ex analogia ad lignum vitæ poſitum in Paradiſo voluptatis declarat, ac ſi diceret. Sicut homo in ſtatu illo feliciſſimo, eſu ligni vitæ, vitam duxiſſet immortalem, ita & electi mei viuent in æternum eſu diuinæ ſapientiæ, de qua Salomon

*Prou.* 3.

ait. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam, beati.* Sic explicat ſanctus Auguſtinus, & Hieronymus, quorum explicatio cõſonat tranſlationi ſeptuaginta interpretum, quæ ſic habet:

Aug li. 20. de Ciuit. Dei. c. 26.

Hieron.

*ſecundum enim dies ligni vitæ, erunt dies populi mei.* Conſonat & tranſlationi Chaldaicæ eodem modo vertenti. Vel ſecundum alios loquitur, ſumpta ſimilitudine ad arbores, quæ in ſiluis poſitæ, ad quingentos annos durare dicuntur. In ædificijs verò multo diuturniori tẽpore perſiſtunt. Quod autem ſubditur, *& opera manuum eorum inueterabunt electi mei,* id ipſum ſignificat, videlicet, diu durabunt fructus illi, quos ex vinea ſua electi colligent: non enim deficient in æternum. Phraſis ſatis communis eſt in Scriptura, qua veteraſcere idẽ ſignificat, quod durare in æternum, ſumpta ſimilitudine à re vetuſta, quæ longo tempore durauit. *Opera* ergo, ideſt fructus operum *manuũ eorum inueterabunt electis meis.* & eiuſdem lectionis meminit Haymo. Alij, inter quos eſt Adamus Sasbout, legunt, *& opera manuum eorum inueterabunt.* facientes hic finem, & poſtea ſubdunt. *Electi mei non laborarunt fruſtra:* quæ lectio habetur in magnis biblijs Colinei, anno Domini 1541. & apud ſeptuaginta interpretes in exemplaribus Græcis, quæ circumferuntur. Sed in editione vulgata, cui ſtandum eſt, legitur, *& opera manuum eorum inueterabunt electi mei.*

18 *Non laborabunt fruſtra, neque generabunt in conturbatione: quia ſemen benedictorũ Domini eſt, & nepotes eorum cum eis.* Significat his verbis, mercedem magnam eſſe reſeruatam electis, quod ſanctus Paulus his verbis explicuit.

1. *Cor.* 15.

*Scientes, quod labor noſter non eſt inanis in Domino.* Quod enim Iſaias dicit: *non laborabunt fruſtra,* hoc Paulus de-

Labor impiorũ inanis eſt, non labor iuſtorum.

clarat dicens, *Labor noſter non eſt inanis*. Inanis eſt labor impiorum, quoniam fruſtra laborant in via iniquitatis. quærentes enim felicitatem in ſummam incidunt miſeriam, iuxta quod Salomon ait.

Eccls. 2. d

*Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole*.

Ibid. a

Et iterum. *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Fruſtra ſudant qui lætantur in via iniquitatis, & ambulant vias difficiles: quærunt enim requiem animæ ſuæ, & non inueniunt. Electi autem non laborant fruſtra, quoniam mercedem ſuorũ laborum accipient, & requiem, quam quærebant, inuenient. nec ſolum ipſi, ſed filij etiam, & nepotes eorum, labores manuum ſuarum manducabũt: ſubditur enim. *Neque generabunt in conturbatione*; hoc eſt, non generabunt filios turbationis, aut perditionis, ſed filios pacis, ſemen benedictorum. Sic Paulus per Euangelium multos filios pacis genuit Chriſto, ipſo atteſtante.

1. Cor. 4 c

*Nã in Chriſto Ieſu per Euangelium meũ ego vos genui*. Qui ſecundum carnẽ generant, in conturbatione generãt: quoniam in educanda prole conturbationes patiuntur, & moleſtias quãplurimas. Qui autem generant ſecundum ſpiritum, ſine conturbatione generant, quoniam pace fruũtur Spiritus ſancti, & gaudio. Quidam expoſitores hæc ad generationem referunt bonorum operum, ita vt ſenſus ſit. *Non generabunt in conturbatione*, ideſt feſtinanter, & celeriter, ſed quidquid aggredientur, cum cõſilio, maturitate, & iudicio efficient, *quia ſemen benedictorum Domini eſt*, ideſt, quia electi mei ſunt noua creatura: quia, *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*.

Ioan. 1.

*Et nepotes eorum cum eis*; ideſt, non ſolum ipſi hæc facient, hæcquè poſſidebunt bona, ſed & filij, & nepotes eorum in ſecundam, & tertiam generationem, ſicut dicitur in Pſalmo. *Generatio, & Generatio laudabit opera tua, & potentiã tuam pronunciabũt.*

Pſ. 144.

Orationes Iuſtorum ſtatim exaudiũtur.

19 *Eritq; antequam clament, ego exaudiam. adhuc illis loquentibus, ego audiam*. Aliud priuilegium concedit iuſtis: pollicetur enim ſe illico exauditurum orationes eorum. cui conſonat illud Euangelij. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit*. Clamare eſt ardenti, & veraci deſiderio Deum orare; non ergo differetur oratio ſic clamantiũ: adhuc enim in corde erit votum, & clamor vocis nondum ad os perueniet, & iam exauditum erit vtrumque, Pſalmiſta atteſtante. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationes cordis eorum audiuit auris tua*.

Pſ. 9. g

De quo latius dictum eſt cap. 30. nu. 24. vbi explicata ſunt alia conſimilia verba Iſaiæ dicentis. *Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpõdebit tibi*, & eodem cap. a. n. 15. vſque ad 28. quatuor expendimus rationes, propter quas prouida diſpẽſatione Deus aliquando, quæ iuſti petunt, differt concedere.

20 *Lupus & agnus paſcentur ſimul: & leo, & bos comedent paleas: & ſerpenti puluis panis eius. Non nocebunt, neque occidet in omni monte ſancto meo, dicit Dominus*. Exprimit ſub metaphora iſtorum animalium ſummam concordiam & pacem Regni Chriſti. Mirabile quippe eſt,

Pax inter fideles quãta ſit.

& di-



& diuinæ virtuti attribuẽdum, quod in tantam concordiam conuenerint Gẽtes, & Iudæi in Eccleſia, qui prius inter ſe capitalibus odijs diſſidebãt: ita vt Samaritana Chriſto Domino petenti, *da mihi bibere*, reſponderit.

Ioan. 4.

*Quomodo tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Sicut ergo mirum eſſet, quod lupus & agnus paſcantur ſimul, & leo & bos pacifice in eodem præſepio paleas comedãt, ita eſt admiratione dignum, quod in vno Chriſti ouili gentes & Iudæi eodem cibo veſcantur, & pacifice conuerſentur.

Samaritani inimici erant Iudæorum.

Hic locus ſatis diffuſe explicatus eſt ſupra cap. 11. nu. 11. 12. & 13. Vbi hæc fere eadem verba prædixerat Iſaias, his dumtaxat exceptis. *Et ſerpenti puluis panis eius*. quibus ſignificatur, non electis, ſed reprobis ſerpentem tortuoſum, ideſt diabolum nociturũ: puluis enim, ideſt peccatores, qui ſũt *tamquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ*, erunt panis, ideſt cibus eius, ſerpentis videlicet: reprobos enim abſorbebit, electis nocere non poterit, ſicut de ouibus ſuis Veritas ait.

Pſal. 1.

*Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquã de manu mea*.

Ioan. 10

Olim dictum eſt ſerpẽti: *ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, modo Iſaias ait: *Serpenti puluis panis eius*. Graditur ſuper pectus ſuum, & reptat ſuper terram, ne aſcendentes in altum, & cæleſtia quærentes inficere poſſit. Terram comedit, & puluere veſcitur, ſed hanc terram Dominus, qui dixit diſcipulis ſuis; *Vos eſtis ſal terræ*, in ſalẽ conuertit, vt terra ipſa, quæ olim erat cibus, venenum eſſet ſerpenti.

Gen. 3.

Matt. 5

Sal Agrigẽtinum in ignẽ fluit, & in aqua crepitat.

Hinc de ſale Agrigentino, de quo Auguſtinus ait, quod in igne fluit, & in aqua crepitat, referunt aliqui, quod ſuper terram cuiuſdam inſulæ, quæ abundabat ſerpentibus, ſparſum omnes ſerpentes necauit. Quid ergo mirum, quod terra in ſalem verbo Domini immutata, ſerpentem antiquum occidat.

Auguſt. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 5 to. 5

Vnde Chryſoſtomus explicans illud. *Dominus regnauit, exultet terra*. *Iam ego*, inquit, *non timeo; Terra es, & in terram reuerteris. In baptiſmate enim depoſui terram, & cælum indui: & nunc audio, Cælum es, & in cælum aſcendes. Dominus ergo regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Non iam ſub terra iaceo, non iam in abſtruſis, & ſilentibus, tenebroſiſque diaboli ſpecubus, & labyrinthis in inferno detineor. Meum eſt poſt hac nubes tranſcendere, & propter regnantem Chriſti gratiam ſurſum in cælum currere*. Cuius rei teſtimonium non deeſt. *Rapiemur in nubibus*, inquit *Paulus, in occurſum Domini, ſicque ſemper cum Domino erimus. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Non iam Heua timet Adam approbantem, nam in maribus eius ruina reparata eſt. Non iam timeo ſerpentem aliorſum caput inclinantem, ſuperque ventrem euntem, ac calcaneum obſeruantem. Non iam timeo ictum virulentum: non enim ſum vltra terra, ſed ſal: ſerpenti enim dicit Dominus maledicturus: Terram comedes iuxta dies vitæ tuæ. Ante Chriſti aduentum terra eram, comedebar à ſerpente: Vbi autem venit Dominus, in ſalẽ me mutauit. Diſce dilecte, quomodo ſal fit: vt cum didiceris quomodo fiat, te ipſum in re illa agnoſcas. Sal ex aqua fit, & vento. Sal merito appellauit nos Dominus: quoniam ex aqua & Spiritu regenerauit*. Cum ergo hæc ita ſint, optime nunc dicit Iſaias, *non nocebunt*,

Chryſoſt. ſuper Pſal. 96 to. 1.

Gen. 3.

1. Theſſ. 4. d

Sal necat ſerpentes.

Gen. 3. c

bunt,

*bunt,* ſcilicet ſerpentes, *neque occidẽt* electos *in omni mõte ſancto meo,* vt eorum nutriantur interitu, quoniã ſal Euangelicæ prædicationis inuenient ſparſum in ſuam perditionem. vel ſic, *non nocebunt, &c.* ideſt, in
Iſai. 2. omni Eccleſia mea, quam ſuperius contulit monti, non nocebunt, neque occident, quia nullus aduerſus alium inſurget, ſed perpetuam inter ſe concordiam ſeruabunt, & pacem, iuxta illud, quod idem Propheta prædixerat, *& conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Nõ leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad prœliũ.* Iſai. 2. Cõfirmat autem hæc omnia Dei ſubſcriptione, ſubiungens, *dicit Dominus,* vt omnes fidem oraculo adhibeant Prophetæ, ſcientes, quoniam qui hæc dixit, potens eſt, & facere. Ipſi gloria in ſæcula ſempiterna.

# CAPVT LXVI.

1. HAEC dicit Dominus: Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta Domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta, dicit Dominus. 2. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? 3. Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui bene dicat idolo. 4. Hæc omnia elegerunt in vijs ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt. 5. Vnde & ego eligam illuſiones eorum: & quæ timebant, adducam eis: quia vocaui, & non erat qui reſponderet: locutus ſum, & non audierunt: feceruntquè malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt. 6. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres veſtri odientes vos, & abijcientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra; ipſi autem confundentur. 7. Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis. 8. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum. 9. Quis audiuit vmquam tale? & quis vidit huic





huic ſimile? numquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul, quia parturiuit & peperit Sion filios ſuos? 10. Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? ſi ego, qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus? 11. Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam, vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. 12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam ſugetis: 13. ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. 14. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Hieruſalẽ conſolabimini. 15. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſeruis eius, & indignabitur inimicis ſuis. 16. Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino, 17. Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt ianuam intrinſecus, qui comedebant carnem ſuillam, & abominationem & murem: ſimul conſumentur, dicit Dominus. 18. Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum: venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam. 19. Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſaluati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam: in Italiam & Græciam, ad inſulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. 20. Et annunciabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem ſanctum meũ Ieruſalẽ, dicit Dominus, quomodo ſi inferant filij Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini. 21. Et aſſumam ex eis in ſacerdotes, & leuitas, dicit Dominus. Quia ſicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. 22. Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato: 23. veniet omnis caro vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. 24. Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me: 25. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: 26. & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.

# SVMMA CAPITIS.

*IN hoc vltimo capite (vt finis principio reſpondeat) conatur Iſaias, Iudæos à carnali amore templi, & nimio ſtudio, atque obſeruantia religionis Moſaicæ auertere, vt ad amorem Chriſti, & legis Euangelicæ, in quibus vera ſalus conſiſtit, eos inducat. Hoc ipſum in capite primo huius prophetiæ præmiſerat, infirmitatem legalium oſtendens, quæ non poterant à peccato animam interius emundare. Igitur in ipſo initio huius capitis oſtendit templum illud Hieroſolymis fundatum domum eſſe paruam Dei magnitudini.*

*Secundò, conſequenter denunciat, non holocauſtorũ, aut victimarum multitudine, ſed vera humilitate cordis, & ſpiritus contritione Deum placari. Verſiculo*, ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum? &c.

*Tertiò. Idipſum exemplo declarat, ſermonem ad Apoſtolos, & paruas reliquias, quæ ex Iudæis in Chriſtum crediderunt, conuertens, & ſpiritualium multitudinem filiorum, & alia bona quam plurima illis repromittens, quoniam ad verbum Domini tremebant. Verſiculo*. Audite verbum Domini, qui tremitis, &c.

*Quarto. Vniuerſos fideles inuitat, vt cum Eccleſia Catholica tot filios generanti collætentur. Verſiculo*: Lætamini cum Hieruſalem, &c.

*Quintò. Transfert ſermonem ad explicandam iram Dei, qua in die Iudicij omnibus reprobis ſuorum delictorum pœnam inferet condignam. Verſiculo*: Quia ecce Dominus in igne veniet.

Aug. li. 20. de Ciuit. Dei. c. 21. *Denique gloriam electorum, & reproborum ſortem infelicem, currenti calamo deſcribit, terminum in eo (vt Auguſtinus dicit) ſuæ imponens prophetiæ, ad quod terminabitur ſæculum. Verſiculo*: Quia ecce Dominus in igne veniet, &c.

COM-



# COMMENTARIVM.

1. *HAEC dicit Dominus: Cælũ ſedes mea: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quæ iſta domus quam ædificabitis mihi: & quis iſte locus requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit: & facta ſunt vniuerſa iſta, dicit Dominus.* Pollicitus fuerat in capite præcedenti, ſe non damnaturum iuſtum cum impijs, ſed opera eius bona acceptaturum: nunc conſequenter docet, quæ ſint opera bona Deo grata, & quibus ſacrificijs delectetur. Non enim ad templum materiale reſpicit, ſi fides deſit, & interior cultus, nec hoſtijs corporalibus placatur. Non hæc à nobis requirit, ſed ſpiritum contritum, & humiliatum. Vnde Chriſtus Dominus ad Samaritanam dixit. Ioan. 4. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate: nam & pater tales quærit, qui adorent eũ. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Nec tamen per hoc intelligas, Deum templũ materiale, quod exſtruẽdum iuſſerat velle reſpuere, ſed vult, vt vere in eo ſanctificetur nomen eius, & ibi conueniant omnes ad laudandum eum. Alioquin ſi ſolo templo ſine cultu Dei contenti ſumus, digni erimus, qui à Domino abijciamur. Non ergo ſatis eſt ſecundum ſpeciem bene operari, aut Deum colere, ſicut hypocritę faciũt, qui volunt videri iuſti, & cultores Dei, ſed eſſe iuſti, & veri adoratores nolunt. Hoc vitium obijcit nunc Iudæis. Confidebant enim in templis deauratis, ac proprijs expenſis fabricatis, confidebant in ſacrificijs, & holocauſtis externis, neglecta miſericordia, & fide, ac vera pietate. Templum materiale, abſque ſpirituali cultu non placet Deo. Quibus Dominus reſpondet, quodcumque templum manu factum, anguſtum eſſe locum maieſtati ſuæ. Cum enim cælum & terram ipſe impleat, quomodo poterit vnius templi ſpatio contineri? Hinc Apoſtolus ad iſtum locum Iſaiæ alludens, ait. *Deus qui fecit mũdum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit Dominus, non in manu factis tēplis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationē, & omnia.* Act. 17. f Hinc & ſanctus Stephanus ſuam Hypocriſim, & impietatem Iudæis exprobrãs, hunc eundem locum Iſaiæ allegauit; *David*, inquiens, *inuenit gratiam ante Deum, & petijt, vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem ædificauit illi domum. Sed excelſus non in manu factis habitat, ſicut per Prophetam dicit. Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domũ ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ eſt? Nõne manus mea fecit hæc omnia? Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos* Act. 7. f

ſem-

*ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut patres veſtri, ita & vos.* Hinc & Salomon in oratione ſua Dei magnitudinem admirans, ait: *Ergone putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poßunt: quanto magis domus hæc, quam ædificaui tibi? Sed reſpice ad orationem ſerui tui, & ad preces eius, Domine Deus meus.* Incorporeus enim eſt Deus, & nullo poteſt contineri loco. Intra & extra, circa, ſupra, & infra omnia eſt. & quamuis Deus ſit vbique; cælum tamen appellat ſedem eius, eo quod eius gloria magis in cælis appareat, vbi maieſtatem ſuam clare oſtendit electis, propter quod in oratione Dominica dicitur. *Pater noſter, qui es in cælis, &c.* Terra autẽ dicitur ſcabellum pedum eius, quia inter omnia creata infimum obtinet locum. Hæc ſpiritualiter intelligenda ſunt: Deus enim corpus non habet vt ſedeat, nec pedes vt ſuper terram eos conſtituat. Nihil ergo aliud hac phraſi loquendi ſignificat, niſi quod cælum, & terrã ipſe impleat, ac naturam incomprehenſibilem habeat, vt Athanaſius explicat, & Hilarius. In altiori autem ſenſu, per cælum poteris cum Auguſtino animam iuſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ, aut ſanctorũ Angelorum mentes intelligere, in quibus Deus per gratiam & gloriam ſpeciali quadam ratione inhabitat: per terram autem humanitatẽ Chriſti: hæc enim ſcabellum eſt pedum Altiſſimi, de qua per Pſalmiſtã dicitur. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt,* nõ enim iubet nos terram iſtam, quam pedibus calcamus, adorare, cum ſcriptum ſit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies,* ſed Chriſtum Dominum. Sic explicat ſanctus Auguſtinus. *Suſcepit,* inquit, *de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: inuentũ eſt, quẽadmodũ adoremus, vt tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

3. Reg. 8

Vbique præſẽs eſt Deus.

Terra ſcabellum eſt pedũ Dei.

Athan. lib. de vnitate & ſempiterna ſubſtantia Trinitatis.

Hilarius lib. 4. de Trinitate. Aug ſuper Pſalm 98. paulo poſt principiũ to 8. & epiſt. 222. tom. 2.

Pſal. 98

Deut. 6.

Matt. 4

Scabellum pedũ Dei eſt humanitas Chriſti.

Aug ſuper eundẽ Pſ. circa med. tom. 8.

2. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Sanctus Gregorius iuxta vetuſtam tranſlationem ſic dicit eſſe legẽdum. *Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Et ita vertunt ſeptuaginta. Quibus verbis ſignificari docet ab iracundis Spiritum ſanctum radium ſuæ cognitionis abſcondere, & ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones eius libenter quieſcere. Vnde Ambroſius. *Eſto,* inquit, *humilis & quietus, vt in tuo Deus requieſcat affectu, qui non dicitur requieſcere in beſtijs, nec requieſcit in pectore beſtiali. Non requieſcit in his de quibus Dominus ait: Veniunt ad vos in veſtitu ouiũ, & intus ſunt lupi rapaces.* Vnde & de Chriſto Domino, qui humilis ſuper omnes fuit, & quietus, ſuperius dixerat: *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, &c.* Quod ibidem num. 4. explicatum eſt. Quietum ergo illum vocat, qui à peccatis quieſcit iuxta illud, quod dixerat ſupra, *quieſcite agere peruerſe,* qui & Sabbatum delicatum agere non renuit. Nam propria voluntate euacuatos ſua gratia viſitare, & conſolare dignatur. Iuxta editionem vulgatam idipſum ſignificatur. Per pauperculum, pau-

Gregor 5. moral 30. Spirit' ſanctus ſuper humiles, non ſuper iracundos quieſcit.*

Ambr. lib. 6 exam. c. 8

Mat. 7.

Iſai. 11.

Iſai. 1.





peres illos intelligit, qui in Scriptura laudantur, cum dicitur. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* de quibus plura ſuperius dicta ſunt. Contritos ſpiritu eos dicit, qui ita dolent pro peccatis ſuis, vt præ afflictione ſpiritus cor ſuum conterant, & in minutiſſimas partes diuidere cenſeantur, opere adimplentes illud præceptum. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* De his namque ſcriptum eſt *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Addens autem, & trementem ſermones meos, ſignificare voluit, quam grata ſit Spiritui ſancto anima iuſti timens, & tremens ſeparari ab eo. Iſtum affectum ſpecialiter cauſat in electis ſuis Spiritus ſanctus: propter quod, cum ſimpliciter de alijs donis eius in Chriſto quieſcentibus, dixiſſet ſuperius. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, &c.* ad timorem Domini perueniens ſtylum mutat, & ait. *Et replebit eum ſpiritu timoris Domini.* Spiritus ſapientiæ requieſcit ſuper Chriſtum, ſed ſpiritus timoris Domini replet illum. Vide quæ de hoc timore notauimus. cap. 8. nu. 22. & cap. 11. nu. 6.

Mat. 5.

Supra cap. 32. nu. 3. cap. 49. nu. 13 ca. 52. num 5.

Ioel 2.

Pſ. 50.

Timor cõmendatur

Iſai. 11.

3 *Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* Quaſi dicat, non ſolum veſtris ſacrificijs non placor, ſed magis ac magis exaſperor. Confert homicidio ſacrificium Iudæorum, quoniam vtrumque ex eodem crudelitatis fonte procedebat. De ſubſtantia enim pauperum Deo victimas offerebant. quod, vt ſuperius oſtendimus, deteſtabatur Altiſſimus. Canem offerre erat in lege prohibitum, quoniam animal eſt immundum, & abominabile coram Deo, eo quod ſanguine ſe oblectet, in quo nimirum ſymbolum eſt obtrectatorum, & calumniatorum. Porcus etiam immundus eſt, & in luto ſeipſum volutans, ac ſtercora vorans, in quo typum carnalium gerit, & epulonum, atque aliorum, ante quos non ſunt margaritæ mittendæ. Sicut ergo offerre Deo canem, aut ſanguinẽ ſuillum, execrabile erat, ita, inquit, execror veſtra ſacrificia, & oblationẽ thuris veſtri deteſtor, ſicut benedictionem, aut cultum idoli. Deus ergo præciſſa, & nuda ſacrificia fide, & charitate deſtituta, quibus interius colitur, non ſecus reijcit, quàm reijceret res quibus comparãtur immundas. Poſſunt etiam hæc referri à tempus legis Euãgelicæ, in quo, legalibus mortificatis, ſacrificia legis antiquæ offerre, abominabile eſt coram Deo, vt latiſſime ſupra oſtenſum eſt.

Porcus ſignificat carnales & epulones.

Sacrificiorum antiquorũ infirmitas.

Sup c. 1. à nu 35. vſque ad 43

4 *Hæc omnia elegerunt in vijs ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt. Vnde & ego eligam illuſiones eorum: & quæ timebant adducam eis.* Senſus eſt. Condignam pœnam Iudæis hypocritis retribuam, & in nudis ſacrificijs legis confidentibus. Irriſerunt me, & ludibrio habuerũt, & ego irridebo eos, & ſubſannabo: nam dabo eos in reprobum ſenſum, & quidquid timuerunt, inducam ſuper eos. Quod ad litteram videtur impletũ, cum à Romanis quadraginta annis poſt paſſionem Domini capti ſunt. Ipſi enim timentes, ne forte venirent Romani, & tollerent locum eorum & gentem, morti tradiderunt Chriſtum; & tamẽ quia occiderunt Chriſtum, venerunt Romani, & abſtulerunt locum eorum

Ioan. 11

*Iob.*

& gentem. Timuerunt pruinam, & irruit ſuper eos nix. Ipſi elegerunt peccata,& ego eligam eorum flagella. Ipſi delectati ſunt in abominationibus ſuis,& ego *conſolabor ſuper hoſtibus meis, vindicabor de inimicis meis.*

*Iſai.* 1.

5 *Quia vocaui, & nō erat qui reſponderet: locutus ſum,& non audierunt. feceruntque malum in oculis meis: & quæ nolui elegerunt.* Reddit cauſam propter quam tot malis vſque in hodiernum diem ſunt attriti Iudæi, quia videlicet venit Chriſtus, & vocauit eos ad ſe, & multis miraculis, atque innumeris eos præuenit beneficijs,& tamen reſpondere noluerunt,nec ſe ad Deum conuertere, ſed obdurati, & excæcati permanſerunt in oculis,atque in præſentia eius,Spiritui ſancto reſiſtentes,& ea quæ Deo non placebant eligentes. Loquitur autem Propheta in perſona Chriſti, Ego inquit, *vocaui, & non erat qui reſponderet,* &c. Vocat Dominus,& reſpondere non vult ſeruus, loquitur Dominus, & ſeruus irridet eū, quod inſignis impudentiæ eſt indicium. Ideo excuſationem non habent de

Vocationi Dei reſiſtētes puniūtur. *

*Ioan.* 15 *d*

peccato ſuo, ſicut Veritas ait: *Si nō veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis,quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt,& me,& Patrem meū.* Ideo & in direptionem traditi ſunt. Conſonant huic loco verba illa, quæ per

*Prou.* 1. *e*

Salomonem dicit. *Quia vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum: & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo: & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit.* Similem querelam aduerſus Iudæos incredulos iterum atque iterum propoſuerat ſupra,dicens. *Quia veni,& non erat vir,vocaui & non erat qui audiret.* Et rurſus. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Vt hinc diſcas,quàm obdurata fuerint eorum corda, quibus ſæpius repetita correctio nihil profuit. de quo lege ſupradicta cap. 1. nu. 23. 24. in illa verba, *ſuper quo percutiam vos vltra,addentes præuaricationem?*

*Iſai.* 50. *a*

*Iſai.* 65. *a*

6 *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius. Dixerunt fratres veſtri odiētes vos,& abijcientes propter nomen meum: Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra: ipſi autem confundentur.* Superius dixerat hoc eodem capite. *Ad quem autem reſpiciā,niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos:* nunc autem eiſdem veram conſolationem repromittit, & loquitur ad Apoſtolos & paruas reliquias,quę ex Iudæis crediderunt in Chriſtum:& mira conſolatione eos,qui humiles ſunt,& mundo exoſi atque deſpecti, erigit, quaſi dicat. Vos qui perſecutionem patimini propter Euangelium,non ſolum ab hoſtibus, & extraneis, ſed etiā ab amicis, & fratribus veſtris, qui aduerſus vos conſiſtunt propter nomen meum,vos abijcientes,& arbitrantes ſe obſequium in hoc præſtare Deo, vos ergo æquo animo eſtote,nā prope adeſt redemptio veſtra. *Dixerūt fratres veſtri, &c.* fratres Apoſtolorum fuerunt Iudæi, vtpote ex eodem genere nati. Vnde Paulus, *optabam,* inquit, *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto*

*Rom.* 9.



*pro fratribus meis,qui ſunt cognati mei ſecūdum carnem,* fratres erāt, ſed falſi fratres odientes Apoſtolos, & eos à ſe abijcientes,quia Chriſtum crucifixum prædicabant,& dicebant, veram lætitiam & gloriam in abnegatione rerum temporalium, & crucis Chriſti amore conſiſtere, qui virtute propria ſurrexit à mortuis,& diſcipulis ſuis glorioſus apparuit. Iſti fratres inquit, *dixerunt, per irriſionem, glorificetur Dominus,* ideſt, oſtendat ipſe Ieſus, qui ſe dicit filium Dei, & manifeſtet in publico gloriam ſuam, & videbimus in lætitia veſtra. Vos promittitis vobis magnos triūphos in Chriſto, videamus eos, vt in lætitia veſtra gloriam cognoſcamus, ac veneremur Chriſti veſtri. Conſimilia dixerunt Iudæi ad Chriſtum Dominum. *Quod ſignum,* inquiunt, *oſtendis nobis, vt videamus & credamus?* Cum ergo hæc & ſimilia dixerint vobis ò Apoſtoli,ne terreamini, *plorabitis* quidem *& flebitis vos, mundus autem gaudebit,vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium,* illi autem peribunt, vnde & ſubditur; *ipſi autem confundentur,* videlicet, cum a Romanis capti fuerint, vel cum dies Domini aduenerit, *qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Nec longe abeſt tempus confuſionis illorum, & conſolationis veſtræ, ſubditur enim.

*Ioan.* 16 *d*

1. *Cor.* 4. *a*

7 *Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis.* Ac ſi dicat. Prope eſt dies Domini, dies retributionis, in qua vicem hoſtibus ſuis retribuet Dominus. Ecce iam ſonat vox populi de ciuitate, ideſt, *iam auditur fremitus militaris obtinentis ciuitatem Hieruſalem. Nam radix vocis Hebreæ,quam noſter interpres vertit,populum,ſignificat fremere militaliter.* Ita explicat Adamus Sasbouth. Eandem explicationem non obſcure innuit Cyrillus.qui quaſi hoſtium deuaſtantium vrbem clamorem, & Iudæorum gemitus & lamenta hoc loco deſcribi aſſerit, quæ talia erunt, vt in vrbe, & in templo edita, à longinquis tamen locis audiantur. Poteſt etiam non inconuenienter explicari præſens locus, de triplici voce. Prima eſt vox populi ſuam plangentis ruinam. Secunda eſt vox de templo, Angelorum ad inuicem dicentium. Migremus hinc. Nam vt ſuperius diximus, hæc vox Angelorum in templo audita eſt, antequam euerteretur à Deo. Tertia eſt vox Domini, quæ virtutem eius deſignat ad ſuos debelandum inimicos. Quod ſi hæc ad diem Iudicij referantur, prima vox erit in Sole, & Luna, & Stellis: Nam ſignis præcedentibus,diem futurum annunciabūt Iudicij,& excidium plangent vniuerſi, vel ſi magis placet, prima vox erit *ſonitus maris, & fluctuum,* quæ antecedet tempus Iudicij. Secunda eſt vox Archangeli clamantis & dicentis, Surgite mortui, & venite ad Iudicium. De hac voce ſcriptum eſt. *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi.* Et iterum. *In momento,in ictu oculi,in nouiſſima tuba,canet enim tuba,& mortui reſurgēt incorrupti,& nos immutabimur* Tertia eſt vox Domini reddētis retributionē inimicis ſuis,ideſt reprobis,inimicis crucis Chriſti, quibus dicturus eſt. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Ideo ter ponitur in hoc verſiculo nomen, vox, vt

Adamus.

Cyrillus.

*Luc.* 21. *e*

Vox Archāgeli dicentis, ſurgite mortui, qualis.

1. *Theſſ.* 4. *d*

1. *Cor.* 15 *g*

*Matth.* 25.

triplicem vocem prædictam deſignet audiendam.

8 *Antequam parturiet peperit: ante quã veniret partus eius, peperit maſculum.* Poſtquam Iſaias in verſiculo præcedenti, mala ventura denunciauit reprobis, conſequenter annunciat bona, quæ contingent electis, familiare eſt enim Iſaię, triſtibus, læta miſcere. Significat ergo hoc enigmate, diem ſalutis ſubito futurum, ita vt ante quam parturiat, ante quã videatur tempus partus adeſſe, res per agatur, iuxta illud ꝙ Apoſtolus ait. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento in ictu oculi.* Non ergo eſt cur electi ſint anxij, & ſoliciti, aut Dominum interrogẽt dicenres: *Dic nobis quando hæc erunt & quod ſignum aduentus tui, & conſumationis ſæculi?* Nã ſubito dum non ſperatur, adueniet. Eſt & aliud, quod ſub hac metaphora mulieris parientis maſculum, ſignificare voluit; videlicet Eccleſiam primitiuam Apoſtolorum prædicatione quamplurimos filios ſubito habituram: non expectato longo tempore, ac ſi mulier ſtatim vt concipit, pareret maſculum. Quod iam adimpletum eſſe conſtat ex ſacris litteris. Scriptum eſt enim: *Dominus augebat, qui ſalui fiebãt quotidie in id ipſum.* Et iterum: *Et appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Et *Adhuc loquente Petro Verba hæc cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.* Adhuc loquente, inquit, ac ſi diceret. Non expectato longo interuallo, antequam parturiret peperit, ſine doloribus partus, abſque operoſo nixu, cum magno gaudio.

1.Cor.15 — Mat.24 — Iudicij tẽpus repente adueniet. — Act.2.g — Act.10.g — Partus Eccleſiæ mirabilis.

Deplorauerat ſupra ſtatum antiquũ Sinagogæ dicens. *Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ, dies hæc, quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi,* eam comparans pregnanti mulieri, quæ ædere conatur fætum, & non poteſt, in quo maximam anguſtiam Iſraelitici populi expreſſit. At Eccleſia Catholica nõ ſolum appropinquãs ad partum maſculum parit, ſed etiam ante quam parturiret peperit, hoc eſt antequam tempus adeſſet dolorum partus, peperit. Ait autem peperit maſculum. Non enim aborſum feciſſe, propter quem proles ad debitam quantitatem nõ perducitur, nec feminam peperiſſe docet, quæ infirmitatis, atque imperfectionis typum gerit, ſed maſculum, hoc eſt virũ perfectum. Sic Cyrillus. quod etiã innuit manifeſte Chriſtus Dominus, hac enim eadem ſimilitudine vtens ait. *Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. cum autem peperit puerũ, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo.* Peperit, inquit, puerum, & natus eſt homo, vt deſignet, ex ipſo die, quo in Chriſto regenerati fuerunt Apoſtoli, & virtute ex alto induti, homines fuiſſe, & viros perfectos. Aliter poteſt hic locus intelligi de partu illo feliciſſimo, quo Beatiſſima Virgo non ex virili ſemine, ſed miſtico ſpiramine peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum. Ita explicat Gregorius Niſſenus. ellucidans enim illud canticorum 1. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus. Recte, inquit, appellatur electus ex vniuerſis myriadibus, quo quidem ſignificatur, non ex coniugali thoro ipſum exiſtere. Nam huius ſolius generatio parturiginem non habuit, quemadmodum*

*& ſi-*

Iſa.37.a — Cyril.li.3. & 4 de ſpiritu & litera. — Ioan.16 — Greg.Niſſ. ho. 13. in cant. — Partus beatiſs. Virginis fuit ſine dolore.*



*& ſine coniugio cœpit exiſtere. Neque enim propterea parturiginis vocabulum vſurpari de illa incorrupta & coniugium non experta poteſt, propterea quod virginitas, & parturigo in eadem concurrere nequeãt. Nimirum vti datus eſt nobis, abſque patre filius: ſic etiam puer hic, abſque parturigine natus eſt: vtque virgo ipſa non cognouit, quo pacto in corpore ipſius corpus illud diuinitatem recipiens coaluerit; ſic ne partum quidem ſenſit, etiam Iſaia vate de illa teſtante, quod parturigo ipſius doloris expers fuerit, cum ait: Prius quam labores parturiginũ veniſſent, liberata mare peperit. Idcirco & electus fuit, & vtraque parte naturæ ordinem innouauit. Nec enim e voluptate cœpit exiſtere, neque per dolores in lucem prodijt.*

9 *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic ſimile? Nunquid parturiet terra in die vna: aut parietur gens ſimul, quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?* Magnum, inquit, miraculum, nec potuit alia, quam diuina virtute fieri, quod Sion, hoc eſt Eccleſia catholica ſimul quamplurimos per euangelium genuerit filios, idquè miniſterio Apoſtolorum, quos mundus inſipientes reputabat, & ſtultos. Non enim id fieri poteſt virtute naturæ. Terra enim non germinat vna die herbarum multitudinem, aut arborum ingentes fructus, nec mulier parit ſimul eadem die vnam familiã integram, aut populum, ſed ſucceſſiue vnum filium poſt alium, idquè plurium annorum corriculo. Quod ergo natura non poteſt efficere, hoc potuit gratia, vnde Beatus Ambroſius. *Habet, inquit, filios Eccleſia ſine partus dolore, vnde & dicitur de Eccleſia. Quis audiuit, ſi parturit terra die vno? vno die terra non parturit, ſed parit gratia. Venit paſchæ dies, in toto orbe baptiſmi ſacramenta celebrantur, vno ergo die ſine aliquo dolore multos filios, & filias ſolet Eccleſia parturire. Ideoque pulchra dicitur, & gens nata eſt ſimul de populo conſecrato.* Verum in hoc apparuit omnipotentia Dei, cuius virtuti nemo poteſt reſiſtere. Obſerua quod priꝰ dixerat, *antequã parturiret peperit,* & modo ait, *quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos:* quæ duo non videntur ſibi cohererere. Si antequam parturiret peperit, quomodo parturiuit, & peperit filios ſuos? Sed in hoc nulla eſt re vera contradictio. Significat enim his verbis Propheta, partum Eccleſiæ fuiſſe perfectum, nec aliquid defuiſſe, quod ad perfectionem prolis ſuæ pertineat, ſicut in aborſu contingit. Nec obſtat, quod Apoſtolus dicit. *Nouiſſime autem omnium, tamquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Id enim, vt S. Thomas explicat, propterea dixit, quia *extra tempus aliorum Apoſtolorum renatus eſt in Chriſto, nam alij Apoſtoli renati ſunt Chriſto ante aduentũ Spiritus ſancti, Paulus vero poſt. Aut vero, quia præhumiliate cordis, reputabat ſe alijs minorem, & non perueniſſe ad virtutem aliorum Apoſtolorum, & ideo quaſi rationem aſſignans dicit. Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Quod, ſi iuxta ea quæ diximus verſiculo præcedenti, hæc verba ad diem Iudicij referantur, explicanda ſunt de regeneratione illa feliciſſima, qua mortale hoc induet immortalitatem, nam vno eodemque temporis momẽto immutabuntur electi, & in corpore glorioſo reſurgent: reſurrectio enim iuſtorum partus quidam, & regeneratio

Ambr. in exortatione ad virgines. — 1. Cor. 15. a — S.Thom. ibid.lect.1. — Paulꝰ abortiuum ſe dicit, & quare.*

dicitur. Vnde Saluator ad diſcipulos loquens, ait. *In regeneratione cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, &c.* Omnis creatura ingemiſcit, & parturit expectans diem illum, in quo à corruptione liberabitur. Parturiunt & electi quandiu viuunt in hoc ſæculo, redemptionẽ corporis expectantes, iuxta quod Apoſtolus ait. *Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei, exſpectantes redemptionem corporis noſtri.* Dies autem vltimus erit dies partus, in qua Sion pariet ſimul filios ſuos, nam omnes electos ad vitam immortalem & beatam perducet. Si autẽ de partu Beatiſſimæ Virginis, cum Gregorio Niſſeno explicetur hic locus, ſatis manifeſte apparet, quam magnum miraculum numquam antea viſum, vel auditum illud fuerit, quo de Virgine natus eſt, illius enim magnitudinem admirans quidam Propheta dixit. *Quia creauit Dominus nouum ſuper terram, feminam circundauit virũ.* Sicut ergo ille obſtupeſcit, quod virgo virum perfectum pepererit, ita & Iſaias nunc miratur, quod in die vna ſimul Deum, & hominem, abſque dolore genuerit.

Iudicij diẽ expectant oẽs creaturæ. | Rom. 8. | Gre. Niſſ. | Hier. 31 d

10 *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero: ait Dominus Deus tuus?* Oſtendit, diuina virtute factum eſſe, quod Sion vna die tot Chriſto genuerit filios. Quaſi dicat: Ego qui omnibus creaturis generationem tribuo corporalem, ſeu carnalem, potens vtique ero, vt mihi faciam parere ſpiritualiter vna die plures filios. Ego, qui cæteris rebus tribuo, vt fœtus ſuos procreent, nonne & ego faciam Eccleſiã parere? Conſonat huic explicationi tranſlatio Pagnini, quæ ſic habet. *Numquid ego, qui ad partum perduco, non facerem parere?* & Vatablus talem putat eſſe ſenſum. *Ego ne qui ad partum perduco, non facerem parere, Dicit Dominus? Ego ne qui parere facio, (ſup. mulieres) prohibebo? ſup. ne pariat. q. d. Qui do vim pariendi mulieribus, prohibebo ne, vt Eccleſia non pariat? non: imo faciam vt illa pariat.* Vbi conſideranda eſt valde eximia charitas, qua Deus diligit filios Eccleſiæ, ſterilem quippe ſe eſſe reputat, niſi ſpirituales filios ex illa ſuſcipiat, vt latius expendimus cap. 55. num. 16. in illa verba: *Non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſſi illud.*

Vatabl. in comment. num. 17.

11 *Lætamini cum Hieruſalem: & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: Gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam, vt ſugatis, & repleamini ab vberibus cõſolationis eius, vt mulgeatis; & delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* Inuitat omnes fideles, vt cum Eccleſia lætetur in multitudine filiorum eius, & ſpecialiter adhoc inducit eos, qui lugent afflictionem illius, ſicut ſanctus Simeon, qui expectabat conſolationẽ Iſrael & Spiritus ſanctus erat in eo. Iuſti non ob aliam cauſam plorant & triſtantur, niſi quia vident obſcurari gloriã Dei, & nomen Chriſti blaſphemari, pereunte ac deficiente po-

Luc. 2.

te po-



te populo illius, his autem ſummam repromittit conſolationem. *Vt ſugatis inquit, &c.* ideſt, quia vos deploraſtis calamitates Eccleſiæ, ideo eritis & conſolationum eius participes, & ſugetis ſicut pueri Eccleſiæ vbera: nam in hac vita donis abundabitis gratiarum, & in futura bonis omnibus affluetis. *Vt ſugatis, & mulgeatis,* quibus verbis oſtendit maximam, & indeficientem eſſe conſolationem iuſtorum, quam delectationi confert pueri ſugentis vbera matris eius. Vide quæ circa hanc ſimilitudinem notauimus ex Sãcto Bernardo. cap. 12. nu. 7.

12 *Quia hæc dicit Dominus. Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, quam ſugetis.* Scimus, regnum Chriſti, regnũ eſſe pacis. Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. Pacem annunciauerunt Angeli, cum ex virgine natus eſt. Pacem prædicauit Chriſtus, & pacem attulit diſcipulis, cum dixit eis: *pax vobis.* Et ſuperius Iſaias de Regno eius loquens, inquit. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* In præſenti ergo magnam electis ſuis repromittit pacem, & omnium ſpiritualium bonorum abundantiã, atque inæſtimabiles diuitias. Vnde Paulus Apoſtolus congratulatur Corinthijs. *Gratias, inquiens, ago Deo meo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobi. in Chriſto Ieſu, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ita, vt nihil vobis deſit in vlla gratia.* Quidam hanc prophetiam etiam ad Eccleſiã militantem pertinere, alij vero, inter quos eſt ſanctus Auguſtinus, in Eccleſia triumphante adimplẽdam eſſe arbitrantur, vbi abundantia pacis,

Ioan. 20 | Iſai 9. Vide ibi n. 75. 76. | 1. Cor. 1. 4 | Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei. c. 21.

quæ per fluuiũ pacis deſignatur, perfruentur electi, necnon inundante, atque ab anima in corpus redundante gloria, quam per torrentem deſignauit. Cui explicationi conſonat illud Pſalmiſtæ. *Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Prima explicatio, quã ſequitur beatus Hieronymus. eſt valde conformis ijs, quæ idem Propheta dixit ſupra cap. 60. & 61. de gloria, & magnificentia Eccleſiæ Catholicæ, ex Iudæis, & Gentibus cõgregatæ. Secunda vero habet magnum fundamẽtum in Apocalypſi Ioannis, vbi de Eccleſia triumphanti ſcriptum eſt: *Et ambulabũt gentes in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illa.* Quod enim Iſaias dixit: *& quaſi torrentem inundantem gloriam gentium,* hoc Ioannes verbis inductis explicuit, quibus ſignificat, quod quidquid inſigne eſt apud gentes, in gloriam cedit patriæ cæleſtis.

Pſal. 35. | Apoc. 21 g

13 *Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.* Perſiſtit in eadem ſimilitudine pueri ſugẽtis vbera matris ſuæ; & ſenſus eſt: Sicut mater filiũ, quẽ diligit, ad vbera portat, & ſuper genua blãditur illi, multa verba dulcedine plena atque amore proferens, quibus lacrymantem & plorantem reddit quietum, ita & vos omni ſuauitate fruemini, atque dulcedine ſpirituali. Sciunt hæc vera eſſe, qui dulces ſancti Spiritus afflatus perſentiunt, & eius ſemper ardẽt amore. Da amantẽ, da terrena contemnentẽ, da deſiderantẽ, & ad æterna properantẽ, & ſentit ꝗ dico. Si aũt frigido loquor, neſcit ꝗd loquor Audi qualiter ſponſus blãdiatur animæ. *Ecce tu pulchra es amica mea,* ecce

Cant. 1.

 ecce

*ecce tu pulchra, oculi tui columbarũ.* Quæ verba exponens Bernardus, ait. *Adeſt dilectus, amouetur magiſter, rex diſparet, dignitas exuitur, reuerentia ponitur. Cedit quippe faſtus, vbi inualeſcit affectus. Et ſicut quondam quaſi amicus ad amicum Moyſes loquebatur, & Dominus reſpondebat: ita & nunc inter verbum, & animam, ac ſi inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio. Nec mirum. Ex vno amoris fonte vtique influit, diligere inuicem, confoueri pariter. Ergo dulciora melle volant hinc inde verba, mutuo in ſe totius ſuauitatis feruntur aſpectu ſancti indices amoris. Denique is illam amicam nuncupat, pulchram pronunciat, pulchram iterat, eadem ab illa viciſſim recipiens. Nec otioſa iteratio, quæ amoris confirmatio eſt.* Hunc affectum mutuum ſponſi, & ſpōſæ magis explicant verba ſequentia.

Bern. ſer. 45. ſuper cant. col. 1.

14 *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita & ego conſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini.* Sanctus Auguſtinus, qui dicta in hoc capite de iuſtorum gaudio, & conſolatione, de Eccleſia triumphante docet eſſe intelligenda, ſic interpretatur iſtum locum. *Hieruſalem,* inquit. *non illam, quæ ſeruit cum filijs ſuis, ſed liberam matrem noſtram intelligamus, ſecundum Apoſtolum, æternam in cælis: vbi poſt labores ærumnarum, curarumque mortalium conſolabimur, tanquam paruuli eius in humeris, genibuſque portati. Rudes enim nos, & nouos blandiſſimis adiutorijs inſolita nobis illa beatitudo ſuſcipiet.* Quia vero, vt ſuperius diximus, hæc etiam in iuſtis, qui peregrinantur à Domino, complentur ex parte, poterit hic locus ſic explicari, vt geminam conſolationem illis promittat, alteram a Spiritu ſancto, qui paraclitus eſt & conſolator, magnaque fiducia facit, vt electi clament Abba Pater, iuxta quod Apoſtolus ait. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Alteram vero à Hieruſalem, quæ eſt mater viuentium, vbi Deus quotidie ſuos multis promiſſionibus conſolatur, eorum lacrymas tergit, labores alleuiat, & iugum quod portant, ſuaue reddit, & onus leue, quia *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Tertio poſſunt accipi hæc verba tanquam dicta in perſona Chriſti, ita vt ſenſus ſit. Ego ipſe conſolabor vos, ego deſcendam de cælis, & ero vobiſcum, veſtros ſuper me ſuſcipiam labores, & ærumnas, & ſuauiſſimis verbis confortabo; ſed, quoniam, poſt mortem, & reſurrectionem meam oportet quod in cælum glorioſus aſcendam, *ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* Et in Hieruſalem conſolabimini: ibi enim manebitis, donec induamini virtute ex alto, ibi aduenientem in igneis linguis accipietis Spiritum ſanctum. Dicens autem, *& alium Paracletum,* hoc eſt conſolatorẽ dabit vobis, oſtendit plane, ſe etiã cõſolatorẽ eſſe, vt notauit Alcuinus. *Paracletum,* inquiens, ideſt *conſolatorẽ: habebant enim & tunc vnũ conſolatorem, qui miraculorum dulcedine, & prædicatione eos erigere, & cõfortare ſolebat.* Vnde & ipſe Saluator morti propinquus pro diſcipulis ſuis orauit Patrem. *Ego,* inquit, *pro eis rogo. Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi: quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſunt: & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis.*

Aug. li. 20. de Ciuit. Dei. ca. 21. in princip.

Rom. 8. c — Ibidem. — Ioan. 14 b — Alcuinus. — Ioan. 17

Et iam



*Et iam non ſum in mundo: & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſãcte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui: & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur.* Ac ſi diceret. Cum eſſem cum diſcipulis meis, ego cõſolabar illos, nunc autem mitte Spiritum ſanctum, qui in Hieruſalem ſuper eos deſcẽdens, ſit cõſolator eorũ. Quod & obtinuit: *nam factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.*

Act. 1.

15 *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum: & oſſa veſtra, quaſi herba germinabunt: & cognoſcetur manus Domini ſeruis eius: & indignabitur inimicis ſuis.* Sanctus Auguſtinus in ſua explicatione perſiſtendo, qua hæc ad ſtatum refert Eccleſiæ triumphantis, hũc locum interpretatur de viſione beatifica, & gloria beatorum in hæc verba. *Ibi videbimus, & gaudebit cor noſtrum. Nec expreſſit, quid videbimus. Sed quid, niſi Deum, vt impleatur in nobis promiſſũ Euangelicum: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt? Et omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longe minus, quàm ſunt, atque incõparabiliter cogitamus? Et videbitis, inquit, & gaudebit cor veſtrum. Hic creditis, ibi videbitis. Sed quoniam dixit. Et gaudebit cor veſtrum, ne putaremus illa bona Hieruſalem, ad noſtrum tantummodo ſpiritum pertinere: Et oſſa, inquit, veſtra, vt herba exorientur. Vbi reſurrectionem corporum ſtrinxit, velut quod non dixerat, reddens. Neque enim cum viderimus, fient, ſed cũ fuerint facta videbimus, & c. Et cum dixiſſet. Et oſſa veſtra vt herba exorientur, vt reſurrectionem quidem carnis, ſed tantum bonorum, ſe nunc commemorare mõſtraret, adiunxit. Et cognoſcetur manus Domini colentibus eum. Quid eſt hoc, niſi manus diſtinguẽtis cultores ſuos à contemptoribus ſuis? De quibus ſequentia contexens. Et comminabitur, inquit, contumacibus: ſiue, vt ait alius interpres, incredulis. Nec tunc comminabitur. ſed quæ nunc dicuntur minaciter, tunc efficaciter implebuntur.* Exponendo autem hæc verba etiam de electis, quãdiu viuunt in hoc ſæculo, eundem videntur habere ſenſum cum illis, quę Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis dixit. *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Verba ſequentia: *Et oſſa veſtra germinabunt,* idem explicant gaudium. Sicut enim mœrore dicuntur arefieri oſſa, ita hilaritate reaſſumere ſuccum, & vireſcere, iuxta illud. *Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Conſonat illud quod de reſurrectione oſſium apud Ezechielem habes: ait enim. *Fili hominis, oſſa hæc vniuerſa domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt. Aruerunt oſſa noſtra, & perijt ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus: Propterea vaticinare, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego aperiã tumulos veſtros, & educã vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam vos in terram Iſrael: & ſcietis, quia ego Dominus: cum aperuero ſepulchra veſtra: & eduxero vos de tumulis veſtris popule meus: & dedero ſpiritum meum in vobis, & vixeritis: & requieſcere vos faciã ſuper humum veſtram: & ſcietis, quia ego Dominus locutus ſum, & feci,*

Aug. vbi ſupra. — Ioan. 16 — Prouer. 17. — Ezech. 37

*ci, ait Dominus Deus.* Quibus verbis, vt explicat gloſa, manifeſte oſtenditur, per conſolationem ſpiritus oſſa humiliata, atque exſiccata reuiuiſcere, & nouo quodam gaudio vireſcere. Confirmat etiam hic locus Ezechielis, futuram reſurrectionem carnis, quam, iuxta explicationem Auguſtini, denunciat in hac parte Iſaias; ad illam enim comprobandã viſione Ezechielis inducta, ſanctus Ambroſius vtitur, & Origenes, atque alij quamplurimi Doctores antiqui.

Gloſa.

S. Amb. in orat. de fide Reſurrectionis tom. 4. Origen. Epiſt. ad Paniac. aduerſus errores Ioan. Hieroſolymit. to. 2.

16 *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flãma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem: & multiplicabuntur interfecti à Domino.* Concors ſanctorum Patrum ſententia eſt, in præſenti ſermonem eſſe de aduentu Chriſti Domini ad iudicium. Ita ſentiunt ſanctus Hieronymus. Theodoretus. Cyprianus, & Auguſtinus. Vbi conſiderandus eſt diuerſus affectus, quem in illa die electis oſtendet, & reprobis. Loquens enim de electis paulo ante prædixerat. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis:* de reprobis vero nunc ſubiungit: *quia ecce Dominus in igne veniet* Idem enim Dominus electis benignum, reprobis autem iratum ſe oſtendet. *In igne veniet*: nam ignis conflagrationis vniuerſi aduentum præcedet illius: ſcriptum eſt enim. *Ignis ante eum præcedet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Quadrigæ eius ſunt Angeli, quorum miniſterio vtetur Dominus in die illa. Ita Auguſtinus: ait enim. *Currus vero eius, qui pluraliter dicti ſunt, angelica miniſteria non inconuenienter accipimus,* quæ turbini conferuntur. Veniet autem, vt inimicis ſuis pœnam condignam retribuat, quam pluribus nominibus explicat, indignationis videlicet, furoris, increpationis. Veniet in flamma ignis, & in igne iudicabit: nam idem ipſe, qui vno verbo milites in horto ſe capturos proſtrauit, dicens: *ego ſum*, ſola ſua præſentia reprobos cõfundet, & pluſquã ignis torquebit. Inſuper, & ſentẽtia illa dura, quã iratus aduerſus eos proferet: *Ite maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*, quolibet igne vt ſuperius diximus, erit terribilior. Veniet in gladio ſuo *ad omnem*, ideſt contra omnem *carnem*: non enim ſpirituales, ſed carnales, qui ſpiritui Dei reſtiterunt, diſperdet gladio illo ex vtraq; parte acuto, quo animã, & corpus mittet in gehennam, ſicut prædixerat ſupra. *Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiã prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutũ eſt.* Ita S. Auguſt. ait enim. *Non hic ſpirituales intelligamus, & ſanctos, ſed terrenos, atq; carnales, de quibus dictum eſt. Qui terrena ſapiunt, & ſapere ſecundum carnem mors eſt, & quales omnino caro appellantur à Domino, vbi dicit, non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt* Hinc ſapiens ait. *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Contra inſenſatos, inquit, ideſt contra illos, qui aures ſuas obturauerunt, & corda, ne vocantem Dominum audirent: non contra obedientes mandatis eius. Et vt ſtultorum deſignet infinitum numerum, ſubiungit. *Et multiplicabuntur interfecti à Domino. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Qui autem ſint multi illi occidendi à Domino, continuo explicat, cum ſubdit.

Hieron. Theodor. Cyprian. ſerm. 3. de bono patientiæ. Auguſt. 20 de Ciuit. Dei 21.

Pſal. 49

Auguſt vbi ſupra.

Ioan. 18

Mat. 25

Supra ca. 30. nu 49.

Iſai. 1.

Phili. 3.

Rom. 8.

Gen. 6.

Sap. 5.

Mat. 20

17 Qui



17 *Qui ſanctificabantur, & mũdos ſe putabant in hortis poſt ianuã intrinſecus: qui comedebant carnem ſuillam, & abominationem, & murem: ſimul conſumentur, dicit Dominus.* Sub nomine Iudæorum, qui cum innumeris peccatis eſſent coinquinati, mundos tamen ſe arbitrabantur eſſe, omnium reproborum deſcribit interitum. Tanta erat Iudæorum hypocriſis & arrogantia, atq; in peccatis committendis licentia, vt contra præceptum legis comederent in hortis carnem ſuillam, & alia immunda animalia, atq; in contemptum Dei ſacrificarent idolis; & tamen *ſanctificabantur*, ideſt ſanctos, & mundos ſe eſſe putabant: quoniam in quibuſdam fontibus, ſeu piſcinis, quas in hortis poſt ianuam præparatas habebant, ſtatim ſeipſos diligenter lauabant, arbitrabantur enim externis illis baptiſmatibus ab omni inquinamento interius emundari. Per abominationem, & murem intelligit quidquid inmundum erat, & lege prohibitum: nam illud comedere, aut ſacrificare, abominatio erat coram Domino. Igitur in hoc loco duo genera peccantium notat. Quidam enim ſunt hypocritæ, qui ſe externis operibus ſanctificant, & in oculis hominum apparent iuſti, ſed intrinſecus pleni ſunt impietate, & immunditia: quos propterea Chriſtus Dominus ſepulchris confert dealbatis, dicens. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. Phariſæe cece, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat & id quod deforis eſt mundum. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorũ, & omni ſpurcitia: ſic & vos à foris quidem paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.* Similes illis erant quinq; virgines fatuæ, quæ lampades habebant, & nomen virginum, ſponſum venturum expectantium, ſed oleũ in vaſis ſuis, hoc eſt pietatis opera non habebant. Alij ſunt qui impudenter peccãt, comedentes carnem ſuillam, & murem, quia nihil eſt tam immundum & impurum, quo non polluantur, ſicut gẽtiles, qui idololatriam ſequuntur, & comedunt idolotyta & omnem abominationem faciunt, nullam inexpertam carnalem delectationem relinquentes, aſſimilati muribus ac talpis, quæ animalia in terra ſe recondũt, & ſicut ſues in luto ſe verſant ac edunt ſtercora. Vtriq; ſimul cõſumentur, dicit Dominus. Nihil enim prodeſt Iudæũ profeſſione aut Chriſtianũ fuiſſe, ſi deſit charitas, propter quod Apoſtolus ait. *Quicumq; enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicumq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum: ſed factores legis iuſtificabuntur.*

18 *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, vt, congregem cum omnibus gentibus & linguis. Et venient & videbunt gloriam meam.* Quoniam arbitrabantur Iudæi, & cum illis omnes hypocritæ, ſuam poſſe iniquitatẽ externis ceremonijs contegere, aut ſuis lotionibus abluere, oſtendit Dominus ſe rectum iudicem eſſe, qui in die iudicij *manifeſtabit abſconditũ tenebrarum, & reuelabit conſilia cordium*, retribuens vnicuiq; ſecundũ opera eius: Non ſolum opera, ſed & cogitationes intimas. *venio* (in-

Mat. 23 c

Mat. 25

Rom. 2

quit)

quit) *vt congregem*, ideſt vt omni-
bus ſimul præſentes faciam, & reue-
lem. Sum enim inſpector cordium.
Aug.in regula. Vnde Auguſt. *Sed etſi lateat & à ne-
mine hominum videatur, quid faciet
de illo deſuper inſpectore, quem la-
tere nihil poteſt?* Et per Hieremiam
*Hiere.* ipſe Dominus teſtatur. *Numquid
abſcondet ſe in abſconditis homo, &
ego ignorabo?* Quod autem ſubdit.
*Et venient, & videbunt gloriam
meam*, manifeſta prophetia eſt eius,
quod dicitur Lucæ. 21. *Tunc vide-
bunt filium hominis venientem in
nubibus cum poteſtate magna, &
maieſtate.*

19 *Et ponam in eis ſignum, &
mittam ex eis qui ſaluati fuerint ad
gentes in mare, in Aphricam, & Ly-
diam tenentes ſagittam, in Italiam,
& Græciam, ad inſulas longe ad eos
qui non audierunt de me: & non
viderunt gloriam meam.* Hic fit tran
ſitus ab vniuerſali iudicio, ad vniuer
ſalem vocationem Gentium, cuius
mentionem fecerat ſupra, verſiculo,
*antequam parturiret, peperit, &c.*
Theod. Euſeb. Ceſ. li. 6. dẽ. Euan. cap. 25. Nunc autem eam magis explicat.
& in primis, *ſignum*, inquit, *ponam
eis*, videlicet ſignum Crucis, vt ex-
plicat Theodoretus, & Euſebius Cæ-
ſarienſis, ſub quo, tamquam ſub ve-
xillo militant Chriſtiani. Hoc eſt ſi-
gnum illud, de quo prædixerat ſu-
*Iſai. 11.* pra. *Et leuauit ſignum in nationes,
& congregauit profugos Iſrael.* Et ite
*Iſai. 18. b* rum: *Cum eleuatum fuerit ſignum
in montibus videbitis, & clangorem
Vide ibi. nu. 6. tubæ audietis.* De quo plura notaui-
mus. cap. 55. nu. 19. vel per ſignum,
Chriſtum Dominum intellige cum
Cyrillo: de illo namq; ſcriptum eſt.
*Lucæ. 2.* *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in
reſurrectionem multorum in Iſrael,
& in ſignum cui contradicetur.* Huic
explicationi cõſonat illud, quod Iſa-
ias dixerat ſupra. *Et erit Dominus
nominatus in ſignum æternum, quod
non auferetur*, Sanctus Auguſtinus, S. Auguſt.
& Hieronymus per ſignum intelligũt Hieron.
miracula per Chriſtum facta, & per
Apoſtolos eius, ſingulari numero pro
plurali accepto. Alij deniq; per ſignũ,
Spiritum ſanctum Apoſtolis miſſum
intelligunt, de quo ait Paulus. *Nolite
cõtriſtare Spiritum ſanctum Dei, in
quo ſignati eſtis.* Eſtque explica-
tio ſatis conformis tranſlationi ſep-
tuaginta interpretum, quæ ſic habet.
*Et ego veniã congregare omnes gen-
tes & linguas: & venient, & vide-
bunt gloriam meam, & dimittam
ſuper eos ſignum.* Quod ad litteram
impletum eſt, cum Spiritus ſanctus
adueniens per diuerſitatem lingua-
rum multarum, gentes diuerſarum
nationum in vnitatem fidei congre-
gauit. Deinde ſe ad omnes mundi
partes Apoſtolos, & Prædicatores
miſſurum eſſe denunciat, vt Gẽtibus
Euangelium annuncient. Quod ad
litteram impletum eſt, cum Chriſtus
Dominus poſt Reſurrectionem ſuam
Apoſtolis dixit. *Euntes in mundum
vniuerſum prædicate Euangelium* Mar. 16
*omni creaturæ. Qui crediderit, &
baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui
vero non crediderit, condemnabitur.*
Nominat autem in præſenti præci-
puas nationes, quæ in quatuor mun-
di partibus ſunt conſtitutæ, ad Orien
tem videlicet, & Occidentem: ad Sep
temtrionem, & Meridiem. Has om-
nes ſolicitè percurrerunt Apoſtoli,
& eorũ diſcipuli, vt ex Epiſtolis Pau
li, & Actibus Apoſtolorum ſatis con-
ſtat. Tertio, vim explicat atq; effi-
caciam verbi diuini, & Prædicatio-
nis Euangelicæ, dum Apoſtolos ten-
dentes ſagittas vocat. Ipſa enim
prædicatio arcui, & verbum Dei ſa-
gittis confertur ſupra capite ſepti-
mo, cum



mo, cum dicitur. *Cum ſagittis, &
arcu ingredientur illuc*, vt eodem
cap. nu. 37. explicatum reliquimus.
Vt ergo non ad Iudæos tantum, ſed
ad omnes fuiſſe miſſos Apoſtolos in-
telligas, ſubdit, *ad inſulas longe,
ad eos, qui non audierunt de me*,
ideſt, ad gentes remotiſſimas, quæ
legem Dei non acceperunt, & de
Chriſto nihil prorſus audierũt: quod
*Iſa. 52. d* ſupra, denunciauerat dicens. *Quia
Vide ibi nu. 18. quibus non eſt narratum de eo, vide-
runt: & qui non audierunt, contem-
plati ſunt.*

20 *Et annunciabunt gloriam
meam gentibus: & adducent omnes
fratres veſtros de cũctis gentibus do-
num Domino: in equis, & in qua-
drigis, & in lecticis, & in mulis,
& in carrucis ad montem ſanctum
meum Hieruſalem, dicit Dominus.
Quomodo ſi inferant filij Iſrael mu-
nus in vaſe mundo in domum Domi-
ni.* Explicat quod verſu præceden-
ti de gentium vocatione prædixerat,
& Apoſtolorum munus, & officium
deſcribit. Primo enim ab omni de-
bent eſſe acceptione perſonarum im
munes, & non ſolum amicis, ſed etiã
extraneis gentibus annunciare glo-
riam Chriſti, & indifferenter omnes
fratres ad illum adducere, ideſt, vt
non ſolum diuitibus, ſed etiam pau-
peribus ſe Dei miniſtros exhibeant.
Ideo ait, *de cunctis gentibus*, non
de hac ſolum gente, aut illa, ſed in-
diſcriminatim de omni. Per fratres
Aug. li. 20. de ciuit. Dei ca. 21. veſtros, vt explicat Auguſtinus, in-
telligit gentes à Deo electas: ſunt
enim fratres Apoſtolorum, atque
Iſraelitarum, cum vere ſint & ipſi
Iſraelitæ, non ſecundum carnem,
ſed ſecuudum ſpiritum. Secundo of-
feruntur fratres Domino in ſacrifi-
cium. Non iam de inceps ſacrifica-
bunt oues, aut boues, aut cætera
animantia, quæ offerebantur in Le-
ge; ſed exhortando, & docendo ad-
ducent Domino populos & gentes.
Tertio, docet Apoſtolos, ne infideles
cogant ad fidem, ſed ſuauiter ad
eam voluntarie ſuſcipiendam indu-
cant: ideo ait, *in equis & in qua-
drigis, in lecticis*, &c. Vel per hæc ver
ba ſuauitatem legis Euangelicæ de-
ſignauit, cuius iugum ſuaue eſt, &
onus leue: nam lex antiqua iugum
erat grauiſſimũ, quod nec filij Iudæo
rum, nec Patres eorũ portare potue- Aug. li. 20. de ciuitat. Dei ca. 21.
runt. Sanctus Auguſt. hæc vehicula,
& iumenta, adiutoria, inquit eſſe di
uina: ait enim. *Adducturos autem ex
omnibus gentibus munus Domino,
in iumentis, & vehiculis, quæ iumen-
menta, & vehicula bene intelligun-
tur adiutoria eſſe diuina, per cuiuſq;
generis miniſteria Dei, vel angeli-
ca, vel humana, in ciuitatem ſan-
ctam Hieruſalem, quæ nunc in ſan-
ctis fidelibus eſt diffuſa per terras.
Vbi enim diuinitus adiuuantur, ibi
credunt: & vbi credũt, ibi veniunt.*
Pro qua explicatione faciunt quæ ſu
perius. cap. 40. nu. 42. adnotauimus.
Quarto, prædicatores hortatur Euã
gelij, vt religioſa diligentia ſuo fũgã
tur munere, non minori cura quàm
ſacerdotes olim, qui pro filijs Iſrael
Domino oblationes offerebãt in vaſe
mundo. Hoc autem fiet, ſi hi qui Euan
gelium prædicant, & annunciant,
ſanctam & mundam vitam habeant:
iuxta illud quod dixerat ſupra. *Mun* *Iſai. 52.*
*damini qui fertis vaſa Domini.*

21 *Et aſſumam ex eis in ſacer-
dotes, & Leuitas, dicit Dominus: quia
ſicut cæli noui, & terra noua, quæ
ego facio ſtare coram me, dicit Domi-
nus Deus, ſic ſtabit ſemen veſtrum,
& nomen veſtrum.* Docet gentes
ad fidem conuerſas à ſacerdotio mi-
nime repellendas eſſe. Vnde etiam
ex gen-

ex gentibus multi Spiritu ſancto de cælo miſſo repleti ſunt. Quale autem futurum ſit nouæ legis ſacerdotium, quanta ſacerdotum nobilitas, & gloria, explicat, cum ſubdit, *quia ſicut cæli noui. & terra noua, &c.* quaſi dicat. Illud ſacerdotiũ non erit temporale, ſicut ſacerdotium legis antiquę, ſed perpetuum, quod nulla vetuſtate delebitur: & ſicut cælum, quod ego creaui nouum, ſemper mihi miniſtrat, & terram fecundat, ita & ſacerdotes, & leuitæ, quos ego aſſumam, ſemper mihi miniſtrabunt, atque in Eccleſia ſuper fideles pluuiam cæleſtis doctrinæ indeficienter effundent, & genus veſtrum & ſemen faciam ſempiternum. Vbi, Theodor. vt notauit Theodoretus, ſemen eos deſignat, qui per Apoſtolos crediderunt in Chriſtum. De hoc ſemine Pſa. 111 Scriptum eſt, *Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur:* Sup. ca. 61. nu. 10. de quo etiam plura ſuperius dicta ſunt. *Et nomen veſtrum.* Aug. li. 20. de ciuitat. Dei ca. 22 Nomen de quo loquitur in præſenti, vt Auguſtinus notauit, illud eſt, Iſai. 56. cuius meminit ſupra, *& nomen æternum dabo eis.*

22 *Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato: Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Senſus eſt. Fideles Chriſtiani, quos per omnem carnem Aug. eod. lib. cap. 21 intelligit, eo quod, vt notauit Auguſtinus, ex omni genere hominum populus conſtat fidelis, non celebrabunt more Iudæorum ſabbata, neq; diſcernent inter dies, ſicut Iudæi, ſed perpetuas habebunt ferias, non facientes opera ſeruilia, ideſt, peccata, ſed ſemper laudabunt Deum in ſpiritu & veritate, & continuum celebrabunt ſabbatum illud delicatum, de quo ſupra dictum eſt. *Si* Iſ. 58. d *auerteris a ſabbato pedem tuũ facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino, &c.* Hoc ergo ſignificant illa verba, *& erit menſis ex menſe, &c.* ideſt, ſemper erit feſtum, nouilunium, & ſabbatum non interpolatum. Sanctus Cyrillus his verbis ſignificari docet, Cyrillus. à principio prædicationis Euangelij, vſq; ad finem mundi, ſemper continua ſucceſſione venturos ad Eccleſiam credentes in Chriſtum, iuxta illud quod prædixerat ſupra, *Et fluent* Iſai. 2. *ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Alij doctores iſtam prophetiam ad Eccleſiam referunt triumphantem, in qua cõtinuum alleluia cantabitur, & requiem æternam atque indeficientem obtinebunt iuſti. Sic explicat ſanctus Auguſtinus. Aug li. 20. de ciuitat. Dei ca. 22. *Et erit,* (inquit,) *menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, tanquam luna ex luna, & requies ex requie, quorum vtrumq; ipſi erunt, cum ex his vmbris veteribus, & temporalibus, in illa lumina noua, ac ſempiterna tranſibunt.* Eandem explicationem ſequitur Theodoretus. quam latius proſequitur Radulphus Flauiacenſis, in hæc verba. Radulph. flauiacẽſis l. 16. in leuit c. 1. claruit anno Dñi 950. *Triplex eſt ſabbati figura. Nam in præſenti vita dupliciter obſeruatur: in futuro autem ſabbatum ſabbatorum, Deo promittente, ſperatur. Erit enim tunc, vt Iſaias teſtatur, menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato. In menſe ſiquidem fiet dierum collectio: dies autem virtus intelligitur, ſicut & peccatum nox. Quantumcumq; ergo iuſtus*

dum



*dum hic viuit, virtutibus abundet: illi tamen virtutum plenitudini non valet æquari, cum replebimur in bonis domus Dei: quia menſis illic erit ex menſe, ideſt, a menſium cæterorum exceptus numero, & omnem vitæ præſentis tranſcendens profectum ſanctitatis perfectio. Erit & ſabbatum ex ſabbato: quia ſanctorum quies hic inchoatur, illic vero qualibet ex parte perficitur.*

23 *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me.* Quaſi dicat. Aderit ſumma ſecuritas iuſtis, per Crucem Chriſti omnibus aduerſarijs deuictis: morientur enim in æternum ſuæ impietatis luentes ſupplicia. Et Pſal. 57. *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Nomine *virorum,* mares, & feminas intelligit, vt Auguſtinus explicat dicens. Aug. c. 21. cit. *Neque enim quiſquam dicturus eſt, peccatrices feminas in ſuplicijs æternis non futuras. ſed ex potiore præſertim, de quo femina facta eſt vterque ſexus accipitur.* Neq; intelligas, damnatorum corpora eſſe inſenſibilia futura, quoniam cadauera dicta ſunt. Hic enim, vt ſanctus obſeruauit Auguſtinus, Auguſt. vbi ſupra. cadauera a cadendo eſſe appellata certiſſimum eſt, eo quod in mortem inciderunt ſecundam. Ait autem, *egredientur,* ſcilicet electi ad videndum reproborum ſupplicia, vt ſignificet, eos, qui cruciabuntur, extra futuros, ſecundum illud quod in Apocalipſi ſcriptum eſt. Apoc. 22 c *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Egredientur ergo, non beatas ſedes relinquendo, ſec per ſcientiæ cognitionem, & quæ patientur reprobi in locis pœnalibus mala, clare videbunt, & gaudebunt cum viderint vindictam: quod non obſcure in Apocalipſi. S. Ioannes Apoſtolus denunciauit dicens. Apoc. 19 *Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam Dei: vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum.* Mira res. Inuitat aues, hoc eſt, iuſtos, quorum conuerſatio in cælis eſt, & cæleſtia contemplantur, ad cœnam magnam Dei, quam electis ſuis præparauit ante ſæcula ſempiterna, & carnes Regum, & tribunorum, carnes fortium, & equorum, carnes liberorum, & ſeruorum, puſillorum, & magnorum comedendas proponit? Vtique nam & cruciatibus delectabuntur impiorum, videntes ſplendorem diuinę iuſtitiæ, vt ſuper eundem locum gloſa Glo. interlinearis. interlinearis explicat.

24 *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Hic vermis, iuxta ſententiam Hieronymi, & Auguſtini, & aliorum Hieron. Aug. c. 21. citato. Sanctorum Patrum, remorſus eſt cõſcientiæ, quę in ſuplicis æternis torquebit reprobos, non ſecus, ac ſi vermis cor hominis inceſſanter roderet. Et ſicut vermis animam interius, ita etiã ignis inextinguibilis dammatorum exterius corpora torquebit. Hinc S. Auguſtinus ait. Aug. lib. de ſpiritu, & anima. ca. 56. tom. 3. *Miſeris mors eſt ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia et mors ſemper viuet, & finis ſemper incipiet, & defectus deficere neſciet: mors perimet, & non extinguet: dolor cruciabit, & pauorem non fugabit: flãma comburet, ſed tenebras nõ diſcutiet*

*tiet. Erit enim in igne obſcuritas, in obſcuritate pauor, in combuſtione dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi, in ſupplicijs dolorem ſentiẽt, & in doloris anguſtia, pauore ferientur, & ſemper tolerabunt, & ſemper timebunt: quia ſine fine ſemper cruciati viuent ſine ſpe veniæ, & miſericordiæ, quod eſt miſeria ſuper miſeriam. Si enim poſt tot milia annorum, quot capillos habuerunt omnes quicunque fuerunt, & erunt, pœnas ſuas finiri ſperarent, multo leuius eas ſuſtinerent. Sed quia ſpem non habent, nec habebunt, deſperatione deficient, & ad tormenta non ſufficient. De his per Iſaiam ſcriptum eſt: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, quia nec ipſi conſumentur. Vermis conſcientiam corrodet, ignis carnem comburet: quatenus qui auctori ſuo corde, & corpore deliquerunt, corde ſimul & corpore puniãtur, cum anima à beata vita ſeparata erit, & corpus æternis ſupplicijs ſubiacebit. In anima hæc patientur reprobi ſtatim poſt mortem, corpore autem poſt diẽ Iudicij.* Propter quod Sophonias ait:

Soph. 1. *A prima porta exit clamor, & à ſecũda vlulatus.* Quę verba exponens Innocentius Tertius inquit.

Innoc. 3. li. 2. de contemptu mũdi cap. 42.

*Prima porta dicitur, quando anima mala quàm cito egreditur a corpore, tam cito rapitur a malignis ſpiritibus ad æterna ſupplicia. Secunda porta dicitur, quando poſt diem Iudicij punientur in corpore, & anima ſine fine. Puniuntur enim mali in anima tãtum in prima ſeparatione corporis, & animæ: poſt Iudicium vero in anima, & corpore punientur, ſicut ſcriptum eſt: Et duplici contritione contere eos,* Nec eſt dubitandum, ignem illum eſſe corporeum, in quo certum eſt ſpiritus cruciari, multis miris, vt idem Auguſtinus ait, ſed veris modis. Ignis autem ille ardebit quidem, & torquebit impios, ſed nõ lucebit, ne videant vnde gaudeant, quamuis ea, quæ pœnam eorum augere poſſunt, illuminet, vt videant, & confundantur. Vnde Iſidorus ait.

Hier. 17

Aug. li. 21. de ciuitat. Dei.

Dan. 3.

Iſidor. Hiſpalen. lib 1 de ſum. bono. cap. 3.

*Sicut ignis Babylonis non arſit ad comburenda colligamina vinculorũ: ita ignis gehennæ, & lucebit miſeris ad augmentum pœnarum, vt videãt vnde doleant: & non lucebit ad conſolationem, ne videant vnde gaudeant.* Et ſi noſſe deſideras, qualiter vermis viſcera impiorũ torqueat in inferno, & quibus cogitationibus eorum corda dilaniet, audi Innocentium Papam Tertium, ait enim.

Innocẽt. 3. li. 3. de cõtẽptu mundi. cap. 2.

*Dabit Dominus ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiãt vſque in ſempiternum. Vermis conſcientiæ tripliciter lacerabit: affliget memoria, ſera turbabit pœnitentia, torquebit anguſtia. Venient enim in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum dicẽtes.*

Sap. 5.

*Quid profuit nobis ſuperbia, & iactantia diuitiarum, quid contulit nobis? tranſierunt illa omnia tamquam vmbra, & ſicut nuis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non eſt inuenire veſtigium, ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe.* Hinc fideles diſcant corpus per abſtinentiam domare, ne illud incraſſantes, vermium materiam generent, quibus crucientur in æternum, nam vt dicit ſapiens,

Eccl. 7.

*vindicta carnis impij ignis & vermis.* De ęternitate ignis inferni, vide quę notauimus ſup. cap. 22. à nu. 24. vſq; ad 27.

25 *Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Infelicem, ac miſerabilem damnatorũ hæc verba explicant ſtatum, nullus erit, qui



miſereatur, nullus qui condoleat patientibus. Omnibus, & etiam ſibi ipſis erunt odibiles, & cũ extremis cruciatibus, ignominiam quoq; perpetuam ſuſtinebunt, ita, vt in faſtidium, & nauſeam ſint omnibus, vt Vatablus, & Pagninus ſua verſione explicant, ſic enim transferunt iſtum locum. *Et erunt faſtidio, & opprobrio omni carni.* Tunc apparebit magnificentia, & gloria Regni Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & imperium excelſum illius, cũ inimicos ſuos ſub pedibus ſuis ſubiectos poſuerit, cum implebitur illud, quod ait Apoſtolus.

1. Cor. 15 b

*Deinde finis, cum tradiderit Regnũ Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors, omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Cui poteſtas ſit, & imperium, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

## *Finis Prophetiæ Iſaiæ.*

Omnia correctioni ſanctæ Romanæ Eccleſię, Catholicę, atq; Apoſtolicæ humiliter ſubijcio.

## *Errata ſic corrige.*

Pagina. 17. columna. 1 linea. 26. in alij: ſunde, lege, in alijs. Vnde pag. 47. col. 1. in margine. tribulationuum. lege, tribulationum. pag 48. col. 2. lin. 31. Rex, vt virum, lege, Rex ad virum. pag 53. col. 2. lin. 28. cant. 5. lege, cant. 8. pag. 101. col. 1. lin. 13 Bene dixiſſet cultus lege, Pene dixiſſet cuſtos. pag. 154. col. 1. in margine, re oluit. lege, reſoluit pag. 199. col. 1. lin. 1. fuero hic, lege, fuero tui. pag. 209. col 1. lin. 1. pro ſelitæ. lege, pro ſe lyti. pag. 217. col. 2. lin 4. ſilueſtræ; lege, ſilueſtre. pag. 296. col. 1. lin. 42. prpſperitas. lege, proſperitas. pag. 308. col. 2. lin. 31. implentis ſermones. lege, impletis ſermonibus. pag. 323. col. 1. lin. 10. num. 10. lege, num. 16. pag. 335. col. 2 in margine, Confundit deo eos comprehendo in aſtutia ſum. lege. Confundit Deus eos comprehendendo in aſtutia ſua. pag. 377 col 2. lin. 1. in margine. Iac. 33. lege. Iob. 33. pag. 386. col. 2. lin. 39. in margine, 1. Coloſſ 15. lege 1. Cor. 15. pag. 397. col. 1. lin. 26. in margine. Galat. 2. lege. Galat. 5. pag. 411. col. 2 lin. 15. computatis inter filios Dei. lege. computati ſunt inter filios Dei pag. 465. col. 2. lin. 11. in margine, Banes. 1. 1. lege. Bannes. 1 parte. pag. 472. col 1. lin. 27. in margine, Matth 18. lege, Matth 26. pag. 510. col 1. lin. 22. in marg. Iuniperomnito, lege, Iunipero multo. pag. 529. col 1 lin. 5. procedent, lege. procident. pag 621. col. 2 lin. 22. fœmaſti, lege, formaſti. pag 655. col. 2. in marg. Phariſæuia negligentor arguitur. lege. Phariſæorum negligentia arguitur. pag. 757. mereri ſaltem de congruo. lege. mereri de congruo pag. 812 lin. 46. Si auertis, lege. Si auerteris. In Elencho Dominica in ſexageſima col. 2. lin. 53. Eſaul, lege. Eſau. In tabula locorum Sacræ Scripturæ in lib. Thren. omiſſa ſunt aliqua loca. quæ adijciuntur in fine Elenchi, adiungantur ijs, quæ ſuo loco. in Threnis Ieremiæ notata ſunt.

# Regeſtum.

* a b c d e f g h i k.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T
V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee.

Omnes ſunt quaterniones, præter * quę eſt duernio., & k quinternio, & Ee duernio.




UNIVERSITARIA
DE
GRANADA

ROMAE, Ex Typographia Guilielmi Facciotti. M.DC.II.

SVPERIORVM PERMISSV.